Digitized by Google

THEOLOGIA
REGVLARIS



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN HAC
REGVLARI THEOLOGIA
OCTO SVNT COMMENTARII, QVIBVS Ordinum omnium, aut ferè obligationes radicitus examinantur.

PRIMVS.

IN Regulam S.Benedicti Occidentalium Religioſorum Patriarchæ. Num. 1. *cui Baſis Melliflui Doctoris ſcholion de præcepto & diſpenſatione.*

SECVNDVS.

In eiuſdem ſanctiſſimi Patris Opuſcula. nimirum, in Ordinem ſeu Methodum conuerſandi monaſticè. Num. 1780. *In Epiſtolam ad S.Remigium;* Num. 1820. *In Sermonem de S. Placidi Paſſione,* Num. 1828. *In ſermonem habitum in diſceſſu S. Mauri.* Num. 1837. *In Epiſtolam ad eumdem miſſam.* Num. 1842.

TERTIVS.

In Regulam Templarij Ordinis, compoſitam à D. Bernardo, in illa ipſammet Benedictinam illuſtrante, Num. 1848.

QVARTVS.

In Regulam S.Baſilij Orientalium Religioſorum Patriarchæ, remiſſiuè, Num. 1889.

QVINTVS.

In Regulam S. Auguſtini, Diuini Doctoris, & Hipponenſis Præſulis, multorum Ordinum Legislatoris, Num. 1890.

SEXTVS.

In Seraphicam Regulam S.Franciſci Patriarchæ Minoritarum & Capucinorum, &c. Num. 1981.

SEPTIMVS.

In Regulam Fratrum & Sororum de Pœnitentia, tertij Ordinis S.Franciſci, habitantium in communitate, à Leone Papa X. editam. Num. 2001.

OCTAVVS.

In Regulam Fratrum Sororumque pœnitentium, tertij Ordinis S.Franciſci, in domibus ſuis extra communitatem habitantium, à Nicolao Pontifice Maximo editam. Num. 2046.

Reliquæ *Religioſorum Regulæ, cùm ſpeciales non ſint, ſed faſciculi floribus harum hinc inde lectis efformati, non indiguerunt Commentario ſpeciali.*

Omnes ita connexi ſunt, vt ſe mutuò dilucident, & ſinguli ſingulorum intelligentiæ ſeruire poſſint. quam ob rem vtiliter legi vniuerſi poterunt à Religioſo ſub quacumque Regula & Ordine Deo militante.

IL-

ILL.MO ET REV.MO PRÆSVLI

D. IO. BAPTISTÆ BRIXIÆ

ELECTO HADRIENSI.

Domino, & Patrono Colendiſſimo

IO. IACOBVS HERTZ TYPOGRAPHVS VENETVS.

P. F. P.

M*Agnum* CARAMVELIS *Opus, denuò meis Typis impreſſum, non niſi ſub magni Præſulis auſpicijs iterum erat euulgandum. Tuum grande Nomen (Illuſtriſſime Domine) opportunè hoc mihi præſtat, vt Inclito Numini Tuo Regularem hanc Theologiam dinuncupem: ſiquidem ſpectabilis* BRIXIAE GENTIS *dignitas, & laudabiles animi tui Dotes, quas præſens admiratur ætas, & ſequens æmulabitur Poſteritas; vndiq; amplitudinem ſapiunt, paſſimq; magnitudinem præmonſtrant. Nonne magna & perantiqua eſt Familiæ Tuæ Nobilitas, quæ ex annoſo Pitignoliorum Trunco, iam in Brixienſi Ditione Pitignij Oppidum dominante, exorta; deinde ad Taruiſinam Ciuitatem traducta, Nobiliſſima* BRIXIORVM *Germina edidit? Huiuſmodi Atauorum Dominatum Gentilitij Tui ſtemmatis* ERYTHACVS

Aui-

Auicula, Cenomanico idiomate Pitignoli vocata, confirmat. Hanc ſplendidæ originis claritatem itidem comprobant Cognationes, & Affinitates cum tot, tantiſq; Excellentiſſimis, & Eminentiſsimis Familijs initæ; Regium Palatium Taruisijs extructum; Opes ampliſsimæ ibidem poſſeſſæ. At multo maiora, neque cum cæteris communia, his accedunt, Tuamet omnigenæ virtutes; ſumma in rebus gerendis Prudentia; & ſingularis morum integritas; quæ non ſolum Beneuenti, Interamnæ, ac Fabriani Regimina, Vrbiniq; Statuum Prolegationes ab Apoſtolica Sede meruerunt; ſed etiam ſapientiſsimum Pontificem, vt Tibi ex propria munificentia Eccleſiam HADRIENSEM *vltrò conferret, nuperrimè impulerunt. Hanc igitur Epiſcopalem dignitatem Tibi ex animo gratulor; eamque vti Eminentioris Apicis gradum auguror. In officioſæ autem gratulationis argumentum Regularem hanc* CARAMVELIS *Theologiam Tibi, Illuſtriſsime Antiſtes, offero, & nuncupo; ſcientia enim de Diuinis rebus Paſtoris penè Diuini Tutelam expoſcebat; &* Regularium *doctrina Religioſiſsimorum Præſulum decebat exemplar. Tuam nunc, ſapientiſsime Paſtor, Humanitatem obſecro, atq; obteſtor, vt in huiuſce Libri nuncupatione, deditiſsimæ obſeruantiæ in Te meæ monimentum liberaliter accipias; meq; in tuam Clientelam benigniter recipias, dignum, qui Votis Tuis æternum addictiſsimus obſequar.*

Venetijs Kal. Iunij M. DC. LI.

FRON-

FRONTISPICIVM OPERIS CONTEMPLATVRO.

INTER alias mirabiles Ezechielis Prophetæ Apocalypſes, celeberrimam illam iudico, quam ad lineas diduxi in Fronte Operis, & penicillo ob oculos repræſentaui. Illam in Epiſtola Dedicatoria Politicis adumbraui coloribus, nunc eamdem Theologicis repicturus ſum. Turbantur, aſſerente Ezechiele, elementa vniuerſa; Terra concutitur, Oceani procelleſcunt, confligunt Venti, Ignis iquadit, & cardines Cœlorum ſtrident; Inter tot fragores, fulgura, fulmina, attonitus Propheta ſuſpicit Triumphalem currum, Gloriam Dei promouentem. Quatuor illum trahebant animalia; Leo, Homo, Aquila, Vitulus abſtrahendo à coloribus, Patriarchæ quatuor, Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Franciſcus; hi enim Dei viuæ imagines ſunt, animæ gratia (vita ſupernaturalis eſt ipſa) cœlitus animatæ, Creatoris Gloriam a ſe inſtitutis Rotis, aut Religioſis Ordinibus miraculosè promouentes.

Leo ſylueſtrium beſtiarum Imperator, heremi Princeps, animantium Magnas, Magnum Baſilium, repræſentat, qui re & nomine Baſileus, hoc eſt Monachorum in ſyluis montibus, heremis vitæ ſolitariæ ad laborantium Rex. Princeps ipſe, quia primus conuerſationem aſceticam reduxit ad Regulas, & curſum Erronum Anachoretarum, aut fortè ſarabaitarum reduxit ad Theorias, & Tabulas, & Legibus religioſis obſtrinxit.

Homo Dei & ſimilitudo & imago olim, iam nexu ſtrictiore Diuinitati coniunctus, etiam Deus eſt; & hac cœleſti Apocalypſi Auguſtinum Diuinum repræſentat; non enim aliter Doctor Diuinus quàm à Dei Imagine poterat imaginari.

Aquila, nubium hoſpes, audentior animantibus reliquis, obtutu illæſo & recto ſoleni reſpicit, & vitæ contemplatiuæ eſt ſymbolum, & Benedicti doctrinalis imago. Aquila ipſe, nam orationi inſiſtens ſub vno Solis radio totum mundum collectum conſpexit: totum inquam, videnti enim Creatorem, (ipſe verus Sol eſt) anguſta eſt omnis creatura. Huius aquilæ pullus, aut degener fuit Bernardus, cui S.Hildegardis, *Aquila es aſpiciens in Solem* [vide lilia Chryſoſtomo Henriquez pag.337. diſt.8.cap.1.] cu etiam dixerat, *Te in hac viſione vidi, ſicut hominem in Sole aſpicere, & non timere, ſed valde audacem.*

Vitulus aræ & aratro aptus, Franciſcum exprimit, diuinum cultum cum populi vtilitate coniungentem. ſtudentem nimirum contemplationi actionique, & Mariæ & Marthæ genius oppoſitos hypoſtatica concordia componentem.

& qui-

& quidem meritò; quoniam Homo Seraphicus, non niſi ab Angelo debuit repræſentari. Sed quid dico? expreſſum ab Angelo Franciſcum? An non potiùs à Vitulo? minimè, quoniam Franciſcus contemplando operando in Seraphim im tranſformatur, & hanc ipſam transformationem prædictam Ezechieli videbimur. Capite enim Reuelationum decimo, currus idem recurrit, quadriga eadem; & enumerat Leonem, Hominem, Aquilam, & Cherubimum Ezechiel. Aliam Ideam putarem, niſi ab eodem admonerer iſtam à prima nō diſtingui. Quid igitur actum de Vitulo? vnde huc Cherubimus allatus? ex nullo abyſſi ſinu; ſed eductus ex potentia Subiecti, ſi Stagiritæ creditur, Forma ſubſtantialis perfectio educitur de potentia Materiæ, & ſi oculis, Forma artificialis è potentia Subiecti. & iſte Cherubimus è Vitulo deductus eſt. Dici adnihilato Vitulo creatum Cherubimum non patiar; quia errauiſſet Ezechiel eamdem eſſe ſubſtantiam viuentem affirmando. Conuerſus eſt in Cherubimum Vitulus, ſicut in Seraphimum eſt Franciſcus Minoritarum Pater.

An ſine ordine Ordines? an ſine gradu Patriarchæ? Minimè. Illos Propheta ſic enumerat. *Similitudo vultus Animalium, facies Hominis & facies Leonis à dextris ipſorum quatuor, facies Vituli à ſiniſtris ipſorum quatuor, facies autem Aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Ac ſi diceret, in hieroglyphica illa reuelatione ſuperiorem locum ceſſiſſe Benedicto, ſiniſtrum Franciſco, dexterum Auguſtino & Baſilio. Sed cur ita? Dabitur Hiſtorica, Hierarchica, & Theologica ratio.

Initium ab Hiſtorica ſumens, Eccleſiam Romanam conſidero, Gloriæ Dei ſedem, quæ in triumphum promouetur; conſidero illam totam intentam in Septentrionalem regionem, vt liberetur ab inſtante periculo, quoniam ab Aquilone pandetur omne malum; hodie à Suecia vniuerſa pericula. Sic conſtituta Eccleſia habebit Græciam, Palæſtinam, Ægyptum, & nobiliores Africæ regiones à dextera; à ſiniſtra Gallias & Hiſpanias; & Italiam à fronte. Igitur à dextris Baſilium Auguſtinumque, qui orientales illuſtratunt Regiones; a ſiniſtris Franciſcum qui occiduas; è regione Benedictum, qui Heſperias.

Si ſumam politicum ſtylum, fortè ſuperiorem locum Benedicto, dexterum Baſilio, & Auguſtino, & ſiniſtrum Franciſco, quòd Regula Benedictina cenſeatur ante alias approbata, & Benedictini omnium Religioſorum antiquiſſimi à ſapientioribus dicantur. Sanè illis cedit locus ſuperior, ſiniſter Franciſcanis, dexter reliquis. Sed hoc non vrgeo, vberiùs enim omnia hæc in LIBRA diſputaui.

Si Theologicè placeat diſcurrere, iuuari potero S. Gregorij Papæ verbis deſumptis ex homilia, quæ in Paſchate ſolet cantari. *Notandum vobis eſt*, ait, *quid-nam ſit, quòd in dextris ſedere Angelus cernitur. Quid namque per ſiniſtram, niſi vita præſens? quid verò per dexteram, niſi perpetua deſignatur?* Huic igitur hypotheſi inſiſtendo, concludo Baſilianos Auguſtinianoſque ſub tempus illud caruiſſe dulcedine vitæ præſentis; hac Franciſcanos frui; & Benedictinos à carentia & fruitione præciſos conſtituere quemdam conceptum ſuperiorem. Vt poſitam concluſionem intelligas, debet doceri, diuites opulentoſque homines non frui vita præſenti, ſed carere illa potiùs: nam opulentia eſt mors, aut ſi nobilior morte, forma cadauerina. *Vidi*, inquit Propheta Rex, *impium diuitem, elatum ſuperbum, cum cedris montis Libani celſitudinem propriam conferentem, imo ſua opinione excedentem. Acceſſi. & ecce non erat., & non eſt inuentus locus eius.* Huius ergo vanitas, opulentia, ſuperbia, ſunt nomina illius Formæ, quæ conſtituit rem, quæ non eſt in rerum natura, vt breuius dicam, eſt Non-exiſtentia ſubiecti. Quid hinc inferam? Paupertatem eſſe vitam, ſiquidem opulentia eſt mors.

An omnis paupertas vita eſt? Non puto. multa enim vita exigit, quæ in omni nequeunt paupertate inueniri. Vita eſt motus intrinſecus & ab intrinſeco. ergo paupertas, quæ intrinſeca & ab intrinſeco, erit vita præſens, humana beatitudo, & ſimilitudo cœleſtis. Sanè non eſt paupertas ab intrinſeco, quæ inuoluntaria; violentia enim eſt ipſa, & illata ab extrinſeco paſſo non conſentiente. Non eſt intrinſeca, quæ retinet diteſcendi potentiam, & dominij habendi veram capacitatem, vnde cùm veteris Monachi proprietatem adquirere potuerint, habuerunt paupertatem extrinſecam, quæ vita nominari non poteſt. Pauperrimi fuerunt Baſiliani, pauperrimi etiam Auguſtiniani, at tota hæc ipſorum paupertas concernere videbatur vſum, non dominium. erant ſimilis ſocietatis Iunioribus, qui poſſunt dominium adquirere. Hinc eſt, quòd ſub illud tempus nec vota Matrimonium dirimerent, nec redderent venditionem inualidam. Habebant dominium in communi & poterant in particulari. at è contrario Minoritæ, vtroque carent. Superſunt Caſſinenſes, vtriſque ſimiles, & vtriſque diſſimiles: habent enim dominium in communi, in particulari carentes. [*Vide Auguſtinum apud D. Bernardum de præcept. & diſp. capite mihi 42. in ſcholio num.* 382.]

Sanè Minoritæ humana fœlicitate fruuntur: & quia beatus ille, qui procul negotijs, procul diuitijs, procul opibus ſoli ipſi humanitus beati, poſt præſentis vitæ beatitudinem interminabilem ſperant. Ꝫreci & Afri caruerunt humana quiete, & vitæ tranquillitate domeſticæ rei curis onerati, aut obruti. Et Caſſinenſes, dum diuitias in communi habent, curis omninò carere non poſſunt; & quamdiu obruuntur curis non fruuntur huius lucis vſura, ſine morbo, ſine difficultatibus.

Hęc omnia, quæ potuerunt vberiùs deduci, & pulchris Patrum teſtimonijs ornari, ſunto breuiter dicta, alibi copioſiùs retractanda. Sed quia præter Gloriam Dei triumphantis, & Animalia Patriarcharum ſymbola, Genium reſpicis ſpeculo concauo inſtructum, Solis-Dei radios in oppoſitam tabellam reflectentem, quis ipſe, quid illud, expoſiturus ſum, vt ſtudioſæ tuæ curioſitati ſatisfaciam.

Speculum ſignificat Regulam vitæ Religioſæ: vnde Auguſtinus in fine ſuę ſic ait, *Vt autem in hoc libello* (Regulam ſubintelligit) *tanquam in ſpeculo poſſi is inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur*. Hinc eſt, quòd Principes & Patriarchæ (fortè quod ſint non viuæ modò, ſed & vitales honeſtè conuerſandi Regulæ) Specula *Deitatis* dicantur. Diuina quidem Protheſis, & Platoni adtributa. non enim poterat non loqui ille diuinitus, quem diuinum reddidit Diuinitatis contemplatio. Sunto igitur Specula Prælati, Superiores, Antiſtites; Primores, Principes, Monarchæ; ſed cuius? ſi Theologicis verbis liceat vti, infinitæ Aſeitatis. Solus Deus eſt à ſe, & creaturæ tandiu ſunt, quamdiu ab illo dimanant. Omnis homo, ſi bene examines, à conditione ſua liber, diuinam eſt adeptus imaginem. Deum quidem ſubditus, ſed Princeps nobiliùs repręſentat. Subditus ad Dei imaginem; Princeps, Antiſtes, quoniam Speculum Deitatis eſt, non ſolùm ad imaginem Dei producitur, ſed Dei imago.

Philoſophi Diuini Ideas firmauit Gentilium Apoſtolus, qui vniuerſorum Regum Principem, vitæ Chriſtianæ & Orthodoxæ veram Regulam, Chriſtum Dominum, Patris ſpeculum denominauit. non enim eſſet Chriſtus legitimus vniuerſorum Rex, ſi ſpeculum Patris non eſſet; nec eſſet verè ſpeculum, ſi non eſſet Orthodoxè viuendi Regula vniuerſalis. Hęc veritas etymo naturali roboratur. Speculum enim ראי R E Y, in principe dialecto dicitur, & ſi nec hoc nomen percalles, conſule Iberos, quorum lingua, (apud curioſos fides) eſt Idiomatis Hebraici primogenita. & doceberis nomen R E Y, ſignificare R E G E M; vt ſcias neminem

dignè

digne habenas moderari politicas, qui non ſit Speculum Diuinitatis.

Fortè ſupremam Cœli Principem, Angelorum Reginam, Matrem-Virginem, ideo *Speculum* Iuſtitiæ dicimus, quòd decredamus corona redimiri poſſe & tamen ſpeculi proprietate carere. Sanè

Si Opticis inſiſtamus Principijs duo notiſſima reperiemus Speculorum genera, quæ ſupra mortalium vulgus ſapiens, inuenit & examinauit Æſculapius Cicerone (2. de nat. Deor.) aſſerente. Alia ſunt plana, & alia ſphœrica. Vt Princeps aſſeratur Speculum, adhuc ambigis de qualitate; verum ſit, concauum, conuexum, vel rectum? Quæſtioni arduæ & difficili ex Magno ſatisfaciam Alberto. Verè Dei imaginem ſuperior exprimit, ſed infinitam more humano. Eam recipit, eam exhibet, non tamen in propria, ſed in minori quantitate. quoniam temporaneus Deum æternum, & imaginat immenſum limitatus. Albertus nunc. *Speculum planum*, ait libri 1. de Anim. tract. 1. cap. 1. *recipit in propria quantitate formas, Rotundum in minori*. Antiſtes ergo, Patriarcha, Legiſlator, ſpeculum circulare eſt: eius enim vita debet Dei immenſas perfectiones exprimere humanitus, hoc eſt, in minori magnitudine poteſt. Hęc doctrina commendat Antiſtites, qui boni: & degeneres, carpit, corrigit, reprehendit. Vidi Prǽſides aliquos nec ſubditis nec ſibi bonos: qui ſibi & religioſis vtiles eſſent, etiam vidi, ſed paucos. Priores illi, ſpecula circularia non ſunt: hęc enim prærogatiua ſolùm competit Legi, aut Regulæ illorum, qui in proprijs cordibus Deum exprimunt, & media hac expreſſione, quæ eſt ſanctè conuerſandi Regula, extra ſe figurant Dei imaginem in animis diſcipulorum.

Quid? Poſſunt-ne Specula Ideas prodigere, & tranſeunte actione extra ſuperficiei limites imagines repræſentare? Poſſe, ſi ſint ſphœrica (Timæi cap. 20.) Philoſophus Diuinus aſſeruit interprete Marſilio Ficino. Illi ſubſcribunt Proclus (6. de Republ.) Theophraſtus (lib. de Anim.) Iamblicus, Priſcianus; & explicant curioſè Recentiores. Principes igitur & qualeſcumque Antiſtites ſunto rotunda Specula; ſane Specula, vt conſeruent & exprimant illam Dei ſupernaturalem imaginem quam in regeneratione receperunt: Rotunda verò, vt eamdem extra ſe in diſcipulis, in filijs, & in ſubditis forment.

Non omnes Principes iſtam Opticam capiunt. diuina eſt, & plus quàm humanas mentes exigit intelligenda. Hanc liquidò Baſilius, hanc Auguſtinus, hanc Benedictus, hanc etiam Franciſcus ebiberat. Singulorum Genius ſpeculatus gloriam Dei, mentem ſuam (Deitatis Speculum) reduxit ad lineas, & ſcripſit Regulam, qua velut concaui Speculi virtute Dei imaginem extra ſe producit in ſpirituali tabula. Quæ tamen ipſa? Animus rationalis, qui ſub initium à Peripateticis dicitur tabula eſſe raſa, in qua nil omninò deſcriptum. In diſcipulorum ergo animis angelicus iſtorum Patriarcharum Genius producit totius Dei imaginem, concipiens immenſos ſanctitatis illimitatæ radios, eoſque ad minorem, Animo tamen proportionalem, quantitatem reducens.

Sed aliquid non ſine admiratione ſubiungo. Nullus eſt Religioſus, in quo omnium quatuor Patriarcharum virtutes, & dotes non luceant. In diuinis omnipotentia adtribuitur Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui ſancto; cùm tamen omnipotentes, ſapientes & bonæ, omnes perſonæ ſint. Sic etiam quatuor iſta Animalia Nominis tetragrammati characteres, & ita ſinguli ſingulis Patriarchis conueniunt, vt reliquis ternis non abſint. Primus Dei character eſt, iudicij ſeueritas Leonis effigie expreſſa; ſecundus miſericordiæ tolerantia ſignificata per bouem. [nam vt à Bernardo meo (lib. de modo viuendi, ſerm. 18.) doceor, *Per leonem ſeueritatis terror, per bouem verò manſuetudinis patientia figuratur.*] & vterque ſimul,

Clementia omnipotens, & Seueritas clemens, Tertius prouidentia eſt per hominis faciem notata. Quartus & vltimus eſt Aquila, Verbum Diuinum, Dei eſſe verum filium indigitans: hæc enim volucris notum eſt Filij Dei hieroglyphicum, vnde apud Ethnicos Clearcho, Heraclienſium Tyranno, qui ſe Dei Filium dixit (aſſerente Pierio libri 19. c.27.) Aquila velut argumentum generis preferebatur.

Hæc omnia in ſingulis debent Patriarchis, hæc omnia in ſingulis debent Regulis ipſorum reperiri. Singuli ſunt ieiunijs & pœnitentijs macerati, cœleſtis contemplationis recreati dulcedine; fauoribus præuenti empyreis: breuiùs, omnes & ſinguli ſunt Filij Dei. Sed & ipſorum Regulæ Seueræ, Clementes, Prouidæ, & vt verbo omnia dicam, Verbum ſunt Dei. Hinc radius veritatis dirigitur, quo poſſit pingi Religioſus, quem his coloribus deſcribo. armatam gratia Dei eſt Diuinitatis imago ab Speculo (Regulam Religioſus (cuiuſcumque ſit ordinis) intelligo) omnes virtutes ſuas recipiens. eſt Leo, Bos, Homo, Aquila. Leo quidem, nam magnanimus Dæmonis potentiam retundit, acies inſidianter proſternit. Bouis, quem manſuetudinis ſymbolum voluerunt veteres, prærogatiua præditus, nec effertur proſperis, nec aduerſis frangitur, ſed ſemper ſibi ſimilis, permanet mitis & humilis corde. Aquila ipſe eſt, nempe Dei ales æternum ſolem intuitiuè viſura. Filius eſt Dei, & volando manet ſtabilis, feſtinat in eodem loco remanens; & dum multum progreditur non proficiſcitur, ſed proficit. adſcendit de virtute in virtutem, nec reuertitur, cùm rectam viam à Regula delineatam perambulat. Hic ipſe, ſi dum vixerit, boui ſimilis, obedientiæ iugum ſuſtinuerit, paratus, vel arare terras, vel orare cœlos, ſi nunquam contra gratiæ impulſum & charitatis ſtimulum in moralibus recalcitrauerit, (non enim ſubmittens collum aratro, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei *Lucæ* 9. 61.) finita huius vitæ periodo in Cherubimum conuertetur. bos enim ab Ezechiele capite primo Reuelationum viſus, ſummè obediens circulum ſuum peregit, & quia laudabiliter illum abſoluit, capite decimo in Cherubimum verſus alta prædicat voce Religioſos, qui proceſſu temporis, ducem Decalogi legem percurrerint, & conſilia obſeruauerint, in hac vita erunt Chriſti miſeriarum compotes, & ſub vltimum anhelitum conuerſi in Angelos, miſericordiarum Chriſti participes & conſortes reddentur.

THEO-

THEOLOGIÆ REGVLARIS

Pars Prima.

COMMENTARIVS
IN REGVLAM
S. BENEDICTI.

HIC COMMENTARIVS

IN DVODECIM LIBROS DIVIDITVR; AGIT

PRIMVS.
De legibus, & ſpecialiter de Benedictina. Num. 15.
SECVNDVS.
De Generibus Monachorum vacantium conuerſationi Religioſæ ante Chriſtum. Num. 100.
TERTIVS.
De conuerſatione Monaſtica ſub Chriſto. Num. 208.
QVARTVS.
De ſtatu Monaſtico poſt Chriſtum. Num. 270.
QVINTVS.
De Generibus Monachorum in lege gratiæ. Num. 306.
SEXTVS.
De Candidatis Ordinis S. Benedicti. Num. 439.
SEPTIMVS.
De Monachorum Profeſſione, & Stabilitate. Num. 512.
OCTAVVS.
De Votis ſubſtantialibus; nimirum, Obedientia, Paupertate, & Caſtitate. Num. 673.
NONVS.
De Diuini Officij ritu, ſolennitate, antiquitate. Num. 1062.
DECIMVS.
De moralibus obligationibus, ſub quibus tenentur DD. Benedictini publicè & priuatim Diuina Officia recitare. Num. 1290.
VNDECIMVS.
De Regimine Monarchico Communitatis. Num. 1477.
DVODECIMVS.
De Monaſticis Tribunalibus, Litibus, & Iudicijs. Num. 1676.

CON-

CONTROVERSIA METHODICA.

De ordine, quem in ſua Regula D. Benedictus obſeruat.

ORdinem duplicem in Scientiarum traditione obſeruamus, Naturalem, Doctrinalemque. Ab imperfectioribus ad perfectiora Natura incipit, vt videre eſt in hominis generatione; qui aſſerentibus Viris doctiſſimis, primò ſpuma eſt, ſecundò Embryo inanimis, tertiò vita vegetatiua præditus, quartò ſenſitiua, quintò ſpirituali, orba tamen & paupere, ſimili raſæ tabulæ, in qua nihil deſcriptum eſt. Sextò naſcitur; ſeptimò inſtruitur, & ſucceſſu temporis arbitrij capax redditur; & tandem octauò doctus & Angelo ſimillimus redditur. Quod exemplum tametſi non per omnia adprobem, optimum eſt diuiſioni explicandæ. At doctrina à notioribus ad minùs nota. Præponuntur enim per ſe nota principia, in quibus religio ſit hærere, vt demonſtrentur, remotiſſimæ difficultates. De his duobus procedendi modis alij multi, nec iuuat pulchrè expoſita iterum retractare.

Naturali Doctrinalique Ordinem Logicum iungendum multi putant, in quo ab vniuerſalibus ad ſingularia; addendum Phyſicum, in quo à ſingularibus ad vniuerſalia proceditur.

Sed & alij tantum tempori deferunt, vt ordinem temporaneum addiderit diſtinctum ab antecedentibus. Hunc obſeruant Chronologi, & quotquot Annales exarant; hunc qui diſtribuunt ſæcula, aut ab alijs diſtributa deſcribunt.

His poſitis inquiris Primò; quem Ordinem ex præcedentibus S. Doctor obſeruauerit in Regulæ compoſitione? Et reſponſio eſt facillima. Nam in Regula non reperitur Ordo Naturalis, quoniam Natura ab imperfectioribus incipit, quod non obſeruat Legislator, cum ſtatim agat de Abbate, quo nemo in Communitate excellentior. Nec Ordo ſeruatur Doctrinalis, multa enim obſcura pręmittuntur, quæ deberent inferri, ſi huic ſtaretur methodo. Nec ſeruatur Phyſicus aut Metaphyſicus, non.n. à ſingularibus ad vniuerſalia, nec ad ſingularia ex vniuerſalibus proceditur: Nec ratio habetur temporis, præmittuntur enim facienda ab Abbate, ſequitur eiuſdem Electio, cùm tamen hęc debeat, ſi tempus ſpectemus, præcedere. Et tamen bonus ordo ſeruatur Author Synopſeos Regulę Benedictinę, quę Campililienſis Scholę nomine hoc anno M. DC. XLV. prodijt, pulchram Tabulam edidit, quę quoniam ad minora folia reduci non potuit, commendamus, non damus, ne autem nihil reponere videamur ſequentem capitum collationem & diuiſionem contemplator.

D I-

DISTRIBVTIO
Benedictinæ Regulæ.

Duplici homo potentia rationali præditus, duplici potentia laborat, & duplici medicina indiget, vt poſſit meritoriè operari, quarum cum neutra ſit illi debita, vtraque Gratia *nominatur. Habet læſam mentem & voluntatem. Hæc recurratur Gratia illa Phyſica, quæ auxilium dicitur, & voluntati adtribuit quòd poſſit operari. Mens recurratur luce, qua videat quid debeat facere aut non facere. Doctrinæ hanc gratiam admiſit Hæreſiarcha Pelagius, nec tamen hæreticè, non enim damnatus quòd indebitas illuminationes diuinitùs conceſſas Menti, admiſerit; ſed quòd phyſicum omne adiutorium humanæ voluntati negarit. Gratia phyſica, quæ voluntatem afficit, triplex eſt: Præueniens, Adiuuans, & Subſequens. quas alij diſtinguunt officio, alij verò entitate. Huic ſimilis Gratia Euangelica; lux eſt mentem Chriſtianorum illuminans, eamque diſponens, adiuuans, perficienſque. Eidem ſimilis Gratia regularis: Gratia quidem quoniam indebita; & tamen Præueniens, Adiuuans, & Subſequens. Subiectum Diagramma contemplator.*

REGVLA S. Benedicti Gratia eſt diuinitus nobis cōceſſa, ſeu doctrina indebita à Deo per noſtrum Legiſlatorem tradita, quæ quidem Regularis doctrina eſt

- Præueniens
  - Diſponens vniuerſos. — PARS I. Prologus & Caput I.
  - Inſtruens
    - Abbatem. — PARS II. Caput II. & III.
    - Religioſos. — PARS III. à Caput IV. ad XX.
- Adiuuans
  - Cooperans, omnia media miniſtrans — PARS IV. à Capite XXI. ad LII.
- Subſequens
  - Conſeruās
    - Bona temporalia — PARS V. à Capite LII. ad LVII.
    - Congregationem ipſam. — PARS VI. à Capite LVIII. ad LXX.
  - Perficiens vniuerſos. — PARS VII. Caput LXXI. & LXXIII.

Partes ſingulas, & Capita ad caſdem pertinentia ſigillatim ponamus.

PARS I.

REGVLA Benedictina, quæ præueniens

Diſponit vniuerſos

PARS I.

PROLOGVS. *Seculi proponit pericula, clauſtri ſecuritatem. Ponitur num.*1. *citatur,* 6.7.8.9.13.78.79.80.998.247.527.1478.1898.1935.

Caput I. De Generibus Monachorum. *Quatuor enumerat; Sarabaitarum, Gyrouagorum, Cœnobitarum, & Eremitarum. Singula exponit: duo priora deteſtatur, vltimi pericula inſinuat; tertium fortiſſimum appellat, & authorat.* 306.311.317.329.334.337.349.2031.

Inſtruit

Abbatem

PARS II.

Cap. II. Qualis debeat eſſe Abbas? *Proponit Optimi Prælati characterem, n.*1480.1680. *citatur* 1478.1502.1506.1060. *v.*1750.1694.1697.1701.1707.1748.1750.1800.1804.2048.1975.

Cap. III. Qualiter ſuos religioſos debeat conſulere, & an eorumdem teneatur ſtare ſententiæ? *ſummam dat Superioribus authoritatem, quam iam Pontificia diplomata & conſuetudines decircinarunt. num.*1603. *citatur* 480.2008.

PARS III.

Religioſos

Cap. IV. Quę ſint inſtrumenta bonorum operum. *Decernit Monaſterium eſſe virtutum officinam, Religioſos opifices, leges & conſilia, inſtrumenta. num.*1059.1060.2031.2033.

Cap. V. De Obedientia, *quæ eſt primaria virtus Communitatum num.*691.1793.1815.1912.1975.

Cap. VI. De Taciturnitate, *quæ eſt virtutum cuſtodia.* 1288.2018.2033.

Cap. VII. De Humilitate, *ſeu virtutum origine.* 676.976.1815.1975.

Cap. VIII. De officijs diuinis in noctibus. 1102. *citatur.* 1788.

Cap. IX. Quanti Pſalmi dicendi ſunt in nocturnis horis. 1103. *citatur.* 1111.1122.1124.1152.1157.

Cap. X. Qualiter æſtatis tempore nocturna laus agatur. *num.*1108.

Cap. XI. Qualiter Dominicis diebus vigiliæ agantur. *num.* 1153. *citatur.* 1161.

Cap. XII. Quomodo matutinorum ſolennitas agatur. *nu.*1211.1217.

Cap. XIII. Qualiter priuatis diebus matutini agantur. *nu.*1217.

Cap. XIV. Qualiter in Natalitijs Sanctorum vigiliæ agantur. *num.* 1174.

Cap. XV. Quibus temporibus Allelu-Ia dicatur. *num.*1254.

Cap. XVI. Qualiter diuina opera per diem agantur. *num.*1262.

Cap. XVII. Quanti Pſalmi per eaſdem horas canendi ſunt. *num.* 1279.

Cap. XVIII. Quo ordine Pſalmi dicendi ſunt. *num.*1280. *curioſè exponitur à* 1293. *ad* 1317. 1973. b.

Cap. XIX. De diſciplina pſallendi. *nu* 1281 *citatur n.*1693.1816.

Cap. XX. De reuerentia orationis. *nu.* 1282. *Hæc omnia quæ Officium diuinum reſpiciunt, aut fallor, aut hodie multò melius quàm tempore D. Benedicti tractantur, ſub illud enim tempus maior erat Cœnobiorum paupertas, nec tanta commoditas diuini Officij celebrandi. Videatur modus orandi & pſallendi. num.* 1687.

PARS IV.

Cap. XXI. De Decanis & Præpoſito Monaſterij *nu.*1600, 1681. *citatur* 1690. 1800.
Cap. XXII. Quomodo dormiant Monachi. *num.*1622. *citatur num.* 717. 1980. *in Epiſt.*
Cap. XXIII. De excommunicatione culparum. *nu.*1678. 1743. 1800. 1801.
Cap. XXIV. Qualis debet eſſe modus excommunicationis. *num.*1744. bbb. *citatur num.*1747. 1801. 1907.
Cap. XXV. De grauioribus culpis. num. 1744. *citatur num.*1747. 1801.
Cap. XXVI. De his, qui ſine iuſſione Abbatis iungunt ſe excommunicatis. *num.* 1745. 1801. 1923.
Cap. XXVII. Qualiter ſolicitus ſit Abbas circa excommunicatos. *nu.*1746. 1923.
Cap. XXVIII. De his qui ſæpiùs correpti non emendauerint. *num.*1830. 2039. 2040. 2084.
Cap. XXIX. Si debeant recipi Fratres de Monaſtério exeuntes. *num.*1822.
Cap. XXX. De pueris minori ætate qualiter concipiantur. *num.* 1747. *citatur nu.* 1623. 1801. 1804.
Cap. XXXI. De Cellerario Monaſterij qualis ſit. *num.* 1610. *citatur* 1623. 1972. b. c. d.
Cap. XXXII. De ferramentis vel rebus Monaſterij. *num.* 1641. 1684. *citatur num.* 1690. 1800.
Cap. XXXIII. Si debeant Monachi proprium aliquid habere *nu.*818. 1801. 1813. 1841. 1906. 1908.
Cap. XXXIV. Si omnes æqualiter debeant neceſſaria accipere. *num.*1619. 1908.
Cap. XXXV. De ſeptimanarijs coquinæ. *num.*1614. *citatur num.*893. 1926.
Cap. XXXVI. De infirmis fratribus. *num.*1624. *qui teneantur ad officium diuinum. num.*1675. E. 2036. 2037. 2081. 1932 1967. 1980. *in epiſt.*
Cap. XXXVII. De ſenibus & infantibus. *num.*1618. 1926.
Cap. XXXVIII. De hebdomadario Lectore. *num.*1615. *citatur* 2021.
Cap. XXXIX. De menſura ciborum. *num.*1616. *citatur num.*1744. cc. 2058. 2059. 2071. 1926. 1932 1934.
Cap. XL. De menſura potus. *num.*1617. *citatur num.*1744. cc. 1926.
Cap. XLI. Quibus horis oporteat reficere Fratres. *num.*1611. 1817. 2068. 1926.
Cap. XLII. Vt poſt Completorium nemo loquatur. *num.* 128. *de lectione clauſtrali. num.*615. 2018. 2033.
Cap. XLIII De his qui ad opus Dei vel ad menſam tardè occurrunt. *num.* 1283. 1612. 1680. b. 1744. c. *&* d. *& citatur nu.*717. 1800. 1801. 1926.
Cap. XLIV. De his, qui excommunicantur, quomodo ſatisfaciant. *num.* 1744. bb. 1801.
Cap. XLV. De his, qui falluntur in oratorio. *num.*1285. *citatur nu.*717.
Cap. XLVI. De his, qui in aliquibus leuibus delinquunt. *num.* 1741. *citatur num.* 1744. c.
Cap. XLVII. De ſignificanda hora operis Dei *num.* 1284.
Cap. XLVIII. De Opere manuum quotidiano. *num.*1647. 1685. *citatur num.*1636. 1690. 1705. 1789. 1800. 1812. 1972. c. 1986.
Cap. XLIX. De Quadrageſimæ obſeruatione. *num.* 1613. *citatur illuſtratur num.* 1697. *&* à *num.*2056 *ad* 2069. 1921. 1926. 1984.
Cap. L. De Fratribus, qui longè à Monaſterio laborant, aut in via ſunt. *num.* 1286. *exponitur num.*703. 1980. *in epiſt.*
Cap. LI. De Fratribus qui non ſatis longè proficiſcuntur. *nu.*1744. cc. 1801.
Cap. LII. De Oratorio Monaſterij. *nu.* 1062.

REGVLA Benedictina, quæ adiuuans, cooperans, & medà benè viuendi ſubminiſtrâs.

PARS V.

PARS V.

REGVLA Benedictina, quæ ſubſequens — Conſerua — Bona tẽporalia.

- Cap. LIII. De hoſpitibus ſuſcipiendis. *num.* 979. 1652. 1654. 1665. 1974. §. *Quid Deo*.
- Cap. LIV. Quod non debeat Monachus litteras & eulogia accipere. *num.* 819. 1813. 1906.
- Cap. LV. De veſtimentis & calceamentis fratrum. *nu* 1620. *videnda etiam quæ dicuntur num.* 373 375. 1841. 2058. 2059. *De veſtium antiquarum colore.* 1881. *Vide etiam.* 1939. 1972. c.
- Cap. LVI. De menſa Abbatis. *num.* 1655.
- Cap. LVII. De Artificibus Monaſterij. *nu.* 1638. *citatur expenditurque num.* 266.

PARS VI.

Congregationẽ ipſam.

- Cap. LVIII. De diſciplina ſuſcipiendorum Fratrum. *num.* 456. *citatur num* 81. 473. 475. 504. 517. 519. 521. 522. 1688. 2009. 2048. 2049. 2050. 2051. 1909.
- Cap. LIX. De Filijs nobilium vel pauperum quomodo offerantur. *num.* 439 1831. 2048. 2049. 1909.
- Cap. LX De Sacerdotibus, qui voluerint in Monaſterio habitare. *num.* 448.
- Cap. LXI. De Monachis peregrinis, quomodo ſuſcipiantur. *nu.* 451. *citatur num.* 583 585.
- Cap. LXII. De Sacerdotibus Monaſterij. *num.* 1626. 1686. *citatur nu.* 1690.
- Cap. LXIII. De Ordinibus congregationis. *num.* 1477. *citat.* 1791. 1792.
- Cap. LXIV. De ordinando Abbate. *num.* 1479. *citatur num.* 70. 1478. 1500. 1792. 2029.
- Cap. LXV. De Præpoſito Monaſterij. *nu* 1574. 1575 1601. 1829. *citatur* 1478. 1582. 1586. 1690. 1720. 1800. 2039 2040.
- Cap. LXVI. De Oſtiarijs Monaſterij. *nu.* 1647. *expenditur num.* 577. 1800.
- Cap. LXVII. De Fratribus in viam directis. *num.* 1648. *citatur num.* 1744. cc.
- Cap. LXVIII. Si Fratri impoſſibilia iniunguntur. *num.* 694. *exponitur num.* 1729. *citatur* 1793. 1815. 2083. 1975. 1980. *in epiſt.*
- Cap. LXIX. Vt in Monaſterio non præſumat alter alterum defendere. *num.* 1729. 1973. b.
- Cap. LXX. Vt non præſumat quiſquam alium cædere. *nu.* 1927. 1973. b.

PARS VII.

Perficit vniuerſos.

- Cap. LXXI. Vt obedientes ſint ſibi inuicem Fratres. *num.* 692. 1828. *citatur num.* 717. 1792. 1793. 1815. 2039. 2040. 2085. 1973. c 1975.
- Cap. LXXII. De zelo bono, quem debent Monachi habere. *nu.* 693 *citatur.* 1793. 1815.
- Cap. LXXIII. De eo, quod non omnis obſeruatio iuſtitiæ in hac ſit Regula conſtituta. *num.* 1764. *citatur num.* 1763. & 1889. *integra ratione explicatur*.

DISPVTATIONVM INDEX.

OPeris Protheorema, modum examinandi morales cōtrouerſias præponens.* Prologus Regulæ. *num.* 1. Diſputatio Proœmialis, De argumento & obiecto huius libri. *num.* 5.

LIBER I.

Securiſſima conſtituit fundamenta, quibus diſcutiendæ difficultates innitantur.

DIſputatio II. De legibus. *num.* 15.
Articulus I. *De lege eterna.* 16.
Articulus II. *De lege naturali.* 19.
Articulus III. *De iure gentium.* 23.
Articulus IV. *De iure humano poſitiuo.* 25.
Articulus V. *Ius natura nec mutari, nec diſpenſari poſſe humana authoritate.* 27.
Diſputatio III. De obligatione, quæ ex legibus oriri ſolet. *num.* 29.
Articulus I. *Lex merè pœnalis non obligat in foro interiori.* 30.
Articulus II. *Lex moralis eadem quæ abſoluta; obligat in conſcientia.* 34.
Articulus III. *Cur lex merè pœnalis non obliget in interiori foro.* 36.
Diſputatio IV. De legum materia, *nu.* 38. De materia magna. *nu.* 41. De materia magna partiali. *nu.* 47.
Diſputatio V. De legum intrinſecis extrinſeciſque qualitatibus. *num.* 48.
Diſputatio VI. De opinione probabili. *nu.* 51.
Articulus I. *Probabilis ſententiaque?* 52.
Articulus II. *Licet ſequi opinionem probabilem; non eſt opus ſubſcribere probabiliori. Sunt opiniones omnes aquè tuta, dummodò ſint probabiles.* 57.
Articulus III. *Conſultationes aliquot circa probabilitatem opinionum.* 60.
Diſputatio VII. De Regula Sanctiſſimi P. N. Benedicti. *nu.* 76.
Articulus I. *Multa ex his, quę ſunt in Regula pręcepti rationem non habent.* 77.
Articulus II. *Vtrùm in Regula aliqua pręcepta reperiantur.* 79.
Articulus III. *Notitię penitioris cauſa ſuppono omnia & ſingula quę ſunt in Regula ex Legiſlatoris mente habere vim pręcepti. Et vtrùm ad ea in conſcientię foro obligemur, examino.* 89.
Articulus IV. *Vtrùm Prælato pręcipiente in virtute ſanctę obedientię ſeruari ea omnia, quę ſunt in Regula, omnia ſubditos obligent ſub peccato mortali.* 94.
Articulus V. *Vtrùm, ſi quiſpiam voueat omnia & ſingula, quę in Regula continentur, ſe ſeruaturum, vel ſingula teneatur ſub mortali.* 96.
Articulus VI. *De contemptu rerum regularium.* 97.

LI-

LIBER II.

De Monachorum generibus vacantium conuerſationi Religioſæ ante Chriſtum.

Diſputatio VIII. De moralis corporis conſtitutione. *num*.100.

Diſputatio IX. De nominis *Μόναχος*, nomenclatore,& etymo. Voces קינים *Χαινίμ Cinai* ac *Μόναχος* non diſtingui. *num*.108.

Diſputatio X. Fuerint ne Religioſi aliqui in prędiluuia Eccleſia ante vniuerſalem cataclyſmum. *num*.113.

Diſputatio XI. De honorificentiſſimis filiorum Dei nominibus à varijs gentibus impoſitis Sethiadum congregationi, *num*.127. De prima Religioſorũ congregatione poſt Diluuium, quæ vocabantur אמים Æmim. *num*.128. De זמזמים Zazumæis, *num*. 133. De רפאים Raphaimis, *nu*. 134. De זוזים Zuzimæis, *num*. 136. De נפלים Nephilinis, *num*. 137. De חסידים Aſideis, *num*.138.

Diſputatio XII. De רכבים Recabitis. *num*.140.

Diſputatio XIII. De נזרים Nazaræis. *num*.146. De abſtinentia à vino, *num*. 150. De capitis raſione. *num*.152.

Dubium incidens, *Vtrùm hac Nazaræorum obſeruantia obligarit eos ex præcepto, an ſolùm ex conſilio*, *num*.159.

Diſputatio XIV. De אשיאנש Eſenis, *num*.161.

Diſput. XV. De filijs Prophetarũ, *n*.165.

Diſputatio XVI. Reperio in antiquiſſimis hiſtorijs Politica Monialium noſtrarum ſimulachra, *num*. 172. De Antiquitate Veſtalium, *num*.181. De Bonzis. *num*.183.

Diſputatio XVII. De religioſis fœminis habitantibus ad oſtium tabernaculi. nu. 188.

Articulus I. *De ſpeculis, & æneo mari*. 189.

Articulus II. *Ferri argumento ſatisfit*. 192.

Articulus III. *Satisfit alteri obiectioni*. 194.

Articulus IV. *Baronij ratiocinium eſſe inefficax*, 196.

Articulus V. *De Virginibus dicatis Templo*. 198.

Diſputatio XVIII. De ſacrificio filio Iephtæ, *num*.210.

LIBER III.

De Conuerſatione Monaſtica ſub Chriſto.

Diſputatio XIX. An Chriſtus Monaſticam egerit vitam, *num*.208.

Articulus I. *Difficultas proponitur*. 212.

Articulus II. *De Chriſti obedientia*. 217.

Articulus III. *De Chriſti Domini Virginitate*. 226. *& paupertate*. 228.

Articulus IV. *An Chriſtus vouerit virtutes iſtas*. 235.

Diſputatio XX. De voto caſtitatis. *num*. 240.

Diſputatio XXI. Paupertatis votum non eſſe nouum euentum in Eccleſia, ſed antiquum & à Chriſto inſtitutum, *num*.251.

Diſputatio XXII. Obediētiæ votum antiquiſſimũ eſſe in Eccleſia. An à Chriſto Domino inſtitutum? quomodò debeat obſeruari? *num*.259.

Diſputatio XXIII. Apoſtolos tria Religionis vota emiſiſſe, & eam viuendi formam in primitiua Eccleſia ſeruatam. *num*.260.

LIBER IV.

De ſtatu Monaſtico poſt Chriſtum.

Diſputatio XXIV. De Eccleſia Alexandrina à D. Marco inſtituta, & deſcripta à Philone, *num*.270.

Diſputatio XXV. Dionyſij Areopagitę & antiquitate Monachorum ſententia. Ante Paulos, Antonios, & Hilariones Monachos reperiri. *num*.286.

Di-

DISPVTATIONVM INDEX.

OPeris Protheorema, modum examinandi morales cõtrouerſias præponens.*
Prologus Regulæ. *num.* 1.
Diſputatio Prooemialis, De argumento & obiecto huius libri. *num.* 5.

LIBER I.

Securiſſima conſtituit fundamenta, quibus diſcutiendæ difficultates innitantur.

DIſputatio II. De legibus. *num.* 15.
Articulus I. *De lege æterna.* 16.
Articulus II. *De lege naturali.* 19.
Articulus III. *De iure gentium.* 23.
Articulus IV. *De iure humano poſitiuo.* 25.
Articulus V. *Ius naturæ nec mutari, nec diſpenſari poſſe humana authoritate.* 27.
Diſputatio III. De obligatione, quæ ex legibus oriri ſolet. *num.* 29.
Articulus I. *Lex merè pœnalis non obligat in foro interiori.* 30.
Articulus II. *Lex moralis eadem quæ abſoluta; obligat in conſcientia.* 34.
Articulus III. *Cur lex merè pœnalis non obliget in interiori foro.* 36.
Diſputatio IV. De legum materia. *nu.* 38. De materia magna. *nu.* 41. De materia magna partiali. *nu.* 47.
Diſputatio V. De legum intrinſecis extrinſeciſque qualitatibus. *num.* 48.
Diſputatio VI. De opinione probabili: *nu.* 51.
Articulus I. *Probabilis ſententiaque?* 52.
Articulus II. *Licet ſequi opinionem probabilem; non eſt opus ſubſcribere probabiliori. Sunt opiniones omnes æquè tutæ, dummodò ſint probabiles.* 57.
Articulus III. *Conſultationes aliquot circa probabilitatem opinionum.* 60.
Diſputatio VII. De Regula Sanctiſſimi P. N. Benedicti. *nu.* 76.
Articulus I. *Multa ex his, quę ſunt in Regula pręcepti rationem non habent.* 77.
Articulus II. *Vtrùm in Regula aliqua pręcepta reperiantur.* 79.
Articulus III. *Notitię penitioris cauſa ſuppono omnia & ſingula quę ſunt in Regula ex Legiſlatoris mente habere vim pręcepti. Et vtrùm ad ea in conſcientię foro obligemur, examino.* 89.
Articulus IV. *Vtrùm Prælato pręcipiente in virtute ſanctę obedientię ſeruari ea omnia, quę ſunt in Regula, omnia ſubditos obligent ſub peccato mortali.* 94.
Articulus V. *Vtrùm, ſi quiſpiam voueat omnia & ſingula, quę in Regula continentur, ſe ſeruaturum, vel ſingula teneatur ſub mortali.* 96.
Articulus VI. *De contemptu rerum regularium.* 97.

LI-

LIBER II.

De Monachorum generibus vacantium conuerſationi Religioſæ ante Chriſtum.

Diſputatio VIII. De moralis corporis conſtitutione. *num.*100.

Diſputatio IX. De nominis *Μόναχος*, nomenclatore,& etymo. Voces קינים *Χαιτίμ Cinai* ac *Μόναχος* non diſtingui. *num.*108.

Diſputatio X. Fuerint ne Religioſi aliqui in prędiluuia Eccleſia ante vniuerſalem cataclyſmum. *num.*113.

Diſputatio X I. De honorificentiſſimis filiorum Dei nominibus à varijs gentibus impoſitis Sethiadum congregationi, *num.*127. De prima Religioſorũ congregatione poſt Diluuium, quæ vocabantur אמים Æmim. *num.*128. De זמזמים Zazumæis, *num.* 133. De רפאים Raphaimis, *nu.* 134. De זוזים Zuzimæis, *num.* 136. De נפלים Nephilinis, *num.* 137. De חסידים Aſideis, *num.*138.

Diſputatio X I I. De רכבים Recabitis. *num.*140.

Diſputatio X I I I. De נזרים Nazaræis. *num.*146. De abſtinentia à vino, *num.* 150. De capitis raſione. *num.*152.

Dubium incidens, *Vtrum hac Nazaræorum obſeruantia obligaret eos ex præcepto, an ſolum ex conſilio*, *num.*159.

Diſputatio X I V. De אשיאנש Eſenis, *num.*161.

Diſput. XV. De filijs Prophetarũ, *n.*165.

Diſputatio X V I. Reperio in antiquiſſimis hiſtorijs Politica Monialium noſtrarum ſimulachra, *num.* 172. De Antiquitate Veſtalium, *num.*181. De Bonzis. *num.*183.

Diſputatio XVII. De religioſis fœminis habitantibus ad oſtium tabernaculi. *nu.* 188.

Articulus I. *De ſpeculis, & æneo mari.* 189.

Articulus I I. *Forti argumento ſatisfit.* 192.

Articulus I I I. *Satisfit alteri obiectioni.* 194.

Articulus I V. *Baronij ratiocinium eſſe inefficax*, 196.

Articulus V. *De Virginibus dicatis Templo.* 198.

Diſputatio XVIII. De ſacrificio filio Iephtæ, *num.*210.

LIBER III.

De Conuerſatione Monaſtica ſub Chriſto.

Diſputatio XIX. An Chriſtus Monaſticam egerit vitam, *num.*208.

Articulus I. *Difficultas proponitur.* 212.

Articulus II. *De Chriſti obedientia.* 217.

Articulus I I I. *De Chriſti Domini Virginitate.* 226. *& paupertate.* 228.

Articulus I V. *An Chriſtus vouerit virtutes iſtas.* 235.

Diſputatio XX. De voto caſtitatis. *num.* 240.

Diſputatio X X I. Paupertatis votum non eſſe nouum euentum in Eccleſia, ſed antiquum & à Chriſto inſtitutum, *num.*251.

Diſputatio XXII. Obediẽtiæ votum antiquiſſimũ eſſe in Eccleſia: An à Chriſto Domino inſtitutum? quomodò debeat obſeruari? *num.*259.

Diſputatio XXIII. Apoſtolos tria Religionis vota emiſiſſe, & eam viuendi formam in primitiua Eccleſia ſeruatam. *num.*260.

LIBER IV.

De ſtatu Monaſtico poſt Chriſtum.

Diſputatio XXIV. De Eccleſia Alexandrina à D. Marco inſtituta, & deſcripta à Philone, *num.*270.

Diſputatio XXV. Dionyſij Areopagitę & antiquitate Monachorum ſententia. Ante Paulos, Antonios, & Hilariones Monachos reperiri. *num.*286.

Di-

Diſputatio XXVI. Perennitas ſtatus Religioſi oſtenditur.*nu.* 295. Primum ſeculum.*ibid.* Secundum *num.*296. Tertium.*num.*298. Quartum,*num.*300. De occidentalibus Prouincijs. *num.*301. Caluinus impugnatur,*num.* 303.

LIBER V.

De Generibus Monachorum in lege Gratiæ.

Textus ex capite I. *De generibus Monachorum.*306.
Diſputatio XXVII. De Monachis Conuentualibus,*num.*307.
Textus ex eodem capite,*num.*311.
Diſputatio XXVIII. De Monachis Anachoretis.*num.*312.
Textus ex eodem capite,*num.*317.
Diſputatio XXIX. De Sarabaitica lue, quæ virtutis ſpecie genio indulget & vacat vni voluptati,*num.*318.
Diſputatio XXX. De tonſura capitis. *num.*327.
Textus ex eodem primo cap.*num.*329.
Diſputatio XXXI. De ouili diuinæ & propriæ voluntatis,*num.*330.
Textus ex eodem capite,*num.*334.
Diſputatio XXXII. De Monachis circũcellionibus,*num.*335.
Textus ex eodem primo cap.*num.*337.
Diſputatio XXXIII. De laudibus Cœnobitarum,*num.*337.
Diſputatio XXXIV. De varijs generibus Cœnobitarum.*num.*338. De Congregationibus & Reformationibus Benedictinorum,*num.*351.
Diſputatio XXXV. Benedictinum & Ciſtercienſem ordinem non diſtingui, *num.*352.
Articulus I. *S. Robertum & ipſius adſeclas cum egreſſi fuerunt Moliſmo non mutaſſe Religionem.*356.
Articulus II. *Non incepiſſe nouum Ordinẽ à ſecunda Ciſtercijs facta profeſſione.*365.
Articulus III. *Quid ſit dicendum de exemptione.*368.
Articulus IV. *De Conſtitutionibus Ciſtercijs factis.*370.
Articulus V. *Vtrum mutatio habitus nouam conſtituat Religionem.*373.
Articulus VI. *Obſeruatio dignißima.*375.
Articulus VII. *Obiectioni communi demonſtratiua ſatisfactum.*381.
Articulus VIII. *Rationis poſitiuæ.*383.
Articulus IX. *Appendix difficultas.*384.
Diſputatio XXXVI. De Monachorum ſpeciebus in eodem Monaſterio, *nu.* 394. De Conuerſis,*num.*406.
Diſputatio XXXVII. Vtrũ Conuerſi, qui in Belgio sũt in Benedictinorum Monaſterijs ſint verè Religioſi? *num.*412.
Diſputatio XXXVIII. Vtrùm Conuerſi & Conuerſæ, qui (vel quæ) in manibus Abbatiſſæ ſuam ſtabilitatem pollicentur, ſint vere Religioſi, *n.*432.

LIBER VI.

De Candidatis Ordinis Sancti Benedicti.

Textus. Caput LIX. *De filijs Nobilium, vel Pauperum, quomodò ſuſcipiantur.*439.
Diſputatio XXXIX. An pueri à ſuis parentibus deuoti fuerint verè Nouitij. *num.*440.
Textus. Caput LVIII. *De diſciplina ſuſcipiendorum Fratrum.*446.
Textus. Caput LX. *De ſacerdotibus, qui voluerint in Monaſterio habitare.*448.
Textus. Ex Capite LXI. *De Monachis peregrini qualiter ſuſcipiantur.*451.
Diſputatio XL. Reſolutiones aliquot exponentes difficillima dubia, quæ circa Nouitiorum regimen approbationẽque moueri ſolent,*nu.*452. Circa tempus probationis,*nu.*463. De Nouitiorum approbatione,*num.*479. Qualitates requiſitæ, vt admittatur aliquis ad profeſſionem,*num.*478.
Diſputatio XLI. expenduntur dubia aliquot circa Nouitij profeſſionem, *nu.* 479.

LIBER VII.

De Monachorum profeſſione.

Diſputatio XLII. expenditur Profeſſionis formula. *num.* 512.

Diſputatio XLIII. De ſtabilitate, & Perſeuerantiæ promiſſione, quæ ex mente D. Benedicti debet ante initium probationis fieri, *nu.* 521. Doctrinam hanc fuiſſe communem apud Anglos, *num.* 523.

Diſputatio XLIV. De ſtabilitate, quæ in profeſſione ipſa promittitur, *numero* 527.

Diſputatio VI. Vtrum Religioſus profeſſus ad alium Ordinem tranſire poſſit. *num.* 532.

Diſputatio X L V I. Vtrùm Religioſus Profeſſus tranſire poſſit ad aliud Monaſterium eiuſdem Religionis. *num.* 558.

Diſputatio XLVII. exponuntur illa profeſſionis verba, *Promitto conuerſionem morum meorum.* 600.

Articulus I. *Status controuerſia ponitur.* 602.

Articulus II. *Doctorum Louanienſium opinio.* 604.

Articulus III. *exponitur vera ſententia, & opinio contraria debellatur.* 608.

Diſputatio XLVIII. Vtrùm Religioſus Benedictinus teneatur obedire ſuo Prælato ſecundum Regulam ad literam & in rigore ſumptam, *numero* 624.

Articulus I. *Quorundam Doctorum & Authoris opinio.* 625.

Articulus II. *Quæ conditiones requirantur vt Communitas bene ordinata audiat?* 636.

Articulus III. *Qui dicantur boni mores & vſus.* 646.

Diſputatio XLIX. Vtrùm Religioſus teneatur in perfectionem tendere, *num.* 657.

LIBER VIII.

De Votis ſubſtantialibus.

De *Gradibus Humilitatis.* 673. Textus ex Capite VII. *Iacobi ſcala donatur myſtica expoſitione.* 676.

Textus ex Capite V I I. *De timore Dei.* 677.

Textus ex Capite V I I. *De obedientia.* 678.

Obedientia.

Textus ex Capite V. *de obedientia.* 691.

Textus. Caput LXXI. *Vt obedientes ſint ſibi inuicem Fratres.* 692.

Textus. Caput L X X I I. *De Zelo bono, quem debent Monachi habere.* 693.

Textus. Caput LXXIII. *Si Fratri impoſſibilia iniungantur.* 694.

Diſputatio L. De rebus, quæ præcipiuntur propter ſe. *num.* 695. De officio diuino prout præcepto, *num.* 702. De præcepto ieiunio, *num.* 711. De præcepto ſilentio, *num.* 715. De Caſtitate & Paupertate præceptis. *num.* 726. De alijs præceptis, *num.* 717.

Diſputatio LI. De rebus præceptis non propter ſe, ſed propter aliud, *num.* 718.

Diſputatio LII. Obſeruationes variæ, ex quibus pendet penitior huius voti expoſitio, *num.* 732.

Diſputatio LIII. De Abbatibus, Abbatum Patribus, *num.* 761.

Diſputatio LIV. Reſoluit caſum difficillimum. *num.* 767.

Diſputatio LV. De verborum ſignificatione. *num.* 786. Præceptorum expoſitio, *num.* 796.

Diſputatio L V I. De Hoſpitibus, *num.* 802.

Pau-

Paupertas.

Textus. Caput XXXIII. *Si debeant Monachi proprium aliquid habere, num.* 818.

Textus. Caput LIV. *Quod non debeat Monachus litteras, vel eulogia ſuſcipere.* 819.

Diſputatio LVII. Vtrùm Benedictini habeant rerum dominium in communi, *num.* 820. Manus mortua quæ? *num.* 822. Amortizatio quid? *num.* 823. Non poſſunt bona aliqua viua mortuis incorporari ſine licentia Principis, *num.* 824. De bonis Eccleſiaſticis, *num.* 825. Non poſſunt bona Eccleſiaſtica ſæcularia reddi ſine partium concordia & Pontificis amortizatione, *num.* 826. An & quomodo res ſæculares poſſint ſacra fieri, aut ſacratæ. *num.* 827. Non poſſunt bona ſęcularia Eccleſiaſtica fieri ſine licentia Principis, *num.* 828.

Diſputatio LVIII. De Bulla Clementis Octaui, circa Religioſorum paupertatem, *num.* 829.

Diſputatio LIX. Vtrùm ſinguli Monachi ſint dominij capaces? *numero* 830.

Diſputatio LX. De munerum largitione & receptione, *num.* 876.

Diſputatio LXI. De loculis Religioſorum, *num.* 898.

Diſputatio LXII. Vtrùm qui paulatim modica acceperit, tandem peccauerit mortaliter, *num.* 904.

Diſputatio LXIII. Contra paupertatis votum materia magna, quæ? quando? *num.* 932.

Animaduerſio. *De materia nulla morali.* 954.

Diſputatio LXIV. De licentia Pręlati requiſita, *num.* 958.

Diſputatio LXV. De Religioſis inter ſe. *num.* 964.

Caſtitas.

Textus. ex Capite VII. *num.* 976. 978.

Textus. ex Capite LIII. *num.* 979.

Diſputatio LXVI. De Caſtitate illa virginea, quam Deo ſolemniter vouent Religioſi, *num.* 980.

Diſputatio LXVII. De delectationibus moroſis, *num.* 1022.

Diſputatio LXVIII. De ſomnijs, *num.* 1051.

Diſputatio LXIX. Vtrùm in rebus venereis datur materię paruitas. *nu.* 1052.

Diſputatio LXX. De periculo proximo, *num.* 1056.

Epilogus. *Omnes virtutes morales quòdammodo concatenatas eſſe, numero* 1059.

Textus. ex Capite IV. *Quæ ſint inſtrumenta bonorum operum.* 1060.

Epimetron, *De communitate.* 1060.c.

LIBER X.

De Diuini Officij ritu, ſolemnitate, antiquitate.

Textus. Caput LII. *De Oratorio Monaſterij.* 1062.

[*De Templorum forma & antiquitate.* 1063.]

Diſputatio LXXI. De cultu religioſo. *num.* 1064.

Articulus I. *Quid nomine Religionis ſignificetur?* 1070.

Articulus II. *Quid Cultus nomine in hac materia intelligatur?* 1074.

Articulus III. *In quo conſiſtat huiuſmodi cultus.* 1075.

Articulus IV. *Vtrùm ſi de huiuſmodi cultu præceptum?* 1080.

Textus. Caput VIII. *De officijs diuinis in noctibus.* 1102.

Textus. Caput IX. *Quanti Pſalmi dicendi ſunt Nocturnis Horis? num.* 1103.

Diſpu-

Diſputatio LXXII. Vtrùm ſit licita, & laudabilis vocalis laus? *numero* 1104.

Diſputatio LXXIII. An laudabile ſit medium altæ noctis ſilentium temerare? *num.* 1109.

Diſputatio LXXIV. De temporis diſtributione, *num.* 1111.

Diſputatio LXXV. Quo tempore agendum ſit officium nocturnorum? *num.* 1118.

Diſputatio LXXVI. Cur, vnde, à quibus præmittitur canonicis horis ille verſus, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina?* 1126.

Diſputatio LXXVII. Verſus ille, *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam;* vnde ſumatur? cur? à quibus? *num.* 1129.

Diſputatio LXXVIII. De *Gloria*, quæ in Pſalmorum & Hymnorum fine dicitur Patri & Filio & Spiritui ſancto. *num.* 1130.

Diſputatio LXXIX. De Antiphonis & Inuitatorio, *num.* 1134.

Diſputatio LXXX. De Hymnorum vſu & antiquitate, *num.* 1137.

Diſputatio LXXXI. De Pſalmis. Præcipiuntur cani in Eccleſia, à quo? quando? qui? quomodo? *num.* 1138.

Diſputatio LXXXII. De Verſibus, Lectionibus, & Reſponſorijs, *num.* 1144.

Textus. Caput XI. *Qualiter dominicis diebus Vigilia agantur.* 1153.

Diſputatio LXXXIII. De diei Dominicæ inſtitutione, nomine, & excellentia, *num.* 1154.

Diſputatio LXXXIV. De ſenario numero Pſalmis Dauidicis accommodato. *num.* 1161.

Diſputatio LXXXV. De reliquis Matutinorum partibus, *num.* 1166. De Hymno Ambroſiano, *num.* 1167. De Euangelio, *n.* 1168. De *Partienla Amē.* 1170. De Antiſtrophe, *Te decet laus.* 1171. Poſſunt-ne lectiones breuiari, *num.* 1172.

Textus. Caput XIV. *Qualiter in Natalitijs ſanctorum vigilia agantur.* 1174.

Diſputatio LXXXVI. De feſtis Eccleſiaſticis. Vtrùm omnes ſint moraliter æquales dies? *num.* 1175.

Articulus I. *De Gentilium ſolemnitatibus,* 1176.

Articulus II. *De Hebræorum feſtis, nu.* 1181.

Articulus III. *Omnes præcepto diuino tenemur feſta colere.* 1194.

Articulus IV. *Determinare feſtos dies iuris eſt poſitiui.* 1198.

Articulus V. *Sanctorum ſolemnitates quæ? Natalia cur dicta? Extenduntur Pauli Apoſtoli verba.* 1202.

Textus. Caput XX. *Qualiter æſtatis tempore nocturna laus agatur.* 1208.

Diſputatio LXXXVII. Magni faciendam notitiam opportuni temporis, *num.* 1210.

Textus. Caput XII. *Qualiter Matutinorum (iam Laudum) ſolemnitas agatur?* 1211.

Diſputatio LXXXVIII. Quid matutinorum nomine intelligatur? *numero* 1212.

Textus ex Capite XII. *num.* 1217.

Diſputatio LXXXIX. Cur pœnitentialis Pſalmus Quinquageſimus donetur Antiphona, *Alleluia?* 1218.

Diſputatio XC. Tempus Matutinum aptiſſimum diuinis laudibus. *numero* 1221.

Textus. Caput XIII. *Qualiter priuatis diebus Matutini agantur.* 1227.

Diſputatio XCI. De Pſalmorum numero, Capitulo, Litània, & Oratione, *num.* 1228.

Diſputatio XCII. De diſcretione temporum. De Pſalmis, qui in Laudibus ſolent cantari, *num.* 1237.

Diſputatio XCIII. De Oratione Dominica, *num.* 1238.

Textus. Caput XV. *Quibus Temporibus (Allen-la) dicarur.* 1254.

Diſput. XCIV. De huius vocis הללויה *Alle-*

Allelu-Ja ſignificatione, & vſu in Officio Monaſtico, *nu.* 1255.
Diſputatio XCV. Cur ieiunij tempore non cantetur *Allelu-Ja*. 1257.
Textus. Caput XVI. *Qualiter diuina opera per diem agantur*, 1262.
Diſputatio XCVI. De Officij diurni antiquitate, & ſolemnitate, *num.* 1263.
Diſputatio XCVII. Vtrùm in primitiua Eccleſia Prima & Completorium fuerint Horæ Canonicæ *num.* 1265.
Diſputatio XCVIII. An Prima canenda ſint poſt ſolis ortum, nempe hora prima? *num.* 1273.
Textus. Caput XVII. *Quanti Pſalmi per eaſdem horas dicenda?* 1279.
Textus. Caput XVIII. *Quo ordine Pſalmi dicendi ſunt?* 1280.
Textus. Caput XIX. *De diſciplina pſallendi*. 1281.
Textus. Caput XX. *De reuerentia Orationis*. 1282.
Textus ex Capite XLIII. *De his, qui ad opus Dei tardè occurrerent*. 1283.
Textus. Caput XLVII. *De ſignanda hora operis Dei*. 1284.
Textus. Caput VL. *De his, qui falluntur in oratorio*. 1285.
Textus. Caput L. *De fratribus, qui longè ab oratorio laborant, aut in via ſunt*. 1286.
Textus. Caput XLII. *Vt poſt Completoriũ nemo loquatur*, 1287.
Textus. Caput VI. *De taciturnitate*, 1288.

LIBER X.

De moralibus obligationibus, ſub quibus tenentur DD. Benedictini diuina Officia recitare.

SECTIO I.

De Officio Benedictino publico.

Diſputatio XCIX. Quid ſit Officium Canonicum Benedictinum publicum? *num.* 1290.
Articulus I. *De Pſalmis*, 1285.
Articulus II. *De Canticis*. 1297.
Articulus III. *Rubricæ ad mentem D. Benedicti*. 1298.
Articulus IV. *De rubricis Breuiarij impreſſi*, 1299.
Articulus V. *Vtrùm Abbatum authoritas mutandi, diminuendi, alterandi Pſalmos, Cantica, Lectiones, Reſpõſoria poſſit limitari?* 1305.
Articulus VI. *Sit ne hæc Abbatum authoritas de facto limitata?* 1311.
Diſputatio C. Qui, & ſub quo onere teneantur publico Officio diuino ſatiſfacere? *num.* 1317.
Diſputatio CI. De obligationibus Communitatis. *num.* 1320. De Officijs paruis, *num.* 1322. Quis peccet, quando peccat communitas? *num.* 1324. Quo loco teneatur Communitas Canonicum Officium recitare? *num.* 1325. Quo loco legendum ſit Officium priuatum, *nu.* 1326. An Communitas teneatur cantare Horas Canonicas, *nu.* 1327. Quod tempus ſit ſingulis Horis Canonicis determinatum? Temporis mathematici & ciuilis, certi & probabilis diſtinctio valde neceſſaria, *num.* 1328.

SECTIO II.

De Officio diuino priuato.

Diſputatio CII. An Sacerdotes teneantur ſub mortifero horas diuinas recitare? *num.* 1329.
Diſputatio CIII. Qui teneantur priuatim legere Officium diuinum ratione Religionis? *num.* 1340.
Articulus I. *De Conuerſis, & Nouitijs*. 1341.
Articulus II. *De Monialibus, & Religioſis nondum prouectis ad maiores Ordines*, 1343.
Diſputatio CIV. Vtrùm Officij B. Mariæ & Defunctorum priuata Lectio Dominos Ciſtercienſes, obliget ſub peccato mortali? *num.* 1360.

Diſputatio

Diſputatio CV. Vtrùm *Pretioſa*, & clauſtralis lectio ſub culpa graui debeat legi? *num.* 1365.

Diſputatio CVI. An ſatisfaciat ſacerdos, qui ſubmiſſa quam celebrat, legit horas? *num.* 1364.

Diſputatio CVII. Quomodo debeat Monachus cum ſocio recitare? *num.* 1365.

Diſputatio CVIII. Examinantur difficultates aliquot, quæ reſpiciunt quemlibet in particulari. *numero* 1372.

Articulus I. *De attentione in officijs diuinis requiſita.* 1377.

Articulus II. *De pronuntiatione.* 1380.

Articulus III. *De integritate pronuntiationis quoad ſyllabas, & dictiones.* 1383.

Diſputatio CIX. De mutatione Officij. *num.* 1387. Vtrùm Ciſtertienſis recitans Officium Romanum ſatisfaciat? *nu.* 1392. Vtrùm liceat vti Breuiario alterius Religionis? *num.* 1394. Vtrùm Ciſtercienſibus Cœleſtinis, & reliquis liceat vti Breuiario monaſtico? *num.* 1395. An Præmonſtratenſes poſſint vti Breuiario alieno ſine culpa mortali? *num.* 1598.

Diſputatio CXIII. De intentione requiſita, vt quis obligationi ſatisfaciat, *num.* 1415.

Diſputatio CX. An mutatio vnius officij in aliud ſit peccatum veniale, indiuiſibile in genere moris? *num.* 1399.

Diſputatio CXI. De quadam vtili curioſaque difficultate, *num.* 1404.

Diſputatio CXII. De tempore recitandi Officij, *num.* 1411.

Articulus I. *Vtrùm qui extra tempus præſcriptum horas Canonicas priuatim legerit, peccauerit mortaliter?* 1411.

Articulus II. *Vtrùm ille, qui recitat cum magna temporis interruptione peccet mortaliter?* 1414.

Diſputatio CXIV. De Matutinis & Laudibus Veſperi recitatis, *num.* 1417

Articulus I. *Qua hora poſſint legi Nocturni & Laudes diei ſequentis?* 1418.

Articulus II. *Vtrùm qui Veſperi Matutinas & Laudes recitat duorum dierum obligatione ſatisfaciat?* 1420.

Articulus III. *Vtrùm, qui recitat Matutinum ſequentis diei ante officium diei præſentis peccet mortaliter?* 1428.

Diſputatio CXV. An æger teneatur ad Officium diuinum? *num.* 1429.

Diſputatio CXVI. An præter ægros etiam illi, qui ſunt valde occupati abſoluendi ſint à legendi Officij obligatione? *num.* 1436.

Modus facilis, *ſatiſfaciendi Officio cum negotia ſunt grauia,* 1440.

Dubium. *An poſſit quis ante Matutinorum Lectionem celebrare?* 1441.

Diſputatio CXVII. De Monachis extra Monaſterium degentibus, *numero* 1441.

Diſputatio CXVIII. De paruitate materiæ excuſante à peccato mortali, *nu.* 1451.

Articulus I. *Exponitur, & diuiditur materiæ quantitas,* 1452.

Articulus II. *Partes diuini Officij extrinſecæ, ſeu non obligatoriæ,* 1454.

Articulus III. *Partes intrinſecus accidentales,* 1458.

Articulus IV. *Parua materia in horis Canonicis, quæ?* 1461.

Articulus V. *De licentia non recitandi, aut commutatione, quæ morbo grauiter laborantibus concedi ſolet.* 1464.

Articulus VI. *An multæ negligentiæ leues in genere diuini Officij poſſunt conſtituere peccatum mortale?* 1466. *De ſeptem pœnitentiæ Pſalmis,* 1468. *apud Ciſtercienſes,* 1469. *apud Præmonſtratenſes,* 1473. *De Pſalmis Gradualibus,* 1474. *De Pſalmo Lætatus ſum,* 1475.

LIBER XI.

De regimine monachico Communitatis.

Textus. Caput LXIII. *De ordinibus congregationis,* 1477.

Abbas.

Textus. Caput LXIV: *De ordinando Abbate.* 1479.
Textus ex Capite XI. *Qualis debeat eſſe Abbas?* 1480.
Textus ex Capite II. *Quàm ſit difficile alienas gubernare.* 1441.
Diſputatio CXIX. Variæ in creando Antiſtite limitationes. Vtrum ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam Abbates à Regibus denominari? *numero* 1481.
Diſputatio CXX. Præſtet-ne Abbates triennales an perpetuo eſſe? *numero* 1491.
Diſputatio CXXI. Poſſit-ne in creatione Antiſtitis dignus anteponi digniori? *num.* 1503.
Diſputatio CXXII. De Inſtallatione, Confirmatione, & Benedictione Abbatum, *num.* 1507.
Diſputatio CXXIII. De Ciſtertienſis Monaſterij Abbate, *num.* 1511.
Articulus I. *Abbas Ciſtertij re & nomine omnium Ciſtertienſium eſt Generalis, (mediatus tamen) à Summis Pontificibus ſæpiſſimè eſt confirmatus, cuius authoritas intrinſeca nulla poteſt potentia ſeparari,* 1512.
Articulus II. *Vtrum hæc paternitas Abbatis Generalis in omnes, & ſingulos ſit immediata?* 1516.
Articulus III. *Vtrum poſſit viſitare omnia Monaſteria, qui dicitur Generalis Abbas?* 1526.
Articulus IV. *De aliorum quatuor Antiſtitum authoritate.* 1536.
Diſputatio CXXIV. De Abbatis ordinarij & commendatarij differentia, iuriſdictione, dignitate, expenſis, tripartita, concordia, & in ſuorum Monaſteriorum filiationes authoritate, *num.* 1537.
Articulus I. *Vtrum expediat omnes commendas tolli, & omnia Monaſteria habere ſuos Regulares Abbates? numero* 1539.
Articulus II. *Vtrum Commendatarius Abbas habeat iuriſdictionem aliquam ſpiritualem?* 1543.
Articulus III. *De expenſis Abbatis Commendatarij.* 1550.
Articulus IV. *Quid dicendū ſit de Monaſterijs, in quibus Commendatario, Tripartita, Pontificis authoritate (quam vocant negatiuam) conceditur?* 1552.
Articulus V. *Quid in conſcientia poſſit fieri ſi fuerit inter partes concordia?* 1563.
Articulus VI. *Abbas Commendatarius bona ſui Monaſterij nec per ſe, nec per interpoſitam perſonā poteſt alienare.* 1554.
Articulus VII. *Ordinis Viſitatores admittere tenetur, et eorundem mandatis obedire.* 1557.
Articulus VIII. *Vtrum in eodem Monaſterio poſſint duo, aut plures Abbates Commendatarij eligi?* 1559.
Articulus IX. *Vtrum in eodem Monaſterio poſſit eſſe ſimul Abbas Commendatarius & Regularis,* 1560.
Articulus X. *Vtrum vnus & idem Abbas Commendatarius poſſit recipere Commendam alterius Monaſterij eiuſdem, aut alterius ordinis?* 1562.
Articulus XI. *Vtrum Cōmendatarius Abbas alicuius domus matris habeat iuriſdictionem in filiationes,* 1563.
Dubium incidens. *De poteſtate benedicendi & conſecrandi res ſacras, quam Abbates habent.* 1567.

Pro-Abbas.

Quid ſit? Quomodo denominetur, & à quo? & quam ipſe habeat authoritatem? *nu.* 1567.b.

Coadiutor.

A quibus eligatur? ad quid teneatur? quæ poſſit præſtare, & quæ non? *num.* 1579.

Prior.

Textus. Caput LXV. *De Præpoſito Monaſterij.* 1574.
Diſputatio CXXV. De Prioris, ſeu Præ-

Præpoſiti authoritate & poteſtate. *num.* 1576.
Diſputatio CXXVI. De authoritate Prioris defuncto Abbate. *nu.* 1585.

Supprior.

A quo debeat eligi? quibus præſit? quid & quando poſſit iubere aut inhibere? *num.* 1596.

Decani.

Textus. Caput XXI. *De Decanijs Monaſterij*. 1600.
Textus ex Capite LXV. *An præſtet Monaſterium per Præpoſitum, quàm per Decanos gubernari?* 1601.

Conſiliarij.

Textus Cap. III. *De adhibendis ad conſilium fratribus.* 1603.
Diſputatio CXXVII. Exhibens aliquot Reſolutiones circa Conſiliarios Abbatis. *num.* 1604.
Articulus I. De concilio adhibendo in rebus grauibus. 1605.
Articulus II. De adhibendo in leuibus. 1607.

Cellerarius.

Textus. Caput XXXI. *De Cellerario Monaſterij.* 1610. [*De iuramento fidelitatis ab Oeconomo & alijs Adminiſtris præſtando.* 1610.]
Textus. Caput XLI. *Quibus horis oporteat reficere fratres.* 1611.
Textus. ex Capite XLIII. *De his, qui ad menſam tardè occurrerint.* 1612.
Textus. Cap. XLIX. *De Quadrageſima obſeruatione.* 1613.
Diſputatio CXXVIII. De ieiunijs. *num.* 1613. b.
Textus. Caput XXXV. *De Septimanarijs coquinæ.* 1614.
Textus. Caput XXXVIII. *De hebdomadario Lectore.* 1615.
Textus. Caput XXXIX. *De menſura ciborum.* 1616. [*Panis libra propenſa quid?* 1616.]
Textus. Caput XL. *De menſura potus.* 1617. [*Hemina quanta?* 1617.]
Textus. Caput XXXVII. *De ſenibus & infantibus.* 1618.
Textus. Caput XXXIV. *Si omnes æqualiter debeant neceſſaria accipere?* 1619.
Textus. Caput LV. *De indumentis fratrum.* 1620.
Diſputatio CXXIX. An ſit contra deuotam paupertatem, procurare veſtes neceſſarias, quas negauerit Abbas? 1620. b.
Textus. Caput XXII. *Quomodò dormiant Monachi?* 1622.

Magiſter infirmorum.

Textus. Caput XXXVI. *De infirmis fratribus.* 1624.

Sacriſta.

Textus. Caput LXII. *De Sacerdotibus Monaſterij.* 1626.
Diſputatio CXXX. De Proceſſionibus & Miſſis. De Inclinationibus & Genuflexionibus. *nu.* 2627. De miſſa, quæ coram Communitate celebratur. *nu.* 1631.
Diſputatio CXXXI. De collatione ordinum. *nu.* 1633.
Articulus I. *De authoritate conferendi minores ordines.* 1633. b.
Articulus II. *De dimiſſorijs ab Abbatibus pro collatione maiorum ordinum concedi ſolitis.* 1634.

Magiſter Artificium.

Textus. Caput XLVIII. *De opere manuum quotidiano.* 1637.
Textus. Caput LVII. *De Artificibus Monaſterij.* 1638. [*De Magiſtro conuerſorum.* 1640.]

Textus.

Textus Caput XXII. *De ferramentis vel rebus monaſterij*. 1641.

Oſtiarius.

Textus, Caput XLVI. De Oſtiarijs Monaſterij. 1647.

Textus. Caput LXVII. De Fratribus in via directis. 1648.

Magiſter Hoſpitum.

Textus. ex Capite LIII. *Qualis eſſe debeat, qui curam Peregrinorum habeat?* 1652.

Textus. Caput LIII. *De hoſpitibus ſuſcipiendis*. 1654.

Textus. Caput LVI. *De menſa Abbatis*. 1655

Diſputatio CXXXII. Sit-ne Abbatis menſa in refectorio, an in aula. *num*. 1656.

Diſputatio CXXXIII. De hoſpitalitate. *nu*. 1658.

Dubium. *An Domini Benedictini teneantur hoſpites recipere ſub peccato morali?* 1667.

LIBER XII.

De Tribunali Monaſtico.

Abbas quà Pater. *nu*. 1676.

Ordo charitatis, *à Chriſto impoſitus, à D. Benedicto expoſitus*. 1677.

Textus. ex Capite XVIII. *Matthæi nu*. 1677.

Textus. ex Capite XXIII. *Charitatis legem, quam Chriſtus dicit, Benedictus indicit*. 1678.

Textus. ex Capite II. *ad Timoth.num*. 1679.

Textus. ex Capite II. *Verba Pauli adſumit S. Benedictus & ſuis Religioſis imponit*. 1680.

Textus. ex Capite XLIII. *Etiam negligentias publicas fraternè corrigendas*. 1680.b.

Textus. ex Capite XXI. *Priorem Decanoſque fraternè corrigendos*. 1681.

Textus. ex Capite XXXII. *Fraternè corripi debent, qui peccant in cura rerum temporalium*. 1684.

Textus. ex Capite XLVIII. *Ignaui fraternè debent corrigi*. 1685.

Textus. ex Capite LXII. *Sacerdos debet ſæpe corripi antequam denuncietur*. 1686.

Textus. ex Capite LXV. *Prior debet etiam fraternè admoneri*. 1687.

Diſputatio CXXXIV. De correctione fraterna. *nu*. 1688.

Articulus I. *An apud DD. Benedictinos probabiliter correctio fraterna omitti poſſit?* 1689.

Articulus II. *Neceſſariæ aliquot reſolutiones*. 1691.

Articulus III. *Poſſit-ne Religioſus examinare confratrum vitas, & inquirere peccata occulta, vt corrigat fraternè?* 1701.

Diſputatio CXXXV. Quomodo fraterna correctio debeat fieri ſecundum mentem D. Pauli. *nu*. 1707 Prædica, 1709. Inſta oportunè, 1712. argue, 713. obſecra. 1714. increpa, 1719.

Diſputatio CXXXVI. De paterna correctione. Qui debeat Abbas procedere admonitus de ſecreto peccato impœnitentis Religioſi? *nu*. 1721.

Abbas quà Arbiter, ſeu Iudex Monaſticus. *nu*. 1726.

Textus. Caput LXX. *Vt non præſumat alius alium cædere*. 1727.

Diſputatio CXXXVII. An Abbas nulla præmiſſa ſolennitate iuris poſſit quempiam punire publicè? *nu*. 1730.

Textus. Caput XLVI. *De his qui in leuibus rebus delinquunt*. 1741.

Excommunicatio Monaſtica. *nu*. 1742.

Textus. ex Capite XXIII. *De excommunicatione culparum*. 1743.

Textus. ex Capite XXIV. *De excommunicatione maiori & minori*. 1744.

Textus. ex Capite XLIV. *De excommunicatione minori*. 1744. b.

Textus. ex Capite XXIV. *Qualis eſſe debeat modus minoris excommunicationis?* 1744. bb.

Textus. ex Caput XXXIII. *Excommunicantur minori excommunicatione, qui ad menſam tardè aduenerint.* 1744.

Textus. Caput LI. *Subiacent etiam minori excommunicationi, qui ſine licentia comedunt in amicorum domibus.* 1744. cc.

Textus. ex Capite XLIII. *Excommunicantur etiam minori excommunicatione, qui ad chorum tardè occurrerint.* 1744. d.

Textus. Caput XLIV. *De excommunicatione maiori.* 1744. dd.

Textus. Caput XXV. *De grauioribus culpis.* 1744. e

Textus. Caput XXV. *De his qui ſine iuſſione Abbatis iungunt ſe excommunicatis.* 1745.

Textus. Caput XXVII. *Qualiter ſolicitus futurus ſit Abbas erga excommunicatos.* 1746.

Textus. Caput XXX. *An pueri debeant excommunicari? Qui debeant corripi?* 1747.

Excommunicatio Eccleſiaſtica. *n.* 1747. b.

Abbas quà iudex forenſis. *nu.* 1748.

Fugitiui & Apoſtatæ. *nu.* 1751.

Textus. Caput XXIX. *Si debeant fratres iterum recipi de Monaſterio exeuntes?* 1750.

Dimiſſi. *n.* 1753.

Textus. ex Capite LXXI. *De dimittendis fratribus.* 1754.

Textus. ex Capite LXV. *De incorrigibili, adeoque dimittendo Priore.* 1755.

Textus. Caput XXVIII. *De his, qui ſæpius correpti non emendauerint.* 1756.

Diſputatio CXXXVIII. De dimiſſorijs, quæ incorrigibilibus concedi ſolent. *num.* 1757.

Concluſio Operis. *nu.* 1763.

Textus. Caput LXXIII. *Humillima noſtri Legislatoris Peroratio.* 1764.

OPERIS
PROTHEOREMA.

MVlti fuerunt Benedictinam Regulam Scholijs proſequuti; pauci illuſtrarunt; ſæpè enim eloquendi fœlicitas, quò ornatiores, eò controuerſias difficiliores reddit. Petebat hæc Prouincia praxeos Monaſticæ intelligentiam penitiorem; qua caruere Commentatores illi, qui aut non fuerunt Monachi, aut ſaltem non Benedictini. Non ſunt addendi ſcopuli & laquei ſemitæ, aliàs difficili; vel inuia euadet. Obligationum & onerum multiplicatio non infert ſanctitatem: præſtat enim paucis legibus exactè ſatisfacere, quàm multis tametſi latis cœlitùs diſſonare. Porrò explicanda eſt Regula ex contextu, ex opinione Veterum, intra Theologiæ Moralis limites, & terminos probabilitatis. Timuerant Ciſtertienſis Patres iam olim indoctorum audaciam, qui dum vel remittere, vel intendere obſeruantiam deſiderant, tranquillitatem interpellant. Contra huiuſmodi tulerunt primam legem; *Nunc ergo volumus*, inquiunt in Chartæ Charitatis primo, *eiſque præcipimus, vt Regulam Beati Benedicti per omnia obſeruent, ſicuti in Nouo-Monaſterio obſeruatur: Alium non inducant ſenſum in lectione Sanctæ Regulæ, ſed ſicut Anteceſſores noſtri Sancti Patres intellexerunt, & tenuerunt, & nos hodie intelligimus & tenemus, ita & iſti teneant & intelligant*. Confirmauit & roborauit Eugenius III. Anno M. C. LII. & in diplomatis num. 3. *In omnibus Monaſterijs, de Ordine veſtro*, ait, *ſicut in Ciſtertienſi Eccleſia, B. Benedicti Regula perpetuis temporibus obſeruetur; & in lectionem illius nullus Ordinis veſtri Profeſſor, præter ſimplicem & communem intelligentiam, quemlibet alium ſenſum inducat, ſed vniformiter, & ſicut quæq; diffinita noſcuntur, intelligatur ab omnibus, & inuiolabiliter obſeruetur*. Hinc eſt, quòd Regulæ plus deferens, quàm Commentatoribus, nulla ex cauſa voluerim à Benedicti mente deflectere: concedam Abbati æquè ac Monacho authoritatem totam illam, quam Regula expreſsè concedit; Nos enim profeſſos iuxta Benedictinam Regulam non poſſe ſecundum illius præſcriptum viuere, ſi non delirium, ſomnium eſt. *Ergo Prælati iuſſio vel prohibitio* (verba ſunt Melliflui mei Doctoris de præcept. & diſpenſ. cap. 8.) *non prætereat terminos profeſſionis. Nil mihi Prælatus prohibeat horum quæ promiſi, nec plus exigat quàm promiſi. Vota mea nec augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine iuſta neceſſitate*. Omnes obligationes regulares naſcuntur à triplici voto: & hoc à voluntate. Ideò lex contra Regulæ præſcriptum Monacho etiam volenti imponi non debet, inuito non poteſt. Valeant igitur omnes illi, qui iudicant Religioſos non poſſe non agere contra Regulã, ſecundum quàm viuere profeſſi ſunt; valeant inquam, ne introducant nouas leges, *ſolum quippè poteſt à Religioſo exigi arbitror, quod promiſit*. (Bernhard. ibi. c. 7.) Præter obligationes quæ inferuntur ex votis, quas libro 8. expendam, etiã legitimæ Eccleſiaſticæ ob-

cæ obſtringunt Religioſos, qui non ſtatim dicendi ſunt teneri grauiter, niſi ius fuerit valdè clarum. Optimè doctiſſimus Villalobos in ſummæ tom.1. tract. 24. dub. 9.num.8. *Ami ſe me haza riguroſo*, (ait,) *condenar a nadie a pecado mortal no ſiendo el derecho muy claro*. hoc eſt, *Rigidum omninò mea ſententia quempiam mortiferi peccati reum agere, vbi ius non fuerit valde clarum* [Nota illud *valde clarum*, non enim hic eximius Profeſſor exiſtimat quamcumque claritatem ſufficere.] Ergo, vt Conſcientiæ-conſultus prudenter reſoluat dubia quæuis propoſita, ſic debebit procedere. Si quæratur verbi cauſa, An peccet Religioſus comedens carnes die Mercurij? examinet primò, An carnes Decalogo ſint interdictæ; quas cùm viderit hoc titulo licere, ad Pentalogum Eccleſiæ ſe conferat; & cùm animaduerterit, carnes ferijs ſextis & Sabbatis inhiberi tantummodò, ſecundò etiam titulo illas Monacho licere ſciat. Inde tranſeat ad Votum & Regulam. Monachos ex voto à carnibus non abſtinere, certum eſt: Ergò abſtinent iure Regulæ, quia hæc carnes interdicit. Nondum tamen temerè dicendum eſt eos ad carnium abſtinentiam teneri; nam etiam diſquirendum, An ille Monaſticæ Regulæ articulus ſit mitigatus conſuetudine præſcripta, vſu legitimo, aut diſpenſatione Pontificia? Si reperiatur nec vſu, nec priuilegio abrogatus, Monachum ad huiuſmodi obſeruantiam teneri reſoluendum eſt: ſed non ſtatim de culpa mortali arguendus tranſgreſſor. Sed videndum, An Lex illa, ſeu Regula, ſit merè pœnalis? an moralis hypothetica? an moralis ſimpliciter & abſolutè? aut purè conſultiua? aut etiam An materia ſit grauis intrinſecè ratione quantitatis, aut intrinſecè ratione periculi? & iuxta hanc notitiam præmiſſam, ferenda eſt moralis ſententia. Quiſquis omiſſo hoc diſcurſu dubia propoſita reſoluit, Iudex eſt temerarius, & ſiuè abſoluat, ſiue liget, imprudenter procedit.

In merè probabilibus Schola conſequentiæ gratia illi parti adhæret, quæ elicitur ex proprijs principijs. Conſcientiæ-conſultus benignitati conſulat, neminem reum agat, quem probabiliter aſſerere poſſit innocentem; imò & notet improbabiles eſſe eum peccare, qui ſequitur opinionem probabilem. Perſuadebo nu.59.65.

In dubijs ſtandum eſt pro poſſeſſione, quæ immediatè præceſſerat dubium. Ita *Suarius* de Relig.tom.2. lib.4. de vot.c.5.num.7. *Villalobos* in ſumm.tom.1.tract.1. diffic.21.nu.1. *Henriquez* lib.8.c.3.in Gloſſa lit.P. *Thomas Sanchez* in ſumm.tom.1. lib.1.c.10.nu.11. *Coninck* de Sacram.diſp.44. dub.10.nu.86. *Diana* part.4.tract.3. Reſol.2. *Iohannes Sanchez* in ſelectis diſp.42.nu.7. *Malderus* in 2.2.q.19.art.5.diſp. 87. *Merola* tom.1.diſp.3.dub.2.nu.60. *Sanctarellus* var.reſol.tom.1.q.44.nu.9. *Tannerus* tom.2.diſp.2.q.6. dub.4.nu.47. *Caſtrus Palaus* tom.1.diſp.3.puncto6.nu.6. & alij. Ideò me iudice dubia nihil mutant in re, ſed reſolutionem ſuſpendunt, & obligationem examinandi inducunt. Verbi gratia, ſi quis dubitet, an habeat legitimam diſpenſationem, ſtandum eſt pro poſſeſſione obligationis ratæ quæ erat ante diſpenſationem dubiam; non enim expedit certam obligationem dubia diſpenſatione ceſſare. Sic etiam, ſi dubitet, An detur talis lex, id ipſum tenebitur examinare; ſi poſt examen ſufficiẽns, dubium perſeueret, ſtandum eſt pro libertate rata, quæ erat ante legem dubiam; non enim conſentaneum rationi eſt, libertatem certam dubio præcepto limitari.

De cõſuetudine ex profeſſo diſcepto in mea Baſi Monarchica, vberius in Theologia Morali, hic tamen obiter, & paululùm te moror. Si qua ex conſuetudine fiant, non ſtatim dicenda ſunt obligare ad mortale, cùm non quæuis conſuetudo obligat in conſcientia; Primò omnes illæ quæ non habent vim Legis, ex congruentia conducunt & non obligant. Secundo, non omnes quæ habent vim legis merè

pœnalis teſte *Suario* lib.7. de leg. c.16. nu.3. Manet igitur conſuetudinem tunc eſſe obligatoriam, cùm habet vim legis diuinæ aut humanæ; nempè illam, quæ certò inuoluit tacitum votum, aut tacitum præceptum. Conſultò *certò* dixi, quia ſi conſuetudo dubiè inuoluit legem tacitam, ſtare debemus pro libertate operantium, *Suarius* de legibus lib.7. cap.15. *Ludouicus Macrarius* in ſummam D. Thomæ tom.1. tract. de leg. diſp.15. ſect.2. nu.3. *Diana* 1. part. tract.10. de Legib. reſol.30. & 4. par. tract.3. reſol. 58. Et *Ego* inferiùs nu.1358. Si inuoluat legem probabiliter, poterimus alterutri parti adhærere. Vt votum expreſſum, aut præceptum legitimum teneat, multa requiruntur neceſſariò, ex quibus ſi vel vnum deficiat, redditur inualidum: eadem requiruntur in conſuetudine, quia hæc vel eſt votum tacitum, vel tacitum præceptum, vel nihil: nemo autem poteſt tacitè vouere aut præcipere, qui expreſsè non poteſt.

Non aliter, conſuetudine leges abrogantur; non abuſu. Tunc conſuetudo dicitur legem tollere, cum inuoluit non quidem dubiè, ſed certò tacitam diſpenſationem: nempè cùm Legislator ſit temerari Legem, quam poteſt tueri, & neminem reprehendit; tunc enim prudenter ille creditur in Lege lata diſpenſaſſe. Si conſuetudo inferat tacitam diſpenſationem probabiliter, probabile erit legem eſſe abrogatam; & cùm in moralibus (vt probo à num.57.) ſufficiat mera probabilitas, dicendum erit, poſita tali conſuetudine neminem poſſe de peccato argui propter præuaricationem illius legis. Si autem inuoluat diſpenſationem tacitam & dubiam, ſtandum eſt pro Lege, iuxta ea quæ ſupra diximus.

His ideis inſtructus & rectus Commentatorem ago; his in Operis decurſu manducor. Hæc mihi inuiolanda principia propono, quæ iuratæ legis inſtar, non patientur errare. Non eſt animus Superioribus aut ſubditis faueri aut obuerſari: collimo in æquitatem, rationem, veritatem; a quibus ne deflectam, ſæpè Subditos, ſæpè Superiores obſtringo. Vt oſtenderem me nomen dediſſe rationi & Benedicto, præterea nemini. Decreueram Reſolutiones meas puta ratione & Regulæ contextu confirmare, omiſſo Authorum numero, quos frequentiùs allego: natum enim me fuiſſe liberum maximi facio; nec mentem meam ligabit quis vinculis, quę non ſuppeditauerit Fides aut Æquitas, quarum non tàm diſcipulum, quàm mancipium ago. Doctorum authoritates veneror non tamen propter nuda nomina, ſed propter neruoſas rationes quas adducunt; qui ſi ratione careant, tametſi magni, tametſi eximij, poſthabendi ſunt vel vni enthymemati purè probabili. Cæterùm cum multi ſint, qui rationum pondus non capiunt, & mouentur Authorum ſolo numero, vt & illis prodeſſem, conſentaneum fuit vti Scriptorum Authoritate, inter quos primas detuli meo Doctori melliſluo, vtpotè Benedictino, quem ornauit Deus ſubtiliſſimo ingenio, & ſolida pietate: huius enim aſſerta prudentiſſima præcipuas Concluſiones confirmant. Habet nonnumquam ſingulares ſententias, fateor, ſed ab his ſuperſedi, expoſiturus ſingulas in libro, quem iam edo & inſcribo, Singularia Bernardi.

Nonnumquam Reſolutiones puro Authorum numero ſtabilio; nempè cum vel veritas obuia, vel cum egeret calamo vberiore, ſi rationibus eſſet perſuadenda. E contra etiam nonnumquam meris vtor rationibus citato nemine; vel quia ita ſolidæ illæ ſunt, vt ſuppetijs extrinſecis non egeant; vel quia a communi diſcedens multos citare nequeam, & paucos nolim; ſed in hoc opere vix occurret ſententia ſingularis; quæ ſi occurrat, tanto rationum pondere fulcietur, vt prudens diſſentire non poſſit.

I N-

INDEX RERVM.

A

Abbas.

Abbas differt ab aliȷs Religioſis accidente, non ſpecie. *num.* 397. eſt verè Choriſta, *nu.* 396. non monachorum herus aut dominus. 1836.

Abbas qualis, 1480. eius ordinatio ſeu promotio, 1479. eius obligationes, 1481. An ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam Abbates à Regibus denominari, 1481.b. Præſtetne triennales an perpetuos eſſe, 1491. Poſſitne in electione dignus anteponi digniori, 1502. De Abbatis inſtallatione, 1508. de eius iuramento, 1509. de eius confirmatione: *ibid.* de eius benedictione, 1510. de poteſtate benedicendi res ſacras, 1569. An Monaſterij bona poſſit dare cognatis 1863.

Abbatesne poſſint conferre maiores ordines, 1626. an minores, 1633. an dimiſſorias concedere poſſint ordinandis, 1634.

Abbate præcipiente moraliter totam Regulam, ſingula obligabant ſecundũ materiæ quantitatem, 94. Hinc intelligenda venit Charta charitatis cap. 1.

Abbatum anthoritas circa officiȷ diuini rubricas, 1305. 1311.

Abbatis menſa an in aula. 1656.

Abbas mortuus.

Abbate mortuo communitatis authoritas, 572. religioſorum obedientia, 571. Ceſſat Prioris authoritas qua ab ipſo defuncto delegata, 1585. etiam adminiſtrorum, 1589. Ordinaria authoritas non tranſit ad Abbatem Patrem, 1588.b. nec ad Epiſcopum, nec ad Cathedralem Eccleſiam, 1588. d. Temporalis anthoritas apud Communitatem, 1589. Spiritualis ceſſat, 1591. ceſſant caſus reſeruati. 1594. Limitatio ex iure particulari, 1595.

Abbas commendatarius.

Abbatis Ordinariȷ & Commendatariȷ differentia, 1537. an Commendatariȷ deberent proſcribi, 1593. an habeant ſpiritualem iuriſdictionem, 1545. Expenſæ Commendatariȷ, 1550. de Tripartita, 1552. de Concordia, 1553. de Venditione bonorum immobilium, 1554. an teneantur recipere Viſitatores, 1557 an poſſint eſſe duo Commẽdatariȷ in eodem monaſterio, 1559. an ſimul Ordinarius Abbas, & Commendatarius, 1560. an vnus & idem Commendatarius poſſit recipere plures Commendas, 1562. Vtrum habeat iuriſdictionem in filiationes, 1563.

Abbas Abbatum Pater.

Abbas Abbatum Pater quæ & qualiter poſsit præcipere, 761.

Abbas Ciſtercienſis.

An Abbas Noui-monaſteriȷ ſit Generalis, 1512. Vtrùm ſit omnium Abbas immediatus, 1516. An viſitare poſſit omnia monaſteria, 1526.

Abbas Clarauallenſis.

Habet illuſtria priuilegia, quorum aliqua adnoto *nu.* 1510. Eſt ipſi feudatarium rei [illegible] Poteſt benedicere Abbates in ſua linea, 1510. poteſt conferre ordines Diaconatus & Subdiaconatus, 1510. 1626. Altaria portatilia & fixa vel antiqua vel noua conſecrat, 1510. Monaſteria lineę Clarę uallenſis non habent exemptionem aliquam contra eius authoritatẽ, 1536

Abbas Dunenſis.

Multi Abbates ſe Domini Dunenſis priuilegia participare dicunt, ideo expedit præcipua recenſere. Poteſt conſecrare calices, lapides, aras portatiles, pyxides & omne ornamentorum genus, non ſolùm pro ſuâ ſed pro aliȷs Eccleſiȷs, ex Clementis VII. fauore, *nu.* 1567.b. Altaria integra conſecrat

e 2 ex par-

ex particulari priuilegio,1567.d. Benedictionem concedit, 1567. e. Indulgentias nonaginta dierum fidelibus concedere poteſt virtute duorum diplomatum, quorum primo conceditur vt quinquaginta, altero vt quadraginta dies de adiunctis pœnitentijs valeat relaxare, 1568. Hoſpites ex mera vrbanitate recipit declarante Alexandro,1673. Contra Dunenſes fugitiuos ſunt diplomata conceſſa ab Innocentio III. & Alexandro IV. contra fautores, celatores, & defenſores, ab Innocentio III. Alexandris III. & IV. Nicolao III. & alijs, 1752. Sunt plurima ſimilia priuilegia, quæ alias aptioribus locis citantur.

Abſtinentia.

Abſtinentia perpetua à carnibus an fuerit in parua officia commutata, 1323. De abſtinentia diei Veneris in quem incidit Natalis Domini. 2013.

Abſtinentia à vino apud Hebræos, 150. apud DD. Benedictinos. 1617.

Actus merè interni.

Actus merè interni nec ſubſunt pœnali legi, nec morali directè. 32. ſubſunt indirectè, 40. quid ſit ſubeſſe indirectè, *ibid.* habere hanc illam opinionem probabilem poteſt quicumque etiam inuito ſuo Prelato, 42. excipe Priorē & alios adminiſtros, qui in rebus officij tenētur ſequi dictamen Abbatis, 1582.

Adam.

Adamus, monacos fortè monachus, 121.

Æger.

Ægroti non ſequentes præſcriptum medici quando peccent moraliter, 45.

Vide Magiſter infirmorum.

Æmæi.

Æmæi, vnde dicti, 128. vbi habitauerint, 132. ab hoc nomine nonnullæ voces Græcæ, 131.

Æmæi: conuentuales, gentiles, familiares, ilitæ, 128. Oſtiarij, Liminares, 129. Diffinitores, Iudices, 130.

Æqualitas.

Æqualitas rerum eſt iniquitas ſi non ſequitur neceſſitatum etiam æqualitatem, 1619.

Æſæi.

Æſæi, 270. an ab Eſenis & Ieſæis diſtinguantur. 273. an differant à Therapeutis, 274. Chriſto antiquiores, 275. ſanctiores Gymnoſophiſtis & Brachmannis, 277.

Alexandrini.

Alexādrina Eccleſia fundatur à D. Marco, & à Philone deſcribitur. 270.

Allelu-ia.

Allelu-Ia, cur additum pſalmo pœnitentiali. 1218. eſt Hebræum verbum, exponitur, 1255. non canitur ieiunij tempore, cur? 1257. de huius vocis ſignificatione, vſu, & acceptione tracto à num. 1254.

Aloxa.

Aloxa potus, 1613. an frangat ieiuniū, *ibi.*

Amortizatio.

Amortizatio quid? reperies aliqua acutè examinata. *num.* 823. Manus mortua quæ, 822. Non poſſunt bona aliqua viua mortuis incorporari ſine licentia Principis. 824. Nequeunt Eccleſiaſtica ſæcularia reddi ſine Pontificis amortizatione, 826. Quomodo bona ſæcularia fiant ſacra aut ſacrata, 827. Non poſſunt bona ſæcularia fieri Eccleſiaſtica ſine licentia Regis, 828.

Anachoreta.

Anachoretæ monachi, 312. an diſtinguantur ab Heremitis, 313.

Anania.

Ananiæ & Saphiræ hiſtoria, 262. condemnantur à multis Patribus, 262. 263. Hanc hiſtoriam D. Benedictus recenſet, nec conſcientias ipſorum audet cenſurare, nec diffinire an ſpiritualiter puniti ſint, 267.

Anima.

Anima eſt tabula in qua ſcribitur lex ſpiritualis, 22.

Arca.

Arca Noe, 107.

Area.

Area diſcretionis, 106.

Aſidai.

Aſidæi, 138. ſic dicti quaſi Pij, Clemētes, & Miſericordes, *ibid.* Raſias fuit Aſidæus, *ibid.* vtebantur inſtrumentis muſicis in Choro, 139. erant incogniti, *ibid.* caſti, & cœlibes, *ibid.*

Athei.

Athei non ſunt membra corporis Catholici. 100.

Auguſtinus.

Auguſtiniani, *aliàs* Heremitæ, 344. inceperunt anno 1256. antè non agebant vitam communem, 344.

Aula Dei.

Aula Dei. 106.

Auris.

Auris perforata, ſymbolum mancipij, 219. Inclinare aurem eſt obedire. 1.

Auſcultationis mirabilis liber Benedictinus, 5. ad 14.

Aurum.

Auri probandi modus, 320. examinatur lapide Lydio, 321. 323. probatur igne, 322. 324. non minuatur igne. 324.

Auxilium.

Sufficiens nulli mortali negatur, ſi negaretur, quando inſtat præceptum, ad impoſſibilia obligaremur, 1847. Quid dicendum de illo, cui præciperetur, vt aliquid faceret, quando haberet auxilium efficax? 767. libertatis, & auxilij concordia, 1846.

B

Balneum.

Balnea vitam abbreuiant, 150. Balneorum vſus, 1624. Conceditur ægrotis, ſanis interdicitur, 1624. c. 1967.

Benedictini.

Benedictini Monachi habent florentiſſimas congregationes, quæ recenſentur, 351. Viri illuſtres Benedictini in varijs facultatibus, 340.

S. Benedictus.

Compoſuit Regulam diſcretione præcipuam; illam illuſtro à num. 1. ad 1765. compoſuit etiam alia opuſcula; nimirum Ordinem viuendi Monaſticè, Epiſtolam ad S. Remigium: de S. Placidi martyrio Sermonem: in S. Mauri diſceſſu Sermonem: & ad eumdem S. Maurum Epiſtolam. Vtrùm hæc opuſcula meritò S. Patri adtribuantur, diſcutitur à num. 177. Ordo Monaſticus ponitur & illuſtratur à num. 1781. Epiſtola ad S. Remigium, 1820. Sermo de paſſione S. Placidi, 1828. Sermo in diſceſſu S. Mauri. 1837. Ad eūdem Epiſtola, 1842. Vidit S. Placidi animam cœlos ingredientem, 1834. Mortē S. Mauro prædixit, 1843. 1836.

Beſtialitas.

Differt à pollutione, ſed non ſpecie, 983.

Brandevvijn.

Brandevvijn, 1613. an frangat ieiunium, *ibid.*

Buriſfundenſes.

Buriſfundenſes Monachi, 351. quando inceperunt, *ibid.*

C

Cain.

Caini hęreſis, 114. Symbolum Sethiadum contra Caini errores, 115. Cēſura Iudæ Apoſtoli, 116. Cainitæ vocati filij hominum, cur 117. Cainitæ non fuerunt Caini poſteri, ſed aſſeclę, 117. Reuelatio facta à noſtris primis parentibus in Caini genethlia, exponitur valde curioſè? 118. Cainus Deo ſacrificat, & Deus ſacrificium Abelis cælitus inflammat, 1063.

Calumnia, vide Murmuratio.

Caluus.

Caluus Eliſæus dictus, cur? 155.

Camaldulenſes.

Camaldulenſes Monachi, 351.

Canonicus.

Canonici S. Auguſtini, 350. Canonici, & Clerici Eccleſiæ alicui deputati potius tenentur legere in Choro, quàm Religioſi, 1317.

Caput.

Capitis raſio, 152. tonſura, 327.

Capitulum.
Capituli acta manent ſub ſigillo ſecreti naturalis,1740.vide Communitas.
Captiuus.
Captiui an debeant redimi.346.
Carmelitani.
Carmelitani, quando, & à quo inceperint,345.
Caro.
Carnium vſus, an licitus,an abrogabilis, 1616.1624.an Conuerſi poſſint cogi ad abſtinentiam,1600. vide ieiunium.
Carthuſia.
Carthuſiani monachi,341.quando inceperint,*ibid.*
Caſtitas.
Verè caſtus quis?973. caſtitas virginea de uota à monachis,980. De hac ſatis co pioſè vſque ad finem primæ partis.
Caſtitatis ſymbola 140.141.143.circa eã errores,240.Viduæ caſtæ,242. Diaconiſſæ,243.mutabant veſtes,244.
Caſtus propior eſt Deo,976.b
Caſti Recabitæ,142.
Caſtra.
Caſtrorum acies religio.106.
Catena.
Catena virtutum,1059.
Cauſa.
Cauſa efficiens conuerſionis moralis, 9.
Cauſa exemplaris myſtica, 10. Cauſa indirecta,1051.Cauſa finalis,vide Finis.
Celeſtini.
Celeſtini monachi,351.eorum origo, *ibi.*
Cellerarius.
Cellerarius qualis? 1609.an debeat iuramentum præſtare, 1610. eius obligationes,*ibid.*Cella vinaria,107.
Charitas.
Charitatis actus an poſſit habere circunſtantiam leuiter malam,668.
Chocolatum.
Chocolatũ potus,an frãgat ieiuniũ.1613
Chorus.
Choriſtæ omnes Ciſtertienſes, qua tales sũt in eadem infima Benedictina ſpecie,395. vide Officium diuinum, vide Communitas.
Chriſtus.
An monachus, 208.215. monachiſmi inſtitutor,213.obediens Patri,217. contrahit pactum cũ Patre,223.fuit virgo, 226.fuit pauper,227. habuit aliquãdo dominium in particulari, 228. habuit etiam dominium in communi,229. an fuerit mendicus, 230. an virtutes has vouerit, 235. Chriſtus lapis Lydius, 321. Chriſtus pro omnibus mortuus eſt,nullo dempto, 1835.
Cinæus.
Cinæi,139.Iethronis poſteri,145.
Circumcelliones.
Circũcelliones monachi, 335. Gyrouagi.
Cinnamomum.
Cinnamomum aromatizans religio. 112
Circumdare.
Circumdare altare quid,1627.
Ciſtertienſis.
Ciſtertienſes iidem qui Benedictini, 352
Ciſtertiẽſes ad nigrorum Monachorum Abbatias promoti,& è conuerſo, 393.
Ciſtertienſes diſtrictionem litteratoriam profitentur,393.
Ciſtertienſium ſpecies,394.Choriſtę qua tales non differunt ſpecie,395.
Ciuilis.
Ciuiles leges an obligent.756.
Ciuitas robuſtarum gentium, 107.
Cluniacum.
Cluniacenſes profitentur Regulam mitigatam,93.
Coadiutor.
Qualem authoritatem habeat,1569.
Cœlum.
Cœli Eccleſiæ qui? 137.pag.171
Cæremoniæ.
Cœremoniæ aliquæ ſunt ſubſtantiales, quæ? quales? 1627.
Cœnobita.
Cœnebitæ, 307. eorum laudes, 337. genera, 338. ſpecies in eodem monaſterio,394.
Collatio.
Collatio profeſti natalis Domini,qualis, 1613.

Co-

Columna.

Columnæ Sethiadum,122. Ægyptiacæ, 123.

Coma.

Coma ingenuitatis, & libertatis ſymbolum,154. dicata dijs, Deo nonnunquã, non rarò dœmoni,152. 153.

Confuſio, vide Murmuratio.

Communitas.

An poſſit vouere caſtitatem,1060. d. an poſſit paupertatem, 1060. e. an obedientiam,1060. f. An communitas Benedictina de facto ſit pauper, 820. 1060. g. Non obſtringitur voto obedientiæ, 1060. m. Debet obedire ſuo capitulo? in quibus? 1060. n. poteſt legem non acceptare, 48. 747. Quot requiruntur vt detur cõmunitas, 1325 k. 1060. o. Quot requiruntur in choro. 1325. k. An nouitij ſint partes communitatis, 1325. l. An communitas teneatur officium diuinũ recitare,1320. an teneatur ad officia parua, 1322. quo loco debeat recitare, 1325. an poſſit in duos Conuentus diuidi, & ſimul duobus actibus diuerſis ſatisfacere. 1325. f. g. i. quis peccet, quando dicitur peccare communitas, 1324. Communitas benè ordinata, quę? 636. 646. quæ dicenda ſit magna, 1600. a. an excommunicari poſſit. 1747. b. Communitas tota per modum vnius illud facit, quod plures decernunt. 493.

Communitas retinet omnem temporalem authoritatem mortuo Abbate, 1589. tenetur ſibi Præſidem eligere, 1592. poteſt vendere, alienare, commutare, 1590. an poſſit in vita communitas hac authoritate priuari. 1597

Communitatis ingenium & natura, 493. an teneatur cantare, 1327.

Concio.

Debet haberi diebus feſtis, 1021. At verbum Dei non debet vnicuique committi, 2021. Fœminæ non debent cõcionari, 2024. Concionator debet eſſe pius, ita vt vita potius concionetur, quàm labio, 2025.

Concordia.

Gratiæ, libertatis diuinæ, omnipotentię, prædeſtinationis, reuelationis, & libertatis humanæ, 1846.

Concupiſcentia.

Non fuit in Adam innocente, nulli homini peccatori abeſt, 2002. Verba difficilia de hac materia expoſita, *ibidem.*

Confeſſio.

Confeſſio 67. 68. 73. Confeſſionis materia non eſt actus, qui ex dictamine bono verè probabili, 67. Nemo debet confiteri ſe peccaſſe vt Deus ſcit, ſed vt ipſe, 68. Lector caſuum conſcientiæ quales debeat opiniones dictare, 71.

Confeſſarij monaſterij carentis Abbate, qui? 1593. De Confeſſatij Monialium authoritate, 1060.

Conſilium.

Conſiliarij Abbatis, 1062. de eorum neceſſitate, authoritate, ad num. 1609. in rebus grauibus ſunt omnes Religioſi, 1603. in leuibus Seniores, *ibid.* illi vocantur in communitate *Conſiliarij*, 1607. an teneantur conſulere Abbati iuxta ſuum dictamen, an iuxta placitum communitatis. 1608.

Conſilia an reperiantur in Regula, an conſulibilia, 77. 1060. b. Conſilijs duobus componitur pœnalis lex, 786.

Contemptus.

Contemptus materia grauis eſt: ſumitur quantitas non à materia, ſed à perſona, quæ contemnitur, 97.

Conuentualis.

Conuentuales Monachi, 307. corũ laus, 337. vide Cœnobita.

Conuerſio.

Conuerſio morum in profeſſione promiſſa, 600. quid importet, *ibid.*

Conuerſus.

Conuerſorum ſpecies, Laici, Surdi, Donati, 406. Laici ſunt verè Religioſi, 407. Surdi qui? 408. Donati non ſunt verè Religioſi, ſed æquiuocè, 409. non promittunt caſtitatẽ nec paupertatẽ, 409. 410. ca-

410. caſus notandus, *ibid.* poſſunt dimitti, 411. An Conuerſi, qui in Belgio ſunt, ſint Religioſi, 412. poſſunt veſtiri ab Abbatiſſis, 433. In Côuerſorũ profeſſione habent vocé ſolùm Choriſtæ, 1605. Non poſſunt Conuerſi obligari hodie ad perpetuam abſtinentiam à carnibus inuiti. 1606.

Conuerſi, ſeu Laici, 407. an ſint Religioſi cùm vota emittunt in manibus Abbatiſſarum, 432.

Conuiuium.

Conuiuium nuptiale, 107. DD. Benedictini non poſſunt ire ad conuiuia ſine licentia ſui Abbatis, 1744. &c.

Corpus.

Corpus catholicũ duplex, regulare & ſeculare, 106. eius mẽbra nõ ſunt athei, infideles & hæretici: peccatores perperam excludebat Pelagius, 102.

Corpus morale, 11. Corporis moralis compoſitio, 100.

Correctio Paterna.

Fit ab Abbate, 1693. Peccat Abbas mortaliter ſi grauia qualiacunque permittat, *ibid.* Peccat venialiter cũ permittit leuia contra monaſticas obligationes, 1694. non peccat venialiter cùm permittit leuia, quæ non ſint contra obligationes monaſticas, 1695. tenetur inuigilare ſubditis, 1701. Qualiter debeat Abbas procedere admonitus de peccato ſecreto ſubditi, 1721.

Correctio Fraterna.

A Chriſto inſtituitur, 1677. à Paulo exponitur, 1679. à Benedicto indicitur, 1678. ad 1687. apud DD. Benedictinos probabiliter omitti non poteſt. 1688. 1879. d. Venialia euangelicè nõ debẽt corrigi 1692. Probabilitas ſubijcit correctionem arbitrio correcturi, 1698. qui dubitat, nõ tenetur corripere, 1699. Nemo tenetur proximũ fraternè corripere, ſi ſperet probabiliter eũ ab alio vtiliter iri correctum, 1700. Nullus ſimplex religioſus poteſt inquirere occulta crimina, vt fraternè corrigat, 1706. Vide etiã 1800. 1879. 1943.

Correctio Capitularis.

Fit ab eo, qui in capitulo ordinario præſidet, 1730. is poteſt punire citra ſolemnitaté iuris quoties materia nec leuiter eſt ignominioſa, 1732. Qui in capitulo proclamauerit actionẽ ſecretã, ſed leuiter ignominioſam, peccat venialiter, 1733. ſi grauiter ignominioſã, peccat mortaliter, 1734. Defectus corrigendi in capitulo, qui? 1736. omnes debent ſecretum ſeruare, 1740. Totum Capitulum deſcriptum, 1789. Quid debeat facere Superior qui in correctione exceſſit, 1973. d.

Correctio Forenſis.

Debet fieri in ſcriptis iuxta allegata & probata. 1748.

Corybantes.

Corybantium fabula. 135.

Curetes.

Κυρῆτες An qui Hiſpanè *Curas?* 134.

Cultus.

Cultus religioſus, 1064. 1074. 1075. an detur præceptum de cultu, 1080.

D

Decani.

Decani, 1599. an præſtet habere Decanos quàm Priorem. 1601.

Decani Eſſenorum, 164.

Definitiones.

Definitiones morales latæ Ciſtertij ad tollendos ſcrupulos indoctiorum. 844.

Delectatio.

Delectationes moroſæ an ſemper graues. 1022.

Detractio, vide Murmuratio.

Deus.

Deus nihil cognoſcit probabiliter, 62.

Diaconus.

Diaconi an poſſint ab Abbatibus ordinari, 1626.

Dimiſſi.

Dimiſſoriæ pro ordinandis, 1634.

Dimittere monachos an liceat, 1753. quales dimiſſoriæ debent illis concedi, 1760. an dimiſſus ſit liber à votis. 1759.

1759. an religioſi debeant dimiſſos perſequi, 1762. Dimiſſus ab ordine, aut monaſterio remanet verò religioſos. 557.

Diſpenſatio.

Diſpenſare poteſt legiſlator ſine cauſa. 759. ceſſante cauſa diſpenſationis non ceſſat diſpenſatio, 760. In præceptis inferioris an poſſit ſuperior diſpenſare, 754.

Dominica.

Dominicæ dici inſtitutio, nomina, & excellẽtiæ, 1154. Dominica oratio, 1238.

Dominicanus.

Dominicani, 344.

Dominium.

Dominium rerum in communi, quibus competat, 820. quibus in particulari, 830. dominij definitio, diuiſio, 821.

Domus.

Domus ſpiritualis, 106

Donatus.

Donati an religioſi, 409. vide Conuerſi.

Dubium.

Dubium quid? negatiuum, poſitiuum? 52.

E

Elias.

Elias & Hieremias virgines, 142. Elias Recabita, 171. idem qui ἥλιος; Phaetontis fabula explicata, 171.

Enos.

Enos, 142. eius vita mirabilis, 125. Eſſeni, aut Enoſeni, 124. 126. 279.

Epiſtola.

Recipi non debent. Scriptæ, aut receptę etiam cum licentia debent oſtendi, 1869. c. Obligant ſub ſecreto, *ibidem*. Vide 2957.

Eſaus.

Eſæi, 275.

Eſenus.

Eſeni, 161. habuerunt Decanos, vt Benedictini, 164.

Eua.

Eua ipſa quę Veſta & Pandora. 172. 173.

Examen Conſcientiæ.

Matutinum. 1782. 2019.
Veſpertinum, 1819. 2019. 1819.

Excommunicatio.

Excommunicatio monaſtica eſt cenſura pœnalis, quæ conſcientiam non obligat, 1742.

Exemplum.

Exemplorum vis, 10. 226.

Exemptio.

Exemptiones à Choro, an, & quando laudabiles, 401. 402.

Eximius.

Eximij titulus conuenit Benedicto, 4 b, datur ipſi titulus Doctoris, 371.
Exprobratio, vide Murmuratio.

F

Faſti.

Faſti Gentilium, 1176. Hebræorum, 1181. Eccleſiaſtici, 1194 à quo determinandi, 1198.
Feſta indicta ab Epiſcopo obligāt regulares, 1613. In feſtis Eccleſiæ, necnon in feſtis Ordinis DD. Benedictini manibus non operantur, 1637. a.

Filius.

Filij Dei qui? 117. Filij hominũ, qui. *ibid.* Filij Prophetarũ, 166. vide Prophetæ.

Finis.

Finis pœnalium legum, 30. ceſſante fine adęquato legis in caſu aliquo particulari ceſſat in particulari ipſa lex, 50.
Finis dat ſpeciem rebus præceptis, 719.
Finis conuerſionis moralis. 9.

Fœmina.

Fęminæ habitantes ad oſtium tabernaculi, 188. Mare ex ſpeculis mulierum factum, 189.

Fons.

Fons ſignatus, 107.

Forma.

Forma conuerſionis moralis, 8.

Franciſcani.

Franciſcanæ Religionis initium, 343.
Franciſcanus qualiter dicatur vota emittere, 353.

f S. Fran-

S. Franciſcus.

Compoſuit Regulam ſeueriſſimam. Sed & dantur duæ alıæ Regulæ, altera pro Tertiarijs, ſeu Fratribus de pœnitentia habitantes in communi. 2000. Et altera pro degentibus in ſuis domibus, 2045.

Fugitiuus.

Fugitiui qui? 1751. an debeāt recipi. 1752

Furtum.

Furtum peregrini quando ſit graue, 935. filij-familias, & religioſi. 942. 943. religioſi hoſpitis, 953. vide Paupertas, & Proprietas.

G

Generalis.

GEneralis nomen, an conueniat Abbati Ciſtertienſi, 1316. 1512. Quis dicatur Ordinis caput, & cur? 1316. an Domini Ciſtertienſis authoritas ſit in omnes & ſingulos immediata. 1516. Vtrùm poſſit viſitare omnia Monaſteria, 1526. Congregatio Hiſpanica habet Reformatorem quem vocant *Generalem*, de eius authoritate ſatis pulchrè D. M. Petrus de Ouiedo nunc noſtri Collegij Salmanticenſis Abbas, & D. M. Thomas de Nieua feliciſſimi ingenij vir. Curioſi eos legant, nō enim potui de ſingularum Cōgregationum Superioribus agere.

Genuflexio.

Genuflexione dij colebantur apud Græcos. 1627.

Grandiſmontenſis.

Grandiſmontenſium Monachorum initium, 351.

Gyrouagi.

Gyrouagi Monachi, 335.

H

Hæreſis.

HÆreſis Caini. 114.
Hæretici non ſunt membra corporis Catholici, 100

Hel.

Hel a potus, 1613. an frangat ieiuniū, *ibi.*

Helizæus.

Helizæus vocatus *caluus*, cur? 155.

Heremita.

Heremitæ qui Monachi, 210. inſtaurātur à Ioanne Baptiſta, 211. nunc Auguſtiniani, 344.

Hemina.

Heminæ quantitas, 1617.

Hieronymiani.

Hieronymianorum origo, 349.

Horæ.

Horæ Canonicæ, vide Officium diuinū.

Hortus.

Hortus concluſus, 107.

Hoſpes.

Hoſpites ſacerdotes, 448. Monachi, 449. Diſtinctio inter hoſpites, & filios, 802. an hoſpites teneantur obedire Antiſtiti apud quem hoſpitantur, 804. an recipi debeant ſub pec. mort. 1667.

Humilitas.

Humilitas Monachorum origo, 351.
Humilitas verax, 11. gradus, 673.

Hydromel.

Hydromel potus, 1613. an frangat ieiunium, *ibid.*

I

Ieiunium.

IEiunia qua præcepta, *à num.* 711.
Ieiunia Eccleſiaſtica & Regularia. 1613. b. qui teneantur ad Eccleſiaſtica. *ibid.* n. v. Ieiunium dictum ab Epiſcopo non obligat regulares, 1613. receptum a ciuitate integra an obliget, *ibid.* Die natalis Domini, ſi in feriam ſextam incidat carnes poſſunt Ciſtertienſes comedere, 2013. poſſunt Tertiarij, 2012. non poſſunt Patres Franciſcani, 2013. Diebus ſolemnibus Belgæ Ciſtertienſes abſtinent, 2014. In Paſchate die martis primas carnes comedunt, 2014. an die lunæ poſſint, 2015. de ientaculo, 2016.

Ieſuitæ.

Ieſuitæ florent viris doctiſſimis, de quibus breuiter, alias vberiùs tractaturus, 349.

Iephte,

Iephte, vide Iphte.
Ieſæi,274. vide Eſenus, Eſæus.

Impoſſibile.

Impoſſibilia quæ fieri debent.694.747.

Improbabile.

Improbabilis ſententia, quæ? 56.
Indumenta, vide Veſtes.

Infirmus.

Infirmorum ſeruitium non inquinat,399 eorum curam commẽdat Benedictus, 1624.qui debeant horas legere ægroti,1429. vide Magiſter infirmorum. & vide Æger.& *num.*2034.2071.2046.

Ingreſſus.

Ingredi religionem, qui voncrit ad quid teneatur,460.461.462.Ingredi religionem non expedit ſine matura deliberatione,454. retrahere aliquem ab ingreſſu religionis,quale peccatum.456

Inſtrumentum.

Inſtrumenta virtutum,1060. Inſtrumenta Monaſterij curioſè debent conſeruari,1641. Corrigũtur monaſticè, qui incurioſè conſeruant Monaſterij inſtrumenta,& ſupellectilem, 1684.

S. Ioannes Bapt.

Monachorum inſtaurator,211.

Iphte.

Iphte quis ? 201. Rabbinorum ſententia de eius filia,202.Iphigenia,203.

Iuramentum.

Iuramentum fidelitatis debent præſtare Cõmunitati vniuerſi Adminiſtri,1610
Profeſſio Benedictina habet rationẽ iuramenti facti per Deũ & corã Deo,96
Iuramenti grauitas,2046.

Iuſtinenſes.

Iuſtinenſium Monachorum Reformatio,351.

L

Labor Manuum.

Labor manuũ.1637. an reuocari poſſit,*ibid.*an ſit commutatus in Officium B.Mariæ,1322
Laici, vide Conuerſi.

Lapis.

Lapis Lydius Chriſtus, 321.

Lex.

Legis definitio,15.de lege æterna,16.de naturali,19.eſt immutabilis,27. de gẽtili,ſeu iure gentium,23. de humana, 25.lex triplex,39 pœnalis an in cõſciẽtia obliget, 30. 36. an moralis,34. Legum materia,38.an leges debeant acceptari,48.an ceſſet lex ceſſante fine, 50. Leges pœnales non obligan. in conſcientia,niſi forte per accidens,ratione pœnæ,32.earum finis 30. non attingunt actus merè internos, 32. Lex disiunctiua, ſeu hypothetica,97. Legem æternam nemo fugit, 18. Lex humana debet eſſe poſſibilis, & ſuauis,48.liberè acceptata, *ibid.* Lex moralis eſt abſoluta,pœnalis verò eſt hypothetica, 786. Leges ſynodales an obligent religioſos,755.

Leue.

Leuia ex Bernardo quæ ? 90.

Libertas.

Libertatis ſymbolum coma,154.

Libra.

Libra panis propenſa,1616.

Libri.

Libri non poſſunt edi ſine licentia, 847.

Licentia.

Licentia requiſita ad rerum vſum, 958.

Loculi.

Loculi religioſorum quid ſint, an liceant,898.

Luxus.

Luxus vitam abbreuiat,150.

M

Magiſter.

Magiſter Miſſarum, 1625. infirmorum,1624. artificum, ſeu Conuerſorum,1635.1640.nouitiorũ,439. 521. hoſpitum, 1642. vide Oſtiarius. Magiſter infirmorum qualis, 1624.an ægri teneantur ad lectionem canonicam,1429.
Magiſtrum diſcipulo anteponendum eſſe,404.

Manus.
Manus mortua,822. vide Amortizat io.
Manuum labor, vide Labor manuum.
Materia.
Materia conuerſionis moralis, 6. legunt, 38. materiæ magnitudo & paruitas, 45.47. in obedientia, 695.700.715. 719.727. in paupertate,932. in re venerea, 1052. in officio diuino, 1451. 1461. in ieiunio,1613. Materiæ paruæ an componant magnam: an qui pluries modica acceperit tandem peccauerit mortaliter, 904. Materia nullamoraliter,47.954.1055. Materia magna partialis, 47. materia indifferens, 47.
Matrimonium.
Matrimonium ratum non conſummatū non impedit ingreſſum in religioné. 458.
S. Maurus.
Eius vita à B. Fauſto Monacho Caſſinēſi ſcribitur, 1838. In Gallias diſcedit, & in eius exceſſu S. Pater Benedictus cōcionem conſolatoriam habuit, 1837. Epiſtolam à S. Benedicto Maurus recipit,1842. itē reliquias, 1843. S. Mauri fœlix tranſitus in ecſtaſi S. Benedictus diſcit, & tribus annis ante manifeſtat,1843.1846.
Mendacium.
Mendaciumnè ſit edere libros nomine alieno,845.
Menſa.
Menſa Abbatis an in aula, 1656.
Menſura.
Menſura ciborum, 1616. menſura potus, 1617.
Mercenarij.
Mercenarij Religioſi,349. captiuos redimunt, *ibidem*. An expediat bono publico captiuos redimi, 346.347.
Meridies.
Meridiana quies,1637.c.
Minimi.
Minimorum religioſorum origo, 349.
Monachus.
Monachus vnde dictus, 108. Monachorum varia nomina & ſectæ ante Chriſtum,127. Monachorum antiquitas in nouo teſtamento, 286. perennitas, 295. genera in lege gratiæ, 307 aliqui plumbo ſimiles, alij auro, 320. Monachi Angeli, 212. Monachi cœli Eccleſiæ, enarrantes gloriam Dei, 1061. Monachi monaſteriales, 307. Monachi veteres heremitæ, 210. an Monachus ſit Abbatis famulus? 1836. Debeantne Monachi incedere ſoli, vel bini,1867.1972.
Monialis.
Moniales tenera ætate offerri in monaſterijs ſolent, monachi ſolebant, 440. 441. Monialium regimen breuiter exponitur à *num.* 433. & à *num.* 1060. q. De earumdem clauſura, 1726.
Morbus.
Morbi medici, & eorum à ſenſibilibus diſtinctio, 1052. vide Infirmus, vide Magiſter infirmorum.
Moroſitas.
Moroſæ delectationes, an ſemper grauiter peccaminoſæ,1022.
Mortale.
Mortale requirit grauem materiam, 41. Grauia non poſſunt præcipi ſub culpa leui,42.
Mos.
Morum conuerſio promiſſa in profeſſione qualis? 600.
Munus.
Munerum largitio & receptio,829. præcipuè à *num.* 876. ad 898.
De Religioſis inter ſe. 964.
Murmuratio.
Quomodo murmuratio à Confuſione, Exprobratione, Detractione & Calumnia,1808.1877. quomodo ab Æmulatione, & liuore, 1877.
An murmurare ſit mortale peccatum? 1808. an poſſimus coram detractore tacere, 1809. De Murmuratione vitanda, 1877. Cur fraterna Correctio ſimul cum murmuratione exponatur. 1877. murmuratio eſt Cœnobiorum peſtis, 1878. vide 1915.

Nauis.

N

Nauis.

NAuis inſtitoris, 106.

Nazaræus.

Nazaræorum inſtitutio, 146. etymon, *ibi.* antiquitas, authoritas, 147. ſectæ, *ibid.* abſtinentia, 150. Radebant capita, 152. ſacrabant Deo, *ibid.* obligabantur voto, an conſilio? 159.

Nephilimus.

Nephilimi, 137. ab inclinationibus ſic dicti, *ibid.* Hominum piſcatores, *ibid.* de illis Iſaias expoſitus, 137.

Nouitius.

Nouitios recipere quis poſſit, 452. An poſſit recipi, qui non ſit confirmatus, 2004. an requiratur conſilium Religioſorum, 452. 1605. non omnes venientes debent veſtiri, 458. ille cuius parentes ſunt in extrema neceſſitate an poſſit adire religionem, *ibid.* qui in circumſtantia ſubſtantiali fefellit, & ex vi huius erroris admittitur ad profeſſionem, non eſt verè profeſſus, 459.

Nouitiorum probatio debet eſſe per annum, 463. 1872. d. in mortis articulo ante annũ poſſunt profiteri, 463. 464. Probationis annus debet eſſe integer, 466. 2007. an addenda ſit vna dies, 468. Tempore probationis poteſt nouitius liberè redire ad ſæculum. 496. Olim non poterant, 521. & 2006.

Nouitiorum cura & regimen ſunt valdè neceſſaria, & difficilia: ſed de illis ago toto libro ſextò, præcipuè à *nn.* 452. de nouitijs qui fuerunt profeſſi in alio ordine, 540. 544. de nouitio laſciuo, 1003. Profeſſionis Benedictinę formula exponitur toto libro ſeptimo *n.* 511.

Nouitius qui tranſit ex ordine ad ordinẽ, an teneantur agere annum probationis, 543. 544. an teneantur ſubſtantialia iterum vouere, 540. debet profiteri ſecundæ religionis characterica, 552.

Nouitios approbare in dubio nemo poteſt, ſed reprobare debet, 470. approbare nouitios alias habiles eſt materia puræ gratiæ, 472. poſſunt dimitti ab Abbate inconſulto conuentu, 471. promoueri ſine conuentus conſilio & cõſenſu non poſſunt. 480 482. 2008. Qui nouitium ſeducit qualiter peccet, ad quid teneatur, 477. Qualitates requiſitæ vt nouitius profiteatur, 468. Nemo tenetur contra nouitium alios ſollicitare, *ibid.*

Profeſſio nouitiorum qualis, 512. An debeant ſe vocare Fratres, an Dominos, 516. An promittatur Deo, an Abbati hoc quod eſt, obedire Superiori, 518.

O

Obedientia.

OBedientia Chriſti, 217. huius voti neceſſitas, 259. antiquitas, *ibid.* Benedictini non vouent obedire Regulæ, ſed Abbati ſecundnm Regulam, 89. 512. An teneantur obedire ſecundum Regulam ad litteram, 624. 678. Ago accuratè de virtute obediẽtię, à *n.* 691. Obedientis oratio valde efficax, 1792.

Obedire Superiori contra legem, Dei peccatum eſt. Hiſtoriæ ex ſacris literis aptæ, 691. a. vide 1814.

Obſeruatio.

Obſeruationes cæleſtes Chaldæorũ, 123.

Officina.

Officina vnguentaria, 107.

Officina virtutum, 1059.

Officium Diuinum.

Fuerunt varia officia in Eccleſia. 1290. Officium Sariſbericum, 1292. Officium Meſarabicum. Fuit introductum ab Apoſtolo S Iacobo, & eius diſcipulis. Conſtabat olim horis ſedecim, iam nouem: ab eo ſuperſedens, de reliquis Breuiarijs, quæ 7. vel 8. horas continent diſcepto duobus libris, nono videlicet & decimo. In nono quidem de ſingularum horarum inſtitutione & antiquitate; in decimo de obligatione morali legendi horas Canonicas, à num. 1061. ad 1477. Officium diuinum publicum quid? 1290. Officij Diuini Rubricæ iuxta mentem D. Benedicti, 1298. De Rubricis Breuiarij impreſſi, 1299. An authoritas Abbatum ſit limitata, 1311. an limitari poſſit, 1305. An de facto liceat Abbatibus

pſalmos, lectiones, reſponſoria, antiphonas mutare aut alterare, 1299. ad 1317. Choro adſiſtere tenentur omnes Religioſi pœnaliter, *ibid.* qui debent non cantare in choro, *ibid.* qui debent reſumi omiſſa in choro, *ibid.* pag. 584. An Abbates moraliter teneantur ad chorum, 1317. Communitas tenetur legere officium Canonicum, 1320. An teneatur legere Marianum & Defunctorum, 1322. Quomodo peccet Communitas quando non legit perfectè, 1321. In Eccleſia debet legi Officium diuinum, 1325. Quando Communitas per modum Communitatis eſt extra monaſterium, an qui in Eccleſia remanent debeant, aut poſſint officio Diuino ſatiſfacere, 1325.e. Locus legendi priuatim, quis? 1326. An officium publicum debeat cantari, 1327. Quibus horis officium debeat legi, 1328. 1411. quomodo debeat, 1787. An Sacerdotes teneantur legere quotidie, 1329. An officium diuinum ſit penſum totius vitæ, 1330. an ſit annuum, 1331. an ſit menſtruum, 1332. an hebdomadale, 1333. an quotidianum, hoc eſt, an totius diei officium cadat ſub vnũ præceptum, 1334. 1357. An horæ ſingulæ cadant ſub diuerſum præceptum, 1336. Conuerſi & nouitij non tenentur legere priuatim, 1341. Moniales & iuniores Ciſtercienſes non tenentur ad priuatam lectionem, 1354. imò nec Benedictini, 1775. F. nec Tertiarij, 2026. Officium Marianum & Defunctorum non obligat particulares, 1360. an obliget Cõmunitates, 1322. Vtrùm *Pretioſa & Clauſtralis lectio* obligent ſub mortali, 1365. Poſſitnè Sacerdos ſub Miſſam legere horas, 1364. Qui debeas recitare cum ſocio, 1365. ſi ſocius habeat priuilegium aliquod, 1366. De mutatione officij, 1371. 1372. 1387. 1399. Attentio requiſita, quæ? 1373. 1785. 1860. Pronuntiatio qualis? 1380. 1383. De legendi intentione, 1415. An matutinæ poſſint veſperi recitari, 1417. qua hora, 1418. An qui veſperi Matutinas & Laudes recitat, duorum dierũ obligationi ſatiſfaciat, 1420. Poſſitnè craſtinum officium ante diurnum legi, 1428. An ægri legere teneantur, 1429. an viri valde occupati, 1436. Modus facilis ſatiſfaciendi, 1440. An quis poſſit nondum lectis nocturnis celebrare, 1441. De Monachis degentibus extra monaſterium, 1443. Paruitas materiæ in horis canonicis, 1451. 1461. Partes extrinſecæ & non obligatoriæ, 1454. intrinſecæ accidentariæ, 1458. Pſalmi pœnitentiales, 1468. Pſalmi graduales, 1474. Pſalmus *Lætatus ſum*, 1475. Officij Diuini lectio non obligat priuatim, ni præcipiat Antiſtes, 395. De Officio Diuino quà præcepto, 702. De officio diuino tertiariorum, 2017. 2036. 1787. 1853.

Oliuetenſes.

Oliuetenſes monachi, 351. 1359.

Omiſſio.

Omiſſio pura an poſſit eſſe memoria, 667.

Opinio.

Probabilis quæ, 52. probabilitas intrinſeca & extrinſeca, *ibid.* ad probabilitatem quot authores ſufficiant, 52. 55. probabilior ſententia quæ? 56. quæ improbabilis, *ibid.* Opinio minùs probabilis eſt tuta in conſcientia, 57. 64. non dantur opiniones magis tutæ per ſe, 57. per accidens benigniores, licèt ſint minùs probabiles, ſunt magis tutæ, 58. 61. An opiniones probabiles ſint labores Eccleſiæ, 60. An omnis ſententia probabilis apud homines, ſit etiam erga Deum probabilis, 62. an puniri poſſit qui ſequitur opinionem probabilem, 66. quæ facta ſunt ex bono probabili dictamine, confeſſione Sacramentali non ſubſunt, 67. An Abbas poſſit opinionis verè probabilis notitiam interdicere, 69.

Oratorium.

Oratorium monaſterij, 1062. Orationis neceſſitas, 1090. 1091. Oratio Dominica, 1238. Communitas in Eccleſia debet legere officium Canonicum, 1325.

1325. De oratione agitur à nu. 1090.

Ordo.

Ordo quid? an diſtinguatur à Congregatione, 581. 524. Ordo ſtrictior, quis? 536. an Carthuſianus talis dicendus ſit, *ibid.*

Ordines maiores an conferantur ab Abbatibus, 1626. minores, 1635. Dimiſſoriæ concedi poſſunt ab Abbate ad quemcumque Epiſcopum; quando? quomodo? à num. 1634.

Oſeni.

Oſeni hæretici, 164.

Oſculum.

Oſculum, an toleranda vrbanitas, 979. 1887. 1888.

Oſtium.

Oſtiarius, 1642. qualis eſſe debeat, 1652. qualiter debeat hoſpites recipere, 1654.

Oſtia, erant Æmæi in ſacris literis, 129.

Ouile.

Ouile diuinæ & propriæ voluntatis, 330.

P

Paduani.

Paduanorum Benedictinorum origo & inſtitutio. 351.

Palma.

Palma oppreſſa adſurgit, 324.

Pandora.

Pandora eadem quæ Veſta. 173.

Paupertas.

Paupertas; De hoc voto, & obligationibus eius ago à num. 815.

Paupertas fortalitium Dei, 817.

Peccatum.

Peccatum. Mortale non committit, qui regularia non obſeruat, imo nec veniale, niſi eadem Abbas in virtute obedientiæ præcipiat. à nu. 77. ad 98. Officij diuini legendi obligatio reſpectu eorum qui non ſunt in ſacris regularis eſt nec obligat ſub mortali. 1343. 1775. F. Capitulum Generale anni 1618. declarauit aliqua regularia obligare ſub peccato veniali. Quæ illa? 1757. Hæc declaratio probabiliter defendi poteſt; imò quinque modis, 1776. ſed probabilius dicenda ne ad veniale quidem obligare, 41. 1360. 1776. Idem Capitulum declarauit multa eſſe quæ ad nullum peccatum obligarent, 1768. Poteſt quis ita legere horas vt iurare poſſit ſe anni ſpatio ne vnum quidem veniale in hac materia commiſiſſe. 1785. Omnia peccata ex fragilitate. 1803.

Peregrinus.

Monachi peregrini. 451.

Perfectio.

Perfectionis ſtatus non eſt Religioſorum; ſed ipſi tenentur in perfectionem tendere, 657. qui debeant facere vt huic obligationi ſatisfaciant, 658. An ſæculares debeant tendere in perfectionem, 657.

Perforare aurem quid? 219.

Periculum.

Periculum proximum, 74. 1056. Periculi cognitio naſcitur ab experientia, 1056. Mutatis circumſtantijs ceſſat periculũ, 1057. Non datur caſus in quo licitè quis ſe poſſit exponere peccandi proximo periculo, *ibid.* Nulla lex humana aut diuina præcipit vt te exponas proximo peccandi periculo, *ibid.* Licet ſe exponere probabili periculo, 1058.

Phaeton.

Phaethontis fabula iuxta verum ſenſum explicata, 171.

S. Placidus.

Cuius fuerit filius, 1830. quo anno ætatis S. Benedicto præſentatus, 1831. quot annis profeſſus promotus, 1831. Siculæ congregationis fuit author, 1831. Martyrio coronatur, 1831. Hiſtoriographi, qui eius paſſionem deſcripſerunt aut aſſeruerunt, 1829. Nonnulla ſubiuncta de Manucha & Pyratis, qui eum trucidarunt, 1832. S. Placidi Anima cœlos adire à D. Benedicto in ecſtaſi viſa, 1834.

Pollutio.

Pollutio an differat ſpecie à beſtialitate, an à Sodomia, 983. delectatio moroſa eſt pollutio inchoata, 1049. Pollutio habita ex virginis conſideratione & ex corruptæ, non differunt ſpecie. 1012.

Pœna. Pœnitentia.

Pœnalis lex eſt hypothetica. 786.
Pœnitentię ordinis non inferunt ignominiam, ſed meram incommoditatem, 1738. ab illis non datur appellatio, 1739.

Pontifex.

Pontifex non poteſt excorporare aliquẽ à ſuo monaſterio ſine cauſa. 554.

Præceptum.

Præcepta Abbatis, ſi contra Deum, 691. a. 1600. c. contra Regulam, 695. 750. extra Regulam, 700 ſecundum Regulam, 701. Præcepta de officio diuino, 702. de ieiunijs, 711. de ſilentio, 717. de caſtitate & paupertate præceptis Monacho, 716. præceptis Donato, 409. 410. 411. Præcepta propter aliud, à num. 718. quid requiratur vt præceptum reneat, 738. præcepta lata ab Abbatibus Abbatum Patribus, 761. De præceptis conditionatis: an poſsit poni auxilium efficax tanquam conditio, 767. Præceptorum expoſitio notanda, 796. Præcepta impoſita hoſpitibus an obligent. 802. Præceptibilia in Regula non pręcepta, 79.

Prælatus.

Prælati nomen an Abbatibus attribui debeat, 1478.

Præpoſitus.

Præpoſitus, vide Prior.

Præteritum.

Preteritę actiones qualiter debeant examinari, 74.

Princeps.

Principes an debeant admitti, qui debeãt inſtrui & tractari, qui corripi. 450. An violent immunitatem Eccleſiaſticam cum Abbates denominant, 1490. an mortuo Abbate poſſint denominare rerum adminiſtratorem, 1597.

Prior.

Prioris nomen exponitur, 1612. eius authoritas & poteſtas qualis, 1576. abſente Abbate, 739. 1577. mortuo Abbate, 1585.

Priuatio.

Priuatio in conuerſione morali quæ ?7.

Pro-Abbas.

Qualem authoritatem habeat, 1568. b.
Probatio Nouitiorum, vide Nouitij.

Profeſsio.

Profeſsionis obligatio, 70. formula, 512. fiatnè Deo an Abbati, 518. Verba quę veteri formulæ adduntur apud varias Congregationes an ſint neceſſariæ, 320. Profeſſio ſtabilitatis, vide Stabilitas, & num. 521. Profeſſio conuertendi mores, 600. Obedientiæ, 690. Caſtitatis virgineæ, 973. Paupertatis, 815. Clauſuræ apud Moniales, 1060. b. 1796. Tertiarij Franciſcani promittunt ſe totam legem Dei ſeruaturos, qui hoc ſit intelligendum. 2010. Renouatio votorum annua, imo & quotidiana. 1782. Quid ſit promittere B. Virgini. 1978. b.

Propheta.

Prophetæ Reipubl. oculi, 165. eorum filij, 166. numerus, 167. non differunt à Recabitis, 170. Prophetia Enochi, 116.

Proprietas.

Conuenit monachis in communi, 820. Abbas non eſt dominus bonorũ monaſterij, 830. Habet verum dominium religioſus in manuſcripta, 831. in diſcipulos, 839. in filios, 849. in actiones naturales, 852. merè internas, 853. in externas, 858. an in arte facta, 859 an in res vnico actu conſumptibiles, 861. 1799.

Pudicitia.

Pudicitiæ & Caſtitatis diſtinctio, 981. 996

Puer.

Pueri olim monaſterijs oblati, 439. an fuerint nouitij, 440. D. Thomas Caſſinenſibus oblatus, 445.

Q

Quadrageſima.

Quadrageſimæ obſeruatio, 1613. De Ieiunijs & abſtinentia vide proprijs locis.

R

Raguel.

Raguel binomius, 144. trinomius, *ibid.* an ipſe qui Iethro, *ibid.*

Rephai-

Raphaimi.

Raphaimi quia medici, 134. Qualiter ab Ammonitis dicti. *ibid.* Raphaimari φαρμακεῖν Raphaimum fieri, *ibid.* Eorum vita & inſtitutio ex Philone, *ibid.* Ipſi qui ab antiquis Dactyli, Corybantes, & Curetes nominati ſunt. 135.

Raſio.

Raſio capitis apud Nazaræos, 152. Chriſtianorum tonſura, 327.

Ratio.

Rationis identitas in pœnalibus non valet, 550.

Recab.

Recabitæ, 140. Elias Recabites, 171. non differunt à filijs Prophetarum, 170. Eorum caſtimonia, obedientia, & paupertas, 141. eorumdem, mores, 143. origo, & antiquitas, 144. Iethro Obab, *ibid.* Recabitæ a Iethrone originem ducunt, 145. ſunt progenitores Cinæorum, *ibid.* Filij Prophetarum reformauerunt Recabitas, 170.

Recreatio.

Recreationes ordinariç concedi debent, 1437. poſſunt mitti extra monaſteriũ religioſi animi relaxandi cauſa, ſed cũ ſufficienti viatico dimitti debent, 1649.

Redemptio.

Redimere captiuos an expediat, 346.

Refectio.

Refectionis hora, 1611.

Reliquiæ.

A S. Benedicto ad S. Maurum miſsæ, 1843. An reliquiæ habeânt vires, & quas? 1845. debent coli, & cum debita decentia ſeruari, 1845. ſanctus eſt vt careas reliquijs, quam quòd ipſæ cultu debito careant. 1845.

Regnum.

Regnum Dei: ciuitas Solis, 106. Regna monaſterijs ſubdita per modum ſpiritualis feudi, 1536. Caſtella, Legio, & Aragonia ſunt feudatariæ Cluniacenſibus, 1536. Luſitania Claræuallenſis, 1536.

Regula.

Regula D. Benedicti non habet præcepta, 77. 79. contemni non poteſt ſine culpa graui, 97. ſi præcipiatur à Prælato obligat, 94. ſi voueatur, 96. an aptè donetur prologo; 98. Regula diſcreta, 77.

Regula S. Auguſtini non obligat ad mortale. Eſſentialia Religionis ſub ipſa obligant grauiter ratione voti, Eſt ſimilis quoad hoc Regulę S. Benedicti.

Regula S. Franciſci obligat ad mortale, 2013.

Regula Tertiariorum in communitate viuentium inducit tria vota eſſentialia & in reliquis nec ad mortale nec ad veniale obligat. 2 26.

Regula Tertiariorum in ſuis domibus Deo ſeruientium non obligat moraliter. 2088.

Religio.

Religio vnde dicta, 1065. quid ſignificet, 1070. Religionis ſimulachra, 208.

Renuitæ.

Renuitæ, ſeu renuentes monachi, 319. an iidem cum Sarabaitis, 319.

Ritus.

Ritus ethnici purificati, 184.

S

Sacerdos.

SAcerdotes monaſterii, 1626. Sacerdotes non ſunt magis religioſi quàm reliqui choriſtæ, 398. an debeant officiis vilioribus impendi, 399. Sacerdotes monachi, 448. poſsunt officia humilia agere, 399. an debeant habere altiorem gradum, 402. 403.

Sacramenta.

Debent frequentari. 2027. Non poteſt fieri nouitius, qui non ſit baptizatus, poteſt qui non ſit confirmatus, 2004. Confeſſio ſacramentalis debet eſſe frequens. 2027. ſubſacerdotes deberent omni die feſto communionem recipere, 2027.

Sacriſtæ officium, 1625.

Saphira.

Saphiræ & Ananiæ hiſtoria, 262.

Samaritana.

Samaritanæ hiſtoria, 232.

Sarabaita.

Sarabaitæ monachi, 318. non ſunt reli-

gendi ſed relegandi, 318. An Renuitæ & Renuentes dicti, 319. ab eo quod eſt, Σάρον, ὁ, & Βίος dicuntur, quòd vitam libidinoſam agerent, 319. an Saphiræ aſſeclæ, 319. ab Hieronymo *Remoboth* vocati, 319.

Scala.

Scala Iacob exponitur, 676.

Schola veritatis, 106.

Senarii numeri ſignificatio, 1161.

Senes.

Senes an teneantur ad jejunia Eccleſiaſtica 1613. v. mitiùs à Regula obligantur, 1618.

Seth.

Sethiadum religio, 115. 122. columnæ, 112. eorum ſymbolum contra Cainitarum impietatem, 113.

Significatio.

Significatio verborum apud Benedictinos, 786.

Silentium.

Silentium, 1278. 1288. 790. Silentium quà præceptum, à n. 715. Silenti virtute interdicitur ne Monachus loquatur confratri: at ſtrictiùs ne ſuperuenienti ſæculari num. 1795. qui priùs tacet, ſapientior eſt, 1085.

Siniſtri.

Siniſtri religioſi qui? 408.

Sodomia.

Sodomia an differat ſpecie à pollutione, 983. peccans cum virgine Sodomiticè non tenetur virginitatis circumſtantiam in confeſſione explicare, 1013.

Sol.

Sol hominem generat, an ſolus? 183. Sol vitro armatus, 220. Solis ciuitas, 106.

Somnium.

Somnia laſciua an ſint peccata, 1051. Non datur cauſa per ſe immediata immunditiæ habitæ in ſomnis, *ibid.* Eſt licitum deſiderare habere nocturnam ſeminis effuſionem ſub aliquibus limitationibus, 1051.

Speculum.

Speculum præeminens, 107. Specula, & æneum mare, 189.

Stabilitas.

Stabilitas promittēda ante veſtitionem, 521. iterum in ipſa profeſſione, 527. ad quid teneatur ratione ſtabilitatis, à 528. ad 600. an poſſit quis tranſire ad alium ordinem, 532. an ad aliud monaſterium eiuſdem ordinis, 558.

Subdiaconi.

An poſſint ordinari ab Abbate, 1626.

Superficies homo, 11.

Superior.

Superior quotuplex, 25. naturalis, & moralis, 26. an Supprior dici debeat Superior. 1598. *vide* Abbas, Prior, Supprior, Decanus.

Supprior.

Suppríoris authoritas, 1598. habeatnè authoritatem à Priore, an immediatè ab Abbate, 1598.

Surdus.

Surdi religioſi qui dicantur, 408.

Surdi, *vide* Conuerſi.

Syluestrini.

Syluestrini monachi, quando inceperint, à quo ſic dicti, 531.

Symbolum.

Symbolum Sethiadum, *vide* Seth.

Synodales.

Synodales leges regularem non obligant, 755.

T

Tabula.

TAbula legis naturalis anima, 22.

Taciturnitas, *vide* Silentium.

Templum.

Templorum antiquitas, forma, 1063. Officium diuinum debet à Communitate legi in Eccleſia, 1325. Religioſi in ſuo refugio non tenentur legere diuinum officium per modum Communitatis, 1325. b.

Templarii. 1848. eorum Regula, 1851.

Tempus.

Temporis diſtributio, 1111. 1237. temporis opportunitas; 1210.

Terra ſanctuarii, 107.

Therapeutæ.

Therapeutæ, 134. Iidem qui Raphaimi, *ibid.* vocabantur olim Κυρῖται, 135.

D. Thomas.

D. Thomas an fuerit nouitius Caſſinenſis, 445.

Timor.

Timor Dei, 677.

Tonſura.

Tonſura Nazaræorum, 152. clericorum, 160. monachorum, 327.

Tranſitus.

Tranſitus ex ordine ad ordinem an licitus, de hoc latè à num. 531. & de tranſitu à monaſterio ad monaſterium ago à n. 558.

Trinitarij.

Trinitarij, 346. an expediat reipublicæ redimere captiuos, 346.

V

Vacuum.

VAcuum quid? 11. reperitur in moribus quando, quomodo, *ibid.*

Valli.

Vallis nomine inſigniuntur antiqua & noua monaſteria, 129.

Valliſoletana Benedictorum reformatio, 351.

Vallis vmbroſæ monachi, 351.

Venditio.

Vendi non poſſunt aut alienari bona monaſterij radicalia ſine conſenſu conuentus, 1606.

Verba.

Verborum ſignificatio in materia obedientiæ, ſunt omnia ſcitu neceſſaria. à n. 786.

Vinum.

Vinum vitam abbreuiat, 150. an concedatur à Regula Benedictina, 1617. Hemina menſura vini quanta? *ibid.*

Veſta.

Veſta quæ? vnde dicta? 172. eadem quę Pandora, 173. habuit ædem rotundam, cur? *ibid.* non habuit ſimulachrum, 177. Veſta ignis, 178.

Veſtales.

Veſtales, 175. cur non fuerint introductæ in veterem Romam, 176. ſurgebant media nocte, 179. earum habitus, 180. approbationis tempus, 181. antiquitas, 182. aliquando non idololatræ, 187.

Veſtes.

Veſtium color, materia, forma, 373. 1620. An veſtium colores diſtinguant religiones, 375. negante Abbate neceſſaria, qualiter Religioſi procedere debeant, 1620. b.

Virginitas.

Virginitatem amittere non mutat ſpeciem, 1004. Virginitas tranſcendit omnes alias virtutes, *ibid.* an facilius ſeruent continentiam virgines, 1008. Virgines dicatæ templo, 198. Qui virginitatem amiſit, non tenetur hanc circumſtantiam explicare in confeſſione, 1004. 1009. non eſt circumſtantia explicanda etiam in muliere, 1010.

Virgo quæ polluitur, non tenetur exponere an ſit virgo, 1011 Iuuenis delectatus concipiens virginem, non tenetur hanc circumſtantiam aperire, 1012. De ſodomia habita cum virgine, 1013.

Virtus.

Virtutum catena, 1059. earumdem inſtrumenta, 1060.

Viſitatio.

Ponuntur multa valde neceſſaria à n. 1880. b. ad 1885. 2038. 2046.

Vita.

Vita eſt via, ideo vbi aliqui legunt, *lucis viam* alij *lucis vitam*, 4. k. Abbreuiatur vino & venere, 150.

Vitis.

Vitis delictum honorat, qui eam tenuit militiam mutat, qui fregit, capite punitur, 310.

Vitium.

Vitium differt à negligentia, 1612.

Vitrum.

Vitro Sol amatur, 220.

Voluntas.

Voluntas inefficax circa rem interdi-ctam, eſt peccatum, 40.

Votum.

Votum quid? 213. Voti impliciti & expreſſi diſtinctio, 997. ſimplicis & ſolennis, 999. Voti θεολόγε & ἀπολόγε differentia, 1660. b.

Votum à pueris emiſſum an poſſit irritari, & à quibus, 460. Votum de ſeruanda tota Regula obligat ſecundum materiæ quantitatem, 96. An Benedictini voueant ſtabilitatem, *vide* Stabilitas, & conſule num. 512. An perpetua clauſura, quam noſtræ Moniales promittunt, ſit quarum ſolenne votum, 1060. b. An voto teneantur DD. Benedictinis more conuertere, 600. Votum caſtitatis, 973. votum paupertatis, 815. Votum obedientiæ, 690. Conſule hunc Indicem, verbo, *Stabilitas, Conuerſio, Obedientia, Caſtitas, Virginitas, Paupertas, Proprietas, Dominium.*

Votum contra Regulam in nulla Religione obligat. In Benedictina omnia & ſingula vota ſimplicia, quæ ſine Abbatis conſcientia emittuntur, ſunt contra Regulam. 1798.

Tertiarij voueant ſe ſeruaturos totam legem Dei. 2005. votum exponitur, 2010. Poſſet inſtitui ab Eccleſia Religio in qua promitteretur totius Decalogi obſeruantia in materia magna, an etiam in leui, *ibid.*

Votorum annua, imò & quotidiana renouatio, 1782. 1783.

Vrbanitas.

Vrbanitas virtus valde neceſſaria, 692. a.

Vrbanitatis obligatio, 1438.

Z

Zamzumæi, 133.

Zelus bonus & indiſcretus, 693.

Zuzimæi, 136.

NOTA.

Præter hunc legendi ſunt alij ſex Indices Capitum, Quæſtionum, Materiarum, Quorum Primus toti Operi præponitur, & eſt Regula Benedictina. Secundus Opuſculorum D. Benedicti, & intereſt num. 1780. *Tertius eſt Regulæ S. Auguſtini ante num.* 1890. *Quartus ad S. Franciſci Regulam ſpectat, & ponitur ante num.* 1981. *Quintus eſt Regulæ Tertiariæ, Fratrum Sororumq́ habitantium in Communitate, num.* 2000. *Sextus aliorum Tertiariorum, qui habitant extra Communitatem.* 2045. *Legendi, inquam ſunt ſex iſti Indices, multa enim quæ in hoc Indice Abecedario breuiùs poſita, aut ſolùm tacta, in illis vberiùs dicuntur.*

VOCES

VOCES HEBRÆÆ

Quarum ſignificatio radicitùs examinatur.

HEbræa Linguarum vniuerſarum Parens, artificioſiſſimo etymo imponit nomina rebus ſignificatis: naturâ aut arte duce habet voces rerum eſſentiam deſcribentes, idcirco debui nonnunquam Hebraica vocabula expendere, vtadſequerer proprietates & prærogatiuas rei ſignificatæ.

א

אב אבא ABBAS: Chriſti eſt prænomen, *pag.* 647. a, ſignificat PATREM, AMANTEM, MAGNATEM, EMINENTEM, MAGISTRVM, DVCEM, *num.* 1478. Antiſtes dicitur אב *voluntas*, quia ſubditi non debent velle, quod non velit Prælatus, *φιλόξενος Amator pauperum & peregrinorum*.

אבה Amare, concupiſcere, *pag.* 676. b. *&* *pag.* 798. a.

אבוי Pauper, paupertas, *n.* 1667.

אביזו Mendicus, *num.* 234.

ארני Adonai: *eſt nomen Dei*: *n.* 1129.

ארר Adar, nomen menſis, qui correſpondet Februario, *num.* 1193.

און Auris, *num.* 219.

אזנים Bilances, ſtateræ, *num.* 219.

איש Vir, *num.* 172.

אם Mater, cœtus, conuentus, familia, poſtis, *num.* 128.

אמה Cubitus, menſura, *num.* 128.

אמים Æmæi, erant religioſi antiquæ legis: *num.* 127. 128. 131. 133.

אמן Amen: *Ad verbium affirmantis.* Verè, profecto, *Hiſp.* Si, En verdad, *num.* 1170.

אנוש Enos, qui aliàs Enius: *num.* 118. 124. 161.

אנשי חשם Enoſæi nomine, *num.* 126. Eſeni, Enoſeni: *num.* 124. 126.

ארז Aretſia, Tellus. *num.* 182.

איש-אנוש Vir-Enoſis, Eſenus. *n.* 124. 161. 274.

אשה Fœmina, *num.* 172. *iſia* Veſta, *num.* 172. *&* 182.

את יהוה ipſum-Deum. Locus curioſè expoſitus *num.* 118.

ב

ב eſt nota Ablatiui, ſed aliquando Accuſatiui, *num.* 1107.

בוא Venire, *num.* 1063.

ברב Benedicere, *num.* 1073.

בובת Benedictiones, Eſt nomen libri, *num.* 1129.

בחולה (Vetula) Virgo apta connubio, *num.* 205.

נחולים Virginitates, *num.* 205.

ד

איז-דה Diana, *num.* 204.

ה

הביא Adducere, *num.* 1063.

הום Roborare, *num.* 1282.

הלולים Laudes, fructus commendabiles, *num.* 1258.

הלל Laudare, *num.* 1255. inſanire, *n.* 1258.

הללויה ALLELV-IA. Laudate Deum, *num.* 1255.

המעלוה Adſcenſiones, Gradus, *num.* 1281. d.

הנבה Dedicationis Templi Hyeroſolymitani ſolennitas, *num.* 1192.

ז

זוז Radix inuſitata, *num.* 136.

זוזים ZVZITÆ, *num.* 127. 136.

זמזומים ZAMZVMÆI, Viri contemplatiui in veteri lege, *n.* 127. *&* 133.

זמום verbum frequentatiuum à radice

זמם contemplari, ſpeculari, meditari, *num.* 133.

ח

חסר Eſſe miſericordem, *num.* 138.

חסיא ὅσιος, Sanctus, num. 161. 273.
חסידה Ciconia, eſt miſericordiæ ſymbolum, inde nomini occaſio, n. 138.
חסידים ASIDÆI, Miſericordes, clementes, num.127. 138.

י

יה Vnum ex decem Dei nominibus, verbum abbreuiatum, num. 1256.
יהוה Nomen tetragrammaton, vnde Gentiles duxerunt ſuum IOVEM, n. 115. Reuelatio facta Euæ parienti Cainum, donata particulari illuſtratione, num. 118.
יום כפרים Dies expiationum, Hebræis valde ſolennis, num. 1188.
יקף Gyrare, circumdare, num. 1261. c.

כ

כסלו KISLEV, nomen menſis noſtro Nouembri reſpondentis, num. 1192.
כפרים Expiationes, quæ ſolenniter fiebant apud Hebræos, num. 1188.
כרה Perfodere, num. 219.

ל

לבן Lauari, dealbari, candeſcere: inde לבן Libanus, num. 1168.
לך Vade: item Tibi. n. 1225.
לץ Deriſor, n. 150.

מ

מאזנים Bilances, n. 219.
מזוזה Poſtis, Columna, n. 136.
מן Ab: *eſt etiam nota prælationis*, Præ. *num.* 1128.

נ

נזר Secernere, n. 149.
נזרים NAZARAEI, n. 127. 146.
ניסן NISAN, Hebræorum menſis reſpondens primo veri, num. 1181.
נפילים Inclinati, Cadentes, NEPHILI, veteres religioſi, n. 127. 137.
נפל Cadere, num. 137.

ס

סיון SIVAN, menſis Hebræorum, qui correſpondebat noſtro Majo, n. 1186.
סכות Tabernacula. Solennitas tabernaculorum fuit valde celebris in lege veteri, n. 1190.

ע

עולה ἄλεια, Captura, n. 204.
על Circum, circa, juxta, n. 1106.
עלה Aſcenſus, num. 1281. d.
עצרת Cœtus, congregatio. Nomen Hebrææ feſtiuitatis, num. 1191.
ער ARA nomen ciuitatis, n. 132.

פ

פורים Sortes. Sortium dies celeber apud Hebræos, num. 1193.
פורעז Præfectus, Gubernator, n. 115.
פירוע (vnde Gallus *Perruque*) Coma, cæſaries, num. 155.
פלא Mirificare, num. 137.
פלא פלי Separari, num. 137.
פנים PAN, veterum Deus, num. 127.
פסח PASCHA, Tranſitus, num. 1184.
פרשות Sectiones libri: Capitula, n. 1147.
פרע Cæſaries, & libertas: vnde & coma libertatis ſymbolum, num. 155.

צ

צבא Militari, num. 311.
צדק Iuſtitia, num. 219.

ק

קינים CINÆI, veteris legis religioſi, num. 111. 127. 139.
קינן CAINAN, num. 139.
קנים Cannæ, calami, num. 112.
קנם Radix obſoleta, num. 112.
קנמן Cinnamomum, num. 112.
קרבן Gazophylacium, in quo res ſacræ condebantur, num. 1156.
קרבנא Chaldaica vox, idem ſignificat quod קרבן, num. 1156.
קרבן אל oblatio Dei, 149.

ר

ראש השנה ROS-ASANA, Caput anni, Hebræorum ſolennitas, num. 1187.
רוה Nutrire, alere, num. 1074.
רכבים RECABITAE, n. 127. 140. 171.
רפא Mederi, num. 134.
רפאים RAPHAIMI, erant religioſi in teſtamento veteri, num. 127. 134.
רה ῥαχή, diſciplina, n. 204.

ש

שבועות Feſtum hebdomadarum, num. 1186.
שכם Ante auroram ſurgere, manicare, *Hiſp.* Madrugar, *metaph.* Animari, n. 1222. *nominaliter* Cor, num. 1222.
שכם אחד vnanimiter, num. 1222.
שם Nomen, Numen, 126.

ת

תרוה θρησκεία, Religio, alimentum, num. 1064.

תשרי THISRI Hebræorum menſis Septembri noſtro correſpondens, n. 1181. 1187.

VOCES GRÆCÆ,

HEBRÆARVM PARALLELÆ,

Quarum vim, energiam, & etymon altiùs inueſtigaui.

A

Ἀγάπη, *Charitas, dilectio, beneuolentia*: vnde ἀγάπας ποιεῖσθαι *conuiuia pauperibus dare*, num. 323.

ἀγάπη ἀνυπόκριτος, *Charitas verax, non hypocritica*, num 323.

αἰμὸς, *AEmæorum ſylua*, 131.

αἴμων, *AEmæa Theologia peritus*, 131.

ἀκόλαστος, *Prodigus*, 150.

ἀκόλαστος γλῶσσα, *Lingua effranis, verborum prodiga*, 151.

ἀλκιβιάδης *Platonis liber*. 1261. c.

ἀλκνὶα, עולה, *Captura*. 104.

ἀλληλοῦ-Ια, *melius* ἀλλελοῦ-Ια *Allelu-Ia*, Iubilationis vox, *equiualet huic*, LAVDATE DEVM. 1255.

ἁμαρτία, *Peccatum*, 1238.

ἀμεμπτος, *Decorus, irreprehenſibilis: fortè quia corporis venuſtas animi & morum elegantiam arguit*. 131.

ἀμεμφὴς, *inculpatus*, 131.

ἀμεμφία, *factum irreprehenſibile*. 131.

ἀμὴνδικὸς, *Occurſu difficilis* Hanc vocem aliqui Hebræam putant, & eſſe eandem cum אמים, alij latinam exiſtimant, MENDICVMque à Græcis μὴνδικὸ dici putant, & NON-MENDICANTEM ἀμὴνδικὸν. Fortè ἀμὴνδικος *occurſu difficilis*, exponitur pauci ſint d uites: fortè idcirco Æmæi ἀμὴνδικοι dicti, quia non erant mendicantes, 131.

ἀμεμπτόβιος, *Agens Æmæam vitam*. 131.

ἀμύμων, *inculpatus*, 131.

ἀνὰ *ſuper*. 114.

ἀναβαθμοὶ apud Dionem Coc. *Gemoniæ* ſunt: ſic vocabantur ſcalæ illæ Romanæ, ex quibus ſontes præcipitabantur 1281 d.

ἀναβαθμὸς, *Aſcenſus ſeu deſcenſus*. 1281. d.

ἀναβασμὸς *Aſcenſus ſeu deſcenſus* 1281. d.

ἀναλόγιον *Pulpitum libri*, Hiſp. *El Faciſtol*. 114.

ἀναλογίζομαι, *Diſputo* 1144.

ἀναλόγιον *ſuggeſtum ex quo loquimur*. aliquando, *ſuggeſtum vbi ponitur liber qui legitur, ſed tunc debet ſcribi* ἀναλογεῖον. 1144.

ἀναχωρίτης *Anachorita*. 312.

ἀνακεχωρηκότα βιβλία, *Libri non euulgati*. 312.

ἀναχωρέω, *ſecedo*. 312.

ἀσωτία *Paul eſt intemperantia*. 150.

ἀσιὰς, *Cythara antiquæ formæ*. 139.

ἀσιάτις, *Cythara*, 139

ἀσίδαιος *Aſidæus, inermis*, 139.

ἀσύνδηλος, *Aſidæus, incognitus*, 139.

ἀσυνδίαστος, *Aſidæus, Cœlebs*. 1,9.

B

Βιβλία ἀνακεχωρηκότα, *Libri nondum impreſſis*. 312. Βίος, *vita*. 30 . 319.

Γ

Γλῶσσα ἀκόλαστος, *Lingua intemperans, effranis, prodiga*. 151.

Γνήσιον, *verum*. 323.

E

Ἐξόδιον, *Exitus, exodus*. 1191.

ἐπαγγελία, *fidelitas*, 247.

ἐρημίτης, *Eremita*. 313.

ἑστία, *Heſta, Veſta, ignis*. 172. 128.

εὐλο-

Εὐλογία *Vocabitur panis benedictus & non conſecratus in primitiua Eccleſia*.1156.
εὖχος, εος, το, *Promiſſio, votum*, 136.

Z

Ζωστάσια, *Domus ramoſa*, 136.
Ζώσιμος, *vitalis*, 136.
Ζῶσις, *veſtis præcincta*, 136.
Ζῶσμα. *Cingulum*. Omnia ſic dicta à זוזים Zuzæis, quibus erant in vſu.236.

Θ

Θεὸς pro ὅσιος. Locus Cyrilli reſtitutus. 125.
Θεραπεία, *Cultus, obſeruantia*. 134.
Θεράπευμα, *Medicina, cultus, religio*. 134.
Θεραπευσία, *Cultus, medicina*. 134.
Θεραπευτὴρ, *Cultor, religioſus*. 134.
Θεραπευτὴς, *Therapeuta, monachus*, 134.
Θρησκεια, *Religio*, Hebraicè תרוה. 1064. 1065.
Θρησκευω, *Colo, video, celebro*. 1064.

K

Κατασπαταλάζω, *Luxuriari*. 247.
Κατασπαταλάω, *Immodeſtè agere*. 247.
Κοινοβιτὸς, *Cœnobita, Monaſterialis, Monachus, meliùs* Κοινόβιος. 307.
Κοινὸς, *Communis*. 307.
Κούρητες,
Κυριος, *Dominus*. 1234.

Λ

Λέγω, *Lego*.1144.
Λόγος, *Verbum*. 1650.

M

Μὴν *Menſis*. 1182.
Μήνη, *Luna, defectus ſeu lunatio*. 1182.
Μοναδικὸς, *Monachus; ſolitarius*. 110.
Μοναζων, *ſeu* Μονόζωνος, *ſimpliciter cinctus, vna veſte contentus, religioſus*.110.
Μονὰς, *Vnitas. Eſt & nomen Dei*. 110.
Μοναστὴς, *vnde* Μοναστήριον. 110.
Μοναχὸς *qui* μοναχος, *ſolus*. 100. *dicitur aut à voce* μονὰς, 110. *aut à* הינים. 112.
Μονήρης, *ſolitarius*, 110.

N

Νεομηνία, *Nouilunium, Kalendæ*. 1182.
Νέος, *Nouus*. 1182.
Νεφέλη, *Rete, tam auium, quam piſcium*. 137. iterū, *nubes*. 137.
Νεφελήδον, *Nubis in modum*. 137.
Νεφέλιον, *Nubecula*, 137.
Νέφος, *Nubes*. 137.
Νεωφύλαξ, *Sacerdos, ædituus*. 137.

O

Οἶνος, *Vinum*. 151.
ὅσιος חסיא *Sanctus*. 161. 273.
ὁσιότης, *ſanctitas*, 273.
ὀφείλημα, *Debitum*. 1238.

Π

Πεπιστωμένως, *meliùs verò* πεπληροφορημένως, *pleniſſimè abundè*; Hebraicè אמן Amen, *verè, profectò*, 1170.
Περιφορὰ, *Circumlatio*, 1216.c.

P

Ῥαπικὸν, *vide* ῥωπικὸν. 134.
ῥαχὴ, רוח, *Diſciplina*, 204.
ῥαφαϊζειν, *Raphaimari, fieri Raphaimum*; 134.
ῥιπίζω *Accendo*. 134.
ῥυφὸν, *incuruum*. Æolicè, 134.
ῥῶπες, *ſylueſtres plantæ*. 134.
ῥωπικὸν, idem quod ῥαπικὸν, *res magni precij*. 134.

Σ

Σαραβαΐτης, *Sarabaita*. 319.
Σάρων, ὁ. *Libidinoſus*. 319.
Σεμνεῖα, *Monaſteria*. 307.
Στρηνιάω, *immodeſtè ago*. 247.
Στύλος, *Columna*. 118.

Φ

Φιλίππε, ἄνθρωπος εἶ. *Philippe, homo es*. 328.
Φιλόξενος, *Hoſpitalis, pauperum amator*. 1478. 1664. 1667.

NO-

NOMENCLATOR
REGVLÆ BENEDICTINÆ.

TErminorum notitia, vocum acceptio, dictionum ſuppoſitio, phraſium ſignificatio ſemper exponenda eſt, præſertim TEXTVS à communi declinat. Tulit Benedictinam REGVLAM noſter Licurgus alia rerum contemplatione præoccupatus, hinc vt conceptus ſæpè nouos exprimeret, ſæpè etiam vti debuit ſyntaxi noua. Hanc NOMENCLATOR explicat, vt in offenſo pede poſſis progredi, & adſequi LEGISLATORIS ſpiritum & mentem.

A

A*Bbatis* nomen Chriſto primariò conuenit; Regulæ cap.2. *Chriſti enim agere vices in monaſterio creditur quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo, Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus ABBA, Pater*. De Abbatis nomine tracto curioſè pag.678. 679.

Abbas ſubiectus eſt Regulæ. Cap.3. *Ipſe tamen Abbas cum timore Dei & obſeruatione S. Regula omnia faciat*. & Cap. 64. *Præcipuè vt præſentem Regulam in omnibus conſeruet*. & cap.3. *In omnibus igitur omnes magiſtram ſequantur Regulam: neque ab ea temerè deuietur à quoquam*, & infert meus Bernardus, *ergo nec ab ipſo Abbate*. ita lib. de præcept. & diſpenſ.

Abbas dicitur *Pater monaſterij*. Cap. 33. *Omnia verò neceſſaria* (debent) *à Patre monaſterij ſperare, nec quidquam liceat habere quod Abbas non dederit aut permiſerit*. De authoritate paterna Abbatis diſputo *pag.326.nu.753. & p.* 803. *à n.*1676. Abſente Abbate *monaſterij Pater eſt*, quicumque monaſterium gubernat. *n.*739. *&* 1577.

Abſtineri. Mira hæc vocum ſyntaxis, *Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abſtineatur comeſtio*. Cap.10. hoc eſt, *Omnes omninò abſtineant à quadrupedum carnibus*.

Ad nomen Sanctorum petitionem facere, eſt inſtrumentum ſolenne & publicum condere Sanctorum nominibus corroboratum. Cap.58. *De qua promiſſione ſua faciat petitionem ad nomen Sanctorum quorum reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis*.

Agnoſcere pro certo, Hiſp. *Tener por cierto*. Cap.2. *Agnoſcat pro certo, quia in die iudicij ipſarum omnium animarum redditurus eſt Domino rationem, ſine dubio addita & animæ ſuæ*. Et cap. 4. *In omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire*.

Allelu-Ia Hebraica vox eſt, adſumitur à D. Benedicto tum alibi tum cap. 15. exponitur à me. *nu.* 1257.

Ambroſianum Cap. 9. 12. 13. eſt Hymnus, cui id nomen inditum, quia præcipui ab Ambroſio ſunt conditi.

Ἀναλογεῖον el faciſtol, el atril, ſuggeſtum libri. Cap. 9. *Legantur viciſſim à fratribus in codice ſuper analogium tres lectiones.*

Ananiam & vxorem eius *Saphiram* pœna corporali fuiſſe punitos conſtat ex ſacra pagina, an & ſpirituali non vult Benedictus reſoluere. Cap. 57.

Anguſta ſunt in limine vitæ viæ, in prolog. *Non illico pauore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda.* Capite verò 5. etiam ipſamet via anguſta dicitur.

Annona ab anno dicitur, ſed à noſtro Legislatore pro Dieta ſeu diei congrua vſurpatur. Cap. 31. *Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo vel mora offerat.* & Cap. 35. *Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiat ſuper ſtatutam annonam ſingulos biberes & panem.*

Aſcendere in cor hominis. Hiſp. *Paſar por la imaginacion.* Cap. 4.

Aſpectus poſiti pro *Oculis.* Cap. 7. *Inclinato ſit ſemper capite, defixis in terram aſpectibus.* Idem quod paulo poſt *Publicanus ille euangelicus fixis in terram oculis dixit, Domine, &c.*

Aſſiſtere ad opus pro *aſſiſtere operi.*

B

B*reue*, liber in quo ſupellectibilia ſcribuntur. Hiſp. *Vn Inuentario.* Cap. 32. *Ex quibus Abbas Breue teneat.* hoc eſt, *quorum Inuentarium habeat Abbas.*

Bonitas tranſcendentalis à morali apud multos Hæreticos non diſtinguitur, qui aſſerunt ea quæ volumus, quia volumus, quia volumus, bona & ſancta eſſe. Hunc errorem adſcribit Sarabaitis Benedictus Cap. 1. *Quicquid vel elegerint, hoc dicunt ſanctum, & quod noluerint; putant non licere.*

C

C*aput Quadrageſimæ.* Cap. 48. ſumitur pro die Cinerum, qui aliàs *Caput ieiunij* dicitur.

Cauere cum accuſatiuo vſus eſt Cato de Re ruſtica. cap 5. *Scabiem pecori & iumentis caueto.* Benedictus videtur hac conſtructione delectari. Cap. 7. *Oſtendit nobis* (ſacra Scriptura) *omnem exaltationem genus eſſe ſuperbiæ; quòd ſe cauere Propheta indicat.* Et poſteà, *Cum item cauemus illud quod de negligentibus dictum eſt, Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in voluptatibus ſuis.* & iterum, *Cauendum ergo ideo malum deſiderium.* & Cap. 11. *Quod tamen omninò caueatur ne proueniat,* & Cap 62. *Ordinatus autem caueat elationem & ſuperbiam.*

Clauſura pro *Interdictione.* Cap. 6. *Scurrilitates verò vel verba otioſa & riſum mouentia æterna clauſura in omnibus locis damnamus.* Clauſtra imperij nouit Cicero, pro Flac. enim ait, *Omnes ſinus, promontoria, litora, inſulas, vrbes maritimas clauſtris imperij noſtri contineri.*

Cogitationes à conceptione debent ſacrificari Deo. In Prolog. *Qui malignum diabolum aliqua ſuadentem ſibi cum ipſa ſuaſione ſua à conſpectibus cordis ſui reſpuens deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum.* & Cap. 2. *Neque* (Abbas) *diſſimulet peccata delinquentium: ſed mox vt cœperint oriri radicitùs ea, vt præualet amputet.* & Cap. 4. *Cogitationes malas cordi ſuo aduenientes mox ad Chriſtum allidere.* [*Cogitatio* vox frequens & communis eſt; *Cogitata* ſubſtantiuè dixit Cicero 1. de leg. Agr. ſed *Cogitatus* non memini me legiſſe alibi, niſi ſæpè apud Eccleſiaſticum, & præſertim cap. 30. v. 11. *Et ne deſpicias cogitatus illius.*

Color. Quæſtio celebris eſt, quæ examinat quid coloris nomine intelligatur cùm dicitur, *De colore non cauſentur monachi*. Reſoluo pag. 767. a. & nomine coloris non nitorem, ſed ipſammet coloris ſpeciem intelligi debere exiſtimo. Hinc lux Capiti 55. *Vide nu.* 1620.

Commiſſum adſignatum. Hiſpanicè *Comiſion ſeñalada*. Cap. 42. *Si quis fortè in adſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus, occurrat*.

Conſignare eſt *tradere*, *deponere*. Cap. 32. *Eis* (Abbas) *ſingula, vt vtile iudicauerit, conſignet cuſtodienda*. Hinc *Reconſignare* idem quod *reſtituere*. Cap. 35. *Vaſa miniſterij ſui munda, & ſana Cellerario reconſignent*.

Contriſtari metaphoricè dicitur de Deo. In Prolog. *Inſtantiſſima oratione depoſcas, vt qui nos iam in filiorum dignatus eſt numero computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari*.

Cordis oculi. In Prolog. *A conſpectibus cordis ſui reſpuens*.

Cordis voluntas. Capit. 3. *Nullus in monaſterio ſequatur cordis voluntatem*.

Crapula crimen indignum ingenuo viro eſt; neſcio an omnibus alijs vitijs maior, nam Cap. 10. *Nihil contrarium eſt omni Chriſtiano quomodo crapula*. Verba valde notanda.

Cum ponitur loco *Pro*. Cap. 59. *Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem* (hoc eſt ſcripturam) *faciant, cum oblatione* (hoc eſt, pro oblatione) *offerant filium ſuum*. Et ſic debere textum exponi clarum eſt, quia quam oblationem poſſent Deo dare qui ſupponuntur non modò eſſe pauperes, ſed & nihil omninò habere.

D

De pro *Ex*. Cap. 10. *Pro ipſis tribus lectionibus vna de veteri teſtamento memoriter dicatur*.

De pro *Poſt*, vel *Vltra*. Cap. 8. *Amplius de media nocte pauſetur*, hoc eſt, *Rarum adhuc poſt mediam noctem*.

De loco *Pro*. Cap. 17. *Iam de Nocturnis vel Matutinis digeſſimus ordinem Pſalmodiæ*.

Degradere, ab ordine & gradu deponere. Apud DD. Benedictinos degradari dicitur, qui ex altiori gradu ad ignobiliorem detruditur. Capit. 63. *Quos, vt diximus, altiori conſilio Abbas prætulerit aut degradauerit, &c.*

Deificum Lumen. Verbum Diuinum Lumen eſt de Lumine, verè Deificum, quia ſeruis ſuis pignus Diuinitatis communicat. In Prolog. *Apertis oculis noſtris Deificum Lumen* (hoc eſt verbum Dei) *attonitis auribus audiamus*.

Deus eſt vbique eſſentia, potentia & præſentia. Vbique eſſentialiter, quia vniuerſa cognoſcit & eſſe Dei eſt intelligere, vbique potentialiter, quia omnia condidit. An & vbique præſentialiter? Affirmo cum meo Authore, qui Cap. 19. ait: *Vbique credimus Diuinam eſſe præſentiam*.

Decani ab Eccleſiaſticis vocantur, qui *Decuriones* dicerentur. de illis agit D. Pater Cap. 21. Decaniæ conſtare debent ſenibus & iuuenibus, liquet ex 22. capite. Indicitur vt dormiant deni aut viceni in eadem aula, & additur, *Adoleſcentiores Fratres iuxta ſe non habeant lectos, ſed permixti cum ſenioribus*.

Digeſtus à Benedicto dicitur, qui iam cibos digeſſit. Cap. 8. *Digeſti ſurgant*, hoc eſt, ſurgant hora qua poſſint cibos digeſſiſſe.

Dignus quis debeat dici; expoſui pag. 694. Creandus in Abbatem debet eſſe dignus, non dignior. Probo ibi-

dem ex Regula. ¶ Abbas non tenetur eligere digniorem in Præpoſitum, aut Decanum, ſed ſatisfacit cùm eligit dignum. Cap. 65. *Quod ſi* (Decanus) *nec ſic correxerit, tunc deÿciatur de ordine Præpoſituræ, & alius qui dignus eſt in loco eius ſubrogetur: & de Præpoſito eadem conſtituimus*. ¶ Sufficit etiam præficere dignum Oeconomum Cap. 31. indicitur vt eligatur in Cellerarium ſapiens, maturus, humilis, &c. non ſapientior, maturior, humilior. Et idem obſeruauit S. Pater cùm exponeret Oſtuarij monaſtici prærogatiuas Cap. 46. imò nec peccat Abbas, qui omiſſis dignioribus ad ordines promouet dignum. Cap. 62. *Siquis Abbas ſibi Presbyterum vel Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligat qui dignus ſit ſacerdotio fungi*.

Dirigi in via, eſt *iter agere*, ſed cur hac phraſi vtitur D. Pater Cap. 67. ſatisfacio p. 790. c.

Diſciplina pro *Iuſtitia* aut *diſtributiua æquitate*. Cap. 2. *Ergo æqualis ſit ab eo omnibus* (erga omnes) *charitas: vna præbeatur in omnibus ſecundum merita diſciplina*.

Diſtrictio eſt *rigor*. Cap. 37. *Nullatenus eis diſtrictio Regulæ teneatur*.

E

Excommunicatio monaſtica animam reſpicit non animam: hominem priuat conuerſatione & communicatione, ſed conſcientias non ligat. De ea agit D. Benedictus per multa capita, & ego *à pag.* 827.

Expletio, finis. Cap. 17. *Poſt expletionem vero trium Pſalmorum recitetur Lectio vna*.

Extollere, eſt *turbare*, *interpellare*. Capit. 48. *Qui vacat ocio aut fabulis, & non eſt intentus lectioni, & non ſolum ſibi inutilis eſt, ſed etiam alios extollit*.

Extra pro *Contra*. Cap. 2. *Ideoq; Abbas nihil extra præceptum Domini (quod abſit) debet aut docere aut conſtituere*.

F

Foras vel *Foris* pro *Extra*. Cap. 43. *Si foras Oratorium remaneant, erit fortè aliquis, qui ſe aut recolloces & dormiat, aut certè ſedeat foris*. [*Foris* pro *Extra*: vide *Intus*.

Fortior pro *Maior*. [*Ætas fortior* dicitur ab anno ætatis quintodecimo: Cap. 70. [*Pſalmi fortiores* dicuntur Cap. 18. qui prolixiores.

G

Gloria à D. Benedicto vocantur Pſalmorum diuiſiones, quòd Gloria claudantur. Capit. 13. *Canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias*, id eſt, *in duas ſectiones*. & Capit. 17. *Prima hora dicantur tres ſingulatim, & non ſub vna Gloria*.

Gratia, ſi ſtemus communi ſententiæ, à Deo vno producitur & infunditur, non ab Angelis, non ab Hominibus: ſed contrarium ſenſiſſe nonnullis videtur noſter Author, cùm dixit in Prologo: *Rogemus Dominum vt gratia ſua iubeat nobis adiutorium miniſtrari*, auxilia ergo gratuita ex eius opinione nobis infunduntur ab Angelis iubente Domino. Falluntur tamen, quia bonæ inſpirationes & admonitiones, gratiæ adiutoria ſunt: & hæc nobis miniſtrant Angeli, imo & Homines, quoties mores noſtros inſpiratione, correctione & inſtructione promouent. Hoc ſenſu D. Bernardus ſerm. de triplici genere bonor. mihi column. 382. *A ſanctis Angelis*, ait, *auxilium quærendum eſt*, & explicans quale petendum ſit ſubiungit, *vt illi ſupereminenti Maieſtati preces noſtras offerant, & referant gratiam*.

Hemi-

H

HEmina menſura liquidorum. Vide comment. Cap. 40. pag. 764.

Horas temperari, diſponi. Cap. 41. *Hora ſic temperetur, vt cum luce fiant omnia.*

Hiems monaſticè eſt ſpatium temporis, quod intereſt primæ diei Nouembris & Paſchati. Cap. 8. *Hyemis tempore, id eſt, à Kalendis Nouembris vſque ad Paſcha*. Sed aliter computant Aſtrologi.

I

IMponere Pſalmum, aut Antiphonam, Hiſpanè *Leuantar*, eſt cantum incipere. Cap. 24. *In Oratorio Pſalmum, aut Antiphonam non imponat.*

Impoſſibile dicitur id quod eſt valde difficile, vel ſecundum ſe, vel ſaltem reſpectu illius, qui debet obedire. Vide comment. ad Cap. 4. pag. 429. & ad 68. pag. 310.

In ponitur pro *Ad* Cap. 3. *Si qua minora agenda ſunt in monaſterij vtilitatibus*, hoc eſt, *ad monaſterij vtilitatem.*

Indeclinabilia ſæpe declinantur à D. Benedicto. *Gloria* nomen vltimi verſus in quocumque Pſalmo, per caſus & numeros inflectitur: ſed & infinitiuũ declinauit Cap. 35. *Accipiant*, ait, *ſingulos biberes, & panem.*

Indigeries idem quod *indigeſtio*. Cap. 10. *Nunquam ſubrepat monacho indigeries.*

Indigere ſæpe dicimus, nõ indigeri. Cap. 55. *In frigidis regionibus amplius indigetur.*

In-directum, vno tono, ſine melodia, Hiſp. *En-tono*. Cap. 12.

Iniuria non ſignificat quantum ſonat. Cap. 58. *Si veniens perſeuerauerit pulſans, & illatas ſibi iniurias* (hoc eſt incommoditates, vel forte inciuilitates) *& difficultatem ingreſſus poſt quatuor, aut quinque dies viſus fuerit patienter portare, &c.*

Intenſio non fit actibus æquè perfectis, hi enim habitus perficiunt extenſiuè. Cap. 7. *Actibus noſtris adſcendentibus ſcala illa erigenda eſt*, non enim erigeretur per æquè ſublimes & perfectos actus.

Intus pro *intra*. Cap. 3. *Neque præſumat quiſpiam cum Abbate pro ſuo proteruè intus vel foris monaſterium contendere*, hoc eſt, *intra vel extra*.

In vnum, idem quod *ſimul, vnà*. Cap. 42. *Mox vt ſurrexerint à menſa, ſedeant omnes in-unum*. Et inferius. *Omnes ergo in-unum poſiti compleant.*

Iuramentum emiſſum ſine cauſa aſſeritur eſſe malum ratione periculi. Cap. 4. *Non iurare ne fortè periuret.*

Iuſſio, vide *Praeceptum*.

L

LAudes dicuntur Pſalmi 148. 149. 150. Aliqui Laudum nomine etiam Canticum trium Puerorum intelligunt, quod licèt non contradicat. Cap. 12. vbi hæc vox reperitur, contradicit tamen Cap. 13. vbi agitur de ferialibus diebus, in quibus illud Canticum nõn legitur, & nihilominus Laudes dici iubentur.

Legere ſibi, Hiſp. *Leer paraſi*. Cap. 48. *Si-bi ſic legat vt alium non inquietet.*

Libra propenſa, genus ponderis, de quo num. 1616. in Com. ad cap. 39.

Lutheranus qui legeret hæc verba Prologi, *Succinctis ergo fide vel obſeruantia bonorum actuum lumbis noſtris, & calceatis pedibus per ducatum Euangelij pergamus*; inferret aut bona opera nõ eſſe neceſſaria, aut ſaltem illi qui habet fidem. Sed notandum eſt hic, ſicut & in alijs locis, particulam *vel* ſumi copulatiuè, non enim Benedictus poſtulat fidẽ aut bona opera, ſed vtrũque, quia fides ſine operibus mortua eſt; conſtat ex contextu totius Prologi, &c.

gi, & præcipuè ex immediatè ſubſequentibus.

M

M*Agiſter* primus Benedictinorum Chriſtus. In Prolog. *Ab ipſius nunquam magiſterio diſcedentes, in eius doctrina vſque ad mortem in monaſterio perſeuerantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemus, vt & regni eius mereamur eſſe conſortes.* Magiſter alter Regula Cap.3. *In omnibus igitur omnes Magiſtram ſequantur Regulam.* Tertius Abbas. vnde in Prolog. *Auſculta, ô Fili, præcepta Magiſtri*, hoc eſt, *tui Abbatis Ordinarij*.

Magis pro *Potius*. Cap. 4. *Maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere.*

Maior Congregatio, eius meminit D. Benedictus. Cap. 21. *Si maior fuerit congregatio, eligantur de ipſis &c.* & cap. 31. *Si congregatio maior fuerit, ſolatia ei dentur.* & cap. 35. *Si maior congregatio fuerit, Cellerarius excuſetur.* Eam explico *num.* 1600. a.

Maior dicitur Abbas. Cap. 5. *Mox vt aliquid imperatum à Maiore* (id eſt, ab Antiſtite) *fuerit, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciunt in faciendo.* & cap. 2. dictum fuerat, *Abbas, qui præeſſe dignus eſt monaſterio ſemper meminiſſe debet quod dicitur, & nomen Maioris factis implere.* & tandè cap. 7. *Vt quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat Maiori*, hoc eſt, *Abbati*, cui monachus omni obedientia tenetur, nempe pœnali, morali, filiali, & ſolemni.

Maiores vocat ſeniores, paulò inferiùs, agens de octauo Humilitatis gradu. *Nihil agat monachus*, ait, *niſi quod communis monaſterij Regula vel Maiorum* (hoc eſt ſeniorum, ſaniorum, ſanctiorum) *cohortantur exempla*.

Mandatum, Hiſp. *Recado, ò beſamanos*. Cap. 26. *Si quis Frater præſumpſerit ſine iuſſione Abbatis Fratri excommunicato quolibet modo ſe iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, &c.*

Matutini vocantur à D. Benedicto, quæ iam *Laudes*, & qui nunc vocãtur *Matutini*, apud eum *Nocturni*, necnon *Vigiliæ* nominantur. Cap. 8. 11. 12. 35.

Meliorari idem quod *Conualeſcere*. Cap. 36. *Vbi meliorati fuerint, à carnibus more ſolito omnes abſtineant.*

Militandi verbo libenter vtitur noſter Author cùm de monachis agit, & optimè, quia *militia eſt vita hominis ſuper terram*, militat enim omnis amãs. Totus Regulę Prologus fundatur hac metaphora, ſub eadem cap. 1. Cœnobitas fortiſſimum genus appellat. & cap. 2. *Omnes in Chriſto vnum ſumus*, ait, *& ſub vno Domino æqualem ſeruitutis militiam baiulamus*, & tandem cap. 61 *In omni loco vni Domino ſeruitur, & vni Regi militatur.* Vide *numero* 309.

Minus pro *Paucioribus*. Cap. 10. *Nunquam minus à duodecim Pſalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur*, & cap. 18. *& quia minus veniunt tres Pſalmi*. Hiſp. *Y porque echamos menos, y nos vienen à faltar tres Salmos*. & cap. 56. *Quoties tamen ſunt minus hoſpites*. Vide *num.* 1655.

Miſſa. Torquet hæc vox Expoſitores. Qui putant non niſi ſacrum Euchariſticum ſignificare, non legerunt Regulæ, cap. 17. præcipiens Miſſas fieri poſt Veſperas, & poſt Completoriũ. Miſſæ igitur Orationes ſunt illæ, ſeu Collectæ (fortè Commemorationes) quibus Horæ clauduntur. Videtur nihilominus *Miſſa* ſignificare ſacrum cap. 35. vbi lego culinæ Hebdomadarios ieiunios debere remanere vſque ad Miſſas; clarius cap. 38. vbi Hebdomadarius Lector poſt Miſſas & Communionem petit ab omnibus pro ſe orari.

N

NObilis ponitur pro *Diuite* cap. 59. Conſtat ex epigrapha, opponit nobiles pauperibus, dum ait, *De filijs nobilium, vel pauperum*.

Neceſſitas duplex, naturalis & virtualis. Illa dicuntur neceſſaria naturaliter, quæ arbitrio carent: illa verò virtualiter neceſſaria dicuntur, quæ libera quidem ſunt, ſed liberè volunt ſic eſſe, ac ſi eſſent neceſſaria. Talia ſunt āgētia intellectualia, quibus eſt virtualis neceſſitas, ſeu libertas ordinata ad aliquem finem neceſſario virtualiter, aut ſanè infallibiliter vt alij loquuntur. Hinc intelligēdus noſter Author c. 7. *Voluntas habet pœnam, & neceſſitas parit coronam.* Hinc etiam intelligendus Mellifluus Doctor varijs locis.

Negligentiam & vitium diſtinguit D. Benedictus, diſtinguo, & ego *num.* 1612. c. ad cap. 43. *Negligentiam* etiam diſtinguit à *Contemptu* cap. 2. Vide quæ de contemptu dico *num.* 97.

Nihil-aliquid pro *Nulla-re*. Cap. 5. *Hac conuenit his, qui nihil ſibi Chriſto charius aliquid exiſtimant.*

Non pro *Ne?* frequentiſſimè.

Nonus, quis? Subdecanus. Cap. 63. *Iuniores autem Priores ſuos Nonos vocent.*

Numerus pro numero (puta ſingularis pro plurali, aut è contra) occurrit aliquando in Regula. Cap. 3. grad. 1. *Ne Deus dicat nobis in futuro, Hac feciſti & tacui*: & cap. 31. *Vt dum Fratres viciſſim ſuccedūt, ſciat quid dat, aut quid recipit.* [*Feciſti, ſciat, dat, recipit*, in ſingulari ſunt, & nihilominus de multis prædicantur. ¶ Pluralem pro ſingulari reperio cap. 3. *Si qua verò minora, ait, agenda ſunt in monaſterij vtilitatibus*, hoc eſt, *ad monaſterij vtilitatem*. quò reſpiciens Bernardus ſerm. 6. de Aduent. poſt medium. *Primò, ſiquidem ait, omnia ſua, deinde etiam ſemet ipſum expoſuit vtilitatibus meis*.

Nunciare horam, non eſt pulſare, ſed deſignare horas, in quibus conuocandi ſint Fratres ad Chorum. Sic exponocap. 47. *Nunciare hoſpitem* idem eſt, ac annunciare alicuius hoſpitis Aduentum. Cap. 53.

O

OBediens fuit Chriſtus Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Dubitant Scholaſtici, An huiuſmodi verba inferant præceptum verum & rigoroſum. Reſoluit negatiuè noſter Petrus de Lorca, ſed Patres omnes affirmatiuè, inter quos Benedictus cap. 7. *Tertius humilitatis gradus eſt, vt quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat Maiori* (ſeu Antiſtiti) *imitans Dominum; de quo dicit Apoſtolus; Factus eſt obediens vſque ad mortem.* Chriſtus igitur omni obedientia, cuius fuit capax, ſe Patri ſubdit: habuit igitur verum & rigoroſum præceptum moriendi, Benedicti verba fortia ſunt, & omnem poſſibilem obedientiam probāt, ideo ex hypotheſi, quod actuum indiuiduatio à Chriſti libertate pendeat, non ſolùm paſſionis circumſtantiæ, ſed & actuum omnium ſingularitas fuit diuinitus ipſi præcepta.

Obedientia exterior ſemper eſt neceſſaria, & ſtante præcepto obligatorio ſine culpa deficere non poteſt. Sola autem ad meritum ſufficit, ni inficiatur malignis & demeritorijs circumſtantijs. Cap. 5. *Cum malo animo ſi obedit diſcipulus, & non ſolum ore, verùm etiam in corde ſi murmurauerit, etſi impleat iuſſionem, & tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor reſpicit murmurantis. Et pro tali facto nullam conſequitur gratiam, ſed pœnam murmurantium incurrit, ſi non cum ſatisfactione emendauerit.*

Obedientia, quæ Maioribus (id eſt Prælatis) *præbetur, Deo exhibitur; ipſe enim dicit,*

dicit, Qui vos audit me audit. Sunt verba expreſſa cap. 5. Hinc patet omnes leges morales humanas, quæ obligãt in conſcientia, ſumere vires à Diuina; ſublato enim Decalogo nec filij tenerentur obedire parentibus, nec ſubditi Antiſtiti ſolemnibus votis diſpenſatione ſublatis. Conſonat ſibi Pater ſanctus, quia ſub capitis initium dixerat: *Mox vt aliquid imperatum à Maiore fuerit, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciunt*.

Octaua hora, quæ? Sexta incidit in meridiem & in mediam noctem, erat ergo ſecunda poſt noctis medium. Cap. 8.

Odire pro *Odiſſe*. Cap. 4. *Deſideria carnis non perficere, voluntatem propriam odire*. & paulò poſt, *Caſtitatem amare, nullum odire*.

Ordinare eſt ſuo quæque ordine diſponere, quia *Ordo* & *Ordinatio* recta rerum diſpoſitio eſt. Hoc ſenſu Caput 63. inſcribitur. *De ordine Congregationis*. ¶ *Ordenar*. Hiſpanicè eſt iubere, & *Orden* iuſſio. Hoc ſenſu locutus eſt noſter Author Cap. 65. *Nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens*, hoc eſt, *nihil contra iuſſionem, aut diſpoſitionem*. ¶ *Ordinare* etiã eſt promouere ad dignitatem. Suetonius in Veſpaſiano. *Ipſum candidatum ad ſe vocauit, exactaque pecunia, quantũ is cum ſuffragatore ſuo pepigerat, ſine mora ordinauit*. Hinc *Ordinatio* Prouinciæ Adminiſtratio eſt. Idem in Nerone c. 40. *Spoponderunt tamen quidam deſtituto ei Ordinationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hieroſolymorum*. *Ordinatio* autem apud noſtrum Authorem *Adminiſtratio* etiã eſt, & *Creatio*. Adminiſtratio quidem, cap. 65. *Ideoq; nos prauidemus propter pacis charitatisq; cuſtodiam in Abbatis pendere arbitrio Ordinationem* (ideſt Adminiſtrationem & regimen) *monaſterij ſui*. Creatio autem cap. 64. cui titulus, *De Ordinando Abbate*, hoc eſt, *de eligendo, creando, promouendo, declarando*. Et mox incipit textus his verbis: *In Abbatis Ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, vt hic conſtituatur, &c.* hoc eſt, *In Abbatis creatione, electione, denominatione*. ¶ Eccleſiaſticè *Ordinare* eſt ad ordines ſacros promouere, & in hoc ſenſu vſus eſt eodem verbo c. 62. *Si quis Abbas ſibi Presbyterũ vel Diaconum ordinari petierit*.

P

Par conſilium, idem quod *concors, vnanime*. Cap. 64. *Quod ſi etiam omnis congregatio vitijs ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam pari conſilio elegerit*.

Paſcha, Hebræa vox eſt, plerumque indeclinabilis. Cap. 8. *A Kalendis Nouembris vſque ad Paſcha*. & Cap. 10. *A Paſcha vſque ad Kalendas Nouembris*. Clariùs cap. 15. *A ſancto Paſcha vſque ad Pentecoſten ſine intermiſſione dicatur Allelu-Ia*, & cap. 41. *A ſancto Paſcha vſque ad Pentecoſten ad ſextam reficiant*. Si velis declinare *Paſcha, æ*. lege in cap. 10. *A Paſcha vſque ad Kalendas*; vt declines *Paſcha, atis*, verba capitis octaui fauent; vt dicas *Paſcha* per omnes caſus, omnia teſtimonia conſpirant.

Pater Monaſterij, Vide *Abbas*.

Pelagius diuerſos habuit diſcipulos, alij ſeueriùs negabant gratiam, alij eam humanæ libertati ſubmittebãt, hominem inchoare dicebant, ſed Deũ perficere. In Prologo Regulæ D. Benedictus ſugillat hunc errorẽ, dicens, *Quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici inſtantiſſima oratione depoſcas*. ne autem putes te ſaltem à te habuiſſe, quod inceperis, immediatè ſubiungit, *vt qui nos in filiorũ dignus eſt numero computare*. Ecce boni meritorij inchoationi gratiam adoptantẽ & iuſtificantẽ præmittit, cuius virtute adiuta anima inchoat cõtritionis actum, quo ſe diſponit vt ab ipſamet gratia formaliter

ter & à Deo efficienter perficiatur. Et paulò poſt admittit gratiā excitātem, dū ait; *Exſurgamus ergo tādem aliquādo excitante nos Scriptura, ac dicente, Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere*. Et clariùs; *Antequam me inuocetis, dicam: Ecce adſum*. Ecce Deum inuocamus, quia ipſe præſens per gratiam nobis fuit antequā inuocaretur, ipſe etenim præmouit nos ad inuocandū, & inuocantibus adquieuit. Ideo ſubiūgit noſter Author, *Timētes Dominum de bona obſeruantia ſua non ſe reddūt elatos, ſed ipſa in ſe bona, non à ſe poſſe, ſed à Domino fieri exiſtimantes, operantem in ſe Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriā*. Ex quibus verbis hæ naſcūtur Concluſiones. *Prima*, Datur moralis & meritoria bonitas non ſolùm orta ab homine, ſed remanens in homine. *Secunda*, Has actiones bonas & meritorias à ſeipſo homo non ſolùm nō facit, ſed nec poteſt facere. *Tertia*, Dei eſt auxiliū quo fiunt huiuſcemodi actiones. *Vltima*, Homo à ſeipſo nec habet perficere, nec facere, nec inchoare, nec poſſe, ſed hæc omnia recipit à gratia Dei. Hanc vltimam Concluſionē roborant immediata noſtri Authoris verba: *Sicut nec Paulus*, ait, *de prædicatione ſua ſibi aliquid imputauit, dicens: Gratia DEI ſum id quod ſum: & iterum ipſe dicit; Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Igitur qui nihil ſibi imputauit, ne ipſum quidem poſſe imputauit ſibi, aliàs enim aliquid ſibi imputaſſet. Fauent inſuper verba, quę paulò poſt ſequuntur: *Ergo præparanda ſunt corda, & corpora noſtra ſanctæ præceptorum obedientiæ militatura, & quod minus habet in nobis natura poſſibile, rogemus Dominum vt gratiæ ſuæ iubeat nobis adiutorium miniſtrari*. Ecce meritoria illa obedientia, de qua ſermo, nec in nobis, nec à nobis habet, quod ſit proximè poſſibilis, ſed à gratia DEI. Idcirco capite 4. ſtatuitur Concluſionum Concluſio. *Bonum aliquod in ſe cùm viderit, Deo adplicet, non ſibi*.

Pendere ex vel *ab aliquo*, latinè dicitur, præcipuè cùm ſonat *Dependere*. Noſter Author legit, *Pendere in*. Cap. 3. *In Abbatis pendeat arbitrio*. & Cap. 24. *Culparum modus in Abbatis pendeat iudicio*. & Cap. 65. *Prouidemus expedire propter pacis charitatiſque concordiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem monaſterij*.

Per varias conſtructiones habet in Regula Benedictina; poni loco *Pro* notaui in cap. 11. *Infirmorum contuentes imbecillitatem credimus heminam vini per ſingulos ſufficere per diem*. ¶ *Per ſe*. Hiſp. *De por ſi*, idem eſt, quod *ſeorſim*. Cap. 53. *Coquina Abbatis & Hoſpitium per ſe ſit*, hoc eſt, *ſit ſeparata, & peculiaris*.

Petitio, inſtrumentum publicum, autographum. Cap. 58. *De qua promiſſione faciat Petitionem*, hoc eſt, *ſcripturam*, & ſub finem, *Illam tamen Petitionem* (ſeu autographum) *quam de ſuper altare Abbas tulit, non recipiat*. & Cap. 59. *Parentes faciant Petitionem, quam ſuprà diximus, & cum oblatione ipſam petitionem & manum pueri inuoluant in palla Altaris, & ſic eum offerant*. & in fine, *Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter Petitionem faciant, cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus*.

Præceptum ſtrictè ſumptum ſonat moralem, aut pœnalem ſanctionem. Capit. 4. *Memor illius Dominici præcepti. Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite*. & Cap. 7. *Semper ſit memor omnium, quæ præcipit Deus*. & Cap. 23. *Hic ſecundum Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel & ſecundò*. In Prologo videtur agi de rigoroſis legibus cum dicitur; *Auſculta, ô Fili, præcepta Magiſtri, hoc eſt Abbatis Ordinarij*. & paulò poſt, *Cùm ergo interroga-*

niſſimus Dominum, Fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum.

Præceptum pro *Conſilio* ponunt nonnulli authores, & varijs in locis Benedictus, Cap. 7. *Præceptum Domini in aduerſis, & in iniurijs per patientiam adimplentes, percuſſi in maxillam, præbent & aliam, auferenti tunicam, dimittunt, & pallium, angariati milliario, vadunt & duo.* & cap. 23. *Si quis præceptis ſeniorum ſuorum contemptor repertus fuerit*: ſeniores enim non præcipiunt moraliter, & rigoroſè, ſed conſulunt & ſuadent obſeruanda iunioribus.

Præceptum ponitur non raro pro licentia, ſicut & *præcipere* pro *permittere, indulgere, adquieſcere, facultatem concedere*. Cap. 51. *Non præſumant foris manducare, etiam ſi à quouis rogentur, niſi fortè eis ab Abbate ſuo præcipiatur.* Cap. 53. *Hoſpitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus ſocietur, neque colloquatur.* & Cap. 54. *Nullatenus liceat monacho —— munuſcula recipere, aut dare ſine præcepto Abbatis ſui.* & Cap. 62. *Ordinatus autem caueat elationem, aut ſuperbiam non quidquam præſumat, niſi quod ei ab Abbate præcipitur.*

Præceptum & *Iuſſio* ſunt ſynonymæ voces, ideo hæc vltima & verbum *Iubere*, à quo deducitur, ſignificant minus quàm ſonant. Capitis 26. titulus, *De ijs, qui ſine iuſſione Abbatis iunguntur excommunicatis*, textus, *Si quis Frater præſumpſerit ſine iuſſione Abbatis Fratri excommunicato quolibet modo ſe iungere —— ſimilem ſortiatur excommunicationis vindictam.* Cap. 31. *Curam gerat de omnibus, ſine iuſſione Abbatis nihil faciat.* & Cap. 33. *Ne quis præſumat aliquid dare, aut recipere ſine iuſſione Abbatis.* & Cap. 67. *Quod ſi quis præſumpſerit, vindictæ regulari ſubiaceat. Similiter & qui præſumpſerit clauſtra monaſterij egredi, vel quocunque ire, vel quidpiam quamuis paruum ſine Abbatis iuſſione facere.* In quibus omnibus locis *Iuſſio* ſignificat *licentiam*, quia ex licẽtia Antiſtitis Cellerarius poteſt œconomicam rem gubernare, & quicumque Confrater loqui ligato excommunicatione regulari, egredi ex monaſterio, aut ſimilia facere. ¶ Capite 31. in corpore, *Iuſſio* legitur pro *Diſpoſitione*. Cellerarius *omnia menſuratè faciat, & ſecundum iuſſionem Abbatis.* ¶ *Iubere* ſæpe ſignificat *dicere*, aut ſaltem *indicere*, aut *permittere*. Cap. 42 *Si inuentus fuerit quiſquam præuaricari hanc taciturnitatis Regulam, grauiori vindictæ ſubiaceat, excepto ſi neceſſitas hoſpitum ſuperuenerit aut forte Abbas alicui aliquid iuſſerit*, hoc eſt *dixerit*. & Ca 44. *Qui dum iuſſus ab Abbate venerit*, id eſt *vocatus ab Abbate*. Cap. 47. *Pſalmos autem vel Antiphonas poſt Abbatem ordine ſuo, quibus iuſſum* (id eſt dictum) *fuerit imponant. Cantare autem, aut legere non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere, aut ædificentur audientes; quod cum humilitate & grauitate & tremore faciat* (nempe ille) *cui iuſſerit* (hoc eſt, dixerit) *Abbas*. & Cap. 53. *Suſcepti autem hoſpites ducantur ad orationem, & poſtea ſedeat cum eis Prior, aut cui iuſſerit* (id eſt dixerit) *ipſe*, & Cap. 54. *Non præſumat ſuſcipere illud, niſi prius indicatum fuerit Abbati, quod ſi iuſſerit* (hoc eſt permiſerit.) *ſuſcipi, in Abbatis ſit poteſtate.* & Cap. 57. *Artifices, ſi ſunt in monaſterio, cum omni humilitate & reuerentia faciant ipſas artes: ſi tamen iuſſerit* (id eſt permiſerit) *Abbas. Quod ſi aliquis extollitur pro ſcientia artis ſuæ —— euellatur ab ipſa arte, & denuò per eam non tranſeat, niſi forte humiliato ei iterũ Abbas iubeat* (hoc eſt permittat) & Cap. 60. *Concedatur ei tamen poſt Abbatem ſtare & benedicere, aut Miſſas canere, ſi tamen iuſſerit* (ſiue quod idem eſt, permiſerit) *ei Abbas, ſin aliàs, nullatenus aliqua præſumat.*

Portare

Portare in ſenſu morali eſt *tolerare* & *ſufferre*. Cap. 36. *Qui tamen patienter portandi ſunt*. & Cap. 58. *Si veniens perſeuerauerit pulſans, et illatas ſibi iniurias, & difficultatem ingreſſus poſt quatuor, aut quinque dies viſus fuerit patienter portare, &c.* Hoc ſenſu locutus eſt optimus Benedicti diſcipulus Bernardus ſer. 2. in vigil. Natal. Domini. *Non ſolum ſine querela*, ait, *ſed & cum gratia inter fratres maneas portans omnes, orans pro omnibus*.

Præſens alicui rei dicitur, quam conſtructionē obſeruauit noſter Author. Cap. 7. *Nobis Deum credamus ſemper eſſe præſentem*. & inferiùs. *ſe tremendo iudicio Dei præſentari exiſtimet*. Sed paulò antea præpoſitionem *In* admiſerat expreſsè dicens; *Demonſtrat nobis hoc Propheta, cùm in cogitationibus noſtris, ita Deum ſemper præſentem oſtendit.*

Præuidere ſumitur pro *diſponere, prouidere, iudicare*. Cap. 25. *Cibi autem refectionem ſolius percipiat; menſura vel hora qua præuiderit* (hoc eſt cenſuerit) *Abbas ei competere*. & Cap. 65. *Nos præuidemus* (id eſt iudicamus) *expedire propter pacis charitatiſque cuſtodiam.*

Prior ſumitur comparatiuè & abſolutè. abſolutè loquendo, Prior à meo Authore ille dicitur, qui pręſidet in aliquo actu monaſtico, ſiue is ſit Abbas. ſiue Præpoſitus, ſiue alius. Cap. 6. *Si quæ requirenda ſunt à Priore* (nempe ab eo qui monaſterio præeſt) *cum omni humilitate & ſubiectione reuerentia requirantur*. Cap. 7. *Vt oſtendat ſub Priore* (hoc eſt Superiore) *debere nos eſſe, ſubſequitur dicens; Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*. Cap. 13. *Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore* (nempe ab eo qui Choro præſidet) *propter ſcandalorum ſpinas*. & Cap. 20. *In Conuentu tamē omnino breuietur oratio, & facto ſigno à Priore* (hoc eſt, ab illo, qui Conuentui præſidet) *omnes pariter ſurgant*. & Cap. 38. *Nec præſumat ibi aliquis de ipſa lectione, aut aliunde quidquam requirere, ne detur occaſio maligno, niſi fortè Prior voluerit pro ædificatione aliquid breuiter dicere*. & Cap. 43. *Si cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit, &c.* his duobus locis Priorē eum nominat, qui præſederit in Refectorio. & Cap. 40. *Si aut loci neceſſitas, vel labor, aut ardor æſtatis amplius prouoſuerit, in arbitrio Prioris* (nempe illius, qui domum gubernat) *conſiſtat*. & Cap. 53. *Suſcepti autem hoſpites ducantur ad orationem, & poſtea ſedeat cum eis Prior* (nempe qui monaſterio præeſt) *aut cui iuſſerit ipſe*. & mox; *Ieiunium à Priore frangatur propter hoſpitem; niſi fortè præcipuus dies ieiunij, qui non poſſit violari*. & Cap. 68. *Quod ſi poſt ſuggeſtionem* (& excuſationem) *ſuam in ſua ſententia Prioris imperium perdurauerit, — confidens de adiutorio Dei obediat*. Conſulto *Prioris* nomine vſus fuit in hoc capite potiùs quam *Abbatis* S. Pater, vt doceremur obediendum eſſe etiam impoſſibilia (hoc eſt valde difficilia) iubenti, non modò Antiſtiti, ſed & Priori, hoc eſt illi, qui in monaſterio agit Patrem-familias, ſiue Abbas fuerit, ſiue non. Cæterum ſoli Abbati tenemur ex vi voti, quia ipſo abſente obedimus Priori ex vi quartę legis Decalogi, quod expendo, num. 1612. a.

Prior comparatiuè ſumptus reſpicit poſteriores, & in hoc ſenſu Prior poterit dici, qui ſenior. Cap. 63. *Iuniores igitur Priores* (hoc eſt, ſeniores) *ſuos honorent: Priores, iuniores ſuos diligant*. & mox; *Priores, iunioribus ſuos fratres nominent; iuniores autem, Priores ſuos Nonos* (hoc eſt Subdecanos) & ſub finem; *Vbicumque autem ſibi obuiant Fratres, iunior à Patre benedictionem petat*. & Cap. 71. *Iuniores Prioribus ſuis omni charitate, & ſolicitudine obediant*. & poſt. *Si quis autem Frater, pro quantis minima culpa*

ab Abbate, vel à quocumque Priore (hoc eſt ſeniore) *ſuo corripiatur quolibet modo, vel ſi leuiter ſenſerit animum Prioris cuiuſcumque cõtra ſe iratũ, &c.*

Prior hodie nõ ſignificat quemcumque communitatis Benedictinæ Præſidẽ, ſed ipſummet Præpoſitum, & hoc cõmuniori acceptione; ſunt enim aliqui, qui poſt Præpoſitum voluerunt habere Priorem & Superiorem, ſed non expedit multiplicare Præſides in monaſterijs.

Pro hoſpite. Hiſpan. *Pro hueſped.* Latinè. *Tanquam hoſpes.* Cap. 61. *Si quis monachus peregrinus --- pro hoſpite voluerit habitare in monaſterio.* Hiſpanè, *Si algun Religioſo peregrino ſe quiſiere quedar por hueſped en otro monaſterio, &c.*

Proprietas rerum deuota eſt Deo ſolemniter in profeſſione: an DD. Benedictini ſunt domini ſui corporis, & voluntatis? Difficilia ſunt verba S. Patris. Cap. 33. *Quibus nec corpora ſua, nec voluntates, licet habere in propria poteſtate.* & Cap. 58. *Ex illo die* (nempe profeſſionis) *nec proprij corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat.* Reſpondeo poteſtatem negari à D. Benedicto, non verò proprietatem. Corpus, voluntas & omnes actiones Religioſi non ſunt alius veri domini, ſubſunt tamen alius imperio & poteſtati. Vide ea quæ expendo num 820.

Protrahere eſt tarda, moroſa grauique voce pſallere. Cap. 43. *Si quis ad nocturnas vigilias poſt Gloriam Pſalmi nonageſimiquarti* (*quem propter hoc omnino protrahendo & moroſè volumus dici*) *occurrerit, non ſtet in ordine ſuo in Choro.*

Q

Quanti pro *Quot* Italiſmus, aut Hiſpaniſmus eſt. reperitur tamen Cap. 17. cui epigraphe, *Quanti Pſalmi per eaſdem horas canendi ſunt.*

R

Regula inſcribitur totum opus D. Benedicti, duos nihilominus peculiares Articulos Regulas nominauit, nempe clauſuræ & ſilentij ſanctiones. Cap. 66. *Nõ ſit neceſſitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam ſæpiùs volumus in congregatione legi, &c.* Capite autem 42. *Si inuentus fuerit quiſquam,* ait, *præuaricari hanc taciturnitatis Regulam, grauiori vindictæ ſubiaceat.* Fortè hos duos Articulos ſpecialiter Regulas nominat, eò quòd ſine illis Regula non poſſit obſeruari.

S

Sanctus in hac vita mortali ille eſt, qui obligationibus ſuis ſatisfacit, inter quas ex præcipuis eſt nemini eſſe ſcãdalo, aut malo exemplo: teneris igitur non ſolùm cauere ne legem Dei non violes, ſed etiam ne violare videaris. Debes & velle ſanctus eſſe, & talis videri. Carpo illos, qui volunt ſãcti potiùs videri quàm eſſe, cùm deberent è cõtra velle ſancti eſſe, & ideò tantũ velle tales videri, quia ſi incautè procedentes ſcelerati iudicarentur, ſcandalizarent proximos, & hoc ipſo ſancti non eſſent. Hæc mente perſtringebat Benedictus, cùm dixit Cap. 4. Debere Religioſum *non velle dici ſanctum antequam ſit: ſed priùs eſſe, quo veriùs dicatur.*

Secreti iure non cedunt DD. Benedictini, ideò omiſſa fraterna correptione denunciari non poſſunt. Putant multi Religioſos ſub noſtra Regula militantes obligari ad omnia mentis arcana Antiſtiti manifeſtanda ex præſcripto eiuſdem Regulæ dicẽtis. Cap. 7. gradu 5. *Omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala à ſe abſconsè commiſſa, per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo.* Falluntur tamen, quia Legislator noſter

ſter non præcipit vt ſecreta communicentur Antiſtiti, ſed aſſerit confeſſionem huiuſmodi eſſe actum profundæ humilitatis, quod nemo negat, maximè ſi Abbas talis ſit vt de eius prudentia & fidelitate non poſſit cordate dubitari. Capite 49. indicit vt extraordinariæ abſtinentiæ ieiunia, mortificationes, pœnitentiæ, quæ ſecretè ſolent fieri, exponantur Abbati. *Hoc ipſum tamen*, ait, *quod vnuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate*. Peccata illa quæ legi pœnali contrariantur, qualia ſunt ea omnia quæ Regulæ ſoli opponuntur, licet ſecretò commiſſa, Abbati aut toti Conuentui humiliter ſunt manifeſtanda. Cap. 46. *Si quis —— aliquid deliquerit aut fregerit quidpiam aut perdiderit, vel aliud quid exceſſerit vbiubi, & non veniens continuò ante Abbatem vel Congregationem ipſe vltrò ſatisfecerit & prodiderit delictum ſuum, dum per alium cognitum fuerit, maiori ſubiaceat emendationi*. Peccata autem moralia, & quidquid ad conſcientiam ſpectat nemo tenetur reuelare Prælato, ipſi tamen aut alteri ea poteſt confiteri. Capit. 46. *Si anima verò peccati cauſa latens fuerit, tantùm Abbati, aut ſpiritualibus ſenioribus patefaciat, qui ſciant curare ſua, & aliena vulnera non detegere aut publicare*.

Senior ſæpè ſine comparatione ponitur, & nihil aliud ſignificat quàm *ſenex*. Ouidius libro 2. Transformationum:

Tum ſenior quamuis obſtet mihi longa vetuſtas.

Eodem prorſus ſenſu vſurpauit hanc vocem noſter Author Capit. 3. *Si qua verò minora agenda ſunt in monaſterij vtilitatibus, ſeniorum tantum vtatur conſilio*, hoc eſt, *conſilio aliquot prudentum ſenum*: contingit enim illos qui prouectioris ſunt ætatis, aliquando non ſatis percallere œconomicas & politicas difficultates.

Senior comparatiuè ad *Iuniorem* refertur, & ſonat *Antiquiorem*. Cap. 4. *Seniores* (id eſt, antiquiores confratres) *venerari*.

Seniores in plurali ſumuntur pro Magiſtratu, pro Senatu, quoniam is ex prouectioris ætatis hominibus legi ſolet. Liuius 4. Bell. Maced. *Scriptum erat Ariſtonem priuatim ad neminem, publicè ad Senatum mandata habuiſſe*. Hoc ſenſu B. Pater cap. 23. *Siquis — præceptis Seniorum ſuorum contemptor repertus fuerit, hic ſecundum Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel & ſecundo ſecretè à ſenioribus ſuis: ſi non emendauerit, &c.* Seniorum nomine aptè intelligimus Decanos, Præſides, & Prælati adminiſtros. Bernardus Homil. infra octauam Epiph. ſic ait: *Vt humilitatis & obedientiæ ſimulque propriæ voluntatis deſerendæ ſeniorum præceptis, etiam vtilibus prætermiſſis, obtemperandi expreſſius & excellentius commendaret exemplum, cum his tam ſublimibus, tam vtilibus, tam denique neceſſarijs prætermiſſis ſeniorum ſe ſubdit voluntati, vt ait Euangeliſta, Et deſcendit cum eis, & erat ſubditus illis*. Ecce Seniorum nomine priùs intelligit Templi ſacerdotes, quos *Senes* etiam vocat ſer. 2. in Purific. ſub initium. Poſteriùs verò *Seniorum* nomine intelligit Mariam & Ioſeph.

Senpeta, qui ſenium petit, qui ad ſenectam adpropiat. Hac voce vſus eſt Benedictus cap. 27. imo eam expoſuit dicens: *Vt ſapiens Medicus* (debet Abbas) *immittere quaſi occultos conſolatores* (nempè) *ſenipetas, id eſt, ſeniores ſapientes*. Non collimauit noſter Author in vocis etymon, ſed in ſanctionis ſcopum; conſolari enim oportet afflictum monachum, & hoc præſtare nec iuuenes nec ſtolidi poſſunt; mittantur ergo viri graues prudentia eximij, ætate venerabiles, qui fluctuan-

ctuantem confratrem conſolentur.

Septenario Diuinitatem ethnici ſcriptores adtribuunt, ſed Author noſter ſanctitatem. Capit. 16. *Septenarius ſacratus numerus à nobis ſic implebitur*.

Significare horam operis Dei. Cap. 47. non eſt pulſare cymbala, nec campanas torquere, ſed præſcribere tempora Diuino officio. Vide *Nunciare*.

Silere à bonis dixit Propheta Rex, eum imitatus Benedictus non *ſileri* modò, ſed & *taceri à bonis* dixit, Cap.6. *Ait Propheta, Humiliatus ſum & ſilui à bonis. Hic oſtendit Propheta, ſi à bonis eloquijs interdum propter Taciturnitatem debet taceri, quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari*.

Solatia vocat S. Pater ſubminiſtros; hoc eſt, miniſtrorum ſocios & coadiutores, quos miniſtris concedit quotieſcumque Communitas eſt tanta, vt oneri ſuo non poſſint ſine adiutorio ſatisfacere. Cap. 31. de Cellerario: *Si Congregatio maior fuerit, ſolatia ei dentur*, hoc eſt, permittatur illi vt vtatur vnius aut alterius miniſterio. Capite 53. de Coquis ait, *In quam coquinam ad annum ingrediantur duo Fratres, qui ipſum officium bene adimpleant, quibus, vt indigent, ſolatia adminiſtrentur*. Et paulò poſt de Coadiutoribus inſtituit legem vniuerſalem: *In omnibus officijs iſta ſit conſideratio, vt quando indigent, ſolatia* (hoc eſt ſocij) *miniſtrentur eis, & iterum quando vacant obediant imperanti*.

Spondere verbum eſt, quo vtitur D.Benedictus cap.29. *Si reuerti voluerit*, ait; *ſpondeat prius omnem emendationem*. ſed quid eſt, emendationem ſpondere? expono num. 1750. b.

Subſtrahere vox muſica eſt, & ſignificat *intonare moroſè & grauiter*. Hiſp. *Entonar deſpacio*. Cap. 13. *Sexageſimus ſextus Pſalmus dicatur ſine Antiphona, ſubſtrahendo modicè ſicut in Dominica, vt omnes occurrant*.

Super ſe. Hiſp. *De por ſi*. Lat. *Seorſum*. Cap.36 *Fratribus infirmis ſit cella ſuper ſe deputata*.

T

TEmerè diſcedere à Regula interdicitur; ergo ſi exceptio firmat regulam in contrarium, diſcedere prudenter, conceditur. Quis igitur temerè diſcedit? qui ſine ſufficienti. Capit.3. *In omnibus igitur omnes Magiſtram ſequantur Regulam; nec ab ea temerè deuietur à quoquam*.

Temperius, reſtituo *Tempor.us*, hoc eſt, citius.Cap.11. *Dominico die temporius ſurgatur ad Vigilias*.

Typus varias ſignificationes habet, nulla tamen congruit Cap. 30. vbi Cellerario imponitur hæc lex: *Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo vel mora offerat*. In qua *Typus* nihil aliud quàm *excuſationem* poteſt ſignificare.

V

VEl particula diſiunctiua ſæpiſſimè extrema connectit & æquiualet cõiunctioni; Et dabo periodos in quibus vt coniunctio debeat exponi neceſſario. In Prolog. *Succincti ergo fide vel obſeruantia bonorum actuum lumbis noſtris, & calceatis pedibus per ducatum Euangelij pergamus*. Verè curſus noſter non eſſet iuxta Euangelij legem, ſi haberemus fidem ſine operibus, aut hæc ſine illa; inſtructi igitur & fide & bonis actibus debemus pergere. Capite 1. de primo Monachorum genere, *Primum*, ait, *Cœnobitarum, hoc eſt, Monaſteriale, militans ſub Regula vel Abbate*. vbi prudentes coniunctiuè intelligunt *ſub Regula & Abbate*; non tamen incongruè diſiunctiuè poteſt intelligi, ſi pe-

riodus illuſtretur commentario adhibito *num.* 308. Vix aut ne vix quidem poterit ſumi diſiunctiuè in his locis; Cap. 2. *Memor ſit Abbas, quia doctrinæ ſua vel diſcipulorum obedientia, vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit diſcuſſio*. Et inferiùs: *Inobedientes, verberum vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat*. Capite 6. *Scurrilitates verò vel verba ocioſa & riſum mouentia æterna clauſura, in omnibus locis damnamus*. Et cap. 7. grad. 8. *Nihil agat Monachus niſi quod communis monaſterij Regula, vel Maiorum cohortantur exempla*. & grad. 11. *Monachus leniter & ſine riſu humiliter cum grauitate vel pauca verba* (id eſt perpauca, valde pauca) *& rationabilia loquatur*. Cap. 17. *Iam de Nocturnis vel Matutinis digeſſimus ordinem Pſalmodiæ*, hoc eſt, *Iam diſpoſuimus Pſalmodiam pro Nocturnis & Laudibus*. Capit. 27. *Si ad vltimum vſtionem excommunicationis vel plagas virgarum*. Cap. 60. *Si promittit de obſeruatione Regulæ, vel propria ſtabilitate*. Et cap. 67. *Dirigendi Fratres in via, omnium Fratrum vel Abbatis orationi ſe commendent*. Similiter *Aut* nonnunquam copulatiuè ſumitur. Cap. 11. *Pſalmus nonageſimus quartus cum Antiphona, aut certè decantandus*. & capit. 60. *Concedatur ei tamen poſt Abbatem ſtare, & benedicere, aut Miſſas canere*.

Veracitas virtus eſt nobiliſſima, quæ mendacio opponitur. Sæpe violatur ore hæc puriſſima virtus, ſæpè corde. Ore quidem cùm ex ignorantia erramus, & falſa dicimus cùm dicere putamus vera. Corde autem, cùm aliquem volumus fallere. Eſt ergo Benedictinum dogma Capit. 4. *Veritatem ex corde & ore proferre*.

Veſtiarium aula illa dicitur in qua veſtes ſeruantur. Græcè ἱματιοφυλάκιον. Veſtes, quas noſter Legiſlator cap. 55. concedit Religioſis, ſunt; Cuculla, Tunica, Scapulare, Pedules, Caligæ, & Femoralia, ſi iter agant. ¶ *Cucullæ* nomine quid intelligi debeat, notum eſt. ¶ *Tunica* videtur *Toga* eſſe. Qui thoracis & indusij non meminit, fortè neutrum induſit. ¶ *Scapulare* tunicæ ſuperpoſitum ne illa maculatetur. ¶ *Pedules* apud Vlpianum *l.* 25. *D. de aur. & arg.* Faſciæ ſunt quibus pedes vinciuntur: ſumuntur pro calceis & tibialibus. ¶ A *Caliga* Hiſpanus habet *Calcones*, his autem non tibias, ſed & femora tegit. Fortè aptiùs intelligitur textus hoc modo. ¶ *Femoralia* quæ? femorum etiam tegmina differebant à caligis non vſu ſed figura.

Stramenta lecti, ſunt *Matta*, Hiſpanè *jergon*, & ſtraminibus aut iuncis facilibus præparabatur. *Sagum*, Hiſp. *Vna manta de ſayal, jerga o otra materia grueſa*, Hiſpano arabicè *Vna albonbra* Sagi nomine non intelligitur id quod Hiſpanus *Plumon* aut *Colchon* nominat, ex teſtimonio Suetonij in Othone. *Ferebatur & vagari noctibus ſolitus, atque in validum quemque obuiorum vel potulentiam corripere, ac diſtento ſago impoſitum in ſublime iactare*. Hiſpanicè, *Deciaſe tanbien, que ſolia ſalirſe a tomar el freſco, y entretenerſe la mayor parte de la noche y que ſe diuertia manteando alos que o por violencia del vino, o por puſilanimidad y cobardia venian a ſus manos*. Cæterùm ſi *Sagum* eſſet (Hiſpan. *Colchon*) nec plicari, nec ferri, nec excuti ſine magna difficultate poſſet. ¶ *Lana* veſtis eſt quæ cæteris ſuperimponitur, Belgicè *Nachttabbaert*, vnde Hiſpan. *Vn tabbardo*. togæ eſt ſimilis, quæ clamydis & Coopertorij (Hiſp. *Vn Cobertor*) iuxta rerum temporumque exigentiam vices gerit. ¶ Tandem *Capitale*, Hiſpan. *Vn cabeçal*; Hiſpano-arabicè,

bice, *Vna almohada.*

Præter veſtes & lectum ſtratum, vt vidimus, concedit noſter Legiſlator hæc ſuppellectibilia. Cultellum; Graphium ſeu calamum; Tabulas ſcriptorias, iam chartam Tabulam ſeu menſam, cur non & ſedem? acum & neceſſaria ad reficiendas veſtes, & mapulam, fortè ad tergendas manus: tandem & bracile, quod & Hiſpanus nominat *Mangillo.*

Vindicta ponitur pro ſupplicio. Cap.42. *Si inuentus fuerit quiſquam præuaricari hanc Taciturnitatis Regulam, grauiori vindicta ſubiaceat.* & Cap.67. *Quod ſi quis præſumpſerit, vindictæ regulari ſubiaceat.*

Vſufructuarius, alias *Fructuarius* dicitur qui vſum habet. Hinc deducit noſter Author *Vſufructuarium, rij*, ſubſtantiuum, quod *Vſumfructum* adſignificat. Cap.59. *Faciant ex rebus, quas dare volunt monaſterio donationem, reſeruato ſibi, ſi ita voluerint, vſufructuario.*

AD LECTOREM.

INgenium Eximij prodit liber ille parentis.
Dignus cælicolas liber adire liber.
Hic liber enixus gremio virtutis, apertam
Ceu digito monachis monſtrat ad aſtra viam.
Bernardi BENEDICTE *tui tua dogmata ſcriptis*
Explicat, & duplici mellea melle fluunt.
Melle fluunt duplici, queis mellea mellens Author
Addidit, vt triplici mella melle fluant.
Dicite nunc mecum Lectores, de BENEDICTO
Tam bene quæ ſcripſit ſit benedicta manus.

D. Bernardus Bottyn.

CENSVRA.

ANtiquis illis Summorum Virorum Benedicti Decimi Pontificis maximi, Ioannis de Turrecremata ex ordine Prædicatorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Smaragdi Abbatis monaſterij ſancti Michaelis in Saxonia, & aliorum præclariſſimis Regulam Diui Benedicti Commentarijs, hic quoque Eximij Viri Domini ac Magiſtri noſtri Ioannis Caramuelis in eandem Commentarius, varia eruditione refertus, vtiliter adiungetur. Vt qui alia methodo, & Scholaſtico more non tantùm difficiliora omnia Regulæ loca, ac dubia, quæ circa eandem paſſim occurrunt, aut occurrere ferè poſſunt; verùm etiam doctrinam de ſtatu Religioſo præclarè illuſtret. Louanij die Exaltationis S. Crucis ſacro. 1640.

F. Andreas à Turri S. Theol. Doctor & Profeſſor
Ordinarius Prædicatorum.

CENSVRA.

INfraſcriptus S. Theologiæ Louanienſis Doctor & Profeſſor fateor legiſſe me ea quæ hoc libro in Regulam D. Benedicti exarauit Reuerendus admodum & Eximius Dominus Ioannes Caramuel Lobkovvitz Melroſæ Abbas, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Progeneralis; eaque, ſi religionem ſpectes, pietate plena eſſe; ſi doctrinam, quæſtionibus ſubtiliſſimis iiſque ſolidiſſimè ſolutis, imò euacuatis, referta inueniſſe, quæque ideo vt ad pietatem, obſeruantiam, & pacem Religioſos omnes conditionis cuiuſcumque, ita ad veritatem doctrinæ quoſcumque poſſint adducere. Omnium ergo manibus, qui vel illius vel huius amatores ſunt, vel haberi volunt, iudico familiariter proterenda. Datum Brugis 10. Iulij 1640.

Fr. Petrus Damaſus de Conink Ordinis D. Auguſtini.

CENSVRA.

QVæ in hoc libro ſuo, cui titulus *Commentarius in Regulam D. Benedicti*, ſeu *Deſcriptio Moralis & Hiſtorica ſpiritualium armorum militiæ Regularis*, Eximius ac Clariſſimus Vir Ioannes Caramuel Lobkovvitz commentatus eſt, omnifariæ ſcientiæ partu grauida, meritò digna cenſeo quæ cedro inſculpta æternitati conſecrentur. Sanè quod rarum eſt, ille ſe Theologiæ myſtam, iuxta ac Themidis ſacerdotem opere ſuo profitetur, vt qui abſtruſis, & reconditiſſimis vtriuſque ſcientiæ myſterijs aptè reſponderit, planè Aſteropeus & ambidexter, ac Ianus quidam geminus, cui quod de Iſraelitico populo litteris ſacris proditum eſt (à ſuo è captiuitate Babylonica reditu altera manu arrepta trulla Hieroſolymitanæ ciuitatis mœnia reædificaſſe, altera ſtrictum habuiſſe gladium, quo incurſantium hoſtium velitationi obſiſteret) appropriare iuuat. Tum veritatis pręco illuminandis & erudiendis ignaris operam nauans, ruinas monaſticæ diſciplinæ, quas ętas noſtra hæreticorum tyrannide apertas videt, feliciter inſtaurat, ac lapides illos, è quibus cæleſtis Hieruſalem exſtruitur, ingenij ſui lima politos Eccleſiæ triumphantis ędificio adaptat. Gladio deinde errores qui multorum conſcientias obſident, gordioſque nodos nouus Alexander diſſecat. Gladio rurſus ſpiritus ſui, gladio illo ancipiti, & bis acuto carnem à ſpiritu ſeparat, vt inde, qui ſub Benedicti regula merent, viuant in ſpiritu, non corruptionem à carne, ſed beatorum vitam à ſpiritu in lucro repoſituri. Ita ex animo iudico voueoque Louanij 14. Calend. Octobris 1640.

Henricus Loyens I.V.D. & in Academia Louanienſi Decretorum Profeſſor Regius.

CENSVRA.

COmmentarius hic, ſeu Deſcriptio Myſtica ac Hiſtorica ſpiritualium armorum militiæ Regularis, Authore Patre Magiſtro Ioanne Caramuel Lobkovvitz Sacræ Theologiæ publico Profeſſore Lectore, Diuinæ Orthodoxæque fidei decretis conſona eſt, pro rectè efformandis moribus ad Regularis diſciplinæ exercitationem, cunctis ad Euangelicam perfectionem adſpirantibus ſummoperè profutura, ſi quantocyus excudatur. Actum Antuerpiæ 14. Aprilis 1636.

Gaſpar Eſtrix S. Theol. Licent. Canon. & Plebanus, ac Librorum Cenſor Antuerpiæ.

ACceſſit admodum Reuerendorum PP. *Adriani Crommij, Ioannis de Ionghe, & Ignatij Derkennis* Soc. Ieſu, & aliorum plurium, Sacræ Theologiæ Profeſſorum Louanij, authoritas, qui Poſitionibus moralibus ſeorſim extractis ſubſcripſerunt, aſſerentes eſſe pleraſque certas, & reliquas verè probabiles, poſſeque omnes ſine conſcientiæ ſcrupulo defendi & practicari.

TOTIVS

TOTIVS OPERIS
MORALES, SYNTHESES:
Et earumdem cenſuræ.

DE probabilitate opinionum diſp.6. nu.51. diſſerui; licere ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori non ſolùm probaui, ſed & demonſtraui, vt opinor. omnes opiniones probabiles per ſe eſſe æquè tutas & ſecuras oſtendi; & benigniores, tametſi minùs probabiles, per accidens eſſe tutiores. ſummam ſyntheſeon Moralium ſub libri finem pono, & ſapientiſſimorum Virorum authoritate roboro, & quia rationem inueſtigas, expendo.

Duplex eſt probabilitas; authentica & rationalis. Hæc ſepta vniuerſitatum vix egreditur; pauci enim extra illa reperiuntur, qui de rationum grauitate prudenter poſsint iudicare. Authentica igitur vtilior, omnibus & ſingulis etiam Theologiæ imperitis prodeſſe poteſt. Eò reſpexit Diana in ſuis Reſolutionibus. Si ſolùm rationum momenta congeſſiſſet, profuiſſet paucis; at quia authorum ſuffragia profuit vniuerſis.

Sed cùm magnos viros, aut abſentes aut mortuos, iunior aliquis ſcriptor allegat, non ſtatim teneris adquieſcere, præcipuè ſi præuentus; poſſes enim credere pro te illos eſſe, & contra te ingenioſa elocutione retorqueri. Inter Romano-Catholicos & Hæreticos, & inter horum diuerſas claſſes & ſectas continua diſſidia de mente Auguſtini inueniẽda: ne verbum quidem ſine Auguſtino loqui gloriatur Lutherus, & tamen ne vnam quidem periodum benè explicat. Omnia ſenſa Caluinus Auguſtini teſtimonijs ſubſtruxit; & tamen non ſolùm opponitur nobis, ſed & Luthero. Auguſtini igitur authoritas nulla eſt, ſi male citati, aut obtortè expoſiti; ergo nec aliorum Authorum, quorum ſuffragijs Iuniorum ſententiæ roborantur, ſi ſine veracitate citentur, aut ſine veritate exponantur. Si à mortuis Auguſtinus reſurgeret & ſcriptis diuerſorum recognitis, ſe à tali bene allegari & ſincerè exponi declararet, ille vnicus triumpharet vniuerſos alios Expoſitores. Igitur & noſtri Scriptores Authorum aliorum mentes adſequuti dicendi eſſent, ſi & illi, quorum mentem exponunt, ad mortales reuerſi, ſe bene exponi declararent; cumque hoc ſtando communi rerum ordini impoſſibile ſit, volui citare, adlegare, explicare Authorum viuentium ſententias, vt & ipſi viderent, an in meas torquerentur inuiti, an verò ſpontanei & voluntarij conſpirarent. Ipſi noſtris adſertis ſeſe ſubſcribere teſtantur; ergo præter homines illuſtriſſimos, quos proprijs locis cito, & me intelligere voluiſſe ſcio, potuiſſe puto, hic ſuffragia ſapientiſſimorum habes, non ſolùm me, ſed ſe ipſis iudicibus noſtrarum adſertionum probabilitatem propugnantibus. Lege igitur & perfruere, & Deo, (cuius legem, vel inuitis idiotis, ſuperbis, & ambitioſis hominibus, benigniorem reddidimus, & adhuc ſi ſancto meo voto ipſemet adnuat, faciliorem reddemus) meas continuas vigilias & ſtudia commenda.

LEx æterna eſt liberum decretum Dei circa creaturas gubernandas (*nu.* 16.) phyſicè & naturaliter dirigit creaturas non intellectuales, & intellectuales: has verò etiam moraliter circa articulos, ad quos voluit Summus Legislator obligare in conſcientia (*nu.* 21.) malitia enim naturalis aut phyſica ante prohibitionem reperitur, nunquam verò moralis (*nu.* 20.) Decalogus nec mutari nec diſpenſari poteſt humana authoritate (*num.* 27.) Ius particularium Gentium, pactum earumdem eſt aut expreſſum aut tacitum; vniuerſale aut non datur aut non debet diſtingui à iure naturali. (*num.* 24.)

Lex Humana triplex; Moralis, Pœnalis, & mixta (*nu.* 29.) Moralis obligat in conſcientia ex vi quarti præcepti Decalogi. (*num.* 25. 34.) qui omnes leges pœnales conſcientiam obligare ſentiunt, debent conſequenter dicere non dari leges merè pœnales (*nu.* 30.) Merè pœnalis ſanctio nonnumquam infert obligationem moralem, numquam imbibit (*numer.* 31. 36.) Lex pœnalis ſæpè eſt moralis diſiunctiua; nempe indicens aut actionem aut paſſionem; hoc eſt, aut rem talem facere, aut ſubire talem pœnitentiam. (*num.* 97. 986.) Sed hoc etiam poteſt præcipi purè pœnaliter.

Lex, vt cenſeatur legitima, debet acceptari liberè à ſubditis (*num.* 48.) qui legem iuſtam non admittunt, peccant quidem mortaliter; Cæterum ante acceptationem Lex non obligat. (*num.* 49.) mancipijs & debellatis iuſto bello, illis videlicet qui occidi poſſent, etiam inuitis poni poſſunt validæ & legitimæ leges. Ceſſante fine adæquato legis in particulari, ceſſat etiam tum eiuſdem Legis obligatio. (*num.* 5.) Actus purè interni humanæ Legi non ſubſunt directè (*num.* 38.) Ad hoc vt Lex grauiter obliget, requiritur grauis materia. (*num.* 41.) Regula Benedictina non eſt Lex moraliter impoſita, ſed imponibilis ab ordinario Antiſtite (*num.* 76.) non indiget noua acceptatione, eſt enim in ipſa profeſſione accepta. (*num.* 747.) Contemptor Regulæ peccat mortaliter (*num.* 97.)

Materia quantitas.

MAteriam magnam in abſolutam & reſpectiuam diuido, placent enim in moralibus rebus termini magnitudinis & paruitatis. Res abſolutè leues videntur eſſe medius regalis, (*num.* 634.) ſedecim ſalutationes Angelicæ (*numer.* 1461. *b.*) leuis aſpectus, aut quaſi inſenſibilis carnis contactus ſemoto vlteriori periculo. Videntur abſolutè graues iniuſta quatuor florenorum ablatio. (*num.* 934.) Pſalterij obligatorij omiſſio, (*num.* 1461. *c.*) completa ſenſualitas, & aliæ ſimiles. Quidquid intereſt termino magnitudinis & paruitatis abſolutè, materia eſt indifferens, cui vni accidit eſſe grauem aut leuem proportionaliter & relatiuè. (*num.* 936.) Grauis quidem, ſi fuerit totum quod indicitur aut pars immediata rei præceptæ in materia obedientiæ, congruæ diurnæ in materia furti, & ſenſualitatis completæ in materia venerea: leuis verò, ſi fuerit pars partis.

In quot partes totum immediatè diuiditur? Apud Phyſicos indeterminatas, quia ſiue Ariſtoteli ſiue Zenoni ſubſcribas, non eſt dabilis numerus, qui vnus determinet omnium rerum continuarum partes. Medici communiùs in quatuor gradus diuidunt: Theologi in octo; nonum gradum caloris nemo audiuit, nemo dixit. Placet igitur Theologorum opinio, & totum morale in octo partes immediatas diuido, & aſſero quidquid minus octante fit, non eſſe partem immediatam Totius, ſed

par-

partem partis, ac propterea ſi materia aliàs ſit abſolutè indifferens, eſſe ſolùm relatiuè quantam, & habere non niſi leuem quantitatem.

De opinione probabili.

PRobabilem ſententiam dico illam, quæ habet, aut rationes, aut Authores graues (*num.* 52.) licet ſequi opinionem minus probabilem, (*num.* 57.) omnes probabiles ſecundum ſe conſideratæ ſunt æquè ſecuræ, & æquè tutæ (*numero* 58.) benigniores licet minus probabiles ſint, ſolent eſſe faciliores, ac propterea non rarò ſecuriores (*numero* 58.62.

Prælatus ex vi officij non poteſt præcipere ſimplici ſubdito vt ſubſcribat potiùs huic quàm alteri parti probabili, (*num.* 42. §. *Quiſpiam*) Si cauſæ graues ſubſint, poterit iubere ne tales opiniones doceantur, defendantur. Subditus poteſt Superiori promittere obedientiam in omnibus rebus, quæ non ſint certò & euidenter malæ, & ex vi huius voti teneretur obedire etiam in materia affecta malitia probabili. Tale votum emiſit Prior Benedictinus, vt conſtat ex ipſamet Regula; tale Superior; tale communitatis Adminiſtri (*num.* 1582.) Qui pacto, voto, aut iuramento promiſerit defendere aliquam opinionem probabilem conducentem ad vtilitatem alterius, tenetur ſtare promiſſis.

De Conſcientia dubia.

CVm dubitas in Iure Diuino, ſtandum eſt pro poſſeſſione rata rerum quæ fuerant ante dubium: imò & in Iure Humano. Cæterùm ipſummet dubium ſi ſit circa res humana authoritate indictas Azorius benignè, & probabiliter interpretatur. (*num.* 49. §. *Accedit.*

De Nouitijs.

REcipere nouitios ille Prælatus poteſt, cuius Anteceſſores fecerunt, dummodo ipſe non habeat legitimam limitationem, (*num.* 451.) Prælatus, ni contrarium lege legitima indicatur, poterit nouitios veſtire & dimittere inconſulto Conuentu (*num.* 452. 471.) admittere verò ad profeſſionem non poteſt niſi ex plurium conſilio (*num.* 480. 482.) Tempus eſt duplex Ciuile & Eccleſiaſticum: illud dies menſium reſpicit, hoc Eccleſiaſticas ſolemnitates. Pro interſtitijs vti Ordinum, ita & profeſſionis probabilius tempus Eccleſiaſticum ſumeretur, ſunt enim res Eccleſiaſticæ, ac ideò tempore Eccleſiaſtico determinandæ; ſed pro profeſſione vſus eſt abſolutè contrarius (*num.* 467.) Annus probationis debet eſſe integer (*numero* 466.) Ante profeſſionem ne leuiter quidem peccat, qui habitum relinquit, (*num.* 469.)

In dubio debet Nouitius reprobari, (*num.* 470) Approbare autem nouitios aliàs habiles eſt materia gratiæ, (*numero* 742.)

De Profeſſione.

STabilitas, quæ ſub promiſſionem cadit, duplex eſt, Ordinis & Monaſterij, & vtraque ſecundum Regulam (*nu.* 527.) non eſt quartum votum Theologum factum Deo, ſed votum hoc eſt, promiſſio firmata iuramento facta ſanctæ Communitati, (*num.* 528. 1060. *r.*) omnes qui in ſtabilitatis pacto ineundo fuerunt requiſiti, ſufficiunt vt illud annulletur ſine cauſa, (*num.* 539.) ſi detur grauiſſima, non ſolùm ad aliud Monaſterium, ſed & ad alium Ordinem tranſire quis poteſt, & pactum reſcindere etiam inuita parte, (*nu.* 532.) ſine cauſa non poteſt Summus Pontifex, aut profeſſionis, aut alios legitimos contractus

leg-

legitimè factos annullare (*num.* 597.) Qui ex ordine ad ordinem transfertur, debet probari(*num.* 543.)ſed quamdiu? non eſt expreſſo aliquo iure determinatum.(*num.* 544.) vota ſolennia non eſt opus iterum profiteri: ſufficeret enim profiteri taleitates votorum, & noui ordinis pœnalitates (*num.* 452.) expediret tamen profiteri vt alij Religioſi (*ibi.*)

Conuerſio morum debet fieri per tres virtutes eſſentiales, nec addit nouam circumſtantiam in confeſſione ipſa aperiendam. (*num.* 600) In profeſſione non promittit Benedictinis obedire Regulæ, ſed Prælato cùm iuſſerit contenta in Regula. (*num.* 624.)

Religioſus tenetur in perfectionem tendere per virtutes ſubſtantiales, non aliter; nec poteſt dici non tendere in perfectionem; quamdiu non peccauerit mortaliter. (*num.* 657.) qui mortaliter peccat, in perfectionem non tendit, ſed hanc circumſtantiam non tenetur in confeſſione exprimere.

De Obedientia.

ANtiſtiti præcipienti, vel quæ ſunt in Regula, vel quæ ad illam conducunt, teneris obedire. (*num.* 701.) item præcipienti recitare Officium diuinum in Choro. (*num.* 702.) Præcipienti aliquid quod vel ſit contra Deum, vel contra Regulam, vel contra Eccleſiam debes non obedire. (*num.* 695.749.) præcipienti vltra Regulam, & non ſecundum illam, potes obedire, & potes non obedire.

Omnia quæ præcipiuntur propter finem, non habent ab obiecto intrinſeco, ſed à ſcopo ſpeciem. Poteſt res leuis grauiter obligare, ſed grauem grauiter conducat.

Peccant venialiter, qui omittunt rem grauem præceptam vt medium, *primò* ſi finis ſit leuis; *ſecundò* ſi ad grauem leuiter conducat. (*pag.* 844.) Præceptum impoſitum Benedictino Monacho, ſi ſe prudenter excuſauerit, non obligat quouſque ſecundò imponatur, quia ſic diſpoſuit Legislator cap. 68. (*num.* 746.)

Abbates poſſunt in ſuis præceptis concedere diſpenſationes ſine cauſa (*num.* 759.) ceſſante diſpenſationis cauſa non ceſſat ipſa diſpenſatio, niſi fortè data fuerit pro tempore durationis ipſius cauſæ. (*num.* 760.)

De Paupertate.

DOmini Benedictini habent dominium in communi. (*num.* 820.) imò & in particulari habent, directum in manuſcripta, ita vt illa donare poſſint. (*num.* 831.) magiſteriale in diſcipulos, (*num.* 839.) naturale in actiones internas, externas, & in filios, (*num.* 849. 852.853. 858.859.) & in res vnico actu conſumptibiles, (*num.* 871.) Honoris ſui ſunt domini; ni inde ſequatur damnum tertij poſſunt expendere, nunquam prodigere. vitum eſt enim prodigalitas. (*num.* 33.) iure ſecreti & honoris non cedunt, poſſent tamen, (*nu.* 1688.) Vbicumque non relucet proprietas, non violatur paupertas, (*num.* 876.898.964.) Quia paulatim modica accipit, ſolet cõmittere peccatum graue, vel cùm vult grauem materiam tandem capit, vel cùm non vult captam reſtituere, (*num.* 904.) Religioſus eſt filiusfamilias; Patres ergo furta filiorum creduntur ſub duplo inuoluntarij quam erga furta peregrinorum, (*num.* 942.) Hoſpites, & amici videntur eſſe quaſi medij inter peregrinos & filios, (*num.* 953.)

De Caſtitate.

PEccata contra naturam (nempe Beſtialitas, Sodomia, Mollities) ſunt contra deuotam caſtitatem, non tamen diſtinguuntur ſpecie, & ſi ratione ſcandali in confeſſione ſint explicanda. Ita D. Thomas teſtibus Fillincio *tract.* 30. *in* 6. *præcepto cap.* 8. & Armilla *verbo Luxuria*

*ria,num.*5. Tabiena *ibid.num.*6. *lib.* 2. *tit.* 46. *cor.* 7. & alijs preter quos etiam Diana huic parti probabiliter ſubſcribit (*vide num.* 983.) Intentio fornicandi formaliter eſt contra pudicitiam, & obiectiuè contra caſtitatem: (*num.* 984.) in Religioſo non eſt ſacrilegium formaliter, ſed obiectiuè, hoc eſt intentio committendi ſacrilegium (*ibid.*) Monachus non vouit Deo alienam caſtitatem, ſed propriam, (*nu.* 985. 9987.) Votum implicitum & expreſſum, ſolenne & ſimplex differunt ſolummodo modaliter, (*num.* 997. 998. 999.) Delectationes moroſæ ideo ſunt peccaminoſæ, quia ſunt principium mollitiei interdictæ, (*nu.* 1022. 1054) ſomniorum non datur cauſa directa (*num.* 1051.) Poteſt contingere quod actio leuis intrinſecè, extrinſecè grauis euadat ratione periculi (*ibidem.*) Periculum proximum dicitur eſſe, cùm imprudenter quis iudicaret ſe in tali occaſione non peccaturum eſſe (*num.* 1056.) nemo ſe poteſt exponere proximo peccandi periculo. (*pag.* 425.) liberum homini cuicumque eſt tollere proximum omne periculum. (*ibid.*) periculum probabile non eſt proximum, (*num.* 1058.)

De Officio Diuino.

CHoriſtæ ex vi officij ſunt mancipati lectioni communi, ſed non priuatæ (*num.* 1317.) abeſſe à Choro eſt contra legem purè, pœnalem, (*pag.* 582.) eſſet contra legem moralem, ſi quis abeſſet contra præceptum morale Antiſtitis, (*nu.* 702.) Non poteſt intelligi Petrum ſatisfeciſſe toti officio publico, & non ſatisfeciſſe officij legendi priuatæ obligationi, (*pag.* 584.)

Omnes Sacerdotes tenentur ſub mortifero ſingulis diebus Diuinum Officium recitare, (*num.* 1338.) ab hoc onere immunes ſunt Nouitij Choriſtæ, & Conuerſi profeſſi (*num.* 1341.) Regula Benedictina indicit ne priuatam lectionem iunioribus nondum ad ordines promotis? Reſoluo affirmatiuè (*nu.* 703. 1343. 1358. *reſ. ix.*) negatiuè verò Eugenius IV. in priuilegio conceſſo Ciſtercienſibus anno 1437. Illud igitur probabile à ratione eſt, hoc ab authoritate. Ex ſuppoſitione quod Regula priuatam lectionem eis indicat, non tenebuntur moraliter ante Abbatis præceptum. (*num.* 1349.) Ad hoc vt priuatim legendi conſuetudo iuniores obliget, debet eſſe certa, & certò legitimè introducta: Legitimè introducitur cùm à ſcientibus ſe non eſſe obligatos, volentibus & potentibus ſe obligare introducitur. (*num.* 1351.) In dubio ſtandum eſt pro libertate, quæ erat ante conſuetudinem dubiam (*num.* 1358.) Idem dico de reliquis conſuetudinibus.

In lectione Officij diuini requiritur per ſe & directè pronunciatio actualis & reuerentia & attentio actuales & extrinſecæ; intrinſeca non niſi indirectè. (*num.* 1373. 1380.) Mutare officium ſine cauſa non eſt peccatum mortale, licet inconſultum, cum cauſa rationabili nec veniale. (*num.* 1387.) Non eſt peccatum graue legere priuatim extra tempus præſcriptum, (*num.* 411.) forte nec dantur horæ præſcriptæ legentibus priuatim. (*ibid.*) Intentio ſatisfaciendi non requiritur. (*num.* 1415.) Horologio tametſi cum cura dirigantur, non diſtinguunt horas certò, ſed ſolùm probabiliter, (*pag.* 594.) malè regulata probabiliter.

De ægrotis.

IN morbo, grauis damni probabile, aut certum periculum imò & dubium & grauiſſimæ incommoditatis non dubium, ſed aut certum, aut probabile periculum excuſat à lectione horarum, (*num.* 1429.) ægrotus tamdiu poteſt ſine ſcrupulo legere, ieiunare, & alijs Eccleſiæ præceptis ſatisfacere, quamdiu non ſcit certò & euidenter ſe illa lectione

ne

ne, aut perditurum eſſe vitam, aut paſſurum graue damnum, quod aliàs ſine culpa infligere ſibi non poſſet, (*numero* 1431.) æger qui non poteſt recitare totum, non tenetur recitare partem, (*nu.* 1433.) Diſpenſatio non facit quod ægri legendo vnum *Aue Maria*, v.g. ſatisfaciant Officio Diuino; ſed quod non teneantur illud legere, modo illud *Aue Maria* recitauerint, (*num.* 1368. 1404.)

Labor & occupationes ſi nimiæ ſint, etiam inter morbos recenſendæ; Suarius ab obligatione legendi excuſat eum qui tota die aliquam actionem litterariam defendit; cumque tales actiones in aliquibus Academijs ſint per tres horas matutinas & tres veſpertinas, in alijs per binas, videtur cenſuiſſe Suarins ſex horarum laborem eſſe ſufficientem vt quis ab officio excuſetur, (*num.* 1437.) ergo probabilius excuſabit labor horarum duodecim: probabilius ſi fuerit legitimè iniunctus, & bonum proximi, aut publicum, aut priuatum reſpiciens, (*numero* 1438.)

De paruitate materiæ in Officio Diuino.

Officium conſtat partibus ſubſtantialibus & accidentalibus; ad harum lectionem teneris leuiter: peccabiſque mortaliter ſi omiſeris ex ſubſtantialibus materiam magnam, (*num.* 1454. 1458.) Omittens vnam horam ex paruis probabiliter excuſari poteſt à peccato mortali, (*num.* 1462.)

CENSVRÆ.

Harum Syntheſium, quas Commentarius meus in Regulam D. Benedicti perſuadet, & hoc Scholion teſtimonijs expreſſis Melliflui mei Doctoris corroborat, pleraſque certas & reliquas verè probabiles, poſſeque omnes & ſingulas ſine conſcientiæ ſcrupulo defendi & practicari iudico. Louanij 20. April. 1639.

Ioannes Caramuel Lobkovvitz.

Idem ſenſit Louanij die Exaltationi S. Crucis ſacro 1640.

Fr. Andreas à Turri S.Theol. Doctor & Profeſs. Ord. Prædicatorum.

Idem ſenſit Brugis 10. Iulij 1640.

Fr. Petrus Damaſus de Coninck Ord. D. Auguſt. S.Th.D. & Prof. Louanij.

Idem ſenſit Louanij 14. Calend. Octobris 1640.

Henricus Loyens, I.V.D. & in Acad. Louan. Decretor. Profeſſ. Regius.

Idem ſenſit Antuerpiæ 14. Aprilis 1636.

Gaſpar Eſtrix S.Th. Licent. Can. & Plebanus, ac Librorum Cenſor.

Omnes iſti ſapientiſſimi Viri Commentarion in Regulam, vnde ipſæ theſes ſunt extractæ approbarunt.

Sed & anno 1636. idem ſenſit.

Adrianus Cromius Soc. Ieſu S.Theol. Profeſſ. Louanij.

Idem de eiſdem propoſitionibus ſenſit.

Ioannes de Iongbe Societ. Ieſu S.Theologiæ Profeſſor Louanij.

Idem de eiſdem iudicauit.

Ignatius der-kennis Societ. Ieſu S.Theol. Profeſſor Louanij.

Sed & anno 1642. Ego, ait, etiam ſentio ſaluo meliori iudicio ſupra dictas poſitiones propter authoritatem multorum eſſe probabiles & in conſcientia tutas,

Fr. Patritius Breaanus Ord. Minor. ſtrict. obſeru. S.Th. Lector Louanij.

Idem cenſuit etiam

Fr. Auguſtinus Eganus eiuſdem Ordinis S. Theologiæ Lector.

Idem etiam de eiſdem poſitionibus ſenſit.

Fr. Raymundus Caronus eiuſdem Ordinis S.Theol. Lector Louanij.

Sub finem anni eiuſdem ſubſcripſit eiſdem adſertionibus

Ludouicus de Scildere Soc. Ieſu S.Theol. Profeſſ. Louanij.

Nec non etiam

Franciſcus de Cleyn Soc. Ieſu S.Theol. Profeſſ. Louanij.

Subſcripſerunt etiam Duaci, eximius D.Mag. nr. Ioannes d'Eſpieres & Collegæ. Coloniæ eximius & R.^mus D. Ioannes Blanquenberg, & alij nonnulli Doctores.

Sed quia toto mundo celeber D. Antoninus Diana proderit legere eiuſdem iudicium expreſſum Epiſtola ſequenti.

L Reue-

Reuerendiſſimo D. D. Ioanni Caramuel Lobkovvitz Abbati Melroſenſi Ciſtertienſis Ordinis per Angliam, Hiberniam, & Scotiam Pro generali.

Louanium.

Reuerendiſſime Pater. Peruenit his diebus ad manus meas Commentarius tuus in Regulam D. Benedicti, & laudes quibus in illo nomen meum condecoraſti, tanquam effectus benignitatis tuæ recognoſco, ideòque tibi nunc debitas perſoluo gratias. Exiſtimo tamen Opera noſtra à te perlecta fuiſſe Conſpicillo Galilæi, quod res paruas magnas efficit, & oſtendit. Fateor ingenuè, labores meos Pigmæos eſſe, Gigantes tuos. Deus bone, in hoc tuo Commentario quam omnia viuida, quàm acuta, & quod magis eſt, quàm ſolida? Verè in ipſo, non ſolum Moralis, & Scholaſticæ Theologiæ, ſed etiam reconditæ eruditionis, & Politioris literaturæ peritiſſimum poſteritati te præbes. Perge, perge incœptum iter, & cum nobis, vt ait Plinius, denegetur diu viuere, relinquamus aliquid, quod nos vixiſſe teſtetur. Hoc tu vſque adhuc egregiè effeciſti, fac etiam, me impellente, & in poſterum, atque ex Aerario tuæ doctrinæ ditiſſimo, aliquid noui ſemper reſera, vnde dites Ingenia opulentiora. Quid agit lumen Hiſpaniæ, & ornamentum Ordinis tui, ſapientiſſimus Manrique? Eius Annales, opus abſolutiſſimum ingenti cum voluptate euolui nouiſſimè, ſtimula illum per Epiſtolam vt Theologica ſua Aeternitati commendet. Viuitne Puteanus? & ſi viuit, viuat Neſtorios Annos, vt pariat felices ingenij ſui fœtus. Saluto & alios viros conſpicuos, qui in his partibus florent, & nominatim Profeſſores Regios Louanienſes, & Patres Societatis Ieſu in tuo indice Syntheſium ſubſcriptos. Meditor copioſam tractationem, an Principes poſſint ſtatuere impedimenta matrimonij dirimentia. Rubadeus Gallus, notat Doctores Louanienſes aduerſus Parlamentum Pariſienſe pro ſimili controuerſia ſcripſiſſe; vſque adhuc libellum inuenire non potui; ſi tu Louanij, vt ſpero, inuenias, precor vt quantocius mihi mittas, impoſitumque grauamen condona. Tu interim, vale vir doctiſſime, & tui obſequentiſſimum redama. Romæ in Aedibus S. Silueſtri montis Quirinalis die primo Nouembris 1642.

Reuerendiſſimæ D. T.

Addictiſſimus ſeruus

D. Antoninvs Diana Clericus Regularis.

Reue-

Reuerendiſſimo & doctiſſimo Viro, Antonio Diana S. Inquiſitionis Conſultori, &c. S. P. D.

Romam.

EXimie & ſapientiſſime vir. Quotieſcumque honorifica tui nominis in operibus meis mentio facta, proceſſum non ex affectu, ſed ex mente. Virum non cognoſcebam, ſed admirabar; Te vnum legendum conſulebam diſcipulis, Te vnum ſpiritualibus filijs, Te vnum amicis, vtpotè formandis conſcientijs generoſis aptum. Locutus ſum de te, ſcripſi, edidi plurima ab adulationis & paſſionis ſuſpicione alienus; ſed iam quid faciam? quem legebam, diligo; quem venerabar, peramo. Honoratus tuis literis ſubornatum me fateor, aucto tamen amore, tui nominis authoritas apud me non creuit, peruenerat enim ad terminum ſupremum, vltra quem aſcendi non poteſt. Galilæi Conſpicillo legendis cæli tabulis vtor, in quibus multa noua reperi, multa interlegi, & nonnulla deſcripſi; fractum enim ſublimiori contemplatione ſpiritum hæc etiam floridiora ſtudia nonnumquam recreant, vacillantem firmant, & periclitantem reſtaurant. Sed eſto libros tuos Galilæi teloſcopio perlegerim; quid inde? nil quidem aliud, quam tui nominis ſublimior exaltatio. Oculo artificiali Galilæi non niſi cœleſtia leguntur; ergo ſi tali vtor, cùm tuas lucubrationes lego, vel obſcurè profiteor, tuos libros cœleſtes, literas ſydera, & te intelligentiam, tot cœlorum præſidem, quot voluminum moderatricem. Ingenium tuum tametſi longè diſſitum magnum apparet oculis armatis perſpicillo; non quod illud res paruas magnas efficiat, vt modeſtia tua aſſerit, ſed quod rebus magnis, quam diſtantia ſuffuratur magnitudinem vel ex parte reſtituat, minorem tamen vera. Solis diameter multas pedum myriades complectitur, & pedalis apparet: cùm illum ad decem pedes tranſpicilli miniſterio extendimus, non videmus maiorem, quàm eſt, ſed millenis vicibus minorem. Non aliter de te moralium literarum Sole philoſophabor. Diſtantia in cauſa, vt licet maximus, vulgo hominum æqualis eſſe Doctoribus alijs appareas; Te incepi contemplari armatus teloſcopio, quod ſinceræ literæ ſubminiſtrarunt: maior mihi videris quàm vulgo, maior doctis quàm imperitis, maior hodie quàm ſub initium; ſed licet plus in te cognoſcamus detegamus & ſuſpiciamus, quo vberiùs reſolutionibus tuis fruimur, ex vngue tamen leonem, ex decempedali radio immenſam Solis magnitudinem, & veteris Romæ pulchritudinem ex paucis marmoribus ad nos tranſlatis ingenioſè rimamur.

Manriquum noſtrum tibi eſſe Hiſpaniæ lumen, & mei ordinis ornamentum gaudeo; communem enim ſententiam ſequeris. Sic ad vnum amici & inimici. Re & nomine Angelus; quantus in ſcholaſticis ſit demonſtrat academica dignitas. Cathedræ primariæ emeritus profeſſor eſt;

ad hanc, & aliàs prius, promotus, non Principum fauore, ſed ſapientum iudicio. Quantus in ſcriptura, libri editi concionatorij. Alij conciones publicant, quibus plauſibiliter vtuntur orationes neolegi; at inter alios Manriqui libros Laurea Euangelica magna cum laude authoris, inutilis iudicabatur. Nemo auderet vel vnam inde lineam excerpere; nemo vel vnam periodum declamare: nam impune non faceret; placuerat liber ille omnibus, ſciebatur memoriter ab vniuerſis ideoque vix poſſibile vel vnam declamari lineam, quin furtum ab auditoribus incuſaretur. Artes curioſæ, ſi viros illuſtres non conſtituunt, exornant. Poeſeos & Rhetorices notitia ſublimiore præditus; ligata oratione animos miſerijs illigatos ſoluit; ſoluta, diſſolutos alligat rationis regulis. Vt poſteritas quantus in Arthitectonicis fuerit, cognoſceret; erexit crucem Architectis. Gradus Salmanticenſis Collegij ſubintelligo, pulchrè diuites, & ſecuriſſimè periculoſos. Coclea optimè elaborata ſaxa intorquet; aere vacuo immenſam molem appendere conſpicimus; ſed ſi miraculum perpendimus, reperimus illam, quanta eſt, Manriqui artificis angelico ingenio ſubcollari. Sed quia huius Angeli authoritas nota eſt omnibus, nec verbum addam.

Sed quoniam de Manriquo agimus, de alio neoterico ipſi cognomine vel verbulum ſubiungendum eſt. Manriquum contra Dianam ſcripſiſſe, librum in Gallijs imprimi, ab omnibus deſiderari, vulgus vociferabatur imperitum. Mirabantur doctiores, & mirabar. illi propter communes, ego propter rationes peculiares. Contra homines de Eccleſia benè meritos impunè inuectiuas ſcribere ſolis hæreticis conceſſum eſt; ideò vix nullus ſuadere ſibi poterat Virum Eximium, cathedræ primariæ in Academia principe moderatorem, talem errorem commiſiſſe. quorum ſententiam ego à dotibus, quas in Manriquo ſuſpicio, confirmabam. Pientiſſimus, vrbaniſſimus, & ſtudioſiſſimus virtutis eſt. illoſque tyrannicos iuniorum laqueos, quibus imperitorum conſcientias implicant, vt inſolentiùs dominentur, mordicus deteſtatur. Hærebamus, inquam, diſtracti parturientium montium ſtrepitu, & abortus paruiculus mus. Michael Ferro Manrique, non ſolùm tui ſed & Priſciani infenſiſſimus hoſtis. Indiguit Dianæ inimicitia, vt nomen haberet, qui aliter cognoſci non poterat; ſed non eſt idem habere bonum nomen, quod magnum. Pro Priſciano, ab eo ſingulis ferè lineis transfoſſo, ſcribant ſyntaxiani; nemo, me conſule, pro Diana ſcripſerit; diſcat Ferrus Grammaticam, & ſi natura ingenio faueat, & ſtudium non deſit, poſt decem vel duodecim annos ſcribet, quæ ſint digna adſenſu vel diſſenſu.

An Puteanus noſter viuat, inquiris. ſed cur? mori non poteſt, qui eternus; & æternitatem illæ dudum adeptus? Orbem libris, academiam noſtram ſua præſentia nobilitat vir verè magnus; ſexageſimum-ſeptimum agit annum, adhuc robuſtus & vegetus; omnium ſuorum Operum exornat editionem, vt quæ ſeorſim leguntur, poſſint ſimul in paucis volumi-

nibus

nibus haberi; hortamur vt feſtinet, ſed indigent ſuo quoque tempore res magnæ. Quos valere iubes Profeſſores Regij Eximij ſunt, & omnes Vniuerſitati neceſſarij: tanti, qui ſine diſcipulorum iactura ad altiora promoueri, & ſine meritorum iniuria intermitti non poſſint.

Reuerendi Patres Adrianus Crommius, Ioannes de Ionghe, Ignatius der-kennis, quos ſaluere deſideras, moribus & ingenio potentes, vita & doctrina hanc prouinciam illuſtrant, à paucis menſibus illis adnumerati Ludouicus de Scildere & Franciſcus de Cleyn præditi acri ingenio & florido, digni qui à Te etiam amentur, colantur, ſuſpiciantur.

Sed quia magnas mentes internoſcere ambis, te Dunenſium meorum nomine ſaluere iubeo. Antiſtat D. Bernardus Campmans Vir verè multis titulis magnus & illuſtris. Summis laboribus pro republica & ordine fractus agit felicem ſenectam inter filios, delicium ſingulorum. Eius vices gerit D. Bernardus Botynus Cœnobij Prior, ſummi ingenij Vir, olim Philoſophiæ Profeſſor. Theologiam profitetur. D. Leander vander Bandt, cuius ingenio linguæ & calamo ſummam authoritatem debes, Ioannem Bargantinum à me hiſpanè editum, in idioma latinum ita tranſtulit, vt cum meos ipſos conceptus tanto donatos ſplendore conſpicio, memetipſum admirer, & vix credam me potuiſſe tantæ eloquentiæ vel leuem occaſionem dare, Prodibunt poſt aliquot menſes ipſius *Epiſtolæ morales*. in quibus multa acutè propoſita, & ſolidè reſoluta reperies.

Vt aliquid faciam quod me vixiſſe teſtetur, hortaris. Affectui & promouendarum literarum amori gratias ago. Sed quid te impellente facturus ſim, ſincerè loquor, non reperio. Non ſum ex eorum numero, qui nati docti, libris non indigent, nec lectione proficiunt. Libris diu noctuque inſiſto & poſteà multa ignoro. Gratiaſque ago omnipotenti Deo, quod meis æmulis tam acre indulſerit ingenium vt conuiuijs & floridiori relaxationi ſtudentes ſciant euidenter Caramuelem declinauiſſe ab omni probabilitate. Hæc eſt miſeria noſtri æui. Iudicaturiunt ſtudioſos otioſi, academicis laboribus exercitos tyrones, & modeſtos homines ſardanapali. Interim, quia ſic iubes, adhuc diligentiùs in poſterum Theologicis rebus vacabo.

Moralem Theologiam ſcripſi, nunc relego & exorno, cuius intentum omnes difficultates reducere ad prima eaque naturalia principia; coaleſcit ex quæſtionibus curioſis iudicio veterum & iuniorum firmatis.

Commentarium Francofurtenſes recudere deſiderant, auctiorem & locupletiorem illis dabimus.

Liber de præcepto & diſpenſatione à D. Bernardo compoſitus, & à me dilucidatus impræſentiarum hic Louanij apud Euerardum de VVitte imprimitur, quem vt ſpero, non contemnes ratione Authoris.

Reſo-

Reſolutionum præcipuarum librum apparo, in quo variæ, eæque diffi-ciles controuerſiæ deciduntur, caſibus propoſitis extraordinarijs & varijs pro opportunitate temporum & conſultorum.

Sed quia Scholaſticam Theologiam profiteor, inſudo Curſui Theologico iuxta Bernardi mentem claram & facilem; qui quidem multa volumina complectitur, & debet prodire per partes.

De impedimentis Matrimonij aliqua ſcripſi, dictaui, & publicè defendi; *nihil* edidi. In Similibus materijs à tua ſententia abeo; cùm agitur de immunitate Eccleſiaſtica totus pro clero, & Pontifice multa pulcherrima edidiſti, quæ ſæcularibus non placent. Ego meis inſiſto principijs, nec facilis ſum in concedendo Pontifici, quæ iudico Regi deberi. Impedimenta varia ſunt, & poſſunt diuerſimodè conſiderari; quæ occurrerunt tumultuario calamo ſcripta, & potiùs congeſta, quam digeſta tranſmitto. In varijs occaſionibus Doctores noſtri de hac materia conſulti, ſibi ſemper ſimiles creduntur prudenter reſpondiſſe: ſed quia celebrior de matrimonio Gaſtonis, Franciſci Delphini conſultatio, videntur illam Galli impugnare, illam tu quærere. Habeo quidem inter alias chartas; ſed quia librorum in albis & MSS. chaos examinare debeo, vt inueniam, eam per alium veredarium tranſmittam. Vale Vir doctiſſime, in ſacrificijs memor Tui.

IOANNIS CARAMVEL LOBKOVVITZ.

Louanij 4. Eid. Decemb. M. DC. XLII.

D. FRAN-

D. FRANCISCO PENNEMAN SVO. S. P.

Brugas

INter Multos Diſcipulos, quorum olim mihi formatio, & promotio hodie magnis curis ſtat, pauci reſpondent debito; ſed Te inter paucos video ingratitudinis notam diligenter effugere, & cùm poſſis Magiſtrum, velle apud Me non niſi diſcipulum agere. Sed & hoc ipſum laudo; oportet enim colere, per quos profecimus; & Ego in hac materia amicorum ſententia nimius ſum: multum enim illis defero, à quibus habeo quòd nihil eis deferre poſſim.

Titio, viro apud Benedictinos Gallos authoritatis eminentis, ita diſplicuiſſe iſtas Syntheſes, tametſi viginti aut plures Magni ſubſcripſerint, vt in illas ſæuierit cenſuram crudelem euulgando, non miror, ſemper enim ignorantia eſt imprudens & audax. Noctua etiam, non infimæ magnitudinis inter aues, conqueſta olim in volucrum comitijs fuit, quòd Sol eſſet nimis caliginoſus, nec tamen lego Solem euulgaſſe pro lucis theſauris apologiam, ſed irriſiſſe cæcutientis calumniam, communi omnium ſuffragio & applauſu contentum Sol, mi Franciſce, eſt veritas, nec minùs clarus ille quod in eum blaſphemias noctua euomat; nec minùs certa iſta, quòd in ipſam ignorantia præſumat. Hæc cum omni moderatione ſint dicta; ſed quoniam Veritati, & eximijs hominibus pro ea ſtantibus, quibus hæ ſtupidæ inſidiæ parantur, eſt fauendum, vrbanè, fortiter tamen vrgenda. Sic diſcurro.

Has omnes & ſingulas Syntheſes eſſe probabiles dixi, & dico; negat ille, improbabiles, laxas, pernitioſas, ſcandaloſas, (cur non etiam hæreticas?) affirmat. Furit, an docet? ſæuit an cenſet? Ipſe loquitur, & in hoc nec à pſittaco differt. at ego Soles reipublicæ litterariæ propugno, & meum Aſſumptum ſic demonſtro. *Quæcumq; opinio habet viginti Authores pro ſe, eſt omninò probabilis. Nulla eſt in his Syntheſibus, quæ plures non habeat. Ergo nulla, quæ verè probabilis non ſit.* Quid tuus ad iſtum ſyllogiſmum Titius? Si neget formam, oſtendet ſe ignorare Dialecticam. Si maiorem, ſe moralem Theologiam ne quidem à longè ſalutaſſe; ad probabilitatem enim non iam viginti; ſed etiam multò pauciores in omnium opinione ſufficiunt. Si minorem, ſe non ſcire legere, ibi enim proſtant Subſcriptiones Superſtitum Virorum, quibus maiores hodie in Orbe Chriſtiano non dabit. Ergo quidquid ad ſyllogiſmum illum dicat, erit Noctua Solem incuſans, quòd audiat lucidus, cùm tamen tenebroſus ſit. Sed hæc de illo ſufficiant. cuius nomini parcere volui, tametſi non pepercerit meo; quia demonſtrationes dedignantur cum ſtupida ignorantia confligere. Nos igitur, qui nolumus ita loqui, vt non poſſimus apud doctos non vocari ignorantes, Theſes illas relegimus, & de illis iſtas etiam ſubijcimus.

Prima.

Prima. *Quicumque opinionem, quam ſpecialiter conſulti, viginti illuſtriores illuſtriorum Vniuerſitatum Theologi probabilem iudicant, ijs non obſtantibus improbabilem dicit, oſtendit ſe quid probabilitas ſit, ignorare.* Patet, quia nemo doctus eſt, qui neget opinionem octo aut decem Authorum debere vocari probabilem.

Secunda. *Repugnat opinionem probabilem, in materia quæ de neceſſitate medij ad ſalutem æternam non eſt,* (quidquid de neceſſitate medij ſit, illam enim huiuſmodi Theſes non tangunt) *eſſe periculoſam, temerariam, audacem, malè ſonantem, aut aures pias offendentem.* Conſtat ex probabilitatis definitione. Sanè Probabilis opinio periculoſa non eſt; nulli enim ſe exponit periculo, qui non ſe exponit periculo peccandi, & eum, qui minùs probabili ſententiæ ſubſcribit, non peccare probabilior ſententia (adeoque communis) affirmat. Nec eſt temeraria; nam motiuis grauibus ſubſiſtit, quibus cum temeritas componi non poteſt. Si non ſit temeraria, nec erit audax; quoniam coincidere videntur, audacia & temeritas, aut ſaltem ſeparari non poſſe. Cùm igitur probabilis ſententia bona ſit nec pernicioſa, nec ſcandaloſa ipſa eſt. Laxa dici non debet, ſed benigna. Et per conſequens, malè ſonare nequit, nec pias aures offendere, quòd ſi aliquas offendat, non ſunt piæ. Corollarium. *Repugnat aliquem eſſe vel mediocriter doctum, & tamen cum probabilitate has duriſſimas notas componere.*

Tertia. *Nulla ex prædictis Syntheſibus aliter poteſt ſua probabilitate priuari, quàm ſi contradictoria tranſeat in Articulum fidei.* Patet; quia opinio probabilis eſt, quæ à magnis & multis defenditur; & tamen humanitus non poterit fieri, quòd illi Doctores, qui ſubſcribunt, multi aut magni non ſint. Vel finge quemcumque caſum poſſibilem præter definitionem Eccleſiæ. Congregentur vniuerſi Europæi, docti indocti, magni parui, non tamen poterunt facere, aut verè definire, viginti non eſſe viginti, aut Viros eximios, & ſummarum Academiarum lumina, non eſſe magnos.

Videas igitur quàm ſtupidè Titius, contra tot Academiarum illuſtriſſimarum Soles fuerit auſus, & Inuidiæ ignoranti condoleas, in poſterumq; Syntheſes illas tanquam ſecuriſſimam baſin tuarum omnium Reſolutionum ſtatue. & diligere perge

IOANNEM CARAMVEL LOBKOVVITZ.

Moguntiæ 4. Maij M. DC. XLV.

PROLO-

PROLOGVS
SANCTISSIMI PATRIS BENEDICTI
In Regulam.

1 AVſculta, *c* ò Filij, *d* præcepta Magiſtri, & inclina aurem *e* cordis tui & admonitionem Pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple: vt *f* ad eum per obedientię laborem redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras. Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur, *g* quiſquis abrenuncians proprijs voluntatibus. Domino Chriſto vero regi militaturus, obedientiæ fortiſſima, atque præclara *h* arma aſſumis. In primis, *i* vt quidquid agendum inchoas boni, ab eo perfici *k* inſtantiſſimà oratione depoſcas, vt qui nos jam in *l* filiorum dignatus eſt numero computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris *m* contriſtari. Ita enim ei omni *o* tempore *p* de bonis ſuis (in) nobis parendum eſt, vt non *q* ſolùm vt iratus pater ſuos non aliquando filios exhæredet: ſed nec vt metuendus Dominus irritatus malis noſtris, vt nequiſſimos ſervos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum *r* ſequi noluerint ad gloriam.

PRologus) *Legis ferendæ leges ſtatuit Cordubenſis Philoſophus Epiſt. 69. illas Benedictus nos ſequitur cùm decernit monaſticas. Nihil aut ineptiùs aut perrigidius videtur eſſe Senecæ, quàm lex donata prologo: Prologus benedictus præmittit indicturus Regulas monaſticæ conuerſationis. Sibi*

inuicem Antipodes apparent, & tamen conſonant armonieâ reſolutione. Legis nomine Seneca (colligo ex eius verbis ſatis clare) coactiuam indictionem, quæ non diſputat ſed iubet, non perſuadet ſed cogit, intellexerat: Regula autem noſtri ſanctiſſimi Legislatoris, ſummâ diſcrettione compoſita, non rigeſcit ſpecie legis coactiuæ, ſed mitior adlicit conſultiuæ dulcore inſtitutionis. Si in rigore loquamur, lex non eſt, ſed inſtitutio conuerſationis regularis: vnde & Regulæ nomen ideò, ſi leges debent carere prologo, Regula ſanctiſs. Patriarchæ nos debet, quæ lex non eſt, ſed methodus nobis conſulta.

At hic locus conceptui. Regula dicitur vitæ monaſticæ inſtitutio, quod obaudientem recto itinere manducat ad patriam. Sanè in corpore peregrinamur. Eius non eſt immenſa latitudo, ſufficiens tamen vt æternum erremus. Sumus qui non eramus. Creatio extraxit nos ex nihilo ad vitam: huius principium eſt Geneſis, & finis patria. Ad hanc innumerabiles viæ diriguntur, quæ vt cognoſcantur, audiendus eſt Euclides optimè meritus de Mathematicis. Ex vno puncto ad aliud lineæ plurimæ deduci poſſunt, cæterum breuiſſimus ductus eſt rectus; eò longiores alij, quo ſint malis obliqui. Ex geneſi ad patriam viæ plurimæ poſſunt protendi. Ad patriæ gloriam deducuntur virgines, celibes, coniugati, breuiſſimum & perfectiſſimum iter eſt rectum ſeu regulatum, reliqua, eò longiora, quò regulæ ſunt minus coniuncta. Ad cælum tendunt ſeculares tranſuolant religioſi, quorum & iter expeditius: nam cum rectitudo ſit maior, longitudo protenditur, breuior & minor.

b Sanctiſſimi) *Multa antiqua exemplaria habent* eximij. *Merito Doctoris Theologi titulo donatur D. Benedictus, qui doctrinæ efficacia ad practicam Theoſophiam virtutis ſtudioſos conducit.*

c Auſculta) *ſupernalis auſcultationis librum ſcripſit Benedictus.* n. 5.

d Præcepta) *Nomen* Præceptum *non ſemper rigoroſè ſumitur, nam & in ipſa Regula frequentiùs pro* conſilio *&* Licentia *vſurpatur.* Vide ſub libri finem Nomenclatorem Reg. Benedictinæ. *Hic poteſt latè & rigoroſè exponi; latè quidem ſi nomine magiſtri S. Pater dicatur intelligi; rigoroſè autem, ſi non ipſe, ſed ordinarius Abbas.* Vide num. 79.

e Aurem Cordis) *Cordi ceu integro homini, membra omnia adſeribuntur. Dicitur videre, audire, loqui, operari, moueri, adeoque illi oculos, aures linguam, manus, & pedes myſticæ Theologiæ Profeſſores adſeribunt. Ita frequenter ſacra pagina, frequentiùs Patres veteres quos imitatus Benedictus. Conſidera myſticam cordis compoſitionem, quam in litteris ſacris reperio; habet enim Mentem, Intellectum, Memoriam, Cogitationem, Voluntatem, Senſus, Viſum, Cæcitatem, Tactum, Vocem, Cor, Arbitrium, Pedes, Præputium, Quantitatem, Qualitatem, &c. vt conſtat ex teſtimonijs ſubſequentibus.*

Cordis intellectus ſeu contemplatio.) Lucæ 1. 51. Superbos mente cordis ſui.

Cordis memoria ſeu cogitatio) Gen. 6. 5. Cogitatio cordis. *Item Gen.* 8. 21. *Act.* 8. 22. *Ieremiæ* 23. 20. & 30. 24. *Pſalm.* 32. 11. *Luc.* 9. 47. & 4. *Eſdr.* 5. 21. *Eccl.* 27. 7.

Cordis volũtas ſeu deſiderium) Pſal. 80. 13. & 20. 3. & 72. 26. *Rom.* 1. 24. & 1. *Paral.* 29. 18. Voluntatis cordis eorum. & *Rom.* 10. 1. Voluntas quidem cordis mei.

Cordis ſenſus) Senſus cordis mei turbati, *Ierem.* 4. 19. & in ſenſum cordis noſtri. *Baruch.* 1. 22. & 4. *Eſdr.* 10. 31.

Cordis viſus) Illumina oculos cordis. *Eph.* 1. 18. In viſu cordis. *Eccl.* 40. 7. Viſio cordis, *Ierem.* 23. 16. *Vnde ad-*

huc

huc in ipſo Prologo Benedictus oculorum cordis meminit dicens, Qui malignum diabolum aliqua ſuadentem ſibi, cum ipſa ſuaſione ſua à conſpectibus cordis ſui reſpuens, deduxit ad nihilum.

Cordis cæcitas.) *Marc.* 3. 5. *Eph.* 4. 18. *Cordis tactus*) *Gen.* 6. 6. Tactus dolore cordis *Eccli.* 26. 8. *dolor cordis & luctus* 2. *Machab.* 3. 17. Dolor cordis eius. *Iſaiæ.* 65. 14. Pre dolore cordis. *Eccl.* 25. 31. Plaga cordis mulier. 3. *Reg.* 8. 38. cognouerit plagam cordis. *Eccl.* 35. 18. Non plagam videbit cordis.

Cordis vox.) Gemitu cordis mei, *Pſalm.* 37. 9. Dabit tibi petitiones cordis tui. *Pſalm.* 36. 4.

Cordis cor.) In medio cordis mei, *Pſalm.* 39. 9. *Prouerb.* 4. 21.

Cordis arbitrium.) 4. *Reg.* 12. 4. Arbitrio cordis ſui.

Cordis pedes.) *Eccli.* 13. 32. Veſtigium cordis ſui *Iſaiæ* 57. 17. In via cordis ſui. *Eccl.* 11. 9. In vijs cordis ſui.

Cordis præputium.) *Deut.* 10. 16. Preputium cordis noſtri. *Rom.* 2. 21. Circumciſio cordis in ſpiritu.

Cordis quantitas.) *Ierem.* 48. 29 Altitudinem cordis 2. *Corint.* 2. 4. Anguſtia cordis. *Ierem.* 17. Latitudinem cordis. 3. *Reg.* 4. 29. *Ierem.* 17. 1.

Cordis numerus, ſeu quantitas diſcreta.) Cordis particula. *Tob.* 6. 8. Cordis ſimplicitas. *Gen.* 20. 5. & 1. *Par.* 29. 17.

Cordis qualitas, Malitia, bonitas moraliter: robur & debilitas phyſicè.) cordis durities *Eccli.* 16. 11. *Matt.* 19. 8. *Marc.* 10. 5. & 26. 14. & cordis robur. *Eccl.* 7. 8.

Cordis actio. fructus.) *Iſai.* 10. 12.

Cordis Vbi, Locus.) *Pſalm.* 43. 22. Norit abſcondita cordis. 1. *Corint.* 14. 25. Occulta cordis.

Cordis tabulæ) *Prouerb.* 3. 3. & 7. 3. & 2. *Corinth.* 3. 3.

f *Vt ad eum.*) Vide num. 9. *Quærunt Theologi, An peccata deleri poſſint ſine mutatione peccatorum intrinſeca? Exiſtimo probabiliter non poſſe dici aut homines de facto iuſtificari ſine Phiſica, aut ſaltem ſine morali poſſe. Videtur S. Doctor fauore ſententiæ negatiuæ, tametſi de potentia ordinaria commodè poſſit explicari.*

g Dirigitur) *in D. Thomæ ſchola angeli loquuntur per directionē voluntatis: angelus igitur Benedictus, angeli ipſius diſcipuli, ad quos abrenunciantes proprijs voluntatibus ſermonem dirigit.*

h Obedientiæ ** Arma) *Expertiſſimus nos inimicus inuadit; vincendos ſi inermes, vincendus ſi armatos: obedientiæ ergo fortiſſima atque præclara arma adſumamus; eſt enim in ſpirituali pugna debilis, qui ſibi relinquitur; fortis, qui alieno ſubſidit magiſterio.*

i Quidquid agendum inchoas) *Multas periodos ſimiles in Benedicto, multas in Chryſoſtomo, imò & in ipſo Auguſtino reperies, quas cautè legas. Non petimus, vt Deus actus illos perficiat, quos ſine ipſo elicuimus; nihil enim naturale, aut ſupernaturale ſine Deo poteſt fieri: Non, vt perficiat actus noſtros ſua gratia, quos ſine gratia incepimus; nihil enim meritorium incipitur ſine auxilio ſupernaturali: Petimus igitur, vt actiones illas noſtras, quas dignatus fuit gratia excitante præuenire, concomitante etiam & ſubſequente proſequatur.* Vide Reg. Benedictinæ Nomenclatorem. verbo. *Pelagius.*

k Inſtantiſſima Oratio) *Feruens, conſtans, perpetua: qui enim ſemper pauperes & egeni ſumus, cur non ſemper orando ad portas miſericordiæ confugiemus?*

l *Dignatur nos Deus in filiorum numerum computare; tum, quia indignis gratiam dedit vt cōputari mereremur; tum etiam, quia merentibus dignatur ius in gloriam concedere, quod negare poſſet, ſi vellet, non enim condignæ*

ſunt, ſecluſo pacto, paſſiones huius mundi ad futuram gloriam.

m Contriſtari) *Verbum eſt metaphoricum & Deo triſtitiam adſcribit eodem ſenſu, quo ſacra ſcriptura pœnitentiam, cum ait,* Pœnituit Deum feciſſe hominem. *Gen. 6.6.*

o Omni tempore) *Iam tunc ſanctiſſimi Benedicti æuo videbatur ſerpere illa hæreſis, quæ à paucis annis in Hiſpania, Bætica multas ciuitates inquinauit. Mahometanorum expreſſa lege Decalogus ad tempus obſtringit; illi enim qui duodecim ſolidis annis Decalogo bene ſatisfeciſſe dicuntur, fiunt emeriti, & ab obediendi obligatione liberantur. Bæticæ noſtræ noui hæretici, qui* Illuminati *propter diuinas reuelationes & illuminationes dicti, eximebantur à Decalogo iure communi & ſpeciali communi quidem, quando ad ætatem talem bene morati & obedientes perueniebant: ſpeciali, quando ante hanc etiam ætatem propter præclara aliqua virtutis exercitia immunitatem adipiſcebantur. Has etiam tunc ſuborientes ſectas eradicare Benedictus deſiderans definit eum, qui perſeuerauerit vſque ad vitæ finem, ſaluum fore; adeoque omni tempore, omni hora, omni inſtanti. Deo parendum eſſe.*

p De bonis ſuis) *Sed quid illud,* De bonis ſuis in nobis parendum eſt? *Reſponderet ſtatim Lutheranus; conſultò Benedictum dixiſſe,* In nobis parendum, *non verò,* Nos parituros eſſe, *quia poſita gratia imperatrice & omnipotente, vt loquuntur (quam* bona ſua, *nempe* Dei, *nominant) voluntas mouetur paſſiuè tanquam mortua; vt diuinæ illæ operationes nos humilient, animaduertentes actus omnes meritorios, & ſupernaturales fieri quidem in nobis, non à nobis. Sed hunc iam Lutheranorum errorem non ſolùm nos, ſed & ipſius diſcipuli acriter deteſtantur, aut magiſtrum tametſi clariſſimè loquutum obtorquent. Illum Conciliũ Tridentinum condemnat, & Chemnitius Lutheri verba interpretatus cum concilij fide tenenda reſolutione conciliat. Quam ob rem illud* parendum eſt, *actiuè exponendum eſſe non dubito, eo omninò ſenſu, quo dicimus.* Amandum eſſe nobis Deum, *pro* ſumus Deum amaturi, *nec contra hanc interpretationem illud* in nobis *militat; tum quia Benedicti Grammatica non eſt Ciceroniana, tum quia potuit illud* in *irrepſiſſe, quo ſublato ſenſus eſt manifeſtus; puta, ſi actiuè diceremus,* Nobis parendum eſt Deo de bonis ſuis, *hoc eſt,* ex gratia ſua.

Sed cur ex bonis ſuis? *nonne gratia omnibus vna & eadem? cur igitur non* ex bono ſuo? *Quia non habemus Deum ſimplicis miſericordiæ, ſed Deum miſericordiarum, & totius conſolationis, hoc eſt, omnium conſolationum, qui nos multis miſerijs afflictos proſequitur multis miſericordijs. Multas gratias Romana Eccleſia autore Deo theſaurizat in varijs ſacramentis, multas in varijs orationibus; quia illæ reſpondere debent neceſſitatibus, & hæ multę. Optimè igitur Benedictus, qui gratias Dei & miſericordias cognoſcebat, non* bonum, *ſed* bona *nominauit; ſunt enim innumeræ, & ſi vnam diceret, diminutè procederet.*

q Non ſolum) *Aut fallor, inquis, aut hæc periodus pœnam damni, quam Theologi vocant, eliminat. Nam dum beatificæ viſionis carentiam pœnæ perpetuæ contraponit, videretur aſſerere carentiam hanc non eſſe pœnam; opponique ſummis Doctoribus, qui in hac ipſa viſionis Dei carentia primam & præcipuam pœnam peccatorum conſtituunt.*

Sed reſpondeo, duas S. Doctorem cognoſcere viſionis Dei carentias; alteram ignotam, notam alteram. Caremus Deo, & quia quanto bono careamur non cognoſcitur, hæc non torquet deſiderium carentia: torqueret, ſi cognoſce-

gnoſce-

gnoſceretur. Credo Deum, vt iratum Patrem, filios ſuos (quales? adoptiui ſupernaturales filij non ſunt, qui nondum diuinitùs regenerati: nec naturales dici poſſunt) originali ſola labe infectos exhæredare, negareque illis beatificam viſionem; non tamen credo exhæredibus iſtis concedere aduertentiam & cognitionem, qua iacturam ſuam percipientes torqueantur propter gloriam perditam: at vt metuendus ſolet Dominus, malis (hoc eſt, peccatis) noſtris irritari etiam teneo, condemnareque damni & ſenſus pœna, eos qui noluerunt eum conſequi progredientem ad gloriam. Damni quidem, eos non ſolum diuina viſione priuando, ſed & cognitionem claram & euidentem indulgendo, qua ſciant quid perdiderint, & ob bonum perditum innaſcente dolore torqueantur: ſenſus autem, eorum animas igni materiali adligando, qui eleuatus diuinitùs qualitatẽ aliquã ſpiritualem animæ diſconuenientẽ gignat.

Hinc conſtat beatificæ viſionis carentiam in paruulis & adultis pœnam eſſe, quia propter peccatum infligitur, non tamen in illis pœnalitatem, aut pœnam ſenſibilem; exponique debere S. Patrem de ſenſibili pœna, cum diuinæ viſionis carentiam non pœnam *ſed* exhæredationem *appellat.*

r Sequi noluerint) *Per paſſionem & crucem ad gloriam Chriſtus Dominus; fallitur ergo qui ſe doctiorem ipſo putat; nemo illuc aliàs, nemo illuc aliàs ſibi adulatur, & ſeſe adulterino veritatis colore decipit, qui per gaudia & delicias vult cælum pertingere, ad quod nemo, quem ſciamus, aliter quàm per miſerias, dolores, & paſſionem peruenit. Liberi ergo ſunt, qui peccato non ſeruiunt, vitijs enim dominantes triumphum Chriſti ſequuntur; at qui vitijs ſeruiunt, & nolunt Chriſtum ſequi mancipia.*

2 Exurgamus *a* ergo tandem aliquando, *b* excitante nos ſcriptura, (*Rom.* 13.) ac dicente: *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.* Et apertis oculis noſtris *c* ad deificum lumen, attonitis *d* auribus audiamus, diuina quotidie *e* clamans quid nos admoneat vox (*Pſalm.* 92. dicens: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et iterum: *(Apoc. 2.)* f *Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat Eccleſijs.* Et quod *(Pſalm. 33.)* dicit? *Venite* g *filij, audite me, timorem* h *Domini docebo vos. (Ioann. 12.) Currite dum lumen* i *vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant.* Et quærens Dominus in multitudine populi ſui, cui hæc clamat, operarium ſuum, iterum *(Pſalm. 33.)* dicit: k *Quis eſt homo qui vult vitam, & cupit dies videre bonos?* Quod ſi tu audiens reſpondeas: *Ego.* dicit tibi Deus: Si vis habere veram & perpetuam vitam, *(Pſalm. 33. 14.) probibe linguam* l *tuam à malo & labia tua ne loquantur dolum; diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem & ſequere eam.* Et cùm hæc feceritis, oculi mei ſuper vos, & aures meæ ad preces veſtras, & *m* antequam me inuocetis dicam, *Ecce adſum.* Quid dulcius nobis hac voce Domini inuitantis nos, Fratres chariſſimi? ecce pietate ſua *n* demonſtrat nobis Dominus viam vitæ.

Exur-

a *Exurgamus*) vide num. 7.

b Excitante) *Nunquam Pelagius gratiam excitantem negauit, ſed hanc docuit in ſola lege & ſcriptura conſiſtere: nos duplicem excitatoriam affirmamus; extrinſecam, intrinſecam. Illam ponimus in ſacra pagina & concilijs primariò, & ſecundariò in ſanctorum virorum ſcriptis, colloquijs, & exemplis: hanc in ſupernaturali auxilio interno dormientem animam quodammodo excitante.*

c Deificum lumen) *Non aliud intelligit, quàm lumen gloriæ, meritò* Deificum *dictum, quòd Deo ſimiles faciat. Vox frequens in Dionyſio, non tamen itá frequens in alijs. Sed quid eſt, ad deificum lumen oculos aperire? Satisfacient veteres Patres ex quorum ſana doctrina duæ poſſint adſignari cauſæ propter quas impij actiones in Dei ſeruitium non collimant, altera ſe tenet ex parte hominis; altera, ſi hæc daretur, teneret ſe ex parte Dei. Non ſufficit lux vt videat, ſi oculos clauſos homo habeat; nam meridie mero, qui non aperit oculos, cæco ſimilis eſt: non ſufficit oculorum apertio, ſi lux abſit; quia, ſicut ſub mediam noctem fortiſſimi oculi nihil vident, tametſi latiſſimè aperiantur, ſic etiam ſub peccati tenebras nihil omnino videbis, ſi retineas oculos clauſos vix aliquid ſi vincula diſrumpens tyrannide concupiſcentiæ iniecta, oculos voluntariò aperias: opus eſt luce vt videas, hancque habere, non eſt currentis neque volentis ſed miſerentis Dei. Illuminat tenebras noſtras clementiſſimus, non niſi clementiſſimè: nullo iure, nulla lege ſuperiore coactus ſe lucem peccatori communicat; vt quo indigniori factus cenſeatur fauor eminentior & maior. Hanc doctrinam altè concipiens Benedictus, ſplendori paternæ gloriæ, luci lucis & fonti luminis in diſcipulorum ſuorum cordibus ſuborienti applaudit, & ne illi hoc ſplendore abutantur, inquit;* exurgamus tandem aliquádo ſiquidem iam Sol Chriſtus noſtris animabus illuxit, cœlitùs hauſtę inſpirationes intrinſecus vtiliter lectæ Sacræ Scripturæ extrinſecus, nos tametſi lethargico ſopore obrutos excitant proclamantes, Horam eſſe vt de ſomno ſurgamus. Oculos noſtros, quos culpa vitta dubiorum, & ignorantiarum occluſerat, ad deificum lumen aperiamus. Qui lucem habemus, curramus in luce, ne tenebræ nos comprehendant. Si fuggientes gehennæ pænas, ad vitam volumus venire perpetuam, dum adhuc vacat, & in hoc corpore ſumus & per hanc lucis viam vacat implere, currendum & agendum eſt modò, quòd nobis in æternum proficiat. *Sic D. Benedictus, cuius expreſſi mentem, ſi non verba.*

d Attonitis auribus) *Sed cur non potiùs intentis quàm attonitis? nam intenti ſumus, cùm res noſtra induſtria minores accuratè tractamus; attoniti autem reddimur ſpeculatione obiecti noſtra induſtria maioris. Excellentius cenſibile obtundet ſenſum, & eminentius cognoſcibile ita obtundit aciem intellectus, vt acui debeat mortificatione & ieiunio.* Ne magnitudo reuelationum extollat me, *dicebat aliquando Apoſtolus attonitis animis cæleſtia contemplatus myſteria,* datus eſt mihi ſpiritus carnis Satanæ, qui me colaphizet, *nam vbi acies mentis obiecti eminentia recuditur, mortificatione acuitur & reſtituitur.*

e Quotidie) *Eſt quæſtio inter Catholicos hæreticoſque examinans. An detur auxilia ſufficiētia? nā tametſi illa olim aliqui negarint Catholici, ſic nomen efficacis vſurparunt, vt etiam illa, quæ ſufficientia vocitamus, comprehenderent. Dari gratias cui poſſimus reſiſtere, quas valeamus reijcere, quibus ſoleamus abuti olim etiam fuit, ſed iam poſt Tridentinum clariſſimè de fide eſt. Quando autem hæ indulgentur gratiæ? quando hi fauore conceduntur?*

Ali-

Aliquorum ſententia quãdo inſtat operandi obligatio; ac noſtri Authoris, diebus (& ſi mavelis, horis) ſingulis. Audiamus, *inquit*, diuina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens; Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. *Igitur ſi quotidie vox illa clamat, quotidie habemus diuinas illuminationes & inſpirationes, quibus excitemur, vt Deo obaudiamus, nempe dicenti, ſi hac die, hoc eſt, ſi aliquo huius diei momento, tota diei in clamantis Chriſti vocem velitis audire, poteritis adhuc vel frangere, vel obdurare corda; verba enim Dei, ſiue extrinſecus miſericordia omnipotentis inſtillata, nullam hominis voluntatem cogunt, nullum neceſſitant arbitrij indifferentiam integram & illæſam relinquunt; dando enim bene operandi poteſtatem, non tollunt omittendi & male operandi potentiam. Vos ergo, qui poteſtis, corda tam multis peccatis incruſtata, vel indurare pertinacia, vel dolore pœnitentiæ conterere, deprecor, nolite obdureſcere; manent enim contritos gloriæ, induratos ſempiterna ſupplicia.*

f Qui habet aures) *Hanc ipſam reſiſtendi potentiam homini diuinitus conceſſam oſtendit S. Pater, & probat ſacræ ſcripturæ teſtimonijs.* Qui habet aures audiendi, audiat, *inquit*, quid Spiritus dicat Eccleſijs. *non ergo illum alloquitur, qui audire non poteſt; is enim ſi fortè auribus, non tamen eſt audiendi auribus præditur: non illum, qui non audire nequit, neceſſaria enim agẽtia nulla indigent exhortatione: ſed illum, qui in audiendo nullam neceſſitatem patitur; videlicet, illum, qui poteſt audire. Non ergo Dæmones, quos tametſi culpa naturalibus prærogatiuis non expoliauerit, ita infirmauit, vt aures intellectus habeant, & tamen vocem Dei audire non poſſint: non Angelos, qui neceſſariò boni ſuaſionibus noſtris non indigent; ſed Homines, qui nec neceſſariò boni, nec neceſſariò mali; quique ſæpè ſcandalo peruerti, conuerti exemplo vitæ, & ſincera perſuaſione ſolent.*

g Venite filij) *Teſtimonium quod additur indifferentiæ inſinuat latitudinem.* Venite filij, *inquit Magiſter verax*, audite me, timorem domini docebo vos. *vnde colligo poſſe hominem ex communi auxilio venire ad Deum & non venire; & ſi venerit, adhuc poſſe audire & non audire, ſeu potius ob audire. Aduenit enim ad nos regnũ Dei, quod in oratione dominica petimus, quotieſcumque datur nobis auxilium ſupernaturale, ex vi cuius, ſi velimus, paſſionibus & vitijs regnemur. Hoc poſſumus recipere & abijcere: ſi abijcimus, Deum fugimus; ſi admittimus, Deum conuenimus: ſed adhuc Deo præſenti liberè non obedire poſſumus; poſſumus enim gratia ipſius vtendo diuinæ legi obtemperare, & etiam poſſumus non vtendo eidem legi diuinæ non adquieſcere.*

h Timorem Domini) *Imperitus architectus ille, qui nullis fundamentis ſuppoſitis, erigit arcem eminentẽ improuidus Scholaſticæ Theologiæ Profeſſor, qui ſublimes de Trinitate controuerſias doceret, fundamenta metaphyſica, quæ in philoſophicis traduntur ignorantes: noſter igitur author notam imperitiæ & incuriæ non fugeret, ſi Theophiliam excelſam nobis traderet nullis fundamentis ſubnixam.* Initium Sapientiæ, timor Domini. *Theophilia facultas eſt practica, mẽtem & voluntatem diuinæ volũtati conformans; quæ ideò* Sapientia *ſuis fundamentis ſecuriſſimè innititur, quorum primum eſt Timor Domini. Et S. Benedictus;* Conſtituenda eſt ergo à nobis Dominici Schola ſeruitij, in qua ſucceſſiuis acroaſibus Theophiliam docebimini. In prima non niſi prima artis principia, & quia Initium & fundamentum ſublimis huius ſcientiæ Timor Domini, venite

filij,

filij, audite me, timorem Domini docebo vos. *De timoris filialis (is Domini dicitur) & ſeruilis differentia egi in Scholio Doctoris Melliflui, vide Tabulas.*

i Lucem vitæ) *Lego in Ioannis Apoſtoli Euangelio 12.35. Chriſtum dixiſſe*, Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris neſcit quò vadat. Dum lucem habetis credite in lucem vt filij lucis ſitis. *Et ſtatim occurrunt aliquæ quæſtiones difficiles, quæ indigent ſolutione.* Prima, *velociter an tardè deambulandum ſit; ſunt enim morbi qui tarda & modica, morbi qui nō lenta ſed concita deambulatione ſanantur?* Secunda, *An lux illa, cuius meminit Chriſtus, ſit materialis, an ſpiritualis? & ſi ſpiritualis, qualis ſit?* Tertia, *An illæ tenebræ ſint etiam carentia lucis materialis? & ſi carentia, negatione an priuatio?* Quarta, *Cuinam pericula cauere debeamus, An ſolis proximis, an nobis ſolis, an vtriſque?*

Ad primam reſpondet Benedictus, humanam ignauiam increpando, & dicendo, Currite. *Sæcularibus, vtpotè diuitiarum mundialium ſarcinis onuſtis, dicatur* Ambulate; *ipſis enim ambulare ſufficit, currere per onus non licet: At ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus Te, Chriſte Domine, liberis & expeditis quid ergo dicendum erit nobis? non quidem vt lentè ambulemus, ſed vt velociter curramus; vbi enim lentus motus viro ſæculari prodeſſet, noceret deambulatio tarda religioſo; non enim bonus religioſus eſt, qui non habet maiorem cordis, & conſcientiæ ſuæ curam, quàm boni ſæculares.*

Secundæ bifariam ſatisfacimus; ſenſus enim aſſertionis conſtat, ſiue naturaliter, ſiue ſupernaturaliter verba exponantur. In naturali ſenſu accipienda venirent, ſi Chriſtus Dominus dixiſſet, Proficite dum tempus, & vitam habetis, ne ſi modo agere pœnitentiam nolitis, mortis tenebræ vos comprehendant, & agatis animam ante quam conuerti poſſitis, vel aut ſaltem ante quam velitis. *In ſupernaturali, ſi nos admonuiſſet his verbis*, Procedite, conuertimini, dum lucem rationis, magiſtros, & legitimos confeſſarios habetis, ne ſi renuatis, contingat vt in pœnam peccati, tenebræ vos comprehendant: tenebræ in quam rationis, vel quales patiuntur deliri, qui nullo modo arbitrio poſſunt vti; aut quales indurati, qui vti quidem poſſunt, ſed non volunt: aut magiſterij tenebræ quales implicant, qualibus implicantur, qui aut magiſtris carent, aut indoctos conſulunt: aut tandem tenebræ confeſſarij eſt enim extrema animorum caligo, & confuſio, aut carere confeſſario legitimo, aut habere moribus inconuenientem. *Huic vltimæ expoſitioni videtur clarius fauere ſacer Textus; at quia vtraque moribus reformandis eſt vtilis, vtramque complexus Benedictus* lumen vitæ dixit, *vt tam naturalem, quam ſupernaturalem comprehenderet; cui vitæ lumini oppoſuit* mortis tenebras, *hoc eſt, interitum peccatum; quia ſicut humores, cum quis obit, mortaliter peccat contra vitam hominis naturalem, ſic & peccata mortalia interimunt iuſtificantem gratiam, quæ eſt vita hominis ſupernaturalis. (Hinc patet, quid ad tertiam dicendum.)*

Ad quartam dari aliquos ita de vita aliena ſolicitos vt proprias miſerias non curent, non ſine dolore reſpondeo. Poſſent iſti ſuam inuidiam & imprudentiam propugnare aliquo virtutis prætextu ad citata verba confugiendo, & dicere ſe feſtinare dum lucem ad notitiam negligētiarum à proximo commiſſarum habent, ne aut ſe comprehendant obliuionis tenebræ, & poſtea non poſſint fraternè corripere; aut proximum tenebræ culpæ, & poſteà tardius, quam deberent, illum corripuiſſe dicantur.

cantur. Contra iſtos multa eaque præclara noſter Lorca, multa alij recentiores, non pauca ego inferiùs num. 1706. *agens de fraterna correctione. Contra hos noſter Legiſlator ſanctiſſimus, dicens* ne tenebræ mortis vos comprehendant. *Conſultò poſuit illud* vos, *ne tu poſſis ſubintelligere* illum, *& aſſerere tibi viro priuato in confratrum correctione de ambulandum dum lucem criminis futuri haberi exiſtimas, ne tenebræ peccati illum (nempe, proximum) comprehendant. Nemo enim ſimplex religioſus poteſt ambulare, & diſquerere peccata confratrum occulta, vt fraternè corrigat; ſed ſui curam habens, ita vnuſquiſque debet viuere, vt corripi ab alio non debeat. Si contingat graue proximi peccatum audire, ad correctionem ne feſtines: fortè non verum, fortè actor calumniator, actus, innocens. Si verum eſſe crimen illud non quærenti, nec examinanti euidenter conſtiterit, nec tunc feſtines: forte enim proximus ad Deum conuerſus illa correctione non indiget, fortè ab alio vtiliter correptus eſt, fortè nunc ipſe correptionis eſt incapax, adeòque oportebit tantiſper hærere & ſpectare, vt ipſa correptio proficiat: fortè & tu incapax, non enim aptè fraternè corriges, ſi indigeas correctore.*

k Quis eſt homo) *Quæritur à Theologis, An beatitudinis amor ſit liber, an vero ita voluntatem gloriæ conſideratio abripiat, vt potentiam neceſſitet & conſenſum extorqueat? Videretur alicui nõ ita certa in beatitudinis amore neceſſitas, quia alias omnes amarent beatitudinẽ: & ſi omnes non deberet tãta quæri ſolicitudine homo, qui vellet vitã & dies videre bonos, vine quod idẽ prorſus eſt, qui beatitudinẽ deſideraret. Sed reſpõdeo ex Doctore Melliſluo, cui & Angelicus, & alij ſubſcribunt, omnẽ hominẽ neceſſariò ſibi bonũ deſiderare, non tamen omnes neceſſario verum bonũ cognoſcere, nec cognitum neceſſariò amplecti. Sunt qui ſibi bonum vltimũ proponũt opes, ſunt qui delitias, pauci qui Deum, iſti pauci quæruntur, ab eo, qui dicit,* Quis eſt homo, qui vult vitam, & cupit dies videre bonos?

l Prohibe linguam) *Beatitudinem cupienti Benedictus cæleſte iter oſtendit: iter nimirum trium dierum. Si prima, probibere linguã à detractione didiciſti, iter tuum feliciter promotũ eſt. Secũda diſces abſtinere à peccatis, Tertia heroicis vacare virtutibus. Si illis ſtudeas, animi inquires pacem: adſequeris, ſi ſcias. Non bene medium iter egiſſe dicitur, qui non incæpit, ergo nec virtutes in fine itineris repoſitas, nec vitiorum contemptum, donantur qui medium curſum tenent, dicetur adſequutus detractor: is enim curſum nondum incepit. Prouide ergo tuæ æſtimationi murmurator, nam dum alteri detrahis, te prodis, & te illo, quem incuſas, maligniorem oſtendis: ille enim vel te teſte male currit, ſed currit, tu tamen nondum incepiſti.*

m Et antequam) *Multa contra Pelagium S. Pater meritorum dependentiam à diuina gratia proponẽs, ſed quia illo æuo graſſabantur Semipelagiani aſſerentes, noſtrum eſſe incipere, perficere non niſi Dei, vno ictu, vniuerſorum colla iugulat, dicens antequàm inuocetur, Deum adeſſe, conferreque gratuita auxilia, vt inuocari poſſit.*

n Demonſtrat) *Bone Deus! vbi obſcuritas fidei? vbi humanæ ſcientiæ incertitudo? demõſtratio non eſt, quæ certitudine aut claritate caret. Si docemur à Deo humanitùs, incerti omnino ſumus, homines enim etiam docti & pij decipi, & decipere poſſunt: ſi docemur diuinitùs, tota noſtra doctrina ad fidem ſupernaturalem ſpectat: adeoque, cùm obſcura ſit non poteſt vocari demonſtratio.* Reſpondeo tamen, *aliud eſſe ſcire rem eſſe veram quam reuelauit Deus aliud, & omninò diuerſum, ſcire Deum nos adloqui, Deum nobis arcana*

reuelare. Vera eſſe illa, quæ reuelata, abſtrahendo à fide, frequentiùs oſtendi non poteſt, at non debemus cogi vt ad cuiuſcumque teſtimonium DEVM nobis loquutum credamus, hoc enim debet ſufficienter proponi, nec ſufficienter proponitur quando poſſit obijci ſimilis alia propoſitio, quæ erroris capax. Vt credere tenearis debet tibi non ſolùm credibilitas demoſtrari, debes inſtrui quouſque euidenter videas fidei articulos non ſolùm eſſe credibiles, ſed & credendos.

Adſono D. Thomæ 2.2. quæſt. 1. art. 4. ad 2. *dicenti*, Non crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter euidentiam ſignorum, vel propter aliquid huiuſmodi. *Vbi illud* credenda, *& illud* euidentiam *adnota, vt ſcias non ſufficere propoſitionem ignobiliorem euidente, nec qua demonſtrentur articuli fidei credibiles, ſed omnino requiri qua demonſtrentur credendi.*

Bannez. 2.2.*q.* 10.*art.* 1. *dub.* 3. *concluſ.* 2. *dicit*: Quamuis Gentilis audiat explicitè Euangelium ab aliquo prædicatore verè Chriſtiano, nos ſtatim peccat infidelitatis peccatum, ſi non credit, niſi prædicator proferat teſtimonia, quæ ſunt apta, & ſufficiant hominem conuincere, eſſe credibile quod prędicatur, & vehementer perſuadere, quod tenetur credere. *Et poſtea concluſ.* 4. *videtur minus conſequenter docere*: Si Gentili prædicetur Euãgelium, & oſtẽtatur magis credibile, quam omnis alia religio circa cultum veri Dei, tenebitur credere: quod ſi non credat, peccat infidelitatis peccatum...... Quia in re tanti momenti qualis eſt nos errare in cultu veri Dei, tenetur homo ſequi, quod probabiliſſimum eſt omniũ dogmatum: aliàs exponit periculo errandi circa finem. *Sed ſumma probabilitas eſt probabilitas, adeoque nós excludit omnino periculum errandi.*

Malderus 2. 2. *quæſt.* 10. *artic.* 1. Quæri hic poteſt ſecundò quomodò oporteat fidem eſſe propoſitam, antequam incurratur peccatum infidelitatis?

Reſpondeo non ſufficere qualemque Euangelij prædicationem, ſed opus eſſe, vt fides euidenter facta ſit credibilis.. ..... credibilis, inquam, nõ quomodocumque, ſed magis quam ſit vlla religio alia veri Dei. *Contra quem vrgeo, ſi fides tantum debeat eſſe magis credibilis quam quæ vis alia religio veri Dei, quo alia religiones veri Dei manent credibiles. Tu reſponde, vel in has lineas aliquid ex inaduerentia ſubrepſiſſe concede.*

Reliqui omnes Authores, quos videre potui, pariformiter ſemper loquuntur. Nimirum ſemper de ſua credibilitate, & credibilitatis euidentia: ſed argumenta, quibus probant requiri euidẽtiã credibilitatis, *ſemper etiã probare vidêtur* credibilitatis *euidentiam.*

3 Succinctis ergo *a* fide, vel *b* obſeruantia *c* bonorum actuũ lumbis noſtris, per ducatum *d* Euangelij, pergamus itinera *e* eius: vt mereamur eum qui nos vocauit in regno ſuo videre. In cuius regni tabernaculo ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus currendo, minimè peruenitur. Sed interrogemus cum Propheta (*Pſalm.* 14.) Dominum dicentes ei: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Poſt hanc interrogationem, Fratres, audiamus Dominum reſpondentem, & oſtendentem nobis *f* viam ipſius tabernaculi, & dicentem: *Qui ingreditur*

ditur ſine macula, & operatur iuſtitiam: *Qui loquitur veritatem in corde* g *ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua. Qui non fecit proximo ſuo malum; qui opprobrium* h *non accepit aduerſus proximum ſuum.* Qui malignum diabolum aliqua ſuadentem ſibi, cum ipſa ſuaſione ſua à *i* conſpectibus cordis ſui reſpuens, *k* deduxit ad nihilum, & paruulos *l* cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum. Qui timentes Dominum, de bona obſeruantia ſua, non ſe reddunt elatos: ſed ipſa in ſe bona non à ſe poſſe, ſed à Domino fieri exiſtimantes, operantem in ſe Dominum magnificant, illud cum Propheta *(Pſalm.* 113.*)* dicentes: *Non nobis Domine, non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Sicut nec Paulus Apoſtolus de prædicatione ſua ſibi aliquid imputauit, *(*1.*Corinth.*15.*)* dicens: *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Et iterum (1.*Corinth.*1.) ipſe dicit: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Vnde, & Dominus in Euangelio (*Matth.* 7.) ait: *Qui audit verba mea hæc, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram: venerunt flumina flauerunt venti, & impegerunt, in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſupra petram.* Hæc complens Dominus, expectat quotidie, his ſuis ſanctis *m* monitis factis *n* nos reſpondere debere. Ideò nobis propter emendationem malorum huius vitæ, dies ad *o* inducias relaxantur, dicente Apoſtolo, (*Roman.*2.) *An neſcis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* Nam pius Dominus (*Ezech.*18.) dicit: *Nolo* p *mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.*

a Succinctis ergo fide) *Talares veſtes veteribus in vſu, ideoque iter acturi ſuccingebantur. Tobiæ* 5. 5. Egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplendidũ, ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum. *Et Luca aſſerente Chriſtus ſuis diſcipulis*, Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei. *Sicut igitur per iter terrenum progreſſuri cinctorio indigent, vt impedimenta remoueant; ſic etiam, quia in cæli itinere multæ ſunt remoræ, multi obices, plurima impedimenta, cinctorio analogo indigebimus, quod Fides eſt, nam vt apud Iſaiam* 11. 5. *lego*, Fides cinctorium renum eius. *Quæ prærogatiua cæleſtis bene dicitur male præcinctas actiones cohibere; multæ enim, quæ ni fide inſtrueres, coercere non poſſes. Quis enim te docuiſſet, qui fornicatur in corpus ſuum peccare, illud pulchritudine & integritate priuando? quis virginitatẽ matrimonio ipſe ad ſpeciei humanæ propagationẽ & conuerſationem inſtitutæ, meliorem, ſi fide orthodoxa careres: Hæc omnia S. Benedictus clara mente concipiens, nobis fidem deprecatur, qua opiniones illas laxas & male præcinctas (quas purum naturæ lumen inſinuat) ſuccingamus, & obligationes noſtras docti, ſimus virtute ſplendidi, ſtemus in conuerſionis propoſito,*

poſito, præcincti quidẽ & quaſi parati ad ambulandũ & adſequendum illum, qui dixit, Qui vult venire poſt me, tollat crucẽ ſuã, & ſequatur me. Suã quidẽ, non alienam. In obedientiæ enim torculo ſatisfaciendo ſuperioris imperio voluntas propria crucifigitur; nec ſatisfaceret, ſi obligationes proprias omittendo, & inſudando alienis, crucem alterius tolleret, & contemneret ſuam.

b Vel obſeruantia) Hæc Lutheranus, hæc Caluinianus, hæc quicunque fide ſola excluſis bonis operibus, cęlum adquiri ſomniant, libentiſſimè legunt, voluntque ſanctum Patrẽ docuiße, vel fidem vel leges obſeruantiam ſufficere ad ſalutem, hoc eſt, non requiri vtramque, ſed ſufficere alterutram. Tales omnes hæreticorum interpretationes! Adſonant literæ, & menti Authorum contradicunt. Mediam carpunt Auguſtini periodum, mediam Hieronymi ſententiam, & ex clementis imperfectis monſtrum, componunt. Dicunt ipſi, Non requiritur legis obſeruantia, ſi detur fides, & Benedictus, Fide vel obſeruantia bonorum actuum ** per ducatũ Euangelij pergamus: quis neget armonicam concordiam? ille qui periodum integrã legerit, non enim ſolam fidem ſine bonis operibus ad vitam æternam ſufficere affirmat, qui ſubdit, In cuius regni tabernaculo, ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus currendo, minimè peruenitur. Ergo dicendum eſt, illud vel non eße particulam diſiunctiuam, ſed exaggeratiuam, vt cum dicimus, Maximè nos vobis amicos & addictos facit, vel virtus vel doctrina veſtra, hoc eſt, tum virtus, tum etiam doctrina. Terentius in Andr. Vel hoc quis non credat? Virgilius Aeneid. 11. Vel Priamo miſeranda manus, id eſt, ipſi etiam Priamo. Cicero pro Murana: Vel maximũ bellum populum Romanum cum Rege Antiocho geſſiſse. Vbi vel maximum, ponitur pro longè maximum, aut fortè pro maximũ valde, & Cicero Trebat. Quã moroſi ſint, qui amant, vel ex hoc (id eſt, maximè ex hoc) coligi poteſt.

c Obſeruantia bonorũ actuum) Duplicem obſeruantiam reperio legis, & bonorum actuum. Actibus enim bonis legem Dei obſeruamus; ſed iſti met actus boni, quibus legem obſeruamus diuinam, egent obſeruatione. Neſciat ſiniſtra tua quid egerit dextera; neſciãt conciues & confratres, quid ſupra decalogum & regulam deuotam præſtes. Dum officij obligationibus ſatisfacis, videant opera tua bona, & glorificent patrem tuum qui in cælis eſt: at dum limitibus legis non caperis, dum terminos obedientiæ & reſignationis affectu prudenter excedis, neſciant id illi, qui aut poßunt tibi adulari, aut ſuperbiendi occaſionem præbere. Eques ille Apocalypſeos exibat vincens vt vinceret: ſunt enim qui vincunt vincendi. Si tentationem vinctis, & vanè de victoria gloriaris: viciſti quidem, ſed vt vinceceris: ſuperaſti concupiſcentiam oculorum, à vitæ ſuperbia ſuperandus. Cum autem, & tentationem ſuperas, & in domino ſolo gloriaris, exis vincens vt vincas, ſuperas enim concupiſcentiã & ſuperbiã peſſundas. Huc reſpexiſſe videtur S. Pater inferiùs n. 3. dicẽs, Timẽtes Dominum de bona obſeruantia ſua non ſe redunt elatos, ſed ipſa in ſe bona non à ſe poſse, ſed à Domino fieri exiſtimantes, operantem in ſe Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes, Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

d Ducatus Euangelij) Non omnia itinera iter-agentes ducunt. Triuia frequens ambiguis præficitur ſemitis: duceret viæ, quæ ſimplex eſſet & interrupta. Talis eſt Euangelica: ſimplex ipſa, omni fuco omnique compoſitione carens. Ab Apoſtolis ad nos continua doctrinæ ſucceſſione producta, nullibi interrupta, ſecuriſſimè nos manuducens.

e Itinera eius) Obijt Iudas, vt iter in locũ ſuum, (quis dubitet?) per iter ſuũ. Deus nobis locus, in quem tendimus: Deus nobis iter per quod ad Deum ten-

dimus

dimus : vt ad Deum non niſi per Deum vadamus : nam vt eſt apud Epigrammatiſten neſcio quem.

Ne fia deficeret ſcanſuris ſydera, Chriſtus
Ad nos deſcendit cęlitus ipſe via.

Vnde Romana Eccleſia viam iſtam deſcribens, nos ait ad ipſum tendere, ſed per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo.

f Oſtendentem nobis viam] *Hæres, cùm contextum obſeruas. Propheta non diſquirit viam cæli, cùm dicit:* Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in mõte ſancto tuo? *nec viam oſtendit, qui reſpondit,* Qui ingreditur ſine macula, qui operatur iuſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo, &c. *Quomodo ergo S. Pater,* Audiamus, *inquit* Dominum reſpondẽtem & oſtendentem nobis viã ipſius tabernaculi? *Aut fallor, aut hæc Benedictus, quòd Chriſtus, cui ſol illa omnia competunt, non ſolùm ſit nobis viæ dux, ſed dux-uia. Ipſe enim* Via veritas, & vita : *aut ſi ma-velis via vera & viuens, aut via veritatis & vita : has enim textus ipſe eſpoſitiones patitur. Cùm periculis alienis cautiores reddimur, nobis parant peccatores veritatis & vitæ viam, non tamen viuam veram. Non viuam quia ſtratam ſcandalis & cadaueribus, hoc eſt, peccatis : non veram, quia fallacem, & periculoſam. Scandala enim, ſi nobis proſint, animos cautiores reddendo, ſcandala vera non ſunt : tunc enim ſcandali ſortiuntur vocabulũ, cùm nos ſcãdalizãt : ideſt, cũ nos malo exẽplo perturbãt, & in ſimiles culpas propellunt.*

Sanè illis characteribus ſolùm Chriſtum Dominũ propriè deſignari, vel ex primis verbis oſtẽdo. Ipſe vnus ingreſſus ſine macula & operatus iuſtitiam : nam Adamus in gratia cõditus, ingreſſus eſt ſine macula ſed operatus in iuſtitiam eſt : Ioãnes Baptiſta, ingreſſus cum macula, vnde inter natos mulierũ, *Prima Veritas ait,* illo maiorem neminem ſurrexiſſe. *Si ſurrexit, vtique ceciderat : non enim ſurgere diceretur ni in culpã ſaltem originalem incidiſſet. Nos miſeri & ex nihilo, vnde conditi ſimus, in regionẽ viuentum originali infecti macula ingredimur, & ingreſſi iniuſtitias millenus operamur. Solus Chriſtus quia originali & actuali caruit, dici poteſt, qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiã. Ipſe eſt, qui habitabit in tabernaculo tuo Deus : ipſe, qui requieſcet in monte ſancto tuo : ipſe, qui manuducet omnes virtutum ſtudioſos : ipſe qui illis oſtendat ſeſe viam. Cæterum, ſi characteres ipſi impropria quadam acceptione ſumantur, etiam alios iuſtos & ſanctos exprimunt, qui in multa loca tempora & officia ingrediuntur ſine macula, & operantur iuſtitiam, qui ſuo exemplo ſternunt viam, quam virtutis ſtudioſi peragant. Quorum regina Virgo Parens, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.*

g Veritatem in corde] *Aut fallor, aut Propheta Rex, veritatem cordis à veritate oris diſtinguens, ſtatuit non ſolùm ore, ſed & corde poſſe mendacium contra mentem committi. An non hic omnes reſtrictiones mentales condemnantur, quaſi cordis mendacia? qui mentem reſtringit, non mentitur lingua, non enim hæc it contra mentem; ſed mentitur corde, mens enim, quam habet contra illum it : quam habere deberet. Suſpectæ ſemper fuerunt mihi omnes mẽtales reſtrictiones; falſæ & indefenſabiles ab eo tẽpote, quo à Benedicto, Bernardo & alijs noſtræ Scholæ Primoribus dãnari animaduerti : ſed de ijs vberiùs in Moralis Theologiæ intentionali parte.*

h Opprobrium] *Sed quid ſignificant hæc verba,* Opprobriũ non accepit aduerſus proximum ſuum? *Vitio vertitur, proximũ vilipendere, fratrem contemnere, opprobrijs afficere; non tamen vilipendi, contemni, & opprobrium accipere. Cur igitur qui opprobrium accepit, cùm maximè laudari deberet,*

incuſatur? Reſpondeo, eſſe homines, qui opprobrium accipiũt vt proſint; eſſe qui noceãt. Illos illud accipere pro proximo, hos contra proximũ. Illos charitate feruere adeoque amare proximum vt ſemetipſos; hos inuidia ſuccendi, & iſtũ omnino deteſtari, malleque duos perdere oculos, quam quod proximus vnum recuperet. Hos Benedictus reprehendit; nõ quòd acceperint opprobrium, ſed quòd ob malũ finem; eſſent enim laude digniſſimi, ſi vellẽt pro proximi ſalute confundi, qui voluerũt pro illius perditione infamiam, & cõtumeliam pati.

i A Conſpectibus cordis.) *Cor habere myſticos oculos, aures, linguam, manus, pedes, &c. oſtendi ſuperiùs n. 1. littera E. Non conſpectum modo, ſed & conſpectus illi Benedictus adtribuit, vt doceremur noſtrum animum eſſe expoſitum mille periculis, ſi Argi prærogatiua careat. Prouidentia oculis præcincta depingitur, & Ezechiele rectè prouidus habet totum corpus plenum oculis in circuitu.*

k Deduxit ad nihilum) *Cur non,* Reduxit: *Quia lapis in nihilum reduci poteſt, ad nihilum deduci non poteſt. Solæ animantes deducuntur; at reduci in nihilum etiam poſſunt, inſenſibiles ſubſtantiæ, & inanimes: cumque dæmon viuens ſit, & mortiferæ illius ſuaſiones eliciantur vitaliter, meritò dicũtur deduci, & nõ bene reduci dicerẽtur.*

Sed eſto; labij proprietatem Benedictus ſeruauerit: an etiam veritatem dictionis? Dei character, creditur creatiua & adnihilatiua potentia; quomodo igitur. Iuſtus dicitur dęmonem, & ſuggeſtiones illius adnihilare?

Verè ſi Iuſtus, de quo Benedictus. Via eſt, Veritas eſt, Vita eſt, non niſi Chriſtus eſt: & ſi talis Deus & homo eſt in vnitate perſonæ: ſed quia ſequentia hanc expoſitionem non tolerant, dicendum Sacræ ſcripturæ teſtimonium Viam cæli, (hæc eſt, Chriſtus) à D. Benedicto deſcribi: & mox exponi qualitatis illius qui dignus viã talem percurrere.

Iuſtus igitur dæmonem, quem Deus poteſt phyſicè moraliter adnihilare ſolet cùm ita procedit ac ſi ille non eſſet; i *tunc enim ille in caſſum laborans, oleũ & operam perdens non ſolùm ità ſe habet ac ſi non operaretur, ſed etiam ac ſi verè non eſſet. Aedificauit domum ſupra petram, vir prouidus; non timet, ſiue procellæ ſint, ſiue non ſint. Aedificauit conſcientiæ palatium vir pius, ſupra petram Chriſtum, dæmonem non moratur: inuadat non inuadat, nõ curat: reſpectu enim hominis gratia ſupernaturali muniti tã potẽs ille, quã eſſet ſi in nihilũ diuinitus redigeretur.*

l Paruulos cogitatus) *Lege & relege, qui ſincerã Theoſophiam profiteris. Si vir leuiter tentationi cedere, leuiter concupiſcentiæ cõdeſcendere fortè graui te periculo eſponis & mortaliter peccas. Opportet cogitationes tenere in incunabilis etiam cùm paruulæ & infantes ſunt: oportet illas etiam tunc detinere & comprimere, ne ſi permittantur adoleſcere te comprimant, & in miſeriarum ergaſtulo potenter detineant. Lapis lydius actuum moralium Chriſtus: ille adlide cogitatus tuos paruulos: ſi eius legi cohæreant, adoleſcent; ſin in ipſamet infantia, ſepelientur: vincere enim remiſſum deſiderium poteris, à quo, ſi intendatur, vincaris. Caue tibi pericula: multæ enim vel leues actiones, grauem incurrunt cenſuram, cùm exponunt hominem graui & certo delinquendi periculo.*

m Monitus) *Præcepti, Moniti, & Conſilij diſcrimen Scholion Bernardi in Regulam Benedictinam dedit: illud adeas, & aliqua non contemnenda de præceptis, monitis, & conſilijs inuenias.*

n Factis nos reſpondere) *Quot in clauſtro reperias, qui non niſi reformationes loquuntur, quorum iudicio omnes confratres tepidi, & ſi dijs placeat, relaxati: quorum circumciſione lingua & vita indiget reformatione?*

Opor-

Oportet ſanctis Dei monitis, factis potiùs quàm verbis reſpondere; ſi enim alijs reformationem & morum conuerſionem prædices, & tamen tuæ actiones diuinæ lege non reſpondeant, Deo & mundo per tonſuram mentiris, & reprobus omninò efficieris.

o Ad indutias) *Inter Deum peccatoremque pactam pacē ne quæras, nulla enim inter inimicos. Sed ceſſationem armorum (hanc inducias Latinus, Græcus* ἐκεχειρίαν *appellat, ab inducenda pacis ſpe, & manuum violentarum quiete) vt dum Deus nos expectat, nos eius ſummam admirati clementiam, primò arma deponere, ſecundò veniam petere illæſa libertate cogamur. Memini me legiſſe in Cicerone 1. Offic.* Cùm centum & triginta dierum eſſent cum hoſte pactę induciæ, noctu populabantur agros; quòd dierum eſsent pactæ, non noctium induciæ, *& memini hæc verba in aduerſarijs adnotaſſe. Poſitis enim inducijs, reperio ſæculares, hypocritas, & religioſos. Illi plerumque nec Deum timent, nec homines reuerentur, noctu diuque, hoc eſt, clam palam pactam armorum ceſſationem temerant, eò inſolentius, quo certius ſciunt Deum ſummè miſericordem eſſe. Religioſi è contrario, diu noctuque laudibus diuinis inſudant, & tam publice quam priuatim diuini officij quotidianæ obligationi ſatisfaciunt. At inter hos medius hypocrita, aere ſuperſtitioſe pendulus, dum publicas actiones colore ſanctitatis inficit, & ſecretas licentioſè elicit, cælo & terra priuatus, neſcit ad vtram regionem pertineat. Hic ille, qui cum dierum paucorum (breues enim dies hominis ſunt) pactæ fuiſſent induciæ, noctu, hoc eſt, ſecretò, offendebat Deum ipſas inducias indulgenti, ratus ſe iuri & æquitati ſatisfacere, ſi non peccaret publice, quod dierum eſſent pactæ, non noctium induciæ. Sed hypocrita bifariam videtur peccare; primò, quia Deum ſecrete offendit; ſecundò quia ſcelus protegit, & illud virtutis ſpecie propugnat.*

p Nolo mortem] *Duas lingua firmamus orationes, quas neſcio an poſſimus formare voluntate. Nam mihi probabiliſſimum eſt, non dari poſitiuas aliquas nolitiones, ſed idem prorſus eſſe* nolle mortem, *quam* velle non mortem, ſeu vitam. *Hanc nonnunquam poſitionem defendi: hanc in Theſibus anno à victo Abailardo quingenteſimo, hoc eſt, Chriſti milleſimo quadrageſimo ſecundo inſinuaui: hanc proprio loco expoſui. Scio enim non dari creatam formalitatem, quæ participata nō ſit: & tamen non reperio nolitiones diuinas. Nam diuini actus debent primario & formaliter terminari obiecto infinito & diuino, & ſecundariò ad creaturas extendi & quidem vix reperio quid infinitum dari aut deſignari poſſit, quod primariò Deus deteſtetur nolitione infinita. Scio ex alia parte in magneticis omnibus corporibus præter adtractiuam virtutem voluntati intellectuali analogam, expulſiuam analogam noluntati etiam virtutem reperiri, quæ ni ad adtractiuam reducatur nolitiones admittendas conuincet. Subſiſtat igitur ſubtilis quæſtio Lectoris ingenioſo examini; nos enim alibi retractandam omittimus, vt ad literas Benedicturæ lectionem & contemplationem reuertamur.*

4 Cum *a* ergo interrogaſſemus Dominum, Fratres, de habitatore tabernaculi eius audiuimus habitandi præceptum: Sed & ſi compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cœlorum. Ergo præparanda ſunt corda *b* noſtra & corpora, ſanctæ præceptorum obedientiæ militatura: & quod minus habet in nobis natura

c poſſibile, rogemus Dominum, vt gratiæ ſuę iubeat d nobis adiutorium miniſtrare. Et ſi fugientes gehennę pœnas, ad vitam volumus peruenire perpetuam; dum ad huc e vacat, & in hoc corpore ſumus, & per hanc lucis viam vacat implere currendum, & agendum eſt modò, quod in perpetuum nobis expediat. Conſtituenda eſt ergo à nobis Dominici ſchola ſeruitij, in f qua inſtitutione nihil aſperum, nihilque graue nos conſtituturus ſperamus. Sed & ſi quid paululùm reſtrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, & conſeruationem charitatis proceſſerit, non illicò pauore perteritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda. Proceſſu verò conuerſationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectioins g dulcedine curritur via mandatorum Dei: vt ab ipſius numquam magiſterio h diſcedent, in eius doctrina vſque ad mortem in monaſterio perſeuerantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemur, vt regni eius mereamur eſſe conſortes. i Amen.

a Cum ergo *Difficilius locus, ſi quis alius, ſcrupulum, quo vrgeor, ad terminos iſtos reduco. Vel nomine Tabernaculi, intelligimus cellã, vel cælum; quia ſæculum non debere illo intelligi, clarius eſt, quamquod probari debeat. Si cellam; quomodo audiuiſſe dicimur habitandi præceptum; vel pueri enim ſciũt ſtatum religioſum non præcipi, ſed conſuli? ſi cælum; quomodo dicimur futuros eſſe regni hæredes, ſi officium habitatoris compleamus? non enim cæli fiat hæres, qui iam actualiter in cęlo eſt. Hæreo, fateor; & ſingula contextus verba queſtionem implicant noua difficultate.* Audiuimus *inquit, & ſanè ſi teſtimonia illa expendas, quæ n. 3. congeſta ſunt, & audita dicuntur, non reperies poſſe commodè & vita religioſa explicare, nec aliquod inſinuare præceptum.*

Reſpondeo *tamẽ duas dari arces empireas, quæ noſtræ hodie ſpeculationi proficiant; paruam magnam, tẽporalem perpetuam. Illamque* cellam *dici, hanc* cęlum. *Empyreum beatarũ animarum cella eſt; & cella clauſtralis non niſi ſanctiſſimorum corporum eſt cælũ. Qui in cella remanes, te cælo præparas; nam cælum corporis inhabitas, vt ad animæ cælum adſcendas.* Ex cella ad cælum, *teſte Mellifluo Præceptore*, progredimur. *Ergo communicatione idiomatum factum, vt quidquid de cælo dici ſoleat, etiam de cælla religioſa dicatur. Tabernaculum Domini cella eſt, quem fugies aut periclitaberis, quoties extra cellam effuſus te ignores, & vniuerſa quæ tæ non attinent, examines. Teſte quotidiana experientia omnes Religioſi reperiunt.*

In cella pacem, foris autem plurima bella; *qui igitur quatuor cellæ parietibus volontarius occluditur, habitat in tabernaculo tuo Domine Deus, & requieſcit in monte ſancto ſuo; ſiquidem probibit linguam ſuam à malo, & labia ſua non loquuntur dolum; diuertit à malo, & facit bonum, & quam extra cellam reperire non poſſet, inquirit pacem, & aſſequitur eam.*

Hoc

Hoc radio inſtructi noſtri Authoris verba citata reſumamus. Cũ interrogaſſemus, *videtur dicere Benedictus*, Dominum, Fratres, de habitatore clauſtri, de cellæ religioſæ, in qua tabernaculum ſuum conſtituit Deus, incola, audiente nondum profeſſi habitandi conſilium, profeſſi habitandi præceptum: vbi ſi compleant habitatorum officium, hæredes erunt regni cælorum. *Conſilium, & præceptum pro voce* Præceptum *ſubſtitui, quę alias rigorosè, alias latè vſurpatur: & puto hac periphraſi difficultati ſatisfactum.*

b Præparanda ſunt] *Præparari corda, vt alienæ voluntati ſubſiſtant, ſæpe videris; qui corpora præparentur ignoras. Doceberis à polcherrima & pientiſſima Iſabella, Luſitanorum Regina, quæ corpus etiam ſuum ſanctæ obedientiæ militatura preparauit. Inter delitias & diuitias alta cum ieiunare & temporum inclementias pati deſiderabat, impediebatur ab aulico Archiatro dicenti eam frigori, æſtui, fami, ſiti, & nuditati non ſufficere defectu aſſuefactionis; cui illa,* Patiar, vt miſerijs aſſueſcam, vt poſſim poſteà ſine vitæ aut ſalutis diſpendio mortificationes plures pati. *O heroinæ vocem! ò periodus plena eminentiori magiſterio! ſi valetudo dubia, ſalus anceps in cauſa, vt rigori monaſtico ſine incommoditate ſatisfacere nequeas, adſueſce miſerijs & incommoditatibus, prepara cor tuum, illud fortiſſima eaque irreuocabili reſolutione roborando; præpara corpus tuum, illud regulari obſeruantia & ſenſuum mortificationi adſuefaciendo; & macte animo, feliciter præceptis vniuerſis obedies.*

c Natura Poſſibile] *Sub illud tempus videbantur voces* Poſſibile, & Poſſibilitas, *non paſſiuè ſed actiuè vſurpari. Occurrunt millena Auguſtini, Pelagij, Iuliani, aliorumque tam Catholicorum quam Hæreticorum teſtimonia, quibus hæc poſſet doctrina demonſtrari, quæ miſſa facio, ne limites Commentarij tranſgrediar. Senſus contextus eſt;* Vt melius obediamus, corda & corpora præparemus; cumque Deus impoſſibilia non iubeat, ſi quid ſit, ad quod exſequendum maiori indigeamus potentia, oremus vt illa nobis cælitus indulgeatur. *Ex quibus collige* primò, *Deum abſolute impoſſibilia non præcipere, Secundo, præcipere nonnunquam aliqua, quæ eſſent impoſſibilia, ſi orationibus noſtris potentiam, quæ deficit, negaret.* Tertiò, *hanc ſatisfaciendi potentiam oranti non negari.* Quartò, *ſi illa (poſſibile ſit aut non) humiliter petenti negaretur, hunc ſine peccato opus iniunctum omiſſurum; nemo enim ad impoſſibile diuina, humanauè lege tenetur.*

d Iubeat nobis] *An gratia animabus infunditur Spirituum ſanctorum miniſterio? ſane ſi & extrinſeca agamus, facilis reſolutio magna ipſa ex parte ab Angelorum fauore & liberalitate dependet. Ipſi ad nos viros pios & ſanctos dirigunt, nos exemplo aliorum inſtruunt; & nonnunquam inſpirationibus illuminant: hæc enim omnia frequenter experimur, quæ tamen angelicas vires non excedunt. At ſi agamus de ipſo ſupernaturali Dei auxilio, quod proprie* Gratiæ adiutorium *nominatur, non facile credam illud ab Angelis produci, cum videatur vel actioni procedere creatiua, vel modo ſi non miraculoſo, ſaltem ſupernaturali. Hunc locum illuſtrat Bernardus ſermon de triplici genere bonorum in editione Pariſienſi, columm. 38. 2. dicens,* A ſanctis Angelis auxilium quærendum eſt: *ſed quale? vt quid?* Vt illi (*nempe* Angeli) ſupereminenti Maieſtati preces noſtras offerant, & referant (*hoc eſt*, conſe-

quan-

quantur, & impetrent pro nobis) gratiam.

e Conſtituenda) *Ecce ſe ſe reponit S. Pater, ludum Theophiliæ aperit, nos moralem docturum Theologiam Academiam erigit diuini ſeruitij. Examinet Stoica, An detur tempus, motus, & totum continui Labyrintum: An dentur ideæ vniuerſales, Platonica; An admittendus ſit elementaris ignis, ætherque ſolidus & incorruptibilis peripatetica: in ſolum Dei ſeruitium collimatura eſt Benedictina: & ſi ad veritates materiales cognoſcēdas deſcendat, ſe ſe remittet tantiſper, vt cognoſcat penitius Deum. Tempus & motum ſecunda lima examinat, & dicit,* Dum adhuc vacat, & in hoc corpore ſumus & per hanc lucis viam vacat implere (*ecce tempus*) currendum & agendum eſt modo (*ecce motum*) quod in perpetuum nobis expediat. *Continui labyrinthum ingrediens, experientijs millenis pro alterutra parte collatis, concupiſcentias originalis culpæ, ſi non reliquias, ſaltem ſoboles, ſine fine minuendas, nunquam eradicandus aſſerens; bellum vitijs neque ad ipſammet mortem indicit. Vtrum elementaris ignis detur non curat, ſcit enim dari & infundi ſupernaturalem, qui Deus eſt, & per gratiam hominibus communicatur. An cælum Pateticorum ſit ſolidum & peregrinarum impreſſionum incapax non diſquirit, ſibi enim ſufficit, empyream regionem eſſe per viam, præſentia humanorum ſpirituum diuitem, beatis olim corporibus pectendam, & ſi malis etiam interſecandam.*

f In qua] *Conſidera ſanctiſſimi Patris diſcretionem; nihil graue, nihil aſperum ſe conſtituturum ſpirat; & proponit ibi ſolum habenas noſtræ libertatis conrahere, vbi id requiſierit, & quandiu, & quantum requiſierit emendatio vitiorum, & conſeruatio charitatis; vnde, ſi quando Regulæ litera ita exponi contingat, vt vel vitia foueat, vel charitati opponatur, tametſi Grammatici faueant, certo ſcias exponi contra mentem Authoris, qui totus in eradicationem vitiorum, totus in Dei cultum & amorem collimat. Hac interpretandi doctus regula, inferas leges Pontificias, Cæſarias malè exponi, quotieſcumque contra diuinam dicuntur militare: malè quidem, etſi litera fauere videatur.*

g Dilectionis dulcedine] *Magis heroica eſſe facinoroſa, quæ difficiliora, adeoque magis eſſe meritoria ſuppono:* At iſtas, *vel hinc ſequi animos vacillantes, qui cum ſumma difficultate & cordis anxietate Deo ſeruiunt plus mereri, quam ſanctiſſimi viri, qui ad interiorem pacem iam tandem peruenire meruerunt. Sequelam ſuades: quia illi, vt Deo ſeruiant, millenas difficultates ſuperant, hi nullus.* Reſpondeo *nulli homini conceſſum Deo ſeruire ſine aliqua intrinſeca aut ſaltem extrinſeca difficultate. Quot & quantas vel ipſe Chriſtus miſerias tribulationes & anguſtias! quantas Deipara! quantas Apoſtoli, quantas ſancti perpeſſi Doctores! non omnes à ſolo fomite peccati proueniunt, ideoque vbi ille aberat, etiam repertæ Chriſti animam & etiam Deiparæ, quas ſummis donatas priuilegijs ſuſpicio, extra ordinem infectæ naturæ conſtitutas afflictas nonnunquā fuiſſe miror & veneror, vniuerſas alias (ne quidem Adami & Euæ animas excipiam, tametſi in gratia conditas) actuali aut originali culpa infectas, ita ſupernaturali alexipharmaco curari video, vt ſemper deprauatæ aliquæ affectiones remaneant. Baptiſmo originalis culpa, confeſſione actualis deletur, ſed concupiſcentia ad agonem relinquitur: quæ Tridentino aſſerente, bene pugnantibus & per Dei gratiam reſiſtentibus nocere non valet. Male igitur in argumento aſſumis dari homines ſuarum actionum dominos, quibus*

bus paſſiones,& affectus obediant: ſanctior enim nobis fuit Paulus, & tamen in ſe ipſo duas leges inter ſe repugnantes videbant. Gratia Dei concupiſcentiam non tollit, ſed eneruat; vnde licet non admittam dari ſanctum, qui in corpore degens concupiſcentia careat, concedam nihilominus illam fortiorem & potentiorem in vno, in altero multo debiliorem. Si milienas difficultates patitur feruor nouitius, coronam obtinebit diuinitus, herculeo labori ſuo proportionatam; ſi vero paruas, illa ipſa pugnandi conſuetudo, quæ vincendi peperit facilitatem, laboribus ſummis adquiritur, & quia heroica & nobilis, actiones vniuerſas nobilitat & reddit dignas præmio maiore & nobiliore. Bene igitur ſperet in diuina militia tyro & veteranus. Magno præmio donabitur qui imperterritus viam ſalutis ingreditur, & effuſam animam conatur adnuentem, renitentem ad anguſtias itineris religioſi contrahere: maiore tamen expertiſſimus miles, qui conuerſationis proceſſu, fide præcinctus, ſpe excitatus, charitate ſuccenſus, agonum plurium pugil, laboribus continuis exercitus, aſſuefactus conflictui, doctus experientia diuturna, dæmonis inſultus non formidat; quin imò benigna opinionum probabilium latitudine Deo auſpice dilatat cor, inenarrabilemque dilectionis perſentiſcens dulcedinem viam diuinorum mandatorum percurrit.

h Magiſterio] *Commendat S. Pater nouitij feruoris, quem in cordibus noſtris excitauerat, perſeuerantiam; præcipit, vt ſimul in Dei doctrina & in monaſterio perſeueremus; ſed potius vt in Dei doctrina. Stabilitas in propoſito & in clauſtro requiritur, ſed illa principaliter, hæc non niſi vt medium ad alteram: vnde ſi aliquando (quod clemens Deus auertat) contingat tam deprauatos eſſe confratrum mores, vt ſtabilitas doctrinæ & propoſiti exponatur periculo, non venit ſtabilitas loci curanda; imo iſte omnino deſerendus, ne illud aut illa deſeratur. Ideo cautè noſter Legiſlator,* In eius doctrina vſque ad mortem in monaſterio perſeuerantes, *dixit,* In monaſterio vſque ad mortem in eius doctrina perſeuerantes, *non dixit; non enim doctrinæ præponendus eſt locus, ſed loco præponenda doctrina.*

Sed quæ doctrina? ſanè non niſi regularis. Illa, quæ nos erudit, vt paſſionibus Chriſti, eius virtutes heroicas imitando, & mortificationes tolerando, per patientiam participemur, vt regni eius mereamur eſſe conſortes.

Cæterum hæc ipſiſſima doctrina qualis? Theologica ſanè & diuina, tradens quaſdam cæleſtes, adeoque errare non patientes regulas, hauſtas diuinitus, & ab ipſius nunquam Dei magiſterio diſcedentes.

Hanc igitur, quam Magiſtro Deo Doctrinam S. Pater didicit, hanc eandem nos docet; ne ergo laboremus in caſſum inuocata Numinis diuini adſiſtentia librum ipſum cum deuotione, attentione, & ponderatione lecturi præparemus animum ſequentibus diſputationibus.

DISPVTATIO PRIMA.

De argumento obiectoque huius Libri.

5 I*Ntentum D. Benedicti in hoc præclaro opere eſt Philoſophiam docere, qua nos Theophilos reddat. Philoſophia Regnarus eadem ac Vita cænobitica, vnde & Monachi à Chryſoſtomo & Nilo, (citantur à Beyerlink voce Monachus.*) Philoſophi *vocati ſunt. In nominis* Φιλόσοφὸς *expoſitione conueniunt vniuerſi Authores, à quibus diſſentire cogor propter rationes,* quas in meo Platone *expendo. Nunc breuiter. Philoſophus vt puto, dicitur, quaſi* φιλίας σοφὸς Amorem ſciens, contemplans, meditans. *Inde Philoſophia, ſiue* φιλίας σοφία *eſt* Amoris ſcientia, *quia Amorem reſpicit tanquã formale obiectum, Hinc Philoſophia naturalis, ſcientia eſt merè ſpeculatiua, inueſtigans cauſarum & effectuum amorem ſiue connexionem ; agens de appetitu illo innato, quo cauſa in effectus ſuos fertur. Philoſophia intentionalis reſpicit appetitum elicitum; & amandi facultas dici poteſt, & diuidi in profanam diuinamque.* Ars amandi profanè, *creaturam reſpicit ceu finem vltimum .* Diuinè amandi ſcientia *Deum, & ſi creaturas, non propter ſe, ſed propter ipſum. In illius magiſterio excelluerunt Gentiles, & inter ipſos præcipue Zeno, Socrates, Plato, Cicero, Senec. & alij.*

Addiſcendæ Philoſophiæ gratia Benedictus nobilis adoleſcens Romam mittitur. Ibi Diuinæ pauci, naturali non multi, profanæ plerique dabant operam; quos cum per abrupta vitiorum præcipitari cerneret: eum, quem quaſi in ingreſſu Mundi poſuerat, retraxit pedem; ne ſi quid de ſcientia eius profana attingeret ipſe quoque poſtmodum in immune præcipitium totus iret. Deſpectis itaque profanarum literarum ſtudijs receſſit, ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus. Solis Deo placere deſiderans ſanctæ conuerſationis non actum modo ſed habitum quæſiuit; imo elicitis multis actibus lucratus eſt: habitum inquam Diuinæ Philoſophiæ, nempe illius ſcientiæ, quæ Diuinum Amorem docet, & prophanum dediſcit. Hanc exponit & expendit in præſenti libello, verè aureo, ſententiarum vbertate Laconico, diſcretione præcipuo. De mirabili auſcultatione *inſcribitur, quia non legitur ſine admiratione. Compoſuerat etiam Stagirenſis Ariſtoteles de auſcultatione librũ: octoginta talentis vendidit Macedonĩ* ſtudioſorum inuido; *illi inquam qui* ſolus voluit diſcere, ſolus doceri. Deuotè prodigus nobis Benedictus communicat *de mirabili auſcultatione* librum, ſed gratis ne: audias inuidus ſed ita potiùs docearis vt reliquis prodeſſe poſſis. De auſcultatione liber eſt, videlicet ſuper naturali. In eo agitur de primis ſupernaturalis entis principijs, de cauſis, de motu, de vacuo, tempore, continuo, & infinito. Et vt reſumam ſingula, principia entis ſupernaturalis ſunt, intrinſecus materia & forma, extrinſecus verò priuatio.

6 Materia eſt *quiſquis abrenuntians proprijs voluntatibus Domino Chriſto vero Regi militaturus obedientiæ fortiſſima atque præclara arma aſſumit.*

7 Priuatio terminus eſt *à quo* procedit motus conuerſioque tranſnaturalis. Nempe ſomnus illæ lethargicus, de quo ſanctiſſimus Patriarcha in prologi §. 2. *Reſurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos ſcriptura, ac dicente: Hora eſt iam de ſomno ſurgere.*

Sed

Sed cur prius in cõuerſione terminus ad quem *quam terminus* à quo *exprimitur? Reſpondeo illum non ſolum natura & nobilitatem priorem, hoc eſt, excellentiorem, ſed eſſe totius motus originem: non enim Deum accedimus, quia à peccato recedimus: ſed ideo potius à peccato recedimus, quia accedimus Deum: gratiæ enim infuſio (hæc nos Deo vnit) realiter, vt exiſtimat Lorca: aut ſaltem ratione (quod mihi ſolum verum eſt) prior eſt proſcriptione peccati. Oſtendit igitur S. Pater ſe, quia à Doctore Deo eruditur, in ſubtiliſſimum euaſiſſe Theologum, & verbulo decediſſe grauiſſimas difficultates.*

8 Forma, terminus eſt *ad quem* generationis incorporeæ; is eſt Chriſtus. Ideo aſſerit ſanctiſſimus noſter Legislator eò conuerſionem dirigi, *vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras.* Accinit Sancto Patriarchę Romana Ecclęſia, quæ tum alias, tum præcipuè in Natali Domini ſecreta deuotione poſtulat, vt Dei gratia largiente in illius inueniamur forma in quo cum ipſo eſt noſtra ſubſtantia. Vbi per formam intelligit Chriſti humanitatem.

9 Cauſa efficiens motiua eſt Deus, de qua ait, *Patientia Dei ad pœnitentiam te adducit.* Cauſa ſecunda Deum ſequitur: à Deo prędeterminata incipit & in eum deſinit: idcircò *Quidquid agendum inchoas boni, à Deo perfici inſtantiſſima oratione depoſcas.* Depoſcendi autem formulam doceris ab Eccleſia Romana in hac pulcherrima oratione voto Patriarchæ ſanctiſſimi correſpondente, videlicet: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.* Ecce Deum Α & Ω, cauſam primam & vltimam, principium efficiens & finale.

10 Nec deficit Benedictino de auſcultatione libro exemplar & directiua cauſa. *Omnis Chiſti actio*, ait Auguſtinus, *Chriſtiano eſt imitationi ſecuriſſimæ.* Vnde ex Euangelico Benedictus: *Qui audit verba mea hæc, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti* (Chriſto: ipſe etenim eſt ſapientia Patris, atque diuinæ mẽtis actus) *qui ædificauit* (Eccleſiam) *domum ſuam ſupra petram.* Chriſtus Dominus imitationi eſt Monacho, Monachus ſæcularibus inſtitutioni. Chriſtus vita ſua nos dirigit: Religioſus à Chriſto inſtructus vitæ ſuæ exemplo inſtituat, ſæculares: nam vt pulchrè dicebat neſcio quis.

Verba mouere ſolent duri penetralia cordis.
Aſt exempla trahunt abripiuntque magis.

11 De vacuo diſſerunt cum Ariſtotele eius interpretes, doctiſſimique expoſitores: eſse id poſſibile hucuſque demoſtrauit nemo. Moralis Philoſophia illuſtrior & excellentior naturali, oſtendit Benedicto duce & præceptore, non dari vacuum naturaliter, ſed diuinitus id dari poſse. *Vacuum eſt ſuperficies carens corpore:* ſic ipſum definijt Ariſtoteles. Homo reuera ſuperficies plerumque eſt, non tamen vacans corpore. An non hunc aptè ſuperficiẽ dixero, qui dilatato caret corde, nec non profunda humilitate? Ne eſto corpus: trinas tamen habeto dimenſiones? longitudinem, latitudinem, atque profunditatem. *In ſpirituali ædificio*, inquit Hugo de animæ clauſtro lib. 3. *fundamenti locus in imo, ideſt humilitate quæritur. In latitudine, nempe in charitate diſponitur. In altitudine vero bonorum operum paries erigitur, & diuinæ protectionis tectum ſuperponitur. In longitudine autem patientiæ perficitur.* Qui igitur trinas habere dimenſio-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

menſiones quis poterit, inquies, qui corporeus non ſit maxime cum hæc triplex dimenſio conſtituat corpoream quantitatem? Reſpondeo quantitatis ſpecies eſſe duas, quæ à nemine negari poſſunt: datur molis atque virtutis quantitas. Profunditas & molis altitudo corporea eſt, conſiſtit enim in materia: virtutis humilitas atque ſublimitas eſt incorporea, conſiſtit enim in ſpiritu, & mente: non in colore, ſed in corde, *Multi enim humilitatis vmbrā, veritatem pauci*, vt ait Hieronymus XXVII. epiſtola, ſectantur. Vere humiles ſunt, qui docentur à Chriſto eſſe mites atque humiles corde, nempe pauperes ſpiritu, qui Matthæi quinto dicũtur eſſe domini regni cęlorum. Vmbratilis atque fucata illa eſt humilitas, quæ in lingua, quæ in corpore. Hæc, ſi cor non peruadat, in molis quidem, non verò in profundæ virtutis conſiſtit quantitate. Hinc Melliflui mei Bernardi mens pęnitus innoteſcit. *Nec humilitas præter veritatem* ait, in Cantic. *laudabilis eſt*, cur? quia corporea, adulterina, confictitia: quia non eſt humilitas, ſed vana hypocriſis, hoc eſt, humilitatis vmbra. Hinc pſalmo lux, & ipſe reciproce lux noſtræ difficultati. *Reſpexit* (inquit Poeta Rex 101. epigrammate) *in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum*. Legit Hieronymus, *in orationem vacui*. Vacui igitur qui vere humiles, vt dicebamus: illi ſcilicet, qui vacui & expediti ab impedimentis corporeis, pleni ſunt charitate. Sed de hoc vberius loco aptiori.

12 Doceri vis qui poteris corporeus non eſſe? eſto in actionibus tuis totus ſpiritus, eſto in contemplatione Angelus, in amore Cherub, in magiſterio Seraphim: ſic moraliter carebis corpore, eris ſuperficies vacans corpore, ſed plena Deo: eris inanis atq; vacuus in ſuperborũ oculis, ſed in diuinis diues virtutis quãtitate, empireiſq; pręrogatiuis.

13 Omnia tempus habent, & decretis atomis fiunt vniuerſa ſub ſole: imò & ſuper ſolem. Interrogas, quo tempore debeas exuere veterem hominē cum actibus ſuis nēpe moraliter corpoream partem. Si non ſufficio tuæ inſtructioni, ſufficiat Caſinenſium Lycurgus. *Currite, dum lucem vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehēdant*. Tota vita dies vnus. Igitur procraſtinare præcipitari eſt. *Qui ad vitam volumus peruenire perpetuam, hodie* videlicet *dum adhuc vacat, & in hoc corpore ſumus, hæc omnia per huius lucis vitam vacat implere. Currendum & agendum eſt modo quod nobis in æternum expediat*. Ecce curioſa acroaſi Benedictus egit de continuo rerumque infinitate *Currendum eſt nobis*, quando? modo, continuo: ſed quamdiu? continuè, ſemper, ſine intermiſſione aliqua: in humilitatis enim via non progredi, regredi eſt. Cur tamen currendum eſt continuè? quia ex puriſſimis multis virtutibus ſola perſeuerãtia (hæc eſt gratiæ & charitatis continuatio) conatur laureola æuiternæ: vel ſi quæ aliæ virtutes non niſi propter perſeuerantiam: ſiue quod idem eſt, propter gratiam perſeuerantem. Hæc gloria eſt, & multifariam infinita. Obiectiuè Deus eſt; duratione interminabilis eſt, omnique fine deſtituta.

Auſculta igitur fili: docearis de auſcultatione mirabili Monaſticas Inſtitutiones: diſcas virtutum principia, cauſas, motus, tempus, quæ ſpiritualis Ariſtoteles Stagirita doctior & eruditior aperiens ludum Theophiliæ Supernaturalis, & Dominici Seruitij ſcholam erigens delineat vitæ Calamo & operum exemplo confirmat.

LIBER

LIBER PRIMVS.

Securiſſima conſtituit fundamenta, quibus diſcutiendæ difficultates innitantur.

14 *NE cogar ſæpius eaſdem reſumere rationes, iuuat illas præmittere, ex quibus reliquæ dependeant; illas inquam, à quibus petendæ ſunt reſolutiones frequentiſſimæ. Perſtringam eas vtili breuitate; non enim eſt animus has difficultates controuertere, ſed explicare: Expendo enim illas ex profeſſo in Theologia Morali, in qua de Iuſtitia & Iure, Legibus, & Opinionibus vberius tracto.*

DISPVTATIO SECVNDA.

De Legibus.

15 SAnctiſſimi Patriarchę Regula ſeu præcipiat, ſeu conſulat, lex eſt & adueniente Antiſtitis imperio non ſolum directiua, ſed & coactiua poteſt eſſe. Qualiter ea nos obliget examinaturus, debeo ſolidiſſima fundamenta ſupponere vt machina ſecurior erigatur. *Lex eſt menſura & regula, ſecundum quam aliquis inducitur ad agendum, aut ab agendo retrahitur.* Ita Suarius *lib.*1. *de legib. cap.* 1.*num.*1. ex Doctore Angelico 1. 2. *quæſt.* 90. *art.*1. Omiſſis alijs diuiſionibus, Legis ſumptæ in communi differentię ſunt, Aeterna, Diuina, Naturalis, Humana; quibus adſcribunt aliqui Ius gentium. De ſingulis ſub breuitate diſputabo.

ARTICVLVS I.

De Lege æterna.

16 LEx æterna liberum Dei decretum eſt circa creaturas gubernandas Ita D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 91. *art.*1. *ad* 1. Alenſis, & alij quos citat & ſequitur Suarius *lib.*2. *de legib. c.*3. *n.*3. Omnes ſubſcribunt D. Gregorio Nazianzeno, qui *Orat.*2. *de paſchate*, ſic ait: *Oportebat poſt ſpiritualem, corpoream condere creaturam*, quæ verba reſumit, exponitque *lib.*2. *de fide* 12. *cap.* Damaſcenus, & inquit: *Hoc autem vocabulo Oportebat nihil aliud à me indicatur, quam opificus voluntas: hæc enim nec lex, nec ſanctio aliqua cōgruentior imaginari aut fingi poteſt.* Voluntatem vnicam moraliter obligat: quoniam neceſsitat potentias reliquas, non quod illis nouam neceſſitatem imponat, ſed quod reperiat natura ſua neceſſitatas, quamobrem præmotionem à libera & neceſsaria abſtractam, non neceſsariam aut liberam, ſed infallibilem vocabimus. Aptè Auguſtinus *lib.* 83. *quæſtionum, quæſt.* 27. ait.: *In ſola bona voluntate ſecundum legem agimus, in cæteris autem ſecundum legem agimur, cum lex ipſa incommutabilis maneat.* Lex hæc naturalia (hoc eſt neceſsaria) dirigit, & manuducit impe-

imperio naturali, cui reſiſtere non poteſt creatura; moralia gubernat directione infallibili nullatenus neceſſitante. *Lex æterna* verba ſunt Auguſtini 22. *contra Fauſtum cap.27.) eſt ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſeruari iubens, & perturbari vetans*. Vetans quidem, aut phyſicè, aut moraliter. Si phyſicè, vocatur *Lex æterna phyſica*; *Lex æterna moralis*, ſi moraliter. De phyſica *Prouerb.* 8. legimus, *Et legem ponebat aquis, ne trãſirent fines ſuos* & paulo antè, *Quando certa lege & gyro vallabat abyſſos.* Ad moralem ſpectat Decalogus, & omnia diuina præcepta, quę forum interius reſpiciunt.

Lex igitur ęterna phyſica eſt decretum Dei liberum prout reſpicit rerum proprietates. Sic lege ęterna decretum, grauia deorſum tendere, leuia ſurſum, ignem habere Calorem (ſi elementa ſolis proprietatibus & accidentibus diſtingui contra veteres, qui putabant illos diſtingui ſpecie ſupponas, calor non iam ignis proprietas, ſed erit conſtitutiua forma) hominem eſſe riſibilem, adamantem eſse durum, ceram mollem; ferrum ſolidum, & aquam liquidam: quæ omnia poſita lege non contingentia, ſed necesſaria ſunt: lex autem ipſa fuit libera Legislatori, qui rerum proprietates etiam aliter potuit decernere. Cur non & ignis vreret medio frigore, ſi Deus voluiſset? in Babylonico camino ſuę actiuitatis obliuiſcitur, quoniam hęc illi à lege ęterna, quæ actiuitatem igni in illa occaſione & tempore largiri noluit.

17 Lex æterna proprietates rerum decernit, non eſſentias; hæc enim neceſſariæ ſunt, & decreto Dei libero ſubſiſtere nequaquam poſſunt. Nequit Deus facere hominem eſſe irrationalem, at eum priuare poteſt exiſtentia & riſibilitate: ratio eſt, quia riſibilitas & exiſtens non includuntur in prædicatis eſſentialibus, quæ mutari non poſſunt.

18 Hinc intelligendus Auguſtinus, qui frequẽter aſſerit nullam eſſe creaturam quæ poſſit ſubterfugere legis ęternę imperium. Operetur quiſpiam ſeu liberè ſeu neceſſariò, bene ſeu male, ſemper correſpondebit decreto efficaci æternæ iſtius ſanctionis: quia ſi peccando contra legem æternam, quã te obligantem ad talem actum moralem, opereris: in eandem incidis qua permittentem te tuo arbitrio atque præcipiti electioni.

Diſtinguitur æterna lex ab ideis æternis multifariam. Primo, quoniam hæ ad Dei ſcientiam pertinent: ſed lex ad voluntatem. Secundò, quia ideæ eſſentias rerum contemplantur, lex autem rerum gubernat paſſiones, operationes, actus, accidentia, & vniuerſas proprietates.

A prouidentia lex æterna diſtinguitur vnico nomine, in re conuenit. Prouidentia & æterna lex non ſunt duo attributa Dei virtualiter diſtincta ſed ſimpliciſſima illa volitio prout liberè extenditur ad res creatas.

ARTICVLVS II.

De Lege naturali.

19 Acutiſſimus Vaſquex 1.2. *diſp.* 150. *c.3.* voluit extra communem Doctorum claſſem ſingularis aſſerere legem naturalem eſſe naturam rationalem ſecundum ſe, vt eſt fundamentum & principium vel honeſtatis actuum humanorum naturæ tali conuenientium, vel turpitudinis diſſonantium omnium operationum.

19 b Fundamentum ipſius eſt ſatis forte: reducam ad formam ſyllogiſticã, vt penitus percaleas. Lex naturalis eſt aliquid: non in Deo: ergo in creatura. Conſequentia eſt videns: probatur minor. Quia ſi lex naturalis in Deo eſſet, cum eſſentia eſſe nequeat, deberet eſſe aut liber, aut neceſſarius actus. Atqui ſolum dantur in diuinis duo actus neceſ-

neceſſarij, videlicet cognitio eſſentiæ ex qua Verbum producitur,& amor ille Patris & Filijs producentium Spiritum ſanctum: ergo lex naturalis non eſt actus neceſſarius Dei. Sed neque liber eſſe poteſt: & probatur. Quia ſunt aliquę actiones intrinſecę & ex natura ſua malæ, ita vt earum malitia nec à prohibitione pendeat, nec à Dei iudicio aut voluntate: ſunt etiam aliquæ operationes ex ſua natura, bonæ, & honeſtæ independentes ab omni cauſa extrinſeca. Vel videamus. Fingantur aliæ leges, mutentur illa Dei decreta quæ mutari non poſſunt: an poterit odium Dei eſſe bonum, & actus charitatis malus?

Nihilominus hanc difficultatem altius examinare neceſſarium eſt: iuuabunt ſequentes concluſiones.

20 *Prima. Malitia eſt duplex: phyſica, & moralis.* Malitia phyſica eſt deordinatio phyſica, & realis vnius entis reſpectu alterius. Sic leonem occidere eſt actio mala phyſicè reſpectu leonis: quia huic beſtiæ malum eſt interimi, & conſeruari melius eſſet. Frangere chryſtallum phyſicè & realiter eſt actio mala, nempe ipſi chryſtallo, quæ appetit ſuum eſſe. Neutra eſt mala moraliter: quia neutra eſt contra legem: malitia enim moralis eſt deordinatio actus reſpectu indictæ legis. Sic non audire ſacrum die feriata malum non eſt: quoniam non datur lex de miſſa audienda tali die: miſſam non audire in die Dominica, culpa eſt, quoniam contra legem.

Secunda. *Malitia actuum phyſica eſt ante omnem legem.* Hoc eſt. nihil eſt malum phyſicè quia prohibitum, ſed quia phyſicè eſt deordinatum. Ratio eſt: quia ſublata prohibitione, adhuc phyſica malitia remaneret.

Tertia. *Omnia præcepta naturalia Decalogi dicunt bonitatem phyſicam moralemque.* Præuaricatio in præceptis eiſdem induit malitiam moraliter, & naturaliter. Occidere enim hominem imbibit deordinationem phyſicam: & ſi ſit contra legem, moralem.

Ex his collige odium Dei duas malitias habere: moralem vnam, alteram naturalem. Non poteſt fieri quòd odium Dei deordinatum non ſit, quia licet tolleretur Decalogi præceptū primum, odium eſſet phyſica voluntatis humanæ deordinatio: non tamen eſſet moralis, cum lex & obligatio deficeret. Vbi obiter nota eos qui odium Dei malum moraliter citra omnem legis conſiderationem ſtatuunt, abuti voce, & id morale dicere, quod naturale nominamus.

21 Quarta concluſio, quæ dubio ſatisfaciat, ſit hæc. *Lex naturalis moralis eſt pars entitatiua, non poteſtatiua æternæ legis.* Partem entitatiuam dico, non quod illa diuina formalitas, quæ dicitur *diuina volitio*, ſit re aut ratione diuiſibilis intrinſecùs, ſed quod extrinſecus diuidatur termini ſeu connotati diuiſione. Exponitur eſſe decretum Dei liberum indicens amorem Dei & proximi, cum voluntate obligandi. Eſt expreſſa Angelici Doctoris 1. 2. *quæſt.* 100. *artic.* 8. aſſerentis Deum Decalogi legiſlatorem. Clarius. *Eſt actus liber diuinæ voluntatis, non ſecundum totam ſuam latitudinem, ſed qua regulat humanam libertatem cum intentione obligandi conſcientias ad tales aut tales actiones.*

Fundamentum, quod ſtatuerat Vaſquez *num.* 19. *b* deſtruo aſſerens hanc legem eſſe decretum Dei liberum iuxta reſolutionem quartam, Ad impugnationem, admitto dari res quæ ſint phyſicè & realiter deordinatæ ante omnem legem moralem: nego autem poſſe moralem malitiam intelligi ſine præcepto: vnde (ſeu id poſſibile ſit, ſeu non) ſi tollerētur omnes leges, nihil remaneret quod poſſet aſſeri malum moraliter.

22 Datur in natura rationali vis quædam ad decernendum inter operationes conuenientes & diſconuenientes, & hæc intellectualis vis vocatur Ratio. Abulenſis in *Matth. 19. quæſt.* 30. Sotus *lib.* 1. *de Iuſt. q.* 4. *artic.* 1. & alij legem naturalem aſſerunt formaliter in ratione conſiſtere. Cæterum eorum rationes ſolum conuincunt dictamen mentis requiri eſſentialiter tãquã conditionem neceſſariam: quod non eſt peculiare legi naturæ: reperitur enim in reliquis præceptis & legibus, quæ non obligant niſi ſufficienter promulgentur, & phyſicè moraliterue cognoſcantur. Ideo lex illa æterna qua moraliter obligans (ſub tali enim conſideratione naturalis moralis lex dicitur) debuit promulgari, ac cognoſci: ne eam ignoraremus donati ſumus rationis lumine diuinitus instructo vt nos erudiat, quid amplecti, quid fugere, quid fugare debeamus. Subſcribo Auguſtino *lib.* 2. *de ſermone Domini in monte* à quo didici qui deberem de legibus philoſophari. *Nullum animam eſſe*, ait *quæ ratiocinari poſſit, in cuius conſcientia non loquatur Deus. Quis enim legem naturalem in cordibus hominum ſcribit, niſi Deus?* Ecce: Legiſlator non eſt ratio, ſed Deus: ratio autem eſt tabula in qua Dei digito ſcribitur lex naturalis.

ARTICVLVS III.

De Iure gentium.

23 IVſtitia & iniuria nec actiuè neq; paſſiuè in brutis poteſt reperiri: quia cum ratione careant, nequeunt operari moraliter. Hinc conſtat naturæ ius ad bruta non extendi, ac propterea ineptiſſimè aliquos iuris conſultos affirmare ius gentium eſſe quod hominibus conuenit, naturæ ius quod etiam alijs animantibus. Scio hæc verba, ſi obtorqueantur & ad noſtram reducantur ſententiam plauſibiliter defendi poſſe; ſed ego non illa retorta, ſed vt iacent, condemno.

Si rem occulatius ſpeculer, dicam ius gentium eſſe partem non poteſtatiuam ſed entitatiuam naturalis. Entitatiuam quidem extrinſecè: Dei enim voluntas intrinſecè non habet entitatiuas aliquas formalitates re aut ratione diſtinctas: vt paulò ante notaui. Ius naturale & ſingulos ſeorſim reſpicit, & omnes in humana politicaque ſocietate. Si homines ſeorſim viuerent, & nullam haberent communicationem: non daretur ius gentium: hoc enim eſt ius naturale prout omnes homines ſimul reſpicit, & indicit ea quæ expediunt ad hominum quietem, tranquillamque conſeruationem.

Sunt aliqui, qui volunt ius gentium eſſe ciuile non ſcriptum, quibus ſubſcribit Suarius *lib.* 2. *de legibus cap.* 19. *num.* 3. vbi aſſerit gentium ius, humanum poſitiuum ſimpliciter vocandum eſſe. Falluntur tamen: quia ius humanum oritur vel à ſanctione ſuperioris legitimi, vel à conuentione plurium hominum. Doceri autem velim, quis fuerit ille totius mundi Imperator, qui leges catholicas tulerit, quibus teneantur æternum obedire. Vere non datur talis. Ergo ad pactum gentium recurras, neceſſarium eſt. Dicas autem, quæ gentes, quando, vbi conuenerint in omnibus communi lege. Reſpondent aliqui, conſuetudine & approbatione gentium vniuerſarum videri conuentum in iuris gentilis concluſionibus. Sed hoc non ſufficit ex varijs cauſis.

24 Primò, quia ſi Deus, cum creauit Mundum, ſimul creauiſſet multos homines, ſubeſſent iuri gentium ante omnem vſum, & approbationem. Quis enim diceret poſſe in tali caſu legatos occidi, atque itinera illis nega-

negari, qui bono conſulerent communitatis.

Secundo, quia conſuetudo & approbatio non reperitur æque conſtans: tum propter plurium gentium barbariem, tum propter nimiam aliquorum populorum politicam. Sinenſes ſuperſtitiosè vitant peregrinos, vix admittunt legatos, & cuicumque (ſiue hoſtis ipſe, ſiue amicus) interdicitur venire ad regnum.

Addo eſſe impoſſibile ſecundum communem modum viuendi hominum, quod detur ius humanum obligans gentes vniuerſas: vnde iudico non poſſe contingere ſine miraculo, quod vel vnus habeat iuriſdictionem legitimam in totum mundum, vel quod omnes homines confœderentur, & conueniant in talibus ſeruandis legibus. Præterea ſi ſemel tale ius humanum vniuerſale conderetur, cur non poſſent etiam ipſimet conditores illud reuocare? Nec iuuat recurrere ad præſcriptionem, quia cum & hæc ſit de iure poſitiuo, etiam poteſt ex tabulis eliminari.

Debemus ergo aſſerere ius Gentium eſſe Naturalis entitatiuam partem: quia Lex moralis prout hominem homini comparat. *Naturalis moralis* dicitur: *& Gentium Ius* prout communitati liberæ comparat aliam communitatem, inadæquatè aut adæquatè.

ARTICVLVS IV.

De Iure humano poſitiuo.

25 Decalogi præceptum quartum obligat ſuperiorem & ſubditos. Ille ex vi iſtius præcepti tenetur ſuos dirigere, inſtruere, tueri, conſeruare: iſti tenentur obedire.

Superior duplex, Politicus, & Naturalis. Naturalis ſuperior eſt quicumque pater erga ſuos filios, non erga nepotes immediatè: niſi ſolum in defectu aut phyſico, aut morali filij: puta ſi filius ante diem obierit relictis prolibus, tunc ex natura rei auo nepotes ſubdentur immediatè: vel etiam ſi eorum pater deficiat moraliter: hoc eſt, ſi ignauiæ ſtudens aut nolit aut non ſciat dirigere ſuas proles. Sed quomodo & quando hoc debeat fieri, iure humano poſitiuo exponitur.

26 Authoritas ſuperioris Politici conuenit cuilibet Patri-familias morali: videlicet Hero erga famulos, Regi erga vaſallos, Abbati erga ſuos Religioſos. Varij ſunt modi promouendi ad politicam iuriſdictionem. Herus fies ſalarij inſtitutione & admiſſione, Rex electione aut ſucceſſione iuxta diuerſarum regionum conſuetudines, Abbas declaraberis vel liberalitate Pontificis, vel ſubditorum voluntate. Cæterùm ſi ſemel ſis ſuperior legitimus, teneberis dirigere & gubernare ſubditos, & illi tenebuntur obedire: Et hoc non iure humano poſitiuo ſed diuino morali, quod formaliter conſiſtit in quarto præcepto Decalogi. Sed animaduerſione dignum eſt, omnem hominum iuriſdictionem breuem & limitatam eſſe: ideo ſuperior non debet obliuiſci limitum in promotione ſtatutorum. Alicubi ſuperiores abſolutè confirmantur ſine aliqua limitatione & iſti habent latiſſimam authoritatem. Alibi ſubditi præponunt ſibi vnum hominem, aut vnam genealogiam ſub conditionibus & legibus intemerandis, vt videre eſt in varijs prouincijs, quæ non confirmabunt ſuos reges, ni polliceantur prius ſe priuilegia à vita conſeruaturos. Alias inferiores ſeſe ſubijciunt ſuperiori in his & illis determinatis rebus, & non in alijs: tales ſunt Domini Benedictini, qui creant Antiſtitem, cui ſubſint non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſecundum regulam ſui ſanctiſſimi Legislatoris.

ARTICVLVS V.

Ius naturale nec mutari, nec diſpenſari poteſt humana authoritate.

27 HAec veritas eſt cognitione digna, & dubijs hoc libro examinandis maximè neceſſaria: ipſa in cauſa, vt plurimæ quæſtiones, quæ ab alijs ex legum decretis reſoluuntur, à me ex rei natura decidantur Naturæ ius humanitùs eſt indiſpenſabile, quia ita ex ſuo ingenio eſt inuariabile, vt mutari vix diuinitùs poſſit. In hoc iure abſoluta Dei potentia diſpenſare, vt diximus, ſufficit: non tamen ordinaria, ita Suarius *lib. 2. de leg. cap. 14. num.* 10. Si qui in aliquibus caſibus ius naturale humanis decretis ſubijciunt, non percallent legis diuinæ dignitatem.

28 Sæpè naturæ ius obligat ex ſuppoſitione, quam licet alterare: ſed hoc non eſt mutare ius naturæ, ſed tollere iuris materiam. Lignum applicitum flammis naturaliter ardere debet, arte non poteſt fieri quod immerſum flammis non ardeat, poteſt tamen amoueri: cæterùm lignum non ardeſcet, ſi ab igne diſtiterit longo interuallo. Non poteſt lex humana facere quod miles teneatur defendere arcem, quod Prætor licitè permittat in vrbe exorbitantias: quia ſicut incumbit militi armis tueri vrbem, ſic Prætori eam expedire à graſſantibus & ſceleratis. Attende ergo. Petrus eſt Prætor, & caput ciuitatis. Quòd ciuibus præſit, aut non, pendet à lege poſitiua: poteſt ipſe deponi & alius ſufſici. Cæterùm quòd ſit Prætor, & negligenter prouideat bono publico, non licebit per diuinam legem. Non aliter. Poteſt Abbas deponi, ſi iuſto Legiſlatori placeat: poteſt monachus ſimplex ad dignitatem promoueri, quia à lege poſitiua pendet, quòd Ioannes ſit Abbas aut non Abbas, daturus eſt Deo rationem de ſibi commiſſis animabus, quas debet exemplo alere, & inſtitutione fouere.

DISPVTATIO TERTIA.

De Obligatione, quæ ex Legibus oriri ſolet.

29 LEx triplex; eſt Moralis, Pœnalis, & Mixta. Moralis aliàs vocatur Abſoluta, quòd Pœnalis ab hypotheſibus pendere videatur. Abſoluta igitur lex eſt illa, quæ re faciendam præcipit morale imperium exprimens, non tamen pœna aliqua condemnans tranſgreſſores. Pœnalis è contrario ea dicitur in qua pœna decernitur, imperium tamen morale non exprimitur. Mixta vtrumque coniungit. Vtrum pœnalis lex ſit, an abſoluta, colliges ex eiuſdem tenore. Prælati lex eſt abſoluta, ſi feratur his, aut ſimilibus verbis: *Præcipio in virtute ſanctæ & ſalutaris obedientiæ omnibus & ſingulis religioſis, vt obſeruent ieiunium quartis ferijs.* Eſſet lex ſecundùm quid ſeu pœnalis, ſi ſanciretur hac verborum ſpecie: *Iubeo ſub pæna tali, quòd omnes ieiunent tali die.* Tene mixtæ legis ſpecimen: *Præcipio ſub obedientia formali & tali pæna, vt omnes, &c.* Similia præcepta frequentiſſimè occurrunt in communitatibus, & ideò omninò neceſſarium examinare ta-

ium legum obligationes appendices exiſtimo.

ARTICVLVS I.

Lex merè pœnalis non obligat in interiori foro.

30 POenalis regula vitam dirigit rigore & metu: ſupplicia præuaricatoribus imponit corporalia, & per ſe non obligat conſcientias. *Per ſe* conſultò dixi, quia poterit cōtingere, quòd temerans legem merè pænalem, mortaliter delinquat ob alias cauſas, quas poſteà recenſebimus. Leges merè pænales neminem obligare in interiori foro, certum eſt; quia ſi obligarent in conſcientia, non eſſent merè-pœnales ſed mixtæ. Ideò me iudice idem eſt quærere, vtrùm lex merè-pęnalis obliget in conſcientia, ac petere, vtrùm lex, quæ in conſcientia non obligat, obliget in conſcientia. Vnde qui ſentiunt omnes leges pænales obligare in conſcientia, deberent aſſerere non dari leges merè-pœnales: ſed omnes pœnales eſſe mixtas, hoc eſt, obligare ad culpam & ad pœnam.

Certè dari leges merè-pænales, quæ non reſpiciant mores, ſed ſolummodò commoditatem, ſentiunt Doctores magni nominis. Præcipuos dabo. Sunt Nauarrus *in Man. cap.* 23. *num.* 55. Miranda *in Man. Præl. tom.* 2. *quæſt.* 25. *artic.* 18. *concluſ.* 2. Nicodemus de Florentia *in ſpecul. Confeſſ. cap.* 53. Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 22. *num.* 2. & Reginaldus *in praxi tom.* 1. *lib.* 15. *cap.* 6. *ſect.* 5. *numer.* 50. Hanc opinionem probabilem iudicauerunt Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 6. Azorius *parte* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 4. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 11. *num.* 420.

Poterit contingere quod temerans legem merè-pœnalem peccet mortaliter: hæc autem culpa nōn erit contra pœnalem legem formaliter ſed contra aliquam legem abſolutam.

31 *Primò* ſi eadem actio præcipiatur à duabus legibus, quarum altera ſit abſoluta, & altera pœnalis: peccabis præuaricator, non quà contra pœnalem, ſed quà contra abſolutam ſiue moralem operaris. Præcipit Eccleſia vniuerſis, vt audiant ſacrum diebus feſtis: id ipſum Mauriſcis (Chriſtiani erant ex Maurorum ſanguine, qui anno 1611. fuerunt pulſi ex Hiſpania) ſub pœna pecuniaria à Republica præcipiebatur. Mauriſcus inobediens, licet eſſe paratus ſummam pecunię determinatam pendere, peccabat mortalitar: non quà operabatur contra legem ſæcularem, quæ erat merè pœnalis; ſed quà contra Eccleſiaſticam, quæ erat abſoluta & moralis. Ideò conſiderare oportet, vtrùm quod ſub pena interdicitur ab vna lege, ab altera, aut diuina aut humana prohibeatur ſub culpa.

32 *Secundò* eſt examinanda pœnę qualitas, vtrùm ſit talis, cui extra iudicium ſine culpa poſſis pro arbitrio ſubiacere. Verbi cauſa, interdicitur ſub perditione omniū bonorum ne aliquis occidat tale animal in ſaltu regio, Vadunt mendicus, diues ſolutus, & quidam etiam diues coniugatus qui proles habeat. Iſti tres eodem conſilio & actu illam occidunt animantem. Operati ſunt contra pœnalem legem, & prout operabantur contra illam, eodem modo ſunt iudicandi. Dico eos ex vi legis non peccauiſſe: attamen cùm hac actione perdant bona ſua, eſt locus nouæ difficultati. Reſoluo breuiter: Qui potuerit omnia ſua bona dare Reipublicæ ſine culpa, ille etiam poterit illam animantem occidere, & propoſitæ pœnæ ſubiacere: non item ille qui donationem talem facere non poſſit. Idcircò affirmo mendicum non peccauiſſe, quia cùm nulla bona haberet quæ perderet, nulli ſe periculo

expoſuit. Addo ſolutum illum hominem cùm careret hęrede neceſſario, potuiſſe legare totam ſuam ſubſtantiam Reipublicæ, ac ideò ſine culpæ ſcrupulo potuiſſe tali ſe exponere ſententiæ, quia per hanc cogitur facere quod etiam ante ſententiam licuerat. Cæterùm coniugatus ille, cum habeat filios, & hi ſint hæredes neceſſarij, non poteſt legare omnia ſua bona ærario publico, ac proinde quia libere eſt in cauſa quod omnia ſua bona pereant, ſuam ſubſtantiam dilapidat, reddit ſuos filios exhæredes, peccatque mortaliter. Quod ſi credas filios ante patris mortem nullum ius habere ad bona paterna, atque cum propterea poſſe ante obitum ſua cuicumque donare ſi liceat per leges donare: eadem probabilitate aut improbabilitate poteris aſſerere talem patremfamilias non peccare, etiam ſi id faciat vnde ſciat ſe omnem ſuam ſubſtantiam in penam perditurum eſſe.

33 Homines honoris proprij, prodigi peccant mortaliter in communi ſententia vnde ſi pœna ſtatuatur infamiæ, peccabit tranſgreſſor, non quidem ex vi legis, quæ pœnalis ſupponitur, & conſcientia non obligat; ſed quia vltrò ſe exponit ignominiæ. Hinc eſt quod pęnæ, quæ leuiter honori noceat, poſſis ſine culpa graui ſubiacere: venialiter enim ſolùm peccat, qui ſuam leuiter dedecorat æſtimationem.

33 b Suæ commoditatis vnuſquiſque eſt dominus, adeoque licitè ſe exponit periculo ſubiacendi ſententiæ, quę ipſum honore illæſo priuet commoditate: puta, ſi in aliqua communitate præciperetur quidpiam ſub aliqua pęna regulari ordinaria, tranſgreſſor nō peccaret venialiter, quia regulares ordinariæ pœnæ, ne leuiter & quidem inficiunt. Tales ſunt leges, quæ negligentibus in choro decernuntur: nempe, ire ad præsbyterij gradum, ſi ſerò venias; petere veniam, ſi in lectione fallaris & pænalitates iſtis ſimiles, quæ omnibus & fræquentiſſimè ſolent imponi. Pęnitentiæ autem extraordinariæ, quas grauiores appellat Benedictus, cum pro grauibus culpis ſoleant conſtitui, rarò non maculant. Si te exponas periculo ſubeundi talem pœnam, iudicandus es ſecundum infamiæ illatæ quantitatem: peccas grauiter ſi hæc fuerit grauis, hoc eſt, grauiter ignominioſa: venialiter, ſi leuis; nullo modo, ſi nulla. Hoc tamen etiam eſt notitia digniſſimum, ſi Petrus ſciat ſe non eſſe ſubiturum talem pœnam, vel quia Iudex reuerentiæ cauſa non audebit contra illum procedere, vel quia ipſe poterit ſe bene excuſare, vel tandem quia habet patronos potentiſſimos; non ſe exponit periculo, ac propterea nec peccat. Addo, non eſſe neceſſarium, vt tranſgreſſor legis ſciat euidenter ſe poſſe euadere pœnam impoſitam; quia vt infra videbimus, in moralibus non requiritur aliqua euidentia, ſed ſola probabilitas.

33 c Petis; vtrum lex merè pœnalis ſit verè lex? Reſpondeo negatiuè: non eſt lex abſolutè & ſimpliciter, ſed ſolummodò ſecundum quid, hoc eſt extrinſecùs atque pœnaliter. Addo, poſſe illam ad legem reduci hypotheticam & conditionatam.

ARTICVLVS II.

Lex moralis eadem quæ abſoluta: obligat in conſcientia.

34 Leges ciuilium Magiſtratuū nō obligare in conſcientia docuerunt Gerſon *in 3. par. tract. de vit. ſpirit. lect. 4. alphab. 62.* Almainus *de poteſt. Ecc. cap. 12.* & inter Canoniſtas ſequi videntur hanc ſententiam Decius *in cap. Nam concupiſcentiam circa fin. lect. 1.* & Ioannes Imol. *cap. 2. de Mayorat. & obed. & in cap. Cùm contingat. & ſæpè alibi* Mencha *lib. 1. Illuſtrium quæſtionum cap. 19. n. 1.* Sotus, Caſtro, & alij quos citat Suarius *lib. 3. de leg.*

de leg. cap. 21. num. 4. cenſent incertum eſſe an leges ciuiles obligẽt in conſcientia obligare tamen Eccleſiaſticas. Gerſon citatus etiam Eccleſiaſticis legibus negat authoritatem obligandi in interiori foro. Subſcribunt noſtri temporis hæretici, diſſentiunt Catholici Doctores.

35 Dico igitur aliud eſſe legem humanã non obligare in conſcientia, aliud non obligare præcisè quà latam ab hominibus. Qui ingenium colis, & ſupra vulgus ſapis hanc obſecro differentiam obſerues, ne ſcis illis ſimilis qui inter rem hoc titulo non obligantem & abſolutè non obligantem non ſufficiunt, aut nõ volunt diſtinguere; poteſt enim contingere te vno titulo aut iure non obſtrictum, obligari alio, æquè ſtricto, tametſi à priori diuerſo. Fortè Gerſon ſi attentè legatur, non aſſerit leges, quæ ab hominibus feruntur, non obligare in interiori foro, ſed non obligare quà ab hominibus latas: & conſequenter quidem, quia in eius ſententia ſumunt vires à Deo. Secundę tabulæ præceptum primum indicit reuerentiam erga Antiſtites & ſuperiore, illis tenemur obedire: ideò leges humanæ obligant in conſcientia. Vnde, ſi tolleretur decalogi præceptum quartum, ceſſaret etiam obligatio obediẽdi Principibus, quia oritur ex illa lege. Hæc veritas datis exemplis erit & illuſtrior & clarior. Ex vi voti tenetur religioſus obedire Præpoſito: ſed ſi abſolueretur à voto, remaneret liber ab obediendi obligatione. Etiam Priori obedis, quoniam hoc indixit tuus Prælatus; ſi contrarium indiceret non teneris. Sic ſimiliter: terrenis Principibus, tam Principio, tam Eccleſiaſticis, quàm ſęcularibus libenter obedimus, quia hoc indixit Deus Decalogi præcepto quarto: quod ſi contrarium Deus diſponeret, non teneremur: tota igitur obligatio indicenti vniuerſis, vt Prælatis obediant.

Scio adhuc ſuborriri poſſe nouam difficultatem; bene enim ſtat quòd moraliter teneamur Deo nobis præcipienti vt ſuperioribus obediamus, & tamen iſtis non niſi pœnaliter teneri: nam & votum factum Deo & moraliter obligans poteſt inducere obligationem purè pœnalem, vel ſi moralem non abſolutam, ſed hypotheticam. Vel dicito, cur non poſſet Deus hanc legem ferre, pręcipio moraliter quòd vel Regi obedias, vel pęnam ab ego mihi eamdem obediendi obligationem poſſem imponere, illamque aut iuramento firmare ſanè in tali caſu teneris Regi merè pœnaliter: at moraliter, aut legi purè ſæculari obedire, aut pęnam acceptare: & ne venialiter quidem peccares, ſi faceres alterutrum: aut grauiter delinqueres, ſi neutrum. Solennia Religioſorum vota adhuc ſtrictius obligare videbimus inferiùs; quia ipſi maiorem obediẽdi obligationem acceptarunt, poſſetque dari approbarique ab Eccleſia religio in qua voueretur Deo mitior obediendi conditio: puta, ſi profeſſionis formula exprimeretur iſtis verbis. *Voueo Deo meo, aut obediturum Prælato, aut acceptaturum regularem pænitentiam.* Sed abſtrahendo à conditionibus rerum, quæ potuerunt poni, ſi ad hunc rerum ordinem, in quo conditi ſumus; cõuertam oculos: iudico certum, Deum dediſſe hominibus populo præpoſitis authoritatem precipiendi ſub pœna, & potuiſſe præcipiendi ſub culpa; nimirum, aut ſuam infinitam authoritatem ſecundum recipientis capacitatem delegando, aut præcipiendo ea, quæ ſuperiores prudenter iubenda iudicauerint, aut fortè etiam diuerſis alijs modis: quid autem fecerit, qui vtramque authoritatem dare & negare potuit, non ita clarè oſtenditur: omnibus enim probationibus ſimul cõpoſitis adhuc meridies eſt multò clarior: ſed quia communis Deorum ſentẽtia tuetur communicaſſe Deum hominibus tam ſęculari-

bus quam Eccleſiaſticis vtramque authoritatem, dicimus poſſe Pontificem, Imperatores, Reges, & Patres familias vniuerſos, obſtringere ſuos ſubditos legibus tum purè-pœnalibus, quàm moralibus, imo etiam mixtis.

ARTICVLVS III.

Cur lex merè pœnalis non obliget in interiori foro.

36 DIxi cur lex moralis obliget, ſupereſt examinare, cur non obliget pœnalis lex, quia videtur quartum Decalogi præceptum indicere vt obediamus Præpoſitis, etiam cùm præcipiunt ſub pena.

Dantur in omnium opinione conſilia & leges mixtę, quæ ſe reſpiciunt ex diametro. Hæ obligant in foro interiori & exteriori, conſilia in neutro. Extrema poſſunt habere medium & ideò legibus mixtis & conſilijs interſunt lex merè moralis, & lex merè pœnalis: ſicut moralis mera obligat in conſcientia, & non ſub pœna, extrinſeca: ſic etiam lex pœnalis mera obligat ſub pęna, & non ad culpam.

36 b Sanè Deus iubet vt tuo Antiſtiti obedias præcipienti, non verò conſulenti, ſic nec pœnam minanti. Lex enim pęnalis verè & abſolutè nō eſt lex, ſed ſolummodò ſecundum quid, hoc eſt extrinſecùs: in foro enim interiori non niſi conſilium eſt, cui adiungitur pœna. Hinc conſtat quòd Prelatus legem pęnalem indicens, velit ſubdito conſulere efficaciterque perſuadere, propoſitis & præmio & pæna, talis virtutis exercitium, conſtat etiam eum non velle condere legem moralem.

Concludo igitur aſſerens ſanctiones, quæ merè ſunt pęnales, moraliter eſſe conſilia, phyſicè & extrinſecè eſſe leges: ac propterea legum nomen illius competere ſecundum quid.

37 Leges pœnales mixtas obligare in conſcientia aſſerui: petis virùm benigniùs quidpiam reſolui poſſit? Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia licet Nauarrus, Gomezius, Ioannes Andreas, Matthæus Meteſila, Sceuola, Decius, & alij citati à Villalobos iudicent leges mixtas non obligare in conſcientia: quod etiam valde probabile cēſent Villalobos *in ſum. tom.* 1. *trſt.* 2. *dub.* 22. *num.* 6. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 11. *n.* 420. Gregorius de Valentia *tom. diſp.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 6. §. 3. & tandem Diana *tract.* 10. *de leg. reſol.* 20. eſt tamen notandum quod quæſtio hæc abundet æquiuocatione. Vocant authores hi legem mixtam, quam alij purè pœnalem: videlicet quæ exponitur verbis præcipiendi, vt cùm dicitur; *Ego N. præcipio ſub tali pœna temporali &c.* Sed hoc præceptum eſt merè-pœnale, non mixtum, quia mixti hæc eſt formula: *Ego N. præcipio ſub præcepto formali, & ſub pœna tot millium florenorum, &c.* & hic eſt certum dari intrinſeci fori obligationem. Nam ſi defendi poſſet legem mixtam non obligare in conſcientia, etiam duæ defendi contradictorię poſſent, iden eſt enim dicere, *Lex mixta non obligat moraliter*, ac dicere, *Lex, quæ ſimul obligat moraliter & pœnaliter non obligat moraliter ſed purè pœnaliter*: vbi quis ita cœcus, vt non videat claram contradictionem.

DISPV-

DISPVTATIO QVARTA:

De Legum materia.

38 Actus humani ſunt in duplici differentia, alij ſunt merè interni, externi alij. Hinc oritur occaſio dubij: videlicet, vtrùm humana lex non ſolum externos, ſed etiam internos, aut prohibere, aut indicere poſſit.

Reſolutiones.

38 *b* Prima. *Lex purè pænalis non poteſt attingere actum merè internum.* Conſtat euidenter: quia lex purè pænalis eſt regula merè-extrinſeca: ergo extrinſeca ſolum poteſt regere, non verò intrinſeca. Confirmatur *ex Leg. Cogitationis pænam nemo meretur. ff. de pænis.*

38 *c* Secunda. *Lex humana quà talis non poteſt præcipere actum purè internum directè.* Ita ferè omnes, quibus ſubſcribit Suarius *lib.* 3. *de leg. cap.* 13. *num.* 2. Vnde iam communiore dicitur, *nunquam Eccleſiam de occultis directè iudicare.* Hanc veritatem naturali lumine percalluit noſter Hiſpanus Seneca 3. *de benef.* vbi ait: *Errat enim ſi quis putat ſeruitutem in hominem deſcendere: pars enim melior excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt & adſcripta dominis, mens ſui iuris eſt.* Accinit Cordubenſi Philoſopho Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 104. *art.* 5.

39 Vt meliùs difficultatem calleas, annotato actum omnem externum ex natura ſua eſſe publicè extrinſecèque cognoſcibilem, quod enim is probari non poſſit, eſt per accidens, non quidem defectu actus, quia ipſe capax eſt probationis ſecundum ſe ſpectatus, ſed defectu teſtium, qui defuerunt, cùm potuiſſent adſiſtere. Hæc diſtinctio actus occulti per ſe, & occulti per accidens maximè neceſſaria eſt quam bene tractant Caietanus 2. 2. *quæſt.* 11. *artic.* 3. Caſtro *lib.* 2. *de leg. pæn. cap. vlt.* Simancas *in cath. inſt. ti.* 42. quos citat & ſequitur Suarius *lib.* 3. *de leg. c.* 13. Lex humana omnes actus externos licèt occultè exercitos poteſt attingere, quia qui occultè fiunt, ſunt ſecreti per accidens, ex ſua autem natura ſunt cognoſcibiles & iudicabiles.

Dices. Actus qui per ſe eſt occultus, per ſe habet quod Eccleſiæ non ſubſit, ergo actus, qui occultus per accidens ſit, habebit per accidens quod non pertineat ad Eccleſiam. *Reſpondeo,* hâc inſtantiam eſſe difficiliorum quam multi putant: illi in Morali Theologia ſatisfacio.

40 Tertia. *Lex purè humana poteſt indirectè præcipere ſecretos & internos actus.* Hæc concluſio à pluribus ſolet admitti, ſed intelligi à paucis: idcircò conſultum iudicaui expendere quid ſit rem requiri ac præcipi indirectè. Illa præcipiuntur indirectè, quæ ſunt neceſſario requiſita & coniuncta, cum opere præcepto directè: videlicet, quæ ſunt conditiones aut eſſentiales circumſtantiæ, ſine quibus illud quod directè præcipitur, ſtare non poteſt. Ideò aptè Suarius *lib.* 3. *de leg. cap.* 13. *num.* 9. Docet illum actum interiorem poſſe à lege humana indirectè præcipi, qui per ſe connectitur cum exteriori, qui directè præcipitur. Noto illud *per ſe* quia connexio per accidens non ſufficit ad hoc, vt actus cadat ſub præceptum.

40 *b* Quarta. *Voluntas inefficax circa rem interdictam eſt peccatum,* quia

quia eſt aſſenſus illicitus circa rem malam, hoc eſt circa interdictam. Supponit concluſio dari voluntates, quæ ab intrinſeco ſint inefficaces, ſed ſi nō dentur, ceſſat quæſtio. An hæ debeant admitti, an exprimantur potius voce *volo* quàm *vellem* examino Philoſophus in proprio loco, nunc autem quæſtionem decido ex hypotheſi.

41 Quinta. *Vt lex humana obliget ſub mortali, requiritur grauis materia*. Ita Driedus *lib. 3. de libert. Chriſt. cap. 3. ad 5.* Caſtro *l. 1. de leg. pæn. cap. 5. doc. 4.* Suarius *lib. 3. de leg. cap. 25. num. 4.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. cap. 12. n. 6.* Ioannes de la Cruz *in directorio part. 1. præc. 2. art. 2. dub. 4. art. 2.* Diana *par. 3. tract. 5. reſolu. 24.* Eandem ſententiam videtur tenere Corduba *in ſum. quæſt. 118. parte 1.* qui omnes ſubſcribunt meo Bernardo, qui in lib. de præcep. & diſpenſatione ſic ait. *Traduntur igitur à Prælatis minora mandata, quorum traſgreſſio leuiora ſecundum Regulam parit & peccata, & tamen in Deum nihilominus præuaricatio fit, quoties Abbatis iuſſio præteritur*, & poſt, *etſi quippe vnus eſt qui offenditur, non tamen vnius ponderis quæ iubentur, nec vnius ſubinde diſcriminis iuſſorum & omnium cenſenda tranſgreſſio*. Igitur peccatorum grauitas non ab Antiſtitis arbitrio, ſed à rei præceptæ pondere & quantitate pendet. Ne autem cenſeretur Bernardus leuiter hanc opinionem adſumpſiſſe eā fortiſſimè probat lib. de præc. cap. 14. *Prælatorum iuſſionibus* ait, *tantum tribuendum aſſeritur, quantum ſi diuinitùs traderentur*: atqui præcepta Diuina in materia leui non obligant ſub culpa graui: ergo nec Abbatum præcepta. Ratio quidem hæc efficax eſt, atque Bernardo digna; quia ſi leuis inobedientia in lege Dei culpa venialis eſt & mortalis in Regula, non iam Dei lex Regula, ſed potiùs Regula lege Dei nobilior, & praſtantior eſſet: non iam deberet dici tantum tribuendum Prælatorum iuſſionibus, quantum ſi diuinitùs traderentur, ſed multo plus, quod eſt à veritate alienum. Dicta roborat & expendit idem Doctor ſubſumens, *Numquid fortè in lege quidem diuina habenda eſt hæc conſideratio grauioris & leuioris inobedientiæ, non autem ita & in Regula? Sed quis ſanè plus dicat tribuēdum humanis quàm Diuinis traditionibus: pluriſq; quod per ſuos Deus, quàm per ſe ipſum imperat, æſtimandum?* Hanc reſolutionem non ſolùm eſſe veram, ſed eſſe iuxta mentem D. Benedicti (nequis eum dicat contrariæ ſubſcripſiſſe ſententiæ) oſtendit ex Regula. *Annon denique*, ait, *apud S. Benedictum propriæ, & diſtinctæ ab inuicem ſententiæ inuenientur, alia de leuioribus, alia de grauioribus inſcripta culpis. Quid autem eſt leuior culpa, niſi leuis inobedientia?* Inobedientia autem eſt leuis, quando materia eſt parua. De Prælatis qui volunt in leuibus grauiter obligare videtur eſſe dictum (Matth. 23.) quòd *alligant onera grauia & importabilia* nempe, cùm in materia parua obligare volunt ſub culpa graui. Vnde non omittenda cenſeo Driedi verba: *Temerariæ mandantium intentiones pro quibuslibet rebus parui pōderis non obligant ſubditos, vt teneantur obedire ſub pœna criminis illius, quod ſi* (nempe Præſides) *volunt ſubditos incurrere*. Veritas hæc tam rata eſt, vt contraria non ſit probabilis. Angelus, Syluester, Caietanus, Corduba, Anges, qui citari ſolent pro contraria parte, excuſantur, & explicantur à Suario ſatis clarè: vnde dicendum eſt meam eſſe in hoc puncto ferè omnium DD. opinionem.

41 *b* Poſtulas, an ſaltem Deus leuia poſſit præcipere ſub culpa graui? Reſpondeo authores diſſentire, dumq; in contrarias partes eunt, nobis in præſenti ſufficere ſcire quod ne quidē vnus dixerit Deum de facto nobis aliquid præci-

præcipere graue ſub leui, aut leue ſub peccato graui. Conſultò *nobis* dixi, quia præceptum Adamo impoſitum, quod perſuaſu fœminæ violauit, obſtrinxit illum grauiter, & non occurrit ſtatim circumſtãtia aliqua ob quam fuerit grauis illa materia.

42 Sexta *Superior non poteſt grauia præcipere ſub culpa leui*: quia vel debet ſolummodo conſulere: vel ſi præcipiat, tenebuntur ſubditi obedire iuxta quantitatem materiæ, adeòque ſub peccato mortali. Ita Vaſquez 1.2.*diſp.* 158. *cap.*4.*num.*32. vbi citat Driedū. Contraria autem ſententia etiam eſt probabilis, defenditur à Suario *l.*3. *de leg. c.* 27. *n.* 12. Hinc locus nouæ difficultati.

42 b Quiſpiam Prælatus ſubſcribens opinioni Suarij iuſſit rem grauem ſub præcepto, explicans ſe nolle illo præcepto obligare mortaliter, ſed ſolùm venialiter: addit tamen ſe iubere cum intentione obligandi ad mortale, vt omnes ſubſcribant ſuæ ſententiæ, nempe aſſerenti poſſe Prælatum in graui materia ad culpam leuem obligare. Poſtulas, qui maneat inferior obligatus.

42 c Reſpondeo, habere hanc opinionem probabilem vel alteram, eſſe actum merè internum, & præcedere omnem extrinſecam operationem: & ſic non poſſe à legiſlatore humano indici, ac propterea illum ſubditum non teneri in conſcientia mutare dictamen: quia eſt id intrinſecum, & bonum. Manente illo dictamine ſubditus inobediens nec mortaliter nec venialiter peccare poterit. Ratio eſt: quia non poteſt peccare venialiter cum ſupponatur materia grauis, quæ non conſiſtit cum culpa leui: nec poterit peccare mortaliter, quia ipſe exponit mentem ſuam, quæ liberat ſubditum tali obligatione, ac propterea præcepto. Quia ſicut actus agentium Phyſicorum nihil operantur phyſicè vltra virtutem phyſicam quam nominant operandi ratione, ita & actus agentium moraliū nihil operantur moraliter vltra operandi rationem, aut virtutem moralē, quæ eſt intentio. *leg.* *Nō omnes ff. ſi cer. pet.* & ibi Iaſ. Dec. & alij quos citat Menochius *l.*1. *con.* 116. *num.*35. Vnde illa ſanctio ſolùm maneret conſultiua, non verò præceptiua.

De Materia magna.

43 Materiæ quantitas bifariam conſiderari poteſt, abſolutè, & relatiuè. Quantitas parua abſolutè illa eſt, quæ prudentum æſtimatione parui penditur, talis eſt illa quæ venderetur paruo pretio. Paruum pretium iudico abſolutè eſſe medium regalem, hoc eſt quinque groſſos: & vt num. 932. b dicam, qui furaretur groſſos quinq; in genere furti, non poterit peccare mortaliter: quia ſi inde ſequantur grauia inconuenientia, peccabit in genere illius inconuenientis quod ſequitur. Verbi gratia. Petrus ægrotus habebat vnum Pharmacon emptum quinque groſſis, Paulus furatus eſt, & Petrus defectu iſtius medicinæ moritur: affirmo Paulum peccaſſe mortaliter & venialiter ſimul: venialiter quidem in genere furti, mortaliter in genere homicidij: quia impedire media neceſſaria ad ſalutem, quodammodò occidere eſt. Omnia alia ſimiliter ad pretium reduc, & quantitas etiam innoteſcit. In tempore, qui iniuſtè & in vitum quempiam detinet (puta ſi Prætor iniuſtè capiat quempiam mechanicum) reus erit lucri ceſſantis, & etiam expenſarum, quas alter alias non faceret: reus etiam eſt ille Iudex perditæ commoditatis, atque læſæ opinionis, quæ omnia ad æqualitatem ſemper reduci debent. Non dicitur capi iniuſtè qui innocens, ſed qui capitur aut non accuſatus, aut ſaltem cùm ſecundum leges politicas deberet non capi. Ratio eſt: quia accuſatus innocens debet intercipi, vt examinetur cauſa, dimittendus ſi inueniatur in innocuus: ſi reus, condemnandus.

44 In

44 In genere meræ incommoditatis illam iudico grauem, quam prudentum iudicio non patereris paruo pretio: illam grauiſſimã, quam nullo pretio poſſis pati. Aegrotum habere grauiſſimam incommoditatem reor, quando ſinceré iudicat ſe ita in lectione laborare, vt laborem illum nullo pretio quantumuis infinito aſſumeret. In tali caſu ille habet potentiam phyſicam, vt obligationi ſatisfaciat, imò & moralem, ſed iudico ceſſare humanam legem: non enim eſt intentum Legiſlatoris, qui ſemper eſt cenſendus prudentiſſimus, torquere ægrotos, ſed illis fauere, ſuauiterque opitulari. Vnde ſemper credidi non ſufficere quamcunque incommoditatem, vt quiſpiam non teneatur legi humanæ correſpondere, ſed requiri grauiſſimã. Nomine incommoditatis meræ laborem corporalem intelligo, moleſtiam, famem, ſitim, & ſimilia, ex quibus non poſſit ſequi morbus aut notabile vitæ periculum, aut emergere damnum aliquod: quia ſi aliquid inde ſequatur iudicari debet ſecundum conſequentiæ qualitatem. Si ægrotus ſine incommoditate grauiſſima poteſt ieiunare, tenetur: quod ſi ex ieiunio ſequatur quod morbus fiat periculoſior, tenetur non ieiunare ratione conſequentis periculi. Tenebitur inquam, iuxta qualitatem periculi: grauiter ſi ſit periculum damni grauis, leuiter ſi leuis: certò ſi certum, & probabiliter ſi merè probabile: nullo modo, ſi remotum, aut nullum, aut alicuius mali, quod poſſis tuta conſcientia pati ſi velis. Nullus ægrotus peccat venialiter, imò multùm apud Deum meretur, qui cum grauiſſima, mera tamen incommoditate ſatisfacit humanæ obligationi. Meram incommoditatẽ dixi, quia ſi ex iſta actione moleſtiſſima Medici iudicio grauis augeretur morbus, deberet abſolutè abſtinere nimirũ ratione periculi: ac propterea ſub peccato mortali aut veniali iudicandus ex ijs, quæ paulo ante explicauimus.

45 In genere morbi non video materiam moralem vbi non eſt mortis proximum periculum, aut impedimentum aliquod ſatisfaciendi politicis obligationibus. Poteſt quis ieiunare licet ſciat inde futurum eſſe vt malè valeat, modò ex morbo non ſequatur euidenter aut mortis graue & proximum periculum (non eſt proximum vbi non eſt certitudo moralis: nec reperitur iſta vbi grauis & probabilis ratio infert formidinẽ contrariæ partis) aut omiſſio euidens alicuius actionis ad quam tenebaris; Cumque obligationes etiam plerumq; inæquales ſint, qui ieiunando te debilitas & ineptum reddis officio, examina an ad id tenearis moraliter an ſolùm pęnaliter? & ſi moraliter an leuiter? & in omni dubio ſta pro conſcientiæ ſolamine & carnis mortificatione, rationes enim quæ ieiunia de crudelitate arguunt, ni euidenter & conuincentes ſint, prudenter habentur ſuſpectæ.

45 *b* Vbi rationes ſunt ſimiles, non ſolum ieiunare poteris ſine peccato, ſed & nociua comedere: quia quintum Decalogi præceptum tam poteſt violari inedia quàm gula; & vbi damnum à ieiunio illatum illud non violat, non violabit illud idem aut ſimile aliud damnũ ex leuitate aut voluntate illatum. Pono exemplum. Petrus, laborat febri, vult aquam in acceſſu bibere. Petis, an peccet. Volo doceri, quid ex iſto aquæ hauſtu ſequetur. Si ſolùm ſequatur quod febris ſit moleſtior & laborioſior, non peccat venialiter; quia ipſe eſt dominus ſuæ commoditatis, & vt poteſt diſciplina & ieiunio ſe commoditate priuare propter Deum, etiam poſſet hauſtu illo aquæ ſi ex hauſtu illo nihil preter incommoditatem ſequeretur.

45 *c* Poteſt ex illo hauſtu ſequi quòd febris duret per plures horas; & tunc iterum peto, an iſta febris euidenter futura ſit in cauſa directa, vt omittat aliquam obligationem cui aliàs teneretur ſatisfa-

ſatisfacere (puta ſi ille ægrotus haberet mediocrem ſalutem, nempe ſufficientem vt poſt diſceſſum febris teneretur aut legere ſuas horas aut in die feſto audire ſacrum; & propter iſtum hauſtum euidenter ſciret, ſe reddi incapacem vt illi obligationi reſpondeat) tunc obligationis omiſſio illa, voluntaria cenſenda eſt, & iuxta huius omiſſionis aut leuitatem aut grauitatem venit illa intemperantia iudicanda. (Sed hoc ipſum poteſt benignius & ſuauiùs reſolui.)

46 Poteſt tandem ex illo hauſtu ſequi euidens mortis periculum, & tunc ille peccat mortaliter.

Vnius diei ieiunium, officium canonicum, abſolutè & moraliter ſunt materiæ magnæ, quia à prudentibus & doctis viris ſemper eſt ita iudicatum; & moralis quantitas dependet non niſi à prudentum hominum æſtimatione. In materia ieiunij ſex amygdalas aut quidpiam ſimile, ſicut in materia orationis vnum *Aue Maria*, omnes iudicant eſſe abſolutè materiam paruam. imò ex doctiſſimorum virorum ſententia inferiùs *nu.* 1461. ſtatum adhuc quindecim ſalutationes Angelicas non eſſe materias eſſentialiter & abſolutè magnam.

De materia magna partiali.

47 Materiæ totius quæcumque pars immediata, quæ tamen non ſit materia eſſentialiter parua (quæ enim ex ſe parua eſt, quod magna ſit à compartibus habere non poteſt: non enim magnitudinis intrinſecæ cenſetur capax) aſſerenda eſt materia magna: non eſt materia magna pars mediata, ſiue quod idem eſt, pars partis. Totum morale non habet niſi octo partes: conſtat, quia omnium Philoſophorum decreto octo gradus caloris componunt totum calorem: nullum vidi qui caloris agnoſceret nonum, decimum, aut duodecimũ gradus. Nec valet dicere me ipſum in metaphyſicis nonum gradum qualitatis admittere, nõ enim illum tanquam Doctorum calculo & hypotheſi probatum admitto, ſed tanquam diſcurſui meo, quem tunc ibidem formo, facilitatem miniſtrantem: ſcio enim in Ariſtotelis ſententia eſſe innumeros proportionales gradus, in Zenonis permultos, hos tamen humanitus ad determinatos redigi, variè à Medicis, variè à Mathematicis, variè etiam nonnunquam à Philoſophis, eſſe tamen communẽ opinionem Theologorum, qua illos ad octo determinatos reducit: & addo in moralibus nos ſecuriſſimè philoſophaturus, ſi non tam propria aut amicorum placita, quàm communem ſententiam ſupponamus.

47 *b* Materia abſolutè parua, eſſentialiter talis eſt, & nũquam erit magna, licèt ſit pars alicuius totius, quod amplectatur materiam magnam. Voues legere Marianum roſarium, hoc eſt, quinquaginta ſalutationes Angelicas: ſi non facias, peccabis mortaliter, quoniã materia magna eſt. Si vnam decadem ſalutationum omittas, pluſquam octauam deuotæ orationis omittis, & tamen non peccas mortaliter ſed venialiter, quia vna decas, vt *num.* 46. dicebamus, eſſentialiter & abſolutè parua materia eſt.

47 *c* Quidquid eſſentialiter non ſit parua materia, accedente præcepto fit magna: cenſenduſque ſatisfeciſſe qui non omiſerit rem præceptam, nec illius partem.

47 *d* Qui omiſerit partem minorem quàm octauam totius, non omiſit partem rei præceptæ, ſed partẽ partis: ideò deliquit in materia parua, atque peccauit venialiter; niſi fortè tanta illa rei præceptæ pars ſit vt cenſeatur eſſentialiter magna. Vt hoc altiùs intelligas, adnotato debere dari terminos magnitudinis, vbi & adſignantur paruitatis; nulla enim videtur ſuppetere ratio, quæ hos ponat, illos proſcribat. Igitur

in re-

in rebus moralibus dantur res eſſentialiter paruæ, res eſſentialiter magnæ, & res mediocres. Si præceptum accedat, non niſi venialiter peccabit, qui omittet rem eſſentialiter paruam, hoc eſt quindecim aut pauciores ſalutationes Angelicas: numquam venialiter, qui aliquid maius pſalterio. Ecce paruitatis, & magnitudinis ſtatutos terminos; inter quos materiam mediocrem & ad alterutrum terminum reducibilem poteris reperire: mortaliter enim peccabit, qui omittat quinquaginta ſalutationes Angelicas, ſi vel ſint tota materia deuota aut præcepta, aut illius octaua, aut maior pars. (puta ſi præcepto à Superiore poſito, aut voto à te emiſso obſtringereris vnũ Roſarium legere: nam tunc ferè totam rem præceptam aut deuotam omitteres. Vel etiam ſi ſeptem Roſaria, quia tunc omitteres pluſquam octauam partem.) at venialiter, ſi nondum ſint octaua obligationis pars (puta, ſi voto aut præcepto ad octo Roſaria tenereris:) nam quinquaginta Angelicæ ſalutationes minus ſint quàm Roſarium, hoc enim ex quinquaginta ſalutationibus & ſex Dominicis orationibus coaleſcit.

De materia nulla moraliter.

47 *e* Præter magnam, paruam, & mediocrem vtrique intermediam admittenda eſt materia quæ ſit alicuius quantitatis phyſicæ, & tamen in prudentum æſtimatione nullius ſit ponderis, nullius quantitatis, nullius conſiderationis moraliter. Qui enim materiæ paruæ omittit minus quam octauam partem, non omittit materiam paruam, & ideò omittit id quod eſt phyſicè aliquid, ſed moraliter cenſetur nihil. De materia moraliter nulla, inferiùs, cùm agam de paupertate, diſputabo *num.* 954. de caſtitate *num.* 1055. de officio diuino *num.* 1463. & ſæpè alibi.

DISPVTATIO QVINTA.

De Legum intrinſecis extrinſeciſq; qualitatibus.

48 Lex humana poſſibilis debet eſſe: illa iudicatur moraliter impoſſibilis, quæ nimium difficilia præcipit. Vt ſuauis ſit & valida, debet habere has circumſtantias.

48 *b* Primò, *debet acceptari liberè à ſubditis, qui ſi coacti acceptauerint, cenſendi ſunt moraliter non acceptauiſſe.* Ita Nauarrus *in man. cap.* 23. *n.* 41. Emanuel Sà *verb. lex, num.* 1. Miranda *in man. Præl. tom.* 1. *qu.* 25. *artic.* 21. *concluſ.* 1. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *qu.* 5. *punct.* 2. Filiuccius *to.* 2. *tr.* 21. *ca. vlt. nu.* 329. Becanus *in ſumma Theol. p.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *qu.* 8. *num.* 2. Leſſius *l.* 2. *cap.* 22. *dub.* 13. *num.* 98. Sanctarellus *tract. de hæreſ. cap.* 13. *num.* 21. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 16. *num.* 160. Homobonus *de examin. Eccl. part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 7. *qu.* 17. Tannerus 1. 2. *D. Tho. diſp.* 5. *qu.* 5. *dub.* 4. *num.* 130. Cochierus *de iuriſd. tom.* 1. *qu.* 50. *n.* 8. Contraria opinio videtur diſsonare D. Paulo, qui 2. *Cor.* 13. aſſerit Deum dediſse hominibus authoritatem in ædificationem, non in deſtructionem. Videretur autem ſuperior deſtruere charitatem, & torquere potiùs quàm gubernare ſubditos, qui obligaret inuitos.

Vbi obiter nota, me ſubditorum nomine

mine intelligere ingenuos: illos inquam qui elegerunt ſibi in Regem, aut ynam ſolam perſonam, vt Poloni, aut vnum, & eius ſucceſſores, vt Hiſpani & alij. Nam ſi non ingenui, ſed ſeruiles ſint, debent ſuæ miſeræ conditionis miſeriam tolerare: illi enim, qui legitimè occidi olim potuerunt, ſub quibuſcunq; conditionibus poſſunt ſeruari, & inter articulos ſeruitutis præcipuos videtur eſſe, quod victor illis vel inuitis poſſit leges validas ponere. Sed de his vberius in mea Morali Theologia; eorum enim conſideratio non oberit Benedictinis, qui ſeruiliter ſubacti non ſunt, ſed liberali & voluntario pacto deuincti legibus & obligationibus examinandis.

49 Secundò. *Subditi qui latam legem iuſtam ſine cauſa non admittant, peccant mortaliter non acceptando. Cæterùm ſi non acceptetur, non obligat, & ſic non peccabit qui contra eam operabitur.* Ita citati authores. Eos mortaliter peccare patet, quia ſine titulo ſuperiorem confundunt: nemo enim negat legem non admittere graue eſſe, addoq; aut non præſumendum aut nunquam ſine graui cauſa. Legem verò non acceptatam eſſe inualidam, oſtenditur, quia ſuperior habet authoritatem dependentem à populo, qui cenſetur illi pro tunc nullam concedere. Nota tamen leges, quæ ſunt omninò neceſſariæ, noua acceptatione non indigere: qui enim finem ſibi propoſuit, omnia media præcisè neceſſaria acceptauit.

Tertiò. *Quando certum eſt latam fuiſſe legem, & dubium an fuerit acceptata, ſtandum eſt pro communitatis libertate.* Subſcribo Azorio *par. 1. l. 2. cap. 19. qu. 12.* Ratio hæc mihi eſt efficaciſſima. In dubijs potioris pars potior eſt: atqui potior eſt pars communitatis quàm ſuperioris: ergo ſtandum eſt pro communitate. Conſequentia eſt euidens, maior certa in omnium opinione: minorem probo. Quia non fuerunt creatæ communitates propter Præpoſitos, ſed hi creantur propter communitates.

49 c Accedit ratio magis generalis, quam expendit Azorius. Quia hęc difficultas eſt odioſa & pœnalis, & Iuriſconſultus in ea tenetur fauere ſubdito: odia enim ſunt reſtringenda, non amplianda.

Hæ duæ conſiderationes tertia alia, eaque fortiſſima roborantur, & confirmantur. Nam iuxta omnium doctrinam *in dubijs & ambiguis beatus ille qui poſſidet.* Sed tu hoc eodem armatus morali principio, ſic noſtram poſitionem inuadis. Standum eſt pro poſſeſſione quæ erat ante dubium: atque ante dubiam acceptationem erat lata lex: ergo ſtandum pro lege, ergo dicendum illam obligatoriam. At reſpondeo concedendo maiorem abſolutè, eſt enim primò vera. Minorem diſtinguo. Ante acceptationem dubiam fuiſſe legem obligatoriam nego, non obligatoriam concedo. Adeoque concedo primam & nego ſecundam conſequentiam. Concedo ſtãdum pro poſſeſſione Legis, quæ erat ante acceptationem dubiam: cùmque pro tunc lex illa haberet poſſeſſionem lationis non tamen virtutis obligatiuæ, aſſerendum omninò eſſe fuiſſe quidem latam, non tamen fuiſſe obligatoriam.

Hinc patet quomodo de iuramentis, votis, præceptis, & excommunicationibus ſit philoſophandum; videlicet, cùm ſcis votum, aut iuramentum emiſſum, & dubitas an emiſſum cum ſcis præceptum poſitum, & dubitas an cum intentione obſtringendi conſcientias: cum ſcis excommunicationem fuiſſe publicatam, & dubitas an ſit comminatoria: an ſit lata, an ferenda. Omnia .n. hæc dubia analoga ſunt: & eodem omninò modò, aut benignè, aut malè reſoluenda. In primo caſu intentionem iurandi aut vouendi ab intentione ſatiſfaciendi diſtinxi, ſunt enim res omninò diuerſæ, quas ſine veritatis iactura non confundes. Votum enim (& de iuramẽ-

to

eo pariformiter) vt ſit validum vouendi intentionem requirit, non intentionem ſatisfaciendi, at præcipere non videtur eſse aliud, quam obligandi voluntatem intimare. Sed hæc nimis ſubtilia ſunt, ſecundo alibi calamo pro Theologiæ Scholaſticæ profeſsoribus examinanda.

50 Quartò. *Ceſſante fine adæquato legis in caſu aliquo particulari, ceſſat etiam eiuſdem legis obligatio.* Probatur. Cum ceſsat finis adæquatus vniuerſaliter, ceſsat etiam lex ipſa vniuerſaliter: ergo ſi in caſu aliquo ceſsat legis integer & adæquatus finis, in caſu eodem ſingulari opus eſt ceſsare legis obligationem. Confirmatur, & vt puto fortiſſimè. Nulla lex humana fortior naturali eſt; hęc ceſsat ceſsante fine in particulari: ergo & illa. Minor probatur, quia naturalis lex finis nec ceſsat nec ceſſare poteſt vniuerſaliter, & tamen frequentiſſimè ceſsat; Legere enim libros hæreticorum, vt alia omittam, interdicitur iure naturæ ratione periculi, & vbi illud non ſubeſt, interdictio illa tametſi naturalis ceſsat. Vide n. 117. & 1056.

Subſcribo Nauarro *tom. 4. comment. rubr. de iudic. num.* 74. Mexiæ *in pragm. taxæ panis, concluſ.* 2. *à num.* 29. *vſq; ad* 36. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 17. *num.* 2. *& lib.* 10. *cap.* 15. *num.* 8. Comitolo *in reſp. moral. lib.* 7. *q.* 1. *num.* 10. Abbati *in c. Quia in inſulis, de regul.* Angelo *verb. lex num.* 4. *caſ.* 7. Sozę *in Bull. Clementis VIII. de larg. munerū fundam.* 3. Sà *verb. lex num.* 1. *& verb. ludus num.* 1. Megalæ *in* 2. 2. *lib.* 2. *c.* 7. *qu.* 2. *num.* 55. Granado *in p.* 2. *contr.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *diſp.* 15. *ſect.* 2. Dianæ *tract.* 10. *de legibus, reſol.* 28. & iudico iam eſse communem Scholaſticorum ſententiam.

DISPVTATIO SEXTA.

De opinione probabili.

51 PRæpoſui ſolidiſsima certiſsimaq; fundamenta, vt ex eis facilius, benigniuſque poſsem procedere; ſupereſt de probabili opinione agere; quia cum non ſimus Angeli, ſed homines, vix quatuor rerum habemus euidentiam, & ideo tenemur ſecundum probabiles ſententias operari; vel ſi ſuperbus ſis, & contrarium teneas, examina an ob rationem aliquam euidentem à communi omnium hominum opinione diſcedas, Qui ſe hominem eſse meminerit, non erit ita vecors vt euidentias & demonſtrationes nundinetur, vbi viri doctiſſimi ſe felices iudicant ſi partem probabiliorem diſtinguant à minuſ probabili.

ARTICVLVS I.

Probabilis ſententia quæ.

52 PRobabile bifariam dicitur, autenticè videlicet, & rationaliter: alia enim Doctorum authoritatibus & teſtimonijs, rationibus alia probantur. Probabilitas rationalis ea quæ intrinſeca: authentica quæ ab extrinſeco prouenit, nempe à propugnatoribus.

52 *b* De intrinſeca probabilitate ne ſunto iudices, qui Theologiam non docti. Cæterum illa mihi ſunt intrinſecùs probabilia, quæ contra fidem non militant, & habent rationes quibus antagoniſtas torqueant, fundamenta ex quibus obiectis ſatisfaciant. Illa probabiliora dico, quæ fortioribus rationibus impugnant

gnant aduerſarios : quæ ſolidioribus fundamentis atque principijs ſe propugnant.

52 c Dubitas negatiuè, cum ratione omni cares, & ſolùm conſideras duas oppoſitas propoſitiones: Poſitiuè autē, cum habes rationes, inſufficientes tamen vt propugnes concluſionem. Poſitiuum dubium, vt à negatiuo diſtinguant, iam Doctores, & bene, *ſuſpicionem* vocant. Eſt enim ſuſpicioſus ille, qui rationib. leuibus præmiſſis infert dubia grauia. Optimè Baſsæus *verb. Conſcientia, n.6. pag. 199. Antuerp. editionis*, ait, *Suſpitioſum erit, ſi ex leuibus coniecturis inclinetur paululum in alteram partem, ita tamen vt in alteram fortius trahatur.* Differt à dubio, & ſuſpicione temeritas, quod temerarius iudex non iam ex leuibus coniecturis dubia grauia infert, ſed determinatum & deliberatum aſſenſum.

52 d Improbabilitatem intrinſecam definio ſic. Illa ſunt rationabiliter improbabilia, quæ habent paralogiſmos, & ſophiſmata, quibus adoriantur contrarios; non verò rationem aliquam grauis momenti; illa inquam, quæ ſupponunt dubia aut improbabilia, vt hoſtium obiectis ſatisfaciant.

53 Probabilitas extrinſeca pendet ab hominum authoritate. Hæc notior eſt omnibus, & moraliter loquendo ſecurior. Sed quot authores ſufficiunt vt opinio dici poſsit probabilis? Aliquādo vidi defendi quatuor Doctorum opinionem eſſe probabilē; ſed contra argumētabar ſic. Per vos quatuor Doctor. ſententia eſt probabilis, ergo & vnius. Probo conſequentiam: quia plùs quàm quatuor Doctores aſſerunt eſſe probabilem vnius Doctoris opinionem, nempe Angelus, *verb. opinio nu. 2.* Nauarr. *ſum. lat. cap. 27. n. 288. & to. 3. de conſcientia cap. 7. n. 286. & 287.* Valentia *1. 2. diſp. 2. q. 12. punct. 4. quæſtiunc. 4.* Sà, *verb. dubiū n. 13.* quos citat & ſequitur Sanch. *in ſum. to. 1. c. 9. n. 7.* Eandē ſententiam habent Merolla *to. 1. diſp. 3. c. 4. dub. 1. n. 4.* Filliuc. *to. 2. tract. 21. cap. 4. num. 134.* Villalobos *in ſumm. tom. 1. diff. 4. num. 16. & diff. 7. nu. 3.* Baſſæus *in Antuerp. edit. verb. Conſcientia n. 8. §. Vt opinio, pag. 199. diff. 7. n. 3.* Caſtrus Palaus *in opere morali to. 1. diſp. 2. punct. 1. n. 12.* Syluester *verb. opinio, q. 2.* Vazquez *1. 2. to. 1. diſp. 62. cap. 4. num. 12.* Azorius *to. 1. cap. 7. q. 6.* Sayrus *Claui Regia lib. 1. cap. 6. nu. 8.* Torres *de fide diſp. 55. dub. 3.* Sanchez *in ſelect. diſp. 44. num. 61.* & alij. Sequitur Portel. *in dub. Regul. verb. opinio eligenda num. 4.* licet cum aliqua limitatione, vt inferius videbimus (*num. 56.*) Ecce non ſolum quatuor, ſed ſedecim, aut plures aſſerentes vnius nobilis autoris opinionem eſſe ſatis probabilem. Nec valet hos authores Doctores non eſſe, quoniam eſſe potuerunt, & laurea non addit ſapientiam, ſed ſolùm extrinſecam authoritatem.

53 b Nihilominus ex meis principijs authores non ſunt reducendi ad computum arithmeticum, ſed ad geometricam analogiam. Sunt authores aliqui, quorū vnus multis aliis prævalet. Quanti facturi, omnes & ſingulos authores, ſimus, docemur ex eorū fama, vita, acceptione, & quę maioris facienda eſt, à dignitate, qua in Academijs excellentiſſimis ſunt functi. Fama ſæpius legitima eſt; nō rarò tamen ab eloquentia pendet, vrbanitate, humanitate. Vita bene-morata reſolutionum integritati prodeſt, veracitatē perſonat, poteſt tamen nos fallere, tum quia datur adulterina ſanctitas, quæ cōſiſtit in aliorum errore, tum etiam quia verè-ſancti ſæpè non ſunt ſatis docti, vt poſsint alios gubernare. Dantur plurimi, qui prudenter obediunt, cum ſubſunt, cum præſunt, non niſi imprudenter operantur. Cæterum lectionis dignitas in Catholica aliqua illuſtri Academia vix poterit errori ſubijci. Ideò ſcias Reuerendiſſimum D. M. N. Petrum de Lorca fuiſſe florentiſſimæ

Complutenſiũ Academię primariũ Profeſſorem. Hanc dignitatem ſummam obtinuit & conſeruauit cum ſummo plauſu multis annis. Neſcio an ipſi poſtponere debuerim P. Vaſquez: Fuerunt Bellomontani, Coætani, ingenij felicitate, atque facilitate ſimiles, ſimiles magiſterio non abſimiles authoritate. Fuerunt intimi amici, ſed antipodes in opinionibus; & hoc in cauſa, quod populo eſſẽt multis titulis admirationi. Quis etenim non admiraretur videre duas voluntates ſymbolas dirigi ab ideis diſſymbolis, & diſſidentibus? Fuerunt in ludo litterario antagoniſtæ; vterque in cauſa quòd alter & plus ſtuderet, & pluris fieret ab vniuerſis: extra Scholam intimi amici, & ſibi mutuò in rebus tractandis conſiliarij.

53 *c* Suarium vidit Salmantica, obtinuit Conimbrica, pientiſſimum, & doctiſſimum virum, cui ſimiliter poteris primas deferre: & ex eius vita & populorum deuotione aut affectu ſperare, vt qui illuſtrauit ſuis doctiſſimis ſcriptis veteres Chriſtianæ Eccleſiæ Patres, vt Pater olim colendus ſit, cum ſucceſſu annorum nomen iunioris exuat. Sumus in miſerrimo mũdo, multa ætate, nõ virtutis quãtitate æſtimãtur. Hac pollent Suar. ſcripta, illa carẽt, ſed aliquãdo nõ carebunt.

Baſilium Ponce de Leon ſanguine nobiliſſimum, ingenio tamen pręſtantiorem colebamus Salmanticæ, & perdimus non ſine lachrymis vniuerſorum. Fuit etiam Bellomontanus, atque coætaneus Lorcæ. Obtinuit ſummo omnium plauſu lectionem primariam in Salmaticenſi Academia. Ipſi in promotionibus Theologicis perennis Antagoniſta Reuer. D. M. N. Angelus Manriquus olim fuit: at in pompa funerea concionẽ habuit, quoniam voluit oſtendere quanti ipſum faceret. Cumque ad dignitatem eandẽ adſpiraret, lectionem oppoſitionis (ſic nominant) exordiebatur his verbis; *Hodie*, ait, *totius mundi maxima vniuerſitas luget ob obitum hominis maximi totius orbis terrarum*. Hodie Manriquus ſuper eſt, lectionem primariã Theologiæ Scolaſticæ ante menſes paucos Salmanticæ moderabatur; cumq; in prima vniuerſitate primæ facultatis primum locum obtineat, laude non indiget, eſt enim maior laude. Hodie eſt pacis-Iulię (Badoxos) Epiſcopus dignus adhuc, quem Eccleſia ad maiora promoueat.

53 *d* Hos literarum Principes nullius iniuria nominauerim. Leſſium, Thomã, & Ioann. Sanch. & præcipuè Dian. & ſi quos alios æquales ipſis videris, illis adnumera, & ſine aliquo ſcrupulo ſequitur contra quoslibet alios Doctores; quia iuniorum plures ex his tranſcribunt, quæ nomine diuulgant proprio.

54 Alij ſunt authores magnæ authoritatis: Tales cenſeo quotquot ad Theologicam Lauream in Academijs maioribus dignè promoti ſunt; tales, quorum libri plauſibiliter recipiuntur, & leguntur cum vtilitate.

55 Prima Concluſio. *Si aliqua opinio habet authorem famæ maximæ, etiam ſi ſit contra omnes antiquiores, eſt ſententia probabilis*. Fallit hæc Regula, dum etiam omnes poſteri contrariũ ſentiunt. Ratio eſt, quia doctor authoritatis maximę creditur contra omnes antiquiores probabiliter philoſophari, cenſetur .n. inuenire nouam aliquam profundiorem efficacioremque rationem, quæ alios latuerit; quòd ſi rationem hanc publicauerit, & poſteri fallacem, aut nimis debilem iudicauerimus, cenſenda erit illa ſententia improbabilis.

55 *b* Hãc veritatẽ profundè percalluerant inſtitutores legum, quas *Ordinationes* nominant in *Luſitania*. Acurſium declarãt eſſe doctorẽ authoritatis maximæ. Iubent hũc authorẽ conſuli, quoties dubio nõ ſatisfaciunt leges Regni, etiam ſi is author contra omnes antiquiores ſit. Iubent ab Acurſio diſcedere, quoties omnes diſcedũt Recentiores.

56 Secunda. *Sentẽtia quæ habet maiorem autoritatem, eſt probabilior. Illa ab extrinſeco cẽſenda eſt improbabilis,*

cuius

cuius oppoſita habet plus quàm ſeptuplam authoritatem. Vnde ſi habes vnũ authorem pro tua parte, contra ſeptem alios eiuſdem qualitatis, aſſere tuam partem adhuc eſſe probabilem; contra nouem non aſſeras. Quia nona pars non eſt materia magna, nec grauis; vnde in præſenti cum authoritas vnius ſententiæ ſit nona pars alterius, non eſt grauis authoritas, quæ requiritur ad probabilitatem: quæ enim leuiter dicis, probabiliter defendere non potes. Et hoc eſt quod ſentit Portel, quem *num.* 53. citaui. Petis cur minimam grauitatem conſtituam in octaua parte? expendi *diſ.*4.*n.*47. Quòd ſi arithmeticè rem decidere velis, puta vnum authorē maximæ dignitatis æquiualere quinque authoribus nominis magni. Verùm iſtę non ſunt ſupputationes metaphyſicæ, ſed merè morales, ſufficientes tamen ad ſecuritatem conſcientiæ. Inter authores maximos & magnos poſſemus claſſes inter-medias addere ſecundum vniuſcuiuſque æſtimationē: ſed facilioris iudicij gratia præter paucos, quos recenſui *numer.* 53. & recolo loco miraculi, omnes Doctores cenſeo moraliter æquales eſſe: ac ideò qui pondus rationum non percallent, poſſint ſecuriſſimè confidere numero authorum.

56 b Tertia. *Ex duabus probabilitatibus nempe rationali & authentica, alterutra ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ.* Cæterùm difficilius eſt reſoluere, vtrum relicta probabiliore, poſſim ſequi partem minus probabilem, de quo ſequenti Articulo.

ARTICVLVS II.

Licet ſequi opinionem probabilem; non eſt opus ſubſcribere probabiliori: ſunt opiniones omnes æquè tutæ, dummodo ſint probabiles.

57 EST communis omnium Doctorum reſolutio, quæ aſſerit non poſſe iudicari temerarios & imprudentes qui operantur ſecundum opinionem probabilem: non enim contra rationem operatur, qui habet rationes graues, aut ſubſcribit ſapientiorum iudicio. Qui autem ſecundum rationem operatur, non peccat. Ita Lorca *in* 1.2. *to.* 1. *diſp.*39. *membr.*2. Martinez *in* 1. 2. *to.* 1. *q.*19. *art.*6. Aluarez *ibid. diſp.* 80. Sanctarell. *var. reſol. par.* 1. *q.* 59. *n.*4. Barboſa *in collect. to.*1. *lib.*2. *tit.*9. *cap.*4. *num.*6. Portel *in addit. ad dubia reg. verb. Opinio n.*3. Baſil. Poncius *de matr. l.*10. *cap.*15. *n.*4. Malderus *in* 1.2. *q.*19. *artic.*5. *diſp.*68. *aſſert.*3. Filiuc. *to.*2. *tr.*21. *cap.*4. *n.*128. Tannerus *in* 1.2. *diſput.*2. *q.*4. *dub.*3. *nu.*36. Emanuel Barboſa *in remiſſ. Doctor. ad ordin. Relig. Luſit. libr.*3. *tit.*64. *nu.* 10. Garzias *de benef. to.*2. *p.*11. *n.*361. Villalobos *in ſumma to.*1. *tract.*1. *diffic.* 10. *num.*2. Sancius *in pract. diſp.*42. *n.*12. Sanchez *in ſum. to.*1. *lib.*1. *cap.*9. *n.*14. Layman *libr.*1. *tract.*1. *cap.*5. §. 2. *n.*7. Diana *de opin. prob. tract.* 13. *reſol.* 1. Baſſæus *verbo Conſcientia n.*9. *pag. mihi* 200.

58 Hinc conſtat inter opiniones probabiles conſideratas per ſe, non dari magis & minùs tutas: omnes .n. ſunt ſecuriſſimæ. Ratio eſt: quia illa opinio eſt tutiſſima, ſecundum quam operans nec mortaliter nec venialiter peccat: atqui qui ſequitur minùs-probabilem neutro modo peccat: ergo qui ſequitur minùs-probabilem, ſequitur opinionem tutiſſimam. Poteſt per accidens vna opinio eſſe tutior altera, ſi fuerit benignior & latior, non ſeuerior. Vide num.61.

59 Peccare eum qui ſequitur opinionem probabilem, improbabile eſt. Demonſtro ſic: (notanter *demonſtro* dixi, non enim aliter quam demonſtratiuè hanc veritatem me oſtēſuram polliceor) Vel poſſumus ſequi opinionem probabilem, vel tenemur probabiliorem ſequi. Si dicas primum: ergo non peccat, qui ſequitur minus probabilem; quia etiam hæc eſt probabilis, vt de ſe patet. Si ſecundum aſſeras, non effugiſti. Per te .n.

tenemur ſequi probabiliorem opinionē. Atqui ſententia illa quæ docet ſufficere minus probabilem, eſt probabilior: ergo tenemur aſſerere & ſentire non peccare eos qui ſequuntur partē minus probabilem. Conſequentia eſt legitima; maior eſt certa: minorem probo. Quia hęc ſententia habet ſolidiora fundamenta, atque rationes nobiliores: nec non multò maiori numero authores, atque ideo optimè Diana hanc eſse aſserit cōmunem Theologorum ſententiam.

ARTICVLVS III.

Conſultationes aliquot circa probabilitatem opinionum.

PRIMA.

60 QVispiam vir pius, dum ageretur de opinione probabili, dixit hęc verba; *O felix Eccleſia primitiua, quæ nō laborabat tot Doctorū ſententijs!* Cōſulor quid ſentiā de verbis huiuſcemodi.

Reſpondeo in hac propoſitione ſupponi primò, in primitiua Eccleſia non fuiſse multas Doctorum opiniones; ſecundò, has opiniones eſse morbos & labores Eccleſiæ. Sed eſt vtrumq; falſum. ¶ Eccleſia primitiua habuit doctiſſimos homines, qui non omnia didicerunt ab Apoſtolis & Spiritu ſancto: & ideo debuerunt in rebus à Sancto Spiritu non diffinitis ſequi rationem, ac propterea ſæpiſſimè probabilitatem. Vel dicito, ſi conſuleres Areopagitam Dionyſium, de aqua, quæ infunditur in calicem; nempè vtrum immediatè conuertatur in ſanguinem: cum hoc ab Apoſtolis diffinitum non ſit, ſiue negaret, ſiue aſsereret, deberet probabiliter philoſophari: & ſic ſimiliter in alijs controuerſijs. ¶ Dicere quod probabiles opiniones ſint labores atque morbi Eccleſiæ militantis, eſt error manifeſtus: ſunt enim indices facilioris excellentioriſque ſalutis. Non inde Eccleſia infelix, quod Doctores opinētur paſſim, ſed & inde felicior, quod benignius & facilius ſuos poſſit ad Laureā Empyream promouere. Damnarentur plurimi, quos ſententiæ probabilitas ſaluat. Ergo & inde Eccleſia Catholica felicior debet dici, quòd exuberet ſanctiſſimis & doctiſſimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones.

Hæc reſolutio placuit *Baſsæo*, qui in Florum Antuerpienſi editione, *ver. Cōſcientia n. 21. pag. 204.* ſic inquit. [Petis, quare nunc reperiantur tot diuerſæ ſententiæ in rebus moralibus? Reſponſio eſt eiuſdem Ioannis Sancij *in ſelect. diſp. 44. num. 70.* cui ſubſcribit doctus, & eximius Dominus Caramuel *in ſuo tractatu ſuper Regulam D. Benedicti, num. 60.* in eo fulgere maximè prouidentiam. Nam ex opinionum varietate iugum Chriſti ſuauiter ſuſtinetur, poſset namque euenire pleroſque hominum rebelles ſe prodere, ſi ad aliquid determinatè agendum, vel omittendum cōſtringerentur, eo modo quo renituntur mandata naturalia Dei implere, quod in illis decretum iam ſit determinatè & abſque opinionum varietate, quid agere oporteat, vel minus. Prouidentia ergo ſuperna cautum eſt, vnicam tantum viam operationum moralium nos dari, ſed rectam inueniri poſse actionem, ſiue iuxta vnam, ſiue alteram opinionē operentur mortales: ſicut & melius herclè eſt, plures vias ad Madritum ducentes dari, quàm ſi vnica tantum reperiretur, nam vel eam nimis latam eſse oporteret, aut per eam tranſeuntes impediri, & cū moleſtia peragrare eſset opus. Tum non ſolum moleſtiam inueniendam, eſt notum, conſtringendo homines vnicam tantum opinionem in ſuis actionibus, ſiue omiſſionibus amplexari; verùm non nauaturos operam, & conſequenter peccaturos, potiùs quàm ſibi placidam rem deſinerent, vel à ſibi exoſo abſtinere retraherētur: huic damno bonitas diuina medens, diuerſa ingenia hominibus contulit, quibus diuerſa inter ſe iudi-

cia

cia rerum ferrent, & ſe rectè operari arbitrarentur. Deo namq; nullum emolumentum accreſcit, quod quis operetur iuxta vnam vel alteram opinionem, ſolum deſiderat mandatum ſuum non infringi. Cum ergo iuxta opinionem probabilem operans, Dei pręceptum nos infringat, Dei non intereſt quidquam quod iuxta vnam vel aliam opinionem operatio deducatur. Hucuſq; Baſſæus, & mea ſententia ſolidiſſimè.

SECVNDA.

61 Dixit quis: *Non poteſt non condemnari Dominus N. qui deſerens viã tutam, ſubſcribit opinioni probabili.*

Aſſero hæc verba naſci ex mera proferentis ignorantia, non ex apparenti ratione. Qui enim opinioni probabili ſubſcribit, non deſerit viam tutam, imò ſequitur ſepiùs tutiorem. Notaui num. 58. ſed probo nunc tutiorem viam ſequi illum, qui ſubſcribit ſententiæ benigniori licèt minùs probabili. Probabilius eſt non requiri in officij diuini lectione attentionem intrinſecam, nihilominùs diſputationis cauſa ſupponamus probabilius requiri. Ecce in tali caſu ſententia aſſerens ſtrictior & ſeuerior eſſe, vt patet: & eſſet probabilior, quia ſupponitur. Cæterùm ſi tenereris ſequi tutiorem, deberes ſubſcribere benignæ, & aſſerere attentionem internam non eſſe neceſſariam. Ratio eſt, quia licèt reſpectu ſui, vtraque opinio ſit æquè tuta intrinſecè, hoc eſt, ſi talis, vt æquè te liberet à culpa veniali aut mortali, ſi iuxta illam exactè opereris: nihiloſecius faciliùs eſt operari iuxta opinionem benigniorem; & vix poteris ſine peccatis venialibus ſatisfacere officio diuino, qui ſentis attentionem intrinſecam requiri. Ergo hæc ſententia per accidens eſt minùs tuta, quia eſt obnoxia pluribus leuibus culpis, à quibus ſunt immunes, qui ſequuntur contrariam. Qui ſentio attentionem & prolationem externas ſolùm exigi, ſcio me ſpacio tot annorum totum ſemper officium diuinum legiſse, adeoque & iurare poſſum me ne quidem venialiter in hoc genere peccaſse. Non ne hæc ſumma conſcientiæ quies, & animi Chriſtiani ſecuritas? Tu verò qui contrarium ſentis, tuam quęſo conſcientiam examina, & ſincerè reſpondeas, an audeas vel vna ſola die ita legere officium, vt iurare poſſis, te non peccauiſſe venialiter? Certum eſt igitur benigniores ſententias, modò probabiles, tutiores, & ſecuriores eſse.

TERTIA.

62 Quiſpiam vir doctus carpens aliquem, qui fuerat ſecutus opinionem probabilem, ſic inquit: *Certè fili, non omnes ſententiæ, quæ ſunt probabiles apud nos, erunt probabiles apud Deum.*

Hæc propoſitio plurifariam poteſt explicari, & cum ſenſus ſit verborum animus, is venit quærendus.

63 *Primò.* Si intelligat ſic. *Non omnes opiniones, quæ putantur probabiles apud nos, cenſebũtur probabiles à Deo,* eſt propoſitio vera, quia non quæcunq; opinio eſt probabilis, ſed illa ſolùm quę habet qualitates expoſitas num. 52. *& deinceps*, eſsetq; hoc idem ac ſi diceret; Omnes opiniones, quæ reuera ſunt probabiles apud nos, nos excuſabunt apud Deum; non tamen omnes illæ, quæ à nobis vocantur probabiles, tales ſunt; ſed illæ vnicæ quæ ab hominibus doctis.

63 b *Secundò*, ſi velit dicere, ea quæ à nobis probabiliter cognoſcuntur, non cognoſci probabiliter à Deo, etiam verum eſt; quia Deus cum omnia cognoſcat intuitiuè, non poteſt opinari.

64 *Tertiò* (& hoc videntur potiùs ſonare verba) ſi dicat dari aliquam opinionẽ, quæ reuerà ſit probabilis apud nos, & hanc non ſufficere, vt excuſemur apud Deum, falſum eſt. Quia cum Angelus non ſim, ſed homo, non debeo ſequi dictamẽ intuitiuum, ſed rationale, hoc eſt opinatiuũ. Tũc autẽ ne venialiter quidẽ

pecco, cum operor iuxta legitimum dictamen: & dictamen omne, modò probabile, ſemper eſt legitimum & bonum. Videea, quæ dixi *num.* 57. *&* 58.

Quartam interpretationem addam iam doctior, eamq; menti Reſolutoris reſpondenti. Illam in altera huius Libri editione non poſui, quoniam non venerat in mentem meam dari poſse non ſolùm Catholicum, ſed nec quidem prudentem Caluinianum, qui aſsereret Deum impoſſibilia iubere, & ignorantiam inuincibilem non excuſare à peccato. Interim exclamator, vt poſtea ex turbis, quas excitauit didici, erat his erroribus prauentus. Sanè ſi inuincibilis ignorantia non eſset hominibus excuſationi, merita ſupernaturalia à caſu, & fortuna, non verò à virtute, & diligenti ſtudio dependerent. Si obligaremur ad ea quæ ignoramus, ad impoſſibilia obligaremur, tuentiireturque Spiritus S. qui Concilij Trid. lingua vſus ait, *Deus impoſſibilia non iubet* (nota bene) *ſed iubendo admonet*, (non ignorat inuincibiliter, qui diuinitus admonitus, nec qui inuincibiliter ignorat, ſufficienter admonitus eſt) *& facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis*. Tenendum igitur eſt, poſitionem quam expoſui, ſenſu ab authore intento, quem quarta hæc dedit interpretatio, fuiſse hæreticam: & authorem formaliter hæreticum, ni etiam viros doctos ignorantia inuincibilis in ipſis articulis fidei ſaluare & excuſare poſſe dicatur; quod ipſum author ille non admittit.

QVARTA.

65 Petrus ſecutus opinionem benignam probabilem, non ſatiſfecit mandato ſui Abbatis in caſu, in quo probabiliter non tenebatur obedire, & probabilius tenebatur. Prelatus ſubſcribens ſententiæ ſeueriori, iudicat illum debuiſse obedire, ac propterea peccaſse. Petitur, an poſſit contra illum procedere, & punire tanquam inobedientem.

66 Sublato omni ſcandalo & alijs extrinſecis inconuenientibus, quæ communiter in talis caſibus reperiuntur, ſi id acciderit vt ponitur, puta ſi ſecretò contigerit, aut coram doctis, qui ſcandalū pati non poſsunt ſine cauſa, Reſpondeo Petrum non peccauiſse. Addo poſse Prelatum ſubſcribere alterutri opinioni, ac propterea cenſere Petrum habuiſse obligationem obediendi, ſed illam inuincibiliter ignorauiſse ductū opinione probabili. Nihilominus temere iudicat Prelatus eum peccaſse, quia improbabile eſt eum peccare, qui ſequitur opinionem probabilem, vt num. 59. oſtendi. Cum ergo improbabile ſit Petrum peccauiſse, iniuſtus erit ille Antiſtes, qui contra illum procedet; quia vbi non eſt culpa, nec medicina eſt opus, nec pæna.

Legerat hanc periodum Tytius talis Religionis Prælatus, & coram nonnullis doctrina vera imbutis exclamauit dicens, *Ab eo tempore quo Ioannis Sancy, Dianæ, & Caramuelis opera euulgata, Prælati non ſumus Prælati*. Cui vnus ex illis, Doceat obſecro, ait, Domine mi, quid ſit Prælatum eſse Prælatum. Nam vel eſt poſse iubere deſpoticè, bona mala, obligatoria non obligatoria, apta inepta, vtilia nociua, & hoc pro arbitrio; aut eſt poſse facere vt ſubditi ſatisfaciant ſuis obligationibus. Si exiſtimes Prelati authoritatē cōſiſtere in eo quod poſſit cogere ſubditos, vt faciant etiā illa quę mala, nociua, pernicioſa, aut vt verbo dicā, illa ad quæ nō tenētur, Prælatum cum Tyranno confundis: Sic enim Tyrannos, non ſic Prelatos definimus: at verò ſi non ſis doctior, nec ſanctior Bernardo, qui libri de præcepto, & diſpenſ. cap. 10. ſic inquit, *Quiſquis profeſſus in quouis genere ſalutiferæ vitæ, vltra nec obedientiæ lege cogendus, nec citra eſt inhibendus, quam ſua ipſius videtur complecti profeſſio, quantò minus contra..... Ergo Prælati iuſſio vel probibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec vltra extendi poteſt*

poteſt, nec contrahi curâ. Tenebis debere Prælatum cogere ſubditum, non vt habeat nouas obligationes, non vt non obligationibus, ſed ſolùm vt obligationibus ſuis ſatisfaciat. Ergo ſi ipſe non habet obligationem faciendi talem rem, quid curas? cur angeris? cur te non poſſe dici Prælatum aſſeris, niſi etiam illum ad res non obligatorias obſtringas. Ita ille, & vt opinor optimè: me enim conſule ſuperior curare deberet, vt ſubditi obligationibus ſuis exactè ſatisfacerent, non tamen eorundem immunitati inuidere, & per fas & nefas eos contra aut ſupra auitas leges tyrannicè obligare. Addo tamen non eſſe frequentem caſum in quo aut Ieſuita, aut Benedictinus obſtringatur præcepto probabili.

QVINTA.

67 Prouoluitur quis ad pedes tuos, & tota eius confeſſio continet hęc verba: *Me reum confiteor, quod ſecutus opinionem minus probabilem, feci hoc & hoc: ſed ad maiorem ſecuritatem à vobis peto abſolutionem ſacramentalē.*

Eſt confeſſio inſufficiens, & non datur materia capax abſolutionis. Pœnitens potuit eligere alterutram ſententiā, quia nulla lege tenebatur eligere probabiliorem. Si ſemel elegit minùs probabilem, debuit operari iuxta proprium dictamen, & bene fecit: ſi ergo nec venialiter peccauit, non poteſt recipere abſolutionem, Igitur tenebatur Confeſſarius in tali caſu petere aliam materiam, quæ eſſet abſolutionis capax.

SEXTA.

68 Materiæ analogia me inuitat vt dicam verùm hæc ſit bona confeſſio. *Ego me accuſo de tali re facta, prout Deus ſcit me illam feciſſe, & peccaſſe.*

Reſpondeo negatiuè. Non debes confiteri peccata tua, prout Deus illa ſcit, ſed prout tu ſcis: & ſecundum memoriam tuam teneris, exponere omnes circumſtantias mutantes ſpeciem. Aſſeris te lapſum fuiſſe in culpam aliquam ſenſualitatis, & te accuſas de ſpecie, quam Deus ſcit: non ſufficit: opus eſt vt dicas ſpeciem prout tu ſcis, quia tu es qui confiteris, Deus non; eſt enim ille, qui medio confeſſario te audit, & medijs verbis ſacramentalibus concedit veniam.

Forum confeſſionis ſimile politico criminali eſt. Actor Mechliniç explodetur ſi diceret: *Accuſo Sortem, qui peccauit vt Deus ſcit*; deberet enim dicere, *qui peccauit in tali materia*, determinando omnia illa, de quibus alterum reum agit.

SEPTIMA.

69 Prælatus quiſpiam, vt meliùs ſuos regeret, docuit peccare illos mortaliter, qui ſequebantur tales, & tales opiniones, quæ reuera erant probabiles.

Dico, Prælatis ex D.Paulo 2.Cor.10. *& ibid. cap.13.10.* authoritatem conceſſam eſſe cælitùs, non in deſtructionē, ſed in ædificationem; iſtum tamen Antiſtitem imperio abuti, & ſubditis ponere laqueos. Conceditur ouibus paſtor ne pereant; hic animarum paſtor curat vt pereant; ergo exuit paſtorem, & induit lupum. O ouile miſerum cui lupus præficitur! Prælatus magiſter debet eſſe, ideo *Abbas* dicitur, quia אב, teſte Pagn. ſignificat & *Magiſtrū*, & *Patrē*.

70 Præuidens noſter Legiſlator ſanctiſſimus futuros eſſe aliquos qui turbarent, & ſcrupulis communitatē torquerent potiùs, quàm erudirent: admonuit illos hiſce verbis, cap.64. *Ordinatus autem Abbas cogitet ſemper quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem villicationis ſuæ, ſciatq; ſibi oportere prodeſſe magis quàm præeſſe.* Ergo ſi nocet malè præeſt. Addit Legiſlator Sāctiſſimus oportere Abbatem eſſe doctū: ergo non eſt eius mens, eum debere fallere ſubditos, quia hoc etiam indoctus poſſet facere. Eſto ergo vir ſapiens, vt

veritatem doceat. Nemini nocet ſcire, cognoſcereq; veritatem, vel ſi fortè aliqui veritas per accidens noceat; non doceri illā poteſt, ſed licitè falli nō poteſt. Fortè expediret, vt aliquas veritates ignorares, ſunt .n. qui ipſamet Dei bonitate abutuntur; ſed ꝙ habeas pro luce tenebras & pro veritate mēdaciū, non expedict.

71 Lector caſuū conſcientiæ talis ab Abbate eligatur, qui ſciat bene diſtinguere inter probabilitatē & improbabilitatē, vt diſcipulus iure poſſit Deo dicere; Viā mandatorum tuorum cucurri, cùm cor meum ignorantiæ rigore compreſſum, opinionem benignitate dilataſti.

72 Eſt ruina religionis fingere obligationes vbi non ſunt; nec ſemper prodeſt obligationes veras multiplicare. Sūt etiam Prælati aliqui, qui præceptis obruunt Religioſos; ſed & ipſi ſeptem dormientes imitantur. Præcepta .n. indicūt Antiſtites, vt ligēt ſubditos & ipſi quieſcant; ſed ſiquidem electi ſunt non vt ſecurè dormiant, ſed vt inuigilent communicari, ſolertes ſint & prouidi, præceptaque moralia, aut rarò aut nunquam religioſis imponant. Confidant ſuæ ſeueritati, authoritati, vrbanitati, & conſcientias non ligent. Efficaciſſimè imperant, qui vrbanè fieri poſtulant, quod & potuiſsent imperare. Lapideus ſubditus, qui dulci regimini non ſubeſt. Si exuat humanitatem inferior, & ingratum ſe exhibeat ſuauitati politicæ, luat in corpore, & libera maneat conſcientia. Subijciat illum Antiſtes exempli & nominis authoritate, terreat ferenda ſententia; & tandem ſeuerè puniat indocilem & clementia abutentem.

OCTAVA.

73 Sortes fecit actionem talē, memoria retinet omnes circumſtantias, & de facto non dubitat. Vt ſciat vtrum peccauerit, aut non, recurrit ad libros, & conſulit varios doctores. Petitur vtrū aptè.

74 Reſpondeo, Sortem vel velle ſcire qualiter debeat in poſterum procedere; vel velle examinare, vtrum deliquerit in actione iam facta. Si vult inſtrui in futurum, bene facit; legat authorum libros, & conſulat homines doctos. Cæterum actionem præteritam fuiſse peccatum, aut non fuiſse, nō dependet à futuris Authorum Doctorumue reſolutionibus. Examinare oportet quid Sortes ſentiebat, quando talem actum elicuit; vtrum iudicabat actionem eſse malam; qui ſi ipſe cenſebat malam eſse & fecit, peccauit; quoniam operatus eſt contra dictamen. Si iudicauit actionem eſse bonam, ita vt ſincerè proceſserit, dicendum eſt illum non peccauiſse; ac propterea ſi erraſse materialiter; debereq; inſtrui, vt ſit cautior in poſterum.

75 *Si ſincerè proceſſerit* dixi; quia non procedit ſincerè ille qui laborat ignorātia affectata. Ignorantia vincibilis non excuſat à culpa; ſed poſset Sortes ignorare inuincibiliter ſe laborare vincibili ignorantia. Præterea, vix cordatus laborat ignorātia vincibili, quia nullus tenetur omnia ſcire, tenetur tamē cum neſcit conſulere doctiores. Quod ſi inſtet occaſio operandi, aut omittendi opus, & neſciat vtrū debeat præſtare, nec habeat quem conſulat, tunc tenetur ſequi ſuum dictamen, & poſtea interrogare ſapientiores, ſi euidenter ſciat quod futuro tēpore debeat iterū huiuſmodi operationē agere. Puta ſi Sortes iurauerit ſe daturū eſse hodie talē eleemoſynā Paulo; & ſciat Paulū conſumpturū eſse illā pecuniā in re illicita; ac dubitet Sortes vtrū teneatur illi talē erogare eleemoſynā vt iurauerat, an verò teneatur tollere illi omnē occaſionē peccandi. Non habet quē conſulat; examinet apud ſe obligationem, & ſine ſcrupulo ſequatur dictamen ſuum. Si ſciat euidenter ſe promiſiſse etiam alteri, qui ſimiliter eleemoſyna abutitur, ne iterum ſit in tali difficultate, tenebitur, antequam tempus obligationis inſtet, conſulere quempiam, ſi poſſit. Si probabiliter iudicet ſe non poſſe iterum reincidere in ſimilem difficultatem, non tenebitur quempiam conſulere.

DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Regula Sanctiſſimi P.N. Benedicti.

76 EXponam monaſticas obligationes, quæ naſcūtur ex Regula noſtri Legislatoris. Quæſtio hęc maximè torſit veterum ſinceritatem. Conſulti ſunt optimi & doctiſſimi viri, inter quos Mellifluus noſter Pater ſcripſit ſapientiſſimè, à Monachis ſui temporis ſolicitatus. Exſtat inter alia ipſius opera Libellus aureus, qui inſcibitur *de Præcepto & Diſpenſatione*, cuius reſolutiones excerpam, & in præſentiarum explicabo, petens à Lectore Theophilo, vt dignetur legere Bernardi Doctoris Mellifluí elimatum ad Regulam Benedictinam Scholion editum à me Louanij ann. 1643. in quo illius Liuelli textus reſtituitur, & examinatur: ibi enim has omnes controuerſias, quas præſens diſputatio perſtringit, ſolidè reſolutas reperiet.

ARTICVLVS I.

Multa ex his quæ ſunt in Regula præcepti rationem non habent.

77 SCripſit *Monachorum Regulam* (verba ſuū Gregorij *in Dialog. li.2.c.36.*) *Benedictus diſcretione præcipuam*: quod aſſerimus & admiramur vniuerſi. Atqui ſi omnia, quæ in ipſa continentur, haberent vim moralis pręcepti, non eſſet diſcreta & rationalis, multò minùs diſcretione præcipua: Ergo ſunt in ſancta Regula quàm plurima, quæ per modum conſilij iniunguntur. Minorem probo verbis Cardinalis Turris-crematæ *in Prolog. tract.* 5. quia ſi inſtitutor intenderet omnia & ſingula vim habere moralium præceptorum, non præſcriberet Regulam, qua ſpirituales in viam Paradiſi dirigerētur: ſed potiùs infernalem muſcipulam laqueis plenam, qua periculis illaquearentur. Ita & Ioann. An. *in nouell. in Gloſ. illius cap.*

78 Probari idipſum ab aliquibus aſſolet verbis eiuſdem Regulæ. *Auſculta ò fili* (ait noſter Legislator *in Prologo*) *præcepta Magiſtri, & admonitionem pij Patris libenter excipe*. Vnde inferunt dari in Regula admonitiones, quæ non habent vim præcepti, ſed ſunt conſilia pura. Cęterum ex his verbis nihil pro nobis, aut contra nos conuinci poteſt: quia hæc periodus potiùs ad Abbatem ordinariū referri debet, quàm ad Legislatorem. Sit igitur nobis ratio prima ſufficiens: non eſt opus nouas quærere, quouſque aduerſarij poſitæ ſatisfaciant: maximè cùm hæc reſolutio omnibus habendis in hac diſputatione confirmetur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Regula reperiantur aliqua præcepta?

79 REſpondeo nihil in tota Regula inueniri à ſola ipſa indictum, quod obliget ante Abbatis præceptum. Nam in bene diſciplinatis monaſterijs omnia ſolet ſub pęna præcipi, pauca aut nulla ſub culpa. *Sed contra* ſtatim obijcitur prima periodus Regulæ nuper citata. Inde arguis ſic: *Auſculta, ò fili*, ait Legislator, *præcepta Magiſtri*. Ergo clariſſimè exprimit dari præcepta in Regula, quæ auſcultare debeamus.

80 Re-

80 Reſpondeo tamen, optimè noſtrum Legiſlatorē eſſe loquutum, cùm protulit citata verba; addo interim hæc malè exponi ab aduerſarijs. *Auſculta ò fili*, ait benedictus, hoc eſt: Conſulo tibi vt obtemperes præceptis tui Magiſtri, videlicet Abbatis ordinarij: Abbas enim Latinè dicitur, qui Hebraicè אב, *Ab*: &, vt communiter vertunt, hæc vox אב ſignificat *Magiſtrum* & *Patrem*. Vtramque ſignificationē Benedictus coniunxit, & vtroque titulo donauit Abbatem ordinarium. *Auſculta ò fili*, dixit, *præcepta* Magiſtri, *& admonitionem pij* Patris *libēter excipe*. Sciebat enim vir ſapiens nihil cōſultius Monacho, quàm obedientiam eſſe, & ideò hanc conſulit in limine, reliquas virtutes conſulturus: quæ enim magis ſunt neceſſaria, ſemper præponi debent. Abbas monachorum magiſter eſt: an ſemper? non hærculè, ſed ſolùm quamdiu Regulæ fuerit bonus diſcipulus: vnde aptè noſter Pater mellifluus: *Ego ſic ipſum* (nempe *Abbatem*) *ſequi decreui ſemper & vbique Magiſtrum, vt nequaquam à Regulæ, quam teſte ipſo iuraui & ſtatui cuſtodire, declinem magiſterio.*

81 *Arguis ſecundò* ex Regulæ cap. 58. vbi dicitur de profeſſionis candidato: *Si habita deliberatione promiſerit ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſeruare, tunc ſuſcipiatur in congregatione.* Eryordantur præcepta in Regula, quæ obligant ſub culpa. Ratio eſt; quia promiſsio non niſi culpam infert, ſi quiſpiam operetur contra illam.

82 Licèt admitteremus verba citata illo ipſo ſenſu quo volunt aduerſarij, nō probaretur dari in Regula præcepta aliqua, quæ ſubditos verè obligarent in interiori foro anre voluntatem Abbatis: ſed ſolùm probaretur omnia, quæ continentur in Regula, debere ſeruari ratione promiſſionis, ac propterea omnes preuaricantes peccare venialiter, aut mortaliter ſecundum materiæ & operationis quantitatem.

83. Cæterùm nec hoc modo obligamur, quia illa Legiſlatoris noſtri verba æquiualent his: *Si re diu conſiderata vouerit & promiſerit ſe ſeruaturum eſſe omnia, nempe ſubſtantialia: & accidentalia, ſcilicet illa quæ continentur in Regula, ſi à Prælato indicantur admitti debet: quod ſi noluerit talia promittere, non recipiatur.* Adhuc exponam clarius: *ſi habito deliberandi tempore promiſerit ſe omnia cuſtodire ſecundum Regulam hoc eſt, promiſerit cuncta, cùm fuerint imperata, ſeruare: tunc ſuſcipiatur, incorporeturq; congregationi.* Quod ita debeat intelligi decretum illud, conſtat ex praxi: Mandatur executioni ſub his verbis. *Ego N.* ait qui profitetur, *promitto ſtabilitatem meam, & conuerſionem morum meorum*, nempe ſubſtantialem ſecundum virtutes eſſentiales. Caſtitatem, Paupertatem, & Obedientiam. Illas tamen non quomodocunque, ſed *ſecundum Regulam Beatiſſimi Patriarchæ*.

84 *Arguis tertiò. Ex extrauag. Ne Clerici. cap. Rel.* vbi dicitur: *Relatum eſt nobis quod Monachi de N. viuunt ſeculariter, & alios exemplo corrumpunt, ideoque mandamus quatenus eos ad obſeruantiam Regulæ appellatione remota compellas.* Atqui nullus cogi poteſt ad quòd non tenetur ex præcepto: ergo dantur præcepta in Regula, ad quæ obligamur.

85 Minor eſt abſolutè falſa; quia etiam poſſet quis obligari ad id; ad quod tenetur ex voto aut iuramento. Monachi ſi tenentur ad Regulam, tenentur ex vi voti. Qui recenſentur in hoc capite, vouerant caſtitatem, paupertatem, & obedientiam erant tamen incontinentes, prodigi, & libertini: aliàs enim non dicerentur ſeculariter viuere, atque alios corrumpere ſuo exemplo: ergo omni appellatione poſtpoſita compelli

potue-

potuerunt ad morum conuerſionem ſeruandam, quam politici fuerant. Erant inobedientes, & ideò compelli debuerunt ad obſeruantiam Regulæ quà præceptæ ab ordinario Abbate.

86 *Arguis quartò*. In Regula indicitur caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis obſeruantia, quæ obligat ſub peccato mortali: ergo ſaltem in Regula reperiuntur hæc præcepta. Ita intellexiſſe videntur Ioannes An. *in Nouella*, in cuius capitis gloſſa ſic: *Intellige indiſtinctè quoad tria ſubſtantialia: alia autem non credo eſſe in præcepto, aliàs vix vnus Monachus de mille ſaluaretur*.

87 Fallitur tam:& ad argumenti formã reſpondeo concedendo Maiorẽ: Minorem diſtinguo. Paupertas, obedientia, & caſtitas obligant qua præcepta à Regula, nego: quà promiſſa in profeſſione, concedo. Ideo licèt noſter Legislator nihil in Regula dixiſſet de continẽtia hæc tamen ratione voti obligaret. Hinc ſi monachus à voto caſtitatis (poſſibile ſit aut impoſſibile) abſolueretur, & remaneret religioſus, non teneretur ſeruare caſtitatem, ſed poſſet ducere vxorem, deberet tamen continere quotieſcunque ex congrua cauſa caſtitas illi regulariter præciperetur. Cæterùm cùm hæ tres virtutes ſint ſtatui Monaſtico eſſentiales, impoſſibile eſt aliquem non teneri ſeruare caſtitatem, & eſſe religioſum, nempe quales nos ſumus. Poſſet enim ſtatui nouus Religionis ſtatus, in quo darentur pauciora vota, ſi id Eccleſia Romana approbaret.

PROBATIO.

88 Oſtendo efficaciter non dari in regula præceptum aliquod, quod obliget in interiori foro. Quia ſi daretur quodpiam, maximè illud quod de abſtinentia carnium exponitur capite vigeſimonono: atqui hoc eſt conſilium non præceptum, nulla igitur ſunt præcepta in Regula. Minorem probo. Si daretur præceptum de ieiunio, id obligaret in ordine ſub peccato mortali: atqui ieiunium & abſtinentia regularis in Benedictinorum ordine non obligant ad culpam grauem in omnium opinione: ergo non dantur de ieiunio & abſtinentia ſanctiones præceptiuæ in Regula. Maiorem probo: quia ex præcepto & materia graui naſcitur neceſſariò obligatio ſub peccato mortali: atqui hic materia eſt grauis, & nihilominùs obligatio eſt leuis: ergo ſignum eſt illam legem potiùs conſultiuam, quàm præceptiuam eſſe. Materiam eſſe grauem hinc colligo. Ieiunia Eccleſiæ obligant ſub mortali: ergo etiam monaſtica, ſi eſſent præcepta, deberent ad culpam grauem obligare. Probo conſequentiam: Ideo ieiunia Eccleſiaſtica grauiter obligant, quia cenſentur grauiter conducere ad vitam Chriſtianam: Atqui ieiunia magis conducunt ad vitã monaſticam, & pęnitentem: ergo ſi ieiunia ſunt grauis momenti reſpectu cõmunis vitæ, cenſenda ſunt momenti grauioris reſpectu vitæ pœnitentis. Suppono id quod ſuperiùs *num.* 41. oſtendi nimirum non eſſe poſſibile præceptum quod obliget ad culpam leuem, ſi materia ſit grauis.

Accinit D. Bernardus *de precep. & diſp.* vbi clariſſimis verbis definit iſtam concluſionem: *Illum ſanè dico* Securum, *qui etiamſi interdum obedientiæ limites præteriti, conſilium non reſpuit pœnitentiæ. Regulares enim terminos etſi ſepè deliquerit.*, Non euadit, *qui cenſuræ, quæ ex Regula eſt, diſciplinã non ſubterfugit*. Ergo Regula eſt lex merè-pœnalis: quià alioquin non ſufficeret ſubire pœnam præſcriptam, vt præuaricator in conſcientia ſecurus diceretur: aliàs etiam terminos regulares euaderet, qui contra moralem legem operaretur; ſed iuxta mentem D. Bernardi non euadit terminos Regulares, qui

qui operatur contra Regulam, dummodo pœnitentiam admittat: ergo Regula non eſt moralis lex, ſed purè pęnalis.

ATICVLVS. III.

Notitia pœnitioris cauſa ſuppono omnia & ſingula, quæ ſunt in regula, ex Legiſlatoris mente habere vim præcepti moralis; & vtrùm ad ea in conſcientiæ foro obligemur examino.

89 ADmiſſa hypoteſi reſpõdeo negatiuè. Ratio eſt; quia ego non promiſi obedire Regulæ ſed Prælato: & ſic non magis teneor Regulæ obedire, quàm pręposito alterius Religionis, cui non promiſi obedientiam. Hæc veritas ex profeſſionis forma innoteſcit. Hæc eſt. *Ego N. promitto ſtabilitatẽ meam, conuerſionem morum meorum, & obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti Abbatis, &c.* Hanc profeſſionis formam eſſe antiquiſſimam conſtat ex B. Bernardo de præcept. c. 7. *Is qui profitetur, ſpondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam ſed determinatè ſecundum Regulam, nec aliam quàm S. benedicti: vt oporteat eum qui præeſt, nõ fræna ſuæ laxare volũtati ſuper ſubditos ſed præfixam ex Regula ſibi ſcire menſuram, & ſic demum ſua imperia moderari circa id ſolum quod rectum eſſe conſtiterit, nec quodlibet rectũ, ſed hoc tantùm quod prædictus Pater inſtituit. Sic ſe quippe habet profeſſio: Promitto non quidẽ Regulam, ſed obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti. Non ergo ſecundum voluntatem Præpoſiti.* Ecce Regula præceptibilis eſt, præcepta non eſt: imò nec quidquã eſt pręceptibile præter Regulam, quod non fit propter Regulã. Angelicè hanc eandem difficultatem tetigit D. Thomas, & explicuit diuinitùs *quod lib. 1. art. 20.* ita dicens: *Statuit S. Benedictus Monachum profiteri non quidem obſeruare Regulam ſed quod profitens promittat conuerſionem morum ſuorum ſecundum Regulam.*

90 Ex his patet, ad ea, quæ ſunt in Regula, in foro interiori Benedictinos non teneri, niſi adſit præceptum Abbatis: vnde B. Bernardus de præcepto c. 11. ait: *Cætera quæ leuiora dicuntur. Ex his verbi gratia dico eſſe, vel riſum interdictum, vel indictum ſilentium. Hæc ſiquidem ſi contra mandatum non veniant, peccata non ſunt: accedente autem mandato, ſi quo minus obſeruentur, in peccatum reputantur, non tamen in crimen.* Ecce eorum, quæ in Regula, tranſgreſſio ante Abbatis præceptum, ne veniale quidem peccatum eſt. Poſito præcepto peccatum ſæpe, ſepe crimen (peccatum prout opponitur crimini eſt veniale, quia crimen non niſi pro mortifero vſurpatur) nempe leuioris rei tranſgreſſio, vt ſilentij (placet exemplum poſitum à Doctore mellifluo) erit peccatum veniale: præceptæ excellentioris rei omiſſio, vt officij Diuini, aut ieiunij, erit crimen, hoc eſt peccatum mortale.

Similem Profeſſionis formã amplexi ſunt Dominicani, qui non promittunt obedire Regulæ, ſed ſecundum Regulam: vnde ex vi profeſsionis, & communi ipſorum ſentẽtia; Regula eos obligat in foro exteriori tantummodo: accedenteque Prælati præcepto, in interiori. Contrariam ſecuti Frãciſcani tenentur in interiori foro ad ſuam Regulam, cum diſsertiſsimis eam promittant verbis. *Ego Frater*, dicunt, *voueo & promitto Deo &c. ſeruare Regulã. &c.*

91 Nihilominùs explicatione indiget P. N. Bernardus *de præc.* dicens: *Vniuerſa non profitentibus quidẽ monita tantùm ſeu conſilia cenſenda ſunt, nec grauant non obſeruata, cùm tamen profitentibus in præcepta, præuaricantibus in crimina fiant.* Et ibidem: *Itaque, vt ſentio, Regula Sancti Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli: prodeſt ſi deuotè ſuſcipitur & tenetur:*

tenetur: non tamen ſi non ſuſcipitur, obeſt. Quod autem in voluntate ſuſcipientis eſt, non autem in poteſtate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non neceſſarium. Attamen hoc ipſum, Quod dico voluntarium, ſi quis ex propria voluntate ſemel admiſerit & promiſerit deinceps tenendum, profectò in neceſſarium ſibi ipſe conuertit, nec iam liberum habet dimittere, quod ante tamen non ſuſcipere liberum fuit.

92 In prima authoritate non dicitur, quod ſemper ſint profitentibus in præcepta: ſed quod cum fiunt in præcepta profitentibus, præuaricantibus fiant in crimen, quod libenter admitto: & inde infero: Ergo ſi profitentibus non fiant in præcepta, (hoc eſt non præcipiantur ab Abbate (præuaricantibus non erunt in crimen.

92 *b* Secunda authoritas pro nobis etiam eſt: probat enim non fuiſſe in poteſtate proponentis Legislatoris obligare nos, ſed in noſtra: ergo ad quod nos non obligauimus, non tenemur: nō obligauimus nos ſeruare Regulam, ſed obedire Prælato ſecundum Regulam: ergo ad hoc tenemur, non ad illud, & ideò obedire Antiſtiti ſecundum Regulam, qui ſemel promiſerit, profectò in neceſſarium ſibi ipſe conuertit, nec iam liberū habet dimittere, licet antea potuiſſet.

92 *c* Hanc expoſitionem eſse congruentem literę & menti noſtri melliflui Patris, ſatis ex dictis conſtat: conſtabitque liquidius ſi legas libell. de præcept. vbi inter alia: *Qui ſe ideo periurum putat quòd* Ad Pvnctvm *regulam non obſeruat, videtur mihi non ſatis attendere quid iurauerit. Nemo quippe cum profitetur ſpondet regulam, ſed determinatè ſecundum regulam ſui quiſque cōuerſionem, ſuamq; deinceps conuerſationē ſeſe pollicetur dirigere. Hæc profectò huius temporis omnibus ferè monachis communis profeſſio eſt.* In hoc teſtimonio multi tollunt illud *ad punctum*, & ſubſtituunt ad purū, ſed hæc medicina alia ſanè indiget. *Ad punctū* modus loquendi Hiſpanus, atq; Gallus eſt. Nos dicimus *al punto*, hoc eſt *ſtatim*, vel *pūtualmente*. Galli *punctuellement*, hoc eſt *exactè*. Correctores legant *ad purum*, per me ſtat, ſed non aſſequor dictionis intellectum.

93 Obijciunt etiam aliqui locum difficilem ex eodem libello de præcepto & diſpenſatione: *Deniq; regula ipſa tradit*, ait S. Doctor, *octauum humilitatis gradum, vt nihil agat monachus, niſi quod communis Monaſterij Regula, vel maiorum cohortantur exempla. Exceptis proinde Ciſtercienſibus & qui illorum forte ritu non tam viuere ſecundū Regulam, quam ipſam ex integro purè ad literam (vti ſe ſanè profeſſos eſse putant) tenere curant.*

Hæc verba nudè ſumpta difficilia nōnullis viſa ſunt, quoniam ea non intelligunt, nec retinent antecedentia. Cluniacenſes cum Ciſtercienſibus comparat: vtroſque aſſerit ſecundum Regulā profiteri; non tamen vtroſq; eodem modo obligari, Cluniacenſis profitetur obedientiam ſecundum Regulam qua receptam in ſuo Monaſterio, nimirum legitima conſuetudine, & vſu moderatam. *Ciſtercienſis diſtrictionem literatoriam profitetur.* Ergo Ciſtercij nullum erat in vſu priuilegium, nullus mos, nulla conſuetudo aut diſpenſans aut moderās Regulæ articulos, ſed hæc ad literam ſtudio ſummo ſeruabatur. Hinc iam mentem Melliflui Doctoris aſſequemur. [Sequi poſſunt, ait, Benedictini communem Monaſterij Regulam, & maiorum exempla, vſus & conſuetudines. Excipe Ciſtercienſes, & qui illorum cōſilio, non tam viuere ſecundum Regulā maiorum exemplis & vſu mitigatam, quàm ipſam ex integro, purè, & ad literam ſine diſpenſatione aliqua tenere curant: ad literam, inquam, vti ſe ſanè profeſſos eſſe exiſtimant.] Ex his autē verbis ſequitur Ciſtercienſes putare ſe promiſiſſe obedientiam ſecundum Regulæ

literatoriam diſtrictionem : & eos curare hanc ſeruare, etiam ante præceptum. Cæterùm aliud eſt ſeruare aut curare, aliud eſt moraliter teneri.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Prælato præcipiente in virtute ſanctæ Obedientiæ, ſeruari ea omnia quæ ſunt in Regula, omnia ſubditos obligent ſub peccato mortali.

94 PRo deciſione huius quæſtionis notatione eſt digniſſimum, duas eſſe Authorum opiniones circa grauitatem præcepti: alij eam reperiunt in voluntate præcipientis, alij in materiæ quantitate, ſed hæc poſterior certior & plauſibilior eſt. Eam habet Sanchez *in ſum. tom. 1. l. 4. c. 12. num. 6.* Ioannes de la Cruz *in direct. par. 1. præc. 2. art. 2. dub. 4. concl. 2.* Hanc ſententiam mente memoriaque tenendam eſſe docet Diana *p. 3. tract. 5. reſ. 24.* Iuxta primum dicendi modum parua poſſunt ſub graui culpa præcipi, iuxta ſecundum nulla quæ non ſint magna. Vide *num. 41. 42.*

95 Stando igitur in primo modo dicendi, aſſero in tali caſu illud præceptum ſubditos ad nullum peccatū nedum veniale obligare, imò eſse nullum. Ratio eſt manifeſtiſſima; quia ad hoc quod præceptum obliget, eſt neceſsarium quod ſit rationabile & iuſtum: atqui tale præceptum eſset irrationabile & iniuſtum: ergo nullum. Maior eſt euidens: Minor conſtat ex ijs quæ *art. 1.* diximus. Quia præcepta monaſtica ſunt directiones ad cælum: atqui ſi hoc præceptum teneret, eſset occaſio certiſſimæ præuaricationis, & illaquearet potiùs animas quàm eſpediret: ergo eſſet iniuſtum. Secus Philoſophandum eſt, ſi iuberet ſolùm aliqua, quæ ſine nimia moleſtia & nimio onere poſsent eſecutioni mandari: quia tunc illud præceptum eſset poſſibile non ſolùm phyſicè, ſed & moraliter, & idcirco poſset ſubditos obligare.

95 *b* Si ſequamur ſecundum modum ſentiendi, aſseramuſque cum Doctore Mellifluo & allijs, quos *num. 41.* citaui grauitatem peccati non ſumi ex voluntate præcipientis, ſed ex materiæ quantitate: ſubſcribemus veriſſimæ ſententiæ & valedicemus alteri, quam vix credo probabilem, culpæ magnitudinem non à iubentis voluntate, ſed à quantitate materiæ dependere, eſt à D. Bernardo reſolutum. *Traduntur igitur*, ait, *à Prælatis interdum minora mandata, quorum tranſgreſſio leuiora ſecundū Regulam parit & peccata, & tamen in Deum nihilominus præuaricatio fit quoties Abbatis iuſſio præteritur*, &c. poſt: *& ſi quippe vnus eſt*, ait *qui offenditur, non tamen vnius ponderis quæ iubentur: nec vnius ſubindè diſcriminis iuſſorum eſt omnium cenſenda tranſgreſſio.* Ita *lib. de præc.* Ergo peccati grauitas, non à præceptorum varietate, ſed à materiæ grauitate, & pondere dolumi debet.

95 *c* Suppoſita hac doctrina certiſſima aſsero *primò* tale præceptum eſse iuſtum, & obligare, eſt enim poſſibile moraliter, nec nimiùm difficile: addo tamen *ſecundò*, non obligare hoc præceptum vbique ſub peccato mortali, ſed pro quantitate materiæ. Vnde ieiunia, Horæ Canonicæ, & quæ maiora iudicabuntur, obligabunt ſub peccato mortali, minora vt eſt ſilentium, labor manuum, cæremoniæ, &c. ſub veniali: quia vt optimè dicit Ioānes de la Cruz *loco cit.* Præcepta Prælati in re leui, & in ordine ad bonam gubernationem, obligant ſub peccato veniali, nam eſset intollerabile, ſi poſset Prælatus in omni materia etiam leuiſſima obligare ſub peccato mortali.

95 *d* Hæc reſolutio certiſſima eſt, & probatur à D. Bernardo *tract. de præc. cap. 14* rationibus ſatis conſpicuis Arguit ſic: *Prælatorū iuſſionibus tantum*

tum tribuendum aſſeritur, quantum ſi diuinitùs traderentur. Atqui præcepta diuina in materia ieiuni non obligant ſub culpa graui, vt patet: ergo neque Abbatum præcepta. Ratio quidem hæc efficax eſt, atque Bernardo digna. Quia ſi leuis inobedientia in lege Dei culpa venialis eſt, in Regula mortalis, nō iam Dei lex Regula, ſed potiùs Regula lege Dei nobilior eſſet. Vnde ſubſumit meus Bernardus: *Numquid fortè in lege quidem diuina habenda eſt hæc conſideratio grauioris leuioriſque inobedientiæ: non autem ita & in Regula? Sed quis ſanè plus dicat tribuendum humanis, quàm diuinis traditionibus, pluriſque quod per ſuos Deus, quàm quod per ſeipſum imperat, æſtimandum?*

95 *e* Hanc reſolutionem, quam in ſe eſſe veram probauerat, addit eſſe iuxta mentem noſtri Legislatoris: *An non denique, ait, apud S. Benedictum propriæ & diſtinctæ ab inuicem ſententiæ inueniuntur, alia de leuioribus, alia de grauioribus inſcripta culpis? Quid autem eſt leuior culpa, niſi leuis inobedientia?*

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſi quiſpiam voueat omnia & ſingula, quæ in Regula continentur, ſe ſeruaturum eſſe, ad ſingula teneatur ſub mortali.

96 HAec quæſtio eſt confirmatio & dilucidatio præcedentis, ad eam eodem modo reſpondeo, me non poſſe meipſum ſub culpa graui ad rem leuem obligare, etiamſi velim: v. g. ſi promittā, ſi iurem recitare vnum *Aue Maria*, & ſit voluntas mea, ita ad id obligari, vt mortaliter peccem ſi omittam: reuerà non teneor ſub mortali, ſed ſub veniali iuxta quantitatem materiæ & ea quæ num. 41. tradidi. Sic ſimiliter etiamſi iurem & voueam ſeruare ſingula, ita vt velim me obligare ad hanc obſeruantiam ſub mortifero, non teneor omnia ſub tali pōdere cuſtodire; tantummodò ea, quæ in doctiorum opinione iudicabuntur magna, qualia ſunt ieiunium & officium diuinum: ad ea autem quæ ſunt materia parua, tenebor quidē ratione voti, ſed tantùm ſub peccato veniali; quia quando voueo aliqua parua, non teneor ſub culpa graui adimplere votum. Hæc doctrina expreſſa eſt Soti de iuſtitia *lib. 7. q. 2. art.* 1. Aragon *in* 2. 2. *quæſt.* 88. Ioannis de la Cruz *in dir. par.* 1. *pr.* 2. *art.* 2. *dub.* 4. *concl.* 2. Villalobos *in ſum. tom.* 2. *tract.* 34. *diff.* 3. *num.* 3. Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 16. Hanc etiam ſententiam probabilem iudicat Tannerus 2. 2. *diſp.* 5. *dub.* 3. *num.* 38.

96 *b* Hic obiter adnotandum eſt iuramentum hoc non addere nouam obligationem; quia D. D. Benedictinorum profeſſio & votum & iuramentum eſt. Votum, quà eſt promiſſio facta Deo; iuramentum, quà eſt facta coram Deo: quia vt ex profeſſionis formula liquet, promittimus virtutes eſſentiales non ſolùm Deo, ſed & coram Deo, ac Sanctis eius. Rationem iuramenti in profeſſione Benedictina cognouit Doctor ille melliſluus, cælitùs doctus, quem nihil latuit. Epiſtola ſeptima ait, *ſi nequaquam à Regulæ, quam teſte ipſo (nempe Abbate) iuraui & ſtatui cuſtodire, deuiem Magiſterio*, & lib. de præc. & diſpenſ. *Qui ſe ideo periurum putat quòd ad punctum Regulam non obſeruat, videtur mihi non ſatis attendere quid iurauerit*, & dixerat: *Nemo ſi cautè profitetur, pollicetur ſe vltrà in nullo tranſgreſſurum, hoc eſt iam non peccaturum; alioquin aut periurat, aut ſanctior eſt illo qui ait, In multis offendimus omnes.* Ergo non ſolùm morum conuerſionem Deo vouimus, ſed coram Deo iurauimus.

96 *c* Hæc vltima verba Melliflui mei Doctoris ſunt in cauſa vt dubitem, an

ſemel

ſemel aut iterum tranſgredi præſcriptas Regulas in materia parua ſit peccatum veniale. Hoc eſt, Verùm ſi vel ſemel Benedictinus Religioſus non obediat Antiſtiti leue quid imperanti, dicendus ſit peccauiſſe venialiter.

Pro reſolutione huius difficultatis adnotandum eſt. Primo non teneri Monachum facere quod non promiſit, quia tota ipſius obligatio naſcitur ex mera profeſsione. Secundò nemo negare poterit hanc promiſſionem eſſe poſsibilē: nempe, *Promitto me obediturum eſſe. Tibi quotieſcumque grauia iuſſeris ſecundum D. Benedicti Regulā, & vt in plurimū obediturum eſſe cùm præceperis leuia.* Tertiò, certum eſt ex vi huius profeſsionis nō peccaturum eſſe venialiter, qui ſemel aut iterum in leuibus nō obediret. Quartò, ſic profeſſum fuiſſe D. Bernardum, ſic ſolere prudenter, & cautos profiteri, neſcio an non perſuadeant verba hęc, quę controverſiā excitarunt. Tu interim ſuſpende iudicium & ſcholij à me editi *cap.* 36. & clauem Moralis Theologiæ iunctam *num.* 339. vbi hæc omnia ſoluuntur ex profeſſo.

ARTICVLVS VI.

De contemptu rerum, & rituum regularium.

97 PEccare eos mortaliter qui ex cōtēptu minimas obligationes temerāt, nempe illos, qui volūtate ſuperba maiora etiam contēptura inflati, parua contemnunt, & aſſerit mellifluus Doctor *lib. de præc. diſp.* & omnes affirmamus. Quid autem ſit legem contemnere, non ſatis omnes percallemus.

Non debet dici contemptor ſanctæ Regulæ, qui frequētiſsimè eius ſanctiones violat, ſed qui auſu temerario, & nō ex fragilitate. Hoc vt altiùs intelligas, ſuppone me nō agere de rebus illis: quas grauiter tenemur obſeruare ipſimet ſæculares: quia in mortalibus culpis reperitur contemptus ſaltem radicalis. Ago de rebus regularibus, ad quas aliàs non teneremur. De his ab Antiſtite feruntur leges in communitate: ſi hæ ſint (vt communiùs eſſe ſolent) pœnales, teneris in foro exteriori: ſi ſint morales, in conſcientia. Si contra legem moralem opereris, peccabis mortaliter, ſi materia ſit magna: ſi parua, venialiter. Si contemnas, illaqueaberis mortali culpa. Ita Bernardus *de præcep. c.* 14. qui ſic ait: *Propheta* (Eſai. 53.) *de ipſo* (Chriſto) *teſtatur, quod pro tranſgreſſoribus rogauerit, vt non perirent. Vbi ſanè notandum eſt, quod etſi pro trāſgreſſoribus non tamen pro contemptoribus legitur ſupplicaſſe.*

97 b Actiones leuos irregulares, ſi contra præceptum veniant, peccata ſunt: non tamen criminalia: *excepta* (verba ſunt D. Bernardi iam citati) *cùm per contemptum vertuntur in vſum & cōſuetudinem: & tunc nō peccati ſpecies, ſed peccantis intentio penſatur. Elatio quippe contemnentis, atque impænitentis obſtinatio in minimis quoque mandatis culpam facit non minimā, & conuertit in crimen grauis rebellionis, nævū ſatis leuem ſimplicis trāſgreſſionis.* Cōfirmat ex illo Samuelis 1. *Reg.* 5. *Quaſi peccatum hariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle adquieſcere,* quod exponit ſic: *Non, ait, non adquieſcere; ſed, nolle adquieſcere: vt non iuſſionis ſimplex ipſa tranſgreſſio, ſed voluntatis ſuperba contentio ſcelus idololatriæ reputetur. Non eſt enim id ipſum nolle obedire & nō obedire. Hoc quippe interdū erroris eſt, nonnūquam & infirmitatis: illud verò aut odioſæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ.* Sed quomodo intentio examinanda & cognoſcenda veniat; colliges ex verbis ſubſequentibus: *Non ergo qualiſcumque mandati præterito criminalē facit inobedientiā: ſed repugnare, nolle obedire. Cæterùm quāti abſque illa peſſima & rebelli voluntate nō obediunt? Quomodo itaque monacho crimen inſidiatur inobediētiæ, ſi toties ſine crimine tran-*

ne tranſgreditur, quoties in tranſgreſſione defuerit huiuſmodi recalcitrans & contentioſa voluntas? Et poſtea: *Etſi enim omnis inobedientia inexcuſabiliter ſit culpabilis* (puto pœnaliter) *nulla tamen* (nẽpe in materia graui vel leui ante Abbatis præceptum) *æternaliter damnabilis, niſi quam remediũ pænitentiæ non ſanat. Nulla eſt lethaliter criminalis, niſi quæ contemptum ſuperbiæ non euitat.* Vbi videtur D. Bernardus aſſerere non peccare mortaliter qui non obedit etiam ſi materiæ ſit magna, dummodo abſit contemptus. Id tu altiùs examinaueris. Oſtendit poſteà Regulam non eſſe legem moralem, ſed pœnalem præuaricatores non peccare, dummodo regulari ſubiaceant pęnitentiæ. *Profeſſus quiſque* (ait) *cum in aliquo fortè regularium mãdatorum deliquerit, ſi ad remedium æque regulare confugerit, etſi conuincitur tranſgreſſor mandaci nõ tamen pacti præuaricator: ſolum itaque cenſuerim fregiſſe votũ violaſſe propoſitum, pactũ præuaricaſſe, qui peccatũ contempſerit & remediũ. Nam illum ſanè dico ſecurũ, qui etiamſi interdũ obedientiæ limitem præterit, cõſilium non reſpuit pænitentiæ. Regulares namq; terminos etſi ſæpe deliquerit, non euadit, qui cenſuræ, quæ ex regula eſt, diſciplinã nõ ſubterfugit.*

98 Ergo omnibus coniunctis & comparatis teſtimonijs ratum remanet non poſſe dici Regulæ contemptorem, qui ex fragilitate eam non ſeruat: ſed illum qui culpam ſuam pertinacia propugnat, & non vult pęnæ ſubeſſe regulari.

98 *b* Digna hic obſeruatione iudico, mellifluo illa verba quæ immediatè ſequuntur (cap. 15.) *Inueniuntur in ea* (Regula) *& præcepta obedientiæ, & inobedientiæ remedia, vt ne peccando* (id eſt non obſeruando ipſam) *à Regula recedatur.* Ergo ex mente Bernardi Regula eſt lex purè-pœnalis. Quia non obſeruando ſanctiones, legi morali non ſatisfacis: non obſeruãdo ſatisfacis merè-pœnali, ſi pœnam ſubeas: quia lex pęnalis ad moralem reducitur hypotheticam & diſiunctiuam. Verbi cauſa, eſt tenor legis abſolutus, *Qui occiderit talem animantem, centum ſcuta ſoluito:* fiet hæc lex moralis, ſi aptè exponatur; exponetur aptè, ſi in hæc verba: *Aut ne occidito tale animal, aut ſi quis occiderit, centum ſcutos compenſato.* Ergo, vt legi reſpondeas, elige alterutrum: videlicet, aut animantẽ non occidere, aut ſubire ſentẽtiã. Ergo ne peccãdo quidẽ, vt ait bene Bernardus, cõtra sãctionẽ legis extrinſecę & pęnalis, ipsámet legẽ temeras, niſi fortè nõ velis pęnę ſubiacere.

98 *c* Conſulemur ergo tandem afflictos monachos, ſcrupulis varijs fluctuantes. Dicamus cum Doctore Mellifluo (cap. 15.) *Cui iam ita profeſſo impoſſibile, imò per Dei gratiam non perfacile eſt cauere præuaricationem, vbi nõ inobedientia, ſed impænitentia facit præuaricationem. Hoc quippe* (vt iam dixi) *profitentium nemo ſpondet, vt non iam peccet, & ob hoc non continuò vt quiſpiam aliquo modo non obedit, præuaricatorem ſe conſtituit: niſi qui ſic forcè ſe profeſſum falſo exiſtimat.* Ecce Regula à Bernardo lex merè pœnalis aſſeritur; qui eam non obſeruat non peccat, dummodo admittat pęnitentiam: qui neque hanc voluerit ſubire, ſed arrogantia ductus præſumpſerit non ſubſiſtere communi correptioni, ille vnicus cẽſendus eſt pręuaricator, & contemptor conuerſationis regularis.

Sed poſtulas, An ſemper contemptus in rebus paruis regularibus inferat peccatum mortale? Reſpondi in ſcholijs *n.* 235. 249. 304. 108. 312. 313. 314. librũ lege, & multa Bern. author digna benignè & ſolidè reſoluta reperies. Aliud .n. omnino eſt ex volũtate magna contemnere parata, parua contẽnere, aliud dicere, *Volo hoc facere, quia leuis culpa eſt: ſi eſſet grauis nõ facerẽ.* Quia ſi in priore parte reluceat cõtẽptus aliquis, in poſteriore reuerẽtia magna manifeſtatus.

LIBER SECVNDVS.

De generibus Monachorum vacantium conuerſationi religioſæ ante Chriſtum.

99 *SAnctiſſimus noſter Legislator in primo Regularium Inſtitutionum capite, Religioſorum varia nomina & inſtituta ediſſerit. Exponam Monaſticæ conuerſationis antiqua ſimulachra, quæ vix paucis ſunt cognita vt inde meliùs Euangelica perfectio cognoſcatur. Solis altitudinem Vranometræ perfectiſſimè cognoſcunt ex vmbræ magnitudine, vt nouerunt vniuerſi qui Aſtronomiam ſaltem a longè ſalutarunt. Benedictinus Ordo non niſi Sol eſt Eccleſiæ militantis. Oriens ſol longiſſimas diffundit vmbras: peruenerunt ad Orbis geneſin vmbræ Benedictini Solis: aut quid; aliud omnes illæ Monaſticæ congregationes, quæ ante vniuerſalem cataclyſmum, aut vniuerſalem redemptionem floruerunt, quàm vmbræ præuiæ & ſymbola Benedictini Ordinis, à quo ferè omnes quibus ditatur Eccleſia Latina profluxerunt? Has antiquas vmbras in receſſibus & pænetralibus paginæ ſacræ, in probatiſſimorum authorum chronologijs deliteſcentes curioſa obſeruatione metiar, & reducam ad numeros obſeruationem: vt ex vmbra Solem prototypon ex ectypo, ex ſymbolo cognoſcam veritatem.*

DISPVTATIO OCTAVA.

De moralis Corporis conſtitutione.

100 CAtholici corporis vnitas fides eſt orthodoxa, idcirco Athei, infideles, & Hæretici ad corpus Eccleſiæ non ſpectant, nec illius membra poſſunt denominari. Peccatores Catholici licèt labibus innumeris ſint inquinati. Athei aut Hæretici dici non debent: Ipſi enim in eadem habitant Eccleſia Militante, tametſi fragilitati indulgentes ita ſe gerant, ac ſi Deum non cognoſcerent, & milites eſſent Antichriſti.

101 Humanum Corpus non ſolùm componitur ex membris viuis, ſed & aliqua mēbra admittit quę licèt ab Anima vitales functiones nō recipiant, Animæ nihilominùs ſecretiore virtute conſeruantur. Omnia hæc ſimiliter verificantur in myſtico. Sunt in eo aliqua mēbra, quæ & connexionem habent cum Chriſto Capite, & vitam ab illius ſpiritu, viuificoque influxu ſuſcipiunt: alia verò ſunt, quæ in internam aut externam Fidei profeſſionem ſunt cæteris membris connexa, non tamen vitā ſenſum-ue participant ab auxiliorum præuentione: non quòd ipſa gratias auxiliatrices nō participent, ſed quod ijs abutantur. Tales homines ſimiles iudice ſanguini noxio, aut humori ſuperfluo, aut qualitati peccatrici: quia hęc quouſque à corpore eijciantur, ipſius cenſentur partes, quantumuis inimicæ toti, ipſique ruinam minitantes. Non ſecus peccatores, moralis ſunt Corporis humores

mores ſuperflui, nō ſolùm ſibi ipſis nociui, ſed & toti communitati: verùm eiuſdem partes ſunt, quouſque aut Eccleſiæ iudicio fuerint per communicationē omninò ſeparati, aut ſponte proſilierint foras, excommunicatio enim & infidelitas à corpore membra myſtica excidunt, diuerſimodè tamen, nimirum, hæc ſimpliciter, illa ſecundū quid.

102 Non eſt opus confutare Pelagianorum dogmata, aſſerentium Perfectos ſolummodo eſſe Eccleſiæ bellatricis mēbra, non verò Peccatores; quia olim ea efficaciter Sanctus euertit Auguſtinus, & illos ita exoſos reddidit, vt aliquid vel Catholica veritate clarius, vel Pelagianorum errore cōtumelioſius poſſe aſſeri non crederetur: Diuus etiā Hieronymus Iouinianū, qui idē cum Pelagianis aſſerebat, retudit, huiuſq; hæreſeos deſtruxit antiqua fundamenta.

103 Hunc noſtra ætate errorem Lutherani, & Anabaptiſtæ reſuſcitarūt; ſed ſicut Iouinianus à Pelagianis differebat, non errore, ſed fonte: ſic & ab Anabaptiſtis Lutherani. Pelagius enim Iuſtorum vitam, ex quibus Dei Eccleſiam in hoc mundo perfici exiſtimabat, nullum omninò habere peccatū aſſerebat. Author mihi Auguſtinus *lib. Hæreſeon. Hæreſi* 88. Iouinianus verò gratiam in baptiſmo acceptam amitti non poſſe exiſtimabat, vt Hieronymus in libri ſecundi limine contra illum docet. Lutherus ſolam infidelitatem peccatum eſſe fatetur, ac proinde totam in Fiducia conſiſtere Iuſtificationem. Anabaptiſtæ denique ſola baptiſmatis recordatione remitti peccata dogmatizāt (Hæc dico hæreſeon ſe veram doctrinam contemplando; ſcio enim omnes heterodoxos ita eſſe in ſuis delicijs incoſtantes vt vbi allegantur pro vna ſententia, pro cōtraria etiā poſſint. Sed de hoc alibi.)

104 Videte vnius erroris ſpurij, quatuor aut plures patres, & omnes illegitimos. Eum Prophetarū Oracula, Apoſtolorum monumenta, Patrum doctrina explodūt apertiſſimè. Videatur Bellarminus *lib. de Milit. Eccleſia:* Petrus Soto 1. *part. defenſ. contra Brentium:* Vualdenſis *lib. 2. doctr. Fidei, cap. 8. & 9.* Driedus *lib. 4 cap. 2.* & alij, quos conſultò breuitatis gratia miſſos facio.

105 Corpus hoc Eccleſiaſticum eſt duplex; Regulare, & Sæculare. De hoc alibi: in præſentiarum de Regulari diſputabo. Plura ſunt eaque nobiliſſima encomia, quibus Reſpublica Monaſtica extollitur in ſacris literis. Sepiſſimè. n. dicitur *Regnum Dei: Ciuitas Solis: Domus ſpiritualis: Aula Dei: Schola Veritatis: Caſtrorum acies Puſillus ouium atque agnorum grex: Nauis inſtitoris: Vinea electa. Corpus Chriſti: Reſpublica magna.* Hinc conſtat in hac Republica debere reperiri Præpoſitum, Rectorem, Solem, Patrem-familias, Oeconomum, Magiſtrum, Ducem, Paſtorem, Nauclerum, Vinitorem, Caput, & Magiſtratum.

106 Si conſideretur, quā coronat, & malos ſuſtinet expectans illorum pœnitentiam; comparari poterit *Aræ*, in qua diſcernitur frumentū à paleis, alijſque inutilibus granis: *Arcæ Nohæ* in qua poſt egreſſum corui, quo heretici ſignificantur, animalia mūda & immunda remanſerunt. *Conuiuio nuptiali,* ad quod boni, & mali inuitantur, admittunturque: *Sagenæ miſſæ in mare*, ex omni genere piſcium congregandi: *Ouili*, in quo ſunt oues & hædi: *Decem Virginibus* quarum prudentes, quinque, & totidem fuerunt imprudentes: denique *magnæ domui* in qua quidem ſunt vaſa; ſed alia in honorem, alia in contumeliam.

Hæc eadem Reſpublica, quatenùs monaſticis virtutibus fit perilluſtris, cōparatur *Terræ Santuarij: Ciuitati robuſtarum gentium: Vineæ florenti: Horto concluſo: Fonti obſignato: Officinæ vnguentariæ: ſpeculo præeminenti:* & alijs, quæ Authores grauiſſimi diffusè adducunt.

DISPVTATIO NONA.

De Nomine Μόναχος Nomenclator, Etymon. Voces הגים Χηγνίμ Cinæi ac Μόναχος non diſtinguuntur.

108 CIrca annũ Chrſti CCC.XL. primi ſunt auſi donatiſtæ non de re ipſa, ſed de ſolo nomine cauſari: Quid ſibi vellet hoc nomen Monachorum, doctos interrogabant, vt notat Auguſtinus in Pſalt. 132. & inferiùs: *Nobis dicunt, oſtendite vbi ſcriptum ſit nomen Monachorum*. Hos ſequuti ſunt Hæretici huius ſæculi, licèt eis ſeueriores: illi nomini tantùm inſultarunt: hi autem non ſolùm de nomine auſi fuerunt contra Catholicos contendere, ſed etiam rem ipſam odio acerbiſſimo inſectari.

108 *b* Magdeburgenſes *Centuria* 4. *cap*. 6. Monachorum & monaſterij nomina nouiter excogitata aſſerunt, neque ea vſpiam in ſacris literis reperiri: addunt genus vitæ Monaſticæ non inſtitutũ fuiſſe à Chriſto Domino ſed poſtmodum in Eccleſiam introductum, idque caſu & errore culpabili. Subiungunt primos authores extitiſſe Antonium, Macharium, & ijs ſimiles, poſt annum Chriſti CCC. quibus mòdò poſsum opponere Sanctorum Patrum innumera decreta; ſed non feſtino: repetam igitur rem à ſuis principijs, & de Monachorum origine diſputãs conuincam, ab Adamo in Lege veteri incępiſſe ἰχνογραφίαν Monaſticam Euangelici ædificij adumbrationẽ pe rfectiſſimam. Probabo in lege noua religioſam Rempublicam à Chriſto Domino, & non à puro homine fuiſſe inſtitutam. (*Vide Petri Gal Hiſtoriã Monaſticam, & Pinedæ proœmium in Iob. c. 1. nu. 9.*

109 Celebris illa eſt Cratyli, atque Heracliti opinio relata à Geropio Beano *Hermathena lib.* 1. qui nomina opus eſſe naturæ aſſerebant; vt dicebant rerum propria nomina imaginibus eſſe ſimilia, non ab arbitrio Artificis, ſed à natura expreſſis. Quam ſententiam ſequutus eſt Petrus Nigidius in ſuis commentarijs Grammaticis, qui nomina ediſſerit vi, & ratione naturæ fuiſſe facta. Pugnauit è contrario Hermogenes Platonis magiſter & parmenidis, Pythagoræ ſectator, qui nomina non naturales rerum ſimilitudines, ſed ſigna hominum expreſſa voluntate, à conſenſu proficiſci aſſeruit: ex quo apud diuerſas gentes diuerſas linguas extitiſse, & res eaſdem diuerſis vocari nominibus animaduertimus.

Sed horum omnium ſententias à vero deficere cõmuni calculo docent Philoſophi: Nam ſi prior illa Cratylli eſſet vera, rerum omnia nomina apud omnes gentes eſſent eadem; eſſetque in præſentiarum tota terra labij vnius, & ſermonum eorundem. Si verò è contra teneret Hermogenis placitum, omnis et imologia tolleretur.

110 Socrates virtuti ſtudens & veritati, vtramque reperit in medio: nec nimium nominibus fidendum aſſerens, nec illa omninò contemnẽda, ſunt enim ſymbola elementaria rerum, exprimentia earum aliquas prærogatiuas. Hæc Socratis curioſa opinio licet in omnibus linguis ſit vtilis, præcipuè in Hebræa quæ vtpotè artificioſior, ſic & altiore etymo nominum cauſas inueſtigat. Ergo ex ſancti idiomatis fonte puriſſimo nomen Μόναχος, quod hæretici explodunt exponamus.

Eſt ergo *Monachus* idẽ qui Μοναστὴς Μονήρης, Μοναδικὸς vel Μονάζων, & vt cõmuniter

muniter exponunt, dicitur à Monade, hoc eſt ab vnitate & ſolitudine; quia Monachus ab alus ſegregatus vitam agit in ſylnis ſolitariam. Hæc deriuatio nominis adriſit Caſſiano *collat.* 18. Nicephoro *li.* 8. *c.* 4. *Hiſt. Eccl.* Hugoni *de clauſtro animæ*; quibus adſonat Hieronymus *ſuper Pſalm.* vbi lego: *Si cupis eſſe quod diceris* Monachus, *ideſt* Solus; *quid facis in vrbibus, quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorũ?* Leſſius *lib.* 2. *c.* 4. *d.* 1. *n.* 2. & 17. paulò aliter etymon hoc deducit. Monachum dici exiſtimat illum, qui vacat τῷ Μονάδι, hoc eſt Vnitati, quæ eſt Deus: ſubſcribit Dionyſio *Eccleſ. Hierarch. capit.* 6.

111 Sanè hoc etymon commune eſt, & ſuſtineri poteſt. Sentio nihilominùs vocem Μόναχος ἀπὸ τὸ μονας non deduci; quia ſi hæc eſſet huius vocis origo nõ iam Μόναχος ſed Μοναχὸς deberet dici. Idcirco altiori ſtudio nomen ΜΟΝΑΧΟΣ ab Hæbræo exuo, vt illud χ remaneat radicale. Legerunt ſæpe Græci Iſraelidum libros, & in eis repererunt illos veteres Monachos, qui floruerunt in lege, vocatos fuiſſe חינים Chinim *Cinæos* cùmque ſuo more dextrorſum legerẽt, curioſa metatheſi vſi, vbi חינים viderant *Monachos* protulerunt: tunc enim in eadem conſona, & Hebræus ſi expediatur à punctis, non notat, ſed ſubintelligit vocalia. Conſidera vtriuſque nominis æquipolentiam.

M O N A X.

ח י נ י ם.

m o n i ch.

Radix Μόναχ, ſi ad declinationem reducatur, eſt Μόναχος.

112 Fuerunt חינים *Cinei* Chriſtianorum Monachorum vmbræ, & quaſi pingues, quas perfecit Chriſtus Dominus delineans gratię penicillo hanc imaginem Monaſticam, cuius dotes, perfectiones, & prærogatiuas ſuſpicimus & admiramur.

112 Radix חנם vix eſt in vſu, ſed ex ea habemus חנמון *Cinnamomum*, vt ſcias ab eadem radice & Charitatis cinnamomum, & monaſticas gratias exoriri; quoniam ſtatus Religioſus *Eccl.* 24. ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedit, & quaſi myrrha electa dedit ſuauitatem odoris.

112 c Calami vocantur חנים *Canim* Exod. 25. 31. vnde apud Latinos *Canna Arondinem* Significat. Sed cur in lingua ſancta idem eſt Calamo & Monacho nomen? Reſpondeo breuiter. Monachi nomine dignos ille non eſt, cuius vita non ſit calamus qui exempli minio & Chriſti ſanguine tinctus non ſcribat legem Dei in cordibus vniuerſorum. Non ſolum debes proficere, ſed & prodeſſe.

DISPVTATIO DECIMA.

Fuerint-ne Religioſi aliqui in prædiluuia Eccleſia ante vniuerſalem cataclyſmum?

113 A Mundi infantia, imò ab ipſius exordio fuiſſe inſtitutum monaſticum, Religioſamque militiam, licèt non in ea perfectione, qua nunc viget, manifeſtum eſt. Nam ſi ad primũ omnium Parẽtem oculos vertamus, neceſſitate quadam naturæ ſolitarium in toto orbe terrarum reperimus: quam ſolitudinem à natura ipſa indictam vtpote ſapientiſſimus ad mores reduxit, & æquo animo ferens, fecit (vt in prouerbio eſt) ex neceſſitate virtutem. Non eſt digna ſilẽtio coniux eius amantiſſima Eua, quæ ſicut peccandi fuit occaſio,

ſic indiuidua comes in pœnitentia. Hos igitur vitam pæniscentiam egiſſe liquet. Ab his tanquam à prima origine duæ illæ ſatis & celebres genealogiæ Filiorum Dei, & hominum; duo illi ſpiritualiter hoſtiles exercitus; *Sacer & Profanus*; exordium ſumpſerunt: habuere ſiquidem Genearchæ noſtri duos filios, Cainum & Sethum, quem dedit eis Dominus pro martyre innocẽtiſsimo Abele; à quibus vniuerſitas hominum exorta à Setho, qui *Dei filij*; à Caino, qui *Hominum filij* dicebantur.

114 Quæris cur duæ iſtæ Phalanges tam diuerſis prærogatiuis, nominibuſque fuerint diſtinctæ? Reſponſio ſatis clara eſt & euidens ijs, qui ſacrarum literarum ſtudioſi Paraphraſten Chaldaicum Hyeroſolimitanum legerunt. Is enim *in caput* 4. *Geneſ.* exponens homicidij cauſam, qua exardeſcens Cainus occidit Abelem fratrem ſuum, ait eum dixiſſe: *Non eſt iudicium, nec iudex, nec ſæculum aliud, nec merces bona pro iuſtis, nec pœna pro impijs, nec Dei miſericordia creatus eſt mundus, nec eiuſdem miſeratione gubernatur, eò quòd recepta ſit oblatio tua cum beneplacito.* In cuius verba iurantes Caini ſucceſſores, & poſteri Dei omnipotentiam inficiantes (vt poſt Chriſtum fecere Gnoſtici, Dorboriani, Manichæi, & ſæpe Caluiniſtæ) imò & ipſum Deum contemnentes, & negantes (vt faciunt Athei) mundum non ab aliquo Numine, ſed caſu & fato, (vt poſtea Epicuræi dogmatizarunt) effectum aſſerebāt; à ſua natura, & non ab increata aliqua Cauſa gubernari; Adamum (ſiue quod idem Hebræis eſt, *Hominem*) fuiſſe abſolutam mortalium originem, principiumque: ſeque non à Deo tanquam à primo fonte prouenire, ſed ab Adamo, vel fortè caſu genito, vel fortè ab innumeris maioribus nato, quod vltimum adriſit Ariſtoteli in Phyſicis mundum & hominũ generationes fuiſſe ab æterno deliranti, ideo ab alijs omnibus anathemate meritò damnati, & vt hæretici habiti, *Filij Adami* ſiue *Filij Hominum* denominati ſunt.

115 E contra autem Sethiades dicebant in eodem Paraphraſtæ loco: *Eſt iudicium, eſt iudex atque ſæculũ aliud; merces etiam bona pro iuſtis, & pœna pro impijs: Miſericordia quoque Dei conditus eſt mundus, atque illius miſericordia gubernatur: quia autem maiora fuerunt opera Abelis, operibus Caini, ſuſcepta fuit oblatio illius cum beneplacito.* Idcirco ante Adamum aliud principium ſine principio cognoſcẽtes, huncque non à ſe ipſo, ſed ab alio, hocque aliud (nempe, Numen, Deum) non ab alio, ſed à ſe ipſo credentes, firmiter aſſeuerabant non ſe ab Adamo, ceu à primo principio, ſed à Deo eſſe: cum quibus Latinus Poeta.

Nobis genus à יהוה *Ioue ſummo.* Vnde nomen *Filiorum Hominum* dedignati, *Filij Dei* gloriabantur eſſe, & nuncupari.

116 Cæterùm etſi regulariter loquendo omnes Cainiades, vt doceor ab Apoſtolo Iuda in Epiſt. verſ. 11. 14. & 15. *Fuerint in epulis ſuis maculæ cõniuantes, ſine timore ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ: fluctus feri maris deſpumantes ſuas cõfuſiones, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum:* non eſt creditu dignum nullum ex ijs pium, iuſtum, & ſanctũ proceſſiſſe; ſiquidem ex eodem Apoſtolo ibidem cõſtat, quod *prophetauit de his ſeptimus ab Adamo Enochus dicens: Ecce veniat Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum.* Vbi aliqui putant illud [*de his*] intelligendum eſſe *de hac familia Cainitarum*, ſiquidẽ Caini primogenitus Enochus dictus eſt, & aliquis abnepos potuiſſet etiam eodem nomine appellari: quod ſi vt plures,

Enochus

*E*nochus de quo hic Apoſtolus, ſit Iaredi filius, ex progenie Sethi; & illud *(de his)* non ad genus ſed ad *prophetare* reducitur, ac ſi dicatur de his rebus prophetaſſe, ſemper veriſimile apparet aliquos Cainitas à vitam hæreſin execrantes ad catholicam potuiſſe religionē conuerti. Nec ſine ſcrupulo, nimioque periculo aſſeri poterit omnes Sethiades fuiſſe fideles; quandoquidem varij ſint ſenſus hominum & hęreſis ex mentis errore, & non ex genere oriatur. Vnde dicendum credo non eandem fuiſſe diuiſionē, qua genus humanum in *Filios Dei* & *Filios hominum*, cum illa qua in Sethiades Cainiadeſque diſtribuebatur; ſiquidē non omnes Sethiades *Filios Dei* fuiſſe ſatis eſt credibile, ſed miſerè aliquos in hæreticum errorem, & perfidū atheiſmū lapſos: ſicut è contra ex Cainiadibus aliqui (ex quibus fortè Enochus) vias parentum pe ſſimas, ad veram religionem aſcendentes, relinquere potuerunt. Quamobrem *Filij Hominum* nomen Hæreſeos eſſe, & non Generis, dicendum puto; omneſque ſiue Sethiades fuerint, ſiue Cainiades, dummodò iudiciū, & ſæculum aliud negarint, Adamumque indepēdentem ab alio adſtruxerint, & reliquos errores Cainicos dogmatizarint, *Filios Hominum* dicendos eſſe ſicut è contrario *Filios Dei* nuncupandos, fideles & Catholicos, ſiue a Setho, ſiue ab ipſo Caino deſcēderint, *quia non eſt perſonarum acceptor Deus* (vt in veritate comperit Petrus Act. 10. 34.) *ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam acceptus eſt illi*.

117 Confirmatur, & meo iudicio efficaciſſimè; quia nulla lege poſitiua interdictum erat *Filios Dei* intrare ad *Filias Hominum*: atqui peccarunt ingredientes, vt coſtat ex *Genſ. 6.* ergo erat interdictum iure naturæ: iure autem naturæ ſolùm interdictum fuit ratione periculi, non ratione generis, vt patet: ergo Filiæ Hominum erant non quæ à Caino deſcendebant, ſed atheæ, ſiue à Setho, ſiue à Chaino originem traherent: cum ijs enim tractare, expoſitum erat infidelitatis periculo, quandoquidē amor muliebris eò alliciat, vt ſapientes etiam faciat apoſtatare Salomones. ¶ Hinc conſtat ad diſtinguendos *Filios Dei* & *Hominum* & horum nominum ſignandas cauſas, non eſse neceſsarium Sethum, & Enoſem (quem Enium alij dicunt) à veteribus appellari Deos, vt autumat Cyrillus *contra Iulianum lib. 9.* ſubpreſso fundamento, ſiquidem etiam ſi Sethus & Enos Dij appellati non fuiſsent, qui catholici erant, *Filiorum Dei* titulo debuiſsent inſigniri: atque ideò vitio Interpretum accidiſse reor, cùm in correctiſſimis Græcis originalibus Alexandrini huius Cyrilli reperiantur verba, quæ inferiùs ponam, cum de אנוש Enoſce tractabo *num. 125.*

118 Hoc diſserentis (fateor) mentē agitat promiſſio & reuelatio de Meſſia venturo, facta Euę parienti Cainum iuxta quam dixit: *Acquiſiui virum* את־יהוה Ipſum Dominum: *propter, quod vocauit nomen primogeniti ſui Cainum: id eſt Poſſidonium, ſeu Acquiſitionem*. Quare ergo Deus Homo promittitur in natali Caini impij? Natiuitas Iuſti, quare in peccatoris natiuitate reuelatur? quia originem tracturus erat à Caino? non; Nam licet à pectoribus deſcenderit, non tamen à Caino; omnes ſiquidem Cainiades diluuij aquis erant perituri: ſed à Setho Noha, & ab hoc homines vniuerſi originem poſt diluuium ducunt.

119 Facilè crediderim primis parentibus miſeriam Cainitarum diuinitùs fuiſse reuelatam, & ad temperandum dolorem, quem ex cognitione hęreſeos Cainææ, & poſterorum perditione prę-uiſa conceperant: viſcera illa ſummæ miſericordiæ (quæ dant niuem ſicut lanam, & nebulam ſicut cinerem ſpargunt) in natali impiorum coryphæi, Solis iuſtitię exortum futurum reuelarunt,

vt primi Parentes cognoſcerent, quòd etſi ingraueſcerent peccata, nihilominùs cõcedenda eſset mondo infinitę virtutis medicina, Agnus ſcilicet quẽ Ioãnes aſserit eſse, qui tollit peccata mũdi.

120 Omiſſis igitur phalangibus *Filiorum Hominum*, quibſcum aliquid habere commune, ratione periculi interdicimur; ad Acies *Filiorum Dei* veniamus, quorum nos ſanctimonia vocat, examinanda an regularis, hoc eſt inſtitutis aliquibus ordinata; votis & cæremonijs confirmata fuerit, an non.

121 Adamum verè fuiſse ſolitarium non dubito: cumque eum in toto orbe terrarum, Monacum videam: quidni Monachum aſseram? Quod ſi monachiſmus in virtutibus illis cõſiſtit, quas Deo vouemus: in Adamo etiam vmbrã neſcio quam Monachiſmi, & Religionis inſtituendæ à Chriſto ichnographiã reluxiſse comperio: ſiquidem ipſe totius telluris Imperator, omnium fuit hominum pauperrimus, & in ſudore vultus ſui pane ſuo, ſummo labore acquiſito, veſcebatur: fuit ſanè obedientiſſimus legi, nulli hominum poterat ſubijci: vniuerſi enim iure naturæ ipſi ſubditi naſcebantur, vt patri. Virginitatem obſeruare nec debuit nec potuit, vtpote genearcha potius generis humani quem iuſserat Dominus creſcere, multiplicari, atque terram replere: ſi enim virgo manſiſset, ſpecies humana ſimul in ſuo principio ſortita fuiſset finem, & nos omnes intra poſſibilitatis cancellos deliteſceremus. Cæterùm caſtitatem coniugalem eum diligẽtiſſimè coluiſse manifeſtum eſt, cùm ad ſuas filias illi ingredi ratione matrimonij non liceret, & nunquam aliàs peccaſse reperiatur in diuinis literis.

122. *Vixit autem Adamus* (ait Geneſeos litera, capite 5.3.) *centum triginta annis, & genuit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam filium, vocauitque nomen eius Seth*, quem dedit illi Deus (Geneſ. 4.25.) pro Abele, quem de medio Cainus ſuſtulerat. *Hic* (vt verbis Ioſephi vtar Antiq. lib. 1. c. 3.) *à patre* Adamo *educatus vbi eo ætatis venit, vt iam quid rectum eſſet diſcernere valeret, virtutis ſtudijs ſe totum dedit & cum ipſe vir optimus euaſibit, etiam nepotes ſui ſimiles poſt ſe reliquit*. Sicut Deus Adamum ad imaginẽ & ſimilitudinem ſuam, & hic Sethum in ſua imagine & ſimilitudine, ac proinde Dei, produxerat: ſic etiam Sethus in eadem imagine & ſimilitudine genuit filios, nepoteſque ſimiles diuinæ legi, operationum prototypo, *qui quoniam erant omnes bona indole præditi, & patriam abſque ſeditione incolebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt, & ſyderalem ſciẽtiam & cæleſtium rerũ cognitionem excogitarunt. Ne autẽ inuenta ſua ex hominum notitia dilaberentur ac priùs perirent quàm prænoſcerentur ſcientes Adamum vniuerſalem interitum præcecini ſſe, vnum incendio, diluuio alterum: excitatis duabus columnis vtrique ſua inuenta inſcripſerunt, vt ſi lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, & quæ inſcripta continebat ſpectanda exhiberet: aiunt enim lapideam illam ab iſtis dedicatam, quæ noſtris temporibus extat*.

123 Aegyptij Sethiadũ gloriæ æmuli (author eſt Siculus Diodorus l. 1.) Iſidi, Oſiridiq; conſecrarũt duas alias columnas in quibus geſta inuentaque poſteritati commẽdarent. Itẽ & apud Babylonios *Epigenes ſeptingẽtorũ viginti annorũ*, ait Plinius l. 7. c. 56. *obſeruationes ſyderũ cæleſtiũ laterculis inſcriptas docet grauis author imprimis, qui minimũ Beroſus, & Cricodemus* 480. *ãnorũ, ex quo apparet æternus literarũ vſus.*

Sethus igitur qui *apud homines* (vt oraculum Eccl. 49. 19. teſtificatur) *gloriã adeptus fuit ſuper omnem animã in origine Adami*, religionis, virtutiſque paternæ hæredem, & fautorem genuit Enoſem (Gen. c. 4. 26. & 5. 7.) qui cœpit

pit inuocare nomen Domini: igitur ſicut poſtea Saturnus apud Virgilium:

Is genus indocile & diſperſum montibus altis.
Compoſuit, legeſq; dedit, Numenq; vocare
Maluit, his quoniam ſtatuiſſet Carmen in boris.

124 Is ſanè אנוש Ἐνὼς *Enyos*, & verſo ος in *us* Latinorum more *Enius* (quē *Enos* vulgata appellat ſcriptura) affines ſuos, fratres ſcilicet & illorum filios, & ſi quos ex Cainitis ad ſuum potuit conſilium renocare, in Militiæ ſpiritualis legibus determinatis inſtituit, vt diſcerent literas, quibus & Cainiades impugnare publicè poſsent, & communi ore diuinas laudes perſonare. Qui igitur ſanctiones ipſius אנוש Enij ſequuti ſunt dicebantur, *Aſtra matutina* collaudantia Dominum & letificantia reliquos filios Dei: ad quod alluſiſse certum iudico Iobū *c.* 38. 7. Hos proprio nomine deriuato ab אנוש Enos, אנוש *Enoſios*, vel *Enios*, ſeu quod idē eſt אנשי אנוש *Eſe Enos*, nēpe *Viros-Enos* antiqui vocauerunt; vnde conſtat etymon *Eſenorum*.

125 Enoſis mirandam vitam & raram ſanctitatem cōmendat Cyrillus Alexandrinus lib. contra Iulian. 9. his verbis: *Hic Enos cæpit inuocare nomen Domini Dei; nam quoniam ſumma virtute præditus erat, meritò laudabatur, & vocabulo* θείου *Diuini* (*non autem* θεοῦ *Dei* omiſso ει diphtongo, vt in vſu erat apud ſcriptores veteres euphoniæ gratia, & patet in antiquioribus libris latinis, in quibus nullę diphtongi reperiuntur) *ab his qui tunc erant honoratus eſt, nominatus eſt enim* θεῖος Diuinus (non autem θεός Deus) *omnis iuſtitiæ & virtutis exiſtens ſtudioſus. Propagatū autem eſt & ab illo genus vſq; ad Noæ tēpora, qui erat iuſtus, ſecundū quod ſcriptum eſt de illo. Igitur genus quod ex Cain paternos mores imitatur: nefariam & abominabilem imitando vitam, qui verò ex Enos nati, cui nomen erat* θεῖος, *Diuini vſque ad Noæ tempora, genitoris ſecuti ſunt veſtigia, boni ſcilicet & iuſti. Et cur non tales clareſcerent? neque enim erant promiſcua genera, & ſeparabantur à prophanis pueri, quos & filios vocabant* θεοῦ *Dei, erant .n. vt dixi, de ſanguine Enos, qui cognominabatur* θεῖος Diuinus, hoc eſt *Filius Dei*. Hæc ille; quibus ſatis confirmat ea quæ diximus in ſuperioribus.

126 Filios autem Dei, qui ſingulari prærogatiua præditi, abrenunciantes ſęculo ad Enotis phalangem confugerunt, & ſe eius obſtrinxerūt inſtituto: אנושים *Enoſeos* dici ex pluribus ſacræ paginæ locis liquidò conſtat, & 1. Geneſeos 6. 4. vbi eorum commendatur antiquitas, & ab initio fuiſse dicuntur his verbis: *Iſti potentes, qui fuerunt à ſæculo* אנושי *Enoſii* השם *nomine*. Sic vertit Bolducus *l.* 1. de *Eccl. ante leg. c.* 8. ex quo veniūt plures loci ſacrę pag. intelligēdi huc uſq; obſcuri, quia pro monachis, & Enoſæis, *homines* in genere transferebamus.

DISPVTATIO XI.

De honorificentiſſimis Filiorum Dei nominibus à varijs gentibus impoſitis Sethiadum congregationi.

127 CReuit Religioſorum numerus viuente Enoſe, & ideo opus eſt illos diſtinguere in diuerſas claſses. Perennarunt ad diluuium vſque, licèt iam tunc & obſoleta obſeruantia, & degeneres mores. Superuenit vindex Iuſti-

tia

tia Dei, & vniuerſali cataclyſmo terribilis vniuerſam tellurem inundauit. Nohæ lachrimæ ex charitatis igne dimanantes, fauores impetrarunt diuinos, & terram vſurpatam ab immenſis oceani fluctibus tandem recuperarunt. Egreditur Noha longis emenſis mariibus, & ſalutat tellurem orphanam nouus hoſpes, incola ſingularis. In ſua familia cultum Dei inſtituit, & auitam Religionis obſeruantiam collapſam reſtaurauit. Creſcente hominum numero & deuotione, Religioſorum ordines multiplicati ſunt. Iuuat expendere eorum nomina, & ritus charactericos apud nationes varias. Religioſi à Moabitis cognominabantur אמים *Aemim*, ab Amonitis זמזומים *Zamzumim*, à Cananæis רפאים *Raphaim*, ab Hametis, זוזים *Zuzim*, ab aliis רכבים *Recabim*, ſæpè נפילים *Nephilim*, multotiès חסידים *Aſidim*, etiam קינים *Cainim*, *Cinæi*, & metatheſicōs *Monachi*, à Paleſtinis נזרים *Nazaræi*, & ab Hiſpanis noſtris פנים *Panim*. Hoc nomen vltimum licèt minus cognitum, eſt radius multis ſacræ paginæ locis intelligendis, ſed de eo in meo Hiſpano-ſtemmate ex profeſſio: nunc breuiter reliqua nomina explicabo.

De prima Religioſorum congregatione poſt diluuium, qui vocabantur אמים Aemim.

128 TRansfertur humanum genus in Armeniam, & inde in Babyloniam poſt annos aliquot. Confuſo in Babylone labio per orbem terrarum diffunditur. Diſtinxit culpa homines in varios populos dialecto diſſidentes: religio & deuotio in cultum vnius Dei cōgregauit. Colebant vnum Deum, ſed ritibus & ceremonijs inęqualibus, & hoc in cauſa, vt poſt annos paucos florerent plurimæ Religioſorum hominum Congregationes. Sunto *Aemei* primi, quorum ſtatus explicetur. Audiunt hi Religioſi אמים *Aemei* ab אם *Em*, quod licèt *Matrem* ſonet ſatis communi receptione (vt patet in Hierem. 15.8. Thargumica verſione) *cætum* tamen *conuentum*que, & ſecundum R. Dauidem, *Gentem*, *Familiam*, *Poſtem*que ſignificat; vnde ab אם *Em*, אמי *Aemeus*, erit *Conuentualis*, *Gentilis*, *Familiaris*, *Stilites*, *Liminaris*, *Oſtiarius* &c. quòd ſi ab אמה *Ama*, hoc eſt *ancilla* deducatur, *ſeruus* interpretari poterit: *Diffinitor* autem ſeu *menſurator*, ſi ab אמה *Ama*, hoc eſt *Cubitus*, *menſura*ve etymon traxerit.

Horum Aemim mentionem facit Menander nunquam hactenus ab vllo ſatis explicitus his verbis.

Ἐρ αμεν ἔμβρων γαῖα

Transfert Pierius lib. 37. *Amore tellus imbrium perurititur*, neſcio quid cauſæ; ſed ego melius: *Terra Aemen ſeu Aemeorum terra imbrium*, hoc eſt *doctrinæ*, vt patet ex præcedentibus: inibi .n. *ἔμβρων imbrem* metaphoricè pro *doctrina* ponit, vt fecit Virgilius in Ecloga, cùm Palæmon Damœtæ & Menalcę auditis verſibus admirans ait:

Claudite iam riuos pueri, ſat prata biberunt.

Aemęi igitur *Conuentuales* dicuntur ſicut noſtri Monachi, eò quòd in conuentibus & cœtibus communione, & ſocietate habitarent, eadem ratione qua apud S. Benedictum Monachi, qui in Monaſteriorum clauſtris habitant. *c.* 1. Regulæ Cœnobitæ fortiſſimi appellantur.

Gentiles & *Familiares* dicti antonomaſticè, eò quòd in opinione omnium præcipui ſint inter alias familias, genteſque.

Stilites ſunt dicti, vt Simeon, à ſtando, ſiquidem *στύλη columna* eſt, eò quòd in ſacris Aemei ſtarent, ſtantibuſq; manibus, hoc eſt extenſis, pſallerent; quem ritum poſtea Aegyptij ab eis mutuati ſunt, apud quos Sacerdotis, & viris ſacris initiati inſigne fuit hieroglyphicum Cynocephalus ſtans extenſis manibus & co-

coronatus, Deam Phœben, quia illis ſummo in honore fuit, adorans. Hinc Romani Iouem adoraturi ſtabant, vt conſtat ex Martiale:

Multis dum precibus leuē ſalutat
Stans &c.

ritu ſumpto ab Aemæis. Hoc ſenſu intelligenda veniunt plurima loca, in quibus ſacræ nos literæ ſtare iubent, hoc eſt Deum adorare.

129 Dicebantur præterea hi ſanctiſſimi viri *Aemæi*, quaſi *Oſtiarij*, & *Liminares*; ædes ſiquidem extra muros habebant, vt hodie etiam Clauſtrales Monachi, & patet ex Geneſ. 14. 5. vbi: *Venit Chedorlahomer, & Reges qui cum eo, & percuſſerunt Rophaim in Aſteroth Carnaim, & Zuzim in Ham, & Aemim in Sane-Chiriathaim*. Reliqui ſanè occiſi ſunt in ciuitatibus, Raphaimi in Aſterotho-Carnaim, Zuzimei in Hama, Aemei verò non in vrbe Chariathaima, ſed extra illam in illius *Saue*, quod vt conſtat ex eadem Geneſ. 14. 17. erat vallis extra ciuitatem, quæ vocabatur *Vallis Regis*, cuius nominis formā ſequutę ſunt congregationes noſtri temporis Monachales, præcipuè Ciſtercienſes, quarum Monaſteriorum nomina à Valle deriuantur, vt *Vallis-bona* & *Bona-uallis*, *Vallis-Eccleſiarum*, *Vallis-Paradiſi*, &c. in Hiſpania; in Gallia, *Clara-vallis*, *Aurea-vallis* in patria Luxemburgenſi. *Specioſa-vallis* in Germania, & multa alibi.

130 A Laicis habebantur in dubijs, ceu *Diffinitores* & *iudices*: & denique ſummo ab omnibus honore afficiebātur.

Hinc notandum duxi, paucos illos Milites, qui ex Gedeonis exercitu fuerunt ſelecti, fuiſſe Aemæos, quod vel ex ſitu colligi poteſt, cùm biberunt in fluuio diuinitùs iuſſi; reliquum enim vulgus bibens recubuit, illi verò iuſſa Dei & ritus auitos conſeruantes, opus à Deo mandatum ſtantes executi ſunt; vnde idem fuit iubere Deum Gedeoni ſtantes ſeligere, ac Aemeos: in horum enim virtute dignatus fuit illi tradere ciuitatem.

131 Ex voce אמים *Aemim* Græci aliquas deriuant, quarum etymon aliunde difficile fuiſſet deducere, tales ſunt.

ἀμεμπτὸς, *Irreprehenſus ſpecie decorus*. Quod Aemæi vitam irreprehenſibilem agerent, & morum vitæque ſummam elegantiam haberent.

ἀμεμφης *Inculpatus*, hinc ἀμεμφία *factum irreprehenſibile*. Ob eādē causā.

ἀμιλωδικὸς *occurſu difficilis*, eò quòd Aemæi difficulter reperirentur, ſiquidem Deo vacantes nuſquam per ciuitates vagabantur.

ἀμιμητοβιὴς *Aemeus vita*, hoc eſt vita imitabilis. Aemæi ſiquidem fuerant imitatione digni.

ἀμύμων *inculpatas*: ille nempe, cuius vita reliquis eſt inſtitutioni.

αἰμοιæmi dicuntur *ſaltus*, *loca nemoroſa* & ſimilia: eo quòd Aemei in vallibus & ſaltibus habitarent.

αἴμων *peritus*, quia Aemæi Magiſtri fuerunt reliquorum.

Quibus ſunt ſimiles aliæ plures, quas eſſet ſuperuacaneum recenſere.

132 Licèt Aemeorum conuentus pluribus in locis fuiſſe crediderim, ex ſacris tamen literis conſtat illos ędificaſſe cęnobium in eo loco, in quo poſtea ciuitas ער *Ara*; colligo ex Deuter. 2. nu. 9. vbi *Non pugnes contra Moabitas*, ad Moyſen dixit Dominus, *neque ineas aduerſus eos prælium: non enim dabo tibi quidpiam de terra eorum, quia filijs Lothi tradidi Ar in poſſeſſionem: Aemim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus & validus*. Eſt ergo ער *Ara* vrbs Moabitarum perquam celebris in ſacris litteris.

Præter Aram, inhabitabant *Vallem Chiariathaim*, hoc eſt *Vallem lectionum*: nec alius Aemeis locus in ſacra pagina determinatur. Sed cur *Vallis lectionum* illorum dicebatur cœnobium: Reſponſio in promptu eſt: quod profiterentur phyſicas & theologas ſcientias illaſque diſcipulis pręlegerent, vt & hodie

die in multis monaſterijs facimus.

De זמזמים *Zamzumæis.*

133 Sicut Monachi à Moabitis אמים *Aemei* appellabantur (Deut. 2. 10.) ſic etiam peculiari vocabulo à Chananæis, (Deut. 2. 20.) cognominantur זמזמים *Zamzumim*, cuius etymon, ſignificantiamque *inueſtigare* opus eſt in præſenti. Dicuntur ergo זמזמים *Zamzumim* à verbo frequentatiuo זמזום *Zamzum*, quod eſt *Multis vicibus contemplari*, eius enim radix זמם *Zamzam, contemplari, ſpeculari, cogitari*que ſignificat; vnde זמזמים *zamzumim*, ſiue *zamzumæi* potuerunt dici quaſi *contemplatiui* eo quod cœleſtibus contemplandis rebus vacarent, in quo conſiſtit ſtatus vitæ perfectiſſimus.

Porrò Contemplatores iſti habitauerunt olim in terra Ammonitarum, vt conſtat ex Deut. 2. 20. vbi: *Non dabo tibi*, aſſerit Dominus Moyſi, *de terra filiorum Ammonis, quia filijs Lothi dedi in poſſeſſionē, terra Raphaimorū reputa eſt, et in ipſa olī habitauerūt Raphaimi, quos Ammonitæ vocant Zāzumeos.*

De רפאים *Raphaimis.*

134 Quos Ammonitæ dicebant Zamzumimos, hos & Raphaiſmos appellabant Cananæi Gen. 14. 5. quaſi *Medicos*, & *Curatores*: mederi enim animabus, & inſtaurare religionem & fidem, erat illorum inſtitutum: ſic dicti à verbo רפא *rapha*, quod *mederi, ſanare, inſtaurare*que ſignificat, à Græcis fuerunt cogniti, & in magno honore habiti, vnde ῥαφαισὶν, hoc eſt *raphaimari*, vel *raphaimum fieri*, pro eo quod eſt, *purum eſſe* & *caſte viuere* vſurpabant. Aliàs à Græcis Κυβῆτες dicti, hoc eſt *curatores*, & ab Hiſpanis ex ſimili ratione *Curas* dicuntur, qui curam habent animarum. Inter alias cæremonias & ritus, ignem Deo vigilem ſeruabant æditue ntes, inde *Repizare*, Græcè ῥιπίζειν *ignem accendere*. A Philone Ραπεῦται; vel potius addito θε augmenti nota θεραπευταὶ appellantur, quia Græcè θεραπεία eſt *cultus, obſeruantia, medicina, curatio*; idem ferè θεράπευμα & θεραπευσία, vnde θεραπευτὴς ſeu θεραπευτὴρ, *cultor, medicus, ſanator, ſupplicator*, eò quòd ſupplices Monachi iſti orarent. Sic quoque apud Aeoles Γύφα eſt *incuruum, inclinatum*: vel quod ipſi inclinati rem ſacram agerent, vel quod tanti vt ab alijs deberent inclinatione & reuerentia coli. Cūq; in magna veneratione Raphici haberētur, hinc factū vt p ampliationē quidqd fieret magni, dictū ſit ἀπιχον, vel potius ἄπικον. & Ράπες *ſyluoſæ plantæ*, & per tranſlationem *ſyluani*. De his igitur The-rapeutis ſeu Raphaitis agit Philo de vita contemplatiua his verbis: *Septimo die conueniunt in calū communem, & iuxta ætatis ordinem conſidunt decenti habitu, manus continentes ſub pallio, dexteram inter pectus barbamque, ſiniſtram applicatam lateri: tum progreſſus in medium natu maximus, & dogmatum eius ſecta peritiſſimus differit vultu ad grauitatem compoſito, voce moderata* &c. Et poſtea: *Tum ille adſurgens hymnum in laudem Dei primus canit, aut recens à ſe compoſitum, aut deſumptum ab aliquo vatum veterum: extant enim huius generis carmina priſca verſu trimetro, & hymni cum ſuis accentibus* (ſic vocat noſtras muſicas) *inter ſacra canendi ante altaria vel à ſtantibus, vel à choreas ducentibus, moderatis varijs flexibus & reflexibus* &c. Et infra. *Vbi omnes conſurrexere, duo chori fiunt in medio cænaculo, alter virorum, alter fæminarum, cuique ſuus Incentor præficitur honore præſtans, & peritia canēdi: deinde cantat hymnos in laudem Dei compoſitos varijs metrorum carminumque generibus, nunc ore vno, nunc alternis, non ſine decoris & religioſis geſtibus atque accentibus, modo ſtantes, modo prorſum, modo retrorſum paſſum mouentes, vt cumque res poſtulat. Deinde poſtquam vterque chorus ſeorſum expleuit ſe his delitijs, velut amore di-*

uino

vino ebrij, vnum chorum faciunt promiſcuum, ad imitationem illius olim inſtituti in rubri ſinus littore, quando correpti numine viri pariter ac mulieres in vnā choream conglomerati hymnis gratias ſeruatori Deo canebant, præcinente viris Moyſe Propheta, Mariamne verò Prophetide hymnis, ad horum maximè imitationem hic Therapeutarum Therapeutidumque chorus compoſitus, & mixtis ad graues virorum, acutis fæminarum vocibus concinne temperatus, concentum reddit ſuauiſſimumque vereque muſicum.

135 Ad hos alluſiſse credidero veteres in fabula illa celebri Curetum (quos alij Idæos Dactylos & Chorybantes nominant) qui ex eorum ſententia Iouem aluerunt, & tinnientibus clypeolis & ſiſtris, eius vagitus celarunt, ne audirentur à patre Saturno. Locus certè ſub myſtica curioſitate intelligēdus de Natiuitate Chriſti ab Eccleſia Catholica hymnis & pſalmis celebrata, quib. puellum celat Eccleſia, dum illius apud nos manſionem impetrat, & ſententiam à Patre illatam de morte ſubeunda per aliquos annos differri expoſcit, non quod eum Pater ille ſummus non viderit, cum illi nihil occultum eſse poſſit; ſed quia pijs Eccleſiæ precibus flexus ſeſe in ſpeciem non videntis geſſit, prolatamque ſententiam diſtulit in trigeſimum & vltra à natalitijs annum. Locus alibi vberiore calamo illuſtrandus.

De זוזים *Zuzimæis.*

136 Ab Hametis (vt doceor Gen. 14. 5.) qui Militiam ſpiritualem profitebantur, & religioſam agebant vitam, dicti ſunt זוזים *Zuzimæi*, habitauerunt; in ciuitate Ham. Eſt ergo Ham illa quæ poſtea Ioſ. 1. 32. dicta fuit *Hamathdor* non rarò *Emat*, & poſtea *Epiphania*, de qua Hieronym. de locis Hebr. ait: *Emat in Eſaia Damaſci ciuitas, quam oppugnauit Rex Aſſyriorum, quæ nomen dedit regioni Emath, quæ poſt montem Libanum verſus Euphratem extenditur.* In hac ergo ciuitate fuit collegium celeberrimum Zuzimæorum.

Dicuntur igitur זוזים *Zuzim* à radice *mezuz* inuſitata, ex qua ſolum reperitur nomen מזוזה *mezuza, Poſtis, Columna*; eo quod apud Hametas ceu columnæ, poſteſque auitæ religionis, & cultus haberentur. Sibi vimineas & ramoſas domus parabant belluarum inſtar, quæ ex ſuo nomine apud Græcis *τὰ Ζασσάρια* ſunt dictæ; ſoli viuere dicebantur, quia viuebant Deo; & ideo *viui vitaleſq;* zozimi appellabantur Græcè *Ζώσιμοι* veſtis erat præcincta, vnde Ζώζις, & Ζῶσμα cingulum cæpit appellari.

De נפילים Nephilimis.

137 Reperimus Gen 6. 4. & Nu. 13. 34. & forſan non alibi, nomen נפילים *Nephilim*, de cuius ſignificantia magna eſt apud authores controuerſia. Omnes in hoc conueniunt, quod deducatur à radice נפל *naphal*, ideſt *cadere*, & cōſequenter eos eſse *Gigantes*; quod ante eos reliqui timore territi cadere viderētur, ita Brixianus, Pagninus, & alij; ego potiùs *cadentes* dixiſsem quàm *Gigantes*; & hoc ſignificato radicis magis proprium & congruum eſse credo; eò quòd eorum ritus & cæremoniæ in diuino cultu in proſtrationibus conſiſterent. Cæterum non incongruè נפילים *nephilim* non à נפל *naphal*, ſed à *Phala*, vel potiùs פלי *phali* poſset oriri, quod ſonat *ſeparari*; ſic dicti, quia à commercio & ſeculari vulgo erant diſcreti, vt monaſticè melius, commodiuſq; diuinis laudibus vacare poſsent.

Tot huic Nephelimorum inſtituto ſubſcribebant, vt hominum piſcatores dicerentur & eſsent, vnde ex eorum nomine Νεφελὴ *rete tam auiū, quā piſcium.*

Ob aliarum rerum cognitionem *Nubes* ſunt appellati; vnde apud Græcos, Νεφελὴ Νεφέλιον Νεφελῶδον. Νεφος *Nubes & Nubila* ſignificant, ea ipſa de cauſa, qua apud Gregorium Sancti omnes *nubes* & *exhalationes* nominantur,

Hinc

Hinc facilis intellectu Iſaias ca.6. apud quem lego: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes* (hoc eſt vt Nephilimi) *tranſuolant: & quaſi columbæ ad cellas ſuas?* locus alibi vberius explicandus.

Nephileus, vel ν νόφολος, dicebatur *Sacerdos*, & *Æditus* poeticè apud Græcos ſumpta metaphora, vel denominatione à Nephilimis.

De חסידים *Aſidæis*.

138 Aſidæi non à Diuini cultus aſſiduitate dicti ſunt, vt perperàm voluerunt Rabanus & S. Thomas; ſed à radice hebrea חסד *Aſad pium & miſericordem eſſe* ſignificante. Ideo *Aſidæi* quaſi *Pij*, & *Miſericordes*; vnde apud ipſiſſimos Hæbreos ciconia, quam Petronius Arbiter Pietatis cultricem & miſericordiæ ſimbolum eſſe dixit, iuſta de cauſa ידה חס *Aſida* nominatur (vide Ioſephum de Aſideis *lib.* 12. *c.* 16. & Baron. *to.* 1. *fol.* 719.) Sic vbi *in Pſal.* 78. *&* 1. *Machab.* 7. dicitur: *Carnes ſanctorum tuorum, & ſanguinem ipſorum effuderunt in circuitu in Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret*; hebraicè legitur *carnes* חסידיך: *Aſideca Aſidæorum tuorum &c.* Genebr. *Sancti*, ait, *hoc loco vocantur profeſſione religionis & fidei, non tantùm ratione fidei & morum*. Ad probandam etymologiam nominis habeo *ex* 2. *Machab. l. cap.* 14. locum efficaciſſimum, vbi cum ſermo eſſet de Racia, dicitur ſic; *Erat iſte de viris* חחסידים: *A-Aſidim, ipſiſſimis Aſidæis, ſiquidem probatus fuerat in diebus Antiochi, & inuentus eſt perfectus, quòd acceperit in ſeipſo plagas, & verbera multa:* quo in loco ex eo colligit Aſidæum eſſe, quod cùm probatus fuiſſet, perfectus fuerit adinuentus.

139 In choro vtebantur muſicis inſtrumentis præcipuè cithara, quæ de eorum poſtea nomine *ἀσίας* eſt nominata, alias *ἀσίατις*. Omnis armorum ipſis vſus interdicebatur, vnde inermes *aſidæi* dicti, Græcè *ἀσίδηροι*.

Incogniti etiam audiebant *aſidæi*, græcè *ἀζύνδηλοι*, eò quod ipſis extra ciuitates habitantibus nullum aut rarum cum ſæcularibus eſſet commercium.

Fœminarum abominati ſunt vſum, & vitam omnes agebant cælibem, vnde venit in prouerbium, vt innupti *Aſidæi* dicerētur, græcè *ἀζωυδῆλοι ἀζωυδίασοι*.

De הינים *Cinæis*.

Cinæi, quorum fit mentio in ſacris literis, Religioſi ſunt exorti à הינן Cainane Enoſis filio, qui mortuus eſt n. 179. vitæ Nohę. Inter alios huius conuentus celebres & perilluſtres viros adnumerari ſolet ſocer Moiſeos. *Iud.* 16. *Et filij Cinæi ſoceri Moyſeos*, item & Heber, in cuius familia cum Religione auita, auita etiam lingua permanſit. Sic *ibid.* 4. 31. *Porrò Heber Cinæus auulſus eſt ex Caina*. Diſceſſiſſe eum ab Amalechitis legimus. 1. *Sam.* 15. 6. & 1. *Paral.* 2. 54. Cinæorum origo deſumitur ab *Amath*, quod inibi prius habitauerint. Hos eoſdem eſſe ac Monachos, imò & ipſiſſimum ſortiri nomen iam vidimus num. 111.

Præter hos Religioſos floruerunt etiam Recabitæ, Nazarei, Eſeni & Prophetarum filij, de quibus iuuat in ſingulari diſputare.

DISPVTATIO XII.

De רכבים Recabitis.

140 Recabitæ exempla caſtitatis fuerunt adoleſcenti mundo, conceſſi cælitus ad reformationem vitę, & morum. Nec deſunt graues ac ſubtiles authores, qui Dei mirentur conſilium in priſca hac pietate & continentia religioſa, quam filijs Sethi diuinitus communicauit. Noham noui orbis genearcham & conditorem conſtituit: In arcam (erat nauis clauſa) ingredi iubet, & in ingreſſu viros à fœminis diſcerni voluit, vt habetur Geneſeos ſeptimo: *Ingreſſus eſt Noha & filij eius: vxor eius & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij*. Noha eligit ſibi ſocios & Comites Semum, Hamum & Iapetum: ſuos filios: horum vxores, pediſequæ ſunt vxoris Nohæ. Separantur ab inuicem in ipſo introitu, vt palam fiat propter incontinentiam & inceſtuoſos concubitus hanc cladem ſuperuenisſe toti orbi terrarum: cognoſcerentque ſibi ab huiuſcemodi criminibus eſſe cauendum, ne poſtea & ipſi cenſerentur rei, ſimilique ſententiæ ſubiacerent. Sed quia reliqui diluuio perierant, ipſa natura generis humani conſeruationem poſtulante, non viri, cum viris, & mulieres cum mulieribus, ſicut fuerant ingreſſi, egrediuntur: ſed viri cum mulieribus exeunt: *Egredere* (indicitur ipſi à Domino Geneſ. octaua) *de arca tu, & vxor tua: filij tui & vxores filiorum tecum; & ingredimini ſuper terram. Creſcite & multiplicamini ſuper eam*. Annotauerunt hoc ſatis ſubtili calamo Ambroſius *de Noha, & arca ca.* 21. Petrus Comeſtor *in Geneſ. cap.* 35. & Hieronymus Iouinianum religioſæ inſtitutionis acerrimum inimicum, adoriens his verbis. *Quando Noha ingreditur in arcam tam ipſe quàm filij eius ab vxoribus ſeparantur, quando verò egreditur in terram, iunguntur paria; & quod in arca ideſt in Eccleſia, fuerat ſeparatum, in mundi conuerſatione ſociatur*. Ita *contr. Iouin. libr.* 1. Vide locum ex Beda ſatis pulchrum, quem expendit Vvaldenſis *lib.* 3. *artic.* 1. *cap.* 11. *fol. mihi* 421.

141 Moyſes Sephoram Madianitidē vxorem duxerat, & poſtquam in monte Dei Oreb rubum ardentem ſuſpexit, qui Eccleſiæ militantis erat ſymbolum, calceamenta deponit & affectus exuens terræ adhærentes, reliquum vitæ cœlebs tranſigit. Hanc hiſtoriæ circumſtantiam acutè illuſtrat Epiphanius hæreſ. 78.

¶ Idem de Ioſue docet Hieronymus, *lib.* 1. *contra Iouin.* Conſule Vvaldenſem *lib.* 3. *art.* 1. *cap.* 5. Genebrardum *in Chronogr. fol.* 124. Bellarmin. *lib.* 2. *de Monach. c.* 21.

Recabitæ caſtitatem colebant integerrimè, quam illuſtriorem reddebant ſubiectione voluntaria, & contemptu rerum vniuerſarum. Extant plurima teſtimonia, quæ ſatis clarè exprimunt ipſorum ſinceram caſtitatem. Tam obedientes fuerunt ſuis legibus, vt nec in minimo auderent eas præuaricari. Nam cum Hieremias cap. 35. ex indicto Domini illis vinum propinaſſet, illi validiſſimè recuſarunt dicentes; *Ionadab filius Recab pater noſter præcepit nobis dicēs. Non bibetis vinum vſque in ſempiternum, domum non ædificabitis, ſementē non ſeretis*, vbi gloſſa, *tanquam cogitantes de craſtino*, & rurſus, *Vineas non plantabitis, vt viuatis multis diebus*, gloſſa, *in conuerſatione ſanctæ vitæ*, ex quo Abulenſis colligit *in cap.* 2. *libr.* 1. *Paral. p. cap.* 21. Recabitis obſeruaſſe rigidam rerum penuriam & voluntariam pau-

paupertatẽ; fuiſſe cœleſti contẽplationi deditos, à carnis voluptate abſtinuiſſe: ac propterea addit eos fuiſſe illo tempore religioſos noſtris Monachis ſimiles, quorum inſtituto ſunt hæ tres virtutes eſſentiales.

142 Rabanus relatus à Gloſſa expendit Recabitarum mores verbis digniſſimis: dabo illa ne iudicer lectori iniurius: *Myſticè Recabitæ ſignant eos qui deſiderio perfectionis tranſcendunt mandata legis. Iuſti enim quibus non eſt lux. poſita, ſic probantur non eſſe ſub lege, ſi iuſtas leges non ſolum implere, ſed etiam ſuperare contendunt, vt debitis voluntaria addant. Hinc Abraham, quæ iure ſibi victoriæ debebantur, ipſo cuius ſpolia retulerat, ſuppliciter offerente, noluit accipere. Hinc Dauid perſequentur id fleuit. Hinc Elias & Hieremias virgines permanſerunt. Hinc filij Ionadab (ipſi ſunt Recabitæ) propter obedientiam patri exhibitam, à Domino laudantur, & futura eis bona promittuntur, qui offerre decimas poſſeſſionum non contenti, imò ipſas poſſeſſiones reſpuentes, ſuas animas Deo obtulerunt.*

134 Audiamus & Hieronymum Ep. 13. quæ eſt ad Paulinum, vbi ſic: *Si cupis eſſe quod diceris Monachus, ideſt ſolus etc. Habemus propoſiti noſtri principes Paulos, Antonios, Hilariones, Macarios, & vt ad ſacrarum ſcripturarum authoritatem redeam, noſter princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinis, & faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Iordanis. De his ſunt illi filij Recab, qui vinum & ſiceram non bibebant, qui morabantur in tentorijs, qui Dei per Hieremiam voce laudantur.*

144 Supereſt oſtendere Recabitas fuiſſe in lege naturæ, cuius contrarium ſentit Abulenſis, quem ſuperius citaui. Hæc hominum ſodalitas originem duxit à Raguele Moyſeos ſocero, cuius filiam Sephoram Moyſes vxorem duxit *Exo.* 2. Hunc plura habuiſſe nomina conſtat ex ſacra pagina: nam noſter Vulgatus, Litera Hebrea & Chaldæa *Exod.* 2. ipſum appellant Raguelem: ſed *tertio & decimo octauo capite* dicitur Iethro, quapropter D. Hieronymus *contra Heluid.* illum binomium fuiſſe credidit. Ioſeph. *Antiquit. lib.* 2. *cap.* 2. aſſerit eum proprio nomine dici Raguelem, ſed cognomento Iethro; ita ipſum appellant Seniores LXXII. *Exod.* 2. Dicebatur etiã Cinæus *num.* 24. *& Iud.* 1. quia fuerat de Cinæorum ſanctiſſima congregatione. Ideò author Hiſtoriæ Scholaſticæ *cap.* 7. cognomen illius dicit fuiſſe Cinæum, agnomen Iethro: tria enim nomina illi adſcribit. Nec approbo Lyrani & Abulenſis opinionem aſſerentiũ ipſum vocari Hobab: quia Hobab non fuit ſocer Moyſeos, ſed affinis, nempe filius Raguelis, vt patet *Num.* 10. vbi his dicitur fuiſſe apud Moyſen prope montem Sinai, & coactus Moyſeos vrbanitate legitur aſcendiſſe & deſcendiſſe cum populo. Iethro autem Moyſeos ſocer *Exodi* 18. reuerſus eſt in domum ſuam. At dicunt, Hieronymum de locis Hebraicis Hobab vocaſſe Moyſeos ſocerum: fateor equidem, ſed librum illum Hieronymum potius interpretatũ fuiſſe, quam edidiſſe manifeſtum eſt: fuerat enim Græcè conſcriptus ab Euſebio. Hinc autem in hac circumſtantia falli, conſtat expreſsè ex ipſiſſimo Bibliorum textu. Quia *Num.* 10. 29. Hobab dicitur filius Raguelis Madianitæ cognatus Moyſeos. Raguel autem ipſe qui Iethro Moyſeos ſocer. Hunc Iethronem magna prudentia præditum, Nyſſenus aſſerit *lib. de Moyſeos vita*, claruiſſe profundiſſima mente ad hominum ingenia cognoſcenda: quæ mentis virtus naturalis, illi tranſnaturali erat ſimilis, quam ſpirituum diſcretionem vocamus.

145 Inſtabis forſitan: Eſtò Iethro quem velint: quid huic commune, &

Reca-

Recabitis? vnde conſtare poterit eos originem traxiſse à Iethrone, & ad naturę ſtatum pertinere? Conſtabit id expreſsè ex ſacris literis, ex quibus adducam vnũ vel aliud teſtimonium ſententiam meam demonſtraturum. In capite primo Iudicum hæc legis; *Filij ergo Cinæi aſcenderunt de ciuitate Palmarum, quæ eſt Iericho, cum filijs Iuda in deſertum ſortis eius, quod eſt ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo.* Hos autẽ Cinæos fuiſſe poſteros Iethronis patet ex libri eiuſdem quarto capite. *Haber autem Cinæus receſſerat quondam à cæteris Cinæis fratribus ſuis filijs Hobab cognati Moyſeos.* Hobab eſse Iethronis filium conſtat ex dictis, Iethronem autem fuiſſe Recabum vnde & Recabitæ, liquet ex 1. Paralip. 2. vbi ſic dicitur. *Hi ſunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domus Recab.* Conſtat igitur Iethronem fuiſse ex ſocietate Recabitica, aut inſtitutorem, vt reor; aut, ſi malis, ſub illa inſtitutione militantem. Quod ſi hoc ſecundum aſseratur, adhuc Iethrone antiquior remanet Recabitarũ congregatio.

DISPVTATIO XIII.

De נזרים Nazaræis.

146 PEccatum malum naturæ eſt; ideo naturalis lex dictat Deo ſeruiendum eſse, & nemini eſse licitum procedere contra illius præcepta & voluntatem. Rationalis natura originali culpa, temporum duratione, exterioris hominis vitio aliquomodò turbata eſt. Hinc natæ ſunt variæ hominum ſententiæ & opiniones, & ſecundum diuerſa dictamina variæ ſectæ, & ritus colendi Deum. Cæterum licèt aliæ hominum inſtitutiones ab hominibus fuerint inuentæ; Nazaræorum ſodalitas non ab homine, ſed à Domino inſtituta, aut ſaltem confirmata eſt. Tene textum expreſsum in lege diuina Numer. 6. in qua ritus & obligationes Nazaræorum explicantur: *Vir ſiue mulier cum fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt.* Vbi verbum פלא *pala* ſignificat *mirificare*, vnde ſic habent Regia. *Vir ſiue mulier cum mirificauerit vouendo votum*; & Oleaſter. *Vir vel mulier cum mirificauerint ſe ad vouendum votum Nazaræi.* Profeſſionis tempore à vino & alijs voluptatibus abſtinebant, irraſo procedebant capite, & à commercio humano alieni vacabant vni diuinæ Maieſtati. Nazaræi enim dicuntur à radice נזר Nazar, *ſecernere*, ſeu *ſeparare*, vt notat aptè Origines *in Threnos Hierem. ca.* 4. Nazaræorum ſodalitas audijt אל־חרבן Chorban-el *Oblatio Dei* ſeu *munus Dei*; ita Ioſeph. *libr. antiq.* 4 *cap.* 4.

147 Fuerunt Nazaræi antiquiſſimi in teſtamento veteri; quia ſanctiones illæ quæ reperiuntur *Num.* 6. potius confirmationi, quàm inſtitutioni ſunt huiuſcemodi ſodalitati. *Geneſeos* enim 49. 26. reperio Nazaræos; Iacobus Patriarcha filijs ſuis benedicit, & Ioſephum appellat Nazarenum.

Fuerunt in maximo honore apud Iudæos, & Deo acceptiſſimi iudicabãtur. Idcirco Iudas 1. Machab. 3. Nazarenorũ orationibus Deum placare conatur. Certè ipſe Deus non parui fecit Nazaræos. Populum ſuum donauit pluribus beneficijs, & inter illa recenſet Nazaræos. *Ego Dominus* (Amos ſecundo capit. dicit Dominus, *qui aſcendere vos feci de terra Aegypti, & ſuſcitaui de filijs veſtris in Prophetas, & de iuuenibus veſtris Nazareos. Numquid non ita*

eſt filij Iſrael, dicit Dominus? Et propinabitis Nazaræis vinum, & Prophetis mandabitis dicentes: ne prophetetis.

Erant Nazaræorum duæ ſectæ: conſtat ex *Num. 6.* Alij perpetui, qui nunquam radebant caput neque guſtabant vinum, aut vlla proprijs legibus prohibita: alij erant temporarij, qui expleto tempore quod ſibi ex voto præſcripſerant, radebant caput, & comas flammis conſecrabant, obedientes legi, cuius tenor eſt hic: *Cum dies, quos ex voto decreuerat, complebuntur, adducet eum ad oſtium tabernaculi fœderis, vt offerat oblationem eius Domino, agnum anniculum immaculatum in holocauſtum, & ouem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum hoſtiam pacificam, caniſtrum quoque panum azimorum —— Tunc radetur Nazaræus ad oſtium tabernaculi fœderis cæſarie conſecrationis ſuæ, tolletque capillos eius & ponet ſuper ignem, qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacificorum.*

148 Explicat optimè Philo *lib. de ſacrificijs* ritus huiuſcemodi conſecrationis, cuius verba propoſitum dilucidabunt. *Cum aliquis, inquit, ſacrauit omnium rerum ſuarũ primitias ac decimas, non habens amplius materiam, in qua pietatem exerceat, ſeipſum dedicat: ideò magnum hoc votum appellatur. Nihil enim quiſque poſſidet ſeipſo pretioſius, qua poſſeſſione tunc ceditur. Huius voti reo præcipiuntur hæc. Primum ne mero vtatur, aliove potu ex vuis factitio: deinde ad præſtitutam diem ritè offerret tres votiuas victimas; agnũ, agnã & arietem. Illum in holocauſtum, illam pro peccato, arietem verò in ſalutis hoſtiam: nam vouenti conueniunt hæc omnia; holocauſtoma, quia non ſua ſolum, ſed ſe quoque Deo dicat: pro peccato victima, quia homo cùm ſit, quantumlibet perfectus peccato non caret: pro ſalute autem, quia ſalutem ſuam acceptam refert Deo vero ſaluatori.* Hæc Philo.

149 Non iuuat alios ritus expendere, quia conſtant ex capite illo ſexto Numerorum, vbi exponuntur vniuerſi. Reliqua clara ſunt: miror tamen cæcutire Caietanum in re perſpicua. Rationem capitis, quæ *per ſe* erat & in termino voti complebatur, aſſerit Caietanus *in Act. Apoſt. c. 18.* fieri tantum debuiſſe ad oſtium tabernaculi fœderis cum ſacrificio: quouis verò in loco fieri potuiſſe quæ *per accidens* erant, videlicet ſi infra tempus voti Nazaræus ob mortiorum aut alia in illo 6. Numer. capite recenſita pollutus fuiſſet. Hoc autem falſum eſſe conſtat; quia purgatio illa non poterat fieri ſine ſacrificio. Dabo legis diuinæ tenorem: *In octaua die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ Sacerdoti in introitu fœderis teſtimonij: facietque Sacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum, & deprecabitur pro eo, quia peccauit ſuper mortuo; ſanctificauitque caput eius in die illo & conſecrauit Domino die ſeparationis illius offerens agnum anniculum pro peccato, ita tamen vt dies priores irriti fiant, quoniam polluta eſt ſanctificatio eius.* Quo nihil clarius contra Caietanum dici potuit.

De abſtinentia à vino.

150 Expendàmus ergo breuiter ſingulas Nazaræorum obſeruantias, atque mortificationes. Primò à vino abſtinebant & omni quod inebriare poterat. Abulenſis *quæſt. 3. prædictum locum Num.* huius obſeruantiæ rationem inueſtigans, hanc iudicat genuinam eſſe. Nempe Nazaræum ex vi conſecrationis totum ſe diuinæ contemplationi mancipaſſe, ac propterea abſtinere debuiſſe ab omni re quę poſſet eſſe impedimento modeſtiæ, continentiæ, contemplationi. Vinum autem decreto Sapientis Prouerb. 20. pudicitiæ eſt antipes, & contemplationis inimicus: *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit ſapiens.* Vbi לץ *Lets* Hebræis *deriſorem* ſigni-

ſignificat, & *peſtilentem*. Conſonat Apoſtolus ſexto ad Epheſios, vbi. *Nolite inebriari vino*; ait, *in quo eſt luxuria*. In quibus locis nomine Luxuriæ intelligitur quæcumque intemperantia. Ἀσωτίας dixit Paulus, quæ vox complectitur omne genus laſciuiæ: imitatus Sapientem, qui vinum vocauit ἀκόλαστον. Significat hæc vox *prodigum*, *laſciuum libidinoſum*, *paſſionibus ſeruientem*. In Regiorum Lexico exponitur *nequam*, *intemperans*, non in vno morum genere ſed in omnibus: ideò πρὸς τὰς ζωνοίας ἀκόλαστος dicitur, qui in re venerea eſt intemperans; ἀκόλαστος γλῶσσα ſimili ex cauſa effrænis lingua nominatur. Hoc bene Ambroſius percallebat; & ideò 2. *officiorum cap*. 21. legit: *Prodigum eſt vinum*. Vocatur ergo vinum ἀκόλαστον, quia ad prodigilitatem, libidinem, laſciuiam, & petulantiam prouocat. Tumultuoſam ebrietatem Sapiẽs iure vocauit, quia inter mala quæ ex vini abuſu oriri ſolent, furor & ira recenſentur; addit tamen: *Qui is delectatur, non erit ſapiens*. Adſonat Græcus Niceratus, qui ait verſu Καὶ οἶνος. *Ac vinum exæſtuans nudat mentem*, aut potiùs, *nudat mente*. Nam & vtrumque vinum præſtat: primò enim nudat mentem, vnde dici ſolet quod in vino ſit veritas, & ſecundò nudat hominem mente, cum vſum impedit; vnde Plautus *animi impotem* ebrium nominat *in Truc*. & Alciatus *emblem*. xxiv. oliuam ſapientiæ ſimbolum pingit obſeſſam à vite, atque dicentem:

Quid me vexatis rami? ſũ Palladis arbos
Auferte hîc Botros, Virgo fugit Bromiũ.

Ergo meritò vinum interdicebatur Nazaræis, qui ex vi inſtituti ſui debebant Theologiæ & Dei contemplationi, in qua vera ſapientia ſita, ſtudioſè vacare. Hac conſecratione, ſeparati à periculis, velociori atque breuiori itinere adſcendere ambiebant ad empyreum, abſtinere igitur debuerunt à vino & voluptate, quia teſte Homero *in* 1. *epigramm*.

Οἶνος καὶ τὰ λουτρὰ καὶ ὁ περὶ κύπριν ἔρως
Σύντομον πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς ἀΐδην.

Vinũ & balnea & circa Venerẽ amor,
Per velociorẽ mittit viã in infernũ.

Senſum conſidero, non literam, & hoc diſtichon æquipollens ſuppono.

Balnea, Amor, Vinumque nihil tolerabile ſuadent,
Illa pudore vacant, Liber, Amorque metu.

Vinum pyrata eſt, qui nauem animam in mundi oceano fluctuãtẽ theſauris memoriæ & vſu rationis exſpoliat: ea propter Salom. vt ſapientiã compararet, *cogitauit corpus ſuum à vino abſtrahere*.

151 Nazaræorum conuerſatio ſeuerior fuit quàm Sacerdotum, licet hi perfecti crederentur. Vini potus eò ſolum tempore quo miniſtrabant in ſanctuario Sacerdotibus interdicebatur. Extat lex Leuit. 10. vbi lego: *Dixit quoq; Dominus ad Aaron, vinum & omne quod inebriare poteſt non bibetis tu & filij tui, quando intratis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini, quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras vt babeatis ſcientiam diſcernendi inter ſacrum & prophanum, inter pollutum & mundum*. Rationem huius ſacerdotalis obſeruantiæ refert Philo *in libr. de ebrietate*, analogam; nempe Sacerdotes debere ſobrios & ſui compotes ad ſacra accedere, & rem diuinam non irrationabiliter ſed humanitus agere. Ecce Sacerdotes determinatis diebus, Nazaræi autem toto tempore, quo tales erant, à vino debebant abſtinere.

De capitis raſione.

152 De comis doctiſſimè ſcripſerunt aliqui, inter quos curioſè ſatis Adrianus Iunius, Proſper Stellartius, Pareja, Alphonſus de Mendoza, & plures alij. Is vltimus *q*. 5. *expoſitiua* §. 7. aſſerit indictum eſſe Nazaræis comam nutrire, vt longè eſſent à vicinarum gentium ſuperſtitione, quarum ſacerdotes, vt credidit, raſo capite Idolis ſuis ſacrificabant. In huius ritus confirmationẽ citat Theodore-

doretum *q. 28. in Leu.* Cyrillum *in Leu.* Lyranum, Eugubinum, Oleaſtrum, & Gancium: miror autem doctum & eruditum virum non legiſſe hos authores. Nullus illorum id aſſerit, ſed ſolùm fuiſſe conſuetudinem apud Gentiles comam nutrire, eamq; poſtea Dijs, hoc eſt *Dæmonibus* ſacrificare, Deumq: voluiſſe hanc conſuetudinem ad ſe transferre. Et primò Theodoretus, quem ipſe citat, ait. *Moris eſt apud Græcos in pueris capillorum extremitates non attondere, ſed ſinere capillos promitti, & aliquanto poſt tempore eos dæmonibus dedicare.* Gancius verò, Oleaſter, & Eugubinus eiuſdem ſententiæ ſunt, referuntq; verba Cyrilli: non autem exprimunt cuius Cyrilli verba adducant, quæ ab illis recenſentur, ſunt hęc: *Gentilium dementiſſima natio ſuas conſuetudines ſecuti, & mutarum pecudum more viuentes, offerebant comam demonijs, eam nutriri permiſſam: atque alius quidem Nymphis quas Orcades appellabant; alius fluuio, cum viſum eſſet, offerebat, atq. religionis loco res apud eos habebatur. Itaque ſapientiſſimus Moyſes, imò per Moyſen Deus cum intelligeret non facilè Hebræos, quos in Aegypto errores imbuiſſent, deponere poſſe: ſimiles ritus inſtituere decreuit, ſenſim eos à prioribus erroribus diſiungens, quibus ritibus non dæmones vltra, ſed Deum omnipotentem quaſi ſub vmbra & figura colerent.* Hæc illi ex Cyrillo: quibus ſuam & Cyrilli ſententiam ſatis explicant: & idem docet Caietanus. Sententiam tamē quam impugno, non habere fundamentum patet, quia Nazaræi non erant Sacerdotes, neque offerebant ſacrificium, ſed pro illis Sacerdos, vt colligitur *ex cap. 6. Num.* ergo non erat maius periculum in eo quod Nazaræus comam raderet, quàm quod quiuis alius de plebe; nec per hoc exponitur cur radere poſſet poſt tempus ſtatutum à voto.

153 Optima ratio illa eſt quam Cyrillus propoſuit, & confirmari poteſt his quæ §. 8. adducit idem Alphonſus de Mendoza, & Alexander ab Alexandro *libr. 5. dier. genial. cap.* 18. Tiraquell. *de iure primogenito in præfact.* Petrus Gregorius *in ſyntag. iuris vniuerſi lib. 16. cap. 1.* & Tertull. qui *lib. de anima,* dicit nonnullos fuiſſe, qui totum filij caput pro reatu vouerint; alios qui parte crinium, aut auitę aut publicę aut priuatæ adorationi ſatisfacerent. Videndus eſt etiam Cenſorinus *de die natali in proœm.* Plutarch. in Theſ. iuuat, & illud Euripides *in Bacchid.*

Sacer capillus eſt, Deo ipſum nutrio.

Quem ritus etiam expreſſit Virgilius hiſce verbis;

—— Hunc ego Diti
Sacrū iuſſa fero, teq. iſto corpore ſoluo.
Sic ait, & dextra crinem ſecat.

Ecce gentilem nutriendi atque ſecandi comam ritum; hunc in Nazaræis Dominus ab omni ſuperſtitione ac idololatria purificauit.

154 Sed nō erit abs re ſi dicamus Nazaræos comam nutrire iuſſos, vt ſe ingenuos ac libertos Domini profiterentur; coma enim ingenuitatis & libertatis ſymbolum fuit. Conſtat ex illo Ariſtophanis prouerbio *in Auibus,* videlicet; *Seruus cum ſis, comam geris?* E contra verò apertum atque detonſum caput ſubiectionis, captiuitatis, ac miſerrimæ ſortis conditionem ſignificabat. Docet Seneca *libr. 2. epiſt.* Hic ritus lucem aliquibus ſacræ ſcripturæ locis, hi & lucem ritui gentilitio. Deut. 32. 41. dicit Dominus Deus; *Reddam vltionem hoſtibus meis, et his qui oderunt me retribuā. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes de cruore occiſorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis.* Ecce minatur hoſtib. captiuitatē quam deſcribit per nudatum caput. Clarius Iſaias cap. 5. cum filiarum Sion captiuitatem deſcriberet, ſic ait; *Decaluabat Dominus verticē filiorum Sion, & crinem earum nudabit; & erit pro criſpante crine caluitium.* Mich.

etiam

etiam cap. 1. 16. ſimilitudinem aquilæ concipiens, quæ ſenio confecta totius corporis excutit plumas, ſic ait: *Decaluare & tondere ſuper filios deliciarum tuarum: dilata caluitium tuum*. Hinc eſt quod vbi de quodam Nazarȩo 1. Regum 1. legitur: *Nouacula non aſcendet ſuper caput eius*. Chaldæus tranſtulit *Terror non aſcendet*, & alij. *Imperium alicuius*. Aptè caput raſum, terror, & imperium coincidunt; quia capitis raſio ſeruitutis indicium eſt, terror effectus.

155 Hinc intelligendus venit locus 4. Reg. 2. 23. Vbi Elizæo aſcendenti in Bethel puelli illudunt & dicunt: *Aſcende calue, aſcende calue*. Contra quos egrediuntur *duo Vrſi* de ſaltu, & lacerant ex eis plures quam quadraginta. Legit Brixianus *duo Leones*, ſed cur? Indomitæ beſtiæ egrediuntur & vindices deuorant irriſores: expediebat enim, vt illi qui Eliſæum caluum, hoc eſt ſeruum domitum, ac vilem dixerant, à beſtijs generoſis, indomitis, & ſyluæ dominis lacerarentur.

Nazarȩi igitur qui intactam cȩſariem conſeruabant, completo tempore radebant caput, quaſi in priſtinam ſeruilem conditionem redacti.

156 Dum hæc ſcriberem, *Rationale Lexicon*, liber eſt in quo à vocum natura infero Hebræas ſignificantias, recognoui & ditaui: nulla enim dictio in toto ſancto idiomate quæ indigitet obiectum ſine cauſa פרע *Para* ſignificat *libertatem & cæſariem* teſte Hieronymo de Prado *in Ezech. cap.* 24. Ideo Syrochaldæus פירוע Perrugha *comam* (vnde Gallus *perruque*) nominat, & פירען Purghan *Prefectum, Gubernatorem, Dominum*. Legi in Guidonis Fabr. Boderiani Dictionario.

Occurrit locus *Exodi* 32. aptiſſimus ſententiæ explicandæ, ibi ſic dicens: *Videns Moyſes quod nudatus eſſet populus; ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat*, quo loco pro *nudatus & ſpoliauerat* hoc verbum b ponitur. Explicat Moyſes cap. ſeq. quomodo & quare ſpoliatus eſſet dicens: *Nunc ego depone ornatum tuum, vt ſciã quid faciam tibi: depoſuerunt ergo filij Iſrael ornatum ſuum*. Qualis autem eſſet hic ornatus quem filij Iſrael depoſuerunt, exprimit Caldæus dicens fuiſſe diademata ſiue coronulas, quas capitibus ſuis impoſuerant in monte Oreb in ſignum fœderis cum Deo initi & immunitatis, qua præ alijs populis gaudebant, vt Dei populus dicerentur & eſſent. Ex quo patet, quid voluerit Moyſes cùm *cap.* 32. dixit *nudatum eſſe populum*, hoc eſt excæſariatum, priuatum antiquæ immunitate, & priſtinæ ſubiectum ſeruituti. Propterea deponere iubet capitis ornamenta, que erant libertatis inſignia.

157 Hinc facili negotio intelliges, cur Leuit. 21 prohibeat Deus Sacerdotibus intereſſe, cum morerentur ciues ſui, ait enim: *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium ſuorum, nec radet caput, nec barbam*. Nam cùm capillorum abraſio & capitis nuditas, propria ſint ſigna ſeruitutis, qui ſe miſeros & ſeruos confitentur, ſeruorum habitum vſurpant. Vult ergo Deus ne Sacerdotes funeribus ciuium interſint, quæ ſordida ſunt; ne radant caput, quod ſeruitutis eſt ſymbolum: dedecet enim ſacros homines tractare immunda. Sint cryſtallo puriores, non ſubdantur dæmoni & peccato: ſed corpore, & animo ſunt purificati, & liberi. Nazaræi ergo quoniam ingenui erant, & Domini liberti, non tondebant cæſariem toto tempore ſeparationis ſuæ: ſic enim habetur num. 6. *Creſcentè cæſarie*, id eſt, *libertate capitis eius*. completo tamen Nazareatus tempore radebant, quaſi in priſtinam, & ſeruilem communiun hominum conditionem redacti.

158 Alias huius rei rationes adducunt Gregorius *lib.* 32. *Moral. cap.* 17. *& lib.* 2. *cap.* 16. Cyrillus Alexandrinus *li.* 8. *in Leu.* Hieronym. *in c.* 2. *Amos*, &

alij Patres. Ex his autem illam quam expendit Iſichius, adiungere decreui, vt Lector eligat quod iudicat veritati conformius. Iſichius igitur explicans illud Leuit. 13. *Et pilum eius ſi in albũ mutatus fuerit*, ſic ait. *Propterea in caput Nazaræi ferrum aſcendere prohibetur in Lege cunctis dieb. quib. ex voto Domino conſecratur, quod in capita aliorũ ſine culpa aſcendit, quia quib. ſunt ſuperflui capilli, non ſolum nihil nocet, ſed & lucrum eſt tonderi; quibus autem non ſuperflui, damnoſa eſt & indecora capillorum depoſitio, propter naturalis decoris ſpoliationem. Sic quibuſcunque ſuperfluæ cogitationes importunæ ſunt; bene iſtis capillis per tonſionem carent, Nazaræus autem ſanctus eſt, & nihil debet habere quod tondeat.*

DVBIVM INCIDENS.

Vtrum hæc Nazaræorum obſeruantiæ obligari eos ex præcepto, an ſolum ex conſilio.

159 ABulenſis *qu. 22. in 6. c. Num.* docet Hebræos non teneri ex præcepto, ſed ex conſilio ad ritus huiuſcemodi. Cauſam autem inſtitutionis eam exiſtimat, quod diuina prouidentia omni tempore voluerit ad ſe aliquos homines ſpeciali ratione applicare; & quamuis Hæbreorum populum ratione legis peculiariter ſibi elegiſset, vt patet *ex Exodo 19. & Deuter. 7.* ſtrictiori tamen modo voluit aliquos ſibi dicari, ne tota communitas plus æquo ſtringeretur. Voluit autem Deus hunc Nazareorum ſtatum in lege exprimere, eò quod modus ſpiritualis eſſet adhærendi Deo; vt omnibus palam fieret quomodo poſſent applicari Deo ſi vellent: & propterea non eſt præceptum omnibus conſtitutum, ſed tanquam conſilium propoſitum, non ſecus ac in lege Euangelica, quæ lex perfectionis eſt, plura ſint ſub conſilio nobis propoſita, quæ ſolum pauci amplectuntur; nempe qui volunt. Talia ſunt conſilia de Paupertate. Math. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* De Caſtitate 1. Cor. 7. v. 38. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Simili ergo ratione de Nazaræorum inſtituto philoſophandum eſt. Conſtat ex verbis Legis: *Vir ſiue mulier cum fecerit votum vt ſanctificetur, et ſe voluerit Domino conſecrare.* Ergo nemo cogebatur inuitus nomen dare huic inſtituto celeberrimo. Igitur non erat ſub præcepto, ſed ſub conſilio fieri Nazareus: quod ſi quiſpiam ſemel inſtitutũ illud amplecteretur, tenebatur ſub præcepto ritus illos ſeruare, qui expenduntur Numerorum ſexto. Ratio eſt, quia illæ ſanctiones præcipiunt ex hypotheſi, nempe ſi quis voluerit: deficiente autem libera vouentis voluntate, conſultiuæ illę remanent, non præceptiuæ.

160 Ex hac Nazaræorum tonſura, Apoſtolica traditione in Eccleſiam deriuatum aſſeritur, vt qui à communi hominum vita recedunt, & perfectius cõſeruationis genus ſuſcipiunt, radantur capite. Legi in Iſidoro *de diuin. officijs, in Conc. Aquiſgranenſi cap. 1. his verbis: Tonſuræ Eccleſiaſticæ vſus à Nazaræis ni fallor, exortus eſt; qui prius crine ſeruato, denuo poſt vitæ magnam continentiam, deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere iubebantur: ſcilicet vt perfectionem deuotionis ſuæ Domino conſecrarent. Huius ergo exempli vſus ab Apoſtolis introductus eſt, vt qui diuinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, ideſt Sancti Dei, crine præciſo innouentur.* Nec cauſeris, quòd noſtri Eccleſiaſti tondeantur in initio, Nazaræi in fine, quia ſigna præteritam, futuramque virtutem poſſunt ſignificare, vt in ſpeciali Epiſtola ſcripſiſſe memini, quæ prodibit cum alijs Regularib.

Nazaræorũ florente Hebrea republica

ea ſplendorē & dignitatē ſatis clarè oſtēdit Hierem. *Thren.*4. quatuor ſimilitudinibus excellentiſſimis. Eos *niui* cōparat, *lacti*, *ebori*, *ſaphiro*que, quibus prerogatiuis illorum rigida abſtinentia, ſeuera conuerſatio, & perilluſtris pulchritudo penitius commendantur. Quæ omnia de noſtri temporis Monachis expendit Gregorius *libri Moralium tertij cap. decimo ſeptimo*, & ſæpè alibi.

DISPVTATIO XIV.

De אשיאנוש Eſenis.

161 Eſeni orbe terrarum celeberrimi *dicti* ſunt ab אנוש Enoſe. Sed quomodo ab Enoſe Eſenus? Boldu-ducus *de Eccl. ante legem lib.*2. ad metatheſin appellat, & vtramque eſſe eandem vocem poſſet probare analogia, quam conſpicis.

א נ ו ש
ESENVS

Cæterum Gentilia nomina vix aliquando patiuntur metatheſes, idcircò nomen Eſeni potius expono ſic. אנוש איש *Is Enos*, hoc eſt *Vir Enoſæus*, ille inquam, qui eſt de congregatione Enoſis.

Multi graues authores exiſtimāt Eſenos cum Aſidæis confundi, ducti authoritate vtriuſque Ioſephi, quia quotieſcunque Flauius Ioſephus Grecè aliquid de Eſenis narrat, id Ioſephus Gorionides hæbraicè de Aſidæis ediſſerit. Aſidei à sāctitate & miſericordia dicti ſunt, ſic etiam Eſenorum nomen à ſanctitate deducit Ioſephus Scaliger *lib.6.* & ſubdit. *Ab aliqua igitur voce patria deductum eorum nomen, quæ ὁσιότητα ſignificet, & quæ alia fuerit præter* חסיא *ideſt ὅσιος Sanctus? vnde manifeſtè græcum deriuatum, vt ὁσιότης Sanctitas.* Huic etymo etiam videtur fauere Philo de vita Theoretica, qui illos ὁσίους à ſanctitate denominari ſtatuit, & ſuffragatur Chryſoſt. *hom.44.in act. Apoſt.* Nihilominus tenendum eſt, Eſenos quaſi אישי-אנוש *Eſē Enos*, hoc eſt *Viros-Enoſeos* eſſe dictos, & non ab חסיא, vel ὁσιῖται denominari; quod inter alia probat & omiſſa aſpiratio & ipſa ſyntaxis literarum.

162 De Eſenis Ioſephus Gorionides *in lib. de trib. Iudaicor. Philoſophorū ordinib.* ſic ait. *Tertiū ordinē tenebant Eſeni,* [noſtrorū Monachorū Precurſores] *ſeu vt quidam Hebræorum vocant Aſidæi, ideſt Pij* [potius, *Miſericordes*] *qui cuncta ad Deum dirigebant,* [ecce perpetuam Dei præſentiam] *immortalem animam dicebant,* [eſſe tremendi Dei iudicij timorem] *ipſi præter cæteros voluptates quaſi maleficia habitabant:* [hinc collige eorundem vitam fuiſse duram & pœnitentem] Progreditur & Caſtitatem, Paupertatemq; illorū commendat hiſce verbis. *Continentiam verò ſeruare, neque cupiditati ſuccumbere, virtutem maximam ducebant. Omnes illorum opes in medio erant poſſidebantque omnia communia; & nihil amplius inter eos ditior fruebatur, nihil pauper defraudabatur. Vnde & legem ſibi dixerunt, vt qui diſciplinam ſuam ſectari vellent, bona contubernio publicarent. Ita enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel diuitiarum dignitas appareret, ſed per mixtis facul-*

tatibus, velut inter fratres vnum eſſet omnium patrimonium. Hinc conſtat habuiſse bona in communi, non in particulari, adeoque fuiſse ſimiles noſtris Monachis. Similia docet Ioſephus *l.* 2. *de bello Iudaico cap.* 71. quibus addit: *Nec veſtitum nec calceum nouum niſi veteribus attritis ſumpſerunt, commerciorum nullus inter eos vſus, egentibus præſto fuere eandem ab illis beneficentiam relaturi*. Hæc omnia paupertatem concernunt; videamus quid dicat de vitę auſteritate. *Religionem*, inquit, *mirificè coluere*; *frigida aqua ſe quotidie abluentes, inter veſcendûm ſummum ſilentium adhibuere*. Caſtitatis obſeruantiam commendat iſtis, *Nõ niſi probata continentia homines in ſocietatem recepere*. Et habuiſse ſua ſolẽnia vota inſinuat dicens. *Receptos autem magnis execrationibus obſtrinxere, ſe, Deum, Fidem, Iuſtitiamque culturos*. Et in eorumdem tribunali habuiſse locum ſententiam Excommunicationis, conſtat è verbis, quæ ſubiungit: ait enim, *Deprehenſos in peccatis ſocietate deturbauere, ac ne cibum delatum caperent, vetuere*, quæ latè proſequitur eo loco, quibus & alia adiunxit *lib. Antiqu.* 18.

163 In Eſenis, Aſidæis, reliquiſq; veteris Eccleſiæ religioſis exprimitur, vmbra noſtrorum Monachorum, vt notauit Euſebius Cæſarienſis *lib.* 2. *hiſt. cap.* 16. contra quem fruſtrà ſtomachatur Scaliger *lib.* 6. *de emendat. tempor.* quia tametſi Chriſtiani non fuerint, ſuis moribus & inſtitutis Chriſtianorum vitam videntur adumbraſse. Vtrum tamen Eſeni iſti, illi ſint de quibus loquitur Philo, qui ſuo tempore in Aegypto habitabant, inferius cum Cardinali Baronio diſputabo, dum agam de Monachorum origine ſub Euangelio. Modo ſufficit oſtendiſse Eſenos ſimiles fuiſse noſtris Monachis. Et quidem Eſenos caſtitatem ſeruaſse, præter Ioſephum docuit etiam Plinius lib. 5. c. 17. vbi ſic. *Ab occidentali Aſphaltitæ littore Eſeni quos fugitant vſquequa que nocentes. Gens ſola, & in toto orbe præter cæteras mira: ſine vlla fœmina, omni Venere abdicata, ſine pecunia, ſocia palmarum per ſæculorum millia (incredibile dictu) gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur &c.* quod vberius exponit Solinus *cap.* 44. Eſenos paupertatem ſeruauiſse conſtat ex his quæ ex Ioſepho & ex Plinio retulimus: omnia enim habebant in communi, nihil in ſingulari. De obedientia quis dubitet, maximè cum nulla communitas ſublata ſubordinatione poſſit aut regi aut perennare? Confirmatur tamen ex iuramenti formula, quia inter alia iure-iurando promittebant, aſserente Ioſepho, ſe, ſi ad principatum promouerentur, nulli iniurios, neque veſtitu, neque ornatu aliquo ſubditis ſplendidiores futuros: quod etiam conſeruamus hodie in noſtro Ordine, in quo Apoſtolica ſanctione interdicitur Prælatis, aut cibis aut veſtibus nobilioribus vti: expedit enim vt ſit ſumma vniuerſarum rerum pariformitas, atque ſimilitudo.

164 Eligebant etiam decem-viros, ſeu decuriones, quorum prudentia & iudicio omnia negotia gerebantur. Horũ videtur perfectiones vſurpaſse Pater noſter ſanctiſſimus, imo nobilitaſse legibus vtilioribus. De æqualitate veſtium vide cap. 55. Regulæ, in quo ſingulis conceditur prout cuique opus eſt. Conſonat ſibi caput 34. Decanos Eſenorum more inſtituit etiam Benedictus cap. 21. vt conſtet Patriarcham ſanctiſſimum omnium veterum mores laudabiles reuocauiſse. Vide Sigonum *de Republ. Hæbr, cap.* 11. Serrarium *in* 1. *c. Iud.* Proſperum Stellartium *libri Fundaminum & Regularum primi cap.* 1.

Ab his alij Eſeni, vel vt alij volunt Oſeni, hæretici degenerarunt, de quibus ait Epiphanius *libro primo*, & Philaſtrius *par.* 1. *hæreſ.* 9. & alij.

DISPV-

DISPVTATIO XV.

De Filijs Prophetarum.

165 VEnio ad Reipublicæ oculos, ad illos ſcilicet qui diuino ſpiritu repleti *Videntes* nominati ſunt, eò quod futura & præterita quaſi præſentia renuntiarent. Inter hos fuit Samuel, cuius tempore magni ſunt facti, religioſi. Is primus dici poteſt, qui monaſticam vitam, non ſolum moribus, ſed etiam clauſura vtili nobilitauit, adeò vt Clauſtralis à Vvaldenſi *lib. 3. doct. fid. art. 1. cap. 4.* nominetur. Conſidera hæc ſacræ ſcripturæ teſtimonia. Sauli Samuel 1. Reg. 10. *Venies*, inquit; *ad Collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum, & cum ingreſſus fueris ibi vrbē, obuium habebis gregē Prophetarū deſcendentiū de excelſo, & ante eos pſalterium & tympanum & tibiam & citharam ipſoſque prophetantes: & inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis cum eis; & mutaberis in virum alium.* Et rurſus: *Venerunt ad prædictum Collem, & ecce vnus Prophetarum obuius eſt ei: & inſiluit ſuper eum ſpiritus Domini & prophetauit in medio eorum.* Ex his teſtimonijs colligunt citatus Vvaldenſis, Carolus Sigonius *de Rep. Hebræorum cap. 9.* Middendorpius *in Hiſt. Monaſt. cap. 1.* fuiſſe Samuelem omnium primum, qui inſtituit conuentus monaſticos pſallentium Domino. Idem notarunt Magiſter Hiſtoriarum, & Nicolaus de Lyra 1. Reg. 10. Cæterùm non ſcio quomodò ex citati ſacræ ſcripturæ verbis ſimilia deducantur. Certe Samuelem non fuiſſe primum qui inſtituit choros laudantium Dominum conſtat ex ſacra pagina: quia Enos Eſſenorum fuit Patriarcha, qui primi cultu publico laudarunt Dominum. Poſſent dicere Samuelem fuiſſe inſtitutorem illius congregationis, cuius ſodales *Filij Prophetarum* ſunt dicti: ſed ne leuiter viderentur id dicere, deberent ſolidius confirmare: verba enim quæ ex Regum libro primo citantur, non inſinuant Samuelem principium dediſſe huiuſcemodi congregationi.

166 De Prophetarum filijs agit Hieronymus ad Ruſticum monachum: *Filij Prophetarum*, ait, *quod monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas iuxta fluenta Iordanis & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agreſtibus victitabant.*

Cur Prophetæ aut Prophetarum filij dicerentur, nonnulli interrogant; quibus facili negotio faciet ſatis, qui aduertet nomen hoc *Propheta* in ſacra pagina hebere multiplicem ſignificationem: inter alias duæ ſunt, quæ potuerunt hanc difficultatem explicare. Primò *Prophetia* dicitur paginæ ſanctæ interpretatio ex Sancti Spiritus inſpiratione. Hoc ſenſu accepit iſtam vocem Petrus *primo ſecundæ*, vbi ſic *Omnis Prophetia ſacræ Scripturæ interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirante locuti ſunt ſancti.* Et eadem vocis acceptione vtitur Paulus 1. *Cor. 12.* dicens: *Qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationē.* Hoc ſenſu omnes Patriarchæ dici ſolēt Prophetæ. Sic Abraham *Gen. 20.* Aaron *Exod. 7.* & conſonat hæc interpretatio cum proprietate vocis נביא *Nabi* à radice נבא *Naba*. Eſt ergo *Nabi*. nuncius, interpreſque iuxta id Exodi. 7. *Aaron frater tuus erit propheta tuus*, hoc eſt, *interpres, legatus, commentator.* Secundò accipitur *Prophetia* pro diuinorum cantuum exercitio. Ita cantores

tores Dauidici *Prophetæ* dicebantur 1. *Par.* 25. & 2. *cap.* 35. inter quos Temanius, Hethanius, & Iduthumius recenſentur.

Siue primam ſiue vltimam iſtius nominis ſignificationem admittamus, poterimus aptè Filiorum Prophetarū obligationes atque ritus exponere. Cæterùm probabilius cenſeo, ideò tales dici, quia laudes diuinas concinebant: vnde prophetare idem erit in præſentiarum atque armonicè pſallere, hos autem cantui enarmonico vacaſse demonſtrat illa inſtrumenta muſica, quibus erant inſtructi cùm obuiam irent Sauli electo Regi.

167 Hinc iam intelliges quid ſibi velint illa ænigmata quæ 1. *Reg.* 19. expenduntur: *Miſit Saul ad Ramatham vt raperent Dauidem; qui cùm vidiſſent chorum prophetarum prophetizantium & Samuelem præpoſitum eis, factus eſt etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipſi. Quod cùm nunciatum eſſet Sauli, etiā miſit Saul tertios nuncios, qui & ipſi prophetarunt. Et iratus iracundia Saul abyt etiam ipſe in Ramatham, & factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens* (hoc eſt tripudiabat) *& prophetabat* (id eſt pſallebat) *vſque dum veniret Naiothum: & expoliauit etiam ipſe veſtimentis ſuis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cecinit nudus tota die illa & nocte: vnde exiuit prouerbium, Num & Saul inter Prophetas?*

168 Poſt Samuelem horum Religioſorum numerus excreuit, vt coſtat ex 4. *Reg.* 11. quia cum Helias Heliſæo vale diceret, *Sed hic*, ait, *quia Dominus miſit me vſque in Bethel*: & addit textus ſacer: *Cumque deſcendiſſent in Bethel, egreſſi ſunt filij Prophetarum, qui erant in Bethel.* Et rurſus dixit Hælias: *Sede hic, quia Dominus miſit me in Hiericuntem*: & pôſt: *Cumque veniſſent in Hiericuntem, acceſſerunt filij Prophetarum, qui erant Hiericunte*: & cùm iterùm ibi dixiſſet: *Sed hic, quoniam Dominus miſit me in Iordanem*: —— *Ierunt igitur, & quinquaginta filij Prophetarum ſecuti ſunt eos.* Ex quibus liquet, tùnc temporis in illis locis fuiſſe cœnobia Prophetarum. Poſſumus etiam id confirmare ex verbis filiorum Prophetarum ad Heliſæum poſt Heliæ raptum: *Ecce locus, in quo habitamus*, inquiunt, *coram te, anguſtus eſt nobis. Eamus vſque ad Iordanem, & tollamus ſinguli de ſylua materias ſingulas, vt ædificemus ibi locum nobis ad habitandum. Qui dixit: Ite.* 4. *Reg.* 6. deuenerant enim ad tantum numerum, vt ab heremo vaſtiſſima non caperentur. (Huic reſolutioni ſuffragantur Sozomenus *lib.* 1. *c.* 13. Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 39. Caſſianus *lib.* 2. *cap.* 15. Dorotheus *in Synopſi*, Macarius *in ſerm. ad Monach.* Ambroſius *lib. de Virg.* Nicolaus Beccrius Iuriſconſ. *in tract. de Eremitis.*)

169 Octo iſti authores ſuperiùs citati Monachos noſtros à Prophetis exordium traxiſſe aſſerunt, quibus adſonat mellifluus meus Bernardus *ad Fratres de monte Dei*, vbi ſic ait: *Hæc nouitas nō eſt nouella vanitas, res enim eſt antiquæ Religionis perfectæ, fundata in exemplo pietatis: Antiqua hæreditas Eccleſiæ Dei à tempore Prophetarum præmonſtrata.* Monachorum Patriarchas fuiſſe Prophetas docuit, nullius tamen meminit in ſingulari. Clarius Iſidorus *lib.* 2. *de officijs cap.* 15. expendit fumoſa ſtemmata Monaſticæ conuerſationis, *Vnde autem*, ait, *ad Monachos ſtudium defluxit paupertatis? vel quis huius conuerſationis extitit author? cuius habitum imitantur? Quantum, inquam, attinet ad authoritatē veterum ſcripturarum, huius propoſiti Princeps Helias, & diſcipulus eius Heliſæus fuerūt, ſiue filij Prophetarum, qui habitabant in ſolitudine,*

vrb-

vrbibuſque relictis faciebant ſibi caſulas prope fluenta Iordanis. Ideò Hieronymus citatus nuper *in Epiſtola ad Paulinū* Prophetas veteres vocat *Principes ſuos*, dicens: *Noſter Princeps Helias, noſter Princeps Heliſæus, noſtri Patres filij Prophetarum*.

170 Recabitas non diſtingui à filijs Prophetarum, vel ſaltem hos eſſe quaſi Recabitarum reformatores colligo ex 2. *Reg.* 2. 11. vbi Helias qui filiorum Prophetarum eſt Princeps, Recabita aſſeritur. In textu ſic: *& accidit ipſis ambulantibus eundo & loquendo: Et en* רכב *Recabita igneus & equi ignei diuiſerunt vtramque. Et aſcendit Helias per turbinem ad* שמים Semim *Semios* (hoc eſt, *ad filios Semi*) *& Heliſæus videbat, & ipſe dirigebat clamorem dicens: Pater mi, Pater mi* רכב *Recabita Iſraelis, Eques, & Princeps eius*. Locus eſt valde tritus & ideò volui aliqua ſpeciali interpretatione eum explicare.

171 Hanc tranſlationem admirabilem legerunt Ethnici, & carmine pulchro deſcripſerunt additis circumſtantijs quibus, & hiſtoriam ornarent, & efficerent minùs credibilē. Hinc Phaethontis illa (hiſtoriam nominem, an fabulam?) ſumpſit exordium. Vnde ſanctus Beda *lib. 30. quæſtionum quæſt. 28.* ſic ait: *Solent Gentiles pingere & facere ſimulachrum Soli s, vt puerum inberbem in curru ponentes, equos eidem quaſi curru in cælū petente ſubiūgunt. Cui præterea pueri aptanti imaginem, quod Sol quotidie nouo ortu natus non ſeneſcit: vt autem eidem currum, & equos tribuant, de miraculo ſumptum eſt Eliæ qui curru equiſque igneis ſumptus eſt in cælum, quod Ioannes Conſtantinopolitanus autumat. Græcè enim* ἥλιος Helios Sol *dicitur, Sicut Sedulius cecinit de aſcenſu Eliæ*.

Quàm benè fulminet prælucens ſemita Cæli
Conuenit Eliæ, merito qui nomine fulgens
Hac ope dignus erat: nam ſi ſermonis Achiui.
Vna per accentum mutetur littera, Sol eſt.

Audientes Græci ab Iſraelitis, quos diuinas habere literas fama prodebat, prædicari quod Elias igneo curru, & equis ſit igneis ad Paradiſum, non ad Cæleſtia trāſlatus: vel certè hoc ipſum, inter alia, depictum in pariete videntes crediderunt vicinia decepti, nominibus Solis, hic tranſitum per Cælos eſſe deſignatum, & miraculum diuinitùs factum commutauerunt in argumētum erroris. Quæ verba mutuaſſe videtur à B. Chryſoſtomo, qui *in Homilia de aſcenſu Eliæ* eadem ſcripſit. Accinit Tertullianus *in Apologetico*; quorum litteram tranſcribere non expedit: non enim ſenſu diſcrepant à præcedētibus. Curioſus inibi, vel in Roa *Singularium c.6. in fine*, poterit legere.

DISPVTATIO XVI.

Reperio in antiquiſsimis hiſtorijs politica noſtrarum Monialium ſimulachra.

172 NEminem latet, qui Hebræas litteras didicerit, ignem & virum vocari איש *is vel es*, & vt Reuclinus apud Pierium *lib. Hierogl.* 18. obſeruat *Eſth.* ex quo nomine educitur fœmininū אשה, à quo Græci *ἑστίαν* ignē dixe-

dixerunt, Latinique mutato ſpiritu in V. *Veſtam*. quia Veſta ignis eſt. Ouid. *faſt.6.*

Nec tu aliud Veſtam, quàm viuam intellige flammam.

Adſtipulatur Cicero *de nat. Deorum*, dicens: *Nomen Veſte à Græcis: ea eſt enim quæ ab illis iſſa dicitur: vis enim eius ad aras & focos pertinet.* & l.2. de legibus: *Veſtam quaſi focum Vrbis vt Græco nomine eſt appellata, quod nos propriè idem Græcum interpretatum nomen tenemus.*

Cæterùm quod אשה *iſſa Veſta* ſit nomen primæ illius mulieris, quę & prima omnium, fuit parens, conſtat ex Geneſeos *c.* 2. 23. vbi Adamus viſa muliere ſibi in ſocietatem à Deo formata exclamans ait: *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, &c. *quocirca vocabitur* אשה *iſſa* Veſta, *quia de viro ſumpta eſt.* Ex quo colligo, non indigere primam mulierē, ad hoc vt *Veſta*, dicatur, additione literæ V, vel conuerſione ſpiritus in illā; quia duplex nomen impoſuit Adam vxori ſuę at conſtat ex ſacris literis, primò *Geneſ.*2. 23. vbi vocauit illā אשה *Eſtham*, ſecundò *c.* 3. 20. vbi vocauit חוה *Euam*, ſimul *Heua-eſta*. Poſtea decurſu temporis obſoleta diphthongo *Veſta*.

173 Hæc igitur prima mulier eſt illa Pandora celeberrima apud Poetas, in quam incidunt ad literam quæ hieroglyphicè deſcribit Cælius Aug. in complemento ad Pieri. l.59. verbo *Pandora*; ſcilicet quod *Aduerſam fortunam, generis obſcuritatem, infelicitatem, paupertatem, infamiam, ægritudinem, ſpei fruſtrationem, humanæ ſortis miſeriā, nobis adumbrat.* quæ omnia in rigore ſummo Euæ conueniunt primariæ originalis peccati occaſioni, ex quo genus humanum (anteà eo feliciſſimum, quò & innocentiſſimum) aduerſam nactum eſt fortunam, mentis tenebras, inopinatus ruinas, gratiarum pauperiem, nominis infamiam, apud dæmones ſeruitutē. Addit ex Heſiodo Veſtam à Vulcano, igne eſſe genitam, vt eam eſſe אשה *iſſam* non ignoremus, quæ ignorantia omnino tolleretur, ſi obſeruaret ex eodem Heſiodo quod Pierius notauerat *lib.*41. *verb.* *Pallas*, vbi aſſeruit Pandora omnium mulierum eſſe primam, hoc eſt Euam.

Hinc veniunt intelligendi Poetæ, & ſacræ ſpeculatores vetuſtatis, cùm Veſtam perennem atque æternum ignem vocant. Panuphius:

—— Ignemque perennem
Ardentem templo in medio ſubmiſſus adorat.

Romæ altera ſpes (ſic vocatur Maro à Cicerone:)

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

& alibi Sinonis nomine:

Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum
Teſtor Numen, ait.

Dicitur ergo *Veſta* ignis perēnis, quòd ſemper arderet; æternus autem, quòd eſſet vel ab æterno in eorum ſententia, qui Mundo principium denegarunt; vel ſaltem quod eſſet à primo mundialis machinæ principio, quod verificatur de ipſa Eua, quæ à Mundi exordio fuit; ea enim, vt probauimus, eſt ipſiſſima Veſta.

Nunc Numæ Pompilij Romanorum ſapientiſſimi Regis Veſtæ ædem rotundam conſecrantis, mens intelligenda venit quæ Plautum ſanè in *Numa* fugit: *Dicitur*, ait, *Numa Veſtæ ædem orbiculari formà igni perpetuo cuſtodiam circumieciſſe, non vt aſſimilaret terræ figuram, tanquam ea Veſta eſſet, ſed vniuerſi huius Mundi, cuius medium Pytagorici ignem eſſe arbitrantur, idque Veſtam appellant, & Vnitatem.* Fugit etiam Pierium *lib.9. Hierogl. titulo Terra*. Aſſerentem id quod iure optimo negat Plautus, eò rotundām Veſtæ ædem conſtrui, quòd Terræ figura exprimeretur. Numa igitur (vt alio-

aliorum omiſſis dicterijs meum intellectum, manifeſtum faciam) Veſtæ templum dicauit circulare, quaſi Deæ æternæ, omni principio deſtitutæ; quia circulus principio & fine caret, & pro æterno ſumitur apud Aegyptios, & omnes hieroglyphicæ rei ſtudioſos. Confirmatur id ipſum ex notis Romanis in nummo Fauſtinæ (cuius meminit Pier. l.39. voce *Aeternitas*) ſigillum eſt ſuper ſphæram ſedentis cum inſcriptione AETERNITAS. Item in altero eiuſdẽ cuſo à L. Buca, in honorem Cęſaris inſculpta ſphœra cum alijs Dictaturæ inſignibus, ex his officium, ex illa durationem auſpicatus inſcripſit, CAESARI DICTATORI PERPETVO.

174 In tanta fuit Veſta deuotione, vt iam illi omnis honos debitus & victima iudicaretur; vnde omnis ara Veſta dicebatur, vtpote primariò ſacrata, & dicata Veſtæ, ſecundariò huic vel illi Deo. Hinc facilè Xenophontem intelligas ſecundo rerum Græcarum libro: ἀκούσας ait, ταῦτα ὁ Θηραμένης ἀνεπήδησεν ἐπὶ τὴν ἑστίαν. id eſt, *Hæc cùm Theramenes audiuiſſet, ad Veſtam ſibi profugium parauit*, hoc eſt *ad templum*, vel *ad aram*. Similiter apud Tranquillum in Tiberio, & Dionyſium Halicarnaſſęum *antiquitatum 2. Veſtam collocatam* pro *templo collocato* legimus.

175 In huius ergo Pandoræ honorem, in Veſtę laudem, in Euæ primæ omnium mulieris memoriam celeberrimam, primò menti occurrit Veſtalium cætus ille puriſſimus caſtiſſimuſque, quibus Romulum rem ſacram inſtituiſſe tradit Bartholomæus Marlianus *lib. 2. Roman. antiq. c.* 12. Pōponius. Lætus *cap. 6.* & Feneſtella *de Sacerd. Rom. c.* 2. Prop. *lib. 4. eleg.* 4. & ex alijs authoribus refert. Plutarchus *in Romulo*, & fauet Cicero *de Aruſp. reſp.* quorum ſacrificij antiquitatem commendans computat Veſtali his verbis: *Quod ſacrificium*, nempe Aruſpicum, *tam vetus eſt quàm hoc*, ſcilicet Veſtalium, *quòd à Regibus æquale huic Vrbi accepimus*. Si Vrbi æquale, ergò Romulo.

176 Sanè in hanc ſententiam grauiter inuehitur Dionyſius Halicarnaſſæus *lib. 2.* vbi inſtitutū hoc attribuens Numæ, Romulo denegauit. *Romulus*, inquit, *nullas virgines Veſtæ Sacerdotes inſtituit, memor fortaſsè matris dedecoris, quæ inter illius miniſteria virginitatem amiſerat, haudquaquam idoneus futurus iuxta leges patrias, ſi quā violaſſe pudorem deprehendiſſet, ne ſibimet refricaret probrum domeſticum.* Et rurſus de templo: *Argumentū huic rei certum, quod Veſtæ ædes ſita ſit extra Romam quadratam, quam Romulus condidit, non futurum, ſi ille author; nam publicum focum ſolent omnes in præcipua Vrbis parte collocare.* Propter hoc communis ſententia Numæ Templi huius ædificium adſcribit non Romulo. Rotundæ figuræ eſſe, vt notauimus ſuprà *n.* 173. docent communiter, & notat Ouidius *faſt.* 5.

177 In hac igitur æde nullum fuiſſe ſimulachrum, ſed ſolum ignem ſolitum aſſeruari citatus docet Ouidius hoc diſticho:

Ignis inextinctus Tēplo celatur in illo,
effigiem nullā Veſta, nec ignis habet.

Certè nec per ignem Veſtam hieroglyphicè intelligebant, ita vt is illius eſſet imago & ſimulachrum; ſed potiùs credebant eum eſſe ipſiſſimam Deam, vt cōſtat ex eodem Ouidio *faſt.* 6. dicenti,

Nec tu aliud Veſtam quàm viuam
intellige flammam.

178 In hoc Templum per diem viros admiſſos, interdictos per noctem docet Dionyſius loco ſuprà citato. Cæterùm ad intima illius ædis & domus penetrare quouis tempore etiam diurno vetabantur. Notat Ouidius, apud quem Metellus ſacra ab igne crepturus, quando Templum deflagrabat, ſic ait;

Sacra vir intrabo non adeunda viro?

Vnde meritò mirari poteris eſſe homines noſtra ætate, qui ſe doctos, & expertos

pertos exiſtiment, & tamen noſtras Moniales diſcurrere per integras prouincias permittant, cùm legant tam neceſſariam viſam fuiſse etiam Gentilibus ipſis clauſuram vt ad penetralia Veſtalium viros intrare non permiſerint.

Ipſarum primum, illudque præcipuũ munus fuit, ignem ſeruare, quem ſine intermiſſione ali & reparari opus erat; eapropter Cicero 2. *de legibus*: *Virgineſque Veſtales in Vrbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum.* Quòd ſi ignis aliquando fuiſset extinctus, verberibus affligebantur à Pontifice in loco obſcuro; & velo medio interpoſito, vt notauit Plutarchus.

179 Aliud verò illarum munus erat aſſiduè diù noctuque ſacrificare, & medijs noctibus ſacrificijs vigiliarum faciundis exſurgere, vnde Seneca de Prouidentia. c. 5. *Quid porrò!* ait, *Non eſt iniquum nobiliſſimas virgines ad ſacra facienda noctibus excitari; altiſſimo ſomno inquinatus frui.*

Eligebantur autem hæ Virgines à Pontifice Maximo certis conditionibus earum religioni præſcriptis: deducebantur in artium Veſtale, & ſubfibulo amiciebantur. *Erat autem ſubfibulum*, vt verbis Pierij vtar lib. hierogl. 40. titulo virgines Veſt. *veſtimẽtum album prætextũ, quadrangulum oblongum, quod ipſæ in capite ſacrificantes habebant, idque ſub mento fibula comprehendi ſolebat, vnde & nomen.* Addit Matronis Romanis eſse in vſu; & ex figura colligo id capitis muliebris ornamentum eſſe, quod vulgò cognominatur *Toca* Hiſp. Pierius authorem non citat, poterat tamen allegare ſi vidiſſet Alexandrum Sardum *lib. 1. de moribus gent. cap. 26.*

180 Vtebantur ſubfibulo, quia caput radebant nouacula, capilloſque ad arborem Loton ſuſpendebant, quę propterea dicta eſt Capillata, & apud Romanos maximo in honore habita: de qua Plin. lib. 16. cap. 44. *Antiquior eſt Lotus quæ* Capillata *dicitur, quoniam virginum Veſtalium ad eam crinis defertur.* & Feſtus: *Capillarem arborem dicunt, in qua capillum tonſum ſuſpendebant.*

181 Habebant ſuum Veſtales probationes genus & tempus, elapſoque nouitiatus ſpacio profitebantur, & promiſſione facta neceſſe erat per triginta annos Virgines omnino & puras, à nuptijs abſtinere, ſacris ſeruientes legitimiſque cæremonijs, vt docent dictus Dionyſius *l. 3.* Plutarchus *in libro cui titulus, An ſem, ſit gerenda Reſp.* & Sen. *de vita beata ep. 29.* quod optimè irridet Ambroſius hiſce verbis: *Qualis eſt iſta non morum pudicitia, ſed annorum; quæ non perpetuitate ſed ætate præſcribitur?* At hîc ego conceſſurus Ambroſio caſtitatem perpetuam trigintannali excellentiorem eſse, malum eſſe vouere Deo aliquot annorum caſtitatem non video.

Alebantur publicis ſtipendijs (docet Liuius) vt ab alijs curis vacuę, Deæ ſacra operarentur.

Veſtalium antiquitas.

Harum illuſtrium Sacerdotum ſocietatem multa authorũ teſtimonia comprobant eſſe antiquiſſimam. Ante Numam qui dicitur primus illas Romam adduxiſse, imò & ante Romulum Vrbis principem & reſtauratorem Veſtales fuiſse, Mater violata manifeſtat; quapropter certum putat Dionyſius Halic. iam citatus à Romulo omiſsas, ne ſuæ matris dedecus ad omnium memoriam reuocaret, Has ipſas ante Romam conditam in Alba fuiſse atque in Lauinio condito Aeneas ibi Veſtæ ædẽ ſacrauit, cui deinde Aſcanius Alba-longa condita templum in monte Albano extruxit.

182 Ab ipſo vniuerſali cataclyſmo, & Nohę vxore eas deducit Petrus Gregor. *in ſyntagm. iuris vniuerſi lib. 15. cap. 17.*

c. 17. & Iacobus Middendorp. *in Academia Rom.* & Ioan. Roſin. *Roman. antiq. lib. 2. cap. 12.* ſequutus & munitus authoritate Q. Fauij Pict. & tandem Proſper Stellartius *libri Fundamentum & Regularum cap.* 1. qui omnes ſubſcribentes Beroſo *lib. 5.* Veſtam affirmant fuiſse vxorem Iani, quem omnes antiqui Noham eſse exiſtimarunt, eamque vocatam fuiſse Titheam, Hebraicè autē *Aretſiam*, (ארץ *Arets* autem terram ſignificat) quòd cunctorum viuentium eſset Mater. Mortuam verò, addunt אשה *isiar* id eſt *ignem* cognominatam, quia Regina ſacrorum puellas docuerat æternum ignem conſeruare.

183 Cęterùm cùm non à Nohę vxore ſed ab ipſamet Eua vniuerſali matre Veſtales originem traxiſse probauerim, certum eſt non à diluuio; ſed ab ipſa Mundi infantia illas exordium deſumpſiſse.

Ignem vigilem legimus voluiſse Deū perpetuò in tabernaculo ſeruari, vt conſtat ex lege Moſaica Leuit. 6. vbi *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies*. Et rurſus: *Ignis eſt ille perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*. Ex hoc loco colligunt aliqui ante Moyſem Veſtales virgines non fuiſse: non enim dignum Deo exiſtimant ſtatuere ſuæ legis cæremonias iuxta ritus gentilitatis: hæc enim multa à diuinis ſumpta prophanauit: ille verò non eguit huius ſuperſtitionibus ad ſuas leges, & ſtatuta componendæ. Hunc ergo dicendi modum ſecuti aſserunt dæmonem pro ſua perpetua in Deum malitia inter plura alia hunc ritū diuinum imitatum in ſuam ſuperſtitionem conuertiſse, voluiſseque habere. Virginum conuentus, igni dicatos conſeruando. Huius ſententiæ inter alios reperio Iac. Middendorp. *in Acad. Rom.* Quæ à ſimili poteſt cōfirmari: apud Indos enim Gymnoſophiſtæ Religioſi habebantur per quos à Dijs res neceſsarias petere ſolebant; eò quòd propter caſtitatē aliaſq; virtutes Dijs chariores exiſtimabantur. Idem dixero de Athenienſium Hierophantis, de Iouis Cretenſis Prophetis, quos à Curetibus (vnde & ipſa Creta denominata eſt, vt notat Bolducus *lib. 1. Eccleſiæ ante leg.*) exortos veroſimile eſt. Idem de Baalis Sacerdotibus, aliarumque Gentium Religioſis viris, caſtis virginibus, puriſſimiſque diuerſarum Dearū Nymphis, de quibus antiqui, & noſtri plura doctiſſimè ſcripſerunt, quæ fuſiùs repetere moleſtum foret. Catholicis ſimiles hoſque prophanos ritus noſtri Hiſpani in tractu Peruuiano repererunt, vbi crebra & ſumptuoſiſſima templa dicata Soli in his ducentenas virgines miniſtrare, tradunt Petrus Cieza, Auguſtinus Zarate, & alij, qui id proprijs conſpexerunt oculis; ex quibus ſi aliqua corpus polluiſset, morte luebat, niſi fortè ſe à Sole concepiſse ſanctè iuraſset; quia iuxta Philoſophos Peruanus à Sole vel Homine poterat Homo generari. *Hominis Solem & Hominem parentes eſse*, docuit antiqua parœmia; coniunctiuā eſse poſitionē docent Peripatetici, ſed Peruani id aſserebant diſiunctiuè. Habebāt Mexicani teſte Acoſta confeſsariorum formam, & ſuperſtitioſiſſimam ſacræ Euchariſtiæ imitationem. His denique addere poſsumus eos, qui ab ijs totò Mundo diſſident, Iaponios & orientales, reliquos apud quos frequentiſſima innumerabilium religioſorum monaſteria reperiri referunt, quos *Bonzos* Iaponica lingua appellāt, eorumque conuentus publicis ijſq; copioſiſſimis ſumptibus ſuſtentari, diuerſoque habitu, cæremonijſque gaudere, & iuxta hunc religioſiſſimum viuendi modum *Bonzos* & *Bonzas* ante mille annos floruiſse affirmant.

184 Ex ijs quæ diximus faciliùs & firmiùs colligeretur homines ratione naturali, lumineque dictāte proprio co-

gnouiſſe. Numen eſſe aliquod, quia vt docet Cic. 2. de natur. Deor. *Nulla gens tam efferæ aut barbara reperitur, cui nō ſit aliqua Diuinitatis opinio*, animaduertiſſeque vel Patrum traditione, vel natura magiſtra illud ab hominibus eſſe muneribus colendum; pios inſuper, vt piè viuant, debere occaſiones impietatum fugere, & conſequenter à ſceleratis ſeparari vt Mundo incogniti, Deo vni appareant, de quibus Plutarch. *lib. de co. ſing.* ait, *bene vixit qui latuit*. Ideò conuentus Platonicorum in luco fuit: & Monachorum inſtar inter quercus & vlmos Pythagoræorum conuerſatio. His de quiete & ſolicitudine vna ſolicitudo, vt doctè expendit Ludouicus Calins *lib. 25. cap. 36.* Ergo duce natura potiùs quàm aſtu dæmonis potuerunt veteres Deum diuerſis ritibus & cæremonijs venerari.

185 Cæterùm quamuis concederemus id dæmoni, quod in aliquibus caſibus negare nō poſſumus, nihil inconuenientis ſuperinduit, id quod à contrarijs exinde obijcitur ſequi; nempe Deum ex prophanis ſuperſtitioſiſq; ritibus ſuo in tabernaculo cæremonias vſurpauiſſe; multa enim in Eccleſia hodie ex idololatricis prophaniſque religioſa facta. Probo ex Teodoreto lib. 8. de Euang. veritate ſub finem: *Caſſos gloria* (Deos falſos puta) *vanoſque Deus reddidit, ſuis autem martyribus illorum honorem dedit*. Multa ſuperſtitio inuenit, quæ poſtea catholicus purificauit cultus, & vſurpauit. Aquæ luſtralis, quam *benedictam* dicimus, communis & ſanctiſſimus eſt vſus: ſed hunc ab idololatris repertum video. Apud Virgilium:

—— —— corpuſque recenti
Spargit aqua, ramumque aduerſo in limine figit.

Tertullianus *de Baptiſm.* docet quod idololatræ *villas, domus, templa, totaſque vrbes aſpergine circulata aqua expient paſſim.* Idem docet author lib. de morbo ſacro (Hippocrates communiùs creditur) his verbis: *Ipſi terminos templorum Dijs deſignamus, vt nullus qui non purus ſit tranſcendat, & ingreſſi reſpergimus, non vt inquinemus, ſed ſi quod etiam priùs ſcelus habemus, purificemus*. Quæ quidem luſtralis aqua adeò apud Aegyptios, Chaldæos, Græcos, Romanos, Perſas, Arabes, aliaſque nationes communis eſt, vt ſuperfluum iudicem allatis vltrà teſtimonijs roborare.

186 Nunc ſalute accepta, naufragio ſuperato, ſecundo euentu tabellas pendimus in templis, & in illius honorem, cuius ope ſalutem, vitam, portumque accepimus, ſanctiſſimè obſequij gratia conſecramus. Ritus ſanè omni laude digniſſimus, ab idololatris tamen inuentus, & poſteà à noſtris ſacer factus. Teſtor Senecam *epiſt. 116.* & Varronem *de Lingua Lat.* qui expreſsè id aſſerunt, notat & Tibull. *Eleg. 3. lib. 1.* de Iſide:

Nunc, Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Item & Maro *in Catalecticis*:

Non ego thure modò aut picta tua templa tabella
Ornabo, & puris ſerta feram manibus.

& alia omitto plurima, quæ curioſè in huius confirmationem argumenti conglomerat Roa *de die Natali ſacro, & profano cap. 1.* Confirmatur hæc veritas Cyrilli verbis, quæ recenſentur à Gancio, Oleaſtro, & à me cùm ſuperiùs ago de Nazarenis *diſp. 13. num. 52.* quibus expreſſe aſſerit Nazaræorum ritus ab idololatris vſurpatos diuinitùs purificatos eſſe.

187 Præterea, quamuis non eſſet poſſibile, prophana à Deo & Eccleſia purificari & ſancta effici, cuius oppoſitum nuper efficaciſſimè probaui: non inde concludi poterit poſteriores. Veſtales fuiſſe Moyſe, & eas à tabernacu-

lo potiùs, quàm hoc ab illis conſeruandi vigilis ignis ritus & cæremonias accepiſse ſiquidem hæ Veſtales virgines licet inter idololatras idololatræ: inter Gentiles tamen, qui vnum Deũ naturali lumine coluerũt, gentilizarunt, & ſe illi ſacrantes, ſacrificijs creberrimis diù noctùque aſſiſtentes, vitam egerũt laudatiſſimam: quæ profectò à Gentilibus interdicerentur, ſi contra leges à vitas & morem patrium idololatraſsẽt.

Hæ ſunt illæ quas inter The-rapeutas vel Raphaimos, quos à primis Mundi annis floruiſse diximus, annumerat Philoſ. *de vita contemplat.* quem ſuperiùs citaui. Nec valet dicere eas eſse Raphaimorum vxores, illi etenim caſtè viuebant, vt ibi demonſtraui. Ex quibus ſatis ſuperq; liquet, Religioſas fœminas ab ipſo Mũdi exordio, ſicut & viros, ſeſe particulari viuẽdi modo Deo vni conſecrauiſse, quod fuerat probandum.

DISPVTATIO XVII.

De Religioſis fæminis habitantibus ad oſtium tabernaculi.

188 SI diuinarum ſcripturarum monumenta, & veterum Patrum ſcripta debita reuerentia & æquo ſtudio conſulamus, reperiemus antiquæ Eccleſiæ more non ſolùm Religioſos ante Chriſtum fuiſse, ſed etiam Religioſas Audi Ambroſium *lib. 1. de Virg.* qui illud enarmonicum canticum expendens: *Cantemus Domino; glorioſè enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare*, Exod. 15. ſic ait: *Maria ſumens tympanum, pudore virgineo choros duxit. Conſiderate cuius illa ſpeciem tunc gerebat: nonne Eccleſiæ, quæ religioſos populi cœtus, qui carmina diuina concinerent immaculata Virgo ſpiritu copulauit? nam etiã in Templo Hieroſolymis legimus fuiſſe Virgines deputatas.* In eadem ſententia ſunt plurimi, qui de eadem viragine ſcripſerunt.

ARTICVLVS I.

De Speculis & Aeneo mari.

189 FViſse Religioſas ante Chriſtum, probant curioſè authores varij expẽdentes verba Exodi. *c. 38.* vbi aſſeritur Moyſes feciſse *labrũ aneũ cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* Vbi communiter Interpretes affirmant fuiſſe mulieres, quæ ſæculi vanitati & pompę renunciantes, ſe & ſua miniſterio Domini mancipauerant. Peccatorum illecebras conſecrauerant Deo, & habitabant ad oſtium tabernaculi. Ita Abeneſtra, cui fauere videntur Seniores ſeptuaginta, qui legunt: *Fecit labium æneum & baſim eius æneam de ſpeculis ieiunantium, quæ ieiunauerunt apud oſtium tabernaculi.* Caldæus Interpres: *De ſpeculis mulierum, quæ veniebant vt orarent in oſtio tabernaculi.* Sanè ad Arces fœmineas (erant duæ domus ad oſtium tabernaculi) veniebant oraturæ, & ibi perennabant: colligo ex ſacro textu carpente Heli Sacerdotem. 1. *Reg.* 2. & de remiſſione, condemnante his verbis *Heli autem erat ſenex valde, & audiuit omnia quæ faciebant filij ſui vniuerſo Iſraeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi.* Ergo vt optimè notat Ioſephus *lib. antiq. 5. cap. 11.* mulieres huiuſcemodi prope oſtia tabernaculi habitabant.

190 Hanc de ſpeculis mulierũ hiſto-

riam difficilem tetigimus, iuuat profundiùs explicare. Fecit vas æneū de ſpeculis: ſed quomodo? Ludouicus Iſtella *Exod.* 38. mare æneum his ſpeculis ornatum aſſerit: non enim ſufficiebat intelligere, quomodo potuerit vitrum fundi & cum ære commiſceri. Nihilominus quod huic authori difficile eſt viſum, facili negotio intelliges ex Vitruuio *lib.* 3. *cap.* 7. vbi poſtquam negauit argentum ſpeculis aptam materiam eſſe, eò, quòd ſit & minus ſolidum, & læuigationem vix capiat: addit ſtanni frigidam materiam æri admixtam viriles radios aptè refringere, & obiecta quælibet imaginare. Accinit Plinio *lib.* 35. *cap.* 9. *& lib.* 34. *cap.* 17. Specula igitur illa, quibus Hebrææ mulieres alebant vanitatem, ex ſtanno & ære fuerūt fuſa, atque à ſæculo valedicentibus Templo & Domino, conſecrata. Potuit igitur Moyſes vas illud fundere ex ſpeculis Religioſarum. (Hoc pietatis officium Gregorius *hom.* 17. *in Euang.* expendit.)

191 Creuit ſacratarum Deo mulierum numerus, cùm extructo Templo domus capaciſſimæ fuerunt erectæ, in quibus deuotæ fæminæ ſine labis ſuſpicione eſſe poſſent. Ita Baronius *tit.* 1. *in Apparatu ad Annales Eccleſiaſt. cap.* 37. & probat ex Leuit. 27. vbi lege diuina tam maſculorum quàm fœminarum ſtatuitur redemptio. Erat autem in vouentis arbitrio, aut remanere in templo, aut ſe pretio redimere, quod colligitur ex Samuele 1. *Reg.* 1. qui à teneriima ætate templo miniſtrauit nullo ſoluto pretio. Ergo, ſi in vouentis arbitrio erat vel ſe redimere, vel miniſtrare in templo: non potuit non contingere quod multæ remanerent.

ARTICVLVS II.

Porti argumento ſatisfacio.

192 Dices, non pendere à vouentium arbitrio redimi: ſed redimēdos neceſſariò fuiſſe omnes illos, qui ſe cultui diuino & templo conſecrabant; ac per cōſequēs aſſertis eſſe inefficacem Achillem, qui præcedenti articulo noſtram ſententiam propugnabat. Aſſumptū probas ex textu Legis, cuius tenor eſt talis: *Homo qui votum fecerit & ſpoponderit animam ſuam, ſub æſtimationem dabit pretiū.* Ecce pretium debere dari aſſeritur. Non poſſe non redimi, probatur ſic: Triplex erat in templo miniſterium Gabaoniticum, Leuiticum, & Sacerdotale. Sacerdotalem dignitatē certum eſt ſolis Aaronis ſucceſſoribus conceſſam eſſe, adeò vt Oza, qui cùm laicus eſſet miniſtrare tentauit, perenni lepra diuinitùs percuſſus fuerit; 4. *Reg.* 15. Core etiam, qui Sacerdotium vſurpare voluit, etſi Leuites eſſet, cōburitur & ſuſpirio hiātis telluris abſorbetur: *Num.* 16. Ad Leuiticum miniſteriū nemo niſi Leuites accedere poterat, aliàs moriebatur: vt patet *Num.* 1. & 8. Supereſt ergo vt Laici solùm ad ligna cædenda, & aquā aſportandam pro ſacrificijs & alteris miniſterio ſe poſſent in templo conſecrare. Ad hoc autem miniſteriū nullo modo voluit Deus Iſraelitas dicari, quia Gabaonitarum numerus multus erat, & miniſterio illi ſufficiens: fuiſſet inſuper grauare ſanctuarium, quod omnibus miniſtris expenſas omnes prouidebat. Accedit, quòd neque hæc ſeruilis occupatio omnibus competere poterat, cùm votum hoc eſſet maſculis, & fœminis, pueris & ſenibus, Leuitis, & non Leuitis, & quibuslibet alijs commune.

193 Reſpondeo præter miniſteria illa, quæ in argumento expenduntur, dari particularia officia, quæ erant indifferentia,

ferentia, & competere poterãt tum laicis tum Eccleſiaſticis. Dabantur Collectores, Prouiſores, Cuſtodes, Theſaurarij, Oeconomi, Magiſtri operum, Gabaonitarum directores, & alij ſimiles. Cantores præterea & Muſici ſæpe ex Leuitis & aliàs etiam ex plebe eligebantur. Dabantur etiam qui curarent de cibis emendis, condiendis, miniſtrandis. Erant qui ſarciendis & reficiendis veſtibus proſpicerent; quia aliàs fuiſſent in templo ſummæ incommoditates. Interiores tunicæ, & reliquæ veſtes exteriores ablui debebant, & huic miniſterio fœminæ videntur natæ, quarum nobiliores præeſſe poterant, & alias ignobiliores gubernare. In tanto etiam virorum ac fœminarum numero morbi non erant defuturi; laborantibus igitur poterant mulieres miniſtrare, quia ægrotis ſolamen quæri debet, vbi autem non eſt mulier, teſte Sancto Spiritu, ægrotus ingemiſcit. Dabantur itaque plurima miniſteria, in quibus fœminæ & viri poterant in templo ſeruire. Idcirco reor omnes potuiſſe ſuam perſonam pretio redimere, nullum teneri. Ille qui decernebat perſonaliter ſeruire templo, Summo Pontifici, aut alij ab illo denominato, ſe ſe debebat ſiſtere, admiſſusque iniuncto officio ſatisfacere: quod ſi dimittebatur, obligationi ſuæ fecerat ſatis.

ARTICVLVS III.

Alteri obiectioni ſatisfacio.

194 OBijcis. Nullus ex Sacerdotibus poterat ſe vouere Domino, vt ſacrificaret quotidie: ergo nullus ſæcularis poterat ſe offerre vt miniſtraret quotidie Domino. Patet conſequentia: quia nulla eſt diſparitatis ratio. Ergo qui ſe vouebant Domino, ſiquidem quotidie miniſtrare non poterant, debebant redimi.

Reſpondeo nihilominùs eſſe rationẽ diſparem. Sacerdotes habebant determinata officia, quibus annexa erant iura non ignobilis vtilitatis. Habebant enim in holocauſto pellem *Leuit. 6.* in hoſtia pacifica pectuſculum & armum dexterum *Leuit. 7.* & præter adipem, integram hoſtiam pro peccato, quando non cremabatur extra caſtra. *Leu. 6.* Si quis autem voluiſſet quotidie ſeruire in ſacerdotali miniſterio, iuri alterius præiudicaſſet. Addo hoc votum videri omninò illi ſimile, quod emiſerat qui conſuluit Nauarrum affirmans ſe non poſſe non vocari ad purpuram, quia vouerat ſe ſeruiturum eſſe Eccleſiæ in Cardinalitia dignitate: cui ipſe reſpondet in conſiliorum libro, vel forte illi, quod Rabbinus emiſerat: quem Thalmudi author diuinitus damnari non potuiſſe ineptiſſimè affirmat, nam ſe cælitùs beandum iurauerat, & impœnitens non timebat diuina ſupplicia, quod putaret, votum à ſe emiſſum debere humanæ diuinæ iuſtitiæ præiudicare; quod abſurdum omninò eſt.

195 Sanè ſe quotidiano miniſterio vouere Sacerdotes non poterant, poterant tamen Leuitæ: non enim habebant à miniſterio iura, ſed ab officio: nempe portionem aliquam determinatam, ſiue ſeruirent, ſiue ſubſtituerent cõfratrem: ideo ex eo, quod aliquis vouiſset ſe miniſterio quotidiano, non poterant reliqui grauari. Exſtat in huius rei confirmationem Lex *Deut.* 18. concedens Leuitæ, vt poſſit, ſi voluerit, manere in domo ad miniſtrandum: quod propter rationem ſuprà poſitam Sacerdoti nemini concedebatur: hi enim per vices ſuccedebant. 1. *Par.* 25. & 26.

ARTICVLVS IV.

Baronij ratiocinium eſſe inefficax.

196 VT probent aliqui fuiſſe in veteri Lege Religioſas, vtuntur argumento Baronij, deſumpto

 ex hi-

ex hiſtoria quam legimus 4. *Reg.* 11. vbi Ioſaba, quæ 2. *Par.* 22. dicitur Ioſabetha, filia Regis Iorami liberauit Ioaſium à gladio Ataliæ. Dabo tenorem textus, vt meliùs circumſtantias percalleas: *Tollens autem Ioſaba filia Regis Iorami ſoror Ochoziæ, Ioaſium filium Ochoziæ, furata eſt eum de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio, & abſcondit eum à facie Ataliæ, vt non interficeretur. Eratque cum ea ſex annis clam in domo Domini.* Ex quibus verbis colligitur Ioſabam Regis filiam habitaſse in domo Domini: ergo dabantur Religioſæ fęminæ habitarent ad oſtium tabernaculi, vt ſuprà dictum.

197 Nihiloſeciùs ſi rem accuratiùs conſiderem conſequens verum eſt, eſt tamen mala conſequentia. Religioſæ mulieres in domo Domini habitabant, id tamen malè colligit Baronius ex tragœdia citata, Ioſaba virago nobiliſsima Ioaſium à morte liberauit, habitabat in domo Domini, non tamen quà religioſa fœmina, ſed qua vxor Ioiadæ ſummi Pontificis. Conſtat ex 2. *Paral.* 22. vbi eadem narratur clades ſed his verbis: *Porrò Ioſabetha filia Regis tulit Ioas filium Ochoziæ & furata eſt eum de medio filiorum Regis, cùm interficerentur: abſconditque eum cum nutrice ſua in cubiculo lectulorum. Ioſabetha autem erat filia Regis Iorami, vxor Ioiadæ Pontificis, ſoror Ochoziæ.*

ARTICVLVS V.

De Virginibus dicatis Templo.

198 DAbantur Religioſæ Virgines in domo Domini, ſed duobus locis diuerſis. Virginum aliæ poterant egredi, alię clauſuram ſecutiſſimam profitebantur. Probatur ex 2. *Machab.* 3. vbi agitur de relictis virginibus in templo, quæ procurrebant ad Oniam ſummum Pontificem vbi textus Græcus τὰς καταλύσεις τῶν παρθενῶν. id eſt *clauſas virginum*, ſiue quod idē eſt, *ex virginibus eas, quæ concluſæ erant.* Ergo duo erant conuentus virginū, quarum alijs licebat egredi, aliæ debebant clauſuræ leges conſeruare, prioribus ſimiles viderentur eſse noſtræ Beghinæ, & ſanctimoniales poſterioribus.

199 Iuuat quod Ioſephus *lib.* 5. *cap.* 12. recenſet, videlicet fuiſse in templo duas turres, *Fæmineas* agnomine: ſic dictas, vt putant viri docti, quòd deuotæ fœminæ in illis habitarent. Fauent expreſsè huic reſolutioni Ambroſius *lib.* 2. *de Virg.* Euodius apud Nicephorum *lib.* 2. *cap.* 3. Nyſsenus *oratione de natiuit. Chriſti.* Damaſcenus *lib.* 4. *c.* 13. Caniſius *lib.* 1. *de Beata Virgine c.* 12. Exponſius *lib.* 3. *de continentia cap.* 7. Suarius *in* 3. *par. diſp.* 7. Stellartius *lib. fund. & reg. cap.* 1. Quę omnia poſsunt confirmari hiſtoria Annæ Prophetidis, Phanuelis filiæ, quæ annos octoginta quatuor nata, & ab ipſa adoleſcentia vidua, poſt mortem mariti, cui conuixerat ſolummodò annis ſeptem, precibus ac ieiunijs intenta die ac nocte non diſcedebat de templo. Quod expendens Ambroſios *lib. de Viduis* ait: *Vides qualis vidua prædicetur. Vnius viri vxor, ætatis iam probatæ proceſſit, viuida religioni, & effracta iam corpore, cui diuerſorium in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio, quæ dierum noctiumq; temporibus indefeſſa deuotione obſequio, cum corporis agnoſceret ſenectutem, pietatis tamen neſciret ætatem.* Hæc fortè notauerat ille Cyrillus, qui dicitur Hieroſolymitanus cùm *Catech.* 10. Annam religioſiſſimam Monialem appellat.

200 Fuiſse in templo cellas ampliſſimas ab exteriori parte ædificatas, vbi & commodè & ſecurè virgines clauderentur, docent authores plurimi ex Ioſepho *antiquitatū l.* 3. *c.* 2. Vnde Ambroſius *lib.* 1. *de Virginibus* ſic ait: *Etiā in templo Hieroſolymis fuiſſe legimus virgines deputatas. Sed quid Apoſto-*

lus

lis dicit : Hæc in figura contingebant illis, vt eſſent indicia futurorum ? Figura enim in paucis eſt, vita in pluribus, Ex quibus Mediolanenſis Archiepiſcopi verbis colligo primò. Virgines deputatas (ſic Religioſas nominat) in templo ipſo habitaſſe: & hoc erat quod intereat noſtræ ſpeculationis. Secundò colligo illas fuiſſe ſimiles noſtris Monialibus differre tamen vt ectypus à prototypo : nempe fuiſſe vmbram futuræ perfectionis, & inſtitutionis Euangelicæ. Denique pauciores fuiſſe numero quàm noſtras, vel ſaltem ſic Ambroſium ſenſiſſe, cùm ait Religionis Monaſticæ figuram & vmbram paucioribus, vitam & veritatem pluribus conuenire. An & hodie expediret pauciores ſanctimoniales eſſe ? Vt reſpondeam, diſtinguam. Puto enim expedire Reipublicæ & pauperum nobilium ſolamini eſſe loca honeſtiſſima, in quibus quæcumque Princeps ſub deuotionis ſpecie honorificentiſſimè poſſit parentes à ſummis curis liberare. Puto etiam multis expedire virginibus, quæ ſanctiſſimè in monaſterijs viuunt: at illis, quæ meliores fuiſſent ſi nupſiſſet, & illis præcipuè quæ in clauſtro laſciuiunt omnino expediret extra clauſtrum benigniorem ſtatum vitæ profiteri, & idem omninò debet dici de Monachis.

DISPVTATIO XVIII.

De Sacrificio filiæ Iphtæ.

201 ADes Iphte Iſraelidum Dux illuſtriſſime, victorijs celeber, ſed & voto celebrior, & excellentior religione. Vadis Iudex vltima ſententia condemnaturus Ammonitas. Plenus Dei ſpiritu bellipotente circumis Galaadiam, Manaſſiã, Maſphiam & turmas vitrices promoues in Ammoniam. Votum voues Altiſsimo: *Si tradideris filios Ammonis in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit euertenti cum pace à filijs Ammonis, & in holocauſtum offeram Domino,* Sic *Iudic.* 11. 13. Verba ſunt digniſsima ſubtili calamo.

202 Rabbini non exiſtimant Iphtẽ, filiam ſuam morte vera damnaſse, ſed ciuili: hoc eſt illam conſecrauiſſe Templo & Deo: quia aliàs ſtultus in vouẽdo foret, & in reddendo crudelis. Primò textum huius capitis non intellexiſſe dicendi ſunt illi, qui Antuerpiæ in officina Plantiniana apud B. & I. Moretos anno M. DC. XVIII. exemplaria Biblica recognouerunt. In huius capitis epigrapha affirmant Iephtem temerè votum feciſſe. Sed doceri deſidero: qui temerè vouere poterat, qui non ex inclinatione naturali, ſed ex diuina inſpiratione vouit ? *Factus eſt ergo ſuper Iphtem*, dicit textus ſacer, *ſpiritus Domini ** & tranſiens ad filios Ammonis votum vouit* : quibus verbis non voti temeritas, ſed religio & ſanctitas ſignificatur : erat enim Iphte vir pius & timens Deum, dignus qui à Paulo *Heb.* 11. inter illius populi ſanctos connumeretur.

203 Confirmatur ſententia Rabbinorum, Hebræa lectione, quæ interprete noſtro Aria Montano ſic ſe habet: *Et erit Domino : & aſcendere faciam holocauſtum.* Ac ſi diceret: *Quidquid primùm occurrerit è foribus domus meæ, erit Domino ſanctum, & prætereà Addam aliquid in holocauſtum Domino*: Sic Rabbi ben Aijoth.

Alij exponunt ſic: *Quidqud priùs obuiā venerit mihi victori ex omnib. rebus, quæ in domo mea ſunt: vel illud cōſecrabo Domino: vel ſi res oblatione ſit digna, Deo offeram in holocauſtum.* Cæterùm inter ea, quæ cadere ſub votū poterant, filios nec ſacrificari nec vendi permittebat Lex. Filij, ſi vouerentur Deo, vel redimebantur pretio, vel ſeruitio templi addicebantur. Deuoti ſeruiebant in miniſterio ſexui, ętati atque induſtriæ oportuno, iuxta ea quę ſuperiùs tractauimus. Nobilium & Procerum filij, vtpote quos opera ſeruilia dedecebant, ſolenni ritu Deo conſecrabantur ad oſtium tabernaculi, & fiebant Religioſi.

Iphtæ igitur filia, quæ legitur deuota Deo, nec potuit nec debuit ignibus addici illegitimis, cùm hoc Leuitica iura interdicerent, quia aliàs Iphtæ eſſet multò infelicior Iphigènia. Hæc Agamemnonis & Clytemneſtræ filia fuit, & à patre in Aulide ceruum Dianæ occidente, addicitur ſacrificio victima. Oraculi occaſione, patris imperio, & aſtu Vlyſſis dum Achilli promittitur, igni crudeli deſpondetur. Diana clementior Agamemnone innocuæ Iuuenis artus candidos violari non permiſit: eam liberauit ab enſe, à flamma, atque ceruam ſuppoſuit, docens crudelem Agamemnona, non Deo Virgines, ſed animantes ſacrificandas eſſe. Huius hiſtoriæ meminit Ouidius transformationem quarto.

Hic pro ſuppoſita Virgo Pelopeia
cerua.

& eiuſdem operis duodecimo,

Suppoſita fertur mutaſſe Mycenida cerua.

Vnde corrigendus venit Propertius 4. qui venerabilis antiquitatis hiſtorias non percallens eam temerè aſſerit occiſam fuiſſe.

Idem Agamemnoniæ ferrum ceruice puellæ.
Tinxit.

204 Reor Iphigeniæ hiſtoriam eſſe eandem cum illa quam nuperrimè expoſui: & ſolùm Iphtæ filiam ab Iphigenia diſſidere circumſtantijs aliquibus, quas Ethnici non percalluerunt. Primò nomina ipſa conueniunt, mutatis aliquibus vocalibus, quarum apud Hebræos vix vlla ratio. Imò nec omnes Hebræi ipſamet nomina propria vniformi compendio vocalizant. Dicitur hic Iſraelidum Iudex יִפְתָּח *Iphti*: inde *Iphigenia* ſeu liberiori lingua *Iphigenia* vocatur Iphtæ filia. Legerunt Gentiles in contextu עַמּוֹן *Aghmon* litera, ע habet vim A & G. & ideo protulerunt *Agamemnon*; errauerunt tamen recentiores aliqui in hoc quod crederēt hunc Agamemnona fuiſſe Iphigenię patrem, cùm potiùs fuerit Iphtæ infenſiſſimus antagoniſta. Omitto alias circumſtantias hiſtoriæ charactericas, quoniam ſufficiunt iſtæ; vt oſtendamus nihil noui aut diuerſi authores Ethnicos aſſerere, ſed hiſtoriam Mycenidos (ſic Ouidius Iphigeniam nominat 12. Met.) ex literis ſacris excerpiſſe, additis nonnullis circumſtantijs ad maiorem ornatum, vt & fecerunt in alijs aut hiſtorijs aut fabulis. Hic ego. Atqui aſſerunt Iphigeniam non maſculauiſſe aras ſanguine, ſed aliam victimam fuiſſe ſuppoſitam: ne igitur videamur crudeliores Gentilibus, prodeſt acquieſcere.

205 Pulcher eſt, ais, ille duarum Virginum parallelismus, non tamen euidens. Nec ego id aſſero. Non eſt euidens ratio: eſt tamen ſubtilis & fortis coniectura, firmanda attamen ſpeculationibus ſubſequentibus. Primò dico, optimè aliquod Hebraizantes textum ſic reddere: *Aut erit Domino, aut aſcendere faciam illud aſcēſionem.* Hoc eſt, *aut erit Deo deuotum, aut ſacrificabo illud*, nēpe ſi capax fuerit vt Deo ſacrificetur. Ratio eſt; quia Vau, non ſolum coniunctio copulatiua, ſed ſæpe disiunctiua eſt. Sic Exodi 20. Hebræus habet, *Quicumquę maledixerit patri*

& ma-

& matri, pro quo Latinus, *patri vel matri*. Secundò, confirmo eandem veritatem ex ipſius filiæ reſponſione, quia conſultatio & reſponſio nequeunt non correſpondere. Intentum patris cognoſceretur ex verbis filiæ replicantis: *Hoc ſolum mihi præſta, quod deprecor*, ait Iphtæ filia, *dimitte me vt duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meã cum ſodalibus meis*. Hebraicè *& flebo* בתול Bbthulai *virginitates meas ego & ſociæ meæ*. Hebręi enim vt optimè notauit Montanus, ętates propriis nominibus diſtinguunt. בתולה *Betula* dicebatur fœmina iam apta connubio. *Permitte mihi*, ait, *vt illachrymer ætatem meam nuptijs oportunam, damnatam iam miſerrima ſterilitate*. Quæ verba expendo ſic. Non petit Iphtæ filia tempus vt vitam ſuam plangeret, & ſe ante diem occidendam lugeret. Plangebat propter virginitatem, nec non ætatem nubilem, quam nuptiis dolebat priuari. Ergo non capite filia Iphtæ, ſed perpetua virginitate condemnabatur. Patet conſequentia: quia deberet ipſa occidi, non iam propter ſterilitatem, ſed propter vitam perdendam illachrymaretur. Tertiò, conſtat eadem veritas ex eiuſdem capitis num. 39. ibi iuxta rigorem literæ Hebrææ: *Et fuit à fine duorum menſium, & reuerſa eſt ad patrẽ ſuum, & fecit ei votum ſuum quod vouerat*, והיא לא ne ipſa *cognoſceret virum*. Alii, ſed in eodem intellectu, *Et ipſa nõ cognouit virum*. Vltimò, patet eadem veritas ex illa conſuetudine pia, cuius meminit ſacratus textus: *A diebus in dies* (vel vt Pagnino & aliis, *Annuatim*) *ibant filiæ Iſraelis ad alloquẽdum filiam Iphtæ Gladæi quatuor diebus in anno*: Ergo non occidebatur Deo, vt perpetuam virginitatem cuſtodiret. Patet: quia aliàs eam annuatim non alloquerentur.

206 At dices, hanc expoſitionem cum vulgata translatione pugnare, in qua: *Eum holocaſtum offeram Domino*.

Reſpondet Lytanus eſſe in contextu verba plurima, ex quibus liqueat qualiter debeant propoſita explicari. Cæterùm licèt ſolùm citata ponerentur, deberent exponi metaphoricè non de naturali morte, ſed ſolùm de ciuili & morali. Is enim qui religioſæ vitæ ſtudet, cœlo conſecratur, moritur mundo, vt ſoli viuat Deo.

Audio te dicentem vix eſſe probabilẽ hanc Rabbinorum opinionem, vtpote quæ contra vniuerſos Patres militat aſſerentes Iphtem non morali & politica, ſed naturali morte condemnauiſſe filiam ſuam.

Quidquid ſit de probabilitate huius ſententiæ, aſſero eam, etiam ſi falſa eſſet, non poſſet non confirmare meum aſſumptum; quia eſt opinio Rabbinorum, qui in re ſcripturalia doctiſſimi celebrantur. Ergo ſaltem Rabbinicùm hanc hiſtoriam expoſuerunt, crediderũt dari Religioſas fœminas templo deuotas & ad oſtium tabernaculi habitantes; aliàs enim non aſſererent illam voto diſtinctam & ciuiliter occiſam eſſe. Accedit, quod hæc hiſtoria, bene aut male explicata, perſuadeat Rabbinorum ſententia tantam eſſe patriam authoritatem: vt poſſit filios inconſultos voto obligare: vnde aliqua eruere poteris, quæ exponendo noſtræ Regulæ capiti LIX. ſeruire poterunt, in eo enim agitur de filijs à parentibus Deo & monaſterio oblatis, quos obſtringi perſeuerandi obligationem, qui Rabbinis ſubſcriberet, negare non poſſet.

LIBER TERTIVS.

De conuerſatione Monaſtica ſub Chriſto.

207 *ORdior contra noſtri temporis Nouatores examinare quæſtionem diffi-cillimam: videlicet, vtrùm Euangelica Monaſticæ vitæ inſtitutio ſit recens introducta, an verò ab ipſiſmet Apoſtolis cognita, immò & ab ipſo Chriſto Domino inſtituta. Oſtendam ante Benedictos, Baſilios, Antonios, Hilariones, Paulos, fuiſſe verè Monachos, qui ſe Deo vouerint, & ſubſtantiales virtutes intemeratas conſeruauerint: vt tandem aliquando oblatratores taceant, & colatur ab omnibus veritas, quæ à ſapientibus negari non poteſt.*

DISPVTATIO XIX.

An Chriſtus Monaſticam egerit vitam.

208 REſpublica Monaſtica ipſi Mūdo coęua, cum primis hominibus nata, optimis inſtitutis atque legibus firma, vſque ad Chriſti aduentum perennauit. Perfecta Reſpublica non fuit, ſed ſimulachrum perfectiſſimæ, nempe imago Chriſtianæ: lex enim, vt docemur à Paulo *ad Hebr.* 7. nihil donauit perfectione. Religionum præſtantia in plenitudinem temporis ſeruata eſt, vt ſtatus Monaſticus haberet authoritatem vetuſtatis à ſæculo, à Chriſto autem & gratiarum & perfectionum plenitudinem. Ita Ambroſius *de Virginibus lib.* 1.

209 Fuerat in lege naturæ ante vniuerſalem cataclyſmum Religionis vinea recèns ſata, poſſeſſio parua, ſed magna ſpes illius ætatis. Incæpit feliciter excreſcere, & ſub Enoſe determinatis ritibus Deum colere, ac ſingularibus gratijs prærogatiuiſque ditari. Fronduit ſub Enochio, qui *Gen.* 5. ſemel ac iterū dicitur ambulauiſse coram Domino. Vineam enim Monaſticam excoluit, quę ſub Noha fuit admirabilior addita continentis conuerſationis puritate. Poſt diluuium quaſi florere viſa tempore Eſſenorum, Nazaræorum & Prophetarum, qui ſeueriori vacantes inſtituto, ornauerunt blandis virtutum floribus & dulcibus gratiarum roſis, pœnitentiæ rigidam aſperitatem.

210 Erant illi antiquiores Monachi quaſi Eremitæ, & raro habuerunt commoditatē conuiuendi ſimul: vnde Vvaldenſis *lib.* 3. *art.* 1. *cap.* 6. abſolutè affirmat illos fuiſse peregrinos, aut ſi verbis D. Benedicti vteretur, Gyrouagos, non conuentuales. Adducit in confirmationem illud Apoſt. ad Hebr. 11. *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes & confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* Cæterùm iſte locus potiùs de omnibus Iudæis, quàm de religioſis debet intelligi, qui ante Chriſti tempora vitam cum morte commutarunt. In Chriſti venturi fide vitæ valedixerunt, antequam acciperēt repromiſſionem, nempe Chriſtum: decreto enim tempore puer natus

eſt,

eſt, & filius datus eſt nobis ſicut locutus eſt Deus ad Patres veteres, Abraham & ſemini eius in ſæcula. Antiquiores iure peregrini, & hoſpites fuerunt ſuper terram, cuius Chriſtiani ſunt Domini. Ambiebant illi, quam contemnimus nos, nam illorum in terra fuit, ſed conuerſatio noſtra in cœlis eſt.

211 Vitam Monaſticam ad normam nobiliorem, non vocis oraculo, quàm vitæ exemplo promouit Chriſti Pręcurſor, Diuus Ioannes Baptiſta. Docuit nos contemplationi impalleſcere, mori Mundo, viuere Deo. Contempſit carnis illecebras, atque ſubſtantiam delicioſam: tenui contentus cibo, corpore firmus non potuit eſſe, non potuit non eſſe fortior mente, & parte vegetior nobiliore. Ad contemplationis apogæum abſtractus inter homines Angelicam vitam peregit. Ideò ab aliquibus Eccleſiæ patribus dicitur non Inſtitutor, ſed Princeps Monachorum. Hieronym. ad Euſtoch. epiſt. 22. *Huius vitæ authPaulus, illuſtrator Antonius, & vt ad ſuperiora conſcendam, Princeps Ioannes Baptiſta.* Accinit Chryſoſtom. *homil. 1. in Marc. & homil. de Ioan. Baptiſta*, & Iſidorus *de diuinis officijs capit. 15.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Difficultas proponitur.

212 VInea Monaſtica, licèt videatur ſpecioſa, careret flore & fructu, ſi Chriſto. Floruit olim futuri, nunc fructificat præſentis Chriſti Domini efficacia & virtute. Ipſe nobis magiſter Sereniſſimus, excellentioris vitæ præcepta inſtituens, virginitatis puritatem in cœlum euexit liberæ voluntatis ſubiectionem ſummis laudibus extulit, rerum temporalium contemptum eulogio felicitatis decorauit; ac omnes ſubſtantiales virtutes fecit ſupernaturalis gloriæ candidatas. Hæc ſunt potiora religionis vota, quæ Chriſtus noui ſæculi conditor exemplo docuit, & voce promulgauit. Condidit nouum ſęculum, cœlum alterum incorporæis Intelligentijs diues, & ſpiritu nobile. Aptè Hieronymus ad Euſtoch. de cuſtod. virgin. *Statim vt filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos & in terris.* Hi ſunt victores omnium calamitatum, triumphatores naturæ, & ſubactores voluptatis. Hi expeditiores in itinere, ſecuriores in tempeſtate, in infirmitate robuſtiores, ſuperiores periculis, calcant ſenſuum delicias, & ita ante terminum incipiunt beatitudinis ambroſiam prælibare.

213 Sed quomodo Chriſtus Dominus hanc florentiſſimam angelicamque familiam inſtituit? Exemplo alicui id videretur impoſſibile ob duas rationes, quæ indigēt expoſitione penitiore. *Prima ſit:* Status Religionis eſt ſecuriſſima ad perfectionem via, ſed via, atqui Chriſtus Dominus nunquam fuit in via, ſed in perfectionis plenitudine & termino: ergo dicendum eſt, Chriſtum non fuiſſe Religioſum. *Secunda autem ratio*, Votum teſte Doctore Angelico 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. ad 8. eſt particularis lex impoſita ex deuotione vouentis, cuius legis effectus eſt firmare in bono voluntatē. At Chriſti Domini voluntas erat in gratia confirmata: ergo Chriſtus Dominus vouere non potuit. Vtramque rationem videntur roborare argumenta, quibus Reuerendiſſimus noſter Lorca in 3. par. D. Thom. probat non fuiſſe impoſitum præceptum Chriſto Domino, qui vſq; ad mortem, mortem autem crucis factus eſt obediens Patri, non præcipienti quidem, ſed ſuam voluntatem inſinuanti, & quaſi conſulenti generis humani redemptionem. Quia ſi tolli debet præceptum vt Chriſtus remaneat impeccabilis, etiam tolli deberet votum, cùm etiam peccatis ſit libertas illa quæ con-

tra

tra votum. Quoniam ſi Chriſtus fecit votum, vouit rem liberam: quia nunquã votum facimus de neceſſarijs. Ergo potuiſſet Chriſtus non ſtare voto, ac propterea non fuiſſet impeccabilis. Ne igitur dicant Chriſtum peccare potuiſſe, qui auferunt præceptum, tenentur Chriſto negare omne etiam voto.

214 Pro difficultatis reſolutione ſupponendum eſt, dari interalios rerum ordines naturalem, ſupernaturalem, hypoſtaticum & diuinum. Iſti ordines ſunt quaſi ſpecies, quia ſe habent vt numeri, hoc eſt, excellentior includit ignobiliorem. Senſitiuus animus eminenter continet vegetatiuum, vterque clauditur in eminentia virtutis rationalis. Non aliter; ſupernaturalis entitas talis audit. eò quòd ſit ſupra omnem naturam, ac ideò eminenter continet perfectiones omnium entitatum naturalium. Ordo vnionis hypoſtaticæ continet eminenter omnes virtutes ſupernaturales. Diuinus ordo continet omnium rerum creatarum perfectiones, nempe ſimpliciter ſimplices formaliter, & alias eminenter. Hinc conſtat Chriſtum Dominum ratione huius hypoſtaticè non potuiſſe non continere ſaltem eminenter omnes ordinis naturalis & ſupernaturalis perfectiones, quarum vna ex præcipuis, & fortè à Theologicis Princeps, eſt Religio Monaſtica.

215 Ex hac ratione multi inferunt, Chriſtum dici debere Religioſum: continet enim eminenter ratione vnionis hypoſtaticæ omnem perfectionem Religionis. Hæc autem ratio ſi ſufficeret, Chriſtus etiam deberet vocari equus, ſublata omni metaphora, quia equi perfectionem continet eminenter. Præterea non ſolùm Chriſtus, ſed Deus deberet vocari Religioſus, quia etiam Deus eminenter continet religioſæ vitę perfectiones. Atqui nec Deus Religioſus poteſt dici, nec Chriſtus equus, lapis, &c. ergo non ſufficit eminentialis continentia ad verificationem formalem. Iuuat dicere, ſæpè Chriſtum Dominum dici Leonem, Agnum, Arborem, Vitem, quia tales locutiones ſunt myſticæ, non ſcholaſticæ, verificandæ ſolummodo in ſenſu intentionali, ſeu ſignificatiuo.

Sit ergo reſolutio Chriſtum Dominum potuiſſe vouere, non obſtantibus rationibus initio poſitis. *Quarum primæ obuiam eo*, aſſerens tendere in perfectionem non eſſe de eſſentia voti, ſed eſse effectum, quia per hoc eò tendunt non confirmari in gratia; eſſentia enim voti conſiſtit in eleuatione materiæ ad obiectum virtutis Religionis: actio n. quæ ante votum vel erat indifferens, vel ad aliam ſpectabat virtutem, voto eleuatur, vt euadat nobilior & fiat à Religione. *Ad ſecundam* ſimiliter reſpondeo. Votum enim confirmat in bono voluntatem, quam firmam non reperit; cùm autem Chriſti Domini voluntas firmata eſſet in bono ratione vnionis hypoſtaticæ, voto non confirmatur. Hæc enim confirmatio non effectus voti primarius, ſed ſecundarius eſt. *Argumenta*, quibus noſter Lorca probat præceptum non poſse conſiſtere cum Chriſti libertate, aut impeccabilitate, cenſentur inefficacia ab illis qui aſserunt Chriſtum fuiſse liberum in ſenſu diuiſo, non tamen in compoſito. Hæc ferè omnium ſententia eſt. Equidem primus incepi defendere Dei & hominum etiam in ſenſu compoſito illæſam libertatem; non quidem componendo actionem cũ omiſſione, ſed cum emiſſione expeditam potentiam. Sanè potuit Chriſtus eſse impeccabilis, & habere votum & præceptum; quod vberius expendo cum de humana libertate diſsero *in mea Philoſophia rationali*.

216 His poſitis, inquiram duo. Primum, vtrum Chriſtus virtutes exercuerit monaſticas. Alterum, an ad illarum praxim teneretur ex voto. Cum autem quærimus, vtrùm Chriſtus Monaſticam egerit vitam, non agimus de ſenſu

ſu

ſu eminentiali, non de myſtico ſeu intentionali, ſed de reali & formali: vtrùm ſcilicet Chriſtus Dominus formaliter loquendo, nempe in ſenſu rigoroſo hiſtorico egerit vitam religioſam.

ARTICVLVS III.

De Chriſti obedientia.

217 INcipio ab illa excellentiſſima Obedientiæ virtute, quæ homines reddit ſecuros in moralibus difficultatibus.

Reſpectu Patris Chriſtus Dominus de facto obediens fuit, quidquid in contrarium clamet noſter Lorca. Aſſerit Paulus ad Philip. 2. *Factus eſt obediens Patri vſq; ad mortem, mortem autẽ crucis propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ, quod eſt ſuper omne nomen.* Quæ verba de rigoroſa obedientia explicat Sanctiſs. noſter Legiſlator *in Reg. cap. 7. grad. 3.* Et ad Hebr. 10. idem Apoſtolus adducens verba pſalmi iuxta Latinos 39. & iuxta Hæbr. 40. ſic ait; Ideò ingrediens mundum dicit: *Oſtiam & oblationẽ noluiſti, corpus autem aptiſti mihi; holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi. Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me vt faciam Deus voluntatem tuã.*

218 Eſt magna diuerſitas in expoſitione talium authoritatum. Omittam igitur ſingularem Lorciſtarum ſententiam negantium Chriſtum habuiſſe aliquod præceptum, cui moraliter tenetur obedire, tum quia Benedictinus ipſe non debuit contra S. Benedictum docere; tum quia Benedictinus ego non poſſum ipſi contra Sanctum Benedictũ ſubſcribere, facili enim negotio poſſumus hęc tria ſimul tueri, videlicet Chriſti Domini impeccabilitatem & libertatem ſummam indictamque à Patre æterno legem: ſed de hoc vberius, cum de incarnato Verbo.

219 Inter authores etiam, qui admittimus Chriſtum habuiſſe præceptum, quæ eſt ſententia communis, eſt ſumma varietas in exponendis Apoſtoli Gentilium verbis. Carmen illud Dauidicum iuxta vulgatam editionem ſic habet: *Aures autem perfeciſti mihi.* Hebræa originalia legunt: *Aures autem* כריה Caritha, *perfodiſti* לי li *mihi.* Seniores ſeptuaginta legunt: *Corpus autem perfeciſti mihi*: Paulus verò, *aptaſti.* Hęc lectionum diuerſitas naſcitur ex vbertate linguæ hæbreæ. Quia אזנים *Aznaim* כריה *Caritha* exponi ſolent multifariam. Primò אזן *Ozen* ſignificat *aurem*, & in hoc ſenſu intellexerunt Regẽ Pſalmographum Vulgatus, Pagninus, Montanus noſter & alij innumeri. Secundò *Ozen* ſignificat *obedientiam*, & iuxta hanc ſignificationem cenſendus eſt Dauides dixiſſe: *Obedientiæ virtutem infudiſti mihi*, vt ſciamus virtutes Chriſti Domini non acquiſitas, ſed infuſas eſſe. Tertiò אזנים *Aznaim* eſt idem ac מאזנים *Moznaim*, hoc eſt, *ſtatera.* Ideò Pſalmi verſum transfero ſic: *ſtateram autem aptaſti mihi*: vel melius, *Statera autem perforaſti me.* Statera eademque crux, vnde aptiſſimè in Hymno Ciſtercienſi, quem poſſumus reſtituere verba aliter ordinando, vt metrum conſtet. Lego ſic:

Beata cuius brachijs
Pretium pependit ſæculi,
Statera facta corporis,
Tulitque prædam Tartari.

Hinc Iobus intelligendus venit, qui in miſerijs conſtitutus ſuperiorem ſe exhibuit vniuerſis, dum ait: *Vtinã appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quã patior in ſtatera: quaſi arena maris hæc grauior appareret: vnde & verba mea dolore ſunt plena.* Hoc eſt: O vtinam à ſtateræ crucis bilance altera penderent peccata illa, quibus iram merui, ab altera, à qua ſæcli pependit prætium, penderet etiam calamitas iſta quã extrinſecè patior, vel vt vult Pagninus, contritio illa mea, quæ dolor me con-

conterit, & pænitentia cruciat. Hæc, nẽpe contritio, calamitas, dolor, pęnitentia, admixta Chriſti ſanguini, præponderarent culpis, vt guttæ oceanus, & vt omnes arenæ totius maris granulo minutiſſimo. Hinc conſtat, illos qui ſummaria capitibus impoſuerunt, non intellexiſſe Iobi mentem. Lego in periocha capitis: *Oſtendit Iob ſe longè grauiora pati, quàm meritus ſit*. Hoc eſt falſum: quia labijs ſuis non peccauit Iob: & ſi hoc intendiſſet, quod textus periocha exprimit, blaſphemus fuiſſet: non enim ex ſe condignæ ſunt paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam, nec dabitur actio aliqua noſtra quà talis, quæ non ſit minor pæna cuiuſcunque veniali culpæ: actiones enim noſtræ dum coniunguntur per gratiam meritis Chriſti Domini, tunc præponderant cuicunq; culpæ. Conſonat ſibi patientiſſimus Iob cap. 31. 6. *Appendat me*, ait, *in ſtatera* בדח Sedech *Iuſtitiæ*, *& ſciat Deus perfectionem meam*. Ac ſi diceret: Ex me Domine nihil omninò ſum, omnes actiones meæ, quà tales, non niſi imperfectæ eſſent, non niſi iniuſtæ. Chriſtus tuus iuſtus eſt, imò & iuſtitia eſt. Appendat ergo in Iuſtitiæ huius ſtatera, hoc eſt cruce; quia ſi ſemel tollam crucem & Chriſtum imiter, ſi facias quod mihi mundus crucifixus ſit & ego mundo, tunc ſciet (in *Hiphil*, tunc ſcire faciet) DEVS ſimplicitatem & perfectionem.

220 Quartò אזנים Azeim *Arma*. Sic Rabbi Ionah. *Deuter.* 23. 13. Vbi Rabbi Dauid deducit à radice זון *zun*, ita vt *Aleph* ſit litera miniſterialis: hinc conſtat *aures*. ſiue quod idem eſt, *obedientiam* (nam audientem eſſe ſignificat legi obedire) eſſe *arma* homini, quod altè percallebat Benedictus, cum in prologo diceret: *Chriſto vero Regi militaturus obedientiæ fortiſſima arma aſſumis*. Colligo hinc etiam iuſtitiam, cuius ſimbolum ſtatera eſt, eſſe arma Reipublicæ: inermis enim illa eſt, quæ legibus optimis caret. Obſeruauit id Xenophon *Oratione de Agesilai laudibus*, qui conſultus quonammodo phalanx validior poſſet fieri: reſpondit exercitus vires & arma conſiſtere pręcipuè in obedientia. Hinc ingredientem in mundũ Chriſtum audio: *Oblationem noluiſti*, ait, *arma autem aptaſti mihi* quæ? qualia? Humanitatem. Quid fortius, quid illuſtrius Sole? quid fragilius, quid debilius vitro? nihilominus vitro Sol armatur, & qui ſolus non vrit, addito proportionali vitro tam fortem ignem excitat, vt me experiente ligna incendat, & Baptiſta-Porta aſſerẽte etiam metalla liquefaciat. Verbum æternum eſt Sol empyreus, lux lucis, fons luminis & paternæ gloriæ lumen immortale. Habes cor lapideum aut ferreum? rigeſcis frigore peccati & horres abſentia charitatis? Confugiſti ad Verbum, tranſnaturalem Solem, atque nondum caleſis? nondum in contritionis & doloris lacrymas ſolueris? interpone illam cryſtallum puriſſimam, nempe Chriſti Domini humanitatem: mediet inter te & Deum vita Chriſti, Redemptoris paſſio, atque candidiſſimi ſanguinis oceanus infinitus: DEVS per hanc cryſtallum radios armatos cordi tuo communicabit, & ferreum licèt, effundetur quaſi cera cor tuum in medio ventris tui.

Quintò, eadem vox ſignificat *corpus*: teſtibus Senioribus ſeptuaginta *Pſalm.* 39. & Paulo *ad Hæbreos*. 10.

121 Ex quinque his expoſitionibus naſcitur congrua limitatio pro verbo, כרה *Cara*, quod *fodere*, *frangere* ſiue *formare* ſignificat, ſumpta metaphora, (vt exiſtimat Genebrardus) à figulis, qui vaſorum figuras, ex argilla fingere conſueuerunt. Hinc ſeptuaginta Interpretes, *aptaſti*, *formaſti*. Pſalm. 8. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudẽ*. Et 1. ad Corinth. 1. *Sitis perfecti in eadem mente*, id eſt aptè cohæreatis in eadem ſententia. Significat etiã Cara *contractum facere*.

Ex

222 Ex prima ergo ſignificatione, *perfodere* vel *perforare aurem*, eſt hominem in ſeruum perpetuum ſibi addicere, alluſione facta *ad cap.* 15. *Deut.* vbi ſeruo, qui poſt annum remiſſionis eligit manere in domo heri, perforabitur auris ſubula vel annulo, quo pacto herus acquirebat dominium perpetuum, & ille perpetuam obedientiam proteſtabatur translatione ſumpta à tauris & bubalis, quibus pro fræno inijcitur circulus in nares, inde ſubula erat quaſi fræni loco atque adeò ſimbolum obedientiæ. Apud Hiſpanos etiam mancipia ſolent diſtingui à liberis collari ferreo, quod patrio idiomate *Virote* nominant. Vnde phraſis S. Scripturæ orta, *perforare aurem*, eſt idem ac *annulum ponere auri*, *naribus* aut *collo*, hoc eſt *mancipare*, *præcipere*. Fiebat autem hæc cæremonia, apud ipſam ianuam, quaſi profiteretur ſeruus ſe ab ipſo domus limine nō egreſſurum contra domini expreſſam voluntatem. Eò alluſit Paulus iſto loco: *Ingrediens in mundum ait, Tuus ſum*, hoc eſt: *Optimè tibi morem geras non ſecùs ac ſeruus, cui circulo aures perforantur ſub ingreſſum & introitum domus: Scio enim obedientiam victima tibi eſſe gratiorem.* Confertur autem Chriſtus ſeruo qui ſponté eligit ſeruitutem, vt quanto animi affectu præceptum Patris complecteretur, intelligamus, nimirum filius in corde, ſeruus in actione. Huic concepti fauet Apollinarius, qui ſic expreſſit: *Huc ideo veni pater, vt tua iuſſa capeſſā.* Vnde alibi de Chriſto dicitur: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Et hæc ex textu hæbreo, quibus ſatis clarè obedientia Chriſti Domini eſt demonſtrata. Seniores ſeptuaginta mutarunt vocem *aures* in *corpus*: & retinuerunt illud *perfeciſti* facientes paraphraſim vtriuſq; vocis. *Corpus* legerunt & non *aures*; noluerunt exponere vim vocis, ſed ſenſum, nā verbum diuinum non alia ratione poterat fieri ſeruus & obediēs patri, niſi carnem aſſumendo: vnde reipſa idem eſt, *perficere corpus*, vt dixit Paulus. Hinc Syrus explicatiùs, *corpus me induiſti*: vndiq; ergo verſiones conſpirāt & ſenſus.

223 Sed quia diximus in principio verbum hoc ſignificare *contractum facere*, id altiùs explicemus. Et quidem ſignificatio conſtat ex Oſeæ 3. *Fodi eam mihi quindecim argenteis*, Ideſt *comparaui*. Et Geneſ. 30. *in ſepulcro quod fodi*, vel *ſcidi*, ideſt *emi*: vnde poſſemus ſic interpretari: *Corpus meum, quod iure tuum erat, pretio mei ſanguinis mihi vendidiſti, vt cruciatus & dolores, quos in illo perferrē, atq; tributū ſeruitutis.*

224 Confirmat autem ſuam obedientiam Chriſtus ſequentibus verbis; *Tunc dixi, ecce venio, vt facerem voluntatem tuam.* Poſſem id plurimis alijs teſtimonijs & rationibus confirmare, niſi ſuperuacaneum iudicarem; docet enim Sexta Synodus Generalis in fidei diffinit duas eſſe in Chriſto voluntates non cōtrarias, quia voluntas humana diuinæ erat ſubiecta, ſic enim ait: *Oportebat carnis voluntatem moueri, ſubijcique diuinæ, iuxta ſapientiſſimum Athanaſium.* Ex quo patet Chriſtum Dominum veram obedientiam habuiſſe ad Patrem, iure & facto.

225 Homini autem Chriſtus iure ſubdi non potuit, non quidem propter defectum, ſed propter dignitatem perſonæ, ratione cuius habuit in humanitate dominium & ius ſuperioris ordinis per poteſtatem excellentiæ ſuper omnes homines. Vide Vaſquez *qu.* 20. *in* 3. *par.* Et quidem eum non fuiſſe ſubiectum Regibus temporalibus, colligunt Theologi in 2. d. 44. & Patres communiter ex illo Matth. 17. vbi agens Chriſtus de legibus tributorum dixit: *Ergo liberi ſunt filij.* At dices, Chriſtum debuiſſe obedire matri ſuæ: fateor quidem Chriſtum fuiſſe ſubditum matri & Ioſepho, *Luc.* 2. ſed id ſponté fecit, iure autem non tenebatur, quia iuriſdictio & poteſtas excellentiæ, quam habuit Chriſtus etiā in matrē ſuam, ſuperioris & altioris

ordinis erat. Fateor inſuper debuiſſe Chriſtum ex pietate colere matrem, quia tamen præceptum hoc multo altioris rationis erat in Chriſto quàm alijs hominibus; ideo diuerſo modo potuit illo præcepto Chriſtus obligari.

ARTICVLVS III.

De Chriſti Domini virginitate, & paupertate.

Christvs-Virgo.

226 FViſſe in Chriſto puritatem virgineam, de fide eſt; nam quãuis de re iſta nihil reperiatur in ſacris literis expreſſum: tota tamen Euangelij ſeries id teſtatur, vniuerſaque Eccleſia & Patrum concors ſententia confirmat, idque maximè decebat euangelicam puritatem, & congruebat doctrinæ, quam de virginitate erat publicaturus. *Facilè enim*, vt Bernardus in Cantica, *perſuadetur quod dicitur, dum monſtratur factibile quod ſuadetur.* Quod notauerat acutè Ouidius 6. *Faſt.*

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur.
Cum Iudex, alios quod monet, ipſe facit.

Vnde aptè Auguſtinus: *Tota Chriſti vita homini fuit inſtitutioni.* Sed & Chriſti Virginitas ex ſacra pagina colligi poteſt. Conſtat enim eum vxore caruiſſe, conſtat eum non peccaſſe (non enim peccare ipſe poterat) ergo conſtat virginitatem ſeruaiſſe.

CHRISTVS-PAVPER.

227 Supereſt iam vt ad paupertatis conſilium accedamus: Chriſtum autem paupertatem ſeruaſſe, & Euangelica docet hiſtoria, & confirmant oracula Prophetarum. Et vt hoc ſecundum demonſtremus, Dauid Pſalm. 39. loquens in Chriſti perſona, ſic ait; *Ego autē mendicus ſum & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei.* Loqui autem Prophetam de Chriſto, ipſe Paulus *ad Hæbreos* 10. à nobis pro obedientia dudum adductus teſtatur, qui ex hoc pſalmo oracula de Chriſto interpretatur. Et pſalmo 108. *Perſecutus eſt hominem inopem & mendicum:* quod D. Petrus *Act.* 1. interpretatur de Iuda, aſſerens eum fuiſſe perſecutorem illo teſtimonio ſignificatum, atque adeò mendicum fuiſſe Chriſtum. Quo etiam modo id interpretantur Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus, Arnobius & alij. Cum his teſtimonijs concordant alia deſumpta ex nouo Teſtamento: cùm enim Matth. 8. & Luc. 9. Scriba quidam dixiſſet; *Magiſter ſequar te quocumque ieris?* Reſpondit Chriſtus. *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos. Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Quibus verbis non ſolum negat ſe habere domicilium, ſed neque vbi caput reclinaret, & propterea *Domicilio incertum* illum vocauit Tertullianus *lib. de idolol. c.* 18. Naſciturus in diuerſorio locum non habuit, iam natus reponitur in ſtabulo & animalium præſepio; vixit in domibus & ex rebus alienis; nunc apud Martham, nunc apud Simonem leproſum, nunc apud Zachæum, nunc in domo Petri, nunc in domo Matthæi hoſpitabatur; equitauit in iumento alieno, vltimam cœnam in domo fecit aliena, denique poſt mortem neque ſepulcrum proprium habuit; & dum prædicaret, *mulieres* (inquit Lucas cap. 8.) *eum ſequebatur, miniſtrantes ei de facultatibus ſuis*; quia vt ait Hier. *in cap.* 27. *Matt. erat ea conſuetudo apud Hæbreos nec ducebatur in culpam more gentis, antiquo vt mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent.* Quod factum exiſtimat Tertullianss *lib.* 4. *contra Marcion.* vt Iſaiæ prophetia impleretur *cap.* 32. *Mulieres opulentæ ſurgite, & audite vocē meam, filiæ confidentes percipite auribus*

bus eloquium meum. Quem morem cùm Apoſtoli laudabiliter vſurparent, Nicolaus, Marcion, Simon Magus, Apelles, Montanus, Donatus, Arrius, & alij hæretici peruerterunt, vt videre eſt apud Hieronymum *in epiſt. ad Creſiphont.* quibus omnibus ſatis ſuperque probatum reor, Chriſtum Dominum quàm exactiſſimè paupertatem ſeruaſſe.

Chriſti Domini paupertas qualis.

228 De paupertatis qualitate cùm hæreticis & inter Catholicos ſatis anceps eſt dubitatio. Vt breuiter, quod in hac ſentio difficultate proferam. Aſſero primò, Chriſtum Dominum aliquo tempore habuiſſe proprium aliquarum rerum dominium, etiam in particulari; dicebat enim, vt Chriſtus, qui commune omnium erat exemplar & doctor, omnibus exemplum præberet, & his qui perfectam, & his qui minus rigidam profiterentur paupertatem. Et ſi à nobis inquiras, quodnam hoc fuerit tempus, quo Chriſtus proprium rerum dominium habuit. Reſpondeo, fuiſſe tẽpus immediatè baptiſmum ſubſequens; illo enim nullos habuit diſcipulos, quibuſcum in communi viueret; & dum aliquos cæpit habere, non ſtatim ita ei à principio adheſerunt, vt efficerent vnum quaſi corpus politicum, quod capax eſſet dominij communis; ac ſubinde Chriſtus, quæ ſibi donabantur ad victum & veſtitum, reuera poſſidebat, & propriũ eorum habebat dominium liberumque earum vſum; neque id eſt contra perfectionem Chriſti, qui pro temporis opportunitate non debuit, aut potuit alium viuendi modum obſeruare.

229 *Exiſtimo ſecundò*, Chriſtum Dominum ſimul cum diſcipulis aliquãdo rerum dominium habuiſſe, ſaltem in communi: hoc patet Ioan. 12. vbi de Iuda dicitur. *Fur erat & loculos habebat, & ea quæ mittebantur portabat.* Si Iudas fur erat, agebat igitur contra iuſtitiam ex illis bonis aliquid contra voluntatem Chriſti & aliorum Apoſtolorum vſurpando; & cap. 13. quando dixit Chriſtus Iudæ, *quod facis, fac citiùs*; exiſtimabant alij diſcipuli, qui loculos habebat Iudas, Chriſtum dixiſſe: *Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, vel vt egenis aliquid daret.* Vnde Auguſtinus de mendac. c. 5. *Videmus & ipſum Dominum habuiſſe loculos, quo ea quæ dabantur mittebantur, vt ſeruari poſſent ad vſus pro tempore neceſſitatis.* Et cap. 4. docet idem Ioannes diſcipulos abijſſe in ciuitatem, vt emerent eſcas; & cap. 6. dixit. *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Et Matth. 14. *Non habent neceſſe ire, date vos illis manducare.* Et ratio manifeſta id ſuadet; nam dominiũ nihil aliud eſt quàm facultas libera transferendi res aut conſumendi. Sed Chriſtus non potuit non habere vſum aliquarum rerum conſumptibilium, & illum liberum & independentem ab alio, qui omninò eſſet extra collegium Apoſtolicũ, ergo Chriſtus ſimul cum collegio habuit huiuſmodi dominium, imò ſi rerum vnico actu conſumptibilium vſus non diſtinguatur à dominio, habuit in illas Chriſtus dominium in particulari. Reuerà dominium in communi, neque repugnat perfectioni, neque illius ſtatui, vnde Primitiua Eccleſia, quæ videtur profeſſa ſtatum perfectionis, dominium habuit bonorum in communi, vt ſtatim dicam. Quia ergo Chriſtus ſimul cum Apoſtolis Eccleſiam inchoabat, neceſſe fuit vt ea bona quæ in communi omnes habebant, eſſent ſub dominio illius corporis.

230 Sed non minor dubitatio eſt, An hæc Chriſti paupertas tanta fuerit, vt aliquando mendicare compulſus ſit, & mẽdicus dici potuerit? Eſt enim inter pauperem & mendicum differentia, quod pauper ille dicatur, qui parum habet, vel cum labore viuit; mendicus verò qui nihil omninò habet. Vnde Martial. *lib. 11. epigr. 21.*

Non

Non eſt paupertas, Neſtor, habere nihil.

Eandem differentiam aſſignauit Ariſtophanes in Plut.

231 Hoc ſuppoſito Caietan. in Matth. cap. 5. Chriſtum aliquando mendicaſſe negat, cuius ſententiam ſecuti ſunt Medina *in 3. par. D. Tho. qu. 40. art. 3.* & Caſtro *lib. 10. contra Hæreſes verb. Mendicitas*. Quorum fundamentum eſt, quia nuſquam legimus Chriſtum mendicaſſe, ſed potiùs mendicis & egenis erogaſſe eleemoſinas. Præterea adduci ſolet in eius ſententiæ confirmationem, mendicitatem in veteri lege prohibitam fuiſſe Deut. 15. *Omnino indigens & mendicus non erat inter vos.* ¶ Oppoſitam tamen ſententiam ſecuti ſunt Albert. Pigius *lib. 5. contr. Eraſm.* Cathar. *lib. 2. cont. Caiet.* & Sixtus Senenſ. *lib. 6. Bibliotb. annot. 118. & 137.* Et Vvaldenſis *lib. 4. doctrinal. fidei cap. 3. & 4.* & poteſt hæc ſententia confirmari locis ſuperius adductis ex pſalm. 39. *Ego autem mendicus ſum & pauper*, & rurſus Pſalm. 108. *Et perſecutus eſt hominem inopem & mendicum*. Eſſe autem ſermonem de Chriſto ſupra oſtendimus & Prophetam loqui de vera mendacitate, patet; quia nomen אביון *ebion*, quod eſt in illis locis, ſignificat *egenum, mendicum & pauperrimum*, deductum à verbo אבה *aba*, quod ſignificat *velle, concupiſcere & deſiderare*, quaſi mendicus omnibus carens omnia deſideret, & concupiſcat. Cui videtur accinere Latinum idioma. *Deſiderari* dicitur, qui abeſt; ergo qui nulla habet, poteſt cenſeri omnia deſiderare. Idem confirmat Paulus epiſt. ſecunda ad Corinthios 8. capite. *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum diues eſſet, propter nos egenus factus eſt, vt nos illius inopia ditaremur*. Vbi primò expendendum eſt nomen illud *gratiam*, quaſi ex amore paupertatem ſuſceperit, non ex neceſſitate: aliàs cùm turbæ voluerunt eum facere Regem, dignitatem Regiam minimè recuſaſſet: hanc non admiſit; ſponte igitur prælegit paupertatem: & ita vſus eſt Paulus nomine πτωχὸς quaſi *qui cecidit*; vt inopem & mendicum intelligamus eum eſſe, qui ab omnibus fortunis excidit, ſignificat ergo *mendicus* non pauperem quomodocunque; hic enim ſignificatur nomine πένης. Sic intellexit Theodoretus in comment. huius loci dicens: *Qui cauſa noſtræ ſalutis extremam ſubijt paupertatem.* Hanc paupertatem Chriſti eximiam verbo *exinaniendi & euacuandi* expreſſit Paulus ad Philipp. 2. *Exinaniuit ſemetipſum*; eſt enim Hebræis *inanis, pauper* qui bonis & ſubſtantia caret, à radice ריק *Rik*, quod eſt *effundere* vel *euacuere*, vnde *Raka Matth. 5.* non ſignificat *inconſtantem & iudicij parũ grauis*, vt vult Maldonatus eo loco: ſed *vacuum & inanem honore, gloria, boniſque omnib. exhauſtum*, quod contumelioſum eſt. *Graue* ad honorem & diuitias pertinet in ſacro idiomate. Geneſ. 13. *Abraham dicitur diues valdè*, Hebraicè habetur, *Grauis valde in poßeſſione auri & argenti.* Eſt enim ibi verbum כבד *Cabad*, quod eſt *aggrauari duritie, pondere, honore vel gloria.* Sic intelligendum eſt, quod dicitur Prouerb. 8. *Nondum fontes eruperant*, Hebraicè: *Dum non eſſent fontes grauati aquis*, Rabbi Dauid *grauedines vel copia aquarum*. Et eodem libro, ca. 27. *Graue eſt ſaxum & oneroſa arena: ſed ira ſtulti vtroque grauior.* Hinc כבוד *caboa* ſignificat *gloriam*: Hieremiæ 2. *Populus verò meus mutauit gloriam ſuam (ideſt Deum glorioſum) in* Idolum, ita è contra *euacuari* vel *vacuũ eſſe* ad inopiam refertur. Vnde quod dicitur Iud. 11. *Congregati ſunt ad eum viri inopes*, non ſignificat *otioſos, vel leues*, vt exiſtimauit Vatablus ibi, & cũ ſecutus Maldonatus Matt. 5. ſed *vacuos* id eſt *bonis exhauſtus*; meliùs Septuaginta, *viri inopes*. Hanc ergo Chriſti paupertatem, exinanitionem vocat Paulus. Quapropter ſententia iſta nobis

proba-

probabilior apparet, & ratio pro ea videtur eſſe, quia quo tempore Chriſtus prædicauit, legimus aliquando indiguiſſe, vt alienis facultatibus aleretur. *Luc. 8. cap.* Non eſt autem probabile ſemper fuiſſe vltrò oblatas res omnes neceſſarias ipſi nihil petenti: nam licèt legamus pias mulieres quæ illum ſequebantur, de ſuis facultatibus eum ſuſtentaſſe, non tamen ſemper habuit mulieres ſectatrices, maximè in principio ſuę prędicationis; imò Matth. 21. legimus ipſum fame laborantem ad arborem fici acceſſiſſe, vt inde reficeretur. Probabile igitur eſt, ſimilem perſæpè paſſum inopiam è mendicato vixiſse. Et confirmari poteſt: nam cùm probabilius ſit Apoſtolos aliquãdo mẽdicaſse (patet ex miſſione illa, quæ exſtat Matth. 10. & Luc. 10. vbi præcepti tenor eſt, *Nolite portare aurum neque argentum:* ſed potiùs ab his quos docebitis, victum quærite, quia dignus eſt operarius mercede ſua) ſimili ratione credendum eſt Chriſtum idipſum aliquando feciſſe, vt Apoſtolos ſuo exemplo doceret, maximè cũ mendicitas actus bonus ſit, & virtus heroica, quæ non debuit Chriſto deeſſe. Et hanc ſententiam plures ſancti ſequũtur, nominatim Hieronym. *ad Furiam.* Auguſt. *in pſal.* 108. Chryſoſt. *hom. 86. in Matth. & hom. 19. morali in epiſt. ad Hebræos.* Bernardus & Albidrius, Diu. Thom. & Bonauentura proprijs de hac re opuſculis: & alij plures.

232 Fateor nõ mihi efficax videri argumentum, quod id probat Vvaldenſis ex eo ſcilicet quod Chriſtus Ioan. 4. dixit Samaritanæ, *Da mihi bibere.* Quamquam Vvaldenſis plures in eius rei confirmationem authores adducat: verùm Auguſtinus in Pſal. 108. dubitatiuè loquitur Ambroſius *in lib. de vinea Naboth* non loquitur de hoc facto: ſolus Michael Medẽſis id expreſsè aſſerit explicans Pſal. 108. Hoc, inquam, non videtur efficax argumentum; nam illud & nobiliores & diuites efficere poterant, vt ſæpè & reuerà efficiunt. Neque inſuper probatur, quod Vvaldenſis ſupra ſententiam oppoſitam hæreticam appellat, & S. Scripturæ & S. PP. doctrinæ contrariam, niſi forſan intelligat, quod oppoſita ſententia neget Chriſtum mendicaſſe, quaſi mendicitatem vitarit vt malam; hoc enim hæreticum eſt. An verò Chriſtus mendicauerit nec ne, non pertinet ad dogma fidei.

233 Supereſt vt obiectis in contrarium ſatisfaciamus. Et quamuis demus nunquam legi Chriſtum mendicaſſe, quod plures negant: non tamen propterea ſequitur nunquam mendicaſſe: non enim omnia quæ Chriſtus fecit vel non fecit, ſcriptis mandata ſunt: ſed plura ex his quæ ſcripta ſunt conijcimus, quæ tamen ſcripta nõ ſunt. Ex eo enim quod Chriſtus relictis parentibus manſit Hieroſolymis cum annorum eſſet duodecim *Luc. 2.* colligunt Bernardus Bonauentura, & Albridius (& piè quidem) illis tribus diebus vixiſſe è mendicato. Simili ergo ratione credendum eſt, eo tẽpore quo Chriſtus prædicauit, aliquando indiguiſſe alienis ad alimentnm facultatibus, ac ſubinde poſtulaſſe: neq; .n. veroſimile eſt vltrò non petenti fuiſſe oblatas. Nõ etiam obſtat, quod Chriſtus alijs eleemoſynas dederit; hoc .n. etiam de Apoſtolis dici poteſt, & his qui voluntariam profitentur paupertatem: ijs namque frequenter accidit, vt ea quæ mendicando quæſierint, alijs elargiantur pauperibus. Exemplo & confirmationi hodie ſunt omnes Religiones mendicãtes, quæ ſummo labore, & incommoditate parta impertiuntur pauperibus diſpendio liberali.

234 Relinquitur ergo, vt ad id quod ex Deut. adductum eſt nu. 231. reſpondeamus quem locum S. Th. 22. *q.* 187. *ar.* 1. *ad* 3. ita interpretatur, vt admittat quidem illic prohibitionem eſſe, addit tamen prohibitionem iſtam non fieri egenis, ne mendicent: ſed diuitibus, ne in ſubueniendo pauperibus ita parci, &

auari ſint, vt eos mendicare compellant. Fauet huic interpretationi quod eo loco non proponuntur promiſſiones, ſed potius monitiones ſeu præcepta ad miſericordiam pertinentia. Vnde poſtquam dixit, *Non erit mendicus inter vos*, ſtatim ſubditur, *vt benedicat tibi Dominus*: & reuera ita eſt; nam aliàs mēdicos fuiſse inter Hebræos, certius eſt, quàm vt probatione indigeat: dicitur enim in eodem capite: *Nō deerunt pauperes in terra veſtra*: & Exod. 23. *Non declinabis in iudicium pauperis tui*: quibus in locis eſt nomē אביון *Ebion* quod *mendicum* ſignificat, vt diximus, & eodem nomine vtitur inferius in eodem capite cum dicit: *Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fructus eius, anno autem ſeptimo dimittes eam & requieſcere facies, vt comedant pauperes populi tui*. Idē conſtat *ex Euāg. Luc. 16. & 18. Ioan. 9. & Act. 3.*

ARTICVLVS IV.

An Chriſtus vouerit virtutes iſtas.

HAbemus ergo Chriſtum Dominum virginitatis, obedientiæ & paupertatis conſilia ſeruauiſse, nec ſolum fuiſse pauperem, ſed & mendicum: ſupereſt explicemus breuiter, an Chriſtus hæc Religionis voto conſecrauerit.

235 S. Thomas 2.2. *q.*88. *a.*4. *ad* 3. videtur ſentire Chriſtum Dominū nullo modo potuiſse voto obſtringi, ſic enim ibidem ait: *Chriſto non competebat vouere, tum quia Deus erat, tum etiam quia vt homo habebat voluntatem firmatam in bono quaſi comprehenſor exiſtens.* Propter quæ verba aliqui viri docti mordicus affirmāt Chriſtum Dominum non fuiſse capacem voti: & ſi illis obijcias, fuit capax præcepti, ergo ſimiliter voti. Reſpondent Lorciſtæ negando Chriſto & præceptum & votum. Alij concedentes præceptum, negant votum: dicunt enim intercedere ſummam diſparitatem. Quia eſsentia præcepti eſt inſinuatio voluntatis Superioris cum intentione obligandi: effectus autem illius inſeparabilis in omni ſubiecto, eſt obligatio, qua transfertur actus ex materia libera virtutis in materiam obligatoriam: vnde quamuis Chriſtus fuerit confirmatus in bono à principijs intrinſecis, potuit tamen comprehendi ſub lege & præcepto patris, vt haberet meritum obedientiæ: ſecus autem de lege voti dicendum eſt, quia votum nequit ſeruari ex virtute obedientiæ, eò quòd in voto idem ſit Legiſlator & ſubditus, obedientia verò ſemper ſit ad alterum; & ex alia parte effectus voti eſt firmare voluntatem in bono, Chriſtus autem à natiuitate firmus erat, atque ideò votū facere non poterat. *Hæc illi.* Ex quorum ſententia manifeſtè ſequitur, Chriſtum Dominum non ſolum non emiſiſse votum virginitatis, Paupertatis, & obedientiæ, ſed nec potuiſse.

236 Oppoſitam ſententiam ſequuntur alij, qui non ſolum de poſſibili, ſed etiam de facto Chriſtum vouiſse affirmant. Hanc tenet Hilarius in illud Pſalmo 131. *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob.* Vbi docet Hilarius Chriſtum impia & profana docuiſse, ſi omnia quæ erga humanam ſalutem vouiſset Patri, non explesset, & poteſt cōfirmari illis verbis pſalmi 21. *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum.* Quo loco Prophetam loqui de Chriſto, teſtimonia & Euangeliſtarum & Pauli declarant, Eccleſiæque conſenſus confirmat, & fatetur ſapientum Hebreorum opinio, vt refert Genebrardus ibidem. Eſse autem ſermonem de proprio voto patet ex litera Hebraica & Græca, vox enim Hebræa נדר *Neder*, & Græca εὖχος, εος, το, propriam promiſſionem ſignificat, vt patet ex alijs S. Scripturæ locis, maximè Pſal. 65. *Reddam tibi vota mea*, & Pſalm. 75. *Vouete & reddite.* Quibus in locis ſermo eſt de votis proprijs, idque confirmat verbum illud, *reddam* quod voti obligationē indicat.

Fauet

Patet Baſilius & Theodoretus in ſupra cit. locum pſal. 21. vbi per εὐχὰς non *preces* ſed *promiſſiones* intelligunt. Fateor præter prædictos Patres Auguſtinum, & vtramque Gloſsam non explicare, qualia fuerint eiuſmodi vota: dicunt tamẽ myſteria corporis & ſanguinis Chriſti, & illorum ſacrificia eſse vota, quia ex voto ea obtulit Chriſtus in cruce, quod & docet Hieron. eo loco non poſſunt autem vota dici, niſi quatenus voto oblata erant.

In hac dubitatione dico primò, Incertum eſse, vtrum de facto Chriſtus proprium votum emiſerit. Sic intelligo D. Thomam 2. 2. *q*.88. *ar*. 4. *ad* 3. qui eo loco ſolum videtur docere non eſse eandem rationem vouendi in Chriſto & in nobis: quia in Chriſto fuit peculiaris ratio, propter quam non indiguit voto, quod optimè probant rationes illius, an verò de facto votum emiſerit, conſultò prætermiſit propter incertitudinem rei.

237 Dico ſecundò, Chriſtum non obſtante diuinitate perſonę potuiſse votum facere, & illo obligari. Patet tum ex his quæ diximus nu. 215. tum etiam, quia eiuſmodi votum non repugnabat Chriſto ratione naturæ aſsumptę ſecundum ſe (vt notum eſt) neque ratione vnionis vel perſonæ, ergo. Prob. min. quia talis repugnantia non oritur ex generali ratione cultus Religioſi, eò quod Chriſtus, vt homo potuit Deum colere & obedire & ſatisfacere, & illi obtulit Sacrificium, quod eſt propriè cultus Religioſus, ergo potuit vouere.

238 Rurſus Chriſtus fuit capax obligationis præcepti, ergo & obligationis voti: patet conſequ. quia votum habet vim peculiaris legis. Sed dicunt eſse diſparem rationem, quia præcepta habent bonum obedientiæ, quod non habet votum, & illius effectus non eſt, firmare voluntatem in bono, ſicut eſt effectus voti, ſed hoc non eneruat vim argumenti, nam licèt votum non habeat bonum obedientiæ, habet tamen bonum Religionis, & primariò eleuat ipſam voti materiam, non enim ſemper ſit votum ad firmandam voluntatem, ſed ad offerendum Deo obſequium, & conſecrandam ipſam materiam voti eleuandamq; ad ordinem, nobiliorem ex quo habet actus ex voto factus, vt nobilior ſit, & perfectior. Firmandæ voluntati prodeſt votum ſecundariò & per accidens, videlicet cum vacillantem reperit, & ambiguam, cum autem voluntas Chriſti Domini prædeterminata omninò fuerit, ſicut nec vacillare potuit, ſic nec voto firmari.

239 Denique liberum eſt aſserere Chriſtum ab inſtanti ſuæ conceptionis voto ſe Deo conſecraſse ad redimendos homines, & in eum finem ſuas actiones & paſſiones obtuliſse, ac ſimili ratione perpetuæ virginitatis & paupertatis votum emiſiſse. Prima huius aſsertionis pars conſtat ex Patribus, quos ſupra retulimus: ſecunda verò, quia virtutes virginitatis & paupertatis ſunt per ſe amabiles & dignæ Chriſto, ergo & illarum perfectio & conſecratio. Patet quia illas Chriſtus nobis conſulit, & ſuam matrem virginitatem vouere voluit, quid ergo obſtat quo-minus ipſe Chriſtus præierit? Certè nihil, ſed potius per ipſum explicatur optimè liberrima voluntas, qua ſeſe pro nobis patri obtulit à principio, & præceptum ſibi impoſitum non ſolum propoſito, ſed promiſſione voluit acceptare, quod ſi ipſi non fuit impoſitum, ipſe verò ſe voluit ad moriendum pro nobis obligare. Sed quidquid ſit de hac re noſtro propoſito non ſufficit, quod ipſe à principio eiuſmodi virtutes coluerit, & eas firma, ac ſtabili voluntate ſibi propoſuerit ſeruandas, & in diuinum retulerit honorem, & gloriam.

(?)

H 2 DISPV-

DISPVTATIO XX.

De Voto Caſtitatis.

240 Monachorum inſtituto veluti firmiſſimo propugnaculo militantem Eccleſiam validiſſimè præmuniri, concors eſt Patrum & Catholicorum ſententia. Eapropter tartarei miniſtri inuidia quadam inexplebili nullum non mouent lapidem, vt eam diruant, & quidquid conatibus proprijs nequeunt, hæreticorum cuniculis perficere molliuntur. Primis ergo Ioannes Viclephus *in Concilio Conſtantienſi ſeſſione octaua, artic. 21.* Monachorum ſtatum non ſolum à Chriſto inſtitutum negat; verum etiam affirmat prohibitum. Vviclephum communiter ſecuti fuere noſtri temporis hæretici, & maximè Lutherus, qui modeſtiæ fines, & regum terminos excedens, in ſacras Religiones verborum mordacium profluuio irrumpit, & leges quibus monaſtica ſtatuitur diſciplina, liuido abominatur animo & execratur. Audiamus igitur quæ qualiaue in Religiones euomat. *Libro de voto Monaſtico* ſic ait: *Cupio eradicata, extincta, & abolita eſſe omnia monaſteria, quæ vtinam Dominus igne & ſulphure cæleſti ad exemplum Sodomæ & Gomorrhæ demergat; adeò vt nec memoria quidem illorum ſuperſit; neque enim ſatis fuerit illis anathema imprecari.* Proh Deum? quid hoſtilius horribiliuſve excogitari poteſt, vel quid aliud ageret ex Monacho inſignis apoſtata, immò & apoſtatarum omnium noſtri ſæculi princeps, niſi vt quem ordinem perfidè deſeruit, rabioſè inſectetur, atque ita vel aliquantulum nefarium apoſtaſiæ ſuæ crimen cooperiat, & extenuet?

Hunc noſtri temporis hæreticorum errorem, qui omnia generaliter vota monaſtica aſpernuntur, diu ante ipſos alij, ſed per partes diſſeminarunt: Iouinianus virginitatis votum negauit, vt docet Hieronymus *libro primo contra illum*, & Auguſtinus *hæreſ.* 82. Vigilátius verò melius eſse aſſerebat quemque ſuas opes poſſidere, & ex illis eleemoſynas largiri, quàm relinquere ſimul omnia, vt author eſt Hieronymus *libro contra Vigilantium*. Denique Monachos in ſuis monaſterijs debere eſſe liberos, neque alicuius arbitrio & voluntati ſubiectos Lāpetiani docuere, vt videre eſt apud Damaſcenum hæreſ. 98. Sed hæc omnia facile eſt, & Euangelij teſtimonijs & Sanctorum authoritate conuellere. Præcipuum ex Matthæo deſumam. Beati dicuntur *capite 19.* Eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter Regnum cælorum. Quibus verbis non ſignificantur, qui ſimplici voluntatis propoſito abſtinent à coniugio, nam cum facultatem habeant ducendi vxores pro arbitrio, eunuchi dici minimè poſſunt: ſed illi ſolummodò, qui voto perpetuo, ac præcipuè ſolemni eam à ſe facultatem abdicarunt. Regnum Cœlorum *Matthæi capite decimonono*, caſtis proponitur in præmium, quod datum legitur *Matth.* 5. pauperibus, vt conſtat ex illis verbis: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum.* Quibus verbis ſequentibus (nempe *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum*) etiam Martyres annumerantur.

241 Non poſſum non cenſere puerilia, quæ hæretici comminiſcuntur exponentes ſymbolum Regni Cœlorum. *Propter Regnum Cælorum*, inquiunt, ideſt *propter Euangelium*, qua expoſitione omne meritum, & mercedē temerario

rario vſitambiunt eliminare. Contrariam ſententiam docemur ab vnanimi Patrum conſenſu. Eam tenet Chriſoſtomus, Origenes, Hilarius & Euthymius eo loco. Auguſtinus *de S. Virginit. cap.* 24. Hieron. *lib.* 1. *cont. Iouin.* & Cyprianus *de habitu Virg.* vbi ſic ait: *Neque ornari iam aut placere aliquam Domino ſuo ſtudeant, à quo & mercedem virginitatis expectent, dicente ipſo: Sunt ſpadones, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Dei.* Quid clariùs? loquitur Cyprianus de mulieribus, quibus non eſt datum prędicare regnum Dei ſiue Euangelium; explicatque *regnum Dei* non prædicationem Euangelij, ſed mercedem virginitatis.

242 Poteſt hæc ſententia confirmari authoritate Pauli 1. *ad Timot.* 5. vbi ſic ait: *Adoleſcentiores viduas de vita: cū enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt damnationē habentes; quia primam fidem irritam fecerunt.* Loquitur autem Paulus de viduis adſcriptis Eccleſiæ, vt patet ex 27. can. Baſil. *Vidua* (inquit) *adſcripta in numero viduarum, ideſt inter eas quas Eccleſia alit, ſi iterum nubat, iudicio & ſententia Pauli eijcienda eſt.* Huius rationem reddit Theodoretus in eum locum: *Quia Chriſto erant dedicatæ & adſcriptæ, vt pudicè in viduitate viuerent:* Cùm autem ait Apoſtolus: *Adoleſcentiores viduas de vita*, ideſt *non eligas*, non loquitur de admiſſione ad votum continentię, ſed de admiſſione ad numerum earum, quæ ab Eccleſia alebantur, vt docent Chryſoſtomus & Ambroſius ibidem, & Hieronymus in epiſt. ad Saluin. quod & docet verbum Græcum *καταλέγω*, quòd *in catalogum adſcribi & numerari* ſignificat. Has autem fuiſſe Diaconiſſas in Apoſtolica Eccleſia celebres docent Hieronymus, Primaſius, & Sedulius in eum locum Pauli, quarum meminit Clemens *lib.* 2. *conſtit. Apoſtol. cap.* 61. dicens: *Diaconiſſæ ad introitus fœminarum more nauticorum cuſtodū in templo ſimiliter maneant. Nam in tabernaculo teſtimonij eadem ſeruabatur forma cum populo Dei.* Meminit & illarum Ignatius *in epiſt. ad Antiochen.* cùm eas his verbis ſalutat: *Diaconiſſas quæ in Chriſto ſunt, & ſacrarum portarum*, ſiue vt alij vertunt, *ſacrorum veſtibulorum cuſtodes agunt.* De harum numero exiſtimant aliqui fuiſſe Phœben Eccleſiæ Diaconiſſam, per quam Paulus ſuam miſit Corintho ad Rom. epiſtolā.

245 Diaconiſſarum xenodochium ſub templi & ſacerdotum regimine alebat viduas pauperes & continentes; vel quia iuniores ſuo labore ſuſtentari poterant vt notauit Hieronymus; vel quia expertas maritale conſortium magis tentari quàm non expertas contingit, vt aſſeruerunt alij. Fortè vtrumque reſpexit Concilium Chalcedonenſ. cap. 15. indicens ne mulier ante quadrageſimū ætatis annum adſcriberetur Diaconiſſis. Hæc verba Theodorus de Balſamo, Canonum Eccleſiaſt. interpres, de virginibus intelligit, quæ minùs voluptate alliciuntur. Viduæ enim profectiori ætate debebant promoueri. Quadragenaria virgo diues eſſe non poterat, quia carenti parentibus nullæ opes ſufficiunt, vt pro ſui ſtatus conditione ſe tractet. Modeſtia ipſa poſtulat, vt domeſticos habeat viros digniſſimos & ſummæ authoritatis matronas, quæ non niſi graui impenſarum onere haberi poſſunt. Eadem de viduis eſt ratio, atq; ideò vtraſque ad authoritatis conſeruationē in monaſterijs vitā degere cōuenit, & cōducit.

244 Hæ antiquitus ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ ſe Deo vouebant, veſte laicali depoſita, & religioſo habitu aſſumpto. Conſtat Ex Concilio Carthaginenſ. iv. can. 104. vbi ſic habetur: *Sicut bonum eſt caſtitatis præmium, ita & maiori obſeruantia & præcepto cuſtodiendū eſt. Vt ſi quæ viduæ quantumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ, et matura ætate à viro relictæ ſe deuouerūt Domino, et veſte laicali abiecta ſub*

teſtimonio Epiſcopi et Eccleſiæ, religioſo habitu apparuerint, poſtea verò ad nuptias ſæculares tranſieriut, ſecundùm Apoſtolum damnationem habebunt, quoniam fidem caſtitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere auſæ ſunt. Tales ergo perſonæ ſine communione Chriſtianorum, etiam neque in conuiuio cum Chriſtianis communicent; nam ſi adulteræ coniuges reatu ſuo ſunt viris ſuis obnoxiæ; quantò magis viduæ, quæ religioſitatem mutauerũt, crimine adulterij notabuntur, ſi deuotionem quã Deo ſpontè non coactè obtulerunt: libidinoſa corruperint voluptate atq; ad ſecundas nuptias tranſitũ fecerunt? quæ etſi violentia irruente ab aliquo prærepta fuerint, ac poſtea delectatione carnis ac libidinis permanere in coniugio raptori, vel violento viro conſenſerint, damnationi ſuperiùs comprehenſæ tenebuntur obnoxiæ: de talibus ait Apoſtolus, cùm luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidẽ irritam fecerunt. Cui decreto ſubſcribũt 214. Epiſcopi. Idem habetur in Conc. Tolet. jv. & docet Tert. *in lib. de Monogam. circa fin.* Innoc. 1. *epiſt.* 2. c. 13. alijque Patres communiter. Sed reſpondet Caluinus, quod viduæ illæ, de quibus loquitur Paulus, non promittebat cœlibatum propter religionem Dei, ſiue quia in eiuſmodi promiſſo ac voto aliqua eſſet Dei religio; ſed tantum propter miniſterium Eccleſiæ, quod non niſi à liberis obiri poterat. Illud igitur erat, quod in primis patrauit vidua illa iterum nupta, ſcilicet quòd Eccleſiam miniſterio priuauit.

245 Sed huic Caluini doctrinæ, præterquam quod eam adductis ex Baſilio, & Concilio Carthaginenſi ſufficienter poſſimus impugnare; apertè refragantur illa, quæ Clemens Roman. Apoſtolorum comes ſcripſit de viduis *lib. 3. de Conſtit. Apoſtolic.* & locum Pauli allegatum maximè illuſtrant, ſic enim ait: *Viduas eligere oportet non minori ætate quàm ſexaginta annorum, vt quodammodò firmum ſit, extra ſuſpicionem eſſe ſecundi coniugij ratione ætatis: ſin autem adoleſcentior in ſtatum viduale cooptetur, quæ viduitatem in adoleſcentia non ferens, iterum nubat, gloriam ſtatus vidualis dedecorat, & rationem Deo reddet, non quia iterum nupſit, ſed quia promiſſũ non ſeruauit, quæ habens, Rupit contra Chriſtum* (ad verbum Hiſpanè, *eſta tal rompiò con Chriſto,* hoc eſt, *Defecit ab amicitia et debita fidelitate*) *quia cum fide & metu ad ſeruandũ promiſſum non acceſſit, ſed cum negligentia: quare oportet non temere neq; præcipitanter promittere; iſti enim melius eſſet non feciſſe votum, quàm factũ non reddere.* Hæc Clemens. Quòd ſi verum eſſet quod dicit Caluinus, illud primum exprobrare debuiſſet Clemens, quod nempe Eccleſiam priuaſſet miniſterio, non verò quod nubendo ſtatus vidualis gloriam dedecoraret: hæc enim non ſolùm in miniſtrando Eccleſiæ ſita eſt, ſed in caſta & cœlibe vita viduæ, aliàs gloria & decore caruiſſent cæteræ viduæ adoleſcentes, quas Apoſtolus prohibet eligi ad miniſteria illa in Eccleſia ſubeunda, quibus viduæ electæ ſexaginta annnorum fungebantur.

246 Cœlibatum autem gloriam, & laudem eſſe adoleſcentium viduarũ idẽ Clemens docuit paulò inferiùs cùm dicit: *Si quæ verò adoleſcens vidua breui tempore cũ viro vixit, et eo omiſſo, ſiue per mortem ſiue qua alia occaſione cum voto apud ſe de caſtitate viduali ſuſcepto maneat, beata erit, ſimilis illius Sareptanæ apud Sidonem viduæ, quæ Eliam hoſpitio excepit; ſimilis itẽ Annæ Phanuelis ex tribu Aſer, quæ nõ diſcedebat à templo, nocte ac die perſeuerans in obſecrationib. & precib. annos nata octuaginta, vita cum viro ſuo acta annis à virginitate ſua ſeptem, quæ aduentũ Domini laudib. celebrando confitebatur Domino & omnib. qui expectabãt redẽptionẽ domus Iſrael: quę ſic vidua*

dua fuit, teſtimoniũ quidã capit gloriæ apud homines in terra, & æterna apud Deum laudis in cælo. Hucuſq; Clemens. Si verò teſtimoniũ gloriæ & laudis apud Deum tribuitur viduę cęlibi ab Apoſtolis, quorum doctrina & ſtatuta Clemẽs ſcripſit, quomodo in voto de caſtitate viduali, non eſt conſtituta religio, quę Dei cultu continetur? Certè locum Pauli, de viduis contra Chriſtum votique religionem luxuriantibus communiter Patres Eccleſiæ interpratantur, Ambroſius, Sedulius, Beda, Primaſius, Anſelmus, Theodoretus, Theophilactus, Chryſoſtomus & alij Græci. Tertullianus *lib. 1. de Monogam.* Hieronymus *in epiſt. ad Geront.* Auguſtinus *de bono viduitatis cap. 89. & in pſal. 75.* Baſilius *de vera virginit.* Epiphanius etiam *hæreſ. 61.* vt probet ſcelus eſſe, ſi quis poſt decretam virginitatem nubat, præſentẽ Pauli locum adducit. Baſilius verò *in epiſt. ad Amphiloch.* ex hoc loco Pauli probat, virgines poſt votum emiſsum incontinentes grauiſſimo Dei iudicio ſubijci, illarumque crimen maius, quàm huiuſmodi viduarum eſſe: cum hæ velut i ancillæ, illæ tanquam ſponſæ Chriſti in turpe adulterium prolabantur. Eodem modo interpretatur Auguſtinus *de bono viduit. cap. 8.*

247 Aliter reſpondent aliqui ex Caluini diſcipulis, Paulum eo loqui de voto aut promiſſione Deo facta, ſed de fide Baptiſmi & Chriſtianiſmo. Sed reuera, vt alia prætercam, ex ipſis verbis Apoſtoli relatis oſtenditur interpretationem iſtam commentitiam eſſe. Et in primis id probatur ex verbo καταςρηνιάζω vel καταςρηνιάω, quod interpres Latinus vertit *luxuriari*, dicitur enim ςρηνιάω *immodeſtè agere, habenas rumpere,* verbo translato ab animalibus religatis, quæ iugum ſubeunt. Significat ergo verbum hoc, quo vſus eſt Apoſtolus, aliquid moliri contra ſibi iniectas quaſi habenas coniugij cum Chriſto ſponſo, quod manifeſtum eſt non poſſe ad fidẽ baptiſmi referri, quę non eſt promiſſio, ſed credulitas ſanctæ Trinitatis, & eorum omnium, quæ Eccleſia Catholica credit. Pertinent autem habenæ ad vinculum promiſſionis, iuxta id Prouer. 6. *Fortis laqueus, labia proprij oris.* Hanc autem ſignificationẽ verbi καταςρηνιάω indicauit Thadæus Apoſtolus, vt docet Clemens *lib. 8. Conſtit. Apoſtol.* verbis hiſce: *Vidua, quæ paulo ante virũ amiſerit, ne credatur quin potiùs longo temporis interuallo adoleſcentia eius iudicetur; ſolent enim* (inquit Thadæus) *appetitus cedere hominibus aliquando, non cohibiti meliore fræno.* Sic vocauit votum Paulus *habenas*, cuius religione interdicta ac vetita libido vehementiùs expeti ſolet. Vnde euenire aliquando videmus, vt qui non facto voto caſtè vixit, iam facto non viuat. Militia eſt vita cœnobitica. Monachum non niſi militem cenſebat noſter Benedictus cùm ait in Prologo: *Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur quiſquis abrenuncians proprijs voluntatibus Domino Chriſto vero Regi militaturus obedientiæ fortiſſima atque præclara arma aſſumis.* Contrahere habenas & immittere, verba ſunt militaria, ſignificantque indicere, atque permittere: vnde Virgilius *in op. diuini.*

Sic fatur lachrymans, claſſiq; immittit habenas.

Confirmat autem quod hactenus diximus Chryſoſt. is enim *hom. de adoleſcẽti vidua*, explicans verbum καταςρηνιάω quo Paulus vſus eſt, ſic ait: *Hoc verbo ſignificat in ænigmate, iſtas quæ viros amiſerunt, pro illis Chriſto deſponderi; quomodo autem Paulus hoc verbo ſignificauerit viduas iſtas, de quibus loquitur, pro viris amiſſis Chriſto deſponſas eſſe, niſi hoc ipſo verbo ſignificauerit Chriſto ſponſo tanquam vinculo quodã alligari, ita vt alijs viris obligari non poſſint?* Deinde vt demonſtraret huius deſponſationis lenitatẽ & æquitatem ita proſequitur: *Cùm luxuriatæ fuerint in*

Chriſtum tanquam in virum quendam æquum, & non cum imperio eis vtentem, ſed potiùs eas liberè viuere ſinentē nubere volunt. Eſt itaque *viduas iſtas in Chriſtum luxuriare* ſecundùm vim tranſlationis verbi Gręci, vinculum fidei lene, quo ſunt in Chriſti coniugio liberaliter adſtrictæ, velle conuellere. Sed vt Pauli ſententiam de viduis iſtis eodem interprete Chryſoſtomo clarius adhuc inſpiciamus, audiamus quę proxima homilia [illegible] dicit; explicans enim eundem Pauli locum ſic ait: *Vides quomodo non eas, quæ viduæ eſſe volunt, ſed quæ nubere volunt poſtquam viduæ factæ ſunt, prohibet Paulus viduas eſſe, & in chorū illum ſanctum cooptari, idq; prudentiſſimo conſilio? Si enim* (inquit) *vis iterum nubere, ne promittas viduitatē; ſiquidem non præſtare quod promiſeris, longè peius eſt quàm omninò non promittere. Vt igitur Apoſtolus coniugibus permiſit frequentes coitus, non quòd hanc legem illis ferret, ſed quòd hoc indulgeret: ſic hic propter alterum maius malum ſecundas nuptias imperauit, docens eſſe veniæ accōmodatæ ad infirmitatē multorum; infirmitatem dico non potentiæ, ſed voluntatis: vt enim Virgo, ſi poſtquam virginitatem promiſit, violari ſe permittat, crimen adulterio grauius auſa ſit, ſic vidua quæ ſemel promiſit, & poſtea pactionem cum Deo factam conculcauerit, in peccatum incidit, & eodem ſupplicio tenebitur, imò ſi dicendū eſt, quòd mirū videatur fortaſſe grauiore; non .n. par eſt et æquale, vt principio dixi, expertā virū et nō expertā in eaſdē tentationes lapſas eſſe.* Inſuper Conſtitutio Apoſtolica lib. 3. cap. 1. de huiuſmodi viduis loquens, ſcelus dicit eas committere, ſi poſt promiſſionem iterum nubant, ἐπαγγελίαν enim vocauit, quam Paulus *fidem* dixit de eiſdem viduis loquens; fides autem eorum quæ credimus, quāq; Deus in baptiſmo donat, non eſt promiſſio, ſed habitus à Deo infuſus. Conſtat ergo virginitatis, & caſtitatis votum iam à tempore Apoſtolorum vſitatum fuiſſe in Eccleſia.

248 Sed probatur rurſus hæc veritas ex eodem Paulo 1. *ad Corinth.* 7. vbi ſic ait: *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem ſuæ voluntatis, & iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam, benefacit.* Dixerat autem ſuperius, patrem qui turpe ſibi eſſe putaret non tradere ſponſo filiā ſuam iam natu grandem, eſſetq; ipſi ſui iuris ac poteſtatis, atque filia nuptias efflagitaret (id enim ſignificat illud, *& ita debet fieri*) ſi nuptum traderet, benefacere. Deinde ſubiungit ſermonem de patre: liberè filiam Deo dicante cum illa nuptias non expetit, ſed potius eiuſdem animi & conſilij eſt cùm pàtre idemque votum ſuſcipit; tunc enim pater non habet neceſſitatem nuptum tradendi, ſed potius poteſtatem ſuæ voluntatis ad ſtatuendum in corde ſuo, ideſt permittendum filiæ virginitatem perpetuò ſeruare: ſtatuere enim firmiter in corde ſuo, permittere eſt: non ſecus ac illud Pſalm. 118. *Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ ſuæ.* Sic autem eſſe intelligendū hunc Pauli locum licet conijcere ex Baſilio can. 17. qui huius loci rationem ſequutus, S. Benedicto de oblatis à parentibus cap. LIX. acturo prælucet & ait, non eſſe recipiendam virginem, quam pater Deo dicarit, niſi animus filiæ prius ſpectatus ſit: quia ſimiliter (vt ego exiſtimo) non habeat in eam pater poteſtatem voluntatis ſuæ, vt fiat quod patri libet ipſa filia inuita & repugnante. Et can. 38. ſancit, non licere ſeruis pacta, & contractus facere inuitis dominis; vtrūm q; verò mira breuitate dixit Apoſtolus, *non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem ſuæ voluntatis.* Et ita facilè eſt intelligere quod ſuprà in eodem capite dixerat idem Apoſtolus, *qui matrimonio iungit virginem ſuam, benefacit,* quia habet neceſſitatē iungēdi, & nō habet poteſtatē ſuæ voluntatis ad nō iniūgēdū. Et illud, *ſi nupſerit virgo, nō peccat,*

cat, sẽper antiquitas de virgine non dicata Deo intellexit. Sic Epiphan. *hæreſ.* 61. Ambroſius, Chryſoſtomus, Phot. Theophilact. eo loco. Rurſus Chryſoſtomus *lib. de virginit.* & Ambroſius *de vidut.* & *ad virginem lapſ.* c. 5. Hieron. *lib.* 1. *cont. Iouinian.* vbi ſic ait: *Si nupſerit virgo, non peccat: non illa virgo, quæ ſemel Dei cultui dedicauit.* Sequitur: *ſed qui non iungit, meliùs facit*; quia ſcilicet non habet neceſſitatem, ſed poteſtatem ſuæ voluntatis, & qui hoc ſtatuit in corde ſuo, id eſt, Deo promiſit. His verbis Pauli Ambroſius *lib.* 1. *de inſtit. virg.* laudat Euſebium quendam, qui filiam ſuã Ambroſiam Deo vouerat, & ſanctam illius oblationem his verbis Apoſtoli probat, *qui ſtatuit in corde ſuo firmus, & iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem, ſuam benefacit.*

249 Sed obijciunt nobis hęretici Cyprianum, qui *in epiſt. ad Pompon.* agẽs de virginibus Deo dicatis, quæ in delicto fragilitatis fuerant deprehenſæ, ſic ait: *Quòd ſi ſe ex fide Chriſto dedicauerunt, pudicè & caſtè ſine vlla fabula* nota benè. Honeſta enim virgo illa, de qua mentiri fama meretur: non autem ſatis caſta de qua fabellæ impudicæ feruntur, *perſeuerent: ſi autem perſeuerare nolunt aut non poſſunt, melius eſt vt nubant, quàm vt in ignem delictis ſuis cadant.* Vbi Eraſmus in margine, *Cyprianus virginibus ſacris permittit nubere.* Reſpõdet Pamelius in annotat. ad eum locum, Cyprianum loqui de virginibus non velatis, & quæ tantùm votum ſimplex & nõ ſolemne fecerant, quod ſex probat coniecturis. 1. quia dicit, *Si ſe Deo conſecrauerint*, velatæ autem ſolent Deo ad Epiſcopis conſecrari, & non à ſeipſis ſolùm Deo dicari 2. quod virgines de quibus loquitur, maſculis cohabitabant. 3. quod habebant balnea promiſcua. 4. quod liberũ illis erat nuptias adire. 5. quod quædam earum diuites erant. Et denique quòd non vtebantur certo & determinato habitu, adeo vt idem Cyprianus ſuperfluum earum ornatum determinare fuerit compulſus: quæ omnia virginibus velatis minimè conueniunt. Ex his omnibus Pamelius ſolùm hoc vltimũ probat, ſcilicet virgines velatas debere ab alijs habitu diſcerni ex Conc. Carthagin. IV. ſuperiùs à nobis adducto *can. vlt.* in illis verbis: *veſte laicali abiecta*: & ex eo quod Innocent. I. *epiſt.* 2. virginibus velatis & non velatis aliam atque aliam, ſi nubant, pœnitentiam iniungit: adducitque in eius rei confirmationem plures Eccleſiæ Patres, & tandem concludit, non eſſe mirum quod Cyprianus virginibus non velatis tanquam minus malum nuptias permiſerit, cùm nullis Canonibus earum matrimonia ſeparentur, ſed tantum pœnitentia imponatur, vt patet ex Synodo Antiochenſi *can.* 19. ex D. Baſil. *can.* 56. ex Synodo Chalcedon. *can.* 16. ex Synodo VI. *can.* 44. Valent. *can.* 2. Sed reuerà litera Cypriani eſt manifeſta, neque aliter locutus videtur quàm loquitur Paulus 1. *ad Timoth.* 5. ſic Hoſius & Turrianus: occaſione enim ſumpta ex quibuſdam virginibus, quæ poſt votum continentiæ minùs honeſtè ſe gerebant, admonet alias, vt ſi non habent firmum propoſitum perſeuerandi, non voueant ſed nubant: hoc enim ſignificant illa verba: *Si autem perſeuerare nolunt aut non poſſunt*, id eſt, dum de uoto faciendo deliberant, ſi vereantur ſe non perſeueraturas, melius eſt *quod nubant, quàm in ignem delictis ſuis cadant.* Deinde *in eadem Epiſt. de virginibus Deo dicat*: lapſas iubet ſeparari: & aliquoties repetit, non poſſe eas cum ſtupratoribus ſuis, aut cum alijs inire matrimonia, ſic enim ait: *quod ſi obſtinatæ perſeuerant, nec ſe ab inuicem ſeparant, ſciant ſe cum hac ſua impudica obſtinatione, nũquam à nobis admitti in Eccleſiam poſſe.* Sed vrgent verbum illud *aut non poßunt.* Sed h c

iam à nobis explicatum eſt: ſimile eſt enim ei, quod dixit Chriſtus. *Qui poteſt capere, capiat.* illa enim impotentia moralis eſt & ſignificat ſummam difficultatem. Idem de viduis ſtatuit Gelaſius, vt ſicut ſi fortè cõtinere non poterant, nullatenùs nubere vetebantur: ſic habita ſecum deliberatione promiſſam Deo pudicitiæ fidem deberent cuſtodire. In eandem ergo ſententiam Cyprianus de virginibus. *Si ſe* (inquit) *Deo dicarunt, perſeuerent; ſi verò perſeuerare nolunt, ne ſe dedicent: ſed potiùs nubant.* Fateor Pamelij ſolutionẽ poſſe admitti, imò de facto admittunt verba Auguſtini de bono viduitatis, vbi loquens de virginibus vel viduis, quæ poſt votum nuptias contrahunt, ſic ait: *Qui dicunt talium nuptias non eſſe nuptias, ſed potiùs adulteria, non mihi videntur ſatis accuratè ac diligenter conſiderare quid dicant.* Et inferiùs: *Fit autem per hanc minus conſideratã opinionem, qua putant lapſarum à ſancto propoſito fœminarum ſi nupſerint non eſſe coniugia, non paruum malum, vt à maritis ſeparẽtur vxores, quaſi adulteræ ſint, non vxores.* Hæc Auguſtinus: & hæc eadem quæ à Carnotenſibus Monachis Mellifluo meo Doctori obiecta. Reſpondeo tamen, quod S. Doctor loquitur de virginibus vel viduis, quæ velatæ nõ ſunt, ſed tantùm ſimplex caſtitatis votum fecerunt, quod tametſi matrimonium, impediat contrahendum, non tamen dirimit contractum, vt dicunt Theologi. Peccant autem non ſimpliciter quia nubunt; nubere enim malum non eſt (vt aliqui hæretici voluerunt) ſed potiùs bonum; accidit tamen illo malè vti: peccant ergo iſtæ quia nubunt poſt votum caſtitatis factum, ſuntque nuptiæ iſtæ non iniuſtæ per ſe, ſed propter fidem voti fractam, aliàs certæ & ratæ, quamuis per pœnitentiæ medicinam curandæ, aliqua pœna inflicta dicamis iuxta *can. Synodi Ancir.* 19. vel iuxta *can.* 16. *Concil. Calcedon. de virginibus quæ ſeipſas Deo dicarunt* vel iuxta *Synod. Valent. can.* 2. *de puellis quæ ſe Deo vouerunt, ſi ad nuptias tranſierint.*

250 Ex his quæ hucuſque dicta ſunt Encratitæ & Euſtathiani dixerunt omnem Chriſtianum teneri à nuptijs abſtinere & cœlibem vitam agere, vt docet Irenæus *lib.* 1. *cap.* 30. quod ſimiliter de virginitate & paupertate dixerũt alij hæretici, qui ſe *Apoſtolicos* dicebant, de quibus Epiphan. *hæreſ.* 61. & Auguſt in. *hæreſ.* 40. Sed hic error damnatus eſt in Concilio Gangrenſi. de qua re videndus Auguſt. *ſerm.* 16. & *in l. de S. Virginit. cap.* 14. *&* 30. *& ſerm.* 18. *de verb. Apoſt.* Deniq; errorẽ iuſtum damnare poſſumus ex verbis Matth. *c.* 19. in principio huius paragraphi adductis: nam poſtquam Chriſtus dixit: *Sunt eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum,* continuò ſubdit, *Qui poteſt capere, capiat.* Quæ verba ſic interpretatur Hieronymus contra Iouin. lib. 1. *Proponit ἀγωνοθέτης præmium, inuitat ad curſum, tenet in manu virginitatis brauiũ, oſtendit puriſſimum fontem & clamat, Qui ſitis veniat ad me & bibat, qui poteſt capere, capiat.* Quæ verba non prohibentis, vt voluit Caluinus: neque præcipientis, vt volunt alij hæretici: ſed potiùs exhortantis ſunt. *Non cogit* (inquit Theophylactus) *virginem eſſe Dominus, neque nuptias deſtruit, ſed virginitatem præfert.* Idem docet Iſidorus *lib.* 2. *de ſummo bono cap.* 40. dicens: *Virginitas admonita tantùm eſt, non iuſſa: ſed ideò tantùm admonita quia nimis excelſa.* De qua re videndus Baſilius. *in lib. de virginit.* & Cyrillus Hieroſolymit. *Catechiſ.* 12.

DISPVTATIO XXI.

Paupertatis votum non eſſe nouum inuentum in Eccleſia, ſed antiquum & à Chriſto inſtitutum.

251 MAiorum nobilitatem, & diuitiarum abundantiam fontem ſeditionum eſſe dixit Ariſtot. 5. *Politic. lib. cap.* 1. adeò vt Platoni impoſſibile viſum ſit *lib.* 5. *de legibus* & *dialog. de iuſto* valdè diuitem valde probum eſſe, virtutemque adeò ab opulentia diſcrepare, vt vtraque in lance ſtateræ poſita ſit, ſemperque in contrariam partem declinet; quod ex diuinis literis non erit difficile confirmare; dicit enim Eccleſiaſticus *cap.* 11. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* & rurſus *cap.* 31. *Multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius perditio ipſorum: quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Quaſi auri ſpecies & pulchritudo multis ruinæ & perditionis fuerit occaſio, quod magis expendunt alij ex eo, quòd in ſacris Literis diues, *peccator* nominetur: ſic explicât quod dicitur Pſalm. 81. *Facies peccatorum ſumitis*, id eſt *potentum ac diuitum*. Simili rationi interpretantur quod ſequitur: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris* (diuitis) *liberate.* Opes enim non ſolùm ſuperbiæ, ſed libidini alijſque vitijs materiam & facultatem miniſtrant, idque ſonat latinum *facultatum* nomen, quaſi *facilitas*; quòd diuites facilè, ea quæ difficilima ſunt, aggredi & conficere queant. Quæ cùm probè noſſet Chriſtus Dominus medicus animarum noſtrarum, paupertatem, quæ vt ait Salomon *virum humiliat* amplexatus, eam ſuis & exemplo docuit, & verbis non ſemel in Euangelio præcepit: nam *Matth.* 19. cùm adoleſcens Chriſtum interrogaſſet, *Quid faciendo vitā æternam poſſidebo?* Chriſtus illi mandata propoſuit; & cùm rurſus ille, ea ſe à iuuentute ſua ſeruaſſe aſſeruiſſet; Chriſtus vnum illi ad perfectionē dixit deeſſe, deditque conſilium: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* Quem locum Auguſtinus, *Epiſt.* 89. *q.* 4. & *in Pſal.* 103. *concion.* 3. totū refert ad profeſſionem monaſticam. Circa quod illud eſt aduertendum, quod cùm Chriſtus omnia vendere præcipiat, nihil eum ſibi reſeruare voluit, ſed omnibus ſpoliari, vt omnibus vacuus vacuum Chriſtum ſequeretur. In largiendo enim omnia diuitibus vel pauperibus, ſi non propter Chriſtum, nulla perfectionis ratio eſt: dicit enim Apoſtolus 1. *ad Cor.* 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Cùm autem vendere iubet, eam abdicationem ſignificat, quæ perpetua & irreuocabilis eſt. Quod ergo adoleſcenti dicitur, *Si vis perfectus eſſe, vade & vēde omnia quæ habes, & da pauperibus*, perinde eſt ac ſi diceretur: Si vis pugnare vt perfectus athleta, & perfectā victoriam reportare, ac corona chariſmatum pulcherrima hic donari (pugnare enim & vincere omne genus tentationis ac præmio donari, docuit nos Dominus exemplo ſuo) ingredere inquit, in palæſtram nudus, largire omnia pauperibus, vt huiuſmodi oleo miſericordiæ copioſè vnctus, aduerſario, cum quo luctaris, non præbeas vnde apprehendi

hendi poſſis, non incidas, inquam, in deſideria mala & noxia, & in laqueos diaboli.

252 At dicunt aliqui Chriſtum illa verba Matthæi non ſeriò, ſed ironicè dixiſſe. Citatur pro hac expoſitione Hieronymus, & Beda in eum locum. Hilarius *can.* 19. *in Matth.* Ambroſius *in cap. Luc.* 18. Author imperfecti *homil.* 33. Auguſtinus *epiſt.* 89. & aliqui Græci, quorum opinionẽ refert Theophylact. Eandem ſententiã tribuit Chryſoſtom. Eraſmus, falsò tamen, cùm oppoſitum expreſsè teneat. Id autem aſſerunt aliqui ex hæreticis; ſed ſicut fidei profeſſione, ita & fundamento huius aſſertionis diſtincti ſunt. Nã Hieronymus & alij exiſtimant iuuenem illum non voto diſcendi, ſed animo tentandi Dominum acceſſiſſe: Beda verò ſententiam ſuam mutauit *Comment. in cap.* 10. *Marc.* & falli eos affirmat, qui aſſerunt iuuenem illum animo tentandi Dominum acceſſiſſe. Hieronymus autem memoria lapſus eſt, exiſtimans hũc iuuenem eundem eſſe cum Phariſæo illo tentatore, de quo *Marc.* 14. & eum locum citat: cùm tamen Marcus vnum ab altero diſtinguat, vt patet *cap.* 10. & 14. vndè idem Hieronymus *q.* 1. *ad Hebid.* & *lib. cont. Vigilant.* locum iſtum longè aliter exponit. Hanc ſententiã falſam eſſe probat optimè Chryſoſtomus: ſed quia illius rationes ex æquo contra hæreticorum ſententiam militant, eas ſtatim referemus.

253 Caluinus ergo iuuenẽ illũ mentitum affirmat, cùm ſe mandata omnia à iuuentute ſeruaſſe dixit, & ideò dixiſſe Chriſtum, *Vade & vende omnia quæ habes*, non vt ad id faciendũ hortaretur, ſed vt propoſito illo mandato quod implere non poterat, ſciret ſe eſſe mentium. Quod autem mentitus ſit probat Caluinus, quia vnum ex mandatis eſt diligere Deum ex toto corde; qui autem Deum ex toto corde diligit, paratus eſt omnia relinquere propter illum, neque efficeretur triſtis ex tali mandato ſicut iuuenis iſte factus eſt. Sentit ergo Caluinus id quod Chriſtus adoleſcenti dixit, non fuiſſe conſilium ſed præceptum; negat enim omnia conſilia Euangelica.

254 Sed hęc optimè refellit Chryſoſtomus, primò, quia cùm tres Euangeliſtæ referant hiſtoriam iſtam, Matt. *c.* 19. Marcus 10. & Lucas 18. nullus eorũ illum reprehendit. Inſuper cùm Dominus tentatores & mendaces ſeuerè excipere ſoleret, hunc adoleſcentem leniter ac manſuetè tractauit; idque confirmatur, nam ſi adoleſcens iſte perfectionem non deſideraſſet, non abijſſet triſtis audito verbo Domini; ſeriò ergo locutus eſt. Denique Deus non diligit hypocritas vel mendaces, dicit autẽ Marcus quod Dominus intuitus hunc adoleſcentem, dixit; non ergo ſimulatè vel falsè locutus eſt.

255 Quod autem dicit Caluinus, verba illa, *Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, præceptum eſſe & non conſilium, error fuit Pelagianorum qui cum eſſent peregrini gyrouagi & pauperes (Pelagius Britanus fuit, & Africam hæreſi ſua infecit incoſtans circumcellio) vt ſibi diuitum theſauros aperirent, dicebant neminem poſſe ad vitam æternam peruenire, niſi omnia venderet & pauperibus erogaret, quos tamen Auguſtinus *epiſt.* 89. vt inſanos irridet. Subſcribit Africano Doctori Bellarminus *de Monach. cap.* 9. & 20. & Salmeron. 8. *tract.* 52. qui optimè probant contra Eraſmum ſolùm à voto, paupertatis obligationẽ dependere. Si enim Chriſti verba, vt æquum eſt, expendamus, manifeſtè præcepta à conſilijs diſtinguemus; non enim cùm de præceptis agit, dicit, *Si vis perfectus eſſe ſerua mandata*, ſed potiùs vitam æternã proponit dicens: *Si vis ad vitam ingredi.* At verò cùm de conſilijs eſt ſermo, *Si vis* (inquit) *perfectus eſſe, vade, & vende;*

vende; neque vitam æternam proponitur præmium, ſed potiùs *theſaurum de cœlo* quaſi vitæ æternę maiores diuitias polliceatur; nec ſolùm beatitudinem, ſed in ipſa beatitudine excellentiã. Cùm ergo dicit, *Si vis perfectus eſſe*, non loquitur de perfectione ad ſalutem neceſſaria quæ conſiſtit in plena mandatorũ obſeruatione, de qua Chriſtus Matt. *cap. 5. Eſtote perfecti*, &c. ſed de alia quadam perfectione maiori, quæ non eſt ſimpliciter ad ſalutem neceſſariam, ſed ad excellentiorem gloriæ gradum in regno cœlorum; & de hac loquutus eſt Chriſtus eo loco Matthæi. Quod ita eſſe conſtat, quia aliàs omnes Chriſtiani tenerentur vendere omnia, cùm ad præcepta omnes Chriſtiani teneantur; hanc enim differentiam inter præceptum & conſiliũ conſtituit Auguſtinus *ſerm. 61. de temp.* Sed pro maiori huius rei intelligentia notanda eſt doctrina D. Th. 2. 2. q. 184. art. 4. *In ſtatu (inquit) perfectionis propriè dicitur aliquis eſſe, non ex hoc quod habeat actum dilectionis perfectæ: ſed ex hoc, quòd obliget ſe perpetuò cum aliqua ſolemnitate ad ea quæ ſunt perfectionis: contingit autem quod aliqui ſe obligent qui non ſeruant, & aliqui implent id ad quod ſe non obligarunt: & ideò nihil prohibet aliquos eſſe perfectos, qui non ſunt in ſtatu perfectionis, & aliquos eſſe in ſtatu perfectionis, qui non ſunt perfecti.* Hæc D. Thom. Ex quibus facilè intelligimus aliquos diuites & coniugatos perfectos quidem eſſe, & ſanctos ſecundùm charitatem, ſed non ſecundùm ſtatum perfectionis, de quibus Matthæi *cap. 5. Eſtote perfecti*, &c. Legendus eſt etiã D. Thom. *opuſculo 18. c. 3. & ſequent.*

256 At reſpondet Petrus Martyr. præceptum illud vendendi omnia, fuiſſe perſonale, illi tantùm adoleſcenti impoſitum, ac proinde ſolùm illi ad perfectionem neceſſarium Oſiander verò Apoſtolis etiam datum exiſtimat, quia videbat Petrum eorum nomine dixiſſe: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Cui interrogationi tanquã illius ſimiliter conſilium illud propoſitum fuiſſet, reſpondet Dominus: *Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione*, &c.

257 Sed quod conſilium illud non ſolis Apoſtolis, verùm cæteris omnibus datum ſit, qui Apoſtolos imitari vellent, probat grauiter Sixtus Pontifex *in l. de diuitijs*, exemplo eorum, qui in Actibus Apoſtolorum omnia ſua vendebãt, quæ aut per ſeipſos pauperibus largiebantur, aut eorum precia ſubijciebant pedibus Apoſtolorum; & dabatur vnicuique prout opus erat. Probat deinde Sixtus, quod religionis cauſa omnia iſta vendebant, & non ratione perfectionis, vt nonnulli falsò dixerunt.

258 Hæc confirmari poſſunt ex eo, quòd Chriſtus conſilium illud non propoſuit adoleſcenti quomodocumq; ſed ſub conditione, *Si vis perfectus eſſe:* ergo conſilium illud omnibus fidelibus datum eſt, qui volũt eſſe perfecti: dixit enim Chriſtus Matth. 13. *Quod vobis dico, omnibus dico.* Denique idẽ probat, quod dixit Luc. 14. *Niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quem enim apud Matthæum *perfectum*, apud Lucam *diſcipulum* appellauit, quod magis declarauit Matthæus inquiens, *& ſequere me*, id eſt, eſt meus diſcipulus & imitator. Sed Auguſtinum audiamus, is enim *epiſt. 89. q. 4.* explicans locum iſtum, ſic ait: *Qui illius perfectionis de vendendis rebus ſuis conſilium tam grande tamque præclarum non receperunt, & tamen à damnabilibus immunes criminibus eſurientem Chriſtum pauerunt, non ſedebunt quidem cum Chriſto ſublimiter iudicaturi, ſed ad ipſius dexteram ſtabunt miſericorditer iudicandi.* Hunc perfectionis ſtatum eruditè admodum explicauit S. Nilus Anachoreta *in lib. de Allemoſine ad*

magnam

magnam Diaconiſſam Anciranam: ait enim, *Aequè pulchritudo formæ & opes appetuntur & vtriſq; illorum illecebris non irretiri, fortis animi eſt: ſed qui inſtitutum nihil poſſidendi cœperunt, maiori adhuc admiratione digni ſunt, vt quos exiſtimatio diuitiarum non traxit neque mentem vanis curis alligari voluerunt: nam cum cætera alia ſenſui iucunda facilè homines inuitent & fallant, multò etiam magis diuitiæ hoc faciunt, quòd ad voluptates & honores magnoperè ſint accommodatæ, & quod inſipientes longa docuit conſuetudo, beatos dicere eo qui opulenti ſunt, cùm propter gloriam & ſplendorem eorum, tum propter voluptates quibus fruuntur.* Et deniq; concludit: *Excellentes ergo exiſtimandi ſunt, qui tanquam in palæſtra cogitationes illas vicerunt, quæ mentem impellunt ad aſſentiendum opinioni populari de amplectendis opibus quaſi veris bonis, & non relinquendis, quæ omnium ſententiam magnæ æxtiſtimationis eſſe videntur.* Hucuſque Nilus.

DISPVTATIO XXII.

Obedientiæ votum antiquiſsimum eſt in Eccleſia: an à Chriſto Domino inſtitutum quomodo debeat obſeruari?

258 TRia eſſe, quæ vitam hominis diuiſam ac mundi curis diſtentam potiſſiùm efficiant, ſenſualem ſcilicet voluptatem, rerum poſſeſſionẽ, ac dominationem dicunt *Ioan.1.canonicæ cap.2.* Hic eſt triangulus ille cuius anguli ſunt exorbitantes, & vix rectitudine donari queunt, quem faciliùs deſtruas quàm corrigas: in cuius area pericula ſumma continentur. A concupiſcentia carnis, & eis incommodis, ſolicitudinibus, laboribus, qui cum coniugio ſolent eſſe coniuncti, & ab Apoſtolo *tribulationes carnis* vocantur, liberat votum continentiæ: ad quod ieiunia, vigiliæ, labor, orationes, & cætera omnia, quibus corpus in ſeruitutem redigitur, referenda ſunt pertinet enim luxus ad concupiſcentiam, & proptereà dixit Apoſtolus: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Contra oculorum concupiſcentiam eſt votum paupertatis: quia hoc relictis omnibus bonis externis, & eorum cura, iam cor non ſequitur oculum, qui animum deprędari ſolet, ſed *ſufficientiam cum pietate pro magno quæſtu ducit, & cum ſilentio panem ſuum manducare diſcit & in altiſſima paupertate abundare in diuitias ſimplicitatis.* Iidem etiam debellatur inuidia: nec enim à ſe ſpontè relictis, alium abundare, vllus vnquã dolebit. Sed iã ad id quod huius loci proprium eſt, tertium ſcilicet malum (ſuperbium vitæ vocant) accedamus. Cõtra hanc ſubiectionis & obedientiæ votum, ac propriæ voluntatis omniumque, vt verbis Dionyſij vtar, phantaſiarum renuntiatio à monachis adhibetur, quod aliis duobus excellentius eſſe, & monachorum ſtatui magis proprium, docet Ioannes XXII. *in Extrauag. quorumdam: de verbis ſignif.* his verbis: *Magna eſt paupertas, ſed integritas maius bonum eſt: obedientia maximum, ſi cuſtodiatur illæſa: nam*

prima

prima rebus, ſecunda carni, tertia verò menti dominatur & omnino: quos velut effrænes & liberos, ditioni alterius humilis iugo propriæ voluntatis aſtringit. Adſonat Dioniſius: *Monachorum ordo non eſt aliorum dux & magiſter atque proſagogicus: ſed potiùs conuenit illis ſequi ac duci ad ſtudium, & ſcientiam eorum, quæ ad ipſius ordinis inſtitutum pertinent.*

Hoc autem votum fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum docent Sancti cõmuniter ex illis verbis *Matth.* 19. vbi poſtquam dixerat: *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, continuo ſubiecit perpetuæ obedientiæ cõſilium, dicens: *& ſequere me*. Quem locum explicans S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 8. *ad* 1. ſic ait: *Conſilium obedientiæ includitur in ipſa Chriſti ſequela: qui enim obdit, ſequitur alterius volũtatem*. Perfecta autem ſequela, quæ in abnegatione ſui ipſius, ſeu perfecta obedientia conſiſtit, neceſſariò includit votũ, quo quis ita abnegat ſemetipſum, vt retrocedere non poſſit, aliàs perfecta ſui abnegatio non erit. Hoc idem obedientiæ conſilium iam Dominus tradiderat. *Matth.* 16. dicens: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me*. In hac autem abnegatione, obedientiæ votum eſſe conſtitutum docent cõmuniter DD. maximè Clemens Alexandrinus *l.* 4. *Stromat.* & Hieron. *Matth.* 19. exſtatque de re hac decretum in Concil. Senonenſi. *Abnegare* enim, eſt *reijcere & repudiare*, iuxta id ad Tit. 2. *abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria*: quod ex aliorum abnegatione explicans Chryſoſtomus ait: *Alios abnegare, eſt illos contemnere atque deſerere, nullam, habere rationem aut curam, pro nihilo ducere*.

Diſtinguit autem D. Thom. *eo Matthæi loco* duplicem abnegationem; alteram, quæ omnibus Chriſtianis ad ſalutem eſt neceſſaria, qua ſcilicet omnia mortifera crimina abnegantur: alteram, quæ ad perfectionem pertinet, qua abnegantur illa, quibus licitè vti poſſumus. Hæc autem abijcere, vt homo vberiùs Deo vacet, ad perfectionẽ pertinere ab eodem docemur. Ad hoc obedientiæ votum Deo omni victima gratius pertinent ea omnia, quæ ex regula Ordinis fieri præcipiuntur, quamuis & ipſa ad alia vota pertineant: ieiunia enim quæ ex regula vel mandato ſuperioris imperata ſunt, ad obedientiam pertinent, & ad continentiam ſimiliter: ad illam quidem vt obiecta, ad hanc autem vt adiuuantia. Laborare inſuper vel mendicare à ſuperiori imperatum ad obedientiam pertinet vt obiectum, ad paupertatem verò vt adiuuans.

DISPVTATIO XXIII.

Apoſtolos tria Religionis vota emiſiſſe, & eam viuendi formam in primitiua Eccleſia ſeruatam fuiſſe aſſeritur.

260 Monachorũ ſtatum à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum hucuſque probauimus: quod vero Apoſtoli hanc perfectionis formã fuerint ſequuti, docet concil. Meldenſ. *cant.* 9. idque confirmat Conciliũ Colonien-

Ionienſ. 111. c. 1. §. 10. quod & teſtimonijs S. Scripturæ & Sanctorum Patrum doctrina non eſt difficile demonſtrare. Et primò extat Principis Apoſtolorum confeſſio: quia cùm Dominus *Matth.* 19. dixiſſet adoleſcenti. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus*, & ille abijſſet triſtis, ſtatim ſuo & aliorum nomine ſubiungit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te*. Quibus verbis eam perfectionem, quam iuuenis ille vltrò ſibi oblatam reiecerat, Apoſtolorum Scholam excepiſſe affirmat: illa.n. voce *omnia*, non ſolum paupertatē profitetur, ſed & continentiam: nam vxores ſimiliter ea voce comprehendi affirmat Hieron. *lib.* 1. *cont. Iouin.* quod ex verbis Domini confirmari poteſt, qui reſpondens Petro vxorum meminit, quaſi ab Apoſtolis relictas (non quidē reiectas ſed potiùs, non adſumptas) demonſtret. Obedientia autem ex illis verbis colligitur, *& ſecuti ſumus te*: te eſt enim Chriſtum ſequi, ei in omnibus obedire, vt interpretatur Theophylactus & alij.

261 Apoſtolos hunc perfectionis ſtatum ex voto fuiſſe amplexos, docet S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 3. his verbis *Apoſtoli intelliguntur vouiſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum quando Chriſtum relictis omnibus ſunt ſequuti.* Idem confirmat S. Doctor *quæſt.* 188. *artic.* 7. quod & docet Auguſtinus *lib.* 17. *de ciuit. c.* 4. vbi loquens de Apoſtolis ait: *Dixerant potentes illi: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te hoc votum potentiſſimi vouerant. Sed vnde hoc eis, niſi ab illo de quo dictum eſt, dans votū vouenti? non enim Domino quiſquam aliquid ratum voueret, niſi qui ab illo acciperet, quod voueret*. Hæc Auguſtinus. Eſt Autem locus ille, *dans votum vouenti*, ex cantico Annæ 1. *Reg.* 2. ſecundum viſionem Septuagint. Idem ipſe docet *epiſt.* 89. *quæſt.* 4. *& in Pſalm.* 103. Epiphan. *hæreſ.* 18. explicans illud Matthæi *c.* 19. *Sunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt*. Bernardus in illud eiuſdem Euangelij, *Ecce nos reliquimus omnia*. Chryſoſtomus *homilia* 17. *in Matth.* Baſilius *in Conſtit. monaſtica c.* 19. & alij neoterici.

Conſtat ergo Apoſtolos Paupertatē, Caſtitatem, & Obedientiam ſeruaſſe, nec tantum ex libera voluntate, ſed voti vinculo obſtrictos fuiſſe. Vnde Apoſtolos Hieroſolymis Religionē & monachatum exorſos docet Conciliū Conſtantinop. in templo SS. Apoſtolorum *can.* 6. D. Thom. 2. 2. *q.* 88. Volaterran. *l.* 1. *Antropolog.* vbi ordinem Canonicorum regularium ab Apoſtolis in mōte Sion inſtitutum, & ab *Auguſtino* inſtauratum fuiſſe dicit. Sed probabilius multi Canonicorum ordinē in ſimplicem & ſolennem diſtinguunt: illum ſimilem Oratoriſtis noſtris, aut fratribus de vita communi aſſerunt, & eſſe antiquiſſimum credunt, hunc vel olim in Laterano ponunt, vel poſt Ciſtertienſem ſumpſiſse exordiū putāt. Vtriuſque probabilitatem ſententiæ roborat Poliodorus Virgil. *lib.* 7. *de inuentor. rerum cap.* 3. Aluar. Pala *lib.* 2. *cap.* 56. Caſtro *verb. votum* Sotus 7. *de Iuſt. & Iur. q.* 5. *art.* 1.

262 Probatur deinde ex his quæ habentur in Apoſtolorum Actis *c.* 2. vbi dicitur: *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia*. Ex quo loco Baſilius *in Reg. fuſior.* 19. 32. *&* 34. *& ex breuibus* 85. 93. *&* 131. Caſſianus *lib.* 2. *de inſtit. Monaſt. cap.* 5. Auguſtinus *lib.* 3. *de doctr. Chriſt. c.* 6. & *Epiſt.* 109. Hieron. *epiſt.* 8. *de vir. illuſt. in Marco*, arctius monaſticæ vitę genus agnoſcunt, quod ſine ſpeciali voto non fuiſſe fatetur Hieronymus *epiſt.* 8. & *de vir. illuſt. c.* 20. dicens: *Talem apparet primam in Chriſtum credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur & cupiunt; vt nihil cuiuſquā ſit proprium, nullus inter eos diues,*

nullus

nullus pauper.: patrimonia egentibus diuidantur: orationi vacetur & Pſalmis, doctrinæ quoque & continentiæ, qualis & Lucas refert primùm Hieroſolymæ fuiſſe credentes. Idem docent Iſidor. *l.2. de diuin. offic. cap.*15. & D. Pater Bernard. *in lib. de amore*. Poſſumus, & id confirmare ex eodem *Acto. lib. cap.* 4. vbi ſic habetur: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, neque quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia cõmunia.* Pater Mellifluus *ſer. ad Mil. templi c.*4. hanc vnitatẽ in obedientia, quam omnes vni exhibebant, conſtituit, cui ſimplicitatem addit Clemens Alex. *l.1. Pædag. c.*5. ex hac autẽ oritur cõmunitas rerum externarum, vt docet Auguſt. *ſerm.*15. *de verb. Apoſt.* Erat autem hæc perfecta & abſoluta rerũ abdicatio; quandoquidẽ nemo ſuum aliquid eſſe diceret: quapropter *c.*5. *ſubſeq.* Ananias & Saphyra fraudatores appellantur, & mẽtitos eos affirmat Petrus Spiritui Sãcto: nam cùm agrũ vẽdidiſſent, pretij tantũmodo partẽ Apoſtolorum pedibus ſuppoſuerunt, quibus Petrus dixit: *Anania cur tentauit Sathanas cor tuũ, mentiri Spiritui Sãcto, & fraudare de pretio agri?* è quibus verbis aliqui exiſtimant votũ paupertatis clarè colligi: alij è contra, non colligi: alij dubitant, *Dubitat* S. Benedictus, qui c. 57. vbi Ananiæ & Saphyrę mortẽ corporalem proponit, & videtur de ſpirituali dubitare. *Falſum* autem eſt quod hic aſſerit Caietanus, nullũ in his verbis votum deprehendi, vt mirũ non ſit Petrũ Martyrẽ illud negare, & ſolùm hic hypochriſim, mendacium, ambitionẽ & auaritiam agnoſcit: ſed ſi votum non eſt, quomodo dicit Lucas, *& fraudauit de pretio agri?* Græcũ enim verbum Ἐνοσφίσατο ἀπὸ τῆς τιμῆς ſignificat *ſupponere, calliдè ſuffurari: Agnoſcit* autẽ huiuſmodi fraudem Interlinearis, & Hugo in eo, *quod votum vouerant, neque conſilium Chriſti, quod ſe profitebantur amplecti, impleb unt.* Idẽ docet Hieronym. *Matt.*19. *& epiſt.*8. *& in epiſt. ad Ruſtic. & ad Palin.* Chryſoſt. *hom.* 12. *in Acta.* Cyprianus *de exhort. martyr.* Greg. *l.1. epiſt.*3. Fulgent. *de debito coniug. c.*8. & Auguſtinus *ſer.*25. *de verb. Apoſt.* & confirmatur hoc verbis ſequentib. *non ex hominibus mentitus ſed Deo.* Ex quibus cõmuniter Interpretes colligunt peccatum Ananiæ fuiſſe ſacrilegium: nam ſi eam liberalitatem ex deuotione tantù n & libera voluntate exercuiſſet nulla obligatione interpoſita, nullo modo in Spiritum Sanctum mentitus diceretur. Sic Auguſtinus ſuprà, Baſilius *ſer.*1. *de inſtit. monach.* Fulg. *epiſt. de debito coniug. c.*8. Athanaſius *ſer. de paſſion. & cruce.* Gregor. *l.1. epi.*33. Petrus Dam. *epiſt. de cont. c.*3. Naziãzenũ audiamus, qui in carmine de Virg. prece ſic ait.

Quis porrò pœnam Ananiæ, Saphyræque tremendam
Cùm legit, occultos nummos, qui morte luere,
Non etiam leuiter metuit perfringere vota.

263 Denique fateor in eo facto fuiſſe peccatum inanis glorię & ambitionis, vt dixit Baſilius *ſerm.*1. *de inſt. monaſt.* fuiſſe etiam mendacium, vt conſiderauit Hieronymus *epiſt.* 105. *ad Hedib. q.*1. at pœna illa ſeueriſſima, quę à Deo mox illata eſt peccatũ illud grauius quàm ſimplicis mendacij, hypocriſis aut auaritiæ eſſe oſtendit: dicendũ ergo eſt, peccatum ſacrilegij fuiſſe; quia, vt ait Aug. *in Reg. ſua prima, non licuit ſibi retinere, quod per pactum ad omnes pertinet, & Deo conſecratũ eſt, quod Ananias & vxor eius cõmiſerãt:* qui, vt ait Hieronymus ad Demetriad. poſt votum obtulerũt quaſi ſua & non eius cui ſemel vouerant, partemque ſibi alienæ ſubſtantiæ reſeruauerunt. Nec hic aliquid contra D. Benedictum reſoluimus: ipſe enim non negat illos mortuos anima ſed corpore. Vt ne-

gauerit: potuerunt quidem peccauiſse mortaliter, & per contritionem à peccato illo reſurrexiſse.

264 Porphyrius nimiæ ſeueritatis rerum Petrũ inſimulat, eò quòd eis pœnam mortis inflixerit: ſed Porphyrio reſpondet optimè Author *epiſt. 8. ad Demetriad.* His verbis: *Ananias & Saphyra diſpenſatores timidi, imò corde duplici, & ideò condemnati: quia poſt votum obtulerunt quaſi ſua, & nõ eius cui ſemel ea vouerant, partemque ſibi iam alienã ſubſtãtiæ reſeruauerũt, metuentes famem quam vera fides non timet; præſentem meruere vindictam non crudelitate ſententiæ, ſed correctionis exemplo. Denique & Apoſtolus Petrus, nequaquam imprecatur eis mortem, vt ſtultus Porphyrius calumniatur: ſed Dei iudiciũ prophetico ſpiritu annuntiat vt pena duorum hominũ ſit doctrina multorum.* Hæc Hieronymus, nam à multis illi hæc epiſtola tribuitur: ſcio ab aliquibus neſcio cui adſcribi Pelagiano: ſcio à Cornelio Ianſenio Iprẽſi Epiſcopo ipſi Pelagio adtribui. Hæc verba laudo, reliqua quæ in epiſtola leguntur, non dijudico, nec nomen authoris examino. Idẽ docet Caſſianus *coll. 6. c. 11.* & adducit in huius punitionis iuſtificationem exẽplum illius qui Sabbatho ligna collegerat. Simili etiam ratione defendit Petrum Iſidorus Peluſiota *l. 1. ep. 181. ad Oriõ monach.* dicens: *Non crudelitatis atque amentiæ, fuit quod ſapiẽtiſſimus Petrus eos, qui peccauerunt morte afficit: verùm præſcienti doctrina multa hominũ peccata præſanantis. Nam cùm tunc Euangelij ſementem facere incepiſſet, ac ſtatim enata zizania conſpexiſſet, ſapienti conſilio ea ſtatim euulſit, ne vna cum tritico aucta futuro igni ad extiſtionem ſeruarentur. Ad eundem enim modum diuinus quoque Moyſes, legem ab initio ſtatim violatam perſpiciens, etſi ob exiguum peccatum, ſaxis tamen eum obrui iuſſit, qui die Sabbathi ligna collegerat, Deum videlicet hanc ſententiam tuliſſe ſcribens.*

265 Id tandem confirmat, quod dixit Petrus: *Nonne manens manebat tibi, & venundatum in tua erat poteſtate?* vbi repetitio illa emphaticam & aſſeuerantem habet ſignificationem, qua vim liberi arbitrij oſtẽdit, & voti rationem manifeſtat; non enim qui eo tempore ad Chriſtum conuertebantur res ſuas in communem vſum erogare compellebantur, vt verba indicant: & Paulus ſufficienter inſinuat monens Corinthios *2. epiſt. c. 8.* ita indigentibus eleemoſynas impertiri, vt largitio non nimis profuſa videatur, *nõ enim* (inquit) *vt alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate in præſenti tẽpore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat*; fuiſse enim Gentiles ad Chriſtum cõuerſos liberales in eleemoſynarum largitione docet idem *ad Roma. 15.* Religioſa ergo abdicatio voto firmata erat in primitiua Eccleſia: hoc autem votum liberum fuiſse indicant tum verba præfata tum Pauli teſtimonia. Docet autem Auguſtinus *lib. 3. de doctrin. Chriſt. c. 6.* in Gentilium Eccleſijs minimè fuiſse obſeruatum, vt voto ſe Deo dicarent, ſed ſolùm in Eccleſia Hieroſolymitana, quod peculiari quodam Spiritus ſancti impulſu factum exiſtimant aliqui, vt monaſticę diſciplinæ poſteris imitandum exemplum relinquerent: vnde Auguſtinus *ſerm. 50. de diuer.* his ad ſuos clericos præclaram habuit orationem. Sed audiamus Chryſoſtomum, qui *hom. 12. in Act. Apoſt.* id eruditè explicat his verbis loquens cum Anania: *Quare hoc feciſti? voluiſti habere? oportebat initio habere & non promittere? nunc autem poſtquam conſecraſti, magnus ſacrilegium commiſiſti: qui enim aliena rapit, forſan alienarum rerum deſiderio rapit, tibi autem licebat tua retinere, cur igitur ſacra feciſti ea, & poſtea accepiſti?*

266 Hanc hiſtoriam attingit *cap. 57.* Regul.

Regul. Benedictus: vbi ſentit illud mendacium non fuiſſe ſine fraude: ergo illa pecunia non ad ipſos, ſed ad communitatem pertinebat. Chriſtiani igitur Eccleſiæ primitiuæ profitebantur paupertatem. *Si quid verò ex operibus Artificum monaſterij* (ait citatus Pater) *venumdandum eſt, videant ipſi per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem præſumant inferre: memorẽturque ſemper Ananiæ & Saphiræ, ne fortè mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc iſti vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus monaſterij fecerint, in anima patiantur.*

267 Verba illa vltima ſunt digniſſima conſideratione; videntur ſcripta dictante eodem Spiritu, quo reliqua: & ſunt confirmata ab ipſiſſimis Doctoribus, & Pontificibus: qui S. Regulam ſummis laudibus commendarunt. Exponit Petrus peccantibus Ananiæ & Saphiræ latam à Deo ſententiam, illius tamen, qui cùm iraſcitur, miſericordiæ recordatur. Condemnatur morte corporea ab illo qui non vult æternã mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Videtur veroſimile Petri reprehenſionem eò primò reſpexiſſe, vt eos conuerteret: ſecundò vt eos puniret, & alijs incuteret terrorem. Ideò pientiſſimus noſter Patriarcha corpoream eorũ mortem tantùm edifferit, vel quia Spiritu dictante cognouit (quod poſſibile eſt) illos contritos & in Domino obijſſet; vel ſaltem quia de rebus occultis nõ voluit iudicare. Expendit mortis corporeæ circumſtantias, ſuperſedet à ſpirituali, eorum animas, non hominum ſed Dei committens tribunali, in quo iudicium fit clementer-ſeueriſſimum.

268 Ex hac Apoſtolorum inſtitutione factum, vt Clerici in Eccleſijs communem viuendi formam ſequerentur, & communi earum alerentur ſumptum, quod facile eſt colligere ex Turriani *lib. 5. in epiſt. Pontific.* & ex Clemente Romano *lib. 2. de Conſtit. Apoſt. cap. 58.* vbi ſic ait: *Si quis presbyter ex Paræcia* (Latini à Græcis nomen mutuati *Diæceſim* dicunt, Hiſpani *Parroquia*) *aduenerit excipiatur à Diaconis.* Dicit autem debere excipi κοινωνικῶς, id eſt *more vitæ communis*, ſiue vt ratio vitæ communis poſtulat. Eodẽ verbo vſus eſt Euſebius Alexandrinus in ſermone de Dominico die, exhortans permanendum in Eccleſia vſque ad extremum Miſſæ, *ſiue* (inquit) *ſit κοινωνικὸς ſiue non ſit, debet permanere: quouſque dimittatur Eccleſia*, id eſt, *ſiue ſit Clericus vel religioſus*, (hi enim illo nomine dicebantur) *ſiue laicus*. Vnde à tempore Apoſtolorum dicta ſunt cœnobia, & Canonici cœnobiorum: inde ſermones Baſilij ad Canonicos in Cœnobijs & ad Canonicas. Ex quo patet quod non ſolùm in monaſterijs & cœnobijs Monachorũ communis vita ab Apoſtolorum temporibus ſuſcepta fuerit, ſed etiam à Clericis & Canonicis in Eccleſijs quas Cathedrales vocant, quod pluribus Antiquorum decretis oſtendit. Speculator *lib. 6. de Diuin. Offic. cap. de 7. diebus poſt Paſcha.* Et poteſt clariùs demonſtrari ex ipſis ædificijs, quæ ſunt quaſi legati Antiquitatis. Hodie ſunt Eccleſiæ multę Cathedrales, vbi perennant communia loca (puta Refectorium, Dormitorium &c.) Teſtes inter alios ſunto Brugenſes, qui in S. Donatiani Cathedrali, admirantur Eccleſiæ antiquitate venerabilis decrepita ædificia, apud quos etiamnum exſtat refectoriũ, in quo ſolenni concione colitur S. Catharina ob ciuitatem ab inſidioſa Hollandorum irruptione liberatam. Extat etiam Dormitorium diſtinctum cellulis, & alia plurima. Verùm cùm poſtmodum Canonicorum aliqui ex communi Eccleſiæ ſumptu viuere nollent, ſed proprium habere: qui priùs *Canonici* aut potiùs *Cænobici* dicebantur, poſt ea *Canonici* dicti ſunt. Sic nomen Canonici explicat Gregorius *in epiſt.*

ad Auguſt. Anglor. Epiſc. 12. *q.* 1. *c. quia.* Clerici autē qui ex Eccleſia communiter viuentes, nihil proprium habere voluerunt, *Canonici Regulares* vocati ſunt, quia ad Regulā viuendi communiter ex Eccleſiæ ſumptibus, regulam paupertatis ſiue nihil habendi proprium ex voto addiderunt: qui quidem Canonici Regulares diu in multis Eccleſijs etiam ad noſtra vſque tempora perſeuerant, tametſi iuniores multò ipſi, quàm Cathedrales iudicentur.

269 Continentiā verò certatim multi arripiebant: adeò vt vnus Philippus Diaconus *Act.* 21. quatuor filias haberet, quæ perpetuò virginitatem conſeruarunt, vt ex Policrate refert Euſebius *lib.* 3. *hiſt. c.* 30. *& cap.* 26. ex Proclo dicit fuiſse omnes conditas Hieropoli cum patre, quod & docet Dorothæus in Synopſi. Rufinus *c.* 31. & Nicephorus Calixtus *lib.* 2. *c.* 44. Cælius Diodorus *Hiſtor. l.* 3. *c.* 5. vberi calamo commendat Flauiæ puritatem his verbis: *Flauia inſuper Domicilla eo deſiderio dicādæ virginitatis accenſa fuit in primis ſermonibus Nerei, & Achillei ſuorum Eunuchorum, quos Petrus ad Chriſtianam fidem conuerterat, vt cum Deo ſuam virginitatem vouiſſet à Clemente Romano Petri diſcipulo, ſacro velamine conſecrata eſt ob cuius cuſtodiam & Chriſti fidem nobile martyriū ſub Traiano Principe conſumauit.* Hucuſque ille. Præterea docet Abdias *l.* 7. *Hiſt. Apoſtol.* Et Chriſtianus Adricomius ad annum Chriſti 41. Matthæum Apoſtolum cùm Euangelium in Aethiopia prædicaret, Iphigeniam Regis filiam Deo dicaſſe, & pluſquam ducentis præfeciſſe virginibus, quæ poſtquam illius frater Euphronon (qui ſimul cum ipſa à S. Apoſtolo Baptiſmum receperat) ad regnum peruenit, vniuerſam Aethiopiam repleuit monaſterijs, in quibus die ac nocte Deo vacabant: ieiunijs & orationibus intendentes. Paulus inſuper Sanctiſſimæ virgini Teclæ iam viro deſponſatæ omni cupiditate corporeæ voluptatis extincta, virginitatiſque amore concepto ſeipſam Deo dicare perſuaſit, vt docet Nyſſenus *hom. l.* 4. *in cant.* cui adſtipulatur Epiphanius *hæreſ.* 78. his verbis: *Tecla incidit in Paulum Sanctum, & nuptijs exſoluitur, cùm curatorem ſiue ſponſum haberet formoſiſſimum, primarium vrbis valdè diuitem, generoſiſſimum ac illuſtriſſimum, in vita contemnit terrena Sancta illa, vt cæleſtium potens fiat.* Hanc ſummoperè laudant Patres & vel maximè Græci, eamque protomartyrem & Pauli primogenitam appellant, vt videre eſt apud Iſidor. Peleuſiot. *epiſt.* 87. *ad Sandalarias, & epiſt. ad Taraſium*, Nazianz. *orat.* 1. *in Iulian. &* alios quos latè refert Baron. tit. 1. ad ann. Chriſti 47. Vide plura apud Bedam *in Martyr. Maij die* 7. & Euſebium in Chron. Martha præterea poſtquā Maſiliæ propter eximiam vitæ ſanctitatem omnium in ſe animos conuertiſſet, Auinionem ſuper Rhodanum peruenit, vbi in honorem Dei Genitricis Mariæ ingentem Baſilicam extruit, multarumque virginum ac ſororum collegium inſtituit, & cum ipſis Deo in monaſterio ſanctiſſimè ieiunijs & orationibus ſeruiuit, vt refert Adricomius ad An. Chriſti. 80. Sed age iam videamus, quomodo Marcus Euangel. Alexandriæ monaſticum inſtitutum propagauerit.

LIBER QVARTVS.

De ſtatu Monaſtico poſt Chriſtum.

STatus Religioſus à Chriſto Domino inſtituitur vt vidimus, & modò cæleſti influxu conſeruatur. Fuerunt Monachi ſummo ſplendori Eccleſiæ iuueni ſunt & ſenlori: quia ſicut Eccleſia non deficit, ſic nec eius ornatus. Decor autem quem à Monaſtica conuerſatione recipit eſt ſumus. Demonſtremus igitur Religioſi Ordinis perennitatem: nempe ſemper fuiſſe, non ſolùm ſub Chriſto, ſed etiam poſt Chriſtum, Viros, qui Deum colerent conuerſatione ſeueriori.

DISPVTATIO XXIV.

De Alexandrina Eccleſia à D. Marco inſtituta, & deſcripta à Philone.

MArcum Euangeliſtam certas monaſticæ vitæ regulas inſtituiſse, quas infinita pęnæ hominũ multitudo eſt amplexa, quorũ mores & inſtituta Philo Iudęus D. Petri familiaris peculiari libro de vita cõtemplatiua deſcripſit, docet Hieronymus *in Regula monachorum*. Sed cum liber hic nõ fuerit à Hieronymo cõſcriptus, ſed ex eius operibus ab alio concinnatus, eius de hac re ſententiam è libris alijs colligamus. Agens igitur de Marco Euangeliſta in eo quem de Scriptoribus Eccleſiaſticis inſcripſit libro ſic ait: *Conſtituit eccleſiam tanta doctrinæ & vitæ continentia, vt omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret. Denique Philo diſertiſſimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam eccleſiam adhuc Iudaizãtem:* (Chriſtiani olim ab ethnicis Iudæi vocati, obſeruabãt enim Dominicam ſimul & Sabbatum) *quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eorum conuerſatione ſcripſit & quomodo Lucas narrat Hieroſolymæ credentes habuiſſe omnia communia: ſic ille, quod Alexandriæ ſub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit*. Idem docent Euſ. *lib. 2. Hiſtor. c.* 15. 16. & 17. & Epiphanius *hæreſ.* 29. Vide Caſſianum apud Hoſium *tit.* 1. & quia longũ foret totum Philonis librum tranſcribere, præcipua illius capita in ſumma referemus, partim ipſius Philonis verbis vtentes, partim eiuſdem præclaras referentes ſententias, quibus noſtrorũ Monachorum vitam, qualis tempore Apoſtolorum fuerit eleganter deſcribit. Is ergo cùm ſub Claudio Reipublicæ Iudaicæ Romę legatum ageret cum Petro eo tẽpore Chriſtum nuntiante cõgreſſum habuit, illiuſque familiaris fuit, vt docet Euſebius *lib. 2. cap.* 16. ea propter cùm in Aegyptum veniſset, Alexandrinam Eccleſiam, quàm Marcus Petri diſcipulus plantauerat, vidit arduamque aſceſim ſeu exercitationem, quam viri illi Apoſtolici ſeruabãt probauit ipſoſque vt diuinos veneratus eſt, prout docet Epiphanius *hæreſ.* 29. Conſcripſit autem duplicem librum, alterum cui *de vita actiua* titulus, in quo de Eſſenis agit, qui ſolo vſu matrimoniali

ab alijs diſcrepant: alterum *de vita contemplatiua*, quod ita ſe habere vel ipſum initium libri *de Therapeutis* hodie inſcripti, primis, ipſis dictionibus euidentiſſimè confirmat: ſic enim habet Ἐσσαίων περὶ διαλεχθεὶς. &c. id eſt, *Cùm de Eſſæis iam diſſeruerim, qui poſitam in actione adamarũt ac proſequuti ſunt in omnibus vitam: ſtatim & de contemplationem amplexis ductum ſequutus inſtituti operis, ea quæ ad rem facere videntur, dicam*. In hoc ergo ſecundo libro de alijs, quos ipſe Therapeuta vocat, ſermonem habet, pluraque de illis docet, quæ breuiter à nobis referenda ſunt.

271 Primò ergo dicit Philo, quod hi qui huic vitę inſtituto ſe addicebãt, non ex more correpti rerum cæleſtium & quaſi furore diuino perciti, donec ad contemplationem illam deſideratiſſimã peruenirent. *Addit* quod præ immortalis beatæque vitæ cupidine quaſi iam hac mortali defuncti, facultates ſuas relinquerent liberis aut cognatis, vltrò eis poſſeſſionem cedendo, atque etiam ſocijs & amicis ſi cognati deeſſent: opportet enim vt qui perſpicaces diuitias adeptus eſt, cæcas illas relinquat mentibus cecutientibus. *Dicit deinde*. Relictis facultatibus & auocamẽtis omnibus fugiunt ſine reſpectu fratrum, liberorum, parentum, vxorumque, & deſerunt numeroſas cognitiones, ſocietates, amicitias, ipſas denique Patrias, in quibus geniti ſunt & educati. Demigrant autem non in aliam ciuitatem, ſed extra mœnia degunt in hortis, aut villis ſolitarijs, amantes ſolitudinẽ non hominum odio, ſed ad cauendos congreſſus cum diſſimilibus: quos ſciunt bonis moribus officere. *Quartò addit*. Hoc genus reperiri in multis orbis Religionibus Græcis & barbaris, ac præcipuè in Aegypto vbi numeroſi Conuẽtus per præfecturas ſingulas, maximè circa Alexandriam. Præter monaſteria & vniuſcuiuſque ſemnia, id eſt cellas (quæ frugales admodum contra æſtum & frigora tantummodo contenebantur) aliud quid ſacratius obſeruauit Philo, nempe ſeptimi diei deuotiſſimam ſolemnitatem. Conuenientibus menſa ſacra ſeu altare proponebatur, quod panes & ſalem continebat, quorum participes non paſſim omnes, ſed optimi: illi inquam, qui miniſterij & obſequij ſui præmijs fruebantur. Progreſſus in medium natu maximus eiuſque ſectæ peritiſſimus, acumine ad modeſtiam compoſito dogmata ediſſerebat. Locus ipſe addictus erat pudicitiæ, ad quẽ licèt plurimi vndique gentium properent, nullus tamen admittitur, niſi quem caſtitatis fides & innocentiæ meritum commendant. Temperantiæ verò tanquam fundamento in animo iacto virtutes cæteras ſuperſtruunt; neque cibum aut potum quiſquam ſumit ante ſolis occaſum, quòd ſapientiæ ſtudium luci conuenire iudicent, tenebris verò curam corporis. Nonulli ex his vix tertio die famem ſentiunt, attenti magis ad diſciplinarum ſcientiam. Nec deſunt qui vix ſexto die deguſtent cibum neceſſarium, aſſueti ſicut cicadæ rore viuere, canticis ſolantes inediam: ſeptimum verò diem vt feſtum ſacratumque honore dignantur eximio, quo poſt curam animi corpus quoque reficiunt. *Subiungit*. In cibatu vtuntur pane ſimplici, ſal vicim ſupplet obſonij, qui delicatiores ſunt hyſſopum pro condimẽto adijciunt. Potum è fluentis hauriũt, vinum habent pro veneno adferente dementiam: opiparis autem obſonijs aiunt irritari concupiſcentiam, belluam inſaturabilem. Multa deinde dicit Philo de eorum veſtitu, lectiſternijs, in quibus omnis frugalitas & ſimplicitas apparet, de ſodalitijs, hymnis & canticis, lectione ſacra, & alijs, quæ longum eſſet recenſere: conſulat Lector Philonem ipſum locis dudum relatis, & Euſebium *lib. 2. hiſtor. c. 16.*

272 Quibus ſuppoſitis, illa quæſtio

eſt

eſt nobis diſcutienda : an de Iudæis quibuſdam hæc ab eo dicta ſint, an verò de Monachis Chriſtianis. Et quidem Hæretici noſtri temporis, vt eſt eorum odium in Monachorum inſtituta, hæc de Iudæis interpretantur, tradûtque quandam fuiſſe eorum ſectam, quæ *Eſenorum* dicta eſt, de qua Ioſephus *l.* 18. *Ant. cap.* 2. & *l.* 2. *de bel. cap.* 7. eamque ante Chriſti tempora fuiſſe demonſtrat, cùm de Herode agit *l.* 15. *c.* 13. quam quidem Iudæorum ſectam fuiſse olim celebrem diſputatione XIV. oſtendi. At Philonem de Chriſtianis agere communiter omnes Eccleſiæ Patres & alij interpretes affirmat. Sic Euſebius *lib.* 2. *c.* 15. 16. & 17. *Hiſt. Eccl.* qui poſtquam Philonis verba fusè retulit *cap.* 16. ſubdit: *Hac Philonis verba clarè & abſque vlla contradictione de noſtris eſſe dicta putamus, quodque Philo illic de primis Euangelicæ doctrinæ præconibus, & ritibus olim ab Apoſtolis traditis diſſerens iſta ſcripſerit, cuiuis manifeſtum eſt.* Idem docent Nicephorus *l.* 2. *cap.* 15. & *l.* 8. *c.* 39. Zoſomenus *l.* 1. *c.* 12. *in fine.* Beda *Præf. in Matt.* Caſſianus *l.* 2. *de inſtit. cœnob. cap.* 5. Epiphanius *hær.* 29. Hieronymus ſupra *de ſcriptoribus Eccleſ. in Phil.* Trithemius *eodem loco.* Hiſt. Tripar. *l.* 1. *c.* 11. Didacus Couarruuias *lib.* 4. *var. Reſol. c.* 18. Vvaldenſis *l.* 3. *doctri. fidei art.* 1. *c.* 7. Matthæus Gal. *de orig. Monach. c.* 23. & 4. Baronius *tit.* 1. *Annal. anno Chriſti* 64. Caniſius *lib.* 1. *de Beata Virg. cap.* 12. Bellarminus *l.* 2. *de Monach. c.* 18. Polidorus Virgilius *de Inue. rerum lib.* 7. *c.* 1. & alij prures: imò ſunt qui exiſtiment de eiſdem loquutum Ioſephum ſupracitatum *l.* 18. *Ant. cap.* 2. & *l.* 2. *de bello Iuda. cap.* 12. quam rem vt accuratiùs perſcrutemur, neceſse eſt ab ipſo nomine exordiri.

273 Quod ergo ad nomen ſpectat, iuuat *Eſæos*, vel *Ieſæos* ab *Eſenis* diſtinguere. Suidas verbo *Eſæi* ſic eos dictos exiſtimat à contemplando, vt idem ſit Eſæus ac Contemplator. Chryſoſtomus verò *hom.* 44. *in Acta*: *Eſeni* (inquit) *qui etiã Hoſij id eſt Sancti dicitur: hoc .n. vult nomẽ Eſenorũ à vita honeſtate.* Idẽ docet Philo in lib. cui titulus, *quod liber ſit prob.* & Ioſeph. Scalig. *l.* 6. qui ſubdit: *Ab aliqua igitur voce patria deductum eorum nomem, quæ ὁσιότητα ſignificat, & quæ alia fuerit præter* חסיא ὅσιος Sanctus. *Vnde manifeſtè eſt græcum deriuatum, vt ὁσιότης* Sanctitas. Sed an Chriſtiani omnes in principio naſcentis Eccleſiæ hoc nomine fuerint inſigniti, an ſolùm qui religioſam hanc viuendi rationẽ ſectabantur, dubitare videtur Euſebius ſup. *c.* 16. Certè Chriſtianos omnes in principio naſcẽtis Eccleſię *Sanctos* eſse nominatos, vel Paulus ſatis manifeſtat: is .n. ad *Romanos* 1. *c.* ſic ait *Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei vocatis Sãctis.* & *c.* 15. *Proficiſcar Hieruſalem miniſtrare Sanctis.* & 2. *ad Cor.* 13. *Salutant vos omnes Sancti.* Eodem nomine illos appellat *ad Philip.* 4. & Lucas *Act.* 9. quo etiã vſi ſunt Ignatius, Polycarpus, Tertull. & alij. Sed audiamus Epiphaniũ, qui loco ſupracitato, *Quandoquidem*, inquit, *in hunc locum delatus ſum; vt dicerem quam ob cauſam* Ieſæi *vocarentur, qui in Chriſtum crediderunt, priuſquam dicerentur Chriſtiani; idcirco diximus Ieſſe Patrem fuiſſe Dauidis; & vel nomen* Ieſse, *vel ob nomen* Ieſum *Domini noſtri vocatos fuiſſe* Ieſæos; *eò quod ex Ieſu diſciplinæ ſuæ ducerẽt originem, ſuique eſſent diſcipuli, vel quòd veriloquium nominis Domini illis quoque congrueret;* Ieſus *namque hebraica dialecto vocatur* Therapeutes *vel* Medicus, *vel* Seruator. *Interim huius nominis, priuſquam Chriſtiani appellarentur, ſortiti fuere nomenclationem: at Antiochæ quemadmodũ ſuprà meminimus, & vt habet rei veritas: cæperũt diſcipuli vniuerſa Eccleſia Dei vocari Chriſtiani.* Inuenias autem à Philo-

lologe, & huius confirmationem ſi Philonis perlegas monumenta: in libro ab eo de Ieſæis inſcripto, qui horū vitā & encomia proſecutus, etiā eorum nomina in Palude ad Mariā ſub vrbana hiſtorico cōplexus eſt ſtylo: neq; de vllis alijs vir hic, quàm de Chriſtianis hæc ſcripſit. Cùm namq; verſeretur in ea regione qua parte eā Marcotin vocat, & deductus eſſet in loci iſtius monaſteria, non paruā ex ea re cepit vtilitatē: cùm in diebus Paſchalib. illi eſſet, & vitam agendi rationes eorum foret contemplatus: & quomodo quidā Sanctā Paſchalem hebdomadam dilata refectione corporali traducerent, alij denique ſaltem in veſperā cuiuſq; diei tenerent ieiuniū, didiciſſet. Conſcripta ſunt autē hæc omnia ad fidei & vitæ Chriſtianorū aſſertionē. Quemadmodū igitur tunc vocabantur Ieſæi *ad tempus, non ita multò poſt aſſūptionē Seruatoris, & à Marco Egyptiacæ regioni annunciatum Euangeliū: ita ſub idē tempus nōnulli egreſſi ſunt rurſū, quaſi quidā Apoſtolorū comites (hi nēpe quos dudū ſe ſe indicaui appellauiſſe* Nazaræos*) cū eſsēt & genere Iudæi, & legi addicti, & circumciſi.*

274 Ex his Epiphanij verbis liquet quod Euſebius ſupra nō ſatis ſibi cōſtare affirmabat, nēpe Chriſtianos omnes in principio *Therapeutarū* ſeu *Ieſæorū* nomine fuiſſe ornatos: poſtmodū verò cùm Chriſtianorū appellatio increbuiſſet, nomem illud ad eos delatum eſt, qui eminentiori & probatiori vita fulgebāt, cuiuſmodi erant Monachi. Sed dubitat Epiphanius de recta Hebræi & Syri vocabuli etymologia & impoſitionis cauſa, à Ieſſe Dauidis parēte, cuius Seruator noſter erat nepos; an potiùs à Seruatoris ipſius nomine Ieſu, quod illius eſſent diſcipuli, ita ſint appellati. Conſtat tamen ex ipſo Epiphano librū Philonis de Therapeutis, de Ieſæis quoque ab ipſo Philone fuiſſe ſcriptū: atq; adeò *Ieſæos* eſſe eodē cum *Therapeutis*, niſi quod illud Syrum, hoc verò Græcum etymon habeat. Fateor Epiphanium Ieſæos nuncupare, quos græca Philonis exēplaria & ex Latinis plura *Eſæos* vocant, non *Idæos* vt putat Trithemius in vita Philonis, aut *Iudæos*, vt in Hieronymi Philone quibuſdam viſum eſt. Nā hæc varietas, vt probat Matthæus Galenus ſuprà, ex ambiguitate litteræ *Iod* apud Hebræos eſt exorta, quæ ab aliquibus conſonans, ab alijs verò vocalis reputatur, & ab aliquibus vt E, ab alijs verò vt I profertur. Oritur etiam ex eo, quòd Hebraicum elementum ש *Schin* aliqui pronuntient vt *ſigma* ſeu S ſimplex cum aſpiratione Germanica: alij vt duplex ſigma ſeu Latinum *ſſ*; nam qui Eſæos appellant Therapeutas, י vt E legerunt, & ש *ſchin* vt ſigma: qui verò Ieſæos, י *iod* pro conſonante habuerunt, & vocalem E adijciendam cenſuerunt: at ש *ſchin* eodem modo quo priores vt duplex ſ efferendum putauerunt: cuius rei ignorantia aliquibus ſæpe fuit errandi occaſio, quod exemplis explicat Matthæus Galenus: in textu enim græco Noui Teſtamenti & in Veteri Septuaginta patrem Dauidis, *Ieſſe* vel *Ieſai* dici omnibus manifeſtum eſt, & Patres communiter eodem modo illum appellant. At in noſtra Vulgata veteris Teſtamenti paſſim *Iſai* dicitur, vt omnibus notum quod aliquibus occaſionem dedit exiſtimādi Patriarcham illum binominem fuiſſe, quod tamen falſum eſt: ſed huius varietatis ratio ea fuit, quam ſuprà poſuimus, ambiguitas ſcilicet elementorum: nam Septuaginta & alij י *iod* conſonantem fecerunt adiecta vocali E & duplici ſſ diphthongum autē hebræam AI in græcam αι conuerterunt, quæ vulgò ſonat E. Quo factum eſt, vt Septuaginta legant *Ieſſe*, cùm tamen ſcripſerint Ἰεσσαὶ voce diſſyllaba non triſyllaba vtpotè Hebræi, vulgò autem diſtrahunt diphthongum in duas vocales diſtinctas. Hieronymus verò י *iod* vt vocalem accepit, & latinum I ſonare iudicauit,

& ש vt ſimplex S. cum ſibulo ſuo la-
proferri credidit, poſteriorem verò ſyl-
labam rectè expreſſit: ſed aliqui ignari
Hebraiſmi in duas diuiſerunt vocales, &
triſyllabum nomen effecerunt. Idem eſt
de nomine Iſaiæ Prophetæ. Sed ad rem
noſtram reuertamur: quod enim Ioſe-
phus ſupra non *Eſæos* vel *Ieſæos* ſed *E-
ſenos* nominet, vel loco factum eſt, quod
nomen quorundam Samaritanorum hæ-
reticorum, qui Chriſtum præceſserunt,
impoſuerit Scribis, qui tamen & genere
& ſententijs à Therapeutis erant diſtin-
cti, vt docet Epiphanius: erant enim
ſchiſmatici & genere Cuthæi. Eſenos
verò dicit Ioſephus fuiſſe Iudæos, &
perfectiſſimos extitiſſe: ſed cum Antiq.
lib. 15. *c.* 13. eos Eſeos appellet, non
immeritò exiſtimat Matthæus Galenus,
Ioſephum callidè primo loco noſtræ re-
ligionis nomen poſuiſse, poſtea verò
Eſenorum vetus ſubiecisſe, vt hac cau-
tela nomina & perſonas confunderet, &
ita alijs locis vbiq; tantùm Eſenorum
mentionem fieri imponeret. Verum ſci-
to hanc rationem Matthęi Galeni etſi
in omnibus exemplis poſitis efficax qui-
dem ſit veriſſima, in vno nomine Eſeno-
rum claudicare: Hebraicè enim non per
י *iod* ſed per א *aliph* ingreditur, & ſupra
probauimus. Eſenos איש—אנוש dici-
tur hebraico idiomate, quaſi *vir ſeu ho-
mo de Enos*, à quo hæc familia felicíſ-
ſimè proceſſit, vt vidimus diſp. 14.

275 Cœterum Eſæos ante Chriſti
aduentum extitiſse, præter ſuperius di-
cta, illud argumentum conuincit, quod
1. Mach. 7. dicitur, *& conuenerunt ad
Alcimum & Bacchidem congregatio
ſcribarum requirere quæ iuſta ſunt, &
primi Aſidæi, qui erant in filijs Iſrael:
& exquirebant pacem*. De eiſdem etiã
mentio fit 2. Mach. Aſidæos autem eoſ-
dem eſse cum Eſæis, ex eo conſtat quod
omnia quæ Ioſephus Flauius græcè nar-
rat de Eſæis, ea ipſa Ioſephus Gorioni-
des hebraicè de Aſidæis dicat: imò in
eo libro quem de tribus Iudæorum Pro-
phetarum ordinibus ſcripſit, ſic ait: *Ter-
tiũ ordinẽ tenebãt Eſeni, ſiue vt quidam
Hebræorum vocant Aſidæi, ideſt pij*,
&c. & ſicut nomen Eſæorum à ſanctita-
te deducunt plures, ſic & Aſidæorum,
vt patet ex his quæ diximus cum de Mo-
nachis legis veteris ageremus. Fauet
deinde, quod Flauius Ioſeph lib. Antiq.
18. c. 2. cùm de Iudæorum ſectis diſpu-
tare vellet, ait: *Iudæi patriæ ſapientiæ
ſtudioſi, iam inde à multis retrò ſæculis
in tres ſectas erant diuiſi, Eſenorum,
Saducæorum, & eorumque Phariſæorũ
vocata eſt*, & *l.* 15. *Antiq. c.* 13. cum de
Herode puero ſermonẽ habuit, de Eſęis
loquitur, vt qui eo tempore vigerent;
quorum vnus Manachemus nomine fu-
turum regnum eidem Herodi prædixit.
Et l. 17. c. 15. refert Simonem Eſæum
virum prophetia clarum Archelai viſio-
nem interpretatum fuiſse. Hanc ſenten-
tiam ſequitur Ioſeph. Stephanus *in lib.
Machab. prolegom. c.* 3. & Serrarius in
eoſdem Machab. libros.

276 Sed contra determinationem iſtã
obijciunt aliqui, quod ſi Eſæi ante
Chriſti aduentum extiterunt, quomodo
in Euangelio nulla eorum habetur men-
tio, cùm tamen de Phariſæis, Scribis,
Saducæis, & Herodianis frequens fiat
memoria, maximè cùm Eſæorum vita,
& inſtitutio cęteris mirabilior videatur.

277 Præterea: quomodo Ethnici
ſcriptores, qui ante Chriſtum de gen-
tium moribus ſcripſerunt. Gymnoſo-
phiſtas quidem, Brachmanos, & quot-
quot vitæ moribus vbique terrarum ex-
cellentes fuere, ſummis efferunt laudib.
de Eſæis verò, qui prædictos omnes fa-
cilè antecellebant, quiq; ob oculos om-
nium erant in medio terræ conſtituti,
neque verbũ vllum fecerunt? Certè apud
Trogum Pompeium, & eius abbreuia-
torem Iuſtinum cùm de Iudæis agunt
c. 37. Eſenorum memoria ſilentio pror-
ſus obuoluta eſt: quorum nec nomen
quidem apud Strabonem & Ariſtiam re-
peritur. Hæc & his ſimilia reducere in
dubium

dubium videntur illa quæ de Eſenorum antiquitate diſſeruimus.

278 Nihilominus tamen difficultates iſtæ non eam vim habent, vt propoſitam aſſertionem vllo modo labefactare poſſint; nam vt omittam quod ſolum habent vim negatiuæ authoritatis, quam parum habere roboris nemo ignorat. Si primum argumentum probaret aliquid, idem quoad Hemerobaptiſtas & Nazaræos obtineret, quorum ſectas refert Epiphanius & Sigonius *lib. 5. de Republica Hebreor. c. 11.* quorum tamen memoria nulla eſt in Euangelio: eius rei cã rationem aſſignat Sigonius, quod Scribæ, Phariſæi, Saducæi, & Herodiani, cùm Chriſtus ſuam doctrinam prædicabat, opponerent illi ſeſe, ac ſæpe tentandi cauſa illum varijs interrogationibus fatigarent, quos Chriſtus inſectatus, illorum hypocryſin & doctrinam vt parum honeſtæ vitæ congruentem detegere nixus eſt, ſecùs autem de tribus alijs ſectis.

Quod autem dicitur de Ethnicis authoribus, non ita certum eſt, cùm Plinius *lib. 5. cap. 17.* Eſenos antiquiſſimos dicat, & per ſæculorum millia æternam gentem appellet. Idem cum Plinio tradit Solinus *Polybiſt. cap. 36.*

PROPRIA MENS.

279 Omiſſis igitur Doctorum teſtimonijs, quæ hanc quæſtionem in vtramque partem ſatis reddunt probabilem; Aſſero Eſenos ab Enio vel Enos prouenire, & per longam annorum ſeriem continuatos ruinas paſſos, augmenta nactos, aquas diluuij in Noë & filijs eius tranſiuiſſe, hincque *poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum* mirum creuiſſe in modum, & per orbem terrarum dilatatos, ſemper veræ Religionis & cultus amantiſſimos: adde prædicante Chriſto hos eius ſtatim doctrinã animo auido recepiſſe, ſequor Abulenſem, qui ex eo quod paulò ante obijciebatur, Eſenos à Chriſto nuſquam reprehenſos legi, colligit libenter eos Chriſti dogmata aceptaſſe. Hinc in concordiam veniunt Authores; quia ſi Eſeni erant Chriſtiani, vt cum Abulenſi conijcio, agens de Eſenis Philo, non poterat non agere de Chriſtianis, vnde concludendum, hæc Philonis de Eſenis verba de Chriſtianis intelligenda eſſe. Atque ita intelligit Papias Hierapolitanus Antiſtes, & Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, & Iacobus Ianduenſis in vita Marci, vbi citat Petrum Damaſcenum in eandem ſententiam. Idem docet Cedrenus, qui in eius rei confirmationem adducit epiſtolam Euſebii ad Marinum. Creſpetius *in ſumma, verb. Monachi.* Middemdorpius *in ſuis monaſt. originib. cap. 4.* & alii; & probatur, quia Eſeni illi, ſiue Therapeutæ, de quibus agit Philo, diuino afflati ſpiritu facultatibus omnibus parentibus, amicis, vel etiam indigentibus erogatis, voluntariam amplectebantur paupertatem. Hebræis autem inter præcipua beatitudinis bona, quæ Deus legis obſeruatoribus pollicebatur, erant opes & fortunæ, quas Moyſes vocat rerum abundantiam; voluntaria ergo paupertas quam Eſæi ſequebantur nullo modo Hebræi conueniebat: ergo Eſeni iam erant Chriſtiani.

280 Præterea Philo pro fundamento ſuæ Therapeutiæ Eſenorum continentiã ponit, liberorumque nullam eis fuiſſe curam vel deſiderium; ſed potius contempſiſſe amore virtutum, & intimæ notionis Dei. At hæbreis perpetua virginitas, maximè voto confirmata, inuiſa erat, eò quod gens illa poſteritatis eſſet auara, cuius rei fidiſſimi teſtes eſſe poſſunt virginis ſponſalia confeſſa, & à Sacerdotibus mandata, non conſilio tantùm, ſed & oraculum monitis, vt docent Epiphan. *hæreſ. 79.* Damaſcen. *l. 4. cap. 15.* Nicephorus *lib. 1. cap. 7.* Idem confirmat Elizabethæ præſtantiſſimæ matronę pudor, & cognominis infamia. *Et hic (inquit Lucas) menſis eſt ſextus*

illi.

illi quæ vocatur ſterilis. Teſtis deniq; pudor ſimilis & grauis nota, quæ Seruatoris auos Ioachimum & Annam exercuit, de quibus Epiphanius, Damaſcenus & Nicephorus ſupra; fuit enim illud nationi Iudæorum perſuaſiſſimum, maledictum eſſe, qui ſemen in Iſrael non procrearet. De neceſſitate autem ſuſcitandi ſemen fratrib. & aliis propinquis, qui ſine liberis decedebant & de opprobrio, quod detrectantes manebat non eſt quod dicamus: exſtat enim de hac re lex *Deut.* 25. Ergo Eſſeni qui ſemper virtuti vacauerant, tunc ad præcipuas virtutes ſunt promoti cum fuerunt baptizati: quia licèt continentiæ, paupertatis, & obedientiæ ſimulachra & vmbræ reperiantur in fœminis habitantibus ad oſtium tabernaculis, & in aliis monaſticis congregationibus: non tamen erant virtutes confirmatę voto, ſed ſolum propoſito libero, & ideò non poterant habere nobilitatem certam, ſicut nec ſecuriſſimam perennitatem; quæ omnia teſtantur aptè ea quæ Philo narrat, de noſtris Monachis eſſe aſſerta.

281 Obiiciat tamen aliquis, quod his rationibus probari videtur Eſſæos, de quibus loquitur Ioſephus, non extitiſſe ante genethlian Chriſti Domini, ſed fuiſſe Monachos Chriſtianos, eò quod illos ſimiliter caſtitatem coluiſſe & paupertatem amaſſe affirmet locis ſupra citatis: nihiloſecius eos ante Chriſti tempora floruiſſe docet idem Ioſephus ſæpè-ſæpius: quod & confirmant Plinius, Solinus quos citaui. Propter hæc & alia quæ de ſuis Eſſæis Ioſephus narrat, Mathæus Galenus libro relato c. 5. mordicus defendit Ioſephum de noſtris Monachis fuiſſe loquutum, ipſumque & Philonem de iſdem habuiſſe ſermonem: ſed hanc ſententiam falſam eſſe ex eo probari poteſt, quod Ioſephus Eſſæos in ciuitatibus. Philo verò ſuos foris in hortis & villis viuere ſolitos affirmet. Inſuper illos quotidie prandere atque cœnare dicit Ioſephus, hos verò non niſi ſemel in die poſt occaſum Solis cibum ſumere: imò aliquos vſque ad tertium diem ieiunos duraſſe, & alios ſex diebus ſimili modo permãſiſſe tradit Philo.

282 Præterea illis per ſingulos pulmentum apponebatur à coquo, his verò etiamſi conuiuarentur, ſalem tantum cum pane & hyſſopo libare ſatis erat. Rurſum illi licet immortalitatem animorum faterentur, corporum tamen reſurrectionem negabant, vt docet Ioſephus lib. 2. de bello cap. 7. imò animas carnis vinculo exutas vltra Oceanũ, iuxta Gręcorum Philoſophiam vel amœnas inſulas inhabitare, vel inferorum tenebris puniri pro cuiuſque operibus credebant, quod à noſtris Eſſęis, de quibus loquitur Philo, alienum eſt. Et denique Philo Eſſenorum genus apud Alexandriam in magno numero eſſe dicit, imò & in omnibus Aegypti regionibus agere, & vt verbo dicam, vbique gentium atq; terrarum, à Gręcis & Barbaris id vitæ genus eſſe receptum, ex quo Eſſęos illos diuerſos eſſe ab Eſſęis Ioſephi manifeſtè patet, imò & Chriſtianos eſſe, quod pręcipuum in diſputatione erat. Nam cum Ioſephus aſſerat l. 18. Antiq. c. 2. ſuos Eſſęos non alibi quàm in Iudęa, numeroque fuiſſe ſuper quatuor millia, quod & confirmat Philo in eo libro, quem inſcripſit, *quod liber ſit omnis ſapiens*: manifeſtum eſt non de his Philonem eſſe loquutum, ſed de Eſſęis, qui pręedicante Marco ab illis erroribus expliciti veram Chriſti fidem ſuſceperunt in Alexandria & Aegypto, quò tunc tẽporis aduenerat ipſiſſimus Philo.

283 Solùm in hac re ſupereſt explicemus, ſi Eſſęi, de quibus loquitur Philo, Chriſtiani erant & Monachi, quorſum in eis obſeruationem commendat diei Sabbathi? Sed ad hoc facilè reſpondetur, eo tempore legalia Iudęos ſeruaſſe, quod & Apoſtolos feciſſe eorum Acta teſtantur. Vnde Hieronymus ſupra; *Videns* (inquit) *Philo Iudæorum diſertiſſimus primam Eccleſiam adhuc*

Iudai-

Iudaizantem, (hoc eſt, adhuc Sabbatha obſeruantē) *quaſi in laudē ſuæ gentis librū ſuper eorū cōuerſatione cōſcripſit.*

284 Illud denique aduertendum exiſtimo, Philonem non exactè omnia arcana habuiſſe explorata, eò quod nondū ſatis initiatus admitti non potuerit ad propiùs contemplandum: erat enim maxima ſeueritas diſciplinæ in arcendis prophanis, atque adeò minus illa conſpicatus vel ſolo relatu edoctus nequiuit cuncta, maximè interiorum Sacramentorum addiſcere, & literis mandare.

285 Eſto igitur liquidum Eſenos ante Chriſtum floruiſſe, & poſt Chriſtum ab Apoſtolis conuerſos eſſe; & ſic omnia quæ de illis dicunt diuerſi authores ſecundum diuerſa tempora debere intelligi. Potuit contingere, quod in diuerſis ſæculis & Prouincijs diuerſos etiam ritus, cæremonias, viuendi normam, imò & omnes ſententias obſeruarent. Sic Ioſephus & Philo conciliantur, quia ipſi viderunt aut notarunt aliqua, alia ex relatione didicerunt: & omnia quæ Eſeni diuerſis in regionibus, & temporibus varijs præſtiterunt, in vnum videntur congeſſiſſe.

DISPVTATIO XXV.

Dionyſij Areopagitæ de antiquitate Monachorum ſententia expenditur, atque ante Paulos, Antonios, & Hylariones Monachos reperiri.

286 SEd iam teſtibus omiſſis qui vel pietate in patriam & religionem, vel neceſſaria ipſarum rerum peritia & exactiſſima deſtituti veritate, monaſticæ profeſſionis arcana minus exactè addiſcere & literis mandare potuerunt: accedit fidiſſimus Areopagita teſtis, qui certiorem ſingulorum habuit notitiam, & ad communem poſteritatis eruditionem ac vtilitatem tranſmiſit. Is ergo in eo libro quem de Eccleſiaſtica ſcripſit Hierarchia *par. 1. cap. 6.* Apoſtolicam ſeu diuinam tradit inſtitutionem his verbis: *Porrò initiandorum omnium excellentior & ſublimior ordo Monachorum eſt, ſancta diſtinctio expiatione omni, tota virtute atque exactiſſima ſuarum operationum caſtitate mundata, omnis item (quantum licet ſibi inſpicere) ſacræ operationis ſpecialiter, ſpeculatrix & particeps facta, Pontificumque conſummantibus virtutibus tradita, quorum diuinis fulgoribus & pontificalibus traditionibus conſpecta, pro ordine ſuo ſanctorum myſteriorum ſacrificia ediſcens à ſacra eorum ſcientia ad exactiſſimam perfectionem diuina ratione ſubuehitur: vndè ſancti præceptores noſtri diuinis eos appellationibus ſunt proſequuti, partim Therapeutas, ideſt cultores, & à ſincero Dei famulatu, atque cultu: partim monachos ab indiuidua & ſingulari vita appellantes vt quæ illos ſanctis diuiſibilium complicationibus in diuinam & Deo gratam monendam perfectionem promoueat. Idcirco & perficientem eis indulſit gratiam diuina ſanctio, eoſque conſecrante quadam inuocatione dignata eſt, non pontificali quidem (illa enim ſolis in ſacerdotalibus ordinibus fit) ſed ſacerdotali planè, & quæ ab honeſtiſſimis Sacerdo-*

cerdotibus. Vbi notes velin pro confirmatione præcedentis capitis noſtros Monachos dici Therapeutas, & per conſequens eos eſſe, quos ſummis laudibus euchit Philo citato in loco. Deinde nota quod ij Therapeutæ, non de ſæcularibus vitijs in Deo gratam atque monēdam perfectionem moti ſint, ſed de ſanctis diuiſibilium complicationibus, vel vt alij legunt, deſiderabilium, hoc eſt, à Iudaiſmo, qui & ſancta erat complicatio, vel deſiderabilium rerum, quod in ſpecie Meſſiæ, & Redemptionis deſiderio conſiſteret: vel diuiſibilium etiā rerum, quod hæ materiales opes in illo ſtatu Iudaico permitterentur ad diuinā, Deoque gratam, monendamque Chriſtianitatis perfectionem promotis, quæ non iam implicata diuiſibilibus & materialibus rebus, ſed ijs expedita, immaterialibuſq, donis ſuffulta erat.

287 Deinde eodem cap. p. 2. myſteriorum initiationis Monachorum perſtringens idem Dionyſ. ſic ait. *Stat Sacerdos ante ſacrum altare monaſticam imprecationem pſallens: ille antè poſt Sacerdotem adſtat, non vtrumque ponens genu, non alterum, non habens impoſita ſacra eloquia capiti: verùm ſolū ſacerdoti adſtans myſticam ſuper illum innocationem proſequenti. Ea verò finita Sacerdos ad eum accedens, interrogat primùm an renuntiet diuiſibilibus omnibus, non ſolùm veris, verum imaginib. quoque ac phantaſiis. Deinde exponit illi perfectiſſimam vitam, illud apertè conteſtans oportere illum medio longè antecellere. Vbi verò ille omnia iſta mente promiſerit, conſignans eum ſigno crucis tondet trinas diuinæ beatitudinis perſonas inclamans, exutumq; veſte omni aliam induit, & cum ſanctis alijs qui adſtant viris ipſum ſalutans diuinorum miſteriorum participem efficit* &c. Hæc Dionyſius. Quę omnia pro ſua eruditione myſticis explicat ſenſibus, de quibus ſuo loco.

288 Sed teſtimonia hæc quæ efficaciſſimè probant noſtrum intentum, Nouatores irrident & paruipendunt: dicunt enim ea quæ nomine Dionyſij communiter circūferūtur, opera ſuppoſititia eſſe & non illius verā ac genuinam prolem quod vel ex locis adductis probat Ioſephus Scaliger *in ſuo Elenc. fol.* 233. Monachatuſq; ignotum vitę propoſitū fuiſſe priſco Chriſtianiſmo aſſerit, & propterea Areopagitā illius non meminiſſe. Probat autem, quia cœnobij Monachorum aut eremitarum nulla mentio ante Paulum eremitam reperitur, neq; enim id Patres à Iuſtino ad Cyprianum vſq; tacuiſſent, multaque de illis apud Eccleſiaſticos exſtarent ſcriptorum teſtimonia, haberentq; aliqua monumenta cum Eccleſijs & Epiſcopis, quorū oppoſitū ſatis docet Tert. *in Apol. c.* 42. dicens: *non ſumus ſiluicolæ & exules vitæ.*

289 Arguit præterea pag. 232. authoritate Hieronymi, qui primum Monachorum inſtitutorem vult eſſe Paulum eremitam, & in alio loco Antonium in Aegypto & Hilarionem in Syria, ergo tempore Dionyſij non erant Monachi, ac proinde neque Dionyſius fuit author eorum librorum quos retulimus, cùm in eis monachorum fiat mentio.

290 Sed hæc argumenta & alia, quæ communiter congerunt hæretici parum roboris habent, & de primo quidem: ſatis perſpicuum eſt, cum ſit ab authoritate negatiua. Præterea falſum eſſe quod Scaliger vt certum aſſumit, nullam ſcilicet ante Paulum apud Sanctos PP. Monachorum mentionem reperiri, conſtat ex his quę de Eſęis ex Euſebio, Epiphanio & Caſſiano adduximus. Sed quia Scaliger hos omnes pueriliter hallucinatos aſſerit, breuiter aliqua modo referamus, fuſius acturi in ſequentibus. Et primò quidem Iuſtinus martyr qu. 110. multos pios viros vrbanos, optimaſque fœminas diu ante ſua tempora extitiſſe ſcribit, qui in deſertis locis anachoretas monachoſq; quærerent, vitæ eis neceſſaria ſuppeditaturi: erāt ergo ante ſua tē-

pora

pora Monachi, qui deſertum inhabitabant. Docet inſuper ipſe & Athenagoras in ſua pro Chriſtianis Apologia, Chriſtianos in vtroque ſexu innumerabiles olim repertos eſse, qui in ſacro & perpetuo cœlibatu conſeneſcerent, & incorrupti perſeuerarent. Athanaſius etiam in vita Sancti Antonij ante Antonium quidem non fuiſse Anachoretas docet: ſed tamen monachos fuiſse, qui in agris, ciuitatibus vicinis monaſteria ſua conſtituebant, affirmat expreſsè, additque Antonium cũ monachus fieri vellet ad ſenem quendam acceſſiſse, qui ab ineunte ætate monaſticam vitam fuerat profeſsus. Non ergo primus Antonius in Aegypto huius profeſſionis author, huiuſque diſciplinæ memoria ante Cyprianum reperitur. Eſse autem Athanaſium qui eam vitam conſcripſit, concors eſt Patrum ſententia, ex quibus ſufficiant modò Nazianz. in Athan. Hieronymus de viris illuſtribus in Antonio. Auguſtinus *lib. 8. confeſſion. cap. 6.* Rufinus *lib. 1. hiſtor. cap. 8.* Socrates *lib. 8. cap. 18.* & Alij. Dionyſium inſuper ad ſummum Pontificatum ex monacho aſſumptum docet Damaſus in eius vita. Sedit autem Dionyſius anno *266.* Fit quoque Abbatum & Monachorum mẽtio in Decretis Eutychiani Papæ, quæ exſtant tom. 1. Concil. & illum ſequitur Cyprianus *de habitu virgin.* Diſcrimen agnoſcunt inter virgines Dei ſiue velatas aut ſanctimoniales, de quibus ſic ait Tertullianus: *O ſacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt, quid plus aliquis perſecutor feciſſet, ſi hoc à virgine electum* (idest voluntariam electionem) *cognouiſſet?* & inferius virgines alloquens, *nupſiſti Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam.* Similia dicit Cyprianus. Et Tertullianus in lib. de monogam. illud Pauli: *Volo iuniores viduas nubere*, pulchrè de illis interpretatur, quæ nondum viduitatem erant profeſsæ; & de hoc voto & inſtituto interpretatur illud Matthæi 19. *Sunt Eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnũ cælorum.* Idem virginitatis votum eodem ſæculo agnoſcit Origenes *hom. 25. in Leuit. & hom. 2. in Num.* & his vetuſtior Clemens Alexandrinus *l. 3. ſtromatum.*

291 Sed iam reſpondeamus ad locum ex Tertulliano nobis obiectum, quod non erit difficile, ſi verba ipſius & mentem expendamus; negat enim eo loco Eccleſiam inuiſibilem eſse, aut Chriſtianos tenebriones in ſyluis latitare, vt eorum mores & ſecreta abſconderentur: ſed potius in vrbibus palàm in omnium oculis verſari, idq; tantum à maiori parte voluit oſtendere dicens: *Sed alio quoque iniuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotijs dicimur, quo pacto* (puta tales dicimur) *homines vobiſcum degentes, & eiuſdem victus, habitus, inſtructionis, eiuſdem ad vitam neceſsitatis? neq; enim Bracmanes aut Indorum Gymnoſophiſtæ ſumus, ſyluicolæ aut exules vitæ*, &c. Non tamen propterea negare vult Tertullianus, vllos omninò Chriſtianorum in ſyluis aut deſertis ſæculo renuntiantes degiſse. Idem enim modò dicere poſsunt Chriſtiani, qui inter Turcas & Perſas degunt, cùm tamen inter illos plures monachos exiſtere certum ſit. Imò cùm Tertullianus obiectis ſatisfaciat, cenſeo ab aduerſarijs Chriſtianos dici ſylnicolas, & exules, quoniam multi in heremis & extra vrbem monaſticam agebant vitam; huius etenim illatæ notæ aliqua debuit eſse occaſio aut cauſa.

292 Secundum autem argumentum ex Hieronymi authoritate adductum, duo habet alterũ: Paulũ primũ Monacorũ inſtitutorẽ fuiſse, alterum verò Antonium in Aegypto, & Hilarionem in Syria fuiſse primos cœnobitarum inſtitutores: & vt ab hoc ſecundò incipiamus, verba Hieronymi hæc ſunt: *Aſſerunt Antonium huius propoſiti ex parte fuiſſe caput, quod ex parte verum eſt, non enim tam ipſe ante omnes, quàm ab eo* om-

omnium incitata ſunt ſtudia. Vbi ſecundum Hieronymum etiam in Aegypto Antonius non tam inſtitutor quàm propagator monachorum fuit; Si ergo tantum propagator; ergo antequam ipſe propagaret fuerunt alij, inter quos illi, quorum meminit Dionyſius; nam aliàs ipſe Hieronymus lib. 2. contr. Iouin. ex propria loquens ſententia Monachorum principia ad Ioannem refert Baptiſtam.

293 Ad primum autem quod in eo argumento dicitur, reſpondemus, quod cum Hieronymus eo loco quæreret, à quo potiſſimum Monachorum heremus ſit habitari cœpta, tandem alijs ſententijs reiectis cũ diſcipulis Antonij Amatha & Machario concludit Paulum Thebæum huius rei Principem fuiſse; & quia aliqui dicebant Eliam fuiſse huius inſtituti authorem, alij verò Ioannem, reſpondet Eliam pluſquam monachum fuiſse, & Ioannem ante prophetare cæpiſse, quàm naſceretur, & primò rationem iſtam parum firmitatis habere quiuis intelligit; quæ enim conſequentia, Elias pluſquam monachus fuit, ergo prior monaſticæ vitæ non præiuit? Ioannes inſuper quamuis prius propheta, quàm natus, non ideò tamen minus propheta erit, quia poſtquam natus vitam hæremiticam profeſsus eſt.

295 Sed iam ad argumentum reſpondetur, Hieronymum quidem de origine vitæ heremiticæ diſputaſse non verò de monachis propriè dictis, aut de eorum origine & inſtitutione, monachos enim certis myſterijs Deo dicatos eſse ſciunt omnes, & conſtat ex adductis ex Dionyſio & aliis. Paulum autem, Antonium, Hilarionem, & alios ſolitarios heroas ab his exortes extitiſse, neque Sacerdotis opera vſos, in confeſso eſt apud omnes: dicuntur verò monachi metaphoricè, eò quod eorum exercitatio & ſtudia ſimilia eſsent. Anachoretas autem ſiue Heremitas, ij maximè qui non ex cænobijs ad heremum conuolarunt, à monachis multum differre patet *ex cap. qui verè. 16. q. 1. cap. perlatum. §. cont. 19. q. 3. cùm ex eo, de exceſſ. Prælatorum. in 6.* Monachi autem cœnobitæ nullo modo hac ratione ad Paulum referri poſſunt, ſed potius ad Eliam, qui habuit vitæ ſuæ comitem, & non rarò cùm filiis prophetarum verſatus fuit 4. Reg. 2. ſicut & Eliſæus poſtea *eod. lib. cap. 16.* Imò exiſtimant aliqui Paulum eò primum dictum eſse, non quia reuerà fuerit primus qui in heremum receſſit, ſed quia forſan in Aegypto primus ad finem vſque vitæ ſine vllo humano conſortio perſeuerauit, quod neque Elias, neque Ioannes fecerunt.

DISPVTATIO XXVI.

Perennitas ſtatus Religioſi oſtenditur.

PRIMVM SAECVLVM.

295 POſtquam fertiliſſimus Eccleſię ager paupertatis, obedientiæ & caſtitatis ab Apoſtolis ſemen accepit ſtatim multiplicata germina ampliſſimo fœnore reddidit, vt docet Ignatius qui primo ſæculo vixit epiſt. 8. Egit etiam de monachorum inſtitutione Clemens Romanus epiſt. 5. dicens: *Communis vita omnibus neceſſaria eſt* (nimirum ſimpliciter omnibus religioſis, vel fortè omnibus ſæcularibus ad melius) *& maximè his qui Deo militare cupiunt, & vitam*

tam Apoſtolorum, eorumque diſcipulorum imitari volunt; communis enim vſus omnium quæ ſunt in hoc mundo, nempe data à Deo: doceo enim in mea Morali Theologia omnes eſſe naturales dominos illarum omnium rerum, quas phyſicè faciunt) *omnibus eſſe hominibus debuit, ſed per iniquitatem alius hoc ſuum eſſe dixit, & alius illud, & ſic inter mortalas facta diuiſio eſt.* Referũt inſuper Epiphanius *hæreſ.* 30. & Hieronymus *lib.* 1. *contr. Iouinian.* epiſtolas illius encyclicas, quæ in Eccleſijs legebantur, in quibus plura de ſancta virginitate conſcripſit. Ignatius inſuper, vt ad illum redeamus, *epiſt. illa* 8. quæ eſt ad Philippenſes ſic ait: *Saluto Collegiũ virginum & cœtum viduarum:* erant autem eiuſmodi virgines, quæ perpetuã Deo virginitatem ſeruabant, de quibus idem *epiſt.* 10. *ad Smirnenſ. Saluto* (inquit) *eas quæ in perpetua degunt virginitate, & viduas:* Quod autem virgines iſtæ Deo conſecrarentur, conſtat ex eodem *epiſt.* 12. *ad Antiochen.* vbi ſic ait: *Virgines agnoſcant cui ſeipſas conſecrarunt.* In quo autem pretio & æſtimatione eſſent virgines Deo dicatæ, alibi explicuit *epiſt.* 13. *ad Hieron. Diacon. Antiochen.* dicens: *Virgines ſerua, vt pretioſa Chriſti monilia,* & epiſtola ad Tharſenſ. *Eas* (inquit) *quæ in virginitate degunt, in pretio habete velut Chriſti ſacerdotes: viduas in pudicitia permanentes, vt altare Dei.* Hucuſque Ignatius Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus: accedat iam & alter Petri diſcipulus Martialis ſcilicet Galliarum Apoſtolus, is enim *epiſt.* 2. *quæ eſt ad Tholoſanos, cap.* 8. Valeriam virginem refert, quæ cùm Regi Stephano eſſet deſponſata, ad prædicationem ſuam terreno relicto, Chriſto cæleſti ſponſo coniuncta eſt, virginitatemque ſuam voto illi conſecrauit; & *cap.* 9. *in fine* explicat ad hoc propoſitum illud Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum iſtud, qui poteſt capere, capiat,* & idem proſequitur cap. 10.

SECVNDVM SAECVLVM.

296 Sed iam ad ſecundum ſæculum accedamus, pro quo vel vnus Iuſtinus Martyr nobis ſufficere debet, teſtis quidem omni exceptione maior, vt omittam Teleſphorum IX. à Petro Romanæ Eccleſiæ Antiſtitem, quem ex anachoreta aſſumptum eſſe; concors eſt authorum ſententia, ſedit autem anno 139. & Clemens Alexandrinus, qui eo ſæculo vixit, ac plura de virginitatis, & continentiæ voto vſu primitiuæ Eccleſiæ cõprobato tradit *lib.* 2. *&* 3. *ſtromat.* vbi dicit in principio: *Eſt ergo continentia corporis deſpicientia conuenienter pactis conuentis cum Deo initis.* Et in fine: *Dominus inquit, qui vxorem duxit, ne expellat: & qui non duxit, ne ducat: qui ex propoſito Caſtitatis profeſſus eſt vxorem non ducere, maneat cælebs.* Ad Iuſtinum ergo accedamus, quem pro ſua negatiua ſententia adducit Scaliger: is enim q. 21. quæſtionem proponit his verbis: Εἰ σωφρονιλογισμῷ, &c. ideſt: *Si conſilio vitæ caſtè degendæ adducti monachi & cælibes, voluptates coniugales auerſantur: quid ita in ſomnis per imaginationem, ea quæ præter ipſorum voluntatem ſunt, patiuntur?* & reſpondet, *quoniam qui Deo ſe dicarunt, peruigilem habent aduerſarium, omnibus modis pro virili ſuo pijs reprehenſionem & probrum impingere machinantem: propterea quæ contra voluntatem ſuam ſunt, per ſomnium patiuntur &c.*

297 Rurſus q. 110. quærit: *Si Dominus patrem aut matrem aut liberos, & qui ſequuntur relinquentibus centuplũ retribuere pollicitus eſt, num & vxores centum illi recepturi ſunt? quomodo verò cum permulti, eis quæ dicta ſunt propter præceptum relictis, in mendicitate & orbitate & ſolitudine vitam finierint? num fruſtra fuit & falſa eiuſmodi promiſſio?* & poſtquam huic quæſtioni reſpondit, protinus ſubdit: *Vnde*

autem

Tiſem locupletet viri & fœminæ facultates ſuas conferentes in deſertis locis anachoretas & monachos quæſiuerunt, atque penuriam eorum ſuppleuerunt, ſicut id ex Priſcorum ſanctorum virorum hiſtorijs intellex imus, ſi non Dominus ipſe Chriſtus promiſſionem ſuam ad exitum ſuum perduxit? Ex quibus locis ſatis conſtat Iuſtinum martyrem monachos & anachoretas ſuo tempore cognouiſſe, imò & ante eum fuiſſe priſcos ſanctos monachos, quorum hiſtoriæ tunc temporis legebantur, ac proinde ante Paulum & Antonium habemus huius inſtituti authores, neque mirum quod Dionyſius Areopagita eiuſdẽ inſtituti in ſuis de Eccleſiaſtica Hierarchia libris mentionem fecerit: falſum ergo eſt quod dicit Scaliger, monachiſmum ignotum fuiſse priſco ſæculo vitæ propoſitum.

Agnoſcit etiam & Socer Pontifex, qui eodem ſæculo vixit, virginum conſecrationem & perpetuum virginitatis votum.

TERTIVM SAECVLVM.

298 In hoc tertio ſæculo non eandem monachorum vel monialium mentionẽ habemus apud ſacros ſcriptores; cuius rei forſan ea eſt ratio, quod inſtante perſecutione non eadem eſſent examina monachorum, eò quod viuere & Deo vacare non poſſent: fuiſſe tamen plures partim in communi viuentes, dubium non eſt; habemus eius rei quaſi triplicatum Salomonis funiculum, qui facilè rumpi non poſsunt. Primus omnium in hoc ſæculo ſeſe nobis offert Origenes: is enim hom. 24. in Num. agens de Nazareorum voto, ſic ait: *Alij vitulos, aut arietes aut domos aut alia huiuſmodi rationis expertia vota offerunt Deo: ille verò qui appellatur Nazaræus ſeipſum deuouet Deo: hoc eſt enim votũ Nazaræi, quod eſt ſuper omne votum: nam filium offerre aut filiam* (vide Regulæ caput 59.) *aut pecus aut prædium hoc totum extra nos eſt: ſeipſum Deo offerre & non alieno labore, ſed propriò placere, hoc eſt perfectius & præminentius omnibus votis: quod qui facit, imitator eſt Chriſti.* Et paululum inferius: *Qui in caſtitate viuit, corpus ſuum vouit Deo, ſecundum eum qui dixit, virgo autem cogitat quomodo ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Et in cap. 15. epiſt. ad Roman. *Quæ ſupra debitum facimus non facimus ex præcepto, v. g. virginitas non ex debito ſoluitur, neque per præceptum expetitur, ſed ſupra debitum offertur.* Secundo accedat loco Tertullianus, cuius ſententiam plures illius phraſes manifeſtant, in lib. enim de velandis virginibus cap. 3. plura dicit in hanc rem: *Tantò*, inquit, *magis liberæ, quantò Chriſti ſolias ancillæ*, & cap. 9. *Si quæ virgo eſt, & carnem ſuam ſanctificare propoſuit*, & capit. 11. harum profeſſionem ſatis explicans, dicens: *Viderit & ipſum continentiæ votum*, ſed apertiùs cap. 13. *Cùm tantam oblationem Deo offerimus ipſius corporis & ipſius ſpiritus noſtri, cum illam ipſam naturam conſecramus &c.* & c. 16. *Nupſiſti enim Chriſto, illi tradidiſti carnẽ tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam.* & in lib. de monogam. tractans locum Pauli 1. ad Timoth. 5. *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, explicat, *illam videlicet, à qua in viduitate inuentæ & profeſſæ eam, non perſeuerant*, & libro de Reſurrect. carnis. *Virginitas quoq; et viduitas Deo adolentur.* Habet plura alia *libr. 1. ad vxorem*, & libro exhortatorio ad caſtitatem, & ſæpè alibi quæ pretermitto.

299 Tertius textus eſt Cyprianus *in lib. de habitu virg. propè finem*, vbi ſic ait. *Neque hoc iubet Dominus, ſed hortatur: neq; iugum neceſſitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum, ſed cum habitationes multas apud Patrem ſuum eſſe dicat melioris habitaculi hoſpitia demonſtrat. Habitacula iſta meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrãtur maioris gratiæ præmiũ*

cæleſtibus obtinetis. Et in eod. loco, atque etiam *epiſt*. 62. virgines poſt votum emiſſum lapſas, Chriſti adulteras appellat, quod & poſtea fecerunt Chriſoſt. *epiſt. ad Theod. Monach.* & *homil.* 13. *in ep. ad Hæbreos*. Baſil. *de vera virg.* Ambroſius *ad Suſannam lapſam*. Hieronym. *cont. Iouin. l.* 1. *& ad Euſtoch. de cuſtod. virgin. & ad Sabinam*. Auguſtin. verò *de bono viduit.* audiamus *c.* 11. *Planè non dubitauerim dicere lapſus & ruinas à caſtitate ſanctiore, quæ vouetur Deo, adulterijs eſse peiores*. Hieronym. verò non ſolùm adulteras, ſed inceſtas eas vocat. Quandoquidem autem de mente Cypriani plura diximus, hęc modo ſufficiant.

At forſitan obiiciat aliquis, apud hos Patres non eſſe monaſterii, vel monachorum memoriam. Fateor equidem, cuius rationem exiſtimo eam eſſe, quàm in principio huius capitis adduxi, nihilominus eorum inuenio in hoc ſęculo mentionem, in Actis videlicet Nicomedienſis Eccleſię, quę adducit Baronius *tom.* 2. ſub annum Chriſti 301. quorum fidem omnib. eſse exploratã affeuerat. Cùm ergo in illis eſset ſermo de perſecutione Chriſtianorum, quæ facta eſt ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, agitur & de Domna, quæ erat ſacerdotum idolorum fautrix maxima, à Cyrillo tamen Nicomedienſis Eccleſię Epiſcopo ad Chriſtum cõuerſa eſt anno Chriſti 293 vt eadem Acta teſtantur. Cumque illa à Maximiano quęreretur, & illi renuntiatum eſſet, quod Chriſtiana eſset effecta, ſic dicitur. *Virginem quæri iuſſit in Monaſterijs & dijs illius ſeruari. Hæc cùm reſciuiſſet ea quæ monaſterio præerat, in quo erat ſancta: in primis virili ſuſcepta cogitatione virili tonſu & veſte, ornata virgine & preces cum lachrymis ei præbẽs viæ cuſtodes et duces, eã clã emittit ex ſacro thalamo.* Ex quo manifeſtè apparet erraſſe Scaligerum & alios hęreticos qui tantùm à tempore Conſtantini, monachi & monaſterij nomen & rem inuentas eſſe dicunt. Eorumque errorem confirmat, quod Ignatius martyr ep. 8. *ad Philipp.* Collegia virginum commemorat ſuo tempore extitiſſe. Fanet etiam quod Euſebius inſtante hac perſecutione plures ex Aſcetis ſiue monachis martyrium ſubiiſse dicit.

QVRRTVM SAECVLVM.

300 Cùm ergo his retrò annis, grauioribus perſecutionum procellis obortis, quibus non tantùm Chriſtiani ſimul agentes & conuentus publicè celebrantes, verùm etiam latentes in penetralibus aliiſque latibulis quæſiti abriperentur ad necem, illud cæleſte viuendi genus oportuit in paucis continuari. feliciori & ſecuriori auſpicio Magnus Antonius monaſticæ profeſsionis normam copioſiſsimo fœtu per totum orbem longè latèque ditauit. Erant quidem ante Antonium monachi, vt diximus, tam in vrbe quàm aliis in locis, qui vt poſtea Paulus, Antoniuſque perſecutionem fugientes in criptis, antris, iugis montium, valliumque conuexis receſsibus deliteſcentes inſtar Heliæ à facie Achab & Ieſabel fugientis, angelis ſimilem vitam ducebant, Deumque colebant propenſiùs: quorum plurimos martyrio coronatos docet Euſebius, eorumque aliquos reperiſſe Antonium & ab illis monaſticę inſtitutionis accepiſſe erudimenta diximus ſuperiùs. Poſtmodum tamen ipſemet Antonius in ſolitudine deliteſcens diuino afflatus ſpiritu monachos in vnum collegit, & in diuerſa loca tanquam in diuerſis aluearijs apum examina diſtribuit, qui ſub eius diſciplina à ſæculi abdicatione ad monaſticam profeſsionem amplexandã fuerant perſuaſi. De quibus Athanaſius in vita Anton. *Erant in monte monaſteria tanquam tabernacula plena diuinis choris pſallentium, legentium, orantiũ, tantũq; ieiunandi, & vigiliarũ ardorem*

dorem cunctorum mentibus ſermo eius afflauerat, vt futuræ ſpei auiditate ad mutuam charitatem & miſericordiam indigentib. exhibendam iugi ſtudio laborarent, qui infinitam regionem quandam, & oppidum à mundana conuerſatione ſeiunctum, plenum pietatis & iuſtitiæ videbantur incolere. Explicat autem Chryſoſtom. *homil. 8. in cap. 2. Matth.* quàm illuſtrata eſſet Aegyptus his monachorum agminibus, dicens: *Deniq; ſi quis nunc ad Aegypti veniat ſolitudines, paradiſo quouis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus.* Vnde Paula & Euſtochium ad Marcellam ſcribentes Aegyptum fertilem monachorum vocāt. Ipſa autem Paula in Bethlehem virorũ & mulierum monaſteria erexit, vt in eius epitaphio refert Hieronymus. In Aegypto, Palæſtina, Syria & Meſopotamia plurimos monachos ſe vidiſſe dicit Baſilius *epiſt. 79.* De Ponto verò, quod cœnobia habuerit, docet Naziāz. in Monodica Baſilij. Ioannes eremita in Tebaide multis præfuit monaſterijs: Serapion ferè decem monachorum millia regebat: fuerunt quoque in Cypro huius inſtituti præclari ſectatores, qui D. Epiphanium erudierunt. Denique breui tempore hoc ipſo ſæculo orbem terrarum hac ſancta propagine repleuerunt vſque ad latrones Beſſas & Dacos, de quibus Paulinus in vltimo carmine de reditu Nizetæ & Hieronym. *ad Heliod. epiſt. 3. & ad Lætam epiſt. 2.* agēs autem Chryſoſt. loco ſupra cit. de clariſſimis viris, qui in Aegypti ſolitudine floruerunt, & de fæminis idem vitæ genus arripientibus ait: *Atque hæc non in viris ſolum, verum etiam in fæminis ſplendere conſpicias. —— Communis enim illis ac viris aduerſus diabolũ pugna eſt, contraq; huius mundi poteſtates non ita varijs aſtrorum choris cœlũ refulget, ac Aegypti eremus innumeris monachorum ac virginum diſtinguitur atq; illuſtratur habitaculis.* Hucuſque Chriſoſt. & *hom. 12. in epiſt. ad Rom.* ſuo ipſe ſæculo gratulatur, quod plures in Eccleſia virgines ac viduas, quàm coniuges haberet. Baſilius etiam cùm ad Neocæſarienſes aduerſus ſubdolos operarios illorũ ſubuerſores ſcribit ep. 63. *Accuſamur* (inquit) *& huius, quod homines habeamus monachos pietatis ſtudioſos, qui mundo renuntiarint, & vniuerſis ſæculi iſtius curis, quas Dominus comparat ſpinis fertilitatem verbi impedientibus. Qui huiuſmodi ſunt, mortificationem Ieſu in corpore circũferunt, ac cruce quiſque ſua accepta, Deum ſequuntur. Ego verò omnem vitam meam impenderem, vt mihi poſſēt talia impingi delicta. —— Nunc autē in Aegypto audio quidem talem eſſe quorundam virorum virtutē & forſan in Palæſtina quoque ſunt, qui ad Euangelij normam, vitæ ſuæ conuerſationem perfectam reddant. Audio & in Meſopotamia viros eſſe perfectos atque beatos. Nos verò perfectis collati pueri ſumus: ſunt autem & fæminæ euangelicam vitam complexæ, quæ virginitatē quidem nuptijs præferunt, ſenſum verò carnis ſeruituti ſubijciunt. —— Apud nos verò qui primis adhuc elementis ad pietatem inſtituimur, & initiamur, minuta ſunt ac rudia.* Hæc Baſilius. Formam autem viuendi Monachorum explicat idem Baſilius *ſerm. de inſtit. monach. & ſerm. de Aſceſi*, & ſæpe alibi, vbi multa proſequitur monachis neceſſaria, adeò vt aliqui huius inſtituti primas Baſilio tribuant, cùm tamen potiùs fuerit Antonij imitator; fateor ipſum, regulam & formam viuendi monachorum dictaſſe, numerumque eorum aggregaſſe infinitum, vt teſtatur Amphilochius in eius vita. Scripſit & de hac re plura eo tempore Nazianzenus, qui Baſilio ſumma ſemper fuit amicitia coniũctus, de quibus Gregorius Presbyter in vita eiuſdem Nazianzeni: *Vnà agebant, ac virtutem conuerſatione mutua adau-*

gebant, exercitationiſq; leges Deo acceptis exercitatoribus, & qui mundum reliquiſſent, conſtituebant. Hæc de Baſilio ac Gregorio Nazianzeno Gregor. Presbyter. Loquitur etiam copioſè de monachis illius tempore Ephrem Ediſſenus *in ſerm. de vita & exerc. monaſt.* in quo torporem corripit monachorum qui eo tempore viuebant, & priſcorum feruorem extollit: Epiphanius *l.3. cont. hæreſ. hæreſ.* 80. deniq; ne eadem repetamus, ſancti omnes & authores, qui eo tempore ac paulò poſt vixerunt, de quibus inferius.

De Occidentalibus Prouincijs.

301 In occidentalibus verò Eccleſijs licet nunquam defuerint viri ſancti, qui ſeorſum ab alijs vitam agerent ſolitariã: certum tamen, exploratumque eſt omnes fermè illius orbis Prouincias, vna cum Inſulis hoc ſæculo plenas fuiſse agminibus monachorum, quod primum Romana Eccleſia ab Antonio per Athanaſium ſuſcepit, à Romana verò omnes aliæ occidentalis orbis Eccleſiæ mutuatæ ſunt, vt his verbis docet Hieronym. epiſt. 16. ad Principiam: *Nulla eo tempore* (inquit) *nobilium fæminarum nouerat Roma propoſitum monachorũ, neque audebat propter rei nouitatẽ, ignominioſum (vt tunc putabatur) & vile in populo nomen aſſumere. Hæc* (ſcil. Marcella) *ab Alexandrinis prius Sacerdotibus Papaque Athanaſio & poſtea Petro, qui perſecutionem Arianæ hæreſeos declinantes, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum Romam confugerant, vitam beati Antonij adhuc tunc viuentis, monaſteriorumque in Thebaide Pachomij & virginum ac viduarnm didicit diſciplinam, neque erubuit profiteri quod Chriſto placere cognouerat.* Præſtitit autem hoc cæteris amplius Romana Eccleſia: quia prima omnium intra vrbem & in ſuburbijs monachorum cœnobia habere voluit, quod & cæteræ nobiliores Eccleſiæ receperunt, vt de Mediolanenſi docet Auguſtinus *lib. 8. confeſſ. ca. 6.* & *de moribus Eccleſ. cap. 3.* vbi ait: *Vidi diuerſorium Sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus vnus presbiter præerat, vir optimus & doctiſſimus. Romæ etiam plura, in quib. ſinguli grauitate atque prudentia & diuina ſcientia prępollentes cęteris ſecum habitantibus præſunt Chriſtiana charitate atq; libertate viuentibus: ne ipſi quidẽ cuiquam oneroſi ſunt, ſed Orientis more, & Pauli Apoſtoli authoritate, manibus ſuis ſe tranſigunt,* & alia quæ latè proſequitur Auguſtinus eo loco. Ita verò auidè ſanctiſſimum hoc viuendi inſtitutum occidentales Eccleſiæ receperunt, vt Clerici in ſuis Eccleſijs degentes illud fuerint æmulati: docet autem Ambroſius ad Vercellenſes *li. 10. epiſt.* 82. Euſebium Vercellenſem Epiſcopum primum omninm monachatum Clericatui coniunxiſſe: is enim cùm apoſtolica legatione perfungeretur, in Aegyptum profectus Alexandriæ aduerſus Aiianos Concilium habuit, cumq; monachorum inſtitutum diligentiùs perquiſijſset, clericali ſtuduit coniungere quod deinde Martinus Turonenſis Epiſcopus in Gallias tranſuexit, vt docet Seuerus Sulpitius in eius vita, docetq; eo loco octoginta illius diſcipulos monaſteria ſibi erexiſse, vbi omnia ſub tanto magiſtro habebant communia, rariſſimèque prodibant in publicum, niſi ad orationem conuenirent: Auguſtinus inſuper idem inſtitutum in Africam traduxit, atque ita demum in occidentales Ecclelias longè latèque diffuſum eſt. Sunt autem adeò certa, quæ de monachis his ſæculis ſcribuntur, vt nihil firmius aut ſincerius dici poſſit; ſcripſerunt enim eadem, qui eo tempore dignitate, doctrina, ac pietate floruerunt. Athanaſius, Baſilius, Gregorius, Nazianzenus, Optatus, Hieronymus, Ambroſius, Ephrem, Rufinus, Chromatius, Palladius, Ioannes Climacus, Auguſtinus,

ſtinus ,

ſtinus, Chriſoſt. Paulinus, Sulpitius, Caſsianus, Proſper, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Victor, Olimpiodorus, vterque Gregorius, Romanus & Turonenſis, Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus atque Euagrius, qui omnes doctiſsima monumenta poſteritati conſignarunt; ſi vnum fortan vel alterum excipias, qui in ſuis libris honorificam quidem monachorum memoriã, obiter tamen illam fecerunt, vt vel turpe ſit pro rei magnitudine tantis Patribus refragari.

302 Denique ab hoc ſeculo cum acceſsione ad monachorum numerum, certæ Regulæ ac leges à varijs eorum Patriarchis ſunt datæ. Ex Græcis enim Baſil. ille magnus monachis inſtituta præfixit, vnde meritò in Oriente Monachorum omnium Pater eſt appellatus. D. etiam Auguſt. in Africa ſuis Regulas conſcripſit. Et denique Benedictus Regulam cõdidit diſcretione præcipuam, & ſermone luculentam, vt verbis vtar D. Gregorij, qui omnes eumdem Dei cultum, eandem felicitatem & vitæ finẽ ſpectantes, quamuis per viam quæ eſt Chriſtus, diuerſis tamen ſemitis ſinguli ingrediebantur, diuerſis vitę inſtitutis vtebantur, & ſuis vt vterentur, pręſcribebant.

CALVINVS IMPVGNATVR.

303 At inſurgit Caluinus, quia ſi vita monaſtica ponenda eſt perfecta diſtinctaq; à vita communi Chriſtianorũ, non ergo vnus, ſed duplex eſt Chriſtianiſmus. Inſuper ſi monachi alij Benedictini dicuntur, alii Auguſtiniani: ergo gloriantur in eo quod execratur Paulus & diuiſus eſt Chriſtus: quod erat Corinthiorum ſchiſma dicentium: *Ego ſum Pauli, ego verò Apollo &c.*

304 Sed ad primum quidem optimè reſpondent Patres ante Caluinum; Athanaſius enim epiſt. 9. ſic ait. *Duæ ſunt viæ & duæ ſermæ vitæ, vna quidem mediocris & ſæcularis, eorum ſcilicet qui in matrimonio ſunt, altera verò euangelica & apoſtolica eademq; virginalis longè excellentior, ideſt monaſtica vita. Si quis ſæcularem .i. coniugalem vitam ſuſcipiat, reprehendi quidem non debet, æqualia verò chariſmata non accipiet, tametſi accipiet quidẽ chariſmata; ſiquidem hoc quoque genus vitæ multum fructum affert: at ſi quis caſtam vitam & ſæculari excellentiorem eligat, tametſi in principio quidem aſpera & difficilis eſſe videatur, tamen habet poſt iuſtum certamen ac tolerantiã laudabiliora & admirabiliora chariſmata; perfectum .n. & vberrimum fructum ideſt centeſimum tulerit.* Hæc Athanaſ. Eandem doctrinam habet Euſebius Cæſarienſis *in epiſt. ad Marinũ*, & Baſilius *in ſermone aſcetico de renuntiatione & perfectione ſpirituali.* Ex quibus patet ſanctos Patres duos modos vitæ Chriſtianę ex vno Chriſtianiſmo, ſicut ex vno fonte duos riuos, non duplicem Chriſtianiſmum erigere, vt ſomniauit Caluinus.

305 Ad ſecundum reſpondemus, Caluinum reuera non intellexiſſe, quale fuerit illud Corinthiorum ſchiſma, neque qua ratione tunc Chriſtus diuidi diceretur; Corinthiorum enim ſchiſma & contentiones oriebantur ex eò, quòd alii de baptiſmo Petri, alii de baptiſmo Chriſti gloriarentur, quaſi baptiſma diuiſum eſset in creatorem & creaturã: ſic interpretatur magnus Athanaſius. At monachi noſtri non ita diuiſi ſunt; ſic enim iſtis nominibus appellantur, vt idipſum dicant omnes & eorum ſit idem ſenſus & eadem ſcientia catholicę profeſsionis; imò profitentur ſe nihil ſcire, niſi Chriſtum & hunc crucifixum, eſſet autem iniurioſum in Chriſtum, ſi non idipſum dicerent omnes, & eorum fides diuiſa foret. Nouit Eccleſia varios modos diſtinguere colendi Deũ, vnuſquiſq; .n. propriũ donũ habet à Deo, alius ſic, alius autẽ ſic. Qui Benedictini dicũtur, ſimul dicũtur Chriſtiani ſecũdũ

profeſſionem diſciplinæ à D. Bened. ad Chriſti imitationem inſtitutæ, & idem de alijs dicendum eſt; ita quod his nominibus non notatur fidei & mandatorũ Dei profeſſio, quæ ſimplex & communis omnium eſt, & vnius rationis, ſed profeſſio vitæ, quæ multiplex & varia eſt, quod optimè colligit Nazianzenus ex illo Christi. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Vnde ſciant Caluiniſtæ, oportet Laicos, & Regulares non duplicem Chriſtianiſmum facere; hic enim in decalogi obſeruatione, & fide conſiſtit, vtrique autem eandem legem & ipſiſſimam fidem obſeruant, & in eis quæ de præcepto ſunt non diſtinguntur, diſſident autem in eo, quod præceptis Regulares addant conſilia, & ad hæc ſolenni voto obligentur, ad quæ non tenẽtur ſeculares: inter quos media via progrediuntur Clerici ad Ordinces maiores promoti (ſic enim Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes vocamus, qui ex conſilijs ſolum tenentur ad caſtitatem, quam vel implicitè vouent, cum promouentur, vel ex obedientia recipientes Ordines ad eam concomitanter obligantur. Cæterùm inter Religiones quamuis alia ſit Benedicti, alia Baſilij, alia Dominici, & alia Franciſci &c. non eſt alia Pauli & alia Apollo, ſiquidem omnibus eſſentialis eſt conſiliorum obſeruantia ſeu finis, diſſident in medijs, cæremonijs, & ritibus, quia eò peruenit noſtris temporibus monaſticæ vitæ perfectio, vt nõ ſolum obligentur conſilijs, ſed etiam vltra hæc, ad media hæc vel illa pro varietate Regularum; vt nihil ſit in noſtra voluntate. V.g. omnes monachi tenentur ſeruare caſtitatem, ad hæc media ſunt oratio, ieiunium, à ſomno abſtinentia, corporalis exercitatio in laboribus &c. de quorum qualitate tempore & numero poterat voluntas propria conſilium inire ſalua Monachiſmi eſſentia: hanc propriam voluntatem eradicat Benedictina Regula ſtatuens orationem talibus pſalmis, tot & tali ordine, tali tono, tali tempore faciendam eſſe abſtinentiam à talibus cibis & diebus talibus ſomnum talibus horis concedendo, corpus laboribus tot talibuſque horis exercendo &c. à qua differt Baſiliana in ordine, non in ſubſtantia: omnibus finis eſt vita ſobria, pia & iuſta, quam conſequimur per abdicationem propriæ voluntatis.

Pro authoribus citatis Apologia.

306 At dices, non hos omnes Doctores aut eorum Hiſtorias per omnia probari. Fateor equidem, non enim caret Caſſianus errore. Fuit aliquando, ſi Scriptoribus credimus, Sulpitius Pelagianus, Theodoretus Neſtorianus, ſed vterque reſipuit. Socratis & Sozomeni hiſtoriæ næuos ſuos habere dicuntur, ſed ipſos ante mille annos, Cyrillus, Proſper, Gelaſius, Gregorius primus atque alij deprehenderunt & damnarunt, neq; iſti eorum aut errores aut næui in his conſtituuntur, quæ ad veritatem monaſticæ hiſtoriæ ab eis proditæ pertinẽt. Imò & hoc addam: plures ex adductis patribus, non ſolùm verbis, ſed factis etiam eiuſmodi inſtitutum ornarunt, quippe qui maxima ex parte illud profeſſi ſunt: monachi enim fuere Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Ephrem, Hieronimus, Rufinus Paulinus, Climacus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Caſſianus, vterque Gregorius, Romanus & Turonenſis, atque Sophronius, quos omnes ſi vero calculo rem ſupputemus, Magdeburgenſes non multò meliores Idololatris faciunt, vt vel ex hoc ſolùm eorum inſania palam fiat.

(?)

LIBER

LIBER QVINTVS,

De Monachorum generibus in Lege gratiæ.

PRæparauit liber primus materiam et inſtrumenta neceſſaria erigendo Monaſtico ædificio; ſecundus expoſuit obſoletas Religionis vmbras, & obſeruantiæ ſimulachra. Ibi vidimus ſymbola Eccleſiæ militantis, & hieroglyphica ſignificantia militiam Regularem: cuius ſacramenta, leges, ſigna, & arma purificat, reſtituit, ſanctificat, exercet, conſulit Chriſtus Dominus, vt vidimus in Tertio Libro. Sæcula Euangelica ſemper floruiſſe inſtitutis Monachorum ſpecies, quæ militant in lege gratiæ: illas præcipuè, de quibus S. Benedictus diſſerit, nec aliarum intermiſſa memoria, quæ poſſit diſcurſum exornare.

TEXTVS ex cap. 1.

De b Generibus Monachorum.

MOnachorum quatuor eſſe genera manifeſtum *a* eſt. Primum Cœnobiticum, —— ſecundum genus eſt Anachoretarum, ideſt Eremitarum: —— tertium verò Monachorum teterrimum genus eſt Sarabaitarum: —— quartum verò eſt genus Monachorum, quod vocatur Gyrouagum.

a Manifeſtum eſt] *Manifeſtum dicitur, quod omnibus in confeſſo: dari autem hæc quatuor Monachorum genera ignorat nullus, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam legerit. Tria priora reperiuntur apud Hieronymum epiſt. 22. ad Euſtoch. cap. 15. ex quo plurima Diuus accepit Benedictus: in eadem ſententia legitur Auguſtinus ſerm. 21. ad Fratres in eremo. Caſſianus collat. 18. per multa capita, ſed à 4. præcipuè ad 8. Dari etiam Gyrouagos Monachos, certum eſt omnibus, qui ditioribus Monaſterijs habitant, nam inibi eſt hoſpitum ſumma frequentia, inter quos ſæpè accedunt ſimilia monſtra.*

b De generibus] *hoc eſt de differentijs. Non eſt Patris noſtri Sanctiſſimi animus examinare genuinas ſpecies Monachorum, ſed ordines enumerat quatuor, quorum tres non differunt ſubſtantia, ſed ſolum accidente. Hanc diuidendi formam Dialectici ſubiecti in accidentia nominant. Cœnobitæ accidit eſſe Anachoretam, & Gyrouagum; Anachoretam facit deuotionis intenſio, Gyrouagum remiſſio charitatis. Sarabaitæ mentiuntur ſtatum; & colore hypocritico ſeruant ſæculo fidem, quam negant Deo. Hi æquiuocè conueniunt cum alijs, hoc eſt in ſolo nomine.*

De Monachorum generibus in primitiua Eccleſia egit Hieronymus epiſt. 22. & alij.

TEXTVS, ex cap. I.

Primum (videlicet Monachorum genus) eſt Cænobiticum, hoc eſt Monaſteriale: militans ſub Regula vel Abbate.

DISPVTATIO XXVII.

De Monachis Conuentualibus.

307 SEſe exhibet Nomenclatorem Monaſticum Pater Sanctiſſimus. *Cænobita* ipſi ſonat idem quod *Monaſterialis*. Non tam etymi, quàm ſubſtantiæ rationem ſequitur; hæ enim voces non idem ſignificant: ſed eundem. Cænobita ipſe eſt Monaſterialis, non tamen in quantum Cænobita; poſſet enim is eſſe, quin alterius denominationem ſortiretur. *Cænobita* dicitur à voce κοινὸς quæ eſt *communis*, & βίος quæ eſt vita, Κοινοβίτης, qui viuit in communi. Ea propter *Cænobium*, vt ex Abbate Piamone refert Caſſianus, *collat.* 18. *cap.* 9. non ſolùm habitationis, ſed potiùs vitæ & profeſſionis ſignificat vniformitatem. *Cænobium*, non niſi plurium, *Monaſterium* vnius etiam habitatio eſt. Teſtor Philonem *in libro de vita contemplatiua*, vbi diſſerens de Monachis Alexandrinis, ſic ait: *Singuli habent ſacras ædiculas, Σεμνεῖα vocant ſiue* Monaſteria, *vbi ſolitarij ſanctæ vitæ myſterijs dant operam*. Cùm autem iam receptum ſit, quod *Monaſterium* pro *Cænobio* vſurpetur, vt notat Caſsianus quem citaui, D. Pater Benedictus ſubſcribens communi expoſitioni, nomina *Cænobitæ*, [illegible]que *Monaſterialis* æquipollere affe[illegible]re potiùs quàm de nominum ri[illegible]ruit, [illegible]itus. Et ne Sanctum Patrem [illegible]gore ſol[illegible]m accuſes ignorantia dabo de termin[illegible]tionem textui conſo- Monaſterij ex[illegible] nam ab vnitate, quæ Græcè Μονὰς, & ſignificat ædiculam, in qua vel vnus ſolus habitat, vel in qua multi vna & tamen ſoli, hoc eſt à populi frequentia diſcreti.

Monachum militem eſſe D. Benedictus aſſerunt & quidem meritò, quia orationis armis dirigit expeditionem in patriam. Quantum hoc militiæ genus Virum Monachum decet, tantùm Mauortius & ſanguinolentus belli ſtrepitum dedecet: ſed de monacho ſæculi milite aliàs vberius diſputabo.

308 Subditur Monachus ex ſententia noſtri Legiſlatoris aut Regulæ aut Abbati: cur diſiunctiuè? an non vtrique potius quàm alterutri? Exiſtimo illud *vel* copulatiuè ſumi & æquipollere coniunctioni *&*, & ſi diſiunctiuè ſumi dicendum ſit, reor conſulto Abbatem à Regula ſeiungi, vt ſciant rigidi Antiſtites, qui præceptis torquent ſubditorum conſcientias, ſe procedere contra mentem Diui Benedicti. Si Monachus ſubiaceat Regulæ, nolit eum ſibi Abbas ſubijcere legibus nouis; ſufficiat ipſi Regulam ſeruauiſſe. Quod ſi Regulæ nolit ſubſiſtere, ſubſit Abbati non iam quà Patri, ſed quà Iudici, hoc eſt non iam clementi, ſed ſeuero.

309 *Militare ſub Regula* ſecundum phraſim Eccleſiaſticam *obedire* eſt. Plato *lib.* 12. *de legibus ſub initiū* agens

de

de obedientia & diſciplina militari ſic ait: *Militiæ gratia meritò magnæ habentur deliberationes, & leges multæ conduntur, illud omnium præcipuũ eſt, nequis mas fœminaue ſine magiſtratu aut principe quidquam agat, nec ciuis cuiuſcumque animus ſiue ioco ſiue ſeriò, aliquid facere ſolus, & ſuo duntaxat arbitratu conſueſcat: ſed tã in bello quàm in pace ad Principem magiſtratumque ſemper reſpiciat, & eum quocumque ſequatur, atque ita ad eius nutum vitam inſtituat, vt vel minima ab eo gubernatus faciat. Stet cum iubetur, & rurſum iuſſus proficiſcatur. — Cuſtodiam agat, det ſigna & viciſſima accipiat, & in ipſo prælio nec inſequatur vnquam, nec cedat niſi Princeps & magiſtratus ſignificauerit*. Hucuſque Plato quibus ſeueram ſatis militũ obedientiam explicuit. Habemus & eius rei præclara exempla ex antiquitate petita. Quintus n. Fabius Rutilius Magiſter Equitum à Lucio Papyrio curſore Dictatore, virgis cædi iuſſus eſt, eò quod exercitũ eduxiſſet aduerſus Samnites ſine eius iuſſu, quamuis eos fudiſſet, vt author eſt Valer. Max. *lib.* 4. *c.* 2. Eutrop. *lib.* 2. & Plinius *de viris illuſtr.* Poſthumium inſuper Tiburtum & Manlium Torquatum filios, etiam ab hoſte prouocatos & victores occidi iuſſiſſe; eò quod non expectato Imperatoris imperio pugnaſſent, tradit idem Val. Max. *lib.* 9. *cap.* 3. & Oroſ. *l.* 3. *cap.* 9. tradit & alia Plutarchus *in Rom. apophtegm.* Eraſ. *l.* 5. *apophteg.* & Fulgoſ. *lib.* 1. *rer. memorab. cap.* 1. Hinc ſeuera illa ſupplicia in milites cõtumaces, de qua re Gelius *lib.* 1. *c.* 14. & conſtant: Hormenop. *lib.* 1. *tit.* 16. Exſtat & de hac re lex *militis agrum. D. de re milit.* apud Martianum. *Eum, qui Centurioni caſtigare ſe volenti reſtiterit, veteres notauerunt. Si vitem tenuit, militiam mutat: ſi ex induſtria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite punitur*. Erat enim vitis Centurionis inſigne, qua milites puniebat. Ea propter de Scipione dixit plutarchus, quod ſicubi extra ordinem milites Romanos deprehendiſſet, acribus pœnis afficere ſolitus erat nempe ciues viribus, alios virgis cædi iubens: quia vitis pœna honorabilior erat, vt notauit Plinius *lib.* 14. *cap.* 1. dicens *Vitis ipſa in delictis pœnam honorat*, quod & aduertit Liuius. Propter hanc obedientiam exiſtimant aliqui Angelos militum nomen & officium fuiſſe ſortitos, primum dixit Dauid *Pſalm.* 102. *Benedicite Domino oẽs Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonũ eius.* Vtrumque autem expreſſit Zachar. *c.* 9. ſecundum interpretationem Hieronym. *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi, euntes & reuertentes*, qua phraſi celerem obedientiam ſanctorum Angelorũ ſignificauit. Eandem ſuorum militum obedientiam explicuit *Matt.* 8. Centurio. *Nam & ego homo ſum —— & habeo ſub me milites, & dico huic, vade & vadit: & alij veni, & venit*, quod non ita intelligendum eſt, vt vnus erat & alius reuertatur: ſed cuicunque aliquid operis demandetur, idem ipſe erat & reuertatur perfectis mandatis, quod indicant, quæ ſequuntur, *& ſeruo meo, fac hoc & facit*. Simili phraſi intelligimus ſymbolicè coruum non obiiſſe legationem, neque perfeciſſe mandata. *Gen.* 8. quia egreſſus, non eſt reuerſus: ſecùs de columba, quę reuerſa eſt in arcam.

310 Simili ratione Sacerdotes & templi miniſtri, quia Deo dicati diuinę obſequuntur voluntati, militare dicuntur; ſic interpretatur Forerius illud Iſaiæ 24. *In die illa viſitabit Dominus ſuper militiam cæli in excelſo, & ſuper Reges terræ, qui ſunt ſuper terram: quod confirmat* Forerius ex *cap.* 8. *Num.* vbi ſic habetur: *Ingredientur* (ſcilicet Leuitæ) *vt miniſtrent inta-*

in tabernaculo fœderis. Vbi iuxta vim vocis Hebrææ, צבא *Saba*, ſic ad verbum *ingredientur militare militiam in culto tabernaculi Eccleſiæ*: vbi *ingredi ad militandum militiam*, eſt fungi Eccleſiaſtico miniſterio, Eodem modo *Exod.* 38. vbi de fœminis illis religioſis, quę oblatis ſpeculis excubabāt in oſtio tabernaculi, hebraice צבאו Sebau *militare* dicuntur. Cum ergo Cœnobitarum munus ſit motaliter carere proprio arbitrio arctiſſimaque Superioris obedientia gubernari, propriiſſimè D. Pater illa phraſi vſus eſt, dicens: *militans ſub Regula vel Abbate*.

TEXTVS ex cap. 1.

311 Deinde ſecundum eſt Anachoretarum, id eſt Eremitarum, horum qui non conuerſionis feruore nouitio, ſed monaſterij probatione diuturna didicerunt contra Diabolum multorum ſolatio iam docti pugnare: & bene inſtructi fraterna ex acie ad ſingularem pugnam eremi, ſecuri iam ſine conſolatione alterius, ſola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare ſufficiunt.

DISPVTATIO XXVIII.

De Monachis Anachoretis.

312 ANachoretam Caſſianus *collat.* 18. *cap.* 6. interpretatur *ſeceſſorem*, vt notat Craesbeckius noſter hic. Aptè Monachi illi qui in ſolitudinem ſecedunt, vt ignoti omnibus ſeſe cognoſcant, ἀναχωρῖται ſolent dici. Radix eſt verbum græcum ἀναχωρέω hoc eſt *longè ſecedo* Ἀνακεχωρηκότα βιβλία dicuntur libri non euulgati. Verè Anachoretha Monachus Liber ſit, in quo morum inſtitutionem legamus, ne tamen ſit liber vulgaris cognitus, illis ſcilicet, quibus aut indiget, aut prodeſſe poteſt.

313 Multi reum idiomatis agunt noſtrum Patriarcham illuſtriſſimū, quòd cenſuerit has duas voces Ἀναχωρίτης & Ἐρημίτης æquiualentes eſſe, ſed perperam: ſunt enim ſynonymæ, in Calepini, Latino Lexico, voce *Eremus*: & in Regio Greco, voce Ἀναχωρίτης.

314 *Feruorem nouitium* vocat, recentem atquè adhuc infirmum defectu conſuetudinis & aſſuefactionis, qualis reperitur in tyronibus & incipientibus, qui feſtinaſter viam aggrediuntur, citò tamen deficere conſueuerunt iuxta id Platonis: *Feſtinantes in principio, ſeriùs ad finē perueniunt* vnde aptè Latinus, *Canis feſtinans cæcos parit catulos*.

135 Secundo aduertendum, deceptū fuiſſe Iſidorum *lib.* 2. *de diuinis offic. c.* 15. vbi diſtinguens Anachoretas ab Eremitis tria facit Monachorum genera, cùm tamē Eremitæ & Anachorete idem ſint, vt tradit hoc loco D. Pater Benedictus: quinimo id fatetur Iſidorus *l.* 7. *Ethymol. cap.* 13.

136 Circa illa verba, *Sed monaſterij probatione diuturna*, notandum quod

D. Tho-

*D.Tho.*2.2. *q.*188. *a.*8. optimè explicat doctrinam Sãctiſſimi Patris Benedicti, quoad hoc ſecundum genus Monachorum: ex quo eam deſumpſit Cardinalis Turrecremata hoc loco. Notat autem S. Doctor id quod eſt ſolitarium, debere eſſe ſibi per ſe ſufficiens, hoc autẽ eſt, cui nihil deeſt, quod pertinet ad rationem perfecti: & ideò ſolitudo ei cõpetit, qui iam ad perfectum peruenit, neque eget alterius directione, vt potè quod ſpiritu Dei actus non indiget alijs obedire: hoc autem dupliciter poſſe cõtingere oſtendit S. Thomas: vno modo ex ſolo diuino munere, ſicut contigit Ioanni Baptiſtæ, qui fuit repletus Spiritu Sancto adhuc in vtero matris ſuę, & propterea etiam puer erat in deſerto, Luc. 1. alio modo per exercitium virtutis, iuxta id Pauli ad Hæbreos 5. *Perfectorum eſt ſolidus cibus: eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali*, id eſt ex aſſuetudine & exercitatione habent iam quaſi guſtum temperatum, & maturum iudicium: Syrus habet, *propter inquiſitiones*, ideſt ſpeculationes, & theoria, de quibus latè Philo *in libr. de Therapeut. vel exercitatiorib. Alexand.* Illud autem *exercitatus* vertit Syrus, *ſuperarunt ſenſus ſuos*, ideſt, non ſequuntur magiſterium ſenſuum, ſed reiectis ſenſibus per diuturnam exercitationem perfecti euaſerunt. Hoc igitur exercitium vocat D. Pater Benedictus *monaſterij diuturnam probationem* ex continua militia ſub Regula vel Abbate, nulla enim ars eſt, qua ita hominis virtus & fortitudo exploretur, ac militaris: ſic enim habemus 4. Reg. 25. quod Sopher princeps exercitus probabat tyrones de populo terræ. Vbi quod vulgatus dixit, *probabat*, hebraicè habetur *militare faciebat*, quaſi dicat, ea ratione faciebat periculum de cuiuſque viribus ac virtute. Septuaginta Interpretes, *qui ordinabat populum terræ*, ideſt ordine ac diſciplina militari exercebat, ac inſtruebat, vt ex his intelligas quàm profundè D. Pater hac phraſi vſus ſit, *militarè ſub Regula vel Abbate*, qua & cœnobitarum obedientiam & probationem eorum, qui ad eremum properare nitebantur, expreſſit.

TEXTVS ex cap. 1.

317 Tertium Monachorum teterrimum genus eſt Sarabaitarum, qui nulla Regula approbati, experientia Magiſtra, ſicut aurum fornacis, ſecundum plumbi naturam molliti, adhuc operibus ſeruantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur.

DISPVTATIO XXIX.

De Sarabaitica lue, quæ virtutis ſpecie genio indulget, & vacat vni voluptati.

316 HOc Monachorum genus potius Religioſæ vitæ corruptio eſt, quàm ſpecies. Eius miſerias Authores referunt, ne ſpecie fictæ ſanctitatis decipiamur, neve eorum peſſima conuerſario nos incautos & improuidos inueniat. Quinimmo eorum fraude detecta, quod optimum eſt eligamus, facilè

ſacilè enim eſt à latentibus malis, prę-textu apparentis boni ſeduci, vt dixit Greg. *ad Ioan. Conſtant. epiſt.* 24. *lib.* 1. & refertur *in c. Sæpe vitia* 41. *d.* Sed iam accedamus ad literæ explicationẽ.

319 De Sarabaitica monaſticæ diſciplinæ luæ agit Rodiginus *lib.* 3. *lect. Antiq. cap.* 4. & Petrus Greg. *in Syntagmate Iuris vniuerſ. lib.* 15. *cap.* 14. qui Hieronymum trãſcripſerunt, & Petrus Crinit. *de honeſt. diſciplin. lib.* 3. *cap.* 15. vbi etiam citat Auguſtinum. *Sarabaitæ* cur dicti? Craesbeeckius noſter aſſerit tales audire quaſi *Renuitæ* ſeu *Renuentes*, eò quod certam doctrinæ Regulam & ſanctorum Patrũ exempla renuant ſequi certè *Sarabaita* gręca vox eſt, compoſita ex Σάρων, ὁ quod eſt *Libidinoſus*, & βίος *vita*, vnde Σαραβί-της *libidinoſam vitam agens*. Sed *Caſſian. collat.* 18. *cap.* 7. ab eo, quod ſemetipſos à cœnobiorum congregationibus ſequeſtrarent, ac ſigillatim ſuas curarent neceſſitates, ægyptiacæ linguæ proprietate *Sarabaitas* nuncupatos exiſtimat. Beda *in Act. Apoſtol. cap.* 5. & Abbas Piamon. apud Caſſian. ſupra, ex Anania & Saphyra ortũ affirmat hoc peſſimum genus Sarabaitarum, qui erãt in Aegypto Pſeudo-Monachi, Apoſtolicam diſtrictionem ſe cuſtodire diſſimulantes, cùm tamẽ ſuas res retinerent, vnde non videbitur mirũ ca. LIX. Sanctum Patrem meminiſſe Ananiæ & Saphyræ vt oppoſita componeret, & ex ipſo diſſidio clariùs monaſticæ modeſtiæ & liberalitatis veritatem probaret.

Non multum à Sarabaitis diuerſi erant, quos ſuprà Hieronymus appellat *Remoboth*, de quibus ille: *Hibini vel trini, nec multò plures ſimul habitant, ſuo arbitratu ac ditione viuentes, & de eo quod laborauerint, in medium partes conferunt, vt habeant alimenta communia: habitant autem quamplurimùm in vrbibus vel caſtellis: & quaſi ars ſit ſancta, non vita quidquid vendiderint, maioris eſt pretij. Inter hos ſæpe ſunt iurgia, quia ſuo viuentes cibo, non patiũtur ſe alicui eſſe ſubiectos: reuerà ſolent certare ieiunijs, & rem ſecreti victoriæ faciunt. Apud hos affectata ſunt omnia: laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis craſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum, detractatio clericorum, & ſi quando dies feſtus venerit, ſaturautur ad vomitum.* Similia de Sarabaitis docet Auguſtinus loco citato, vbi ait: *Tales ſunt Sarabaitæ, vt eorum genus omni affectu atque ſtudio ſit deuitandum: ipſi denique in Aegypto poſiti ſunt, in foraminibus petrarum habitantes, induti porcorum & boum pellibus, cincti funibus palmarum, ſpinas ad calcanea portantes ad cingulum ligatas diſcalceati & ſanguine cruenti, cauernis exeuntes ad feſtum Scenopegiæ pergũt Hieroſolymã, & ſancta ſanctorum intrantes, paupertatem & abſtinentiam prædicant aſſeruari: tunc barbam ſpectante populo ibidem acriter prouellunt: itaque nummis tali aſtu & commento adeptis in ſuam regionem remeant, & in lætitia & dapibus epulantur. Hos Sarabaitas nolite obſecro imitari: quia non beatos illos, ſed magnis ſupplicijs damnatos merito eſſe prædicamus.* Hæc Auguſtinus: & propterea D. Pater Benedictus *teterrimũ monachorum genus* appellat. Hieronymus verò & alij non *teterrimũ* ſed *deterrimum* dicunt.

320 Addit inſuper D. Pater eos eſſe, *qui nulla Regula approbati, experientia Magiſtri, ſicut aurum fornacis: ſed in plumbi natura molliti, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur.* Senſus hiat: & aliquid ſupplere neceſſarium eſt. Fortè hæc verba reſtituuntur ſic: *Qui nulla regula, nec experientia magiſtra approbati ſicut aurum fornacis: ſed in plumbi natura molliti*, &c.

321 Hic obiter notandum eſt ſummum D. Benedicti artificium in huiuſcemodi cõparationibus: confert enim Religionem fornaci, regularem diſciplinam

plinam igni, Cænobitas auro, Sarabaitas plumbo, Abbatem verò conflatori. Cuius ſimilitudinis ea eſt ratio: quòd aurifices ſeu conflatores aurum metallorum pretioſiſſimum duplici ratione probare ſoleant, vt docet Plinius *l.33. cap.3. & 8.* Primo modo per lapidem Lydiũ, ſic enim ait octauo capite: *Auri argentique mentionem comitatur lapis, quem Coticulam appellant, alij Heraclium, alij Lydium vocant. His coticulis periti cum ex vena lima rapuerint experimentum, protinùs dicunt quantũ auri ſit ea, quantũ argenti vel æris ſcrupulari differentia mirabili ratione non fallente.* Sic enim iuſtos religioſos maximè ad labores vel tanquam aurum ad lydium lapidẽ probari ſignificauit Apoſtolus ad Roman. 5. *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem — quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Quo loco, ex eo quòd charitas ſit diffuſa in cordibus fidelium, colligit patientiam, id eſt, laborum perpeſſionem probationem operari, quia patientia tanquam lapis lydius non ſolùm veniam charitatis detegit, verùm ſcrupulari differentia, quãtũ charitatis inſit, manifeſtat. ¶ Chriſtus Dominus frequenter *lapis* dicitur, eſt enim lapus lydius, qui examinat animæ pretium. Ergo Prælatus qui vult periculum facere de ſubditorum perfectione, & virtutum ſcrupulos periclitari, iungat ſuos Chriſto lapidi, in quo illi non ſolum examinabuntur; ſed & perfectiores & nobiliores fient.

322 Secundo modo inquit Plinius c. 3. Aurum probatur per ignem, vt adulterinum à vero ſecernatur, ipſumque verum aurum ab omni ſcoria, ſordeque repurgatum lõge pretioſius atque clarius euadat: Sic etiam in vero cœnobitæ regularis diſciplina, virtutum exercitus, tentationibus, propriæ voluntatis renunciatione ardeſcẽs, veluti ignis, omnium ſenſuum præcludit vanitatem, cupiditatũ ſitim reſtinguit inquietoſq; tortoris carnis impulſus, qui ſemper animum excruciant, cohibet. In hoc enim monaſtico fornace ideo potiſſimum verſatur, vt piacula lacrimis diluat, ac corruptam deorſumque procliuem naturam tanquam eques frænet, ea virtute, quæ in mortali carne angelicam vitam ducit: Si enim internis vult recreari gaudijs, & veluti aurum purum ſplendeſcere, neceſſe eſt vt myrrha ſeuioris pœnitentiæ cupiditates inanes cohibeat; amaritudinem enim ſequitur lætitia. Dixit equidem optimè Ricardus Pampolites in Iob. cap. *Anima quæ in amaritudine eſſet nouerit, in gaudio illius non miſcebitur alienus.* Et Propheta Rex: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Magnus labor gemitus, ſed non minus vtilis; eo enim cœnobita purgit conſcientiam ſuam, & in ſingula peccata ius dicens, illa comburit igne Deo. Charitas ignis eſt, qui crimina comburit vniuerſa. Ad hanc diuinam flammam è rubo prodeuntem inclyto Iſraelitici populi ductori diuinum numen inhibuit acceſſus; quia ſanctus terræ illius locus diuina quadam electione mirificis apparitionibus dicatus, nudis erat calcandus pedibus, *Ne appropies* (inquit) *huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 3. ſed cur ſoluere calceamenta debeo Monachus, vt ſim in terra ſancta, & participem calorem, radios & ſplendorem gratiæ, quæ ardet & non comburit cor, ſed potius illud fortificat & purius reddit? Sane calceamenta ex anima ium pellibus fiunt, ſunt animantis mortuæ exuuiæ. Hic Attentione indigeo. Vetus homo occiditur, cum nouus Adam diuinitus regeneratur; moritur homo peccati, cum naſcitur homo Dei. Vetus homo diſcedens relinquit exuuias homini nouo recens-

nato

ſtato, videlicet inclinationes peſſimas, & paſſiones malè-ſuadas. Hæ ſunt pedũ induuiæ, hæ reliquiæ corporis mortui; hæ, quas manibus (hoc eſt operatione & virtutum exercitio) Moyſes abſtulit; hæ, quas aqua gratiæ Chriſtus abluit, cum ſuorum diſcipulorum pedes; hæ, quas eradicas, quoties fidei maritas opera, & obligationi virtutum exercitia coniungis.

323 Sed ad lapidem Lydium reducit nos iterũ Paulus conſtans in tribulationibus. Dedidicerant Corinthij monita quæ Apoſtolus primum docuerat, & decernit illis ſcribere epiſtolam ſecundam, in cuius cap. 6. ſic ait: *In omnibus exibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs:* neceſſariò adiungendum putauit, *in charitate non ficta*, ſeu vt græce eſt ἐν ἀγάπῃ ἀνυποκρίτῳ; id eſt *in charitate nõ hypocritica*, quibus verbis Apoſtolus indicat duplex charitatis aurum reperiri, alterum verum & probatum, alterum fictum & adulterinum. Manifeſtius autem verum hoc charitatis aurum expreſsit 2. ad Corinth. 8. *Non quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſolicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans:* vbi alij legunt *ingenuum*. Sic enim græcè legimus Καὶ τὸ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης γνήσιον δοκιμάζων. Significat autem γνήσιον quod *verũ* eſt, ac *germanum*, non *adulterinum* ac *fucatum*, atque ideo tranſtulit Eraſmus *ſinceritatem*, ac ſubinde intelligit Apoſtolus dilectionem ſeu charitatem non fictam, ſed veram. De hac re multa dicunt Authores ſuper *Pſal. 65. Sapient. 3. Prou. 17. Iob. 23. Eccleſ. 2. Malach. 3. 1. ad Corinth. 3. & Apoc. 3.*

324 Eſt inſuper ea auri natura, quẽadmodum docet Plinius loco ſupra cit. vt nihil eius igne dæpereat; imo quo ſæpiùs ardet, eo euadat melius: quod notauit Tertullian. *in Scorpiac. aduerſ. Gnoſticos. cap. 7.* & Pamelius eo loco, dum explicat illud Zachar. 3. *Vram illos ſicut vritur argentum, & probabo illos ſicut probatur aurum* ſic ait: *Vri argentum, non aurum (quod probatur duntaxat) experientia quotidiana didiſcamus*. Aurum erat Paulus qui dicebat 2. ad Corinth. 12. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto: cũ enim infirmor, tunc potens ſum:* quaſi dicat, nihil virtutis & conſtantiæ mihi in tribulationum flammis deperit, quin potius tunc firmior ſum & potentior. Et propterea 1. *ad eoſdem Corinth. cap. 13.* dixit quod *charitas omnia ſuffert*, vbi græcè στέγει, ſumpta translatione à lignis, quæ impoſitum ſibi ſuſtinent onus, maximè verò à palma, quæ oneri non ſuccumbit, ſed potius inſtar fornicis erigitur. Vnde Alciatus in emblemat.

Nititur in pondus Palma, & conſurgit in altum:
Quo magis & premitur, hoc mage tollit onus.

Verbum enim στέγω, vt notat Nomẽclator Græcus in *apparatu Regio*, ſæpe ſumitur pro βαστάζω, hoc eſt, *ſufferre, ſuſtinere* D. Cyprianus *tract. de ſimplicitate Prælat.* non legit, *omnia ſuffert*, ſed *omnia diligit* Verum vulgata editio retinenda eſt, & in eodem ſenſu accipiendum quod ſequitur, *omnia ſuſtinet*. Ac propterea D. Pater Benedictus cœnobitã auro probato comparat, contra verò Sarabaitas in plumbi naturã mollitos ait; ea eſt enim plumbi natura vt ab igne conſumatur, & incendij illuſtrem virtutem non ſuſtineat. Docet id Hermes *lib. 6. Alchim.* quod & notauit Hieron. in illud Hier. 6 *Conſumptum eſt plumbum.* Pari rationi Sabaitæ plumbo ſimiles paruo pænitentiæ calore diſſoluuntur, & diſſolutores fiunt in ſuo ordine, quam eſſent in ſæculo.

325 Il-

325 Illuſtrat etiam hunc conceptum Caſſiauus loco nuper citato. *Deū imbecillo (ait) animo rem ſummæ virtutis affectant, vel neceſſitate ad hanc profeſſionem veniri compulſi, dum cenſeri tantummodo nomine monachorum abſque vlla ſtudioſorum æmulatione feſtinant, cænobiorum nullatenus expetunt diſciplinam, nec ſeniorum ſubijciuntur arbitrio, vt eorum traditionibus inſtituti, ſuas diſcant vincere voluntates, neque vllam ſanæ diſcretionis Regulam legitima eruditiones ſuſcipiunt, ſed tantummodò ad hominum facies, renuntiantes, ſub priuilegio huius nominis ſuo arbitrio, perſeuerant.*

326 Quid autem maiorem confuſionem Reipublicę afferre poteſt, quàm quod aliquis vſurpet ſibi vitam aliquā aut Religionis formulam, & habitum, ſit autem purè laicus, vel potiùs hypocrita & ſuperſtitioſus? Quapropter optimè *in Concil. Tolet. 4. cap. 52. & in c. Clerici 3. de Regularib.* ſtatutum eſt, vt Clerici qui ſe fingunt habitu & nomine monachos & non ſunt, corrigantur vt veri Clerici. Quia ſcriptum eſt *Deuter. 21.* non arandum in boue, & aſino, nec quemquam induendum veſte ex lana & lino contexta. Quis non videat Phariſæos huiuſcemodi teterrimū monachorum genus adūbraſſe, qui ſeparati ab hominibus hypocriſi, ſuperbiam & ambitionem ſpecie religionis ſimulabant? Vt tradit Ioſephus *l. 2. de bello Iud. cap. 7. & lib. 18. Antiq. c. 2.* dilatabant philateria & habitum ſanctitatis, exterminabant facies ſuas vt viderentur ieiunantes, cum nihil minus ipſis cordi eſſet quàm religio, ſimiles ſepulchis dealbatis, quæ intus plena ſunt oſſibus mortuorum; fuco religionis bona populi expiſcantes, vt inde appareat, quod ait Saluianus *in 4.* pallio ſanctitatis plures mentiri: *Licèt enim*, inquit, *de conuerſorum venerabili choro videaris, religionem veſtibus ſimules, licet fidem cingulo adferas, licet ſanctitatem pallio mentiaris, non crederis, & vulgo circumfertur quod habitus non faciat monachum.* Adſtipulatur D. Pater Benedictus in hoc cap. dum ait: *Adhuc ſæculo ſeruantes fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur.*

DISPVTATIO XXX.

De Tonſura capitis.

327 Ex vltimis Sanctiſſimi Patris noſtri verbis manifeſtum eſt capitis tonſuram eſſe Monachi charactericon, qua & monemur noſtræ conditionis & aliorum, quę ad noſtrā pertinent profeſſionem. De hac materia curioſiſſimè Gorop. Becan. Antuerpienſ. *in ſuis Hieroglyph. fol. mihi 52.* Petrus Greg *lib. 6. Syntagm. c. 1.* Sixtus Senenſs. 2. *Bibliothecæ p. annot. 244.* Stellartius lib. integro, & alij plures.

328 Poſtquam Philippus, Macedo apud Cheroneam Athenienſium profligaſſet exercitus, eorumque opibus, potitus eſſet (ex Antiquorum monumētis id refert Ludouicus Cælius *lib. 19. cap. 33. & vlt.*) felicitate nimia efferri aliquantulum cæpit, ſuæque imbecillitatis, & fortunæ inconſtantiæ oblitus, pœnè diuinum & immortalem ſe iudicabat. Attamen cum rerum euentu experientiaque ſe deceptum didiciſſet, ne rationis limites traſgrediens ad iniuſtitiam aut victorum ludibria & ſubiecto-

rum

rum iniurias delaberetur, vni ex ephebis id muneris iniunxit, vt quotidie ſub ſolis ortum ingreſſus aulam clamaret: Φιλιππε ἄνθρωπος εἶ. *Philippe homo es:* adeoque conſtanter id ab eo obſeruatū ferunt, vt nuſquam omninò vel progrederetur ipſe, vel familiarium aut aliorum operam ſuam requirentium quempiam admitteret, niſi prius audiſſet: Φιλιππε ἄνθρωπος εἶ. Pulchra equidē huius prudentis Regis philoſophia, at quoties animo reuoluo Eccleſiaſticam in monachorum tonſura conſuetudinem, non poſſum non congratulari nobis, quod nequaquam pueto, vt Rex ille, indigemus, qui imbecillitatem noſtram in memoriam reducat. Tonſura capitis inceſſanter nos eorum admonere nō deſinit, quæ ad perfectionem noſtri ſtatus ſunt neceſſaria. Sed hic operæ pretium erit oſtendere Monachorum tonſuram nec nouam eſſe, nec Scripturæ ſacræ contrariam, aut vſui purioris Eccleſiæ diſſonam, vt volunt Hæretici, ex quorum numero ſunt, Magdeburgenſes *centuria* 4. *cap.6.* quibus adiungo Caluinum *lib.* 4. *Inſtit. c.* 19. §.27. qui vſum tonſuræ à tempore D. Auguſtini cœpiſſe exiſtimat. Scripſit etiam & quidam Hortenſius Landus librū de perſecutione barbarum, vbi multa de re iſta. Monachorum nihilominùs tonſuram Apoſtolica traditione in Eccleſia fuiſſe cōtinuò, manifeſtū eſt. Huius antiquitatis aſſertor eſt Dionyſius *de Eccleſ. Hierarch. c.6.* vbi dicit: *Sacerdos ſigno crucis eum conſignatum tondet, omnique veſte detracta eum alia induit.* Anicetus inſuper ad Epiſcopos Galliæ ſic inquit de Eccleſiaſticis agēs: *Qui laicis & ſimplicibus virtutis, honeſtatis, prudentiæ & grauitatis exemplar eſſe debent, vt ſeipſos tanquam ſignum purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter exhibeant, iuxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radāt.* Ex quibus verbis nō ſolùm capitis tonſuram, ſed & illius modum conuincimus. Agunt etiam de re iſta Athanaſ. *in l. de virginit.* Paladius *in hiſtor. Lauſiaca c.*41. Hieronymus *in epiſt. ad Sabinian.* Epiphan. *hæreſ.*80. Auguſtinus *de opere Monach. c. vlt.* Iſidorus *lib.* 2. *de diuinis offic. cap.* 4. qui dicit tonſuram ab Apoſtolis fuiſse inſtitutam. Idem docent alij Patres & Concilia, de quibus inferius dicemus. Ex quo liquidò conſtat, Monachorum tonſuram nec nouam eſse, neque caſu introductam, ſed magna cum ratione & delectu.

TEXTVS ex cap. 1.

329 Qui bini vel terni, aut certè ſinguli ſine paſtore, non dominicis, ſed ſuis incluſi ouilibus, pro lege eſt eis deſideriorum voluptas; cùm quidquid putauerint vel elegerint, hoc dicunt ſanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere.

DISPVTATIO XXXI.

De ouili diuinæ & propriæ voluntatis.

330 COpioſam nobis D. Patris Benedicti verba materiam ſuggerunt, ſed ne prolixior ſermo ingratus quoquo modo videatur, breuiter ea

quæ

quæ in hoc capite continẽtur, perſtringemus. Duo igitur ſunt, quæ in his duobus obſcuris Monachorum generibus grauiter improbat S. Pater; alterũ in Sarabaitis; alterum verò in Gyrouagis: in his vagationem & inſtabilitatem: *in* illis proprij conſilij & voluptatis amorem, quæ velut peſſimam Religionis luem docet eſſe fugienda, tradi enim aliquem in manus ſui deſiderij quaſi nauim ſine gubernaculo, aut equũ indomitum & furentem, deſtitutum chamo & fræno, (ſicut de quibuſdam obcæcatis philoſophis dixit Paulus *ad Rom.1.*) ſupremum delictorum ſupplicium eſt. *Nouit Dominus* (inquit Gregorius lib.11. moral. c. 7. *decipientem, quia plerumque anteriora eius mala conſpicit, & hunc iuſto iudicio cadere, etiam in alia peccata permittit: nouit decipientem, quia in manu ſuorum peccatorum dimiſſum, hunc vt ad peiora proruat, deſerit, ſicut ſcriptum eſt Apoc. 22. qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* De hac re vberiùs diſſerit Adrianus Pontifex *in Quodl. lib. 5. q. 1. ſine argument.* Grauiſſimum imminere periculum illis qui religioſam vitam agunt ſine paſtore, & ſuam veluti ducem ſequuntur voluntatem, optimè oſtendit *epiſt. 4. ad Ruſtic. cap. ſimiliter* 4. Hieronymus. *Mihi quidem placet* (inquit) *vt habeas ſanctorum contubernium, nec ipſe te doceas & abſque ductore ingrediaris viam, quam nunquam ingreſſus es, ſtatimque tibi in partem alteram declinandum ſit, & errori pateas.* Et inferiùs *cap. 6. Nulla ars abſque magiſtro diſcitur, etiam muta animalia, & ferarum greges ductores ſequũtur ſuos. In apibus principes ſunt, grues vnam ſequuntur ordine litterato. Imperator vnus: iudex vnus, ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator, in domo vnus dominus, in quo vis grandi exercitu vnius ſignum expectatur. Ne plura replicando faſtidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, ſed viuere debere in monaſterio ſub vnius diſciplina patris.* His per omnia ferè ſimilia ſunt quæ dicit D. Pater Bernardus *ſerm. 77. in cant.* 3. explicans. n. illud Cantic. *Per vicos & plateas quæſiui quẽ diligit anima mea*, ſic ait: *Audiant qui ſine duce & paſtores vias vitæ ingredi non formidant, ipſi ſibi in arte ſpirituali exiſtentes pariter diſcipuli, & magiſtri: non ſufficit hoc etiam coaceruant ſibi diſcipulos: cæci, duces cæcorum; quàm multi ex hoc tramite periculosè aberraſſe comperti ſunt, nimirum ignorantes aſtutias Sathanæ & cogitationes ipſius! factum eſt, vt qui ſpiritu cœperant, carne conſummarentur, abducti turpiter, lapſi damnabiliter.* Et tandem concludit: *Seductori dat manum, qui dare diſſimulat præceptori* Baſilius *in Conſtit. monaſt. c. 28.* Monachum neque ad punctum temporis poteſtatẽ ſui habere aſſerit, eò quod ſicut abſente artifice inſtrumentum ſua ſponte non mouetur, neque membrum ad breuiſſimum tempus ab aliquo corpore ſeparatum moueri poteſt ſine corporis moderatore ſpiritu, ſic neque Religionis obſeruatori, aliquid agere exſequiue ſine antiſtitis ſui cõſenſu licet.

331 Sed poſtquàm D. Pater Benedictus dixit Sarabaitas eſſe ſine paſtore, ſapienter eorum periculum indigitat nomine *ouilis*: ait enim, *Non Dominicis, ſed ſuis incluſi ouilibus.* Vbi cœnobia ſiue monaſteria, Dominica appellat ouilia. Erat eo tempore ouile, non quale nunc videmus rete vel ſeptis concluſium, ſed potiùs ſtabulum in veſtibulo domus, cuius portæ olim apud locupletiores claudendæ & aperiendæ ſeruus præerat, & is nonnumquam catenis alligatus. Vnde extat illud Ouid.

Ianitor indignè dura religate catena. Et propterea dixit Chriſtus *Ioan.* 10. agens de vero paſtore: *Huic oſtiarius aperit:* Quod ſi ouilia eſſent, vt modò ſunt, neque oſtium habentia, neque ianitorem, quomodo paſtori ab oſtiario aperirentur? quapropter non incongruè Beroaldus redarguit Seruium, qui *in Annot. ad Marcum Varro lib.* 1. *cap.* 14. ouilia pro ſeptis & è contra poni exiſtimauit.

332 Ad huius forſan ſimilitudinem locus ille vbi Romæ centuriata Comitia agebantur, *ouile* dicebatur, vt tradit Ioannes Roſin. *Roman. Antiq. lib.* 6. *cap.* 14. erat autem ſeptum quoddam cancellis concluſum, cinctumque tabulatis, quod poſteà ſumptu magnifico & excellenti marmoreum factum, excelſiſque ornatum fuiſſe porticibus, tradit Alexand. ab Alex. *lib.* 2. *dierum genial. c.* 18. Sunt itaque noſtra monaſteria vel cœnobia ouilia, ſed non abſque paſtore, circumuallata muris, oſtio & oſtiario munita: At Sarabaitarum collegia ſine paſtore, ſine ſepto luporum incurſibus peruia, vnde periculoſiſſimum eorum errorem deprehēdes.

333 Hominum genus, pecudum gregi ſimile eſſe, ſatis humanis diuiniſque oraculis eſt comprobatum, inter quas nulla eſt, quæ idoneo deſtituta magiſtro tam varijs erroribus, tamque multiplici ſit obnoxia periculo, atque ouis; ita vt dicat Ariſtoteles *lib.* 9. *de nat. animal. cap.* 3. quod ſi à grege ſemel aberrauerit, non ſua ſponte redit ad ſtabulum niſi quæratur & compellatur: vſque adeò ei neceſſaria eſt paſtoris cura. Quapropter Propheta Regius *Pſalm.* 118. grauiſſimum ſuum errorem agnoſcens, dicebat: *Erraui ſicut ouis quæ perijt.* Quem locum explicans melliſluus meus Bernardus *ſer.* 85. *in cant.* ad illa verba ſponſæ, *In lectulo meo quæſiui per noctem, quem diligit anima mea*, ſic ait: *Quærit anima Verbum, ſed quæ prius à Verbo quæſita ſit.* (ecce pulchram gratiæ præuenientis & commitantis confeſſionem) *alioquin ſemel à facie Verbi egreſſa vel eiecta, non reuertitur vt videat bona, niſi requiratur à Verbo. Audi profugam animam & debilem, quid doleat, & quid petat: Erraui (inquit) ſicut ouis quæ perijt: Quære verbum tuum. O homo redire vis? ſed ſi in voluntate res eſt, quid opem flagitas, quid aliunde mendicas, in quo abundas tu tibi? palā igitur eſt quia vult & non poteſt: quamquam non omnino illam animam expoſitam dixerim vel relictam, quæ reuerti cupit, & requiri petit. Vnde hæc illi? inde ni fallor, quod à Verbo viſitata ſit & quæſita, neque otioſa quæſitio quæ operata eſt voluntatem, ſine qua reditus eſſe non poterat; ſed non ſufficit ſemel quæri: tantus eſt animæ languor, tantaque in reditu difficultas! quid enim ſibi vult? iacet voluntas, vbi facultas non ſuppetit, nam velle adiacet mihi (inquit Paulus) perficere autem non inuenio. Quid ergo ille, quem de pſalmo induximus, quærit? non planè aliud, quam quæri; quod nō quæreret niſi quæſitus fuiſſet, quod & poſtulat dicens; Quære ſeruum tuum, vt qui dedit velle, det & perficere.* Idē ex inducta ſimilitudine eleganter docet Baſilius explicās illud Iſaiæ 13. *Et erit quaſi damula fugiens, & quaſi vis, & non erit qui cōgreget:* vbi ait *Siquidē ouis nullam habet peculiarem prouidentiā, vt pergat ad inquirendas altiles paſcuas, vtque tutioribus in locis commoretur, & ſibi conquirat potum, niſi ſi quis aſſuerit paſtor, qui viam ei præmuniat, & præmōſtret ad hæc perquirēda.* Videndus eſt de eadem re Auguſtinus *in Manual. cap.* 30. & 31. & *in lib. medit. cap.* 31. Ex quibus manifeſtum eſt, quàm profundè D. Pater Benedictus pernitioſam Sarabaitarum vitam expreſſerit dicens, ipſos quidem ſine paſtore, non Dominicis, ſed ſuis incluſos ouilibus, pro lege ſuam habere voluntatem.

TEX-

TEXTVS ex cap. I.

334 Quartum verò genus Monachorum eſt, quod vocatur Gyrouagum, qui tota vita ſua per diuerſas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuerſorum cellas hoſpitantur, ſemper vagi & nunquam ſtabiles, & proprijs voluptatibus & gulæ illecebris ſeruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium miſerrima conuerſatione, melius eſt ſilere quàm loqui.

DISPVTATIO XXXII.

De Monachis circumcellionibus.

335 QVarti huius Monachorũ generis Antiquiores Patres nõ meminerunt; poſteà verò Romæ *Circumcelliones* dicti ſunt, vt ait Abbas Caſſinenſis, quia incertis ſedibus vagabantur, & vt Cynicus Diogenes circumquaque cellulam geſtabant: ſed quia ſolemne eſt vitijs, ad ſe trahere virtutis nomen, vt paucis exclamat Lucret. *de rer. nat.*

——— *Sæpius olim*
Relligio peperit ſceleroſa atque impia facta.

Id eſt, ſub prætextu Religionis; ideo Gyrouagi ſuum incoſtantiæ ſiue inſtabilitatis vitium exemplo & imitatione Chriſti palliabant, qui circuibat per ciuitates, & caſtella: cumtamen nihil monachatus præter nomen habentes, potius ſe eſſe Caini ſucceſſores gloriari debuiſſent, qui vagabunda inſtabilitate damnatus à Domino audiuit: *Vagus & profugus eris ſuper terram*. Vbi vox hebræa נע Na, *commotum*, *nutantem* ac *trementem* ſignificat, vt animi pariter ac corporis inſtabilitatẽ denotaret. Tales erant Girouagi, qui proprijs cupiditatibus & gulę illecebris ſeruientes, ſub monachorum ſpecie venalem hypocriſim circũferebant; de quibus dici poteſt, quod de Sacerdotibus Rheæ, pagos, vrbes & domos obeuntibus & ſub Religionis prætextu mendicantibus dixit Tertullianus *in Apolog. c. 13. nimirum. Circuit cauponas religio mẽdicans mercedem templi pro auditu ſacri: non licet Deos, gratis noſſe, venales ſunt.* De his ſimiliter Clemens Alexandr. *orat. exhort.* ex Menãdri ſentẽtia: *Nullus mihi placet Deus foris ambulans.*

336 Sed quia, vt dixit Auguſtinus 3. Reg. 13. & refertur *in cap. nemo quippe 83. diſt.* nemo nocet in Eccleſia Dei amplius, quàm qui peruerſè agens, nomen & ordinem ſanctitatis & ſacerdotis habet, quia delinquentem hunc nullus arguere præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis, peccator honoratur. Quo maioris boni prætextus ſupponitur, eo magis fatalia & permitioſa ſunt Reipublicæ mala, quia citius & à pluribus ſuſcipiuntur, & quanto plures hi ſauciati fuerint, tanto difficilius curantur. Ideo Sancti Patres & Concilia, huiuſmodi vagum & pernitioſum Monachorum genus, omnino eliminare ſtuduerunt. Generale ſextum & Conſtantinopolitanum tertium *can. 42.* vagos & falſos Eremitas in monaſterium

reduci iubet, aut ſi noluerint, ex vrbibus pelli, & inſolitudines mitti, vnde nomen fictè trahunt. Concilium autem Tolletanum quartum ſic habet: *Religioſi propriæ Religionis, qui neque inter clericos neque inter monachos habentur, ſiue hi qui per diuerſa loco vagi feruntur, ab Epiſcopis in quorum conuent u commorari noſcuntur, licentia eorum coerceantur, aut in Clero aut in Monaſterio deputentur; præter eos, qui ab Epiſcopo ſuo aut propter ætatem aut propter languorem fuerint abſoluti.* Idem omnino decernit Concil. Toletan. VII. *can.* 5. & Moguntinum primum ſub Carolo Magno *can.* 22. Conciliũ inſuper Agatenſ. *can.* 38. *Clericis* (ait) *ſine cõmendatitijs epiſtolis Epiſcopi ſui, licentia non pateat euagandi,* & ſtatim ſubdit: *In Monachis quoque præſentis ſentẽtiæ forma ſeruetur; quod ſi verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus ſtatuimus coerceri.* Eadem omnino de huiuſmodi falſis monachis decernit Concil. Vernenſe *can.* 11. & renouat Cõc. Coloniẽſe III. *c.* 17. §. 10. & Car. Mag. *c.* 3. *ſuarũ Cõſtit.* quo loco de Gyrouagis & Sarabaitis monachis agitur, de quorũ omnium miſerrima conuerſatione, vt optimè inquit D. Pater Benedictus in hoc cap. melius eſt ſilere quàm loqui.

TEXTVS ex cap. I.

337 His omiſſis, ad cœnobitarum fortiſſimum genus diſponendum, adiuuante Domino, veniamus.

DISPVTATIO XXXIII.

De laudibus Cœnobitarum.

Hi ſunt quibus D. Pater Benedictus ſuam Regulam ſuaque præcepta dare diſponit, quos *fortiſſimum cœnobitarum genus* appellat, eò quod cœnobia turrium ac propugnaculorum inſtar in hoc Militantis Eccleſiæ regno erecta, ac diuina ſpiritualium armorum ſupellectile munita, nefarios hoſtium conatus funditus euertant, ac inferi portas vehementiſſime oppugnent, de quibus pulchrè dicit Iſaias *capit.* 25. *Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robuſtarum timebit te; quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu.* Quis neſciat Religionem eſſe gentium robuſtarum ciuitatem? in quâ continuis laboribus, aſsiduis vigilijs, perpetuis ſtudijs & orationibus generoſus & liberaliter inſtitutus animus cupidinis tædas cõprimit? deuotione & aſsiduitate cumulatos fructus colligit? animi contentione ac induſtria vitia concutit, & euertit? etenim *propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Pſalmus 16. dixit ille, qui ſanctis exercitationibus affectus omnes carnales reſecabat: ſermones ſiquidem Domini, vt dixit Maximus Conſtant. *Cent.* 2. hæc quatuor complectuntur, præcepta, doctrinas, minas, & permiſsiones; & omnem duram diſciplinam propter hæc ſuffcrimus, cuiuſmodi ſunt ieiunia, vigiliæ, contumeliæ, labores, dolores & ſimilia. Hoc

Hoc inflexibile Religionis robur, quod vndique turbulentis hæreticorum tempeſtatibus agitatur, & potiſſimum nequiſſimis hiſce temporibus à Lutheri ſatellitibus maximo ſcelere inuaditur, tanquam inſuetum aliquid, & ab humano genere alienum, improbant atque condemnant. Verum contra procellas & tempeſtates iſtas Deo iuuante ſecurum conſiſtit: nunquam enim Syrtes vllę, Charybdis aut Scylla tam infeſtæ vnquam nautis fuere, ac religioſa cænobia immaniſſimæ hæreſi. Sed quid mirum, ſi improbi, qui à Religione defecerunt, improbe de illa loquantur? quid enim in cauſa eſt, quod Lutherus ſic de Religione garriat, niſi quia inſulsè arbitratur hac effrænata in Regulares rabie nefarium ſuæ apoſtaſię crimen operiri? verum munitiſſima gētium robuſtarum ciuitas diuina ope ſuffulta, contra omnes incurſus ac oblatrantium hæreticorum impetus inuicta permanſit: audiamus quid de ea ſentiat Doctor Mellifluus, & cuinam potius fidendum ſit, Bernardo an Luthero, iudicet Lector Dicit D. Pater Bernardus *ſerm. 17. in Cant.* de religioſis agens: *Hæc quoque mater noſtra, quæ adhuc peregrinatur habet cælos ſuos homines ſpirituales, vita, & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos charitate, contemplatione ſuſpenſos; & hi pluentes pluuiam verbi ſalutarem, tonant increpationibus, coruſcant miraculis: hi enarrant gloriam Deo, hi extenti ſicut pelle ſuper omnem terram, legem vitæ & diſciplinæ digito quidem Dei ſcriptam in ſemetipſis oſtendunt ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius.* Hæc ille, cuius verbis ne verbum addam.

DISPVTATIO XXXIV.

De varijs generibus Cœnobitarum.

338 COEnobitarum, qui à P. N. dicebantur fortiſsimi, diuerſæ ſunt ſpecies, defendentes Eccleſiam Militantem. Præcipuæ tamen quæ ſequuntur.

Ordo D. Baſilij, Patriarchæ omnium Monachorum Orientalium, inſtituitur ab eodem Baſilio circa annū 350. Fuit in ſuis principijs celeberrimus, eiuſdē ab aliquibus creduntur B. Ephrē, Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus, Heſychius, Pachomius, Ioannes Damaſcenus, Caſsianus, Eraclides, & apud aliquos D. Hieronymus. Hic ſanctiſsimus vir, Monorum optimorum diſcipulus primus incepit ſubditos ſcripta lege gubernare.

339 Circa annum 520. (530. Mireo) ne Occidens inuideret Orienti, Benedictus Eccleſiæ lucidiſsimus Sol incepit radios emittere in Italia, & inſtituit Benedictinorum Religionem. Fuit is Sanctiſsimus Occidentalium Patriarcha ex nobiliſsima Familia, & vt ſupputat Arnoldus de Vbione, conſanguineus Philippi ſecundi in XXIV. gradu. In hoc ordine tot floruerunt Heroes ſanctiſsimæ conuerſationis, tot Martyres, tot Virgines, vt relictis innumeris, quorum vix extant nomina, authoritate Ioannis Papæ XXII. (notat Arnobius) aſſerantur Canonizati excedere quinquaginta, & quinque millium numerum. Vix tot Monachos reperire erit in alijs religionibus.

340 Semper in hoc Ordine floruerunt Litteræ, & quidquid ſplendoris

hodie conſeruant ſcientiæ, à Benedictinis obtinuerunt. Non agam de Theologia, quia hæc omnibus aut pluribus ſcientia cõmunis apud eos feliciſſimos profectus habuit. Agamus de ſcientiis magis exoticis, & raris. Ius Canonicum, & Ciuile, cui plus debet, quam Abbati Panormitano? Medicina celebrat Conſtantinum Caſinenſem, qui ſcripſit *de ponderibus Medicinalibus, de dietis, de vrinis*. Grammatica ſcientiarum ianua, ab alijs minoris habebatur, nec erat ante Iſidorum perpolita, publicauit ille Etimologiarum libros, quibus rigorem ac nitorem verborum doceremur. In Naturali ſcientia faſces omnes ſubmittunt Boniſacio Simonetæ Ciſtercienſi Monacho: in Morali, doctiſſimo Bercorio: in Aſtronomica Campano Lombardo: Contracto Hermano in Arithmetica. Sigisbertus, & noſter Helinandus illuſtriſſimi in ſcribendis Hiſtorijs, habentur inter alios Hiſtoriograph. loco miraculi, quia in dictione ſinceritatem, in ſententijs acumen, in narratione veracitatem conſeruarunt. Inter Martyrologiorũ ſcriptores, Docti primas deferunt Bedæ, & Vſuardo; inter Muſas Catholicas, nulla numeroſior, & ſuauior, quam illa quæ dictabat Vvillerano, qui metro Canonicam deſcripſit Hiſtoriam. Muſica eſt artificioſa in praxi, ſed artem debet Augienſi Bernoni. Ex Aſtris corporeis ad incorporea contemplanda tranſcendens Guillermus Hiſaurgenſis, in vtraque Aſtrologia Phyſica, & Morali euaſit celeberrimus. Inque omnibus Artibus, ac ſcientiis ſimul eruditiſſimum reperies noſtrum Laicum Alanum, quem Chronicum Sig. ad ann. 1288. floruiſse aſserit. Ipſe vnicus.

Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſciuit.

Omitto alios quos eſset longum recenſere.

341 Fuit S. Bruno oriundus ex Colonia Agrippina Canonicus Remenſis Eccleſiæ, & Pariſijs cathedræ cuiuſdam Moderator, hic inſtituit Carthuſienſium religionem, ſilentio, pænitentia, clauſura nemini aliarum poſtponendam. Ea non habet Regulam peculiarem, ſed vtitur ſtatutis ſanctiſſimis, confirmatis à Victore tertio Summo Pontifice, anno 1085. & poſt ab alijs approbatis. Incepit Religio hæc apud aliquos anno 1084; ſed apud multos, 1102.

342 Conuerſio iſtius Viri ſanctiſſimi fuit rara. Non vacat recenſere. Habes in Hiſtoria Eccleſiaſtica, apud D. Antoninum 2. p. *ſuæ ſummæ Hiſtorialis tit. 15. cap. 22. & 3. parte tit. 16. cap. 1.* & Caſsaneo 4. *part. Catalogi gloriæ Mundi conſider.* 52. Illeſcas. *in ſuæ Pontifitialis 1. parte lib. 5. cap. 13.* Fr. Hieronymo Roman. *lib. de Republ. Chriſtiana. c. 13.*

343 Religio ſanctiſſimi P. Franciſci, quam Minorum Mundus nuncupat, atque Maiorum Cœlum, ab eodem Seraphico Patre exordium ſumpſit anno 1206. vel vt alij ſupputant 1209.

344 Ordo S. Dominici, alias Fratrum Prædicatorum, incepit ann. 1214. ſub Innocentio III. tempore Lateranenſis Conſilij Inſtituitur ab eodem D. Dominico, Viro ſanguine, ſed magis virtutibus, atque prærogatiuis nobili. Sic enumerant annos antiquitatis multi Scotici Authores: ſcio tamẽ Thomiſtas, aliter omninò ſentire, nam multi ex ipſis exordium almi ordinis, Prædicatori ponunt antè ordinem S. Franciſci.

344 *b* Eremitæ olim erant, qui hodie Auſtuſtiniani dicuntur: etiam concionibus ipſi & populi inſtructioni inſudant. Eorum origo non benè cognita: aliqui eos putant non ab ipſo Auguſtino, imò nec ante annum 1256. fuiſse; contrariũ autem videtur definire meus Bernardus in ſerm. S. Andreæ, mihi colum. 324. *fluuius quippe eſt*, ait, *prædicatorum ordo, &c.* Cũque con-

ſtet

ſtet doctorem mellifluum longè ante D. Dominicum ad ſidera tranſmeaſſe fuiſſe, ſupereſt vt hæc verba de alio Prædicatorum ordine intelligantur. Sed de quo? vix poteris textum expendere ſi neges illi ſæculo Prædicatores & Apoſtolos Auguſtinianos. An ipſi Regulares Canonici? non puto: multò enim iuniores ſunt ipſi. An-ne Canonici Cathedrales? Hoc ipſum minùs eſſet à veritate alienum: at alij examinent. Hodie noſtri Patres Auguſtiniani ſanctitate & litteris vbique florent, Salmantica ſuſpexit noſtro æuo Patres, Antolines, Mendozani, Corneium, Ludouicum & Baſilium de Leon. Complutum Patrem Albis: Louanium eximios viros Paludanum, & Coninck: aliæ vniuerſitates alios primarios Profeſſores. Hodie florent, & proſunt vbique.

345 Carmelitani (huius ordinis deuotiſſimus ſum, ſingulorū amicus: ideò ſto amicæ & communi ſententiæ, obſto mirandæ *in Manual. quæſt. 4. artic. 5.* nihil iudico: id alii examinent) Ordinis ſpiritus intenditur ſucceſſu temporis, qui aliàs remitteretur, niſi Deus illum manuteneret gratia particulari. Eliæ Inſtitutori ſucceſſit Eliſæus, cuius Spiritus fuit duplò maior. In gratiæ Lege Hieroſolymitano Ioanni Arbertus, ſi Thereſia, fortè & Thereſia videbimus maiores alios. (Qui Carmelitarum doctrinam admirari voluerit, legat libros quos temporibus variis ediderunt, Complutenſi Philoſophico curſui, & Theologiæ Salmanticenſi Thomiſticæ ſententiæ, aliàs probabiliores, debent quod ſint inexpugnabiles, ſecuræ, & certæ. Sic loquor, & non ſum Thomiſta. Commendo ſcholam, laudo libros. Illam, quia nulla melior: illos, quia nullis meliores. Liberè dico: ſi deberem ſcholæ alicui nomen dare, illi potiùs quàm alteri: & in illa illis potiùs alijs vterer. Sed amo ſentiendi libertatem, & veritatem inueſtigo, quā in ſcholis non reperio. De eorumdem origine & antiquitate doctiſſimi Suarij reſolutionem hic apponam. *Eſt valde recepta & ſatis antiqua traditio*, ait tom. de Relig. 4. Libr. 2. cap. 10. *Religionem hanc à temporibus Prophetarum & ſignāter ab Eliæ inſtitutionem ſuam ducere originem, & quaſi hæreditariam ſucceſſionem in monte Carmelo, à quo nomen etiam accepit: quā traditionem vt veram ſuſcipimus, præcipuè quia ſeptem ſummi Pontifices, Sixtus IV. Ioannes XXII. Iulius III. Pius V. Sixtus V. Clemens VIII. in Bullis hic Ordini conceſſis, de profeſſoribus huius inſtituti ita loquuntur. Tanquam Religionis ſpeculū & exemplar claritate fulgente, ſanctorumque Prophetarum Eliæ & Eliſæi & aliorū Patrum, qui montem ſanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem habitarunt, ſucceſſionem hæreditariam tenentes, &c. Vnde Sixtus V. huic ordini conceſſit, vt Eliam & Eliſæum tanquam ſua inſtitutionis Patronos coleret, Dies feſtos in honorem eorum celebrando, propriaque officia in eorum memoriam recitando, quod ipſa Religio ſtudioſè ſeruat, & in ipſo officio nomen & ſolennitatem Patroni Eliæ tribuunt.* Accinnit Suario Caſpar Sanchez 3. Reg. 17. *num.* 12. Alcazar *Apocalypſ.* 11. *verſ.* 3. §. *nota ergo.* Solianus *anno* 3124. *num.* 11. *& anno* 3127. *num.* 22. Bellarminus *lib.* 2. *de Monach. cap.* 5. *&c.* 39. Greg. de Valent. *in* 2. 2. *tom.* 3. *Diſp.* 10. *quæſt.* 4. §. 1. Canil. *lib.* 2. *de corruptibiles verbi Dei cap.* 2. Anton-Fernand. *lib. de viſionibus veteris teſtamenti viſione* 9. Iacobus Tirinus *in* 3. *lib. Reg. cap.* 17. *& alij plures.*

346 Sub Innocentio III. incepit Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis inſtitutus ad redemptionem Captiuorum.

347 Cœpit Religio noſtræ Dominæ de la merce, Barcinono. in Aragonia, tempore Regis Taymi, ſub Honorio III. & adprobatur à Gregorio IX. anno 1230.

348 Hieronymiani à quodam ſancto viro Thoma & eius ſocijs inſtituuntur in Italia. Fundant Lupiana in Toletana Diœcaſi circa anno 1370.

Ordinis Minimorum fundator fuit Sanctus Fräciſcus de Paulo anno 1450. vel, vt alijs placet, 1473. Habeo paratum librum, qui inſcribetur *Minimus*, in quo ſingulas artium & Facultatum ſtudioſis, Conciones ſingulariter proprijs fundamentis conceptus morales eliciendo, dedico; & in eo, quæ modo in ſilentio prætereo, compenſabo.

349 Patribus ſocietatis ſæcularē ſolennitatem hoc anno M. DC. XL. celebrantibus congratulatus verbis Melliflui mei Bernardi ſerm. 1. in Pentecoſt. *Felices, dixi, vos, qui iam intraſtis* (bis) *quinquag. ſimum requiri, & iubilæum annum* nec carpendus qui verba melliflui Doctoris vſurpo, cùm videatur eorumdem prorogatiuas præuidiſſe, prædixiſſe, imò numeraſſe, nominaſſe. In feſto S. Andreæ, *Illa clementiſſima tua pietas & benignitas adorāda, ait, delitias ſuas dicit eſſe cum filijs hominum. Iſti ſunt filij hominum, qui ſperauerunt ſub tegmine alarum tuarum, quos elegiſti de plebe, quorum lauiſti pedes, quibus tuum Spiritum infudiſti, qui ædem tui nominis* (nempe *Ieſu*) *quadrigis Euangelicis per orbem quadrifidum portauerunt*. Hæc, de quibuſcumque dicta, ſi de Patribus ſocietatis intelligas, ſunt valde vera.

350 Canonici S. Auguſtini, qui ab ipſo leguntur reformati, fortè ſunt Cathedrales, & non Regulares, vt probat Hieronymus Romanus *l. 6. de Republ. Chriſtiana. cap.* 14. Inter Regulares Canonicos virtute, ſanctitate, & litteris florent maximè DD. Premonſtratenſes à S. Norberto fundati. De ipſorum & Norberti laudibus mea Candidi Ordinis Præmonſtratenſis Vrania diſſerit, quæ ex profeſſo de ordinis origine, inſtitutione, confirmationes, & perenni continuatione tractat.

QVAESTIO INCIDENS.

Trinitarij & Mercenarij ſunt redemptores captiuorum. Sed nonnulli ſubdubitant, An huiuſmodi inſtitutum expediat? Ego quidem cautus ſum omninò non condemnare quod ſanctiſſimi & doctiſſimi Patriarchæ inſtituerunt, prudentiſſimique Papæ confirmarunt. Vt tamen eruditioni ſeruiam, aduerſariorum rationes proponam, & clariſſimè diluam.

Aliqui captiuorum Redemptionem condemnant, & eſſe Reipublicæ pernicioſam contendunt, & rationibus iſtis fundantur.

Dicunt primò ſe iam inconuenientia maxima, quæ ſub initio non potuerunt præuideri, experiri. Nam, vt ipſi aſſerunt; Pyratæ hac rerum tempeſtate ſoluunt ex Africa piſcatum Homines, & ſunt ditiſſimi iam Mercatores, qui ſolùm tractant de Mancipijs capiendis, emendis, commutandis; ita vt hodie plures capiantur vno mēſe, quàm olim tribus annis. Capturi piſcatores, & villicos, qui ad littora habitant maris, ſeſe maximo exponunt periculo, & ſine vtilitate non facerent vt nec faciebant olim. Iam vtilitas eſt nota, lucrum multum, & ideò inſolentiſſimè ad Europam appellunt. Hoc hodie miſerum. Antiquitus per accidens viri à quærētibus merces capiebantur; nunc Mauri directè quærunt homines, quia ſciunt eſſe redimendos, & iam ipſis ſumus nos ipſis merces.

347 Addunt ſecundò, ex captiuorum redēptione reſultare damnum maximum; nimirùm quod ſumma pecunia contribuatur ſingulis annis Mauro, vt ipſa muniantur, & ſuſtententur naues iterum homines capturæ.

Tertiò, irriſiones, & fraudes, inquiunt, patimur ſæpe à Mahometanis:

Sæpe

Sæpe vult aliquis ex noſtris inſtillari in Lege Mahometana, & iubetur expectare Patrem Redemptorem, vt prius redimatur à nobis, & poſtea pecunia cum redimendo in Africa remaneat, vnde in irriſionem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ſequitur, quòd Europæa pecunia fiat מברת *Micre*, ſic incorporationem ipſi vocant.

Quartò accedit quod pauciores hodie redimuntur, vel potius plures ſunt, qui non redimuntur, quàm antea. Quia olim Europæi, vtpotè nunquam redimendi, vili pretio in Africa habebantur, non cuſtodiebantur tanta cura, ita vt fugerent ſæpe ſæpius; vel paruo pretio cum ab alijs Mauris, tum à ſeipſis emerentur. Propter ſeruitia dimittebantur aliquando: iſta omnia iam ceſſauerunt. Diuites vix ſe poſſunt redimere, quia iam pauperes venduntur magno pretio.

Capiuntur ſingulis annis plus citrà homines mille, redimuntur centeni, ducenteni: aurum Hiſpanicum transfertur ad Africam, vt & Mauri potentiores fiant: quidni hoc ſolemne tributum Mauris denegaretur, & inſtitueretur Claſſis eadem pecunia, quæ cuſtodiret littora? Primo, Maurus eſſe debilior defectu argenti, quod accipit ex redemptione. Secundò, acceſſus ad noſtra littora eſſet difficilior, & accedentibus etiam inutilior, ita vt vix nunquam videretur.

At nos captiuorum Redemptionem commendamus & dicimus bonam omninò eſſe Reipublicæ, bonam priuatis. Hoc vltimum probatione non indiget, certum eſt enim expedire illi qui ſub Turcica tyrannide patitur, quod detur talis Ordo, cuius ipſe poſſit auxilio liberari. Nemo enim ignorat, ſeruos apud Mahometanos tractari inclementius, quàm canes, & eſſe expoſitos extremo periculo apoſtatandi. Sunt enim tantæ miſeriæ, quas in captiuitate patiuntur, vt multi negauerint Chriſtum, vt vel ſic permitterentur miſerias remiſſiores pati. *Probatur tamen* illud prius nempe eſſe Reipublicæ vtilem captiuorum clementem redemptionem: quoniam miles, qui ſe putat à ſuis liberandum ſi in ſeruitutem incidat, curandum ſi in morbum, animoſiſsimus redditur, ita vt omnia mortis & captiuitatis periculo contemnens multa præſtet, quæ alias ne quidem cogitaret.

Sed nec rationes poſitæ in contrariũ, conuincunt; primò quia omnes illæ, ſi veræ, poſitis pro noſtra ſententia non præponderant. Secundò, quia ſunt omnino falſę; omnia enim, quæ lythrum captiuorum concernunt, videntur accidere vt antea, aut eſſe valdè parua differentia.

Ad primam dico, Mercatorem, qui ſolum homines emere & vendere profiteatur, vix vnum eſſe, & qui homines ſicut alias merces venderent ante horum ordinum inſtitutionem etiam fuiſſe nonnullos, adeoq; non videri nociuam Patrum Redemptorum pietatem.

Ad ſecundam dico claſsem magnis impenſis exornari, addo lythra, quæ Mauris & Turcis ſoluuntur, non eſſe tanta, vt vel ipſi recipiendo illa poſsit claſſem inſtruere, vel nos illam armare reſeruando.

Ad tertium dico illas irriſiones accidere rarò & per accidens, nec ideo pios alios captiuos deſerendos, quod vnus, vel alius Redemptorum beneficio abutatur, alias enim nec dari eleemoſina poſſet, quoniam non pauci illa abutuntur.

Ad quartum dico multò plures hodie quàm antea redimi, nec contrarium videri veroſimile nec tamen tota iſta pecunia claſsi contra infideles exornandæ ſufficere. Vt ſufficeret, adhuc iudicaretur crudele iam captiuos, extremo animæ perdendæ periculo expoſito deſerere ſub publici boni prætextu.

Hæc dixero, vt ſatisfaciam aliquibus, qui exiſtimant tum bene in politi-

cis

cis philoſophari, cum vel Eccleſiam totam inuertunt, vel ſaltem ſubruunt ordines religioſos alibi ea vberius retractabo.

De Congregationibus, atque Reformationibus Benedictinorum.

351 Totius Ordinis Patriarcha eſt Abbas Caſſinenſis Monaſterij, aut ſaltem fuit olim. Huius Abbatis auctoritas fuit celeberrima, vt potè cui Epiſcopatus quatuor, Principatus duo, comitatus viginti, ciuitates triginta tres, & villæ, Portus marini, Inſulæ, Molendina, Territoria, & Eccleſiæ innumerabiles erant ſubiectę. Ita Arnoldus de Vvion: ſed qualis hæc ipſa ſubiectio? Credo natam ex feudo ſpirituali, ac propterea Caſſinenſem Antiſtitem habuiſse multos principes ſpiritualiter ſubditos, non ſecus ac Cluniacenſem & Claręuallenſem, quorum priori feudatarij fuerunt Reges Aragonici & poſteriori Luſitanici, vt probaui *in mei Philippi lib. 5. diſp. 2. art. 1.* At neſcio vtrum diſpliceam ipſi Arnoldo, qui ſubiectionē ſæcularem videtur innuere. Alij id examinent & nos interim, ſi Spirituales & ſæculares titulos coniungi voluerimus, poterimus audire eumdem Arnoldum, qui inſcriptiones veterum inſtrumentorum legit, exque eis titulum Antiſtitis Caſſinenſis tranſcripſit, & hunc literis commendauit, videlicet. *Nos .n. Patriarcha ſacræ Religionis, Monaſterij Caſinenſis Abbas, Dux, & Princeps omnium Abbatum & Religioſorum, Vicecancellarius Imperij per Italiam, Cancellarius vtriuſque Siciliæ & Hieruſalem, & Vngariæ. Comes & Rector Campaniæ, Terræ laboris, Maritimæq; Prouinciæ, Vice-Imperator & Princeps pacis.*

Hic ordo diuiditur in plures congregationes, quæ non Ordines diuerſi, ſed Prouinciæ ſunt eiuſdem Ordinis. Prima dicitur Cluniacenſis ab Odone Abbate Cluniacenſi, vt vult Manriquus *in ſanct. lib. 2. diſc. 1. §. 11.* anno 930. Miranda *in Manuali qu. 4. art. 2.* ann. 913. & Miræus 900.

Camaldulenſis fuit ſecunda, inſtituta à S. Romualdo anno 1012. aut fortè ſi Miræo creditur 940.

Vallís-vmbroſæ Congregatio erigitur à ſancto Galtero, (alij vocant Galbertum) anno 1040. [Miræo 1060.]

Poſtea ex eodem fonte Ciſtercienſis, à S. Roberto Moliſmenſi Abbate anno 1098. Ex hac Congregatione fuit ſanctiſſimus Pater Bernardus, cuius celebritas & Congregationi dedit famam & nomen; hodie enim dicitur *Ordo Sancti Bernardi*. Ex quo prodierunt Guilielmitæ inſtitutore Sancto Gulielmo Duce Aquitaniæ. De quibus vide noſtrum Chryſoſtomum Henriquez *in ſuo Gulielmo vindicato*. Et Fulienſes de quibus in ſuo Menologio idem author. Habeo ob oculos dum hæc ſcribo Theſes Theologicas propugnatas Louanij 28. Nouembr. 1039. ſub Doctore Rampemio Magni Collegij Præſide, in quibus Vrſmarus Fabri Guilielmita Aloſtanus, ſic inquit. *Varij ordines ex varietate Regularum & conſtitutionum oriuntur: ſic inter alios Guilielmitanus à Ciſtercienſi ſolis ſtatutis diſcernitur.* Vnde conſtat meam eſſe eorumdem Guilielmitanorum ſententiam.

Grandiſmontenſis inſtituitur à Sancto Stephano anno 1130. ita authores nonnulli, ſed Miræus Stephanum deuixiſſe ſcribit anno 1056.

Humiliati vocantur illi qui pertinent ad Reformationem Sancti Ioannis de Meda, quæ incepit in Lombardia iuxta Miræum anno 1090. iuxta alios 1146. Approbatur ab Innoc. III. anno 1200.

Syluestrini à D. Syluestro Gozolino in monte de Fano tribus leucis à Roma inſtituũtur atq; denominãtur ann. 1232.

Celeſtini à quodam Sancto Viro Petro Morone, qui poſt Celeſtinus Papa V. nominantur exordium ducunt anno 1294. apud Mirand. noſter Manriqu. *in ſanctor. l. 2. diſ. 1. §. 11.* adſonans Miræo

ponit

ponit annum 1274. cum tunc temporis ſederet Gregorius X. hunc ſequutus eſt Innocentius V. poſt Ioannes XX. vel XXI. poſt Nicolaus III. & Martinus XI. deinceps Honorius IV. & Nicolaus IV. poſt quem vacauit Sedes duob. annis, & electus fuit Cœleſtinus: vnde vides per viginti annos, octoque Pontifices, contra chronologiam, huius cõgregationis initium fuiſse anticipatum approbatur à Bonifacio VIII. anno, vt notat Miræus 1297.

Ordo Montis Oliueti habitu conuenit cum Ciſtertienſibus, inſtituitur in Tuſcana prouincia à Sancto Bernardo Senenſi anno 1320. & anno 1372. confirmatur à Gregorio XI. (alias XII.) apud alios à Ioanne XXII. habitus decernitur à Guidone Petramala Aretij, Epiſcopo in exſtaſi cœlitus monito.

Congregatio S. Iuſtinæ de Padua à Ludouico Barbo Viro ſanctiſſimo anno 1408. apud Miræum 1410.

Burſueldenſis à Ioanne Abbate cuiuſdam Monaſterij Germaniæ; creditur incepiſſe circa eadem tempora.

Valliſoletana anno 1520. à Renerẽdo P. Fratre Garzia de Ciſneros, quæ hodie eſt florentiſſima in noſtra Hiſpania.

Hæ ſunt Sancti Patris noſtri Benedicti illuſtriores Congregationes; omitto alias, quæ pauciora Monaſteria continent, tum quia ad has reducuntur, tum quia ſunt plures quàm pro tempore liceret recenſere. Earundem originẽ ætatemq; bona fide ex Manriquo, Miranda & Miræo & alijs Hiſtoriographis ſumpſi; altius examinare non vacat: videntur illi bene examinaſſe, ſin minus non eſt rei tanti momenti, quæ nobis remota eſse debeat.

Has omnes & ſingulas non crediderο eſſe Religiones diuerſas à Benedictina, ſed eius differentes Congregationes. Si quibus hoc plauſibile videatur & fuerint ab alijs rebus exp editi, probent de al jis. Ego ſaltem de Ciſtercienſi demonſtrabo potiùs quàm probabo.

DISPVTATIO XXXV.

Benedictinum & Ciſtercienſem Ordinem nullatenus diſtingui.

352 Excito ſanè, quę hucuſque dormierat, controuerſiam, quæſtionemque, cuius intelligentia erit omnibus, qui D. Benedicti vexilla ſequuntur, vtiliſſima & neceſſaria. Vtrum ſcilicet Priores noſtri, qui prima poſuerũt Fundamenta Ciſtertij, Robertus, Albericus, Stephanus, (quorum filius Bernardus quaſi Sol inter Sydera, ita aliorũ ſplendores obſcurauit, vt nomen dederit Reformationi, ſicut diximus *diſput. præcedenti num.* 351.) conſtituerint nouum Ordinem diſtinctum à Benedictino, an verò ipſum conſeruauerint?

353 Contra me video communem pœne omnium opinionem, qui nos credunt à Benedictinis defeciſſe, & nouam religionem inſtituiſſe. Dicunt; ſed hucuſq; nullam apparentem rationem ſcriptis publicarunt. Contra illos efficaciter probare conabor Benedictinorum nomen nullis aptius competere, quàm Ciſtercienſibus, ipſi etenim ſunt, qui verè ſunt Benedictini.

354 Quod ſi Ciſtercienſis Religio ſit nouus Ordo, diſtinctus à Benedictino, cum non fuerit ab æterno, neceſſarium eſt habuiſse initium: ergo id aliquan-

quando. Oſtendant nobis aduerſarij, vbi hoc contigerit, vt reſpondeamus. Dum quærunt; ergo proponam inſtantias omnes, vt cum ijs ſatisfecerim demonſtratiua ſolutione, nullus remaneat dubitationi locus.

355 Si Ciſtercienſis eſt noua Religio: vel ſumpſit exordium ab exodo Roberti & Moliſmo; vel à ſecunda profeſſione facta Ciſtertij; aut à tempore exẽtionis, cum impetrato priuilegio immediatè ſubiecti ſunt Summo Pontifici; vel à capitulo celebrato ſub S. Alberico, in quo nouæ ſunt conditæ conſtitutiones; vel ſaltem à mutatione habitus: vel tandem à concordia Capituli, & Charta Charitatis ſub Sancto Stephano, poſt erectionem aliquot monaſteriorum. Quia præter has temporis inſtantias, nulla poterit excogitari, in qua habuerit principium Ciſtercienſis Ordo. Ergo ſi demonſtrauero, in nullo ex his tempore noſtros defectionem feciſſe à Moliſmenſium Religione, innoteſcet Ciſtercienſes omnes verè eſſe Moliſmẽſes, ac propterea verè Benedictinos. Singulas inſtantias expendamus.

ARTICVLVS I.

S. Robertum & ipſius Aſſeclas, cùm egreſſi fuerunt ex Moliſmo, non mutaſſe Religionem.

356 CVm primum langueſceret ordo Benedictinus in Gallia, qui prouidentia omnia gubernat, mittit robur contra infirmitatem, & contra morbum medicinam. Naſcitur ex clariſſimo ſanguine in Campaniæ partibus infans æquaturus Gygantes, & Atlante inſtructior ſuſtentaturus Benedictinorum Syderum illuſtre Cœlum. Si ſis Platonicus & iſtum infantem contempleris, in tua doctrina confirmaberis. Species inditas cœlitus habuit: habuit habitum congenitum, & inclinationem quaſi connaturalem imitandi Sanctiſſimum Patrem Benedictum.

357 Vt id præſtare melius atque ſecurius poſſet à Parentibus ad Cellam Monaſterium, virtute & literis inſtruẽdus mittitur: Vbi ſitiens virtutes Sanctiſſimi Patris, habitum Monaſticum ſuſcepit, & ſuæ deuotionis ſtabilitatem voto ſolemni confirmauit.

Cæpit poſtmodum clarere & innoteſcere vniuerſis, qui ſemper ambulauerat coram Deo de virtute in virtutem, hoc vnum deſiderans, ne noſceretur. Eligitur deinde Cellenſis Prior, & poſtmodum ad Sancti Michaelis Tornodorenſis Abbatiam promouetur; haud dubium, quin propter ſanctimoniam vitæ prærogatiuarũ ſplendores, radioſq; integritatis. Quid poſtea? Et Tornodorenſi ad Cellenſe iterum Monaſterium. Quid cauſæ? quia inibi non vigebat obſeruantiæ rigor, & Regulæ Statuta neceſſitatis colore aliquo mitigabantur. Quia cùm ſolummodo ambiret viræ rigorem monaſticum, erat hoc deficiente tamquam piſcis, cui defecerat aqua. Reſtituitur iterum Tornodorenſibus per litteras Apoſtolicas, quibus nec auſus fuit repugnare.

358 Tandem conſtruxit Moliſmenſe Cœnobium non longè à Lingonenſi ciuitate in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis, vt inibi Monachi expediti ab omni commercio ſæcularium, ſemper vacarunt Deo, atque monaſticæ obſeruantiæ. Sed quia non ſufficit mutare locum vt mores veteres eradicentur; ideo Monachi nec maiorum voluerunt rigorem obſeruari Moliſmi, quàm Tornodori. Non in eodem omnes perſiſtebant dictamine, quia multi ardebant Benedictum, & eius veſtigia ſequi deſiderabant. De ijs in Exordij cap. 5. lego: *Viri iſti apud Moliſmum poſiti; & ſæpius inter ſe, gratiæ Dei aſpirati, de tranſgreſſione Sanctæ Regulæ B. Benedicti Patris Monachorum loquebantur, conquerebantur, contriſtabantur, videntes*

dentes ſe, cæteroſque Monachos hanc Regulam ſeruaturos, ſolenni profeſſione promiſiſſe, eamque minimè cuſtodiſſe, & ob hoc periurij crimen manifeſtè incurriſſe. Et propter hoc, Apoſtolicæ Sedis Legati authoritate (vti prælibauimus) ad hanc ſolitudinem, vt profeſſionem ſuam in obſeruantia ſanctæ Regulæ, adimplerent, veniebant.

359 Habes modò Natalitij Ordinis Ciſtertij Compendium; cognouiſti ingenium Sanctiſſimi Patris Roberti. Labori nulli parcebat, vt permitteretur ad litteram ſeruare Sancti Legiſlatoris inſtituta, totus erat in rigore Monaſtico reſtituendo: ædificat Moliſmum, vt meliùs ſuæ obligationi ſatisfaciat, & obſeruantiæ Regulari: eodem fine ductus, in aptiore loco erigit & Ciſtertium. Ergo ſi Moliſmus eſt eiuſdem Ordinis, cuius & fuerat Cella, & Tornodorum, vt omnes aſſerunt; à fortiori & Ciſtertium. Quia mens Sanctiſſimi Patris Roberti non erat, valedicere S. Benedicto, ſed ſeparari ab ijs, qui valedicerent, vt propior ſalutaret. Ac propterea conſtat euidentiſſimè S. Robertum non erexiſſe Religionem nouam, ſed ſolùm Monaſterium, in quo auita S. Benedicti perfectio perennaret.

360 Confirmatur ex Epiſtola eiuſdem Roberti ad Ducem Burgundiæ, in qua mens Sancti iſtius Viri liquidiùs innoteſcit. Ea talis eſt:

Illuſtriſſimo Duci Odoni, Robertus Abbas Moliſmenſis Eccleſiæ, & qui cum eo Domini obſequium concupiſcunt Salutem & Felicitatem.

Pietatem & gratiam donatam vobis à Domino agnoſcentes, nolumus abſque beneficio Celſitudinis veſtræ aliquid innouare, quamuis antiquum ſit, & non nouum, in virtutis apprehenſionem currere. Quapropter noueritis nos de aliquorum ſociorum noſtrorum conſenſu, quibus data eſt gratia agnoſcendi ſe ipſos, iuxta ſanctiſſimæ Regulæ præcepta, in vera paupertate, & conſcientiæ ſinceritate, viuere ſtatuiſſe. Et quia reliquos in eandem ſententiam reducere non potuimus; eos & eorum regimen dimittere, & cum ijs, qui veſtigia noſtra (imò potiùs S. P. Benedicti) ſequi voluerint, ad eremum migrare decreuimus. Quia verò veſtrũ in nos animum ſæpiſſimè experti ſumus, & nunc contra inſurgentes procellas experiri oportet, de omnibus vos certiores facimus: orantes Dominum, & Patrem gratiarum, quod vos, & domum veſtram incolumen ipſe conſeruet.

361 Ex hac Epiſtola colligo in genere, humilitatem & obedientiam Sanctiſſimi Patris Roberti erga Dignitates ſæculares. Immunitatem Eccleſiaſticã laudamus, ſed abuſus quid toleret? Quis enim approbare poterit illorum mores, qui immunitatis inuidia, contemnunt Eccleſiaſticos? debet virtus in medio cõſiſtere; debent Eccleſiaſtici non ſibi arrogare libertates indebitas; quia aliàs ipſiſſimas debitas non conſeruabunt. Conſiderent perfectionis exemplar, humilitatis characterem Robertum. Res eſt à natura ipſa conceſſa, tendere in perfectionem; ſtare dictis iureiurando eſt obligatio naturalis; nihilominus vt voto ſolenni poſſit ſatisfacere in eremo, petit à Duce facultatem, vt nos inſtrueret, doceretque Principes Supremos venerari.

362 Colligo in ſingulari, mentem Roberti, & aliorum fuiſſe, iuxta Sanctiſſimæ præcepta Regulæ, & mentem D. Benedicti viuere; non autem Ordinem diuerſum inſtituere.

Confirmatur id ipſum iterùm ex litteris Legati Apoſtolici, vbi non ſemel exprimitur mens B. P. Roberti, & ſimiliter eiuſdem etiam Legati. Verba conducunt, hæc ſunt:

Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, Roberto Moliſmenſi Abbati & Fratribus cum eo ſecundum Regulam S. Benedicti Deo ſeruire cupientibus.

Notum

Notum ſit omnibus de Sanctæ Matris Eccleſiæ profectu gaudentibus, vos & quoſdam filios veſtros Moliſmenſis Cœnobij Fratres, Lugduni in noſtra præſentia aſtitiſſe, ac Regulæ Beatiſſimi Benedicti quam hactenus tepidè, ac negligenter in eodem Monaſterio tenueratis, arctiùs deinceps atque perfectiùs inhærere velle, profeſſos fuiſſe &c.

363 Addet lucem, Liber, cui Epigraphe, *Viri illuſtres Ordinis Ciſtercienſis*, in cuius diſtinct. 1. cap. 13. hæc lego. *Anno igitur ab Incarnatione Domini 1098. Dominus Robertus Moliſmenſis Cœnobij in Epiſcopatu Lingonenſi fundati Abbas, & cum eo Fratres, quorũ Deus tetigerat corda, malentes cum dilecto Patre ſuo Benedicto pro Deo laboribus fatigari, quam vitæ commodis reſolui, de Moliſmo egreſſi ſunt.* Et inferius. *Eodem itaque anno, quo prædiximus, Duodecimo Kalendas Aprilis ſcilicet die Natalis Sanctiſſimi Benedicti, quem geminata lætitia tunc celebrem reddiderat ob Dominicam Palmarum, quæ in ipſum occurrerat, lætantibus Angelis, tabeſcentibus dæmonijs, Ciſtercienſis Domus ac per hanc, totius Ciſtertienſis Ordinis Religio per Viros ad Chriſtianam pietatem pœnitùs expeditos, exordium ſumpſit: prudenti ſanè conſilio, vt qui Canonem diuini ſeruitij, cunctumque vitæ ſuæ ordinem ſecundum formam in Regula præſcriptã diſponere decreuerant, hoc in eius potiſſimum Natali, qui Legem per Spiritum viuificantem ad multorum ſalutem dederat, fælici omine inchoarent.* Et paulò poſt ſubiungitur: *Tractantes qualiter verſiculum illum adimplerẽt: Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Verba ſunt Sigisberti in Chronico ad annum 1098.

364 Conſtat igitur ex iſtis omnibus nec Roberti, nec Monachorum, nec Legati Apoſtolici fuiſſe mentem, nouum Ordinem erigendi, ſed antiquum conſeruandi: liquet noſtros Priores Patres diſcedere à Benedicto non ſolùm non voluiſſe; ſed intimius adhærere ſemper deſideraſſe. Ergo non in egreſſu à Moliſmo, vel in Ciſtertij fundatione incepit noua Religio, quod aduerſarij demonſtrare deberent.

ARTICVLVS II.

Non incepiſſe nouum Ordinem à ſecunda Ciſtertij facta profeſſione.

365 IN Exordij Ciſtercienſis quarto capite aſſeritur, profeſſione ſecunda primos monachos Ciſtertii, ſuã perſeuerantiam confirmaſſe: ideo dubitare quis poſſet, vtrùm hæc profeſſio eos extraxerit ab Antiquo Benedictinorum Ordine, & in nouo aliquo conſtituerit.

Sed dubitationi lux ex ipſis verbis profeſſionis, quæ colligas ex monumento ſubſequente. *Eodem tempore* (ſic legitur in Exordij capite citato) *Abbas qui aduenerat, ab Epiſcopo illius Diœceſis, virgam Paſtoralem cum cura Monachorum iuſſu prædicti Legati ſuſcepit, Fratreſque, qui ſecum aduenerant, in eodem loco ſtabilitatem regulariter firmare fecit.*

Regulariter firmare dicit; vt ſcias, iuſſiſſe profiteri ſecundum Regulam, hoc eſt ratificare, confirmare priſtinam profeſſionem, quam olim fecerant Moliſmi. Iuſsit non emittere noua Deo vota, ſed ſtabilitatem, quam priùs vouerant, ratam habere; & iurare iterum, ſe ſtabiles futuros in obſeruantia Regulæ Sanctiſsimi Legiſlatoris noſtri Benedicti.

366 Præterea, Abbati recens electo debebant promittere obedientiam, vt conſtat ex communi eligentium omniũ conſuetudine, qui tacitè, vel expreſsè, ſeſe electo ſubmittunt; atqui S. Robertus acceperat authoritatem à Legato: reſtabat igitur, quod eum vt Antiſtitem Ciſter-

Ciſtercienſes cognoſcerent, & admitterent, ac factis ſe ſtatutos eſſe firmarent.

Maneat igitur integrum, illam *ſtabilitatis firmationem* non eſſe profeſsionem nouam, ſed veteris ratificationem, admiſsionem noui Abbatis.

367 Confirmatur. Abbas habet iuriſdictionem Ordinariam erga ſuos, quam poteſt delegare, ſed nullus poteſt ab eo habere ordinariam. Hac doctrina ſuppoſita, tranſeat ex Moliſmo ad Cluniacenſe Monaſterium de ſui licentia Antiſtitis, quiſpiam perpetuò permanſurus, non vt hoſpes, ſed vt Conuentualis. Semel admiſſus, iam non ſubditur Moliſmenſi, ſed Cluniacenſis erga eum habet iuriſdictionem ordinariam. Vnde hanc? ex mera voluntate Moliſmenſis? minimè: quia iam non ea ordinaria eſſet, ſed delegata. Ex voluntate Cluniacenſis? nullatenus, quia hæc legitimè non extenditur ad alienigenas: ergo remanet, quod ex trium hæc mutatio dependeat voluntate: ex Moliſmenſis permiſsione: ex Cluniacenſis admiſsione: & firmatione, ſeu ratificatione ſubditi: quia contra ſuam volũtatem non poteſt expelli à proprio Monaſterio, nec tenetur cognoſcere alium Ordinarium, cui non promittit obedientiam. Tunc dicendum hoc modo. Vadit quis Cluniacum, firmat ſtabilitatem ſuam: & nihilominus non mutat religionem. Ergo ſimiliter noſtri Priores Patres venerunt Ciſtercium, firmauerunt ſtabilitatem ſuam, mutauerunt Cœnobium, ſed non Ordinem. Si igitur Moliſmenſes verè ſint Benedictini, quis audeat hanc prærogatiuam Ciſtercienſibus noſtris denegare.

ARTICVLVS III.

Quid ſit dicendum de Exemptione.

368 Exempti ſumus à Caſsinenſibus, imò à Moliſmenſibus, confiteor. Sanctus Albericus à Paſchali II, exemptionis Bullam impetrauit. Subdimur immediatè Pontifici Romano: nulli Benedictinorum poteſtati. Infers hinc, nos non eſſe Benedictinos? Infer igitur, & nullos in mundo Benedictinos reperiri; quia nulla eſt Congregatio, quæ non ſit exempta, & immediatè non ſubdatur Pontifici. Benedictina eſt, Congregatio Sanctæ Iuſtinæ de Padua, quam aliqui vocant Caſſinenſem: Benedictini ſunt, qui militant ſub Congregatione Valliſoletana: & nihilominus vtraque eſt immediata Papæ. Præterea extra Hiſpaniam reperio Congregationes Benedictinorum varias, immediatè ſubditas Pontifici. Monaſterium Sancti Vedaſti Atrebatenſe, & Sancti Petri Gandauenſe, & Sancti Bertini Audomarenſe, conſtituunt Congregationem, quę ſubdatur immediatè nulli, niſi Summo Pontifici.

369 Præterea, Si exemptio nouum conſtituat Ordinem, vbi ſunt Ciſtercienſes? non adeò multi reperientur in Gallia, & extra hanc, vix aliqui. Hiſpaniæ Obſeruantia, Luſitaniæ Congregatio, Aragoniorum concordia, in noſtra patria habent priuilegia exemptionis. Idem eſt in Regnis Italiæ. Et vix reperitur aliqua Communitas, quæ hoc vel illo titulo non habeat exemptionem aliquam.

ARTICVLVS IV.

De Conſtitutionibus Ciſtertij factis.

370 Qvi legerit caput Exordij quartumdecimum, poterit Ciſtercienſium Ordinem, diſtinctum à Benedictinorum, ex eo aſſerere, quod nouas ibi viderit Conſtitutiones. Ad quod

Reſpondeo. Per Conſtitutiones, Religiones non mutari, quia hæc ſolũmodò extrinſeca, & accidentalia moderantur, remanente eſſentia. Vel dicant obſecro: quæ Congregatio S. Benedicti

cti reperitur in mundo, quæ non habeat Conſtitutiones differentes? Omnes igitur valedixerunt Sancto Benedicto, quis crederet in eadem Congregatione eſſe diuerſas Religiones & Ordines? Eſſent ſanè, ſi conſtitutiones Religionem diſtinguerent à Religione, quia vix ſunt duo in eadem Congregatione Monaſteria, quæ eiſdem gubernentur Statutis: quia pro diuerſitate loci, temporis, perſonarum, illa debent eſſe diuerſa.

371 Sed ſimus erga inimicos liberales. Demus ipſis, Religiones Conſtitutionum differentia diſtingui, conuenientia identificari. Inde hæc erit legitima conſequentia. Ergo Ciſtertienſes non diſtinguuntur à Benedictinis. Patet: quia Conſtitutiones ipſorum nihil aliud fuerunt, quàm quædam optima Legiſlatoris imitatio. De illis ſtatutis audi quid dicat Exordium Ciſtertienſe, capite iam citato: *Et quia neque in Regula, neque in vita Sanctiſsimi Benedicti, eum Doctorem legebant poſſediſſe Eccleſias vel Altaria, ſeu oblationes ſeu ſepulturas, vel decimas aliorum hominum, ſeu furnos, aut molendina, aut villas, vel ruſticos; nec fæminas Monaſterium eius intraſſe, nec mortuos ibidem (excepta ſorore ſua) ſepeliſſe: ideò hæc omnia abdicauerunt, dicentes: Vbi Pater Beatiſſimus Benedictus docet, vt Monachus à ſæcularibus actibus ſe faciat alienum, ibi liquidò teſtatur, hæc non debere verſari in actibus, vel cordibus Monachorum, qui nominis ſui etymologiam, hæc fugiendo, ſectari debent.* Valedicunt, ne hę Conſtitutiones Legiſlatori Benedicto, quę eius Regulam, non ſolum amplectuntur, ſed & mentem examinant & vitam ac mores ſectantur? Non ſunt hæc inſtituta contra Regulam, ſed potius ipſius exacta obſeruatio. Legamus inferius, & admirabimur ſtudium, quo ipſiſsimi Ciſtercienſes ſitiebant virtutes S. Benedicti, numquam imitatione ſaturati. *Quia etiam*, dicitur in eodem loco, *B. Benedictum non in ciuitatibus neque in caſtellis aut in villis, ſed in locis à frequentia populi ſemotis Cænobia conſtruxiſſe Sancti viri illi ſciebant, ideò ſe æmulari promittebant: & ſicut ille Monaſteria per duo denos Monachos adiuncto Patre, diſponebat, ſic ſe acturos confirmabant.* Inter Conſtitutiones alias ſit tibi celebris illa, quam vocant *Chartam Charitatis*, ex qua nihil contra meam educere potes ſententiam, quia tota eſt in hoc vnico, vt omnia Monaſteria ad auitum obſeruantiæ rigorem inſtaurentur, inque omnibus ad litteram ſeruetur Regula noſtri Sanctiſsimi Legiſlatoris. Conſtat ex priuilegijs Calixti II. & Eugenij III. in quibus reperies hæc verba: *Vt in omnibus Monaſterijs de Ordine veſtro, ſicut in Ciſtercienſi Eccleſia, B. Benedicti Regula perpetuis temporis obſeruetur; & in lectione illius, nullus Ordinis veſtri Profeſſor, præter ſimplicem & cõmunem intelligentiam, quemlibet aliũ ſenſum inducat: ſed vniformiter, & ſicut quæque diffinita noſcuntur, & intelligatur ab omnibus, & inuiolabiliter obſeruetur.* Vbi noueris, ipſiſsimam Chartam Charitatis pro nobis eſse. Quid de ea in particulari debeat dici, non eſt quod in præſenti expendam, cũ id habeat determinatum locum.

372 Vide: conſidera. Conſtitutiones faciunt, non Benedicto ipſi contrarias, non diſsimiles, ſed æmulantes Patris Sanctiſsimi chariſmata, Dei æmulatione. Promittunt: ſed quid? Sanctiſsimum Benedictum imitari, ſequi. Eſtne hoc ipſum relinquere, & ab illo defectionem facere? Meam in hoc puncto ignorantiam confiteor: Si ſtatutis Ordines conſtituuntur, diſtinguunturque; audeo dicere, hæc à Ciſtercienſibus lata, non ſolum eos à Benedictinis non diſtinxiſſe, ſed potiùs intimiùs identificaſse: vnde ſi aliàs Benedictini illi non eſsent, horum miniſterio cum Benedictinis iungerentur. Cùm igitur

qui

qui parti contrariæ ſubſcripſerunt, ſua videant arma noſtram ſententiam propugnare, quærunt validiora, vt iterùm iruant, ſed vincendi.

ARTICVLVS V.

Vtrum mutatio habitus nouam conſtituat Religionem.

373 QVi in iure axioma receptiſſimum, videlicet: *Non habitus Monachum, ſed Monachus habitum facit*, circumferri audiuerit; ſtatim Iudex integerrimus pro Ciſtercienſibus feret ſententiam. Colorem mutauerunt, non habitum: & licet mutauiſſent, quid inde? Nil habitui commune & Monachiſmo. Frapeſcani habent, vel ſaltem ſolebant habere veſtes albas in Gallia, in Caſtella obſcuras, ex colore ipſis proprio, qui propterea nominatur *Fraylesco*: Et nihilominus non ſunt duæ religiones, ſed eadem. Beggardi in Belgio veſtes habent nigras, & nihilominus, vt plerique aſſerunt, ſunt Franciſcani. Trinitarij in principio albis pallijs vtebantur, nunc nigris aut gryſeis, mutauerunt que colorem & religionem conſeruarũt. Hic in Belgio etiam, in alijs Carmelitarum Monaſterijs eſt habitus oblongior niger ex materia ſubtiliore, in alijs eſt in vſu color gryſeus obſcurus, & menſura breuior, atque materia vilior: an vtriq; non ſunt Carmelitæ.

374 Præterea: demus, Religiones reliquas, ob colorem, nouas conſtitui. Hoc non habet locum in Benedictina, quæ nullum colorem determinatum petit. De colore non cauſentur Monachi, ait Sanctiſſimus Pater in Regul. cap. 55. Malè igitur cauſa inſtituitur de coloribus, contra Ciſtercienſes. Audite Cluniacenſem Abbatem Petrum: *Quis vnquam paſtor*, ait in Epiſtola ad D. P. N. Bernardum (eſt libri V. decima ſexta) *de velleribus ouium ſuarum diſcoloribus diſputauit? quis vnquam cauſatus eſt? quis vnquam magis albas, quàm nigras ſuas eſſe oues indicauit? quis vnquam non vtrum nigræ vel albæ, ſed vtrùm albæ vel nigræ de eodem grege ſuo eſſent, attendit?* Hodie Benedictini in Hiſpania (vidi ſæpiſſimè) cum ad noſtra Monaſteria deueniunt, accipiunt cucullas albas, vt nobiſcum concelebrent ſolemnes horas: noſque in eorum Monaſterijs ſimiliter vtimur nigris. Scio non ſemel Benedictinos alba, Ciſtercienſes nigra cuculla conciones publicas habuiſſe. Ratio? quia neutri, ſi cordati fuerint, de coloribus curant. Immò Ciſtercienſes in concionibus ad populum, alijſq; publicis conuentionibus cucullas nigras induere debent, ex præſcripto Capituli Generalis.

Permaneat ergo integrum, mutationem habitus non potuiſſe efficere, quod ex alia Religione eſſemus potius, quàm D. Benedicti.

ARTICVLVS VI.

Obſeruatio digniſſima.

375 QVid ſi oſtendam Ciſtercienſes minus mutauiſſe habitum, quàm alias Sancti Benedicti Congregationes? Temporibus illis prioribus, habitus Benedictinorum fuit talis. Toga candida, ſcapulare gryſeum, cuculla nigra. Togam fuiſſe candidam demonſtrant adhuc hodie plurima Benedictiorum monaſteria, in quibus veſtes interiores omnes ſunt candidæ, prout ipſe non ſemel vidi in aliquibus: & vt alia Monaſteria ſileam, hæc auita conſuetudo adhuc perennat in prouincia Leodica apud Lobienſes, & in Flandrica apud Brugenſes. Tit. S. Andreæ extra muros & etiam in multis alijs, vbi & ſanctitas viget, & morum reformatio. Ibidem conſtitutione cautum, nequis ſine particulari licentia audeat relinquere veſtes albas, atque aſſumere nigras.

376 Scapulare fuiſſe gryſeum, Benedictini credunt omnes; Ideo olim Congregatio Valliſoletana habebat gryſeum vt & viderunt Aui noſtri, & hodie in frequentibus picturis reperimus. Non mutauit Ordinem, licèt mutauerit colorem habitus, quæ iam vtitur colore nigro.

377 Cucullam nigram conſeruant hodie Ciſtercienſes extra domum, immò ſæpe domi in choro præcipuè in Officio defunctorum & Quadrageſima, vt non à multis annis fiebat Dunis, Alnæ, & in aliis Monaſterijs Ciſtertienſibus, vbi talibus diebus, talibus horis erat in vſu cuculla nigra, talibus candidæ.

Ornauit Beatiſsima Cælorum Imperatrix Albericum, ſecundum Ciſtertij Abbatem cuculla candida, non interdixit nigram; illam conceſsit, vt ſuas laudes concineret: commiſit arbitrio, vt nigram etiam conſeruaret. Ciſtercienſis quidem fuit S. Bernardus, & multi putant non fuiſſe albis veſtibus vſum. Exſtant picturæ antiquiſsimæ, in quib. veſte nigra induitur: & vt aliquam proferam in particulari, Hexę (oppidum eſt Meno adiacens inter Francofurtum, & Moguntiam) in S. Antonij Eccleſia vidi vetuſtiſsimam, & in ea D. Bernardi cuculla, & toga nigris induti imaginem mediocris magnitudinis.

Hodie etiam in Germania reperiuntur plurima Ordinis noſtri Monaſteria, in quibus vix eſt in vſu color candidus in multis, B. Virginis feſtiuitatibus induuntur Monachi cucullis candidis, nigris reliquo tempore: in multis etiam Cænobijs candida cuculla vix viſa.

378 Beati Roberti ætate iam vtebãtur nigris ſcapularibus Benedictini, reſtituit S. Robertus Gryſea: ideo Ciſtercienſes, Gryſei ſæpe à ſcriptoribus antiquis nominantur. Legiſti in Cæſario, *interrogatus de Gryſeis Monachis, ideſt Ciſtercienſibus*. Lege in Manrique Laurea lib. 3. diſc. 5. §. 11. huius rei curioſam expoſitionem. Etiam gryſea reſtituit Valliſoletana Benedictinorum reformatio.

379 Succeſſu temporis, vt nullatenus ab alijs Benedictinis colore differrent, potiora Monaſteria acceperunt ſcapulare ac togam nigram, exemplũq; ſecutæ ſunt nonnullæ Congregationes. Radio hoc illuſtratur locus difficilis Ioan. Trithemij Abbatis, in lib. de laudibus Carmelitarum cap. 2. *Poteſt enim* ait, *mutari habitus, integritate Ordini, permanente: ſic enim Ciſtercienſes Gryſeum habitum commutantes, nigrũ aſſumpſerunt, religione priſtina nihilominus perſeuerante*. Hinc emanauit diſtinctio Ciſtertienſium in Albos & Nigros, fortè non cunctis cognita, licet de Monachis Albis ſint frequentiſsima teſtimonia. In *indice ſanctarum ædium* exhibito Henrico VIII. Angliæ Regi, cùm à Fide deficeret, leges. *In Comitatu Dorſetiæ, Bindoni, titulo Sanctæ Mariæ Monaſterium; albi Monachi Ciſtertienſes*. Item; *In Comitatu Eſſexiæ. Tiltia, tit. S. Mariæ, Fundator Mauritius Filius Roberti; Monachi albi Ciſtercienſes*. De Monachis Ciſtercienſibus nigris, non ſemel aut iterum in eodem occurrit mentio. *In comitatu Salopiæ*, lego, *Bildeuuaſſe, tit. S. Mariæ, Fundator Epiſcopus Ceſtrenſis: Ciſtercienſis, nigri Monachi*. Item. *In Comitatu Suffolciæ; Sibbetoni, titulo Sanctæ Mariæ Fundator Guillelmus de Chiney, vel de Caneto, Nigri Monachi Ciſtertienſes*.

380 Liquidum ergo ex dictis maneat potiùs alias Benedictinorum illuſtriſsimas Congregationes mutaſſe habitum, quàm Ciſtercienſes, veterumq; colores veſtium, potiùs conſeruari apud hos, quàm apud illos: ergo ſi illi mutato colore veſtium, Benedictini remanſerunt; cur non remanebunt & illi eodem vix mutato.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

Obiectioni communi demonſtratiua ſatisfactio.

381 DIces: Omnes Pontifices vocant hanc Religionem Ordinem Ciſtercienſem, idq; conſeruant Authores grauiſsimi: ergo datur Ordo Ciſtercienſis diſtinctus ab aliis Ordin.

Reſpondeo, Maiorem non eſſe mihi probandam, vt potè per ſe notam, reperio enim illam in omnibus ferè priuilegiis. Nego autem illatam conſequentiam, nam qui nos Ciſtercienſes nuncupat, nos non negat Benedictinos. Si diceretur in priuilegiis *Ordo Benedictinus* quis intelligeret de qua illa ageret Cõgregatione? ſi diceretur *Ordo Benedictinus Ciſtercienſis*, plura verba hærerent inutilia, quia idem breuius & clarius intelligimus, poſito ſolùm nomine *Ciſtertienſium*; bene enim differentiæ nomine intelligimus totam ſpeciem.

382 Si hæc tibi non ſatisfaciat reſolutio, maneat difficultas, ſi velis in priſtino ſtatu. Interrogo. Cluniacenſes quales ſunt? Quales Monachi S. Iuſtinæ Paduanæ, in quorum Congregatione reperio ipſiſsimum Caſinenſe, & alia antiquiora Monaſteria? Reſpondes, eſſe Benedictinos. Contra ſic Petrus Cluniacenſis Abbas Epiſtola 44. *Non ſolum*, ait, *Monaſtica profeſſione, ſed etiã Cluniacenſis Ordinis ſollicita obſeruatione*. Et Petrus Galeſinius in annotationibus ſui Martyrologii, 3. Idus Martii. *Ab eo Monaſterio* (agit de Cluniaco) *Ordo Cluniacenſis nomen accepit*. Et Anton. de Florentia in ſua Summa Hiſt. tit. 15. c. 14. *Inde etiam Ordo S. Iuſtinæ ſumpſit exordium*. Eodemq; modo loquitur Garibay in ſuo Compẽdio. Ordinem reperis Cluniacenſem, atque S. Iuſtinæ, ergo iſti ſunt Ordines diſtincti à Benedictino. Conſequentia eſt legitima. Vide quid aſſumpto reſpondeas, & tibi dictum puta, quia ſi Cluniacenſiũ Congregatio vocatur Ordo Cluniacenſis, & tamen eſt Benedictina, erit etiam noſtra Benedictinorum Congregatio, quamlibet vocetur Ordo Ciſtercienſis.

EPILOGVS.

NOn mutauerunt Ordinem noſtri Fundatores, quando egreſsi fuerunt ex Moliſmo, vt vidimus, non quando ingreſsi ſunt Ciſtercium, non in ſecunda ſtabilitatis profeſsione: non in Conſtitutionum conditione: non habitus mutatione, non poſtea. Ergo manet liquidum, Ciſtercienſes Monachos verè Benedictinos eſſe, hodieque non magis ab aliis Benedictinis diſtingui, quam Moliſmenſes à Cluniacenſibus.

ARTICVLVS VIII.

Rationes poſitiuæ.

383 SAtisfecimus obiectis contrariorum, & hoc ſufficeret, vt noſtra pars maneret illibata. Volo meam nunc mentem poſitiuis teſtimonijs, & monumentis demonſtrare.

I. Alphonſus Henriquez, numquam ſatis laudatus, primus Luſitanorũ Rex, dedit primis Monachis Alcobatiæ Priuilegium, in quo reperies iſta verba. *Facio vobis Chartam, & cautum, ne quis vos impediat, quod vadatis, & condatis Monaſterium Ordinis S. Benedicti de noua reformatione*. Ergo Alcobatia eſt Ordinis S. Benedicti, & Monachi, qui primò hunc locum incoluerunt Benedictini; ergo.

II. Sanctus Ioannes Zirita Ciſtertiẽſis Abbas, Taurocenſis in inſtitutione Militiæ de auis, *Ego*, inquit, *Ioannes Zirita Abbas S. Ioannis de Tarouca, in honorem Dei, & P. N. Benedicti, & Reformationis Ciſtertienſis conſtituimus, & ordinamus Militiã Equitũ* &c.

III. Vvernerus Vveſtphalus Carthuſianus,

ſianus, in Faſciculo temporum, ſexta Mundi ætate ad annum Chriſti 1098. *Ordo Ciſtercienſis, ait, incepit per Robertum Abbatem, & Albericum ſucceſſorem eius, & videntur quaſi ſecundarij Reformatores Ord. S. Benedicti.*

IV. Quis non viderit in B.P.N. Bernardi operibus *carmina encomiaſtica*, metro hexametra, authore, vt præ ſe fert Epigraphe *Philotheo Monacho?* nempe, *De vita & moribus D. Bernardi Abbatis Claræuallis, Congregationis Ciſtercienſis ex Ordine Beatiſſimi Patris Benedicti.* Ergo D. Bernardus fuit Benedictinus.

V. Hector Boetius in deſcriptione Scotiæ: *multis inſuper percelebris eſt Morauia Abbatijs & Cænobijs, quorum præcipuè ſunt Killos, & Pluſcatre, Benedictini vtrumque Ordinis: Ciſtercienſe illud hoc Cluniacenſe.*

VI. Antoninus Florentiæ iã citatus: *Quemadmodum arbor vna eſt in radice & trunco, multiplex autem in ramis, & fructib., qui tamen humorem & vitam habent à radice & trunco: ita ſtatus Monachalis in Occidente, ab vno Patre deriuatus, à radice Regula B. Bened. habens vigorem, qui tamen proceſſu tẽporis diſtinctus eſt in multos ramos*

VII. Præterea noſter Bonifacius Simoneta Abbas, *De fidei perſecutione*, lib. 1. epiſt. 17. vocat diſertis verbis S. Benedictum *noſtri Ordinis fabricatorem, aurigamque.*

VIII. Cæſarius Haiſterbacenſis *in Dial. l. 2. c. 1.* dicit ad Apolloniũ: *Hoc autem fixum teneas, Ordinis noſtri auditorem eſſe Spiritum ſanctum, Inſtitutorem S. Benedictum: renouat rem verò venerabilem Abbatem Robertum.*

IX. Ioannes huius nominis Decimus Ciſtertij Abbas, vir ſanctitate perilluſtris, cuius Innocentius VII. in priuilegio quopiam cõmendat præclara merita, doctrinam optimam, ac virtutes ſingulares: quemq; ex vtero matris ſuæ in benedictionibus dulcedinis à Domino fuiſſe præuentum Bonifacius Simoneta *l. 3. de fidei perſec.* aſſerit. Vide Henriq. *Faſc. l. 2. diſt. 2. c. 1.* Hic ergo Ioannes, *Hæc profectò*, ait, *Sacra Religio, quæ potius à S. Regulæ obſeruantia S. Benedicti Reformatio dicitur.*

X. Præter hæc. Reperio Ciſtercienſes non Benedictinos modò, ſed veros Benedictinos tunc temporis in mundo nominari. Audi verba Petri Cluniacenſis quem ſæpiſſimè citaui. Loquitur contra Ciſtercienſes, & ait: *Dicite veri obſeruatores Regulæ, quomodo eam vos tenere iactatis? &c.*

XI. Retractationes maiorem authoritatem præ ſe ferunt, quàm aſſertiones: ſolet homo ex debilibus principijs quid aſſerere, non aſſolet niſi ex maximis palinodiam canere. Eſt ſanè Illeſcas author ſatis authenticus, qui *ſuæ hiſtoriæ Pontificiæ (tertia impreſſione Burgis, typis Martini de Victoria, anno 1577.) lib. 5. cap. 15. fol. antepenul.* probat ſatis clarè, Ciſtertienſem Ordinem verè Benedictinum eſſe, retractatque illa, quæ in prima editione ſcripſerat, cùm eſſet opinionis contrariæ.

XII. Fuit Meyrenſe Monaſterium in Hiſpania fundatum à Vitali, D. Bernardi diſcipulo, auſpicijs Alphonſi Imperatoris Hiſpaniarum, ad annum 1143. Poſtea illud à pedagijs & portagijs abſoluit Ferdinandus Rex, & in priuilegio ponit verba, noſtro apta aſſumpto confirmando: *Ego Ferdinandus Dei gratia Legionis Rex religioſam Congregationem S. Mariæ de Meyra, quæ ſecundum Canonicam B. Benedicti, ſub Abbatis vitali diſciplina religiosè viuit, tam honore quàm vtilitate iuuare propoſui.*

XIII. Quis negauit vſpiam, B. Bernardum de Alcira fuiſſe Ciſtercienſem? nihilominus in Vvienis appendice ad Monaſticum Martyrologium, reperio: S. Bernardus, *Hiſpanus, Maurus, & miraculosè conuerſus, ad monaſterium Populeti Ordinis S. Bened. confugiens*

Monachus eſt factus. Vbi bene Monaſterium Populetanum Ciſtertienſe, Benedictinum nominat, quia tale eſt.

XIV. F. Dominicus Grauia Ordinis Prædicatorum *in voce Turturis par. 2. c. 20.* ait: *Ante non multos annos, quando Anglia Fidem cũ humanitate exuit ſex Abbates Benedictini, Fontanenſis, Geruienſis, Riuerius, Surlingenſis, Saulienſis, Vvalienſis, cum alijs multis monachis anno 1536. propter Fidei Catholicæ defenſionem occiſi*. Benedictinos omnes nominat, quia reuera erant, licet plures eſſent Ciſtercienſes. Quia Fontanenſe, Vvallienſe, Saulienſe, & Riuerium, ſunt Monaſteria Ciſtertienſia.

XV. Multi Pontifices dicuntur aſſumpti ab Ordine S. Benedicti, qui verè fuerant Ciſtercienſes, quia reuera etiam ipſiſsimi Benedictini.

Benè Clariſs. Miræus *in Auctuario ad annum* 1145. ait: *Vterq; Ordo, Cluniacenſis & Ciſtertienſis S. Benedicti Regulam ſeruat, ideo illi Romani Pontifices, qui ex vtroq; Ordine aſſumpti, dicuntur etiam ex Ordine S. Benedicti delecti*.

XVI. Arnoldus de Vvion *in Ligni vitæ l.4. c.14.* ait: *Nonnulla etiam Cenobia olim fuiſſe Benedictina, quæ nunc ſunt Ciſtertienſia, & è conuerſo, à nobis non ignoratum: ſed cum permutationis tempus nobis non conſtat, primæ fundationis initia retinuimus, cùm parum referat Benedictina ſint, an Ciſtercienſia, vtroque Ordine, ſub vexillo Sancti P. N. Benedicti militante*.

XVII. Petrus Cellenſis Carnotenſis Epiſcopus in Epiſt. ad Nicolaum Anglum Monachum S. Albani *in l.6. ep.23* *Hi ſunt*, agit de Ciſtertienſibus. *qui monetam, noſtri iam in agonia poſiti Ordinis reformarunt. Hi ſunt qui Regulam B. Bened. penè cõbuſtã, ſicut Eſdras veterem Legem, reſtaurauerunt*.

XVIII. Philippus Haruengius, ſecũdus Abbas Bonę Spei Præmonſtratenſis Ordinis, Sancto Bernardo familiaris, de Gryſæis, hoc eſt de Ciſtercienſibus, *lib. de contin. Cleric. ca.* 25. ait. *Illius itaq; Benedicti, ſub qua degunt, Regulę ſic adherent, vt in omnibus, quæ illa, vel iubet vel admonet, ad literam perſeuerent, æſtimantes quod illam ad vnguem non tenerent, niſi tam paruis quã maioribus ſummam diligentiam adhiberent*. Et immediatè poſt, Ciſtercienſes verè Benedictinos eſſe, exponit his verbis: *De hoc autem Cœnobio quod Ciſtertium nominant, in quo noſtris temporibus Regula Benedicti ad veritatem litteræ reuocatur, inſignis illa felici partu Clara-vallis procedit &c.* Sentit ergo. Vir ſapiens, Ordinis Benedictini veritatem apud Ciſtertienſes remanſiſſe, atque inibi conſeruari.

XIX. Curat B.P. Benedictus de augmento ſuæ Religionis auſteriſsimæ, multos inuitat incorporeè, ſed alios viſibiliter, vt ad ſuum veniant Ordinem. Attendamus, audiamus, ipſe nobis exponet quis Ordo ſit verè Benedictinus, notemus, quem cognoſcat vt proprium. Vnde? ex Cæſarij cap.8. lib.7. Apparuit cuidam Colonienſi Canonico, perſuadet, vt fiat Benedictinus, ſubiungit quod vadat ad Monaſterium Ciſtercienſe. Quid adhuc egemus alijs teſtibus? ſibi intimiores & chariores ipſe nos declarat Benedictus. Præter Deum, qui vbique eſt cauſa princeps, ipſe nos ad Religionem, quam profitemur, vocauit, inuitauit, admiſit. Ipſe Ciſtercienſes in nouitiatus tentationibus, & perſeuerantiæ diſcriminibus, periclitantes protegit, vt videre eſt apud Vincentium Belluacenſem *in Speculo Hiſtor. lib. 29. à cap. 6. ad 9.* vbi hoc oſtenditur exemplis varijs.

Hæc dicta ſint multorum opinione ſuperfluo, ſed mea ex cauſa, ſunt enim aliqui, qui nomina potiùs quàm rem examinantes putant S S. Benedicti, & Bernardi ordines ita diſtingui vt S S. Dominici & Frãciſci. Hi tamẽ pauci & imperiti, ſed & debuerunt inſtrui: video

hic in Belgio eſſe conſtantiſſimam notitiam huius veritatis apud omnes Theologos & Iuriſperitos : ita vt à multis maximè notæ viris audiuerim meam eſſe omnium litteratorum ſententiam , ab eaque vel nullos vel ſolos illiteratos declinare.

ARTICVLVS IX.

Appendix , Difficultas.

384 Dices ex principijs Dialecticis; Argumentum quod nimium probat , nihil probat . Atqui allatæ rationes nimium probant : ergo & nihil . Minorem probas : Si haberent vim iſtæ rationes & Ordo Ciſtercienſis, à Benedictino nullatenus diſtingueretur , poſſent Monachi Benedictini ad Ciſtertienſes , & hi ad illos liberrimè tranſire, eodem modo ac ad alia ſuæ reformationis monaſteria . Nec tenerentur habere annum approbationis .

385 Huic difficultati hac concluſione ſatisfacio. *Quicumq; Benedictinus , qui legitimè (hoc eſt de ſuorum licentia Superiorum) velit incorporari Ciſtercienſibus, poteſt admitti ſine anno approbationis , non ſecus ac quilibet alius Ciſtercienſis, qui transferretur ex Monaſterio ad aliud .*

386 Deinde , licet ſufficiant rationes poſitæ , ad hanc ſententiam demonſtrãdam , addam exempla , vt cognoſcatur non ſolum hoc eſſe verum , ſed à multis etiam annis fuiſſe in praxi. Noſter Cæſarius antiquitate Venerabilis *l.4. Dialog. c. 46.* narrat de quodam Magiſtro Pariſienſi, qui Ciſtercienſis eſſe ſummoperè deſiderabat , timebat nihilominus rigorem obſeruantiæ , conuerſationiſq; ſeueritatem , præcipuè quoad annum probationis. Satagebat ab iſtis vltimis expediri , vtque nouitiatus anno , minori auſteritati ſubiaceret; ad monacos deuenit nigros , inibique habitum regularem induens , poſt annum , iuxta præſcriptum regulæ profeſſus eſt. Moxque Conuentui valedicens , gratatur in hæc verba: *Gratias ago vobis Domini mei , de beneficijs mihi à vobis exhibitis, quia ad quod veni, hoc apud vos expleui. Modo cum licentia veſtra migro ad Ordinem Ciſtercienſem : non .n. veni huc , vt vobiſcum manerem , ſed vt inter vos, tentationes quas timui, temperarem.* Poſtea narrat, qualiter fuerit à Ciſtercienſibus exceptus : *Venienſque ,* ait, *ad quandam domum Ordinis noſtri , non vt Nouitius probationem intrauit, ſed habitum tantum mutauit .*

387 Ne hoc iudices quid obſoletum ac rarum referam aliud adhuc notabilius exemplum . Scribit idem Cæſarius *9. cap. eiuſdem 4. libri* , quempiam Henricum Benedictinum defectionem feciſſe ab obedientia & habitu . Is dum per mundum vagaretur Diuini impulſus efficacia tactus , in domum ſeſe recepit Ciſtertienſem. Mentiebatur habitus ſæcularem , & vt talis adducitur ad nouitiatum. *Receptus à Domino Giſilberto Abbate in nouitium : mox vt eum per confeſſionem cognouerat nigrum Monachum fuiſſe, cappam illi mutauit in cucullam.* Ecce tranſeunt ad noſtram Religionem liberrimè Benedictini : & ſi admittantur , non indigent anno probationis .

388 Ex ijs etiam conſtat , quemcunque Abbatem Ordinis Ciſtercienſis , ni aliunde obſtiterit poſſe eligere priorem & alios Officiales ex monachis nigris , & quemcunque Abbatem nigrum (Cluniacenſem puta, vel alium, poſſe præficere cuicumque officio Monachum album: quia omnes ſunt eiuſdem Ordinis, & diſſident ſolum Monaſterio, & ideo ſicut nigri inter ſe commutantur , ita etiam albi & nigri inter ſe : poteruntque Albi tranſire ad nigros: & è contra. Cõſultò illud *ni aliunde* poſui . Scio enim dari ſæpe leges ſpeciales , quæ limitent authoritatem Prælatorum , quod ſi aliqua id interdicat, monachus niger apud

albos

albos (aut contra) promoueri non poterit, non quod alterius ordinis ſit, ſed quod illa lex ſeruari debeat,

389 Conſtat etiam certiſsimè, in quocumque Monaſterio Ciſtercienſi, poſſe eligi in Abbatem, Monachum quemq; nigrum, & è contra, in quocumque ex nigris creari poſſe in Abbatem, Monachum etiam Album: ratio eſt eadem, quia Abbas debet eſſe monachus noſtræ Religionis, vt conſtat ex varijs Priuilegijs Pontificum: atqui quicumq; Monachus niger, eſt noſtræ Religionis, ergo quicumq. in Abbatem poterit præfici. Ratio eadem demonſtrat è conuerſo.

390 Et ne nudæ rationi quamuis fortiſsimæ inniti videar, ſubijciam varia tam antiqua, quàm recentiora exempla quæ illam confirment, & praxim etiam teſtatiſsimam faciant.

391 Robertus Montenſis in Appendice ad Sigeberti Chronicon ad annum 1185. producit hiſtoriam Theobaldi Abbatis Cluniacenſis, cui poſtmodum ad purpureum Epiſcopatum Oſtienſem euecto ſucceſsit filius Comitis de Claromonte. Accipe expreſſa verba Roberti: *Theobaldus*, inquit, *Abbas Cluniacenſis factus eſt Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis [cui ſucceſſit filius Comitis de Claromonte.] Hic prius fuit Abbas cuiuſdam Abbatiæ Ordinis Ciſtercienſis, inde tranſlatus eſt ad Abbatiã Flauiacenſem, inde exortis quibuſdam cauſis factus eſt Abbas S. Luciani Martyris, primi Epiſcopi Belluacenſis ciuitatis, exinde, vt diximus, factus eſt Abbas Cluniacenſis.* Cæſar Baronius diligentiſsimus ſcrutator antiquitatis, eandem rem alijs verbis recenſet. Vide to. 12. ad ann. 1184. *Primò Rege Gallorũ mandante*, ait, *Floriacenſem præfecturam iniuit, iterum vt tulere caſus, S. Luciani Belluacenſis celebre cœnobium adminiſtrauit, tum & Cluniaco præfuit. Demum anno Domini 1183. tot decora tum infulis dignitatum Lucius III. Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem & Valiternum creat in ſecunda creatione menſe Decembri Anagniæ habita. Romæ quinquenio poſt, anno ſcilicet 1188. ſupremo fungitur die pridie Nonas Nouembri, atque in media Baſilica S. Pauli via Oſtienſi ſepelitur,* Ita Ferdinandus Vghelus Abbas hodie S. Anaſtaſij Ordinis Ciſtercienſis propè Romam *in Vitis Pontificum & Cardinalium Ordinis Ciſtercienſis*; Conſtat autem monaſteria Floriacenſe S. Luciani, & Cluniacenſe ad Benedictinos nigros pertinere.

392 Ioannes Martinus Muriſius natione Hiſpanus, monachus Populeti, Ordinis Ciſtercienſis, primum munere Regio illuſtri Abbatia Montis Aragonum Ord. S. Benedicti donatus, deinde anno 1409. in quinta creatione S. R. E. titulo S. Laurentij in Damaſo Presbyter Cardinalis renuntiatus eſt à Benedicto XIII. Pſeudo Pontifice, quem in Conſtantienſi Synodo damnatum, vt adulterinum dereliquit, atque ea de cauſa in Italiam traijciens anno 1419. 14. Kal. April. Florentiæ vt Chriſti Vicarium, ac verum Pontificem adorauit Martinum V. à quo ob inſignem humilitatem ſub eodem titulo S. R. E. Cardinalis eſt confirmatus, ſed paulò poſt 8. Idus Oct. naturæ debitum ſoluit.

Floruit in occaſu eiuſdem ſæculi Petrus Quyckius Religioſus antiquiſsimi ac celeberrimi monaſterij noſtri Dunenſis, ſub Abbate Ioanne Crabbe illius cœnobij XXVII. profeſſus, qui in Abbatem S. Amandi Ord. S. Benedicti aſſumptus fuit, ac poſtmodum Epiſcopalem infulam vrbis Tornacenſis prudenti regimine decorauit, teſte Adriano Butzio eiuſdem monaſterij Dunenſis religioſo, ac hiſtoriographo, D. Petri contemporaneo, cuius opera exſtant in Bibliotheca Dunenſi ſcripta propria manu. Vide & Buſelinum *in Gallo-Flandria*. Sed ne antiquitati nimium immoremur. Superſunt etiamnum viui teſtes, tranſitum

poſſunt tamen in communi. Quod etiã poſſit differentia in fine, conſtat, quia aliæ Religiones ordinantur ad vitam contemplatiuam, aliæ ad actiuam; & harum aliæ ad captiuorum redēptionem, aliæ ad infirmitatum curationem, aliæ ad proximi eruditionem, aliæ ad infirmitates alias ſubleuandas. Ex his liquet, dari poſſe in eadem communitate diuerſas Monachorum ſpecies; vtrùm de facto dentur, reſtat examinandum.

Ad clariorem difficultatis ſolutionē notandum eſt, dubium poſſe verſari inter huiuſmodi Perſonas. Vtrùm ſcilicet Abbas, Choriſtæ, Sacerdotes, Surdi, Conuerſi, Laici, Donati, Familiares diſtinguantur ſpecie, & quomodo: vtrùm ratione voti, an verò tantùm ratione finis. Sumo voces in ſignificatione inferiùs explicanda, ſcio enim eaſdem aliter in aliquibus communitatibus accipi; at ego illas vſurpo in acceptione communiore.

I. CONCLVSIO.

Choriſtæ omnes Ciſtertienſes, quà tales, ſunt in eadem infima Religionis Benedictinæ ſpecie.

395 Probatur: quia ſi diſtinguerentur eorum Profeſſio, maximè penes finem, Atqui nullo horum modo diſtinguitur. Ergo in omnibus Profeſſio eſt eiuſdem ſpeciei. Probatur minor, & primò illam diſtinctionem non tenere ſe ex parte obiecti, quia obiectum Profeſſionis ſunt tres obligationes eſſentiales: atqui omnes eodem modo tenentur ſeruare Caſtitatem, Obedientiam, & Paupertatem; Ergo ex parte obiecti Profeſſionis, nulla eſt in illis differentia.

Ex parte etiam finis nullam eſſe patet: quia omnes ex vi Profeſſionis ordinantur ad Officium Diuinum in communi, & quidem omnes æqualiter, Ergo ex fine nequeunt diſcriminari.

Conſultò dixi *ad Officium Diuinum in communi*, vt notem, eos ex vi Profeſſionis non teneri illud legere in particulari, niſi id Prælatus præcipiat, vtrùm alio titulo teneantur in particulari recitare, diſputabimus inferiùs proprio in loco.

II. CONCLVSIO.

Abbas, quà talis, & Choriſtæ ſunt in eadem ſpecie Religionis.

396 Patet; quia Abbas eodem modo tenetur ſeruare Caſtitatem, ac ſubditi, de quo nulla poteſt haberi dubitatio. Eodem modo debet obedire Abbati ſuperiori immediato, vt ipſi Monachi quamlibet in diuerſo genere; verùm hoc non variat formam, ſed tantùm obedientiæ materiam, de qua non diſputo. Paupertatem debet obſeruare, & in vſus proprios ſolùm neceſſaria conſumere, numquam ſuperflua: ergo Abbas, & Choriſtæ non differunt ſpecie Religionis conſideratæ penes obiectum, atque finem intrinſecum.

397 Præterea, ſi hęc conſideretur penes extrinſecũ, quis *finis* propriè abſolutè nominatur, ratione officij magis tenetur adſiſtere Choro, quàm alij. Primus debet eſſe in Eccleſia, in Contemplatione, in Lectione, in Capitulo, in labore, qui Monaſterii eſt Primas, quemque omnes allj debent ſequi. Sed licèt magis teneatur ſeruare leges Monaſticas, quàm omnes alii, non legitimè inferes, eius obligationem ab aliorũ Choriſtarum obligatione ſpecificè diſtingui, quia magis & minus non variant ſpeciem, vt omnes Philoſophi fatentur.

III. CONCLVSIO.

Sacerdotes non differunt ab alijs Choriſtis in formalitate Religionis.

398 Difficultatem attingo, cuius cognitio maximè & quotidie eſt neceſſaria. Diuiſio Monachi in Sacerdotem

& non-

& non Sacerdotem, non eſt generis in ſpecies, ſed ſubiecti in accidentia; non ſecùs ac diſtinctio eiuſdem Monachi in album & nigrum; in doctum & indoctum, in magnum & paruum: non eſt Sacerdotium res connexa eſſentialiter cum Monachiſmo: poteſt eſſe Monachus quin Sacerdos: Sacerdos, quin Monachus; quia Profeſſio & Sacerdotium coniunguntur per accidens.

399 Hinc conſtat, reſpectu obligationum Ordinis, Sacerdotes conſiderandos eſſe ac ſi tales non eſſent, eodem modo teneri ad omnes obſeruātias quo alij, niſi fortè ſtrictiùs, ratione maioris concomitantis dignitatis, cùm teneantur iunioribus præbere exemplum.

Ideò dico, Officia humilia Monaſterij, quę non-Sacerdotibus ſolent committi, æquè, imò meliùs poſſe cōmitti Sacerdotibus: quia non præiudicat Sacerdotio, quod promoti ad talem dignitatem ſint humiles. Sic ſemper laudaui in labore manum communi Abbatem eſſe primum, ibique & Capituli Diffinitores, & Secretarium, vel quemcumque alium Sacerdotem, vel non-Sacerdotem laborare.

Ad officia humilia communitatis debet eligi aptior, nullo habito reſpectu ad Sacerdotium, quia nulla lege Diuina, aut Humana ſancitum, Sacerdotes non-ſtudere Humilitati. Seruiant in Refectorio ſicut alij, miniſtrent infirmis, gubernent rem extrinſecam cùm fuerit neceſſarium, & iure Sacerdotij à nullis obſeruantiæ miniſterijs excuſentur. Prælegat eis Antiſtes obſecro, cùm ſimilia ad quæſtionem ſuperbiæ voluerit reuocare, caput Matris-Regulæ ſexageſimum ſecundum, vbi Lycurgus noſter ait. *Si quis Abbas ſibi Presbyterum, aut Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligat qui dignus ſit Sacerdotio fungi. Ordinatus autē caueat elationem, aut ſuperbiam, nec quicquam præmat, niſi quod ei ab Abbate præcipitur, ſciens ſe multo magis diſciplinæ regulari ſubditum: nec occaſione Sacerdotij obliuiſcatur Regulæ obedientiam, & diſciplinam: ſed magis ac magis in Domino proficiat.* Et paulò poſt: *Regulam à Decanis vel Præpoſitis conſtitutam ſibi ſeruandam ſciat: quòd ſi aliter præſumpſerit, non vt Sacerdos, ſed vt rebellis iudicetur.* Denique: *Si nec ſic emendauerit (clareſcentibus culpis) proijciatur de Monaſterio.* Ferè eadem dixerat *cap. 60.*

400 Quid hoc Pater ſuauiſſime? vbi perpetuus tuus ille dulcor & ſuauitas? es fulmen? quid? contra Sacerdotem? Ita ſanè; contra Sacerdotem: ſciebat enim Vir ſanctus maius damnum imminere communitati à Sacerdote elato, quàm à graſſante morbo peſtifero: ideò decernit quod Sacerdos peſtifer (hic eſt ſuperbus) in exilium mittatur.

Audiui quempiam aliquando dicentem: Domine omnia munda mundè: ergo celebraturo non conuenit ſe rebus immundis immiſcere: ne ægrotis ſeruito, non enim decet ex fæcibus ſecretis altare tranſire.

Omnia munda mundè tractanda eſſe confiteor, infirmorum, miniſterio Sacerdotium non inquinari, probare nolo authoritate ſanctiſſimorum Patrum, qui vacarunt medicinæ, vt aptius poſſēt proximis auxiliari: quia huiuſcemodi coniunxit Dominus N. ſed in librum integrum: tot enim ſunt vt minori volumine non caperentur. Volo hanc hæreſin peiorem multis alijs, quas Eccleſia damnauit, etiam ratione efficaciſſima impugnare. Infirmorum ſeruitio inquinatur quiſpiam? ergo vel phyſicè, vel moraliter: ſi phyſicè, lauetur: ad hoc aqua in cubiculo, in clauſtro, in ſacriſtia, in cornu altaris ſic faciet munda mundè, & non cogetur ab ægrorum ſeruitio, aut alio humilitatis miniſterio abſtinere. Si moraliter inquinari aſſerat, dicet Humilitatem immunditiam, & Charitatem eſſe labem.

401 O vtinam tales Sacerdotes in

nulla

nulla cõmunitate reperiantur ? hoc vnicum tamẽ expertus aſſeruero, ſæpe Prælatos in cauſa eſſe quod inſoleſcãt, quia ſi indulgent in illis rebus, quibus aliàs non indulgerent, quid ſperant?

Occurrit hic exponendæ mentis occaſio, crines ergo præripiam, quia fortè alibi nõ erit locus. Tædet me, fateor, exemptionum, quas iunioribus concedi vidi ratione Sacerdotij. Nullus ab obſeruantijs debet eximi dignitatis ratione, ſed ſolùm cauſa neceſſitatis. An conducit ad honorem, Monachum eſſe relaxatum? eſtne decus non ſatisfacere voto & profeſſioni? Abbas ſi deficiat à choro propter hoſpites, propter officij impedimenta, bene facit: ſi propter grauitatem, malè facit: primò, quia ſubditis eſt ſcãdalo, qui debuiſſet exẽplo: ſecundò, quia præbet teſtimoniũ pro hac noua hæreſi aſſerente Epiſcopos, Abbates, grauitatis conſeruandæ cauſa debere ſemel aut bis tãtum in anno celebrare, habere Capellanum cuius Miſſam audiant, raró ingredi chorum, cum debeant potiùs præire ſubditis obſeruantiam ſanctitatemque.

402 Qui triginta annis frequentauerit Chorum, à ferialibus Matutinis eximitur in noſtra Hiſpania. Laudo quia moraliter loquendo quinquagenaria ætas, labore triginta annorum fracta, indiget compaſſione. Qui quadraginta annis vacauit choro, eſt immunis à Matutinis duodecim Lectionum; quis vituperet? tunc enim ætatis, plus minùs, habebit annos ſexaginta, in ſummis laboribus conſumptos: in qua ætate debet illi Religio ſubuenire. Surgat ad Matutinas tantùm diebus ſermonis, qui habuerit quinquaginta annos profeſſionis, quia talis cùm ſeptuagenarius ſit, vix, aut ne vix quidem, in hyeme poterit relinquere ſuam quietem: & ſi faciat, non ſemper ſine periculo maximæ infirmitatis. Senectus lapides ad miſericordiam prouocat, ideoque Abbatẽ qui erga ſenes non eſſet clemens, non ſolum Regulæ violatorem, ſed ſaxis duriorem iudicarem. De ſenibus & infantibus caput xxxvii. D. Benedictus inſcripſit, & ait, *Ipſam naturam humanam trahi ad miſericordiã erga has ætates, &* quidẽ ſenectus ipſa eſt morbus, qui caret medicina: imò ſemper fit maior, ſemper periculoſior: proptereà opus eſt, quòd eximantur à laboribus ſenes: nõ ab omnibus, ſed ab illis, quibus commodè nequeunt vacare.

De Sacerdotis gradu in communitate, mores varios video in diuerſis Cœnobijs. Multi credunt Sacerdotibus deberi locum ſuperiorẽ omnibus non-Sacerdotibus: ſed perperam: naſcitur hoc ex rerum minori cognitione. Et ideo, conſiderata earum natura, dico:

403 Omnes in communitate habeãt locum ſecundum antiquitatem habitus, ſiue ſint Sacerdotes, ſiue non: cùm induti veſtibus ſacris veniunt ad Tertiã, præcedat Sacerdos Diaconum, is Subdiaconum.

Omnes debere ſeruare conuerſionis gradum, conſtat ex capite Regulæ ſexageſimo tertio, ſic ſtare debẽt in choro ſic ire ad pacem, ad communionem, intonare Pſalmos, & reliqua opera facere, ad quæ gradatim deputãtur. Quod non-Sacerdos ſit ſuperior Sacerdote, quid inde? quia in choro non ſunt Sacerdotes quà tales, ſed quà Monachi, & in genere Monachi ille eſt dignior, qui fuerit antiquior. Exemplo declarabo.

404 Sunt in Accademijs ſedes, quas vocant Doctorales, in quibus reſident promoti ad Laureã; quid certiùs quàm quod Prælatus debeat præcedere ſubditum? nihilominus ibi non curatur de his titulis, ſed qui fuerit antiquior in Laurea, præcedit; ſequitur qui minùs antiquus, licèt aliàs ſit Prælatus alterius. Ratio eſt: quia ibi non ſedent Prælatus & ſubditus quà Monachi, ſed quà Doctores, & ita ſubditus ſi ſit in Doctoratu antiquior, debet inibi Prælato anteire, ſed ſubſequi in ſuo Monaſterio.

ſterio. Similiter in Altari præcedat Sacerdos Diaconũ, extra altare antiquior iuniorem. Ratio ſic diſponit, quàm & ſecutus eſt noſter Legislator *c. 62.* cùm dixit: *Locum vero illum ſemper attendat, quo ingreſſus eſt Monaſterium, præter officium Altaris*. Quia cùm ſit in altari non quà Monachus ſed quà Sacerdos, ibi debet præcedere Diaconum, licet is ſit etiam Sacerdos, & Senior. Ratio eſt, quia qui canit Euangelium (idem proportionaliter de canente Epiſtolam dico) non id quà Sacerdos, ſed quà Diaconus facit.

Poteſt aliquando Abbas Sacerdotem ad altiorem locum euehere, puta ſuperiorem omnibus non Sacerdotibus, vel ſaltem aliquibus: ſed hoc condẽnarem, ſi fieret ſine ratione, quia ad hoc nullam dat S. Pater authoritatem. Conſule *cap. 60. 62. & 63* & videbis, Abbatem non debere ſine cauſa conturbare ordinem gregis ſibi commiſſi, & vti libera authoritate: quia ratione duce illum poteſt præponere Sacerdotẽ non-Sacerdotibus, qui dignior eſt aliqua qualitate notabili: & propter hunc titulum non ſolum Sacerdotem non-Sacerdotibus, ſed non-Sacerdotem Sacerdotibus ſenioribus poteſt præponere. Puta, ſi præponat Magiſtrum Diſcipulis, Priorem ſubditis, diffinitorem, Conſiliarium reliquis.

Nomine Magiſtri intelligo Lectores Theologiæ, & Philoſophiæ quoſcumque, item Caſuum conſcientiæ, & Prolectores oẽs erga ſuos Diſcipulos: expedit.n. Magiſtrum Diſcipulo anteponi.

405 Hinc conſtat, miſerè errare illos iuniores: qui cùm primùm ad Sacerdotium promouentur, antequam id Prælatus iuſſerit, præponunt ſe aliquibus non-Sacerdotibus ſe ſenioribus. Ratio eſt: quia Prælato vni conceditur, cum rationabili cauſa alterare ordinẽ communitatis: non autem eſt Monachi particularis, ſeniorem poſtponere propria authoritate. Communiùs vidi (& laudo) Abbates vno quaſi menſe à Sacerdotis ordinatione, Neomyſtæ poſtponere omnes non Sacerdotes, ſed hoc ſemper expoſita congruenti cauſa: puta, ſi talis Neomyſta fuerit concionator, ſi olim fuerit aliorum magiſter, ſi ex magna familia, ſi Prior, aut aliquis magnæ authoritatis domeſticus id poſtulet. Neomyſta autem, qui ſine licentia ſui Prælati præſumit mutare locum profeſſionis: in eo genere, quo peccauit, puniatur; poſtponatur iunioribus ad tempus aliquod, vt diſcat eſſe humilis, & nihil indebitum, ſine permiſſione Antiſtitis, ſibi arrogare. Multa alia occurrunt, ſed iam vt puto omnia ſunt deciſa in mea Libra quam de Ciſtercienſium præcedentia hoc eodem anno publicaui.

Hinc conſtat, cæcos qui nunquam ſunt futuri Sacerdotes, poſſe admitti in Choriſtas, & eſſe verè Monachos, ſi ſemel chorum profiteantur.

DE CONVERSIS.

406 *Conuerſi* dicuntur, qui valedicentes ſęculo confugiunt ad clauſtra, vt ſeruiant Deo in exercitio vitæ actiuæ, quorum conuerſatio bifariam commendabilis eſt. *Primò*, quia laqueis atque periculis cunctis expediti, viam mandatorum Domini currunt, & fruuntur cordis ſereniſſima tranquillitate. *Secundò*, quia ſunt in cauſa, quod monachi liberiùs, & quietiùs vacent contemplationi.

Conuerſorum tres differentias communiùs reperimus in noſtris monaſterijs: poſſent eſſe plures, ſi placeret Abbatis, ex quorum orbitrio illorum inſtitutio pendet. Sunt ergo *Fratres-laici, Siniſtri,* atque *Donati*.

IV. CONCLVSIO.

Dantur in ordine Ciſterciẽſi Fratres-laici, qui reuera ſunt religioſi, & vouent ſolẽniter tres virtutes monaſticas.

407 Horum profeſſio, ſecundum obie-

obiectum & terminum intrinſecum, nō differt à profeſſione monachorum: quia tota differentia eſt in termino extrinſeco, ſeu fine, ad quem conuerſatio ordinatur. Obedientiam, continentiam, & paupertatē promittit Monachus, eaſdem & Frater-laicus pollicetur: diſcrimen in hoc totū, quòd illas Monachus in contemplationem dirigat, Laicus in actionem. Conueniunt Choriſta & Laicus in obiecto profeſſionis intrinſeco, quod eſt Caſtitatem, obedientiam, & paupertatem obſeruare: differunt in profeſſionis fine. Laicus tenetur mores ſuos conuertere agendo, Monachus contemplando.

Sunt monaſteria aliqua, quæ Laicos non habent, in quibus, miniſterijs extrinſecis ſatisfaciunt Choriſtæ: neſcio an laudem, an carpam, vtrobique reperio inconuenientia, de quibus alibi vberiùs diſputabo.

V. CONCLVSIO.

Religioſi illi, quos noſtri Hiſpani ſurdos, id eſt, Siniſtros nominant, differunt ſpecie à Monachis, & tantum accidentaliter à Laicis.

408 Cur Laici huiuſmodi, *Siniſtri* nominantur? Fortè inde nomini occaſio, quod vltima ſtalla chori ſiniſtri occupent. Vtuntur eiſdem veſtibus, quibus Choriſtæ, videlicet cuculla alba, & nigro ſcapulari: habent in capite coronam vt alij monachi, non tamen cantant in choro, nec ad ordines ſacros promouentur. Horum vix vnus in toto Belgio reperitur. Ipſi ſunt verè Fratres-laici, donati veſte Monachorum.

Nonnulli dubitant, vtrùm expediat Conuerſos hos habere veſtes Choriſtarum. Reſpondeo, non habere fieri ſine cauſa. Cauſam ſufficientem crediderо, Nobilitatem, vix aliam. Puta, ſi Princeps aliquis voluerit fieri Religioſus, & nihilominus neſciat legere vt Choro ſatisfaciat, non ob id debet ei aditus præcludi Monaſterij, fiat Conuerſus. Sed quia hæc ſpecies Monachorum, eſt in minori æſtimatione apud ſæculares, poterunt illi concedi veſtes Choriſtarum.

VI. CONCLVSIO.

Donati non ſunt Religioſi verè, & in rigore, ſed ſolum æquiuocè.

409 Eſt alia Conuerſorum, ſiue Laicorum ſpecies, quos vocamus *Donatos* qui emittunt ſolummodò votum ſimplex obedientiæ in manibus Prælati, & ex vi voti non tenentur ſeruare paupertatem, caſtitatem. Tales dico verè non eſſe Monachos, ſed ſolùm monaſterij famulos, & ex vi profeſsionis ſuæ poſſe dimitti, non autem exire ſine licentia Superioris. Scio hanc eamdem vocem in aliquibus Monaſterijs aliud ſignificare, ſed ſic loqui didici, & ſequor commune Religionis idioma.

Quidam Abbas virtute huius obedientiæ præſtitę vetuit cuidam Donato ducere vxorem, & retinere pecuniam, & hoc in monaſterio vbi non erat conſuetudo ſimilia præcipiendi Donatis. Conſultus de hoc mandato reſpondeo, tales Donatos non promiſiſſe ſe Abbati obedituros eſſe in omnibus rebus, & virtutibus, quia tale votum eſſet ſtrictus voto Monachorum, ſed ſolùm vouiſſe *obedientiam de bono*, puta, *miniſtrando*, & ſic in miniſterio domeſtico teneri obedire. Prælato iubenti hoc opus ſeruile, vel aliud: non verò iubenti quod contempletur, vel cantent in choro vel non ducant vxorem, vel ſeruent paupertatem: ideo concludo, illum potuiſſe ducere vxorem, etiam renitente Prælato.

410 Nec ſufficit eum, poſtquam vxorem duxit, non poſſe ſeruire monaſterio: hoc, inquam, non ſufficit, quia poteſt Abbas Donatum coniugatum dimittere, non tamen ab illo exigere quod non promiſit.

In Monaſterio A. erat moris, quod Donatis, ipſo profeſſionis die, in virtute obedientiæ præſtitę præciperetur caſtitatis & paupertatis obſeruatio. Petis, an tales Donati tenerentur Prælatis talia præcipientibus obedire.

411 Reſpondeo, Votum Donatorum ſimplex, in illo monaſterio eſſe hoc: *Polliceor obedientiam in materia miniſterij, continentiæ, & paupertatis*. Nec refert verbis non exprimi, cùm mens admittentium ſit ſatis clara, vſu & praxi continua confirmata. Ergo cenſendus eſt Donatus ſic voluiſſe profiteri, dum votum obedientiæ emiſit iuxta leges tali monaſterij.

Eſt liberum cuicumque Abbati aut Religioni admittere Donatos ſub quibuſcumque oneribus vel conditionibus: quia in hoc nemini ſit iniuria, & iudicauerit grauamina eſſe nimia, non admittat talem ſeruiendi conditionem. Hæc reſolutio clariùs conſtat ex praxi & Ordinis diſpoſitione. Anno 1215. decretum eſt Ciſtertij in noſtro Generali Capitulo, Donatos (qui in diffinitione vocantur *Familiares*) debere habere tonſuram, & peculiarem habitum: & anno 1233. definitum legimus nullum Donatum aut Familiarem admittendum, niſi ſe ad Continentiæ vota ſimplicia voluerit obligare. Poſſent ſimiliter addere alia grauamina, ſi vellent.

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrùm Conuerſi, qui in Belgio ſunt in Religioſorum monaſterijs, ſunt verè Religioſi.

412 Conſultò de Conuerſis Belgij diſputo: quia in Hiſpania nomine Conuerſorum (quod ſuperiùs & vniuerſalius eſt) nō vtimur, ſed alios vocamur *Fratres laicos*, alios *Donatos*, & iſti in omnium opinione vouent obedientiam ſimpliciter, illi vero profitentur ſolenniter tres illas virtutes eſſentiales, quas omnes Religioſi.

In Belgio *Conuerſi* nominanter; nunc reſtat inquirere quales conuerſi ſint, an Laici, an Donati.

Vt prebetur illos Donatos eſſe, *Ratio prima* deſumitur ex actis Edmundi à Cruce Abbatis Monaſterij Ciſtertiēſis, qui cùm viſitanit, iuſſu Pontificis (vt conſtat ex Bulla contra Hiſpanos exhibita) non ſolùm ſuas filiationes, ſed alia etiam Ciſtercienſia & aliorum Ordinum Monaſteria & decreuit anno 1593. tam Fratres Conuerſos, quàm Sorores de furti, aut carnis, aut rei ſimilis crimine conuictos, poſt carceris macerationem, & punitionem, demum veſtibus exui regularibus, atque ex monaſterio eliminari ſine ſpe reditus, Vicario tamen Generali conſulto, & conſentiente, qui pro prima vice eiectionem poterit commutare in aliam pœnam, ſi ita expedire iudicauerit.

In hoc edicto plurima ſunt digniſſima obſeruatione. Nam detur nobis copia authentica, vt fidem adhibeamus: vnde enim ſcimus id eſſe verum? hoc dixero, vt in ſimilibus caſibus facili negotio ſe queat Lector à difficultatibus multis expedire, quæ naſcuntur ex Decretis Pontificum, aut Cardinalium; quæ ſi non ſint authentica, obligare non poſſunt; aliàs enim liceret vnicuiq; fingere ſibi decreta, vt ſuam partem probaret.

Præte-

Præterea: demus verè decreuiſſe Edmundum Conuerſos non eſſe Religioſos: quid inde? Edmundus erat ſanctus & pius vir, forſan non doctus: & ſi doctus, non Doctor claſſicus, & ſic non potuit facere opinionem probabilem in iacturam tertij, & nullam vtilitatem Religionis.

414 Tandem demus, rei medullitùs cognoſcendæ gratia, Edmundum non ſolùm fuiſſe Authorem claſſicum, ſed (ſuppono hoc impoſſibile) habuiſſe infallibilem ſcientiam veritatis: Rogo: quid contra profeſſionem ſolennẽ Conuerſorum in D. Edmundi decreto continetur? Exui habitu religioſo, atque eijci ex Monaſterio non militat contra ſolenne votum? quia etiam Choriſtam poteſt Abbas, aut etiam Sacerdotẽ imò & Præpoſitum eijcere de Monaſterio, ſi ſcandalum & culpæ exegerint. Sacerdotem ex decreto Beatiſſimi Patris noſtri Benedicti *cap. 62.* Choriſtam *ex cap. 28.* Præpoſitum *ex cap. 65.* & nihilominus hos ſolennem profeſſionem emittere dubitat nemo.

415 Interim hic notandum eſt, hoc decretum D. Edmundi eſſe nimis rigidum, & contra Regulam, & contra rationem charitatis: quia ouis iudicanda eſt contagioſa, non cùm ſemel ceciderit, ſed cum frequenti ſcandalo nociua fuerit alijs. Ideò propter peccata ſecreta nunquam debet publica adhiberi medicina. Præterea ex ſtatuto æterno, atque irreuocabili noſtræ Legis *c. 28.* debet frequenter corripi pro qualibet culpa: *pro qualibet culpa* dixit S. Pater, vt noſceremus omnes non pro vna Fratres eſſe vitandos, ſed potiùs reducendos: poſteà, ſi monitiones contempſerint, debent excommunicari excommunicatione Monaſtica, hoc eſt, ſegregari in menſa, in choro, in manuum labore quotidiano: nihil enim aliud ſonat excommunicatio Monaſtica; nec hic agit S. Pater de excõmunicatione Pontificia. Si adhuc fuerit incorrigibilis, verberibus excipiatur; quod ſi adhuc ſit pertinax, fiant orationes publicæ pro ipſo: quod ſi nec hæ ſuffecerint, eijciatur de Monaſterio. Ergo contra mentem Sancti Patris eſt, ad eiectionem feſtinare omiſſis medijs, quæ clementiſſimè decreuit.

416 Addo *ſtando vni & ſoli Regulæ* Abbatem ad eijciendum Monachum non indigere licentia Abbatis Generalis, ſed ſuorum conſilio: hoc indiget, quia iubetur *cap. 3. Regulæ* conuocare totam communitatem, quando aliqua præcipua agenda ſunt in Monaſterio: & quis neget ex præcipuis eſſe Fratres? Deinceps, ſi conſilio totius communitatis Abbas aliquem eiecerit, vel decreuerit eijcere, non poterit Ciſtertij aut alterius Monaſterij Abbas, neque Vicarius aliquis commutare hoc in aliam pœnitentiam, licèt iudicet id expedire. Ratio eſt per ſe nota: quia in Monaſterijs noſtris ſolus Abbas habet ordinariam authoritatem, Abbas domus Matris extraordinariam, hoc eſt, in genere Appellationis & viſitationis; Abbas verò domus Auiæ immediatè nullã habet. Sic exempli gratia, ſi propter culpas eijceretur ex monaſterio N. aliquis aut Monachus, aut Frater, ſi nemo reclamaret, nullus alter Abbas id poſset examinare, ſiue irritum facere. Eiectus poſset ab illa ſententia appellare ad Patrem-Abbatem immediatum, inde ad mediatum, & poſteà, ſi opus eſset, etiam ad Ciſtercienſem: ſed ad huc nullatenùs omiſſis alijs. Verùm de hoc, cum ago de authoritate Abbatis Ciſtertij, plura ediſsero, non vnicuique peruia, nec omnibus nota; reſumo ea quæ *in Montiui iuris quæſt. 2. art. 3. & 4.* expendi. Conſonat huic reſolutioni, ſicut & alijs meis, noſter D. D. Matthæus Pilart ex Religioſo Dunenſi Abbas Claræuallẽſis. Videatur *ſui ſpeculi cap. 18.* vbi ex ſolidiſſimis principijs hanc examinat difficultatem. Conſultò dixi *ſtando Regulæ*, ſingulæ enim S. Benedictis Congrega-

gregationes ſuas habent leges circa hæc ipſam materiam, quas qui acceptarunt, debebunt neceſſariò obſeruare. Sed nec ipſæ dicendæ in Regulam noſtram impingere; multa enim illa priuilegia concedit, nec inhibet quòd eis cedamus, ſi viuere ſtrictius voluerimus.

417 *Secunda ratio* contra Conuerſos, deſumitur ex forma profeſſionis, hoc modo. Illa diſtinguuntur, quæ habent formã diuerſam; profeſſiones Monachorum & Conuerſorum habent formam diuerſam: ergo diſtinguuntur. Minorem probant, quia forma profeſſionis Benedictinæ eſt hæc: *Ego N. promitto ſtabilitatem meam, conuerſionẽ morum meorum, & obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti Abbatis*, &c. Forma autem, quam Conuerſi ſeruant, eſt hæc: *ego Frater N. promitto tibi Domine N. obedientiam de bono vſque ad mortem*, &, vt in aliquibus Monaſterijs eſt in vſu, debet addi: *ſecundum Regulam Beatiſſimi Patris noſtri Benedicti*. Atqui hæ ſunt diuerſę formæ: ergo.

418 Inuentor iſtius rationis ſanè nõ penetrauerat difficultatẽ: quare ad maiorem dico, verè profeſſionem Monachorum diſtingui ſpecie à profeſſione Fratrum-laicorum, non ſecũdum obiectum, ſed ſecundum finem; quia horum finis eſt vita actiua, aliorum contemplatiua: in ratione obiecti, ſcilicet virtutum Religioni eſſentialium vniuocè conueniunt, & vniuocè ſunt Religioſi; vt Homo, & Leo qui in ſententia communi vniuocè ſunt animalia. Ex hac diſtinctione ſpecifica non bene probatur, Conuerſos non eſſe verè Religioſos: quia ratio Religionis eſt ipſis generica: ſicut enim Leo ſpecie diſtinctus ab Homine participat rationem Animalis, & hanc vniuocè: ſic ſimiliter Conuerſus, licèt ſpecie diſtinguatur à Monacho, participare poterit vniuocè genericam rationem Religioſi.

419 Prętereà: Licèt ſit verum, Conuerſos à Monachis ſpecie diſtingui; hoc tamen non probat ſufficienter hæc ratio: quia ſupponit formam profeſſionis eſſe verba, quod eſt falſiſſimum: Profeſſio enim eſt contractus politicè Eccleſiaſticus, ſimilis Matrimonio & alijs Ciuilibus. Materia eſt traditio, Forma eſt acceptatio, quibuſcumque verbis aut ſignis exprimatur: vnde antiquitus in multis Religionibus nihil dicebat profitens, ſed ſolum accipiebat veſtes profeſſorum, & iudicabatur verè profeſſus; quia in petitione talium veſtium, in donatione & receptione, ratio contractus ſat intelligebatur. Imò hodiè expreſsè ſolam obedientiam, paupertatem & caſtitatem tacitè profitemur. Et ideò certiſſimum eſt, verba nunquam eſſe formam profeſſionis, ſed formulam, hoc eſt ſolennitatem: vnde ſi Frater-laicus vteretur formula Monaſterijs Hiſpaniæ, non ideò diceretur Monachus, ſed Conuerſus; quia intentio ipſius publica, fuit virtutes Religioni eſſentiales dirigere ad vitam actiuam, non ad contemplatiuam; & vt ipſe intendebat, ita fuit acceptatus. Eodem modo ſi per errorem, aut etiam cum aduertentia, Choriſta pronuntiaret formulam Conuerſorum, modò vellet fieri Choriſta, & Abbas illum quà talem acceptaret, verè eſſet profeſſus: quia daretur vera materia & forma Religioſi contractus, & differentia eſſet in parua hacque nullo iure requiſita ſolennitate.

420 Addo, formulas has nullatenus ideo diſtingui, quia Conuerſus dicit *vſque ad mortem*, Monachus *ſtabilitatem*: vterque enim exprimit virtutem Obedientiæ, vterque explicat ſe non vouere Obedientiam abſolutè, ſed ſecundùm Regulam; vbi ergo eſt diſtinctio? fortè in illa particula, *de bono*: an Monachus promittit obedientiã de malo? Maneat ergo ratum, hanc rationem nihil probare. Ergo ex mera profeſſionis formula colligi nequit, Belgij Con-

Conuerſos non *Fratres-laicos*, ſed ſolummodo *Donatos* eſſe.

Accedit in fauorem Conuerſorum, quod Ciſtercienſe generale Capitulum decreuerit debere eos in poſterum profiteri in formula Monachorum: vnde videtur colligi, Capituli Patres indicaſſe illos eſſe veros Religioſos. Cęterùm ſicut ex diuerſitate formulæ non conuincebatur eos non eſſe Religioſos, ſic nec ex identitate conuincetur Religioſos eſſe: illa enim verba & ſimpliciter & ſolenniter proferri poſſunt.

421 *Tertia ratio* nititur in Hiſtoria, vultque ex Conuerſorum origine conuincere, illos non eſſe Religioſos. Patres noſtri è Moliſmo egreſſi (legitur in antiquis Hiſtorijs Ordinis) cùm eſſent in nouo Monaſterio (tale fuit tunc temporis Ciſtertio nomen) ſub Alberico primo poſt Robertum Abbate, ſumma egeſtate laborabant. Cæperunt inter ſe diſquirere, quibus poſſent medijs, & hoſpites, ad ſe venientes, & peregrinos excipere, & tractare iuxta deuotionem ſuam, ac diſpoſitionem Regulæ ſanctiſſimi Legiſlatoris. Decreuerunt debere admitti Conuerſos, qui curam famulorum gererēt, præficerentur grangijs & ruſticis domibus, qui paſcerent pecora, agros colerent, & de re extrinſeca curarent. Indicabant enim Patres pientiſsimi, non eſſe congruum vocationi Monaſticæ, extrinſecis rebus implicari. Admiſerunt Conuerſos proteſtantes ſe illos vt Fratres admittere, tractaturos ſicut ſemetipſos, excepto Monachatu. Ex hac proteſtatione aliqui ſic argumentantur. Receperunt, proteſtantes illos non eſſe Religioſos; ergo tales non ſunt.

422 Reſpondeo, illos eſſe proteſtatos, ſe non admittere Conuerſos ad participationem Monachatus, ſimul exprimentes ſe illos admittere ad participationem omnium aliarum rerum: ergo ad participationem Religionis; quia licet non eſſent Monachi, poſſent tamen eſſe Religioſi. Ideò ſicut qui negat Hominem; non negat Animal; ſic neque qui negat Monachum, negat Religioſum. Quamobrem hac Hiſtorica declaratione non ſolùm colligitur veritas, ſed & roboratur: & ex eadem pro mea reſolutione ſic arguo. Conuerſi participant quidquid eſt in Choriſtis, excepta ratione Monachatus: atqui hac formalitate præſciſa, remanet adhuc eſsentia Religionis, quæ eſt generica: ergo Conuerſi participant rationem Religionis. Hæc dixero, ſupponendo hanc proteſtationem eſse authenticam, cuius nondum vidi protocolum. Maneat igitur, hanc rationem tertiam potiùs probare Conuerſos eſſe Religioſos, quàm non eſſe.

423 *Quarta ratio*. Volunt aliqui adhuc admiſſis Conuerſis, Conuerſas eſſe Donatas. Quia Pius V. in Bulla, quæ incipit *Cura Paſtoralis officij*, edita anno 1566. præcipit, ne Conuerſæ vlteriùs admittantur: quod ſi admittãtur, declarat earũ Profeſſiones eſſe irritas.

Reſpondeo, non conſtare certò, hãc Bullam eſſe acceptatam in Belgio: conſtare certò, non acceptatam in Hiſpania, ſic nihil immutauiſſe. Præterea ex hac Bulla deducitur argumentum efficaciſſimum, ad probandum Conuerſas verè eſſe Religioſas, quia ſi Pontifex decernit eſſe irritas Profeſſiones futuras, videtur ratificare præteritas, iuxta illud: *Exceptio firmat regulam in contrarium*. Hac igitur ratione quarta potiùs defenditur Conuerſarum ſolennitas, quàm impugnatur. Vnde reor Conuerſas, quæ in manibus Prælati vota emiſerunt, ſolennem contractum iniuiſſe, ſi partes in hoc conuenerint: ſed de hoc inferiùs.

RESOLVTIO.

424 Probaui rationes aduerſariorum nihil conuincere contra Belgij Conuerſos, atque ideò, ijs non obſtantibus,

tibus, poſſe eos eſſe Religioſos, & poſſe non eſſe, ſi alterentur aliæ circumſtantiæ, à quibus petenda eſt reſolutio. Has igitur altè concipiens.

425 Reſpondeo primò, poſſe dari in Ordine noſtro Fratres laicos, qui ſint re verà Religioſi, vouentes Deo tres eſsentiales virtutes in ordine ad actiuam vitam. Et hoc nullus poteſt deducere in controuerſiam rationabilem.

Secundò dico, hanc quæſtionem eſſe de facto, & ideò opus eſſe examinare circumſtantias omnes profeſſionis. Vt hæc ſit ſolennis, requiruntur præter annum probationis & alias communes circumſtantias, vouentis & acceptantis voluntas, & expreſſa promiſſio. Maioris claritatis cauſa agamus in particulari.

426 Frater N. habuit intentionem emittendi tria ſolennia vota, quæ re verà emiſit, ſecundum Conuerſorum formulam. Abbas de ſuorum conſilio ipſum admiſit & incorporauit monaſterio Eſtne profeſſus? Reſpondeo affirmatiuè, quia omnia requiſita ſunt poſita, vt ſit valida & ſolennis profeſſio.

Dices, Abbatem non habuiſſe intentionem recipiendi eum, & incorporandi monaſterio: ſed faciendi id quod debet fieri ſecundum inſtitutiones Ordinis. Verùm hoc non refert: quia relatiua, ſi ambigua ſunt, à correlatiuo determinantur: & ordinis inſtitutio diſponit, æquitatem ſummam debere ſeruari: ergo illius, cui indicitur emittere votum ſolenne, profeſſio debet recipi analoga ſolennitate. Vnde ſi Prælatus voluit facere id quod diſponebat Religio, eſt certum eum ſolenniter ſuis incorporaſſe.

Addis, Abbatem non habuiſse intentionem eum incorporandi, nec eius profeſſionem admittendi; ſed hoc nemini manifeſtauiſſe. Reſpondeo, in tali caſu Fratrem N. eſſe in foro exteriori Religioſum, neque poſſe dimitti: quoniam de oculis nõ iudicat Eccleſia.

Subiungis, talem Prælatum non ſolùm non habuiſſe intentionem recipiendi & adnumerandi aliis Religioſis Fratrem N. ſed etiam hanc intentionem coram teſtibus manifeſtaſſe. Reſpondeo, in tali caſu Fratrem N. non eſſe Religioſum: quia vnus non ſufficit, vt fiat contractus: is enim conſiſtere non poteſt ſine conſenſu vtriuſque partis. Addo tamen in tali Abbatem caſu eo omnino modo peccaſſe ac ſi Choriſtã ſine intentione ad profeſſionem promouiſſet. Fortè in tali caſu poſſet dici defectum ſuppleri ab Eccleſia in decepti innocentis fauorem. Tu examina; quia nihil definio.

Cæterùm ſi in monaſterio ſit ratum, illos qui Conuerſi dicuntur, ſimpliciter & non ſolenniter profiteri, ſi & ipſi à ſuo magiſtro ſic inſtruantur, erunt Donati, non verò Religioſi.

Si dubitetur, omnes procedunt imprudenter: & qui promittit id de quo dubitat; & qui recipit, quod ignorat. Quod ſi dari iſtud dubiũ probari poſſit, & non ſuppetant rationes probabiles pro parte alterutra, dicendum eſt, nec conuerſum eſſe nec Donatum; non enim poteſt contractus iniri de materia non determinata.

Si altera pars dubitauerit, & altera ſatis ſe explicuerit; contractus ſtabit ſecundum alterius determinationem; quia promiſſio & acceptatio relatiuæ ſunt, & alia eſt alterius expoſitio.

Videant igitur, qui Conuerſos habent, quomodò illos admiſerint, & ſecundum hoc iudicent: quia hæc quæſtio, vt vidimus à factò pendet.

DVBIVM ALTERVM.

427 In monaſterio N. veſtitus eſt Donatus A. qui poſt annum profitetur ex errore ſub formula Religioſorum. Voluntas Prælati fuit non recipere votum ſolenne, ſed ſimplex: Donatus A, nunquam

nunquam didicit à Magiſtro, ſe debere votum ſolennè profiteri: poſteà vel ex malitia, vel ex errore, promiſſionem ſuam ſecundum formulam monaſticæ profeſſionis emiſit. Petitur, an Frater A, Donatus ſit, an Laicus-religioſus?

Reſpondeo, inter errorem & malitiam plurimùm intereſſe. Si Frater A, voluit deliberatè votum ſolenne emittere, nec eſt Religioſus-laicus, nec Donatus: ſiue quod idem eſt, nec obſtringitur voto ſimplici, nec ſolenni. Sanè non ſimplici, quia ipſe tale emittere non voluit: non ſolenni, quia hoc noluit recipere Prælatus.

428 Si autem formulam indebitam ex errore aſſumpſit, dicendus eſt vouiſſe votum obedientiæ ſimplex, atque eſse Donatus non Religioſus. Ratio eſt; quia ipſe voluit votum ſimplex emittere, & eius voluntati aſſenſum præbuit Abbas, ideoque in circumſtantijs eſſentialibus contractus ſimplex fiat his vel alijs verbis, non refert, modò verba & reliquæ omnes circumſtantiæ ſimul ſufficiant contrahentium notificare voluntates: profeſſionis enim ſolennis formula ſimpliciter acceptata, non niſi ſimplex obedientiæ promiſſio eſt.

429 Dices, hanc reſolutionem habere locum in Ordine Benedictino, in quo forma profeſſionis eſt generica, & ſtantibus eiſdem verbis, poteſt exponi multifariam. Promittitur *morum conuerſio*. Si hęc promiſſio fiat à Fratre-laico, ſolennis eſt, & includit tres virtutes eſsentiales, & illas ordinat ad exercitia actiuæ vitæ. Si fiat à Choriſta, eaſdem virtutes complectitur, ſed aliò ordinat, nempe ad contemplationem. Si fiat à Donato, eſt promiſſio ſimplex, & ſolùm attingit obedientiam in ordine ad miniſterium & obſequium extrinſecum.

430 Sic ſimiliter, cùm promittis. *Obedientiam de bono*. Si hanc polliceris duabus alijs virtutibus, continentiæ & paupertati ſociatam: quia hæ tres prærogatiuæ eſsentialiter cōnexæ ſunt, & non poteſt vna ſolenniter promitti ſine altera. Si illam ſimpliciter promittis, ſolam promittis, vt & Donati faciunt.

431 Cæterùm hanc reſolutionem in alijs Religionibus habere locum negas; quia expreſsè promittunt tres virtutes. Ergo maioris claritatis gratia ponatur caſus ſic: Quæpiam Benedictina Donata, profeſsa eſt in hæc verba: *Ego B. promitto obedientiam, continentiam, & paupertatem*, voluntas recipientis, omnibus circumſtantijs declarata, erat recipiendi Donatam, ac proptereà ſolùm votum ſimplex obedientiæ. Hoc ſuppoſito, ſupereſt examinare profitentis voluntatem. Si voluit ſolenniter vouere, nihil fecit, propter rationem poſitam *num*.427. Si voluit expreſsè & ex prudenti determinatione, & non ex errore promittere tres iſtas virtutes, dicendum eſt, ad omnes tres teneri voto ſimplici, poſſeque dimitti ſicut aliàs. Sanè ſi intentum ipſius fuit, facere quod Donatæ debent facere, votum ſimplex obedientiæ emiſit, non autem caſtitatis, aut paupertatis; quia non fit validè, quod ex errore: quamobrem ipſa non tenebitur ad obſeruantiam virtutum, quas ex errore protulit, & ex animo noluit profiteri. Litera profeſsionis eſt mortua, ſi deficiat ſincera intentio, à qua vitam recipiat.

DISPVTATIO XXXVIII.

Vtrùm Conuerſi & Conuerſæ, quæ in manibus Abbatiſſæ ſuam ſtabilitatem pollicentur, ſint verè Religioſi.

432 VT meliùs hanc difficultatem haurias, adnotato, non repugnare quod Religioſi & Religioſæ monialibus opitulentur. Curam gerit illarum Confeſsarius, qui eſt verè Religioſus Choriſta, habent Choriſtas Sacellanos, ac ſimiliter poſsunt habere miniſtros Religioſos conuerſos, quia hoc nulla lege interdicitur, & ex natura rei fieri liberè poteſt. Hanc veritatem illuſtrabo aliquibus Reſolutionibus.

RESOLVTIO I.

433 *Poteſt Abbatiſſa veſtire in ſuo Monaſterio, non ſolùm Moniales, & Conuerſos, ſed etiam Fratres-laicos.* Patet, quia nullo iure decernitur contrarium & expediens videtur, vt qui debent Monialibus ſeruire, apud Moniales agant annum probationis: in illo enim vitæ genere debent probari, quod debent profiteri.

RESOLVTIO II.

Nullius Religioſi, aut Religioſæ poſsunt ſolennem profeſſionem recipere Abbatiſſæ; admittere enim profeſſionem, ad Abbates pertinet, aut ad eorum Vicarios. Hæc Concluſio eſt declarata in noſtris definitionibus *diſt.* 15. *c. vltim.*

434 Probatur ſatis clarè. Nemo poteſt profeſsionem recipere, & aliquam perſonam Ordini incorporare, qui caret ſpirituali authoritate: quia hęc profeſsionis ſolennitas, actus iuriſdictionis ſpiritualis eſt: atqui mulier eſt talis iuriſdictionis incapax, ergo ipſa non poteſt recipere alicuius perſonæ profeſsionem. Conſequentia eſt legitima: maior eſt certa: minor eſt expreſsa D. Thomæ *in* 4. *ſent. diſt.* 19. *q.* 1. *artic.* 1. *& diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 1. Subſcribunt omnes fere Doctores, inter quos felicius eam propugnant Argentina *in* 4. *diſt.* 25. *quaſt.* 1. *artic.* 3. *in ſolut. ad* 3. D. Antoninus 3. *par. tit.* 16. *cap.* 7. §. 2. Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 6. Couarruuias *in cap. Alma mater.* Dominicus Sotus *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *artic.* 4. Miranda *tract. de ſacris Monial. quæſt.* 6. *art.* 5. & tandem noſter Camberonenſis Abbas Ioannes Farinatius *diſp. de hac mat. rat.* 6.

435 Fœminas non habere iuriſdictionem ab Eccleſia, conſtat *ex cap. mulierem.* 33. *quaſt.* 5. vbi reſoluitur iuxta ius antiquum, mulieres non poſse ſpiritualia munia exercere. Expreſsiùs id exponitur *c. de monialibus. de ſent. excommun.*

Mulieres de facto Eccleſiaſtica iuriſdictione carent: inquiris tamen, vtrùm illa donari poſsint. Pontifex de potentia ordinaria nulli poteſt fœminæ concedere Eccleſiaſticam iuriſdictionem: ita communiter omnes Doctores. Aliqui aſſeruerunt, eum de abſoluta potentia poſse fœminis concedere authoritatem ſpiritualium. Contrarium tamen ſentire videntur doctiores & meliores Theologi: & probant ex *cap. noua. de pænit. & remiſſ.* vbi Innocentius III. grauiter reprehendit aliquarum mulierum præſumptionem, quæ vole-

bant

bant concionari, quarum occaſione ſic ait: *Licèt B. Virg. Maria dignior & excellentior fuerit Apoſtolis vniuerſis; non illi, ſed iſtis Chriſtus Dominus claues regni cælorum commiſit.* Ex quibus verbis argumentantur ſic: Nihil poteſt Pontifex decernere contra Chriſti voluntatem; Chriſtus noluit quod mulieres haberent authoritatem Eccleſiaſticam; ergo Pontifex nequit ipſis illam concedere. Minorem probant: Quoniam ſi alicui mulieri voluiſſet talem authoritatem concedere, maxime ſuæ matri, quæ præ omnibus fuit benedicta; huic illam non conceſſit: ergo nulli. Minor conſtat ex Innocentio III. & communi reſolutione Theologorum. Sed hæc ipſa ratio videtur negatiuè concludere. aliud enim eſt non concedere, aliud & omnino diuerſum, interdicere.

Obijcies, eſſe quæpiam monaſteria, in quibus Moniales vota emittunt in manibus Abbatiſsæ, & nihilominus validè promittunt.

Reſpondeo, etiam Monialem profeſſionem facere in Choro; & tamen Chorus illam non incorporat communitatis promittere ſolennia vota in manibus Abbatiſsæ, ceremonia eſt, & non pertinet ad ſubſtantiam ſolennis profeſſionis. Vnde bene & docte Pater Petrus Marchantius *diſput. 7. quæſtione 3. concluſ. 2. libelli de poteſt. Epiſc. in Regul. non exemptos.* aſserit, acceptationem talis profeſſionis non dependere à materiali manuum contactu, aut ab Abbatiſsæ verbis, ſed à Prælati poteſtate & præſentia aut phyſica aut morali, expreſsa per præſentiam nudam alicuius Religioſi, nomine Prælatorum adſiſtentis: iſte enim moraliter Nouitiæ profeſſionem nominem Superiorum acceptat, ſiquidem, cum impedire poſſit, illi non contradicit.

RESOLVTIO III.

Omnium, qui emiſerunt vota in manibus ſolius Abbatiſſæ, profeſſio eſt ſimplex, non ſolennis. Nota illud *ſolius* quia ſi Prælati moraliter profeſſionem acceptent non emittitur ipſa in ſoliùs Abbatiſsæ manibus. Hæc reſolutio colligitur ex præcedenti. Ergo nullus Conuerſus apud Moniales, dici debet Religioſus, ſiue quod idem eſt, Frater laicus, qui non vouerit in præſentia Abbatis, aut eius Commiſsarij. Et eodem modo de Conuerſis fæminis philoſophare.

RESOLVTIO IV.

Non omnes Conuerſi aut Conuerſæ Monialium, qui vota emiſerunt in manibus Prælati, cenſendi ſunt Religioſi, atque ſolenniter profeſſi; ſed ſolum illi, qui voluerunt ſolennia vota emittere, quæ de facto ſolenniter acceptauit Abbas, de conſilio monialium. Patet, quia etiam Abbas poteſt acceptare vota ſimplicia.

RESOLVTIO V.

Ex vi voti ſolennis, nullus Religioſus aut Religioſa tenetur obedire Abbatiſſæ: Infertur neceſsariò ex dictis. Quia, vt bene notat Sotus *in 4. diſt. 20. q. 1. art. 4.* & Miranda *tract. de ſacris Monial. q. 6. art. 5. concl. 3.* Abbatiſsæ non ſunt veræ Prælatæ, atque Eccleſiaſtica iuriſdictione Præſides: ſed ſunt Matres-familias, & poſsunt ea omnia præcepta ponere, quæ mater ſuis filiabus.

436 Hinc conſtat: obedientiæ promiſſionem, quę fit Abbatiſsæ vel in profeſsione ipſa, vel poſt ſolennē profeſsionem, non eſse determinationem voti obedientiæ, nec votum nouum ſimplex: ſed quampiam promiſsionem politicam, in qua poteſt ipſa Abbatiſſa diſpenſare. Ex hac obſeruatione

conſtat, Abbatiſſam habere maiorem authoritatem in ſubditas, quàm matrẽ naturalem in filias: quia hæ tenentur obedire genitrici, non tamen ex vi promiſſionis. Conſtat etiam, Abbatiſſam poſſe non ſolùm præcepta imponere, vt poteſt quæ vis mater aut domina: ſed etiam præcipere in virtute obedientiæ, non quidem ſolenniter deuotæ, ſed promiſſæ ſimpliciter, eo modo quo Confeſſarius poteſt, ſi aliqui, ſecularis promiſerit illi obedire in rebus quæ reſpiciunt conſcientiam.

Dices: Si non Abbatiſſæ, cui igitur ex vi ſolennis voti, Moniales tenentur obedire? Reſpondeo, ſuo ordinario Antiſtiti; illi inquam, qui fuerit Monaſterij Pater; illi ſcilicet qui earum ſolennem profeſſionem admiſit poteſtate ordinaria: tenentur etiam obedire ſui Prælati Vicarijs.

437 Petis ſecundò, In quibus rebus ex vi promiſſionis ſimplicis debeant Moniales obedire Abbatiſſæ. Reſpondeo primò, teneri in rebus domeſticis & politicis, hoc eſt, in pertinentibus ad bonum Monaſterij regimen, conſeruationem pudoris & authoritatis. Secundò, in regularibus ex vi illius promiſſionis eas non teneri obedire; niſi expreſſè dicant: *Promitto tibi obedientiam ſecundùm Regulam*, vel alia verba æquiualentia. Ratio eſt clariſſima; quia non promittunt obedientiam Abbatiſſæ qua Prælatæ, ſed quà matri; ipſa etenim Prælata non eſt: quà mater, regularia non poteſt præcipere directè, niſi in ordine ad regimen domeſticum, ſi illi obſeruando proſint. Ideò ex natura rei, promiſſio obedientiæ facta Abbatiſſæ, ad regularia non extenditur; quamobrem, vt ad ea extendatur, opus eſt vt ſubdita expreſſè ſuam declaret voluntatem.

438 Hæc promiſſio facta Abbatiſſæ, poſſet aliquando eſſe votum ſimplex, puta, ſi diceret ſubdita: *Promitto Deo, obedire tibi Domina Abbatiſſa*. Sed hæc formulam non eſt in vſu.

Addis: Si Abbatiſſa in foro interiori non poteſt indicere regularia, quiſnam de facto gubernat monaſterium? Reſpondeo, Abbatem id regere quoad forum interius; per ſe, cùm fuerit præſens; per Vicarium, & poſitas leges, cùm abſens. Ne autem monaſtica diſciplina pereat, expedit Confeſſarium habere delegatam authoritatem; expedit etiam præcipi Abbatiſſæ, ne permittat aliquam impunè committi negligentiam: ipſa omnes diſciplinę regulari ſubijciat, & puniat, ſi obligationibus monaſticis non ſatiſfaciant.

LIBER

LIBER SEXTVS.

De Candidatis Ordinis S. Benedicti.

IPſa diſcurſus ratio poſtulare videtur, vt antequam Monaſticas obligationes definiamus, aliqua de ijs qui ad Ordinem adſpirant, explicemus; quia ſicut nouitiatus præcedit profeſſionem, ita etiam dubia, quæ circa nouitios occurrunt, aliquot reſolutionibus priùs ſunt explicanda. Quæ reſolutiones non ſolùm Benedictinis proderunt, ſed etiam omnibus alijs Religioſis.

TEXTVS.

De filijs nobilium vel pauperum, quomodo ſuſcipiantur. *Cap. LIX.*

439 SI quis fortè de nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer minori ætate eſt, parentes eius faciant petitionem, quam ſuprà diximus, & cum oblatione, ipſam petitionem & manum pueri inuoluant palla altaris, & ſic eum offerant. De rebus autem ſuis aut in præſenti petitione promittant ſub iureiurando, quia numquam per ſe, numquam per ſuſpectam perſonam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſionem habendi. Vel certè ſi hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemoſynam Monaſterio pro mercede ſua; faciant ex rebus quas dare volunt Monaſterio, donationem, reſeruato ſibi, ſi ita voluerint, vſufructuario. Atque ita omnia obſtruantur, vt nulla ſuſpicio remaneat puero, per quam deceptus perire poſſit (quod abſit) quod experimento didicimus. Similiter autem & pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus.

DISPVTATIO XXXIX.

An pueri à ſuis parentibus deuoti, fuerint verè Nouitij?

440 EX hac ſanctione liquet, olim in vſu fuiſſe, quòd nobilium & pauperum filij offerrentur Monaſterijs, pietatem, vrbanitatem, & ſcientias addiſcendi gratia. Pietas hominē intrinſecum reſpicit, & hunc ad Deum dirigit, atque ideò primo loco debet numerari. Hæc eſt vel ipſa Charitas, vel potius mentis humanæ cæleſtis lux, oriens à Charitate. Eſt verè πᾶν *omne* ille, qui hac luce perfunditur; qui hoc ſplendore Charitatis priuatur, eſt nemo, eſt nihil. Paulus aptiſſimè: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum,* ait, *Charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalū tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: Charitatem autem non habuero*, nihil *ſum*.

441 Homo animal ſociabile eſt, & Monachus non ſociabilis modò, ſed & ſocius; κοινοβίτης, hoc eſt, habitans in communitate. Ideò in Monaſteriis debet vigere politica obſeruantia, quam ſæculares diſcant, & admirentur. Non poſſunt bene plures conuiuere, qui in vrbanè ſe tractant. Ita noſter Legislator iudicauit, cùm de minutiſſimis ciuilitatis circumſtantijs (puta, de reuerentia aſſurrectione, & agnominibus) ſancierit leges.

442 Scientias fuiſſe traditas in monaſterijs Benedictinis, certum eſt: non enim tot homines habuiſſent illuſtres, ſi literas non tradidiſſent. Præcipuos recenſui *num.* 340. illos, inquam, quin ſunt Principes cuiuſque diſciplinæ, præter quos floruerunt innumerabiles Doctores, qui fuerunt Mundo oculi, & ſunt ſydera Empireo Florent hodie Viri doctiſſimi, quorum nomina vix abaco prolixo caperentur.

In Monialiū Cœnobijs hæc eſt cōſtans cōſuetudo in Hiſpania. Offerūtur Deo ſatis tenera ætate virgines, vt ei ſeruiāt, & diſcant modeſtiam religioſam. Sæculari habitu in Monaſteijs aliæ veſtiuntur, aliæ religioſo, quouſque vel ſuam ſtabilitatem voueant, vel nubant. Ex habitu ipſa differentia, conſtat Patrum intentio. Habitum monaſticum ſumunt illæ, quæ ex parentum intentione ſunt permanſuræ in Religione: nō ſumunt, quę tantùm offeruntur ad tempus. Offerræ ad tempus filios, iuniorum ſpeculatio eſt & veteribus Benedictinis incognita: quia vt conſtat ex hoc capite Regulæ, Parentes debebant iurare, ſe numquam illi puero quidpiam quomodolibet daturos eſſe, ne & ipſe haberet occaſionem actiones ſuas mutandi aut alterandi; ergo parētes, quantum erat ex ſe, offerebant filios non ad tempus, ſed in perpetuum. Vide Mirand. *tract. de ſacris Monial. quæſt.* 8. *artic.* 2.

443 Hæc ſanctio vtilis eſt & oblatis pueris, & Monaſterio ipſos acceptanti. Pueri lucrantur inſtructionem: Monachi diſcipulos, futuros ſplēdori Mundo integro. Ex vi huius legis multis titulis nobis debetur D. Thomas. Landulpho Aquitanenſi Comite & Theodora Neopolitana nobilibus parentibus naſcitur. Quinquennis, Monachis S. Benedicti Caſſinenſibus cuſtodiendus, inſtruen-

inſtruendus, & erudiendus traditur: quouſque Neapolim ſtudiorum cauſa veniens, Fratrum Prædicatorum Ordini adſcribitur, & reddit celebrem Ordinem vniuerſum. O felix Regulæ Benedictinæ Caput, quod fuiſti in cauſa, vt nobis ille ſapientiæ Dei theſaurus, inſtituendus diuinitùs concederetur! Moriturus Doctor Angelicus non obliuiſcitur Ordinis Benedictini. In Foſſęnouæ Monaſterio denaſcitur quinquagenarius, Nonis Martij milleſimi, ducenteſimi, ſeptuageſimi quarti. Fuerunt & alij plures, qui in infantia noſtris Cœnobijs ad inſtitutionem ſunt traditi, & in ſenectute vita & ſcriptis floruerunt. Sufficiat ex omnibus vnum Angelicum Doctorem ſelegiſſe.

444 Illa verba, *Promittant ſub iureiurando*, nempe parentes pueri, fortia ſunt; & dubitas, Vtrùm parentum votum poſſit filios obligare ad ingreſſum Religionis.

Reſpondeo, illos pueros taliter à ſuis parentibus deuotos fuiſſe verè Nouitios. Conſtat ex *cap. firma, cap. addidiſtis, cap. Monachorum, cap. quicumq; cap. cum ſimus*, & ex pluribus alijs. Ita citandus Sylueſter & Miranda *in Man. Prćl. qu. 20. art. 6. concl.* 1. D. Thom. aſſerit, hanc oblationem eſſe licitam, ita 2.2. *q.* 189. *art.* 5. & *quodl.* 3. *qu.* 5. Quod limitat bene Syluester *verb. Religio* 2. *qu.* 10. dicens, id poſſe fieri, niſi expreſſa Religionis alicuius lege prohibeatur. Ita apud nos multę Moniales habent ferè eoſdem annos religionis, & ætatis, quæ adhuc infantes fuerunt deuotæ Monaſterio. Hoc oblationis genus iam eſt obſoletum inter Monachos: quia experientia docuit, eſſe ſubditum inconuenientibus.

445 Attamen infantes ſic deuoti à parentibus, ſine nota aliqua, imò laudabiliter, cùm ad ætatem pubertatis veniebant, poterant Religionem illam deſerere & reuerti ad ſæculum, aut tranſire ad aliam Religionē, ſi iudicabant cōuenientiùs. Sic D. Tho. ſtudiorū cauſa legitimè potuit, imò debuit diſcedere, non obſtante parentum oblatione: quia Angelica illa mēs Magiſtris ſuis doctor debebat publicis Vniuerſitatibus eſſe admirationi, & mundo magiſterio, quæ ſi in Caſſinenſi monaſterio manſiſſet, fuiſſet minùs culta & quaſi abſcondita: careretq; Eccleſia excellentiſſimis libris quos perpetuo choro addictus, ſcribere non potuiſſet. Eſt ratio manifeſta: quia licet Caſſinenſes pro tempore haberent doctiſſimos viros, Doctoris tanti ingenium indigebat expeditiore tempore. Propterea iuſtè & legitimè ipſi à Caſſinenſibus perſuaſum reor, vt excoleret ingeniū Neapoli, & tranſiret ad Prædicatores, vbi & cognoſci, & liber à perpetuī chori obligatione qotidiana, meliùs Deo Eccleſiæ & populo ſeruire poſſet. Monaſterium deuotos pueros potuit dimittere, vel ante vel poſt pubertatis annos vt etiam quoslibet Nouitios. Videatur Syluester *verb. Religio* 2. *qu.* 10. & 13. vbi expendit circa oblationem huiuſcemodi curioſas aliquot difficultates.

TEXTVS.

De Diſciplina ſuſcipiendorùm Fratrum. *Cap. LVIII.*

446 Nouiter veniens quis ad conuerſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus. Sed ſicut dicit Apoſtolus, probate ſpiritus ſi ex Deo

Deo ſunt. Ergo ſi veniens perſeuerauerit pulſans, & illatas ſibi iniurias, & difficultatem ingreſſus poſt quatuor aut quinque dies viſus fuerit patienter ferre, & perſiſtere petitioni ſuæ; annuatur ei ingreſſus, & ſit in cella hoſpitum paucis diebus. Poſtea autem ſit in cella Nouitiorum, vbi meditetur & manducet & dormiat. Et Senior ei talis deputetur, qui aptus ſit ad lucrandas animas: qui ſuper eum omninò curioſè intendat & ſolicitus ſit, ſi verè Deum quærit, ſi ſolicitus eſt ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura & aſpera, per quæ itur ad Deum: Et ſi promiſerit de ſtabilitate ſua perſeuerantiam, poſt duorum menſium circulum legatur ei hæc Regula per ordinem, et dicatur ei. Ecce lex, ſub qua militare vis: Si potes obſeruare, ingredere? ſi verò non potes, liber diſcede. Si adhuc ſteterit, tunc ducatur in ſupradictam cellam Nouitiorum, et iterum probetur in omni patientia. Et pòſt ſex menſium circulum, relegatur ei Regula, vt ſciat ad quid ingreditur. Et ſi adhuc ſtat, poſt quatuor menſes iterum relegatur ei eadem Regula. Et ſi habita ſecum deliberatione promiſerit ſe omnia cuſtodire, et cuncta ſibi imperata ſeruare, tunc ſuſcipiatur in Congregatione, ſciens lege Regulæ conſtitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monaſterio, nec collum excutere de ſub iugo Regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit recuſare aut ſuſcipere.

Suſcipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, et conuerſione morum ſuorum, et obedientia coram Deo, et Sanctis eius; vt ſi aliquando aliter fecerit, ab eo ſe damnãdum ſciat, quem irridet. De qua promiſſione ſua faciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum Reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis. Quam petitionem manu ſua ſcribat, aut certè ſi non ſcit literas, alter ab eo rogatus ſcribat, & ille Nouitius ſignum faciat, & manu ſua eam ſuper altare ponat. Quam cum poſuerit, incipiat ipſe Nouitius mox hunc verſum: Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea. Quem verſum omnis congregatio tertiò reſpondeat adiungentes, Gloria Patri. Tunc ipſe Frater Nouitius proſternatur ſingulorum pedibus, vt orent pro eo: & iam ex illa die in congregatione reputetur. Res ſi quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta ſolenniter donatione conferat Monaſterio, nihil ſibi reſeruans ex omnibus: quippe qui ex illa die, nec proprij corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat. Mox ergo in oratoria exuatur rebus proprijs, quibus

veſtitus

veſtitus eſt, & induatur rebus Monaſterij. Illa autem veſtimenta, quibus exutus eſt, reponantur in veſtiario conſeruanda: vt ſi aliquando ſuadente diabolo, conſenſerit vt egrediatur de Monaſterio (quod abſit) tunc exutus rebus Monaſterij, proijciatur: illam tamen petitionem, quam deſuper altare Abbas tulit, non recipiat, ſed in Monaſterio reſeruetur.

447 *Haec Sanctiſſimi Patriarchæ ordinatio ad literam ſeruatur à Ciſtercienſibus: pro cuius clariore intelligentia, adnotato, aliud eſſe, recipere inſtruendos pueros, aliud veſtiēdos habitu regulari. Inſtruendi recipiuntur etiam quando non habent vſum libertatis: non tamen veſtiuntur habitu Nouitiorum, antequam Prælatum ſolicitent, & obtineant. Qui deſiderans ſeruire Deo, fugiens mundi pericula, confugit ad obſeruantiam Ciſtercienſem examinatur ab Abbate vel ex eius cōmiſſione, ab aliquo pro atque prudenti viro, vtrùm bono ſpiritu ductus veniat ad religionem, an ex motiuo humano; non enim poterit tam ſeueræ diſciplinæ ſubiacere, qui ex Deo non fuerit. Aliquibus diebus eſt in cella hoſpitum, ſcilicet octo vel decem. Si cenſeatur habilis & monaſtico habitu dignus, committitur Magiſtro Nouitiorum, vt cū alijs Nouitijs agat, ad chorum veniat, & bene mores communitatis videat, antequam veſtiatur. Poſtquam veſtitus eſt quaternis menſibus, liberæ Monachorum committitur approbationi. Regula ipſi diebus ſingulis legitur in Capitulo, vt non laboret ignorantia. Si pro tertia vice poſt duodecim expletos menſes, à communitate ipſa admittatur; ſolenniter eum Dominus Abbas incorporabit monaſterio, vouentem morum conuerſionem monaſticam, nempe ſecundum tres virtutes ſubſtantiales, Caſtitatem, Obedientiam, & Paupertatem. Circa Nouitiorum regimen aliquæ ſunt difficultates, quæ expenduntur ſequentibus diſputationibus.*

TEXTVS.

De Sacerdotibus, qui voluerint in Monaſterio habitare. *Cap. LX.*

448 Si quis de ordine Sacerdotum in Monaſterio ſe ſuſcipi rogauerit, non ei citiùs quidem aſſentiatur, Tamen ſi omnino perſtiterit in hac ſupplicatione, ſciat ſe omnem Regulæ diſciplinam ſeruaturum, nec aliquid ei relaxabitur, vt ſit ſicut ſcriptum eſt: Amice ad quid veniſti? *a* Concedatur ei tamen poſt Abbatem ſtare, aut benedicere, aut Miſſas canere; ſi tamen iuſſerit ei Abbas. Sin alias, nullatenus aliqua præſumat, ſciens ſe regulari diſciplinæ ſubditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. *a* Si fortè ordinationis aut alicuius rei cauſa fuerit in Monaſterio, illum locum attendat,

quan-

quando ingreſſus eſt in Monaſterium, non illum, qui ei pro reuerentia Sacerdotij conceſſus eſt. Clericorum autem ſi quis eodem deſiderio Monaſterio ſociari voluerit, loco mediocri collocetur: ſi promittit tamen ipſe de obſeruatione regulæ, vel propria ſtabilitate.

449 Sacerdoti roganti ſuſcipi, non citius aſſentiendum eſſe, docet noſter Pater Sanctiſſimus, & meritò: quoniã experientia nos docuit, Sacerdotes leniter admiſſos, fuiſſe ſummo oneri cõmunitatibus. Iuuenes in nouitiatu libenter video, ſenes non video: quia iuuenes habent multa quæ diſcant, quæ ſenes doceri non potuerunt, quouſque dedicerint contraria. Non debet Sacerdos excludi ſi dignus ſit; debet autem habere optimas qualitates vt dignus habeatur. Si puer aliquis in nouitiatu non ſit humilis, Magiſtri quatuor verbis terrebitur, et humiliabitur verberibus, ſi malis. Si ſuperbia efferatur Presbyter, vix eſt capax remedij. Magiſtri non libenter eos puniunt; puniti furiũt, impuniti inſoleſcunt; & ipſa Sacerdotij dignitas, quæ ſanctiores eſt apta eos reddere, abutentibus eſt ſuperbiæ occaſio, atque motiuum vanæ gloriæ. Pueris regendis, docendis, inſtruendis Magiſter reperietur aptus in monaſterio qualicumque, gubernandis & docendis ſenioribus, quis in mundo aptus, ipſi ſæpius ſe ſomniant doctiores ſuis Magiſtris: illam viuendi normam, quã olim obſeruarunt, aut aptiorem & Deo gratiorem æſtimant, aut ſaltem dediſcere non poſſunt. Ideò in noſtris monaſterijs ſenior rarus admittitur, qui ſi admittitur, in omni patientia, & humilitate probandus eſt, & regulari diſciplinæ ſubijciendus vt reliqui, non enim Deum quærit, qui poſtulat ſanctæ Regulæ leges relaxari.

450 Vt de Sacerdotibus Benedictus, ſic etiam de reliquis philoſopharer. Ne admittantur ſeniores, aut dignitate, aut ſubſtantia, aut ſanguine excellentes, niſi prius exhibuerint ſpecimen humilitatis. Nobiliores difficilius ſunt humiles, & qui ſincerè humilis non eſt, non eſt aptus monaſticæ conuerſationi.

Sacerdos, Princeps, aut Magnas, ſi ſemel admittatur, ſit inter alios Nouitios, vt reliqui tractetur pro ſimilibus negligentijs eidem pœnæ ſubijciatur cui alij, gradum veſtitionis ſeruet, & ſi humilis & patiens non ſit, eliminetur.

Plus damni exemplo & perſuaſione infert, qui pollet authoritate nobiliore. Ergo Sacerdotes & Principes aut in monaſterio non ſint, aut agant vitam exemplarem, quæ reliquos inſtruere poſſit. Illorum qui eminent operationes millenis oculis reſpiciunt vniuerſi, imò ad eorum imperium componuntur. Reus ergo erit ille Abbas qui permiſerit domi ſuæ eminere aliquem, qui ſit ſcandalo congregationi.

a *Sacerdotes, ſi cauſa exigat, poſſunt conſtitui nobiliore loco. Expendo* lib. 4. diſp. de Monach. ſpecieb. in eodem Monaſterio, concl. 3.

TEXTVS ex cap. 61.

De Monachis peregrinis, qualiter ſuſcipiantur.

451 Si quis monachus peregrinus de longinquis Prouincijs ſuperuenerit, ſi pro a hoſpite voluerit habitare in Monaſterio, & contentus

tentus fuerit conſuetudinē loci, quam inuenerit, & non fortè ſuperfluitate ſua perturbat Monaſterium; ſuſcipiatur quanto tempore cupit. Si qua tamen rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprehendit, tractet Abbas prudenter, ne fortè ad hoc ipſum, eum Dominus direxerit. Si verò poſtea voluerit b ſtabilitatem ſuam firmare, non renuatur talis voluntas, & maximè, quia tempore hoſpitalitatis potuit eius vita dignoſci. Quod ſi ſuperfluus, aut vitioſus repertus fuerit tempore hoſpitalitatis, non ſolùm non debet ſociari corpori monaſterij: verum etiam dicatur ei honeſtè c vt diſcedat, ne eius miſeria etiam alij vitientur. Quod ſi non fuerit talis, qui mereatur proijci, non ſolum ſi petierit ſuſcipiatur congregationi ſociandus: verū etiā b ſuadetur vt ſtet: vt eius exemplo alij erudiantur: Et quia in omni loco vni Domino ſeruitur, vni Regi militatur. Quem etiam ſi talem eſſe perſpexerit Abbas, liceat eum in ſuperiori d aliquantulum loco conſtituere. Non ſolum autem monachum, ſed etiam de ſupraſcriptis gradibus Sacerdotum, vel Clericorum, ſtabiliri poteſt Abbas in maiori, quàm ingrediuntur loco: ſi eorum talem perſpexerit eſſe vitam. Caueat autem Abbas, ne aliquando de alio e noto monaſterio monachum ad habitandum ſuſcipiat, ſine conſenſu Abbatis eius, aut literis commendatitijs: quia ſcriptum eſt (Marc. 7.) *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.*

a *Diſtinctio hoſpitis & filij in eodem monaſterio, quæ ? expenditur nu.* 563. *An teneātur hoſpites ſeruare præcepta primi Abbatis, an ſecundi,* ibid. *vbi reſoluuntur dubia, hac rerum tempeſtate frequentiſſima et longè neceſſaria.*

b *Monachus qui tranſit ex vno ordine ad alium, non tenetur emittere de nouo tria ſubſtantialia vota; quia hæc iam emiſerat in prima Religione vni Deo, non ſuo Antiſtiti, & ita vnus Deus per ſe, aut per ſuum Vicarium poteſt illum abſoluere: tenetur tamen promittere omnia illa quæ nondum promiſit (puta ſi ſecunda profeſſio differat à prima in aliqua circumſtantia eſſentiali) tenetur etiam promittere ſtabilitatem in ſecunda religione & obedientiæ votum determinare & contrahere ad ſecundū Prælatum.* Vide à n. 541. *Idem à fortiori dicendum eſt de illo qui non ordinem, ſed monaſterium mutat.* Conſule num. 563. *& deinceps.*

c *In dimittendis illis omnibus, qui nocere poſſint Congregationi, habet D. Benedictus liberrimam reſolutionē. Nō debet retinere in clauſtro nouitius, hoſpes, aut monachus qui non expediat. Quicumque alijs nocet, vrbanè dimittatur & cōmunitas libera maneat. Sed de hoc vberius, cum de Nouit. agon.* 470.

d *Poteſt Abbas, ſi cauſa ſubſit, incorporatum hoſpitē ad altiorē gradū promouere. Sedet communiùs ſecūdum tēpus ſuæ profeſſionis in primo monaſterio niſi fortè aut eius vita, doctrina, aut qualitas maius quid exigere videatur.*

e *De noto monaſterio nullus debet recipi ſine literis cōmendatitijs ſui Abbatis: de ignoto monaſterio aliter D. Benedict. philoſophatur. Huic difficultati lucē clariſſimā ex D. Bern. dabim⁹ n.* 583.

DISPV-

DISPVTATIO XL.

Reſolutiones aliquot, exponentes difficillima dubia, quæ circa nouitiorum regimen, approbationemque moueri ſolent.

452 RECipere Nouitios in quocumque Ordine, ille Prælatus poteſt, cuius anteceſſores hoc fecerunt, laudabiliter, modo ipſe non habeat legitimam limitationem. Ita Panormitanus Abbas *in cap. ad Apoſtolicam, de Regula.* Subſcribit Miranda *in Manuali Præl. qu. 15. art. 1. concluſ. 1.* Vterque vtitur argumento efficaci. Quia *in capite finali de reg. libr. 6.* aſſeritur, Bonifacium VIII. conſultum de ſimili difficultate, iuſſiſſe examinari conſuetudinem. Hęc non eſt petenda ab aliis Ordinibus ſeu Monaſterijs: quia vbique ſunt diuerſæ leges, ex quibus etiam diuerſiſſimæ praxes oriuntur. Conſideratis igitur noſtris legibus, & auitis moribus, hanc materiam Concluſionibus nonnullis illuſtrabo.

PRIMA CONCLVSIO.

Prælatus ſolus, ſtando puræ Regulæ ſine conſenſu Conuentus poteſt Nouitios veſtire.

Probatur 1. quia ſic eſt in vſu. In nullo Monaſterio totius Congregationis Hiſpanæ conuocantur Monachi expoſituri, vtrùm quis recipi debeat, aut non. Abbas vnus eum admittit & congregantur Religioſi, vt ritu ſolenni, ipſis præſentibus, veſtiatur.

Dices, in Hiſpania conſuli Conſiliarios, qui vicem gerunt Communitatis. Reſpondeo, Conſiliarios Abbatis in Hiſpania non ſemper habere vocem deciſiuam: & ſi aliquando habeant, non ſunt Vicarii Communitatis, ſed quaſi Abbatis Coadiutores, vnde Abbas Hiſpanus, & Conſiliarii ſimul, æquiualent vni Abbati Germano, aut Belgæ: atque ideo, quæ in Hiſpania poſſunt Abbas & Cōſiliarii facere tota communitate in vita, hoc poteſt in aliis prouinciis Abbas facere, etiam ſuis Religioſis inuitis, Abbates enim aliarum prouinciarum, non habent aſſeſſores. Præterea, eſto in Hiſpania conſiliarii ſint Communitatis Deputati: quid inde? aut fallor, aut ſequitur veſtire Nouitium eſſe rem parui ponderis, & ideò debere omnes Religioſos conuocari, aſſumptum probo, quia capite tertio Regulæ indicitur vt *quotiens aliqua præcipua agenda ſunt in Monaſterio conuocet Abbas omnē congregationē, et dicat ipſe vnde agitur. —— Si qua verò minora agenda ſunt in Monaſterij vtilitatibus, ſeniorum tantùm vtatur conſilio.* Subſumo. Atqui Ciſtercienſes Hiſpani veſtiunt Nouitios & conſilio Seniorum, hoc eſt Conſiliariorum ſolummodo: ergo in eorum ſententia veſtire nouitios res leuis eſt, & idcirco fieri poteſt inconſulta ipſa Communitate.

Probatur ſecunda ratione. Quia Abbas poteſt proponere ſolenniter quemcumque, vt Communitas admittat aut non: veſtire autem Nouitium nihil eſt aliud, quàm ſolenniter illum proponere Conuentui, vt habitis aliquibus deliberandi menſibus, definiant an admitti debeat, an dimitti.

453 Quiſpiam Abbas conſuluit ſuos Religioſos, vtrum deberet recipere talem Nouitium. Petitur an debeat ſtare decreto ſui Conuentus.

Reſpon-

Reſpondeo, ſtando Regulæ rigori, talem Antiſtitem ſuos conſuluiſſe, non ex obligatione, ſed ex vrbanitate; ac propterea videretur inciuilis, ſi in tali caſu contra omnium votum admitteret. Cæterum, ſi iuſtitiæ rigorem reſpiciamus, poſſet in tali hypotheſi Antiſtes facere quod vellet; quia illi qui ex vrbanitate conſuluntur, & poſſunt non conſuli, conſulti non habent vocem definitiuam, ſed merè conſultiuam. Conſultò reſoluo *ſtando Regulæ rigori*: ſunt enim Benedictinæ congregationes, quæ habent leges & conſuetudines contrarias, quibus prudentiſſimè ſtandum.

In Sancti Vitonis Congregatione, (conſtat ex eius declaratione ad capit. Reg. 58.) nullus veniens recipitur ad ingreſſum Religionis abſque licentia Capituli Generalis, vel Reuerendi Patris Præſidentis, aut Viſitatorum, infra annum & hac licentia habita, non induitur ſine conſenſu maioris partis ſeniorũ Monaſterij, in quo actu Prælatus etiam actiuam vocem habet. Hæc autem obſeruantia non naſcitur ex præſcripto regulæ, ſed ex conſtitutione ſingulari, quæ alios non obligat.

454. Etiam Abbates in Congregatione Hiſpaniæ non accipiunt Nouitios ſine Reformatoris licentia, ſic vocant Generalem. Sed hæc licentia, vt attentè obſeruaui, reſpicit Religioſorum numerum, non qualitatem: quia hæc cõmittitur Abbati, & Conſiliarijs illius examinanda. Sanè licentiam Reformatoris ſolùm numerum Monachorum attendere, ex eo clarè colligitur, quòd concedatur in genere & præuiè pro recipiendis duobus, vel tribus indeterminatis: & in virtute iſtius licentiæ ex ſolicitantibus eligit, ſecundùm copiam habitam à Generali. Non poſſunt tamen quos volunt, modò non tranſgrediantur numerum à Reformatore diffinitum, & meritò: quia cùm triennales ſint poſſent Religioſorum numero grauare ſucceſſores: puta, ſi quis intriennij fine plures recipere Nouitios, quàm poſſet Monaſterium alere.

CONCLVSIO SECVNDA.

Non expedit ingredi in Religione ſine matura deliberatione.

Videtur D. Thomas velle exemplo Petri & Andreæ oſtendere, non eſſe neceſſariam deliberationem, vt quiſpiam ad Religionem veniat, quia ingredi Religionem aliquam ſemper eſt bonum. Nihilominus, ſi D. Thomam attentè legas reperies ipſum ſummam deliberationem petere in re tam graui; ſummam voco, non diuturnam, ſed maturam & liberam non ſummi temporis, ſed ſummi conſilij. Petrus & Andreas non diu examinarunt, vtrum deberent ſequi Dominum, ſed altè examinarunt, nec dici poterit, ipſos leuiter nouę doctrinæ credidiſse, ſed ductos rationibus, ſignis, motiuiſque fortiſſimis & efficaciſſimis.

455 Nec ſufficit, Religionem eſse quid bonum, ad hoc vt ſine examine admittatur; quia illa, quæ abſolutè ſunt optima, poſsent eſse mala relatiuè. Aurum, adamas, ignis, ſunt perfectionis nobiliſſimæ: non tamen ideò ſine examine ſunt admittenda: ſed ſunt conſiderandæ circumſtantiæ & finis: quia bona cùm ſint, ſunt inutilia vt comedandantur, vt bibantur, vt miſceantur &c. Sic de ſtatu Religioſo loquor. Optimus eſt abſolutè, non ſemper eſt bonus relatiuè. Non expedit multis Religionem ingredi, multis conuenit; & ideo Religionis qualitas, & hominis ingenium veniunt proportionanda. Es ſeuerè grauis, taciturnus, & amans ſolitudinis, eſto monachus. Ferues zelo concionandi, da nomen Ordini alicui mendicanti. Es incontinens? ergo, inſtruente Paulo, duc vxorem, & Sacramento matrimonij, pericula quæ tuæ fragilitati imminent, prudentiùs temperato. Appende in ſtatera fideliſſima tuas vires, & au-

& auſteritates ordinis, cui deſideras incorporari. Sunt mali Religioſi ſæpè, qui forent ſæculares ſancti. Idcirco in Dei Eccleſia ad idem Cœlum ſunt itinera varia. Sunt ſæculares, ſunt Eccleſiaſtici, ſunt & diuerſæ Religiones, vt eſset locus electioni: nempe vt vnuſquiſque eligeret ſtatum ſibi proportionabilem.

Illi igitur, qui exuberant perſuaſionibus indiſcretis, & inducunt quoſcunque ad Religionis ingreſsum, videant, obſecro, ſe ſupponere humeros oneri immenſo, quoties exponunt aliquem periculo æternæ damnationis. Verè exponunt, quotieſcumque perſuaſionibus nimijs, promiſſionibus, minis, & ſimilibus titulis excedentibus rationis regulas, perſuadent: aut, vt melius loquar, & ſeducunt, & cogunt. Ingreſsuro in Religionem non adero conſiliarius non quæſitus, non conſultus, non interrogatus. Conſultus illi, quem re bene examinata cenſerem & capacem & aptum, perſuaderem ingreſsum: diſsuaderem illi, quem cenſerem ponderi tanto inſufficientem. Sed quid facerem, ſi dubitarem? quid ſi nulla ratio ſuppeteret, quæ excederet probabilitatem? ſuaderem illi, vt decreti executionem differret: illa enim quæ hodie non fiunt, poſſunt fieri cras: illa quæ hodie malè fiunt cras reddi infecta nequeunt. Interim, dum executio ipſa differetur, poſſet adhiberi examen diligentius & deliberatio maior.

CONCLVSIO TERTIA.

456 *Retrahere aliquem ab ingreſſu Religionis ex maleuolentia, nō eſt actus iniuſtitiæ, ſed eſt contra charitatem. Sic peccans non tenetur ad reſtitutionem.*

Conſultò dixi *ex maleuolentia:* quia diſſuadere ingreſsum Religionis ex cauſis & motiuis legitimis & probabilibus, non actus odij aut iniuſtitiæ, ſed ſinceræ charitatis eſt. Hoc ſecundum, nempe Non teneri ad reſtitutionem, patet ex primo; quia reſtitutio ſequitur iniuſtitiam: & vbi hæc non eſt, nec illa poteſt reperiri. Primum probo. Iniuſtus eſt qui aufert ab aliquo quæ ſua ſunt: atqui ante veſtitionem nec tua erat Religio, nec tu religionis: ergo qui diſsuaſit, imò maleuolè impedituit ingreſsum, non peccauit contra iuſtitiam, ſed contra charitatem. Sed inquiris, vtrum ſit peccatum graue, & ad quid teneatur?

Reſpondeo, aliud eſse, retrahere Petrum à tali Religione aliud à Religione vt ſic. Qui medijs illicitis aliquem retraxit, puta minis, promiſſionibus, mendacijs, nullum damnum intulit Religioni: quia ipſa nullo iure illum poſſidebat. Hæc opinio probabilis viſa eſt Maldeo *tract.* 8. *de iniuria & reſtit. dub.* 3. qui in hoc diſplicet, quod cenſeat probabiliorem eſse opinionem contrariam.

¶ Dicit. Qui *impedit per iniuſtitiam* eum, qui vult dare Monaſterio centū, aut de ſpe æſtimata. Reſpondeo, ſpem, quæ non fundatur in promiſsione, aut alia obligatione, eſse leuem, imò puerilem & vanam; quis enim ſperaret prudenter, ſe certò & non probabiliter habitum eſſe à Petro pecuniæ ſummam, quam nec Petrus promiſit, nec tenetur aliquo titulo aut iuſtitiæ aut vrbanitatis concedere? Qui in caſibus talibus prudenter ſperat, probabiliter tantum ſperat, hoc eſt, ſperat alterutrum; & hæc ſpes intentū aſsequitur in alterutra parte. Vel ſi aliter aut amplius ſperet, ſpem ipſam ſub haſta vendat, videbitq; quanti fiat ab alijs. Communiter enim loquendo, illa quæ nullo iure ſuffulta, nullo titulo debita ſunt, adeoque nullo pretio fiunt.

457 Addo, ſi illa illicita media fuerunt leuia, leuiter læſerunt libertatem illius, qui à Religione retrahitur; ſi fuerunt grauia abſtulerunt politicam eius voluntatem. Quomodocunque eſt ipſi iniuſtus, ac propterea tenetur ad reſtitutio-

tutionem ablatæ libertatis. Hæc reſtituitur, ſi cauſæ illæ tollantur: nempe ſi aperiat illi, aut curet aperiri fraudem, ſi à metu expediat, & reducat ad cognitionem veritatis.

Si quis volentem adire Religionem talem, deducat ad aliam æquè conuenientem, vel minus conuenientem, aptā tamen non eſt iniurius communitati, à qua eum retrahit: ſed damnum aut nullum (ſi Religionem æquè ſanctam perſuaſerit) aut leue (ſi minùs aptam) retracto ipſi infert: cui ſub culpa leui tenebitur reſtituere libertatem. Conſiderare etiam oportet genus fraudis, vt talis retractor iudicetur: Quia perſuaſiones & promiſsiones ſunt ex ſe licitæ, & ſolùm malè, cum fiunt inordinatè. Perſuadere illi, vt confugiat ad alium ordinem æquè aptum, actio indifferens eſt; vt ad Ordinem minùs aptum, aptum tamen, leuis iniuſtitia eſt; ipſum deducere ad Religionem diſconuenientem, grauis iniuria eſt. Si retrahitur mendacijs, fraude, & detractione, hæ omnes circumſtantiæ conſiderādæ ſūt, & debent omnes reduci ad æquitatem. Vnde, ſi, vt diſsuaderes Petro ingreſsū in tali Monaſterium, illud infamaſti, teneberis monaſterio reſtituere, non Petrum quem retraxiſti, non te aut aliū eius loco, quia Petrus nondum ad monaſterium pertinebat. Teneberis tamen monaſterio rependere honorem, quem detraxiſti, & Petro libertatem.

458 De illo qui retrahit Nouitium, aut Profeſsum, inferiùs diſputabo.

CONCLVSIO QVARTA.

Non omnes venientes ad Religionem debent veſtiri: poſsunt tamen. Conſtat quia veſtire Nouitios quos ex rigore Regulæ ad vnum Abbatem pertinet, eſt conſulere ſolenniter Religioſos, vtrùm ille debeat admitti, an non. Abbas quādo proponit hominem indignum, ſi inſufficientiam eius non protegit, non colorat, nec iniuſtè excuſat, ſed ſincerè ſuis Religioſis exponit, nemini eſt iniurius. Non nouitio, quia is, non obſtantibus ſuis defectibus, aſpirat ad habitum: non communitati, quia hæc libera manet, &, illis non obſtantibus, poteſt illum admittere, ſi velit.

CONCLVSIO QVINTA.

Si matrimonium eſt ratum, & non conſummatum, liberum eſt cuilibet coniugum, altero etiam inuito, tranſire ad Religionem, in qua & poteſt admitti, & profiteri. Secus, ſi matrimonium fuerit ratum & conſummatum.

CONCLVSIO SEXTA.

Ille, cuius parentes ſunt in ſumma miſeria conſtituti, ita vt aliter viuere nequeant niſi per filij obſequium, non poteſt ingredi in Religionem, prætermiſſa parentum incommoditate.

Ratio eſt, quia iure naturæ tenetur opitulari parentibus in neceſsitate conſtitutis. Sanè non deficeret, huic obligationi, qui ſe offerret Ordini ſub iſto grauamine, nempe quod Monaſterium teneretur ſuos parentes alere; quod aliquoties factum eſt, & fieri conueniret, ſi ille, qui ingreſsum poſtulat, præter neceſsarias dotes, haberet excellentem aliquam qualitatem. Sic aliquando in Hiſpania vidi excellentes cantores, & doctiſsimos Viros admitti ſub conditione ſimili. Sicut philoſophos de filio, philoſophari etiam debeo de patre habente filios conſtitutos in graui neceſſitate, quibus ipſe poteſt opitulari.

CONCLVSIO SEPTIMA.

459 *Nouitius qui in circūſtantia eſsētiali monaſteriū fefellit* (vel fingēs literas, vel teſtes falſos exhibēs) *& ex vi iſtius erroris admittitur ad profeſsionē, nō remanet verè profeſſus.* Hinc conſtat, talem poſse egredi inuitis Religio-

ſis, & etiam inuitum dimitti, cùm primum aut ipſe aut alij fraudem cognouerint. Circumſtantias eſſentiales illas voco, quas Communitas ita examinat, vt cognitis illis non admitteret. Apud Ciſtercienſes, & Hieronyminianos in Hiſpania circumſtantia eſſentialis creditur eſſe Iudaiſmus, & publica infamia in materia fidei: vnde reor, omnes illos qui prolatis teſtimonijs falſis probant ſe non eſſe oriũdos è Iudæis, nec à Mauris, nec è condemnatis à tribunali Inquiſitionis, non eſſe verè profeſſos, ac proinde poſſe egredi, & etiam dimitti. Ratio eſt: quia profeſſio contractus quidam eſt, & fraus circa materiam ſubſtantialem contractus, reddit illum inualidum, fit enim à contrahentibus inuoluntario. Si dicas, non excludi vniuerſos Iudæos, ſed illos qui ab informationes facientibus deprehenſi: ſed hoc ipſum non credo, alij examinent.

DE VOTO RELIGIONIS.

CONCLVSIO OCTAVA.

460 *Si quis vouit ingredi Religionẽ ex vi voti non tenetur in illa remanere, ſed ſufficit ingredi.* Ita Henricus de Gandauo *quodlib. 3. qu. 19. & quodlib. 13. quæſt. 5.* & ex Recentioribus Ledeſma *in 4. diſt. 38. diſp. 1. poſt concluſ. 12.* Nauarrus *lib. 3. conſil. tit. de voto, in prima editione conſil. 25. per totum.* Voto ſatisfacit, licet culpa ſua egrediatur, ſi mediocri cura adhibita, ex infirmitate aut parua indole non permanſerit. Ita Diana *par. 4. tract. 4 reſol. 25.* Satisfacit, licet ex mera ignauia nullam curam adhibuerit, ne præceptis Religionis non ſatisfaceret, aut ex mera inconſtantia Religionem deſereret, vt reſoluit Azorius *part. 1. lib. 11. capit. 22. qu. 9.* in fine. Ratio eſt, quia nullus tenetur facere ex vi voti, id quod ipſe non vouit; atque ideò ſincerè examinanda veniet vouentis mens. Addo illum, qui tantummodo vouit ingredi, non teneri per accidens ſtare voto; quia vouit actionem vtilitatis paruæ aut nullius, ex qua ſequuntur inconuenientia maxima, honoris, & authoritatis: quia ſi non vis perſeuerare, melius eſt non ingredi Religionem, quàm ingredi: fallis enim Abbatem à quo ſolicitas veſtiri, & detrahis tuo honori. Sanè ex duobus contradictorijs non potes vouere ignobilius contempto nobiliori: quia votum non niſi de meliori eſt. Nemo poteſt vouere matrimonium præ continentia: nemo vouere ingreſſum Religionis merum: quia vt dicebamus, melius eſt non ingredi, quàm ingredi vt poſtea egrediaris. Conſono Cypriano, qui in epiſt. ad Pomp. ſic inquit. *Si autem perſeuerare nolunt aut non poſſunt, melius eſt vt nubant.* Vide num. 249.

CONCLVSIO NONA.

Votum à pueris, aut à puellis, qui vſum arbitrij naturalem habent, ante annos pubertatis emiſſum, eſt validũ: poteſt tamen à parentibus, aut à tutoribus irritari. Eſt expreſſa D. Thom. 2.2. q. 88. art. 9. & q. 189. art. 1.

CONCLVSIO DECIMA.

461 *Si quis vouerit Religionem ingredi, & in illa perſeuerare, non determinans Religionem in particulari, tenetur priùs examinare, cuinam Religioni ſit aptus, & ad illam venire. Quod ſi ibi non admittatur, tenetur ire ad aliam ſibi conuenientem.* Ita D. Tho. 2.2. qu. 189. art. 3. & 4.

Dixi, *Religionem aptam, & conuenientem;* quia ſi in Religione ſibi congruente non admittatur, ad ſibi diſconuenientem non tenebitur ire. Primò, quia non eſt cenſendus vouiſſe ſe animæ periculis & equuleo perpetuo: nec ſi voueret, deberet ſeruare promiſſionem. Religionem diſconuenientem illam dico, in qua prudentum iudicio cenſetur futu-

futurum eſse ſaltem probabiliter, vt illæ miſeriùs viuat, quàm ſi eſſet in ſæculo. Tunc illud votum non obligaret, quia voti ingenium eſt mentem perficere, & voluntatem firmare, non autem exponere periculis ſummis peccandi.

CONCLVSIO VNDECIMA.

Qui vouit ingredi talem determinatam Religionem, ſi non admittatur, non tenebitur ire ad aliā. Ita cit. D. Th.

CONCLVSIO DVODECIMA.

462 *Qui vouit ingredi Religionem aliquam determinatam, poteſt intrare ſanctiorem.* Patet quia etiam profeſſus, poteſt hoc facere: nemini enim præcludi poteſt via ad nobiliorem perfectionem. Vbi nota non dici ſanctiorem illam quæ ſtrictior, non quæ magis contemplatiua, neque illam quæ ſecundum ſe eſt perfectior: ſed illam vnicè, quæ eſt apta vouentem talem promouere ad maiorem virtutum perfectionem. Contemplatio perfectiſſima eſt, non tamen eſt apta omnes perfectiſſimos facere; quia ſi Petrus non poſset contemplari, & vix poſset non vacare vitæ actiuæ, reſpectu illius ſanctior iudicanda eſset vitæ actiuæ profeſſio, quàm contemplatiuæ: ſunt enim multi, qui occupati in actione, ſunt ſtrenui: in contemplatione, torpentes & languidi. Et vnuſquiſque ante electionem debet ſuas vires, & ſuſcipiendum onus optimè examinare, & inter ſe conferre, ne titulo maioris perfectionis ſuſcipiat pondus, cui poſtmodum ſuccumbat.

Circa tempus probationis.

463 Omitto iuris antiqui expoſitionem; non enim eſt animus examinare, quid maiores noſtri facere potuerint, ſed quid in præſentiarum facere debeamus.

CONCLVSIO DECIMATERTIA.

Probationis tēpus eſt annus integer. Si ante anni periodum profeſſio fiat, eſt nulla. Ita Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 15. Annus debet numerari de momento ad momentum, ſecundùm ferè omnes authores, iuxta quos, nec ſex horis antequam Nouitius compleat decimumſextum annum, nec totidem horis antequā compleatur annus probationis, poterit vota validè emittere. Vide Dianam *par.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 57. Hinc ſequeretur, præcepta Eccleſiæ eſse mathematica, & non moralia, quod nullus admiſerit. Dico igitur, illius profeſſionem eſse validam, de quo moraliter loquendo eſt verum dicere, quod non habeat minùs quàm ſedecim annos, & quod fuerit Nouitius anno integro. Non enim auderem irritam aſserere illius profeſſionem, cuius probationis tempori deficeret vnum minutum horæ. Sanè annus, cui deficit vnus ſcrupulus, non eſt mathematicè integer de momento ad momentum: eſt tamen integer moraliter. Sit igitur probationis annus integer moraliter, hoc eſt ſecundum æſtimationem prudentum.

Sed ſtatim occurrit noua difficultas: quæ examinat, quot & quales poſſint ab anno probationis, aut ætate requiſita partes phyſicè auferri: illæſa morali illorum integritate? & reſpondeo in hac materia laxiores eſse ſententias quo ſeueriores. Seueriſſima enim eſset, quæ aſsereret Petri nati minuto quarto poſt vndecimam, profeſſi vndecima vota eſſe, inualida & tamen laxiſſima etiam eſſet: Petrum enim à profeſſione ſolemni propter vnum horæ minutum quartum liberaret. Grauiſsima quidem materia eſt, nec ſtatim veniunt à votis abſoluendi profeſsi propter cauſas, quæ euadunt cenſuram & iudicium morale, quale minutum eſt. Addo omnes authores, quos legerim, ſeueriſsimos, ac propterea, non niſi laxiſsimos,

in hac eſſe materia. Subiungo videri fortem rationem, qua aliquandò memini me quaſi viginti tres horas ab ætate, aut anno probationis ſubripuiſſe, illæſa, vt exiſtimo, morali integritate. Lector ſit æquus iudex, & vires huius ratiocinij præponderet, & liberè ſententiam ferat. Arguo ſic. Vbi aliquid in iure Canonico obſcurum, & ambiguum reperitur, & id ipſum in Ciuili exponitur clarè, ſtandum eſt iuri ciuili, id ipſum iure Canonico expreſſe decernente, & dicente æquum eſſe Pontifices morem gerere pientiſſimis, & prudentiſſimis Imperatoribus, & permittere dubia Iuris Canonici, ſi intra limites eccleſiaſticos expeni non poſſint, ad ſimilitudinem ciuilium exporatur, quandòquidem, & ipſi ſimiliter Imperatores morem Pontificibus geſſerunt, & voluerint dubia ciuilia canonica claritate illuſtrari: atqui hoc dubium intra Canonum limites reſolui nō poteſt: ergo per analogiam reſolui debet. Conſequentia eſt legitima: & præmiſſæ omnes certæ. Subſumo: Atqui in Iure ciuili *L. A qua ætate* 5. ff. *Qui teſtamenta*. requiritur, vt habeat 14. annos completos, qui teſtamentum validè condere poſſit, & completos habere, qui vltimum diem inchoauerit: teſtari poterit die 4. Maij hora prima poſt mediam noctem (inde dies ciuiles, & eccleſiaſticos vniuerſi numerant) qui natus eadem die hora poſt meridiem vndecima. Ergo 22. aut 23. horis antè quam phyſicè tempus lege determinatum compleat, lege decernitur compleuiſſe ciuiliter: ergo in profeſſione eodem modo eſt philoſophandum. Vide igitur Lector An hoc ratiocinium conuincat, & pro tua prudentia procede, curans ne profeſſiones admittas feſtinus, & ne à feſtinantibus admiſſas eadem feſtinatione condemnes: poterit enim contingere, vt temerarius ſis vbi vis non niſi ſcrupuloſus videri. Ego enim, quia nubes hic plures quàm rationes offundi video, nil definio, ſed ſolùm rationem ex qua poſſis definire, propono.

In mortis articulo videtur laxa illa recentiorū ſeueritas ceſſare: multi enim tenent Nouitium moribundum poſſe ad profeſſionem admitti antè annum probationis completum. Ita Diana *p. 3. tract. 2. de regul. reſol.* 17. vbi citat Peiam, Sanchez, & alios. Hęc opinio benigna eſt, & laudabiliter ſæpiùs reducitur ad praxim, præcipuè apud Benedictinos. Salmanticę dum ibidē eſſem Theologiæ auditor, veſtiti ſunt duo Nouitij ægroti, non in noſtro Collegio, ſed foris, in domibus vbi habitabant, qui antè tertiam diem vota emiſerunt, & vt Monachi profeſſi, ſepulti ſunt. Vidi prętereà in Monaſterio Spinenſi duos Nouitios moribundos, diuerſis temporib. admitti ad profeſſionem antè tempus. Et reor ſæpè hoc aliàs eſſe factum, ſed ſolùm recenſeo quæ vidi.

464. Motiuū profeſſionis huiuſmodi, erat Bulla Pij V. Sanctiſſimonialib. Dominicanis ſpecialiter conceſſa, quæ reperitur ad longum apud Mirandā *in Man. Præl. q. 22. art. 10.* in qua, aut cōcedebatur, aut declarabatur, Moniales huiuſcemodi, in mortis articulo ad profeſſionem poſſe admitti. Hæc Bulla, ſi eſt priuilegiū, nobis prodeſt: quia omnium Bullas, fauoreſque participamus: ſi declaratio eſt, fauet non ſolùm nobis, ſed etiam vniuerſis. Atq; ideò aſſero in Ciſtertienſi Ordine Nouitios, & Nouitias poſſe in mortis articulo admitti ad profeſſionem, licèt non ſit cōpletus approbationis annus. Circa litterā Bullæ tria adnoto. Primum. Nouitium ſic profitētē debere habere ſedecim cōpletos annos: quia hoc expreſsè in priuilegio dicitur. An dari etiā poterit implicita alia ratio, quæ iunioribus faueat, & non ſolū in nouitiatus ſed etiam in ętatis tempore diſpenſet? ſanè nec mihi clara occurrit, nec eſſe impoſſibilē clarè. Secundum Monaſterium non poſſe

ſuc-

ſuccedere in bona illius Nouitij. Tertiũ Monaſterium non debere grauari propter talem Nouitium. Ratio eſt: quia qui non ſentit vtilitatem, non debet damnum ſentire; atqui Monaſterio non fauet in aliqua re obitus talis Nouitij, neque fauere poteſt; ergo neque grauare debet. Hinc colligo, Hiſpanos, qui pro ſingulis Monachis defunctis legunt tres Miſſas, pro talibus Nouitijs non teneri illas legere.

465 Quod ſi morientis Nouitij bona veniant ad Monaſterium, aut venire poſſint, puta ſi ſubſcribamus Mengalæ *in* 1.2. *lib*.2. *cap*.27. *num*. 50. Sanchez *in ſum. to*.2.*lib*.5.*cap*.4. *n*.16. Zanardo *in direct. Theol. p*. 2. *c*.17. Peyrino *in priuil. Minim. to*.2. *conſt. Pij V*. §. 2. *n*.1. Ioanni Suario *in Enchirid. caſuum conſc. lib*.3.*verb. de profeſſ*. §. *Monialis Nouitia*. Fauſto *in theſ. Relig. l*.5. *q*.167.*n*.4. & Dianæ *p*.3.*tract*.2. *reſol*. 17. aſſerentibus Conuentum ſuccedere in bonis Nouitij, in articulo mortis ante expletum annum probationis profeſſi aut à fortiori Mengalæ citato & Decio, alijſque affirmantibus bona Nouitij diſcedentis ab inteſtato, pertinere ad Monaſterium; ex hac hypotheſi debemus dicere, Monaſterium & Ordinem debere pro illo eaſdem Miſſas ac orationes legere, quas pro alijs Religioſis; patet, quia ex hac hypotheſi ceſſat diſparitatis ratio.

Admoneo tamen Abbatem, qui moribundum incorporare deſiderat, vt videat, num ille Nouitius poſſit ſuperuiuere, quia non licet indignum Nouitiũ ad profeſſionem admittere, niſi cum de ipſius ſalute deſperatur. Profeſſio in tali caſu fiat ſic. Emittat vota Nouitius, dum eſt arbitrij capax; recipiat Prælatus cum ille fuerit in agone, nempe cum ſciatur eum moriturum eſſe.

Si mors Nouitij indigni inſtet probabiliter, poterit eum Prælatus admittere vel non admittere, nempe ſubſcribens huic vel alii parti.

CONCLVSIO DECIMAQVARTA.

466 *Probationis annus debet incipere à die qua recipit habitum, licet ad annos pubertatis non venerit*. Conſtat ex eis quæ diximus de pueris oblatis Monaſterio.

CONCLVSIO DECIMAQVINTA

Annus debet eſſe integer. Conſtat ex Concil. Trid. Sed annus integer eſt duplex, ſæcularis & Eccleſiaſticus. Sæcularis reſpicit dies menſium, vt à Nonis Ianuarii anni 1638. ad Nonas anni 1639. Eccleſiaſticus ſanctorum reſpicit ſolennitates, vt à Paſchate anni 1639. ad Paſcha anni 1640. Profeſſio quid Eccleſiaſticum eſt, & tempore Eccleſiaſtico venit determinanda; probabile tamen etiam eſt illam ciuili tempore poſſe determinari.

467 Leſſius *lib*.2. *c*.41. *dub*.7.*n*.59. cognoſcit annum Eccleſiaſticum; quia dicit eum qui die 24. Februarii veſtitus eſt, anno ſequenti, ſi fuerit biſſextilis, non poſſe die 24. profiteri, ſed debere expectare 25. Clariùs diceret, qui veſtitur die S. Matthiæ, non profiteatur in pro feſto S. Matthiæ, ſed in die eiuſdem Sancti; ergo profeſſio ſupponit annum Eccleſiaſticum, quia à 24. Febr. ad 24. eiuſdem menſis annus integer ciuilis eſt non tamen Eccleſiaſticus. Vſus anni Eccleſiaſtici eſt valde cõformis menti cõcilii Tridentini, quod eccleſiaſtica tempore Eccleſiaſtico diſcernit. Vide ſeſſ. 23. cap. 13. *Promoti*, ait, *ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem ſi per annum ſaltim in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur*. Ne autem maneret dubio locus, fuit poſitum in capitis titulo, *Annus ſit Eccleſiaſticus ante promotionem ad Diaconatus*, & cap. 14. vbi *annum integrum* legimus, exponit Ioann. Gallemart. *eccleſiaſticũ*.

Eccleſiaſtica igitur menſuratur tempore eccleſiaſtico. Cæterum tametſi hæc ratio fortiſſima ſit ſtandum eſt cõmuni praxi, dicendumque hanc eandem ſententiam quam intrinſecè probabiliorem eſſe puto, extrinſecè & authenticè non habere maiorem authoritatem illa quam ex vno & ſolo Caramuele præter (non tamen expreſsè contra) Doctorum torrentem philoſophantem dicentemque ſibi hoc ratione fortiſſima videri comprobari, nolle tamen à communi opinione diſcedere, quoſque alij Doctores rem examinantes comites eſſe velint. Interim tu in praxi ſequere opinionem contrariam: nocet enim nonnunquam probabilitas, & vide quid in ſimili quæſtione num. 171. dicatur.

Anno 1582. contigit Gregoriana Calendarij mutatio (vel vt Theologi loquuntur, Reformatio) ille annus fuit annus integer, licet 355. diebus componeretur. Ideo qui fuerat veſtitus Kalendis Ianuarij 1582. potuit profiteri in anni Eccleſiaſtici reuolutione, nempe *Kalendis* Ianuarij anni 1583.

468 In Congregatione SS. Vitonis, & Hydulphi, vt conſtat ex declaratione capitis 58. Regulæ, profeſſio fit poſt annum completum & diem integrum: ita tamen vt prius habeatur licentia à Capitulo Generali: ſed iſte dies additur, non ex præſcripto Regulæ, ſed ex conſtitutione ſingulari. Vtrùm illę conſtitutiones obligent in conſcientia: vtrùm omiſſio alicuius circumſtantiæ in illo commentario requiſitæ impediat, aut etiam profeſſionem irritet, pendet à conſtituentium authoritate & ordinatione, de qua non diſputo: quia ipſi ſunt ſuæ libertatis Domini, & præter conditiones à Concilio poſitas, poſſunt etiam quaslibet ſtabilire, quibus deficientibus, contractus profeſſionis ſit nullus. Hanc diem non eſſe addendam ex neceſſitate iuris communis, expreſsè docuit Villalobos *in ſumm. to. 2. tract. 35. diffic. 15. num. 4.*

CONCLVSIO DECIMASEXTA.

469 *Nouitius intra annum probationis poteſt liberè exire & redire ad ſeculum.* Ita omnes: nec eſt probabile contrarium. Si egrediatur ſine licentia non incurrit aliquam inhabilitatem. Syluester & Miranda *in Manual. q. 22. art. 8.* Fuerunt aliqui, qui crediderunt Nouitium, qui ad ſæculum reuertitur, debere ſoluere expenſas factas in monaſterio. Sed cur? an non & ipſe ſeruiuit? qui iudicat Nouitium non lucrari victũ & amictum, aut labores Nouitiorum non nouit, aut maioris pendit pecunias quàm deberet. Cenſeo nec ipſum quidpiam debere ſoluere Monaſterio, neque id illi. Ita Syluester *verbo Religio, 5. qu. 8.* & probat *ex cap. non ſolum, de regul. lib. 6.* Cæterùm ſi ante veſtitionem expenſas, primi anni compromiſit, ſtandum eſt compromiſſioni. Multi .n. ſe obligant ad expenſarum ſolutionem, ſi non perſeuerent, & tunc ratione promiſſionis tenentur.

DE NOVITIORVM approbatione.

CONCLVSIO DECIMASEPTIMA.

470 *Qui certò ſcit aliquem Nouitiũ non expedire Monaſterio, tenetur illi negare ſuam vocem, ſub peccato mortali: non tenebitur tamẽ ſolicitare alios contra Nouitium.* Ratio eſt: quia damnum grauiſſimum communitati infert, qui cauſa eſt, vt indignus aliquis ad profeſſionem admittatur. Conſultò *qui certò ſcit* dixi, quia ille tantũ probabiliter ſcit, approbare ipſum poteſt, & reprobare. Maior eſt difficultas de dubitantib. pro quibus reſolutio ſit hęc.

CONCLVSIO DECIMAOCTAVA

In dubio tenemur Nouitios reprobare. Sanè in hoc caſu bifariam dubitare poteris. Primò, an Nouitius futurus

ſit

ſit vtilis communitati: ſecundò an nociuus. Non agit concluſio in priori, ſed in ſecundo ſenſu. Et ratio concluſionis eſt, quia in dubijs debet præcedere maior obligatio, atqui erga communitatem magis obligamur, quam erga Nouitium: ergo debemus non exponere communitatem periculo habendi vnum hominem diſconuenientem. Minor eſt certa: quia communitati debemus quidquid politicè ſumus, & eam habemus loco matris: Nouitio autem nihil debemus. Qui in dubio Nouitium approbat, eſt ſui monaſterij degener filius. Quomodo enim pius eſt ille filius, qui vltrò ſuum patrem ruinæ periculo exponit, cùm poſſit illud aduertere? Monaſterium exponitur ruinæ, quoties diſcolus & effrænis aliquis iuuenis admittitur ad profeſſionem. Vnus ſufficit vt turbentur plurimi, vnus pax occidat, & iurgia peſſima naſcantur. Non admittatur igitur ille, de quo dubitamus an monaſterio ſcandalo futurus ſit. Cur prima die nouitius non admittatur ad profeſſionem? ideo profectò, quia ante probationem non ſcimus vtrum expediat, an non. Ergo ſi id poſt annum nondum ſciamus: vel in nouitiatu remaneat quoſque dubium decidatur, vel ſaltem dimittatur; iniurius enim & ſuo Monaſterio & ſibi ille eſt, qui illum Religioni incorporat, qui turbaturus eſt totam communitatem. Dixi quod in nouitiatu maneat, quoniam Tridentinum Concilium aliaque quæ iubent, Nouitios poſt annum aut admitti, aut dimitti, ſupponunt nulla dubia dari: hæc enim non reſolutionem poſtulant, ſed examen, quod ſine tempore fieri nõ poteſt. Sanè de Nouitij ſæculares Doctores ſæpè ſcribunt, ſed cæcè: non enim ſciunt quantum damni pati ſoleat communitas ab vnius inſolentia. Ergo ſicut dubitas vtrum ſit venenum in ſcypho, non bibes, ſic à fortiori non admittes illum, de quo dubitas. Si dimittitur, nemini fit iniuria, & remanet ſecurum monaſterium: in admiſſione eſſe poterunt inconuenientia.

CONCLVSIO DECIMANONA.

471 *Abbas ſine ſuorum conſilio poterit quemlibet Nouitium dimittere.* Patet, quia tenetur tractare grauia cùm ſuis Religioſis, non leuia? ideò non poteſt Nouitium ad profeſſionem admittere ſine ſuorum conſilio aut conſẽſu iuxta diuerſas opiniones: poteſt autẽ dimittere: quia in dimiſsione nil reperitur quod ſit graue. Ille enim non erat monaſterij, & ita nihil monaſterio, quod ſuum eſt, adimitur: ipſius etiam nondum eſt monaſterium, ſicque nec illi iniuria infertur. Præterea, quando Abbas vult grauia facere, debet ſuos cõſulere, non tamen tenetur, ſi velit, illa grauia non facere. Ergo quando Abbas vult admittere profeſsionem alicuius, conſulat ſuos Monachos; non tenetur tamen, ſi noluerit, hoc facere; dimittere autem Nouitium, eſt non velle rem grauem facere. Et ideo non indiget ſuorum conſilio. Cæterùm, ſi in aliquo monaſterio lex valida, aut conſuetudo præſcripta contrarium indicat, ſtandum omninò eſt conſuetudini aut legi.

CONCLVSIO VIGESIMA.

472 *Approbare Nouitios aliàs habiles, eſt materia gratiæ.* Ita Sanch. *in ſum. to. 2. lib. 5. cap. 4. n. 59.* cuius ſententiam probabilem putat Peregrinus *in comment. ad conſtit. part. 2. c. 5. lit. B.* §. 1. Ita etiam omnes illi qui ſubſcripſere meis ſynthelibus (ſunt plures quàm viginti) & præter illos P. Engelgraue, Societatis Ieſu Brugenſi Collegij Rector & alij multi. Hinc ſequitur, non peccaſſe contra juſtitiam illum, qui ſine cauſa Nouitium reprobauerit. Probatur. Quia annus probationis æquè cõceditur Nouitio & Monaſterio; atqui Noui-

Nouitius poteſt deſerere Ordinem ſibi conuenientem, & aptum, & hoc ſine conſcientiæ ſcrupulo dimittere Nouitium ſibi conuenientem & aptum. Quia aliàs communitas eſſet peioris conditionis, quàm particularis, quod eſt abſurdum, cum illa ſemper debeat eſſe conditionis melioris.

Dices. Nouitium ſine cauſa non poſſe dimitti, quia illi fit magna iniuria; perdit enim opinionem ſuam, ſi expellatur. ¶ Dico etiam, quod Religio non lucratur honorem, quando Nouitius eam deſerit; & nihilominus eam poteſt Nouitius relinquere, cùm voluerit, ſine cauſa; ergo etiamſi non ſubſit cauſa aliqua, poterit eum Religio dimittere, quia in iis quæ à mera gratia pendent, ſtat pro ratione voluntas. Præterea, ſi hæc ratio eſſet efficaciæ alicuius probaret Nouitium non poſſe dimitti, etiam cum cauſa. Quoniam plus opinionis perdit, quando ob cauſam aliquam dimittitur; & ſicut, cùm ſubeſt cauſa, communitas vtitur iure ſuo, & directè non nocet Nouitio, ſed ſolùm indirectè, ſic ſimiliter, quando cauſa non ſubeſt, poterit Cõmunitas vti ſua libertate, & directè nõ nocebit Nouitio, ſed ſolũ indirectè. Ille .n. qui vult poſſe ſponte egredi, inuitus eſſet, ſi nollet poſſe ſpõtè dimitti. Ergo ſi hoc ſupponitur antequam veſtiatur, nemini fit iniuria; quia ſi hęc conditio non placet, aut habitum non poſtulet, aut polliceatur, ſe non eſſe egreſſurum ſine cauſa; & tunc erit in beneficio probationis æqualitas, quia cõditio inęqualis nõ iuſta ſed iniqua eſt

Sanè tempore Diui Benedicti nullus Nouitius aut egrediebatur aut dimittebatur ſine cauſa, fiebat enim contractus ante probationem, quo Ordinis noſtri Candidatus expreſsè ſtabilitatem rationalem atque prudentem promittebat, & Abbas admittebat, vnde, ſicut ex leuitate non poterat reuerti ad ſæculum, ſic ſimiliter nec poterat ſine cauſa dimitti. Colligitur hic præuius contractus ex Regulæ capite 58. quem expendo inferius num. 521. ¶ Confirmatur. Cùm Communitas admittit Nouitium, ſe exponit periculo quod poſsit deſeri, cum placuerit Nouitio, ergo quando is veſtitur; debet ſupponere ſe poſſe expelli, dum placuerit Communitati. ¶ Confirmatur ſecundò. Annus probationis conceditur, vt examinet Nouitius, vtrùm ipſi Ordo placeat, ergo etiam cõceditur, vt examinet Communitas, vtrum ipſi Nouitius placeat. Ergo ſicut Nouitio ad egrediendum ratio ſufficiens, quod Religio non placet, etiam Ordini erit æquè ſufficiens ad dimittendum, quod Nouitius non placet. ¶ Ergo manet liquidum, illum nihil contra iuſtitiam facere, qui conuenientem Nouitium reprobat.

473 Poſſet videri contra charitatem procedere, ſi non eſſet alius Ordo, aut monaſterium, in quo talis Nouitius poſſet eſſe æquè ſanctus, quia ſicut non tenetur Communitas omnes deſiderantes veſtire, ſic nec omnes veſtitos conſeruare. Et ſi ratio quam præoccupo, eſſet efficax, probaret nemini poſſe habitum Ordinis negari. Quia etiam poſſet dici Communitas eſse in cauſa, quòd talis non ſit religioſus, dum aptum, & habilem non veſtit. Quando Communitas aut Abbas dimittit aliquem veſtitum, aut nondum veſtitum, vtitur ſua authoritate, quæ eſt libera, & Nouitio non ſubeſt, ipſi aditus non præcluditur ad Religionem, ſunt enim & alia Monaſteria & Ordines.

Sortes tibi famulatur, ſcis eum ſanctiorem futurum eſse apud te, quàm apud alios. Peto, vtrum poſsis illum dimittere. Reſpondebis, eſse tua in libertate, famulos recipere & dimittere; quia habere hos vel illos, pendet à voluntate. Ergo ſicut herus non tenetur retinere famulum (ſi illi diſplicet) vt ſanctior ſit, ſic ſi Nouitius diſplicet, nõ teneberis illum retinere, vt ſit ſanctior. Sed tu eſto tui iuris Dominus, ſicut ille fui-

Vadat

Vadat ad alium Ordinem, aut aliud cœnobium tui Ordinis: vbique enim ſeruimus vni Deo, & quin moleſtus tibi ſit, alibi poterit eſſe ſanctiſſimus.

474. Confirmatur. Majus jus habet vxor in maritum, poſt matrimonium ratum non conſummatum, quàm Nouitius in Ordinem. Ratio eſt conſpicua: quia inter coniuges fuit ratus contractus antè conſummationem matrimonij: inter Nouitium, & Religionem nullus, antè profeſſionis acceptationem. Atqui antè conſummationem matrimonij poteſt maritus dimittere, aut deſerere vxorem innocuam, & ingenuam, & ingredi in Religionem: ergo etiam antè profeſſionem, ſine ſpeciali cauſa poterit Ordo dimittere Nouitios qualeſcunque. Hoc exemplo matrimonij, vt monaſticas obligationes explicet, vtitur D. Bernardus bis in eadem Epiſtola ſeptima, paulò antè medium: quia aliàs, annus probationis non eſſet æqualis Nouitio, & Monaſterio. Poſſet tamen locum habere benignitas, & Nouitio ingenuo ſumma præſtari ſecuritas, ſi in veſtitione fieret contractus talis. Nempè, polliceretur Nouitius, ſe non eſſe egreſſurum ſine cauſa legitima, & compromitteret Communitas, ſe non eſſe eum dimiſſuram ſine cauſa. Hinc non læderetur probationis indifferentia requiſita; quia ſtante hoc contractu, & poſſet Nouitius exire, ſi experiretur ſe inſufficientem tantæ perfectioni; & poſſet illum Communitas dimittere, ſi iudicaret eum ſibi non conuenire.

475. Hic contractus fiebat tempore D. Benedicti, & expreſsè illum indicit in ſuæ Regulæ c. 58. *Si promiſerit de ſtabilitate ſua perſeuerentiam, poſt duorū mēſium circulum legatur ei hæc Regula — Si adhuc ſteterit, tunc ducatur in ſupradictam cellam Nouitiorum, & iterū probetur in omni patientia.* Ecce iubetur Nouitius promittere ſtabilitatem ſuam antè probationem; non ſanè monaſticam, quia hanc promittit, cùm in profeſſione vota emittit; & huius promiſſionis meminit inferiùs S. Pater, cùm ait: *Suſcipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua.* Quæ ergo ſtabilitas hæc, & perſeuerantia, quā promittunt Nouitij antè probationem? Sanè promittunt ſe ita ſtabiles futuros, vt non ſine cauſa legitima ſint egreſſuri; & in virtute huius promiſſionis, rependit. Communitas etiam promiſſionem tacitam fidelitatis, nempè, ſe non dimiſſurā eſſe illos Nouitios ſine cauſa. Si Nouitius antè probationem hunc contractum ineat cum Communitate, approbatio eius nō iam ad gratiæ materiam, ſed ad iuſtitiam pertinebit, & qui cū eum ſine cauſa dimittet, iniuſtus erit, peccabit que mortaliter, & tenebitur ad reſtitutionem; nempè, ipſi Nouitio. Sed ad quam? vt omnibus modis procuret, illum in priſtinum ſtatum, aut ſaltem in æqui valentem reſtituere. *Aequi valentem* dico, vel in prudentum opinione, aut ſaltem in opinione partis læſæ.

476. Petrus fuit cauſa, quod Ioannes Nouitius dimitteretur ſine cauſa, cùm priùs initus contractus fuiſset inter Nouitium, & Communitatem, iuxtà mentem D. Benedicti Petrus peccauit mortaliter, & cognoſcens ſe debere Ioanni ſatisfacere vocauit illum, & dixit: Fateor, quod indiſcretè obſui approbationi: vt remaneant omnia in ſtatu æquo, ſiquidem iam non deſideras reuerti ad Religionem, faciam quod promouearis à talem dignitatem, tuæ perſonæ, & qualitati competentem. Annuit Ioannes, Petrus amicos ſolicitat, & illum promouet. Petitur, vtrùm Petrus ſufficienter ſatisfecerit, & an teneatur quidpiam aliud præſtare.

Reſpondeo, Petrum ſatisfeciſſe: quia volenti, & conſentienti nulla fit iniuria: & Ioannes vult eſſe contentus tali ſatisfactione.

Addo, quòd Petrus non teneretur ad reſti-

reſtitutionem, ſi Ioannes ipſi debitum ſpontè condonaſset.

CONCLVSIO XXI.

477 *Qui Nouitium ſeducit, & in cauſa eſt, quod ipſe deficiat ab Ordine, eſt iniurius Nouitio, non Monaſterio.* Nomine ſeductionis, intelligo metum, qui cadere poſset in conſtantem virum, fraudem, minas, & efficaces perſuaſiones & id genus alia, quæ poſsint auferre libertatem. Probatur: quia licet Nouitius voluntariè poſsit egredi, violat tamen Nouitij libertatem, quicumque illum extrahit inuoluntarium. Inuoluntarius tunc extrahitur, cum priuatur libertate politica. Hinc eſt, quod ſeductor debeat Nouitio reſtituere ablatam libertatem, & veritatem aperire. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 8. dub. 3. num. 15.* qui affirmat, illum ad nihil ampliùs teneri; quoniam in poſterum non cenſebitur ſeductor damni cauſa, ſed Nouitius ſolus, qui ſponte non redit.

QVALITATES.

Neceſſario requiſitæ, vt admittatur quis ad profeſſionem.

478 Cœnobita dicitur à vita in communi, qui Religioſus non bene viuit, niſi bene conuiuat: ideò claris oculis examinare debemus in Nouitio, an ſit talis, qui poſsit viuere in communitate. Sunt plurimi, qui dotes habent excellentiſsimas, neſciunt tamen alijs conuiuere, ſed ſibi ſolùm complacent, cùm alijs diſplicent. Alij ſunt zelotypi indiſcreti, alij murmuratores, alij minùs pacifici, alij ſuſpicioſi & temerarij iudices, alij diſcordiæ authores, & alij ſimilibus aut notabilioribus labibus ſcatent. Omnes iſti inepti ſunt ad vitam communem. Non peto Angelos, vt promoueantur ad profeſsionem: ſcio enim omnes nos eſſe homines, & viuere in carne: Scio iuſtum ſepties quotidie ſaltem leuiter cadere, & Nouitios venire ad clauſtrum vt fiant ſancti: quia, ſi ex ſe tales eſsent, non indigerent Religione. Nihilominus, ſi Nouitius ſit ſibi malus, dirigatur, foueatur, inſtruatur: ſi ſit alijs malus, & hanc imperfectionem non eradicet, & ratio. Si Nouitius hodie, pluſquàm deberet, comedit: craſtina die, Deo auſpice, erit ſobrius & abſtinens. Si hodie ſit fragilis, dummodo nemini ſcandoloſus, cras erit conſtans. Si hodie ſit inuidus, cras erit detractor, & turbabit totam Communitatem. Ergo Nouitiorum Magiſter omnia toleret, licèt grauia, quæ ſecreta ſunt ſolùm concernunt perſonam Nouitij: nihil toleret, quod grauiter poſsit officere Communitati.

DISPVTATIO XLI.

Expenduntur dubia aliquot circa Nouitij profeſſionem.

479 Ille qui habet qualitates neceſſarias vt monaſterio incorporetur, admitti poterit: ſed à quo? an à Prælato ſolo? an à Religioſis vniuerſis?

Reſpondeo, ex textu capitis *Nullus*

ſus 18. *q*.2. vbi Abbas dicitur, *ad quem tota poteſtas pertinere conuenit*. Fauet caput *Ad Apoſtolicam, de Regularibus*. Ex quo Panormitanus infert, ad Abbatem vnum pertinere, recipere Nouitios. Confirmatur hæc veritas ex ipſis profeſsionis ritibus, qui ſatis clarè inſinuant, ſolum Prælatum Nouitios recipere, & monaſterio incorporare.

DVBIVM PRIMVM.

480 Petis. Vtrùm Abbas incorporaturus Nouitium teneatur conſulere ſuos Religioſos?

Reſpondet D. Benedictus aſſertiuè, qui c. 3. ſic ait: *Quoties præcipua aliqua agenda ſunt in monaſterio, conuocet Abbas omnem congregationem & dicat ipſe vnde agitur, & audiens conſilium Fratrum tractet apud ſe, & quod vtilius iudicauerit, faciat*. Atqui admittere Nouitios ad profeſsionem, eſt res grauiſsima: ergo non poterit eos Abbas admittere ad profeſsionem, quin conſulat vniuerſos Monachos.

Omnes debēt conſuli, qui ſecundùm auitos Ordinis & monaſterij mores habent vocem. In Hiſpania hæc eſt praxis. Approbare poſsunt Nouitios & reprobare, omnes Monachi profeſsi quotquot ſunt domi, licèt ſint ægroti, & nequeant comparere perſonaliter: mittitur enim, qui eorum voces excipiat. Qui habitant extra monaſterium, ſi accidat eos illa die eſse in Capitulo, habent etiam actiuam vocem. Hi cum Nouitios non tractauerint, ne errori ſe exponant, conſulere tenentur aut Magiſtrum Nouitiorum, aut alios, & illorum ſubſcribere opinioni. Fratres illi conuerſi, quos *Surdos* dicunt, habere vocem in Choriſtarum approbatione vidi, ſed reor per errorem hoc introductum eſse.

481 Illos, qui ſunt extra monaſterium, Nouitios approbare non vidi, poſsent tamen, ſi Nouitiorum qualitates cognoſcerent; quia approbare aut reprobare prorſus incognitum, temeritas ſuprema eſt. Omnes actiuam vocem habent; & ideò nemo, quà abſens, excludendus eſt. Approbatio enim vnius Nouitij, res maximi momenti eſt, quæ non ſolùm præſentes, ſed etiam Monachos abſentes tangit.

DVBIVM SECVNDVM.

482 Inquiris. Vtrùm Abbas ſolùm teneatur conſulere ſuos Monachos, an debeat etiam eorum ſententiam ſequi? Id ipſiſſimum alij interrogant diuerſis verbis: nēpe, An Monachorum approbantiū aut reprobantiū Nouitios, voces ſint deciſiuæ, an verò ſolùm conſultiuę.

Aliqui textum Regulæ citatum expendunt ſic: *Conuocet Abbas omnem congregationem, —— & audiens conſilium Fratrum, tractet apud ſe, & quod vtilius indicauerit, faciat*. Ergo tenetur Abbas congregare ſuos, & vniuerſos audire, non tamen ſequi; quia ſi vellet noſter Legislator, vt ſuorum voluntati ſubſcriberet, *quod vtilius iudicauerint*, diceret; non, *quod vtilius iudicauerit*.

483 Verba fortia ſunt, & ſi ſincerè loqui velimus, non indigent expoſitione; quia, vt ex illis ſatis clarè colligitur, D. Benedictus non obligat Antiſtites Monaſteriorum ad hoc, vt ſuorum conſilio neceſſariò ſubſcribant, ſed ſolùm ſi vtilius iudicauerint; vnde reor ex mēte Diui noſtri Legislatoris, Monachorum ſuffragia non eſse deciſiua, ſed cōſultiua. Ita enim D. Bernardus epiſt. 252. vbi non ſolùm de Ciſtercienſibus, ſed de vniuerſis agens Monachis, ait: *Quaſi verò —— emācipatio filij ad Capitulum, & non potiùs ad ſolùm ſpectet Abbatem*. Ex quibus verbis arguo ſic. Contractus poteſt caſſari à contrahentibus: ſed mancipatio eſt contractus, & emancipatio iſtius contractus annullatio: ergo illi qui poſsunt emancipa-

re,

re, poſſunt mancipare, & è conuerſo. Atqui ex mente D. Bernardi, Abbas ſolus ab inuito Conuentu poteſt volētem Monachum emancipare: ergo & potuit Conuentu inuito incorporare eum volentem. Eiuſdem etiam ſententię fuerunt XXII. Abbates in Generali Capitulo congregati, vt conſtat ex Charitatis Charta, quam ibi condiderunt, in cuius *cap. 5. §. Si autem*, hæc diffinitio reperitur: *Nullus Abbas Monachum cuiuſcumque Abbatis* (puta *monaſterij noti*) *Ordinis noſtri, ſine eius aſſenſu retineat.* Ecce nō requirit Charta Charitatis aſſenſum Congregationis, ſed ſolius Abbatis. Subſcribunt D. Bernardo Angli Benedictini, vt expendo & probo *num.* 525. quibus accinit Panormitanus Abbas, qui cùm Benedictinus fuerit, habet ſummam authoritatē, quem citat Miranda *in Manual. q.* 15. *art.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. Hanc ſententiam veram cenſet citatus Leſſius, quia oppoſitam vocat veriorem. Eam etiam tenet Sylueſter *verb. Religio. 3. quæſtione* 13.

484 Nihilominus liceat mihi dicere, quod ſentio. Sanctiſſimi ſunt Benedictus, Bernardus, & omnes illi XXII. qui ſynodum primam Ciſtertij celebrarunt. Magni exempli & eruditionis Panormitanus Abbas, ſummæ authoritatis tum Congregatio Anglica, tum etiā authores alij, qui hanc opinionem tenent; contrariam autem cenſeo probabiliorem ab intrinſeco: quia ſi de probabilitate authentica agamus, nemo non aſſerere poterit, Bernardi ſententiā ita eſſe probabilem, vt noſtra vix probabilis cenſeri debeat. Dico igitur meam ſententiam, ſi authores reſpicias, minùs eſſe probabilem quàm cōtrariam; ſi autem rationes examines & earum fundamenta, eſſe probabiliorem. Ne autem dicamur noſtrum Legiſlatorem deſerere ſeu impugnare, eius verba iuxta rectæ rationis limites breuiter reſtringamus. Quia ſi ſemel Benedicto ſatisfecerimus, manebit Bernardo & alijs ſatisfactum, qui contrariam propugnant, quà opinionem S. Benedicti.

485 Reſpondeo igitur, textum illū, *& quod vtilius iudicauerit, faciat*, intelligendum eſſe de negotijs concernentibus communitatem tantùm, non verò de illis, quæ concernunt quēcumque in ſingulari. Pro quo eſt animaduertendum, rei extrinſecæ proprietatem non pertinere ad ſingulos Monachos, vt de ſe patet: non ſpectare ad Abbatem, vt perperam quiſpiam ex noſtris olim ſentiebat, qui tandem in meliorem frugem ſe recipiens plurima præſtitit, vt eradicaret zizania ab Antiſtitum cordibus, quæ ipſemet ſeminauerat. Certè rerum dominium ad Abbatem ſolum pertinere improbabile eſt. Omnium, quæ monaſterij ſunt, communitas dominiū habet. Prælatus eſt ſolùm œconomus & diſtributor, habet tamen bene diſtribuendi ſummam authoritatem; quæ ſi legitima aut lege, aut conſuetudine non limitetur, ſuprema eſt: & etiā in diſpoſitione grauium rerum, qui tenetur ſuos conſulere, non tenetur ſequi, vt conſtat ex textus tenore, quē citaui.

486 Honori ſuo Monachi profitentes non cedunt, & ideo perpetuò illius domini remanent, & in hoc genere ſunt proprietarij. Cùm Nouitius ad profeſſionem admittitur, agitur de honore, quiete, atque ſalute vniuerſorum; idcircò debent vocem habere deciſiuā, & independentem à diſpoſitione ſui Abbatis. Vnde qui rem extrinſecā abſolutè gubernat, vt Nouitios dimittat, etiam abſolutiſſimus eſt, vt ſuprà expoſui; vt monaſterio incorporet, non eſt abſolutus, ſed dependet à decreto ſuæ communitatis.

Ad maiorem doctrinæ poſitę claritatem dico Primò, poſſe Religioſum etiā in honoris materia ſuperioris voluntati ſubeſſe: puta, ſi vel hoc ſpecialiter voueat, vel legem latam de hac materia voluntarius acceptet, vel religionem intret

tret

trêt in qua huiuſmodi ceſſio debet fieri. Dico ſecundò talem iuris naturalis ceſſionem non videri à Benedictinis euidenter factam, adeoque illos poſſem honorem illibatum & innocentem contra quemcumque iniquum inuaſorem probabiliter ſaltem ſeruare etiam ſi ille Prælatus ſit, & authoritate ſua abutatur infames ad profeſſionem promouendo.

DVBIVM TERTIVM.

487 Solent aliqui mordicùs procedere contra Nouitios in eorum incorporatione, & alios concitare authoritate, poteſtate. Procedunt bene?

Reſpondeo, hos directè agere contra communitatem, quando in aliquem actum conſpirant, & aliquos iuniores, qui ſunt communitatis membra, priuant libertate politica, & in ſuam ſententiam ducunt inuoluntarios. In nouitiorum approbatione, nullus minis, promiſſionibus, præcibus aut dignitatis authoritate aliorum mentes inflectat, ſed aut vnumquemque committat ſuæ cõſcientiæ, aut ſolùm ipſi exponat ſinceram veritatem, ſimulque oſtendat ſe indifferentem eſſe, ne alter timoris cauſa vocem aut concedat, aut neget contra dictamen. Cùm autem Nouitiorum vita & mores ab omnibus obſeruentur, & nemini domeſtico poſſint eſſe incogniti, periculoſum reor quòd aliquis, qui in monaſterio pollet authoritate, exponat ſuam ſententiam: illi enim qui ipſi adulari deſiderant, ſubſcribent inconſideratè. Huic inconuenienti obuiam itur in multis locis, vbi ſanctum eſt intemeranda lege, ne quiſpiam dictamem ſuum explicet in electionibus, imò qui ſe explicuerit, iudicatur paſſione agi, ac propterea caret voce. Prudentes dicunt, vox mea fauebit iuſtitiæ, ſimiliter & veſtræ faciant.

DVBIVM QVARTVM.

488 Quiſpiam Religioſus in admiſſione vnius. Nouitij dixit ſimilia verba: *Proteſtamur hoc fieri contra dictamen noſtrum*. Conſulor in genere, quid ſentiam de ſimili proteſtatione, cuius cùm mihi ſint ignotæ circumſtantiæ, iuuat poſſibiles omnes diſcutere.

489 Dubito; vtrùm ipſe loqueretur nomine ſuo, an nomine communitatis; nẽpe, vtrùm illud *proteſtamur*, ſit; *Nos, talis proteſtamur*, aut ſit; *Nos tales proteſtamur*. Vidi ſemel in proteſtatione de re iuſta caderet, quempiã, quia non ſuo nomine ſed nomine aliorum proteſtabatur, à quibus non habebat proteſtandi commiſſionem. Si proteſtatio fit ab vno, nomine plurium, petatur à proteſtante illorum plurium authentica commiſſio, quam ſi non exhibuerit, tanquam reus mendacij in publico foro commiſſi puniatur: falſarius.n. eſt, & fidem violat debitam publico tribunali, qui loquitur nomine illorum, à quibus nõ accepit talem authoritatem.

490 Si proteſtans ſuo nomine proteſtetur, habet proteſtandi authoritatem; ſed examinanda eſt materia, quæ ſubeſt huiuſcemodi proteſtationi.

491 Si Nouitij admiſſio erat veſtitio, & tamen nulla ſpecialis lex veſtitionem nouitij ad Religioſorum adligauit ſuffragia, innepta proteſtatio quæcumque eſt: quia cùm Religioſi in Nouitiorum veſtitione aut nullam, aut tantùm conſultiuã vocem habeant, poteſt Abbas quemcunq; Nouitium veſtire inconſulto Conuentu, quod ſi eum conſulat, non iuris, ſed vrbanitatis actus eſt; & ideò non tenetur eos ſequi ex iure, ſed ſolùm ex vrbanitate: nec inurbanus dici poterit, qui pauciores ſequitur, dummodo aliquos ſequatur, Ius hominem indifferentem reddit: vrbanitas inciuilis eſt in indifferentia. Si de iure agitur, iniquus es, qui non ſubſcribis pluribus quamlibet tibi infen-

ſis; ſi de inurbanitate, inciuilis es, qui deſeris magis amicos, dum potes illis adhærere.

492 Si Nouitij admiſſio, erat approbatio, prima, ſecunda, aut vltima; aut ſi fortè veſtitio, talibus implicata legibus, vt ſine vocibus deciſiuis admitti non poſſet, videam, obſecro, quid talis monachus proteſtabatur. *Proteſtor hoc fieri contra dictamen meum*, ait, quid inde? Abbas non tenetur ſequi vnius ſententiam, ſed plurium: & legitimè incorporatur monaſterio, qui ex plurium decreto Pauciores inclamare nō poſſunt (imò debent cohiberi, ſi faciant) quando ex plurium ſententia decernitur, talem debere admitti; niſi fortè velint aliquos approbantium reos agere, & voces incapaces arguere; ſed hac proteſtatio præcedere deberet ipſam approbationem. Ille qui poſt approbationem aut electionem, aliquam vocem illegitimam fuiſſe aſſerit, audiendus eſt, puniendus tamen propter negligentiam. Omnia in ordine non niſi ordinatè debent fieri.

493 Non cognoſcere modum dandi ſuffragia, ignorantia ſumma eſt; tenentur omnes, qui habitant in communitate, publicas obligationes ſcire, vel ſi neſciant aut dubitent, interrogare. Omnes, nemine dempto, in hoc conueniunt; quod ſtandū ſit pluribus: ſemper id, quod plures decernunt, omnes præſtant. Conuocantur ad Capitulum Monachi, vt ſciatur quid Communitas ipſa debeat facere: & plures decernunt, quod ſunt omnes facturi. In Parlamentis hæc eſt praxis. Iudices exhibent ſuas voces, qui communiter ſunt quinque, & aliquando tres. Si ſint quinque, & tres abſoluant reum, quem duo cōdemnant, abſolutus exponitur per ſententiā, quæ nomine omnium quinque fertur, & quam omnes quinque firmant manu propria. ¶ Et ne praxes externas & peregrinas adducam, in electione Prælati ille Abbas ab omnibus admittitur, quem plures elegerūt, nec poterit quiſquam dicere: ipſe non eſt mihi Abbas, non enim eum elegi; ſufficit eum habuiſſe plurium voces legitimas, vt ab omnibus cenſeatur electus, & omnes teneantur ipſum admittere, & audire. ¶ Si aliquis ſæcularis velit contractum facere cum communitate, decretum à pluribus dependet, & quod plures decernunt, vniuerſi exequuntur. Fit inſtrumentum publicum, cui omnes ſubſcribunt, nempe etiam illi contra quorum ſententiam illud pactum initur; quia in communitatibus omnes compromittūt in plurium decreto, & reſolutione plurium etiam pauciores ſtare debent. Scio aliquid contrà reperiri in vno Generali Ciſtertienſium Capitulo ſed id ipſum non placet.

494 Sic à fortiori, in incorporatione Nouitiorum. Congregantur Religioſi, reſoluturi vtrùm debeant approbari ab omnibus, aut reijci. Plures reſoluunt, quid omnes debeant facere. Ergo Nouitius, qui fuit approbatus à pluribus, cenſendus eſt approbatus ab omnibus nempe etiam ab illis qui illi vocem negarunt: quoniam ex reſolutione plurium, approbatur à tota Communitate: & in virtute iſtius approbationis, eum Abbas incorporat congregationi.

Plurium voces ſequi tenetur Abbas dixi, non meliorum: tum, quia meliores quis cognoſceret? deberent authenticè decerni per meliorum ſuffragia, & daretur vitioſus circulus, aut proceſſus in infinitum neceſſarius, tum etiam quia licèt meliorum & magis qualificatorum voces maiorem haberent efficaciam in alijs caſibus, in præſenti nec debent, nec poſſunt: quia agitur de honore vniuſcuiuſque & ſuæ reputationis non eſt magis dominus Prælatus, quàm ſubditus: non magis ſenior, quam iuuenis.

DVBIVM

DVBIVM QVINTVM.

495. IN MONASTERIO N. erant Religioſi quindecim in Capitulo congregati, vt approbarent Fratrem N. nouitium. Octo negarunt illi vocem, ſeptẽ dederunt, quibus Abbas ſubſcripſit. Petitur, an talis Nouitius debet expelli, an retinere.

496. Reſpondeo, Abbatem habere vocem actiuam in talibus approbationibus, ac proptereà dicendum eſt, illi Nouitio octo voces fauiſſe, ac offuiſſe octo alias. Vnde, cùm res ſit in æquilibrio poſita, pendebit ab Abbatis arbitrio, vtrùm admitti debeat. Cumque vox Abbatis illi faueri t, vt ſupponitur, conſequens eſt, vt faueat etiam definitio, & approbatus declaretur: quia, cæteris paribus, ſemper eſt potior pars Abbatis.

497. Hæc omnia dicta ſunt contrà Panormitanum *in cap. Apoſtol. de regular.* citatum à Miranda *in Manual. Pral. q. 24. art. 4.* qui cùm fuerit doctiſſimus, & in iure Benedictino optimè verſatus, non poteſt non facere ſententiam probabilem, ſed eſt probabilior oppoſita, quã explicui, & ſemper propugnaui. Panormitani fundamenta expendit curioſè idem Miranda *vbi ſuprà q. 15. art. 2.*

Abbatem habere actiuam vocẽ, certiſſimum eſt Conſtitutiones Congregationis SS. Vitonis, & Hydulphi valde limitant Abbatum ſuorum authoritatem, & ferè omnia remittunt Capitulis, videlicet generali atque particulari; nihilominus expreſsè admittunt Prælatum habere in Nouitiorum approbatione actiuam vocem. Vide quæ dicuntur ad cap. 58 Regulæ.

DVBIVM SEXTVM.

498. QVISPIAM Abbas ſine ſuorum conſilio, aut ſaltem non ſubſcribens pluribus, Nouitium incorporauit monaſterio. Petis, vtrùm Abbas ille peccauerit, & talis Nouitius ſit re verà profeſſus.

Reſpondeo, eſſe improbabile, quod peccauerit Prælatus talis; non enim peccat mortaliter aut venialiter, qui probabili ſententiæ ſubſcribit, vt ſæpe diximus. Sentẽtia autem D. Bernardi probabilis eſt: habet enim pro ſe literam D. Benedicti clarè loquentis. Authores qui contrà D. Bernardum agunt, non loquuntur de Benedictinis, ſed de omnibus in communi: & ideò eorum reſolutio apud nos videtur limitari lege particulari.

499 Addo, eſſe probabile illum ſic incorporatum monaſterio, fuiſſe re verà profeſſum, & eſſe probabilius, profeſſum non fuiſſe.

Hinc colligitur, illum poſſe habitum relinquere cùm voluerit, & poſſe etiam dimitti; quia in his quæ ſunt merè probabilia, poſſumus ſubſcribere cuicumque parti.

500. Colligitur ſecundò, ſucceſſorẽ illius Abbatis poſſe taliter profeſſum dimittere. Sed maior eſt difficultas, vtrùm ille ipſe Abbas, qui hunc inconſultæ aut in vitæ congregationi incorporauit poſſit ipſum dimittere.

501. Reſpondeo, hominum eſſe, mutare dictamen; & quando motiua ſunt merè probabilia, mutari ſine difficultate poteſt. Manente priori dictamine, illum non poſſet dimittere; poſſet tamen valedicere Panormitano, & ſubſcribere noſtræ ſententiæ vtpotè probabiliori, & ex ſuppoſitione quod nobis ſubſcriberet, deberet cenſere illum non eſſe profeſſum, & quem crederet non eſſe profeſſum, bene poſſet dimittere.

502. Monachus ſic dimiſſus, haberet cauſam appellandi legitimam, quia haberet probabilitatem: Superior immediatus poſſet ferre quamlibet ſententiam: & ſi decerneret eum debere in ſuo monaſterio recipi, ferret ſententiã iuſtam, vtpotè probabilem: Abbas, qui

cum

eum dimiſerat, ſuæ partis probabilitati inſiſtens, non teneretur mutare dictamen. Lis deberet deduci ad forum exterius: vinceretque ille, qui haberet maiorem poteſtatem. Interim, quoad interius forum, omnia ſemper manerent probabilia. Excipe caſum in quo alterutrum eſset expreſsum lege valida aut declaratione Communitatis: quia ſi hæc vni tantùm parti vellet inſiſtere, cùm ſit ſuæ libertatis domina, poſset: & ſi hoc faceret, ceſsaret illa probabilitas, de qua actum.

DVBIVM SEPTIMVM.

503. Abbas N. præcepit in virtute ſanctæ obedientiæ ſuis Monachis, ne quis ſine cauſa legitima negaret ſuam vocem. Nouitio N. qui exponebatur approbandus. Petitur vtrùm ille, qui ſine cauſa legitima illi negauit, vocem peccauerit, & teneatur ad reſtitutionē.

504. D. Benedictus non vult aliquem Nouitium dimitti ſine iuſta cauſa, colligo ex illis verbis: *Si perſeuerauerit,* —— *& illatas ſibi iniurias, & difficultatem ingreſſus, poſt quatuor, aut quinque dies viſus fuerit patiēter portare, & perſiſtere petitioni ſuæ, adnuatur ei ingreſſus*. Et pòſt: *Si promiſerit de ſtabilitate ſua*, & poſtmodum, *Si adhuc ſteterit;* & inferiùs, *Si adhuc ſtat*, & tandem, *Si habita deliberatione promiſerit ſe omnino cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſeruare, tunc ſuſcipiatur in congregatione*. Iubet igitur Benedictus Nouitium congregationi incorporari, ſi ſuis ſatisfecerit obligationibus.

505. Hæc ſanctio noſtri Legislatoris, vt conſtat ex his quæ diximus *diſp.* 7. pręcepta non eſt ex ſe, eſt tamen pręceptibilis ab Ordinario Antiſtite, qui, vt in caſu ſupponitur, hoc præcepit ſuæ communitati.

Dico igitur in tali caſu, illum, qui ſine cauſa negat vocem Nouitio, peccare mortaliter, nempè contrà præceptum obedientię. Nouitio autem nullam iniuriam inferre, ac proindè non teneri ad reſtitutionem. Vide ea quæ *concl.* 20. dicebamus.

506. Poſſet probabilius à graui culpa talis excuſari, ſi bene perpendamus ea quæ diximus citata *concl.* 20. Iubet S. Pater, quod ante probationem promittat Nouitius ſtabilitatem ſuam, hoc eſt, ſe non eſſe egreſſurum ſine cauſa, & ex ſuppoſitione quod Nouitius non erat egreſſurus ſine cauſa, iubet ſuis ne illum eijciant, ſi dignus fuerit remanere. Omnia autem, quæ pendent à conditione, hac ſublata, ſunt nulla. Ergo Benedictino hęc ſanctio non habet vim deficiente conditione, cui innititur: ergo deficiente tali conditione, non eſt præceptibilis communitati.

DVBIVM OCTAVVM.

507. Si aliquis Nouitium incorporet abſque commiſſione Prælati, profeſſio erit inualida: ſi autem fecerit ex commiſſione Abbatis, petes, Quid iuris?

Dico primò, non requiri mandatum Abbatis, vt malè aut putat, aut loquitur Leſſius *de iure, & iuſt. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 7. vbi fortè nomine mandati intelligit commiſſionem. Commiſſio debet dari authentica, & poteſt non ſubdito. Datur ſæpe vel Abbati hoſpiti vrbanitatis cauſa, vel alicui perſonæ notabili: in latiſſimo Ordine tantùm vidi ſemel apud Hiſpanos dari Priori in Monaſterio Caraſseti: ſemel apud Belgas in Monaſterio Monialium Groningano, in quo eruditiſsimus D. Bernardus Botteyn aliquarum profeſſionem recepit, ex D. Bernardi Campmans Abbatis Dunenſis mandato. Commiſſio authentica cenſetur, quæ publica: hoc eſt, in ſcriptis cum teſtibus, ſi Abbas committens fuerit abſens: vel ſi incorporatio ita publicè fiat, vt Abbas Ordinarius non poſſit cenſeri ignoraſse: tunc pru-

prudentum iudicio non fecit ſine commiſſione qui publicè fecit Ordinario Antiſtite ſciente & non reclamante. Menoch. *tom.1.p.299.n.88.*

508 Fallitur Syluest. *v. Religio. 3. quæſt.* 18. Angelus *ver. Profeſſio. n.1.* dum poſtulat ratificationem Ordinarij Prælati ad valorem incorporationis. Fallitur, inquam: quia incorporatio verus contractus, eſt & qui fit ex legitima commiſſione ſemper eſt validus, modò commiſſarius limites in commiſſione præſcriptos non excedat: puta, ſi concederetur illi talis authoritas ſub aliqua conditione aut limitatione omnia enim iſta deberent obſeruari.

Si abſque commiſſione ſui Abbatis admiſſus ſit, non remanebit profeſſus, etiam ſi Abbas ratificet incorporationem: quia vt bene notat Leſſius ex reg. 9. de regulis iuris in ſexto, *ratum nemo habere poteſt, quod ſuo nomine geſtum non eſt.* Scio tamen ratificationem in inualidis matrimonijs à nonnullis probabiliter ſumi vt valida ea reddantur, qui eodem modo de profeſſione inualida poterunt philoſophari.

DVBIVM NONVM.

509 Petrus vota emiſit in manibus commiſſarij non habentis legitimam authoritatem. Petitur, an maneat obligatus, & quomodo?

Leſſius probabile iudicat manere obligatum voto ſimplici (quia de ſolenni non eſt dubium;) mihi ab intrinſeco hoc non eſt probabile: quia intentum vouentis non fuit, emittere ſimplicia vota, ſed ſolennia: & ſi ſolennia non emiſit, nulla emiſit. Moribundus Petrus teſtatur ſe condere teſtamentum, non codicillum: poſtea aliqua ex circumſtantia redditur teſtamentum inualidum, quod haberet valorem ſi fuiſſet codicillus: non tamen ex eo quod teſtamentum validum non eſt, validus codicillus eſt, ſed neutrum eſt. Sic ſimiliter vota ſolennia, quæ ſolenniter ſunt inualida, non habent ſimplicium valorem, ſed ſunt neutra, hoc eſt, nec ſimplicia, nec ſolennia.

DVBIVM DECIMVM.

510 Petis vtrùm Religioſus aliquis particularis poſſit recipere Nouitij profeſſionem ex commiſsione legitima Prælati.

Quicumque Religioſus licèt ſit laicus, ex Prælati cõmiſsione poteſt Nouitium incorporare monaſterio. Ita Villalobos *in ſumma tom.2. tract.35. difficult. 20. num.* 5. Bartholomæus de Vechis *in praxi diſp.12. dub.1. numer.* 17. Cuchus *in inſt. lib.3. tit.1. de Regul. num.*54. & Diana *part.3. tract.2. de dubijs Regul. reſol.*70.

Petis etiam, An id ipſum poſsit quicumque ſæcularis? Reſpondeo poſſe, niſi iure ſpeciali impediatur, vbi enim ſpecialia iura reperiuntur, debebunt omnino obſeruari.

LIBER SEPTIMVS.

De Monachorum profeſſione.

511 *PRofeſsionis expreſsè formula quæ ex Regulæ præſcripto eſt in vſu apud Benedictinos, ſatis intricata, eſt, & commentario indiget, vt bene intelligatur. Hanc ob rem operæpretium iudicaui, verba ſingula profeſſionis expendere, vt cognoſcamus penitus quid profeſſi ſumus, quid non profeſſi; & inde penitiùs præuidere poſſimus, qui debeamus dirigi, vt obligationi ſolenni reſpondeamus.*

Hinc poterunt Ordinum aliorum Religioſi obligationes ſuas expendere, diſcurſu parallelo. Plerique enim non tam ſeruare Regulam, quàm viuere ſecundùm Regulam profeſſi ſunt.

DISPVTATIO XLII.

Expenditur Profeſſionis formula.

512 PRofeſſionis tenorem expoſuit Benedictus c.58. his verbis: *Suſcipiendus autem in Oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, & conuerſione morum ſuorum, & obedientia coram Deo & Sanctis eius. —— de qua promiſſione faciat petitionẽ* (nempe, publicum inſtrumẽtum in ſcriptis) *ad nomen Sanctorũ, quorum Reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſẽtis.*

513 Hanc ſanctionem reduxerunt ad praxim Ciſtertienſes; his verbis.

EGo Frater N. (Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acolytus Clericus, vel Laicus) promitto ſtabilitatem meam, & conuerſionem morum meorum, & obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti Abbatis, corã Deo & omnibus Sanctis eius, quorũ Reliquiæ hic habentur in hoc, vel illo loco, qui vocatur N. Ciſtertienſis Ordinis, conſtructo in honorem Beatiſsimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ; nec non Beati N. in præſentia Domini N. Abbatis.

514 Hæc eſt verborum formula, qua vtuntur Monachi Ciſtertienſes extra Hiſpaniam, per vniuerſum Ordinem: Conuerſi verò in Belgio ſub hoc verborum tenore vota emittunt.

REuerende Domine, promitto vobis obedientiam in bono, vſque ad mortem. Sed in Generali Capitulo iam eſt diſpoſitum, eos debere vti eadem formula, qua monachi. Quod non eſt extendendum ad Donatos, qui, cùm reuera non ſint Religioſi, ſimplici forma vti debent, non ſolenni.

515 In Hiſpania olim Monachi & Fratres Laici vtebantur his verbis.

EGo Frater N. promitto ſtabilitatem meam, conuerſionem morum meorum, & obedientiam vobis Reuerendo Domino N. Abbati, & ſucceſſoribus veſtris coram Deo & omnibus Sanctis eius quorum Reliquiæ hic habentur in hoc loco conſtructo in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Et quidẽ videtur congruũ, quod Conuerſi, qui eſſentialia ſolenniter vota emittunt, etiam formula ſolenni vtantur.

516 In Congregatione SS. Vitonis & Hydulphi fit profeſſio monaſtica hiſce verbis.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Anno à natiuitate

eiuſdem

eiuſdē N. ego Dominus N. de tali loco, promitto ſtabilitatem meam, & conuerſionem morum meorū, & obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti, coram Deo, & omnibus Sanctis, quorū Reliquiæ habentur in hoc Monaſterio Sancti N. in præſentia Venerandi Patris Domini N. eiuſdem Monaſterij Superioris, & Monachorum eiuſdem Monaſterij, ſub Congregatione Sanctorum N. & N. ad cuius fidem, hanc petitionē manu propria ſcripſi, die quo ſuprà.

Hæ profitendi formulæ in nulla circumſtantia eſſentiali differunt; diſſentiunt tamen in accidentalibus, quas breuiſſimè expendam.

S. Vitonis Congregatio exprimit diem; qui etiam iuxtà noſtras diffinitiones debet ſubiungi in fine. Quod autem dies, menſis, & annus præponantur, aut poſtponantur, perindè eſt.

Qui vota emittit, apud Ciſtercienſes, ſe vocat *Fratrem*, apud Dominos S. Vitonis *Domnum*. Certè, meo iudicio, neutrum debet. Ne ſe *Domnum* nominet, quia, vt colligitur ex cap. *63.* Regulę, is eſt Abbatis titulus, quem nullus ſibi debet arrogare particularis. Ex præſcripto Regulæ, maiores debent vocari *Noni*, inferiores *Fratres*; atqui reſpectu ſui ipſius, nemo, aut minor, aut maior eſt: ergo nec ſe *Nonum* nec *Fratrem* nominet, ſed nomen nudum proferat, dicens *Ego N. &c.* Quod ſi velit nomen aliquod addere, potiùs ſe vocet *Fratrem*, quàm *Domnum*. Vide Commentarium citati Capitis num. 1477. & num. 1145. b. Huic Reſolutioni adnuunt Sapientiſſimi Viri Benedictini, inter quos præcipuè nudū nomen in epiſtolis ad me datis prudenter ſubſcribūt.

517 Stabilitatem omnes promittimus, & morum conuerſionem; quid ſtabilitatis nomine intelligendum ſit, oſtendo *diſp.* 44. *&c.* quid conuerſionis nomine, expendam *diſp.* 47. *&c.* de Caſtitate *diſp.* 66. *&c.* de paupertate *diſp.* 57. *&c.* de Obedientia *diſp.* 50. *& ſeqq.*

Hoc vel illo loco, Ciſtercienſes in formula exprimunt, vt ſciamus non eſſe neceſſariū, quod profeſſio fiat in Monaſterio, ſed quod poſſit etiam fieri extrà Monaſterium in domo Nouitij, vt factum eſt, tum alibi, tum Salmanticæ, dum ibi eſſem auditor.

Dei, & Sanctorum nomina ponuntur, teſte D. Benedicto, *vt ſi aliquandò monachus aliter fecerit, ab eo ſe damnandum ſciat, quem irridet.*

518 Illud quod olim ab Hiſpanis in profeſſione ſolenni expreſsè dicebatur, nempè *promitto —— obedientiam vobis Domino N. Abbati.* Primò, contrà communem vſum Ordinis erat; quia, vt conſtat ex rubricis ordinis communibus, votum non fit Abbati, ſed Deo; in præſentia tamen Abbatis. Tenorē enim verborum, quibus vtuntur Hiſpani, nemo leget, qui non indicabit, ex vi illorum illam promiſſionem fieri ipſi Abbati, quod eſt abſurdum; vota etenim fiunt vni Deo: vnde remanet hæc Hiſpanæ formulę circumſtantia corrigenda; quoniam, quantùm à communi ritu exorbitat, tantùm à ratione deuiat, & veritate. Nec ipſi Hiſpani hanc hodiè ſeruant; ſunt enim homines doctiſſimi in varijs monaſterijs, qui illam reformarunt: vnde iam in recentibus rubricis exponitur communis formula, & obſeruatur.

519 Hæc accinit noſtri Legiſlatoris menti expreſſe, ſic enim ait *cap.* 58. agens de inſtrumento profeſſionis cōdendo; *De qua profeſſione ſua faciat petitionem ad nomen ſanctorum, quorū Reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis.* Promiſſionem non debere fieri Abbati, ſed Deo præſente Abbate, conſtat tum ex citato Benedicto, tum clariùs ex noſtro mellifluo Doctore, qui mentem D. Benedicti mutuam accipiens, animauit calamum (epiſtola 7.) his digniſſimis verbis: *Notum eſt, ſolemniter ac regulariter profiteri quemque in præſentia Abbatis. In præſentia ergo tantùm:*

non ad nutum ipſius, ſit cuiuſque profeſſio. Teſtis adhibetur Abbas, non Dictator profeſſionis: adiutor, non fraudator adimpletionis: vindex, non author prævaricationis. Dictator nomen eſt officij militaris. Locus qui dignè expendi poſſet ſi vacaret. Abbatem eſſe merum teſtem profeſſionis monaſticæ, docuit idem mellifluus Doctor *de præcepto & diſpenſat*.c.24. vbi ſic: *Sponſio profeſſionis, quando ex more ſit in oratorio de Abbatis vita non ſumit terminũ, ſed de præſentia teſtimonium.*

Dabo eumdem *epiſt*.7. adhuc clariùs loquentem. Sic ait *Præſertim cum in profeſſione regulari ſic promittatur ſtabilitas, vt de ſubiectione Abbati exhibenda nulla penitùs mentio ſiat.*

Perperam ergo faciunt illi, qui hanc periodũ. *In præſentia Domini N. Abbatis*, eliminant à profeſſione: videntur enim velle corrigere & ſanctionem B. Patris noſtri Benedicti, & declarationem D. Bernardi.

520 In quopiam Benedictinarũ monaſterio erat hæc ſolennis profeſſionis formula. *Ego Soror N. promitto ſtabilitatem meam, conuerſionem morum meorum, & obedientiam ſecundùm noſtram reformationem, coram Deo, &c.* Vbi mutantur communis inſtrumenti verba; quia vbi nos, *obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti*, ipſe promittunt *ſecundùm ſuam reformationem*. Carpendæ?

Reſpondeo, idem, eſſe, promittere obedientiam ſecundùm reformationem A, ac promittere illam ſecundùm Regulam Sancti Benedicti, prout hæc exponitur & recipitur in reformatione illa: ac propterea fruſtrà innouatur vouendæ conuerſionis formula cum in illa nihil noui exprimatur, quod non contineatur in antiqua.

Vt hoc meliùs intelligas, iuuabit legere *libelli de præcep. & diſp. caput vigeſimum*. Ciſtercienſis (vt ibi expendit noſter mellifluus Doctor) profitebatur obedire ſecundùm Regulam ad literam, Cluniacenſis ſecundùm Regulam mitigatam; nihilominùs vtebantur eiſdem prorſus verbis: quia vnuſquiſque vouebat conuertere ſuos mores, & obedire ſecundùm Regulam quà receptam in ſuo monaſterio, cumque apud Ciſtercienſes ſeruaretur ad literam, & apud Cluniacenſes quoad aliqua eſſet mitigata; inde erat quod profitens apud Ciſtercienſes cẽſeretur obedientiam ſecundùm totam Regulã polliceri, emittens autẽ vota apud Cluniacenſes, promittere obedientiam ſecundùm illam partem Regulæ, quæ obſeruabatur in illo monaſterio.

Ergo ſimiliter, Moniales reformationis, quibuſcumque verbis vtantur, profitẽtur obedire ſecundùm Regulam, non quà acceptatã & intellectã Ciſtertij, aut Cluniaci, ſed quà receptã in monaſterijs ſuæ reformationis, Ineptè igitur formulã loquendi variant, quæ meliùs plauſibiliùs loquerentur vt multi.

DISPVTATIO XXXXIII.

De ſtabilitatis & perſeuerantiæ promiſſione, quæ ex mente D. Benedicti debet ante initium probationis fieri.

521 STabilitas bis promittẽda eſt ex mente D. Benedicti. Priùs in Nouitiatus limine, poſteriùs in ipſa profeſſione. Proderit ſubiungere periphaſin capitis 58. Vbi primò decernit Sanctc Pater modum examinandi eum,

qui

qui conuerſionis cauſa venerit ad monaſterium. Deinde, quarto vel quinto die examinatum deduci iubet ad cellam hoſpitum. In hoſpitio, ſecundum mores noſtros, remanet quaſi quindecim diebus, interim videt omnia, quæ fiunt in communitate, ne quid remaneat incognitum. Poſt quindecim aut plures dies, committitur Magiſtro Nouitiorum. Is ex præſcripto Regulæ debet eſſe *ſenior talis, qui aptus ſit ad lucrandas animas, qui ſuper Nouitium omninò curioſè intendat, & ſolicitus ſit, ſi verè Deum quærit, & ſi ſolicitus eſt ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura & aſpera, per quæ itur ad Deum.* Sub diſciplina Magiſtri Nouitiorum quaſi octo diebus experitur Ordinis difficultates. Ad Matutinas horas venit, ad caſuum lectionem, ad acroaſin muſices, & ad reliquos actus communitatis, ad quos admittuntur Nouitij. Iubet S. Pater, quod cum Nouitijs comedat, & dormiat in ipſo Nouitiatu. Ad capitulum non venit, quouſque induatur.

522 *Et ſi promiſerit de ſtabilitate ſua perſeuerantiam.* Ecce antequam Nouitius veſtiatur, promittere perſeuerantiam debet; & poſteà incipere annum probationis. Bene ſe gerenti, poſt duos menſes legitur Regula, & poſt ſex relegitur, poſt quatuor iterum eadem ipſi repetitur lex, ne laboret ignorantia. Duo menſes, ſex, & quatuor, annum integrum complent; atqui ante illos duos priores mēſes debet fieri promiſſio ſtabilitatis: ergo hæc debet præcedere annum Nouitiatus. Igitur non debent veſtiri Nouitij, nec probationis tempus incipere, quin, iuxta voluntatem D. Benedicti, vouerint ſtabilitatem.

Sed quam ſtabilitatem debent ipſi promittere? certè formula talis promiſſionis non reperitur apud Regulæ commentatores, ſed ex ipſamet Regula colligitur ſatis conſpicuè. Poſt duodecim menſes completos, ait D. Pater, *ſi habita ſecum deliberatione promiſerit ſe omnino cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſeruare, tunc ſuſcipiatur in congregatione.* Ergo talis ſtabilitas ante Nouitiarum ex Benedicti mente debet promitti, quæ relinquat locum prudenti deliberationi, non tamen imprudenti. Ex Diui Patris verbis ratione illuſtratis, & hiſtorijs expenſis, promiſſionis tenorem reducerem ad iſta verba.

EGo N. promitto ſtabilitatem, prudentemque perſeuerantiam, proteſtans me non eſſe egreſſurum ex monaſterio ſine cauſa legitima, & occaſione prudentum ſententia ſufficienti.

Ecce noſtri Legiſlatoris & diſcretionem ſummam, & in decernendis rebus maximam æquitatem. A iuſtitia deflectimus, quoties à Benedicto. Hodie probationis annus iniquus communitati eſt, ſi aſſeramus Nouitium non poſſe eijci, ſine occaſione graui. Si probationem æquam facias vt debet fieri, non eris Nouitijs rigoroſus. O ſi tandem obſoletos mores reſtitueremus, & obediremus Benedicto nec Nouitijs minus benigni, neque iniqui communitati videremur. Qui ſine cauſa poteſt egredi, poſſit etiā ſine cauſa dimitti: hoc æquitas & ratio expoſcit. Prouidet S. Pater ne Nouitius ſine occaſione dimittatur: ne autem cenſeretur iniquus Conuentui, iubet eum ante annum probationes polliceri, ſe non eſſe Ordinem deſerturum ſine cauſa. Vide ea quæ dixi ſuprà *diſp. 40. concl. 19.*

§. *Hanc doctrinam fuiſſe communem apud Anglos.*

523 Omnes qui ad Religionis Benedictinæ habitum adſpirant, debere promittere ſtabilitatem rationabilem, probaui & expoſui ex verbis noſtri Patris clariſſimis: ſupererat mihi ſcrupulus (fateor) vtrum illa ſanctio à me vno taliter expenderetur, an præter textus literam, quam diſertiſſimam

cenſeo, darentur etiam alij authores, qui meam expoſitionem confirmarent? Accidit, vt legenti Clementis Reyneri librum de Apoſtolatu Benedictinorum in Anglia, occurreret Diploma DD. Lancfranci Antiſtitis Dorobornẽſis (*in appendicis part. 3. ſcriptura 84. quæ eſt vltima, mihi pag. 211.*) quod ſic incipit: *Lancfrancus indignus ſanctæ Dorobornenſis Eccleſiæ Antiſtes, dilectiſſimis Fratribus ſuis Henrico Priori & cæteris, Salutem & benedictionẽ. Mittimus vobis noſtri Ordinis conſuetudines ſcriptas, quas excerpſimus ex conſuetudinibus eorum Cœnobiorum, quæ noſtro tẽpore maioris authoritatis ſunt in ordine Monachorum*. Capite 18. agit de Nouitijs ſuſcipiendis, & exponit modum quo ſuo tempore reciperentur, vbi inter alia ait: *Veniens aliquis ad conuerſionem de ſæculo, inprimis, ſicut alij hoſpites, ſuſcipiatur.* —— *Loquatur cum eo Abbas, vel Prior, vel aliquis ſpiritualis Frater cui iniũctum fuerit. Quod ſi deſiderium petentis ex Deo eſſe cognouerit, oſtẽdatur res Fratribus in Capitulo, quorũ* Audito Conſilio, *ſi ſuſcipiendum eum Abbas decreuerit ſtatuta die* —— *in Capitulum veniat, in loco vbi proſterni ſolet, ſe proſternat, interrogatus quid dicat, quàm humiliter poterit in his vel ſimilibus verbis, petitionem ſuam faciat: Dei miſericordiam, & veſtram ſocietatem & fraternitatem huius loci requiro, in hoc monaſterio monachus fieri & Deo ſeruire deſidero. Reſpondet ei Abbas, vel qui loco Abbatis* Ordini *præeſt; Societatem & conſortium electorum ſuorum concedat nobis omnipotens Deus: Et reſponſo à toto Conuentu* Amen, *iuſſus ſurgere, ſurgat: pronuntiẽtur ei dura & aſpera, quæ in hoc* Ordine, *perferunt, qui piè & regulaliter viuere volunt; item duriora & aſperiora, quæ ſi indiſciplinatè ſe habeat, ſibi poterunt venire. Quibus auditis, ſi adhuc in propoſito ſuo perſtiterit, & duriora & aſperiora ſe paratum perferre* Promiſerit, *reſpondeatur ei ab eo qui Capitulũ tenet: Dominus Ieſus Chriſtus ſic perficiat in vobis, quod pro eius amore* Promittitis, *vt eius gratiam vitam æternam habere poſsitis: & reſpondentibus omnibus* Amen, *ſubiungat: & nos pro eius amore, hoc tenore concedimus vobis, quod tam humiliter & tam conſtanter requiritis*. Poſtea tonderi eum iubet, & veſtiri, non cuculla, ſed Nouitiorum veſtibus.

Hic multa veniunt obſeruanda, notabo ſolum illa quæ mea interfuerint. Ecce antequam veſtiatur, promittit Nouitius ſe fore paratum perferre monaſticas pœnalitates: Ecce Abbas promiſſionem cognoſcit, admittit, ratificat. Igitur, iuxta communem ritum Ordinis, hæc promiſſio debebat fieri, ne temerè, & ſine cauſa legitima Nouitij ad ſæculum reuerterentur.

524 Noto etiam illud conſiliũ, quod à Fratribus petitur: quo audito, Abbas vnus decernit, vtrum recipi debeat, aut non. Noto equidẽ vt confirmer in ſententia, quę aſſerit Abbatem, cùm Nouitios ad veſtitionem recipit, non teneri conſiliũ à ſuis petere; & ſi petat, non teneri illorum dictamini ſubſcribere, ſed poſſe decernere quod Conuentui vtilius iudicauerit. Conſultò dixi, *Cùm Nouitios ad veſtitionem recipit*, quia cùm eos recipit ad profeſſionẽ, debet petere & ſequi conſilium plurium Monachorum, licèt contrarium probabiliter doceat D. Bernard. cui & Benedictini Angli ſubſcribunt, vt ſtatim videbimus.

Nomine Ordinis intelligit *Congregationem conuentualem*. Hinc clarius conſtat, qui debeant intelligi, qui diſtinguunt Ordine Ciſtercienſes à Benedictinis. Hi enim à reliquis Benedictinis non diſtinguuntur Religione bene tamen Ordine, ſi *Ordinis* nomine ſolùm intelligas *Conuentũ*, vt Abbas Lãcfrancus intelligit in præſentiarum. Sed de hoc vberiùs ſuprà, cùm de identitate Ci-

te Ciſtertienſium & aliorum Benedictinorum tractauimus.

525 Videntur Angli Benedictini ſolùm cogoſcere voces conſultiuas, etiam in profeſſione: quia paulò inferiùs lego in eodem Diplomate: *Tranſactis pleriſque diebus* (hoc eſt quaſi in fine anni probationis) *ſi vita eius Fratribus, & Fratrum, conuerſatio ſibi placuerit, monendus eſt à Magiſtro ſuo, quatenus roget Prioré & aliquos maiores Fratres, vt & ipſi pro eo intercedant apud Abbatem pro benedictione tribuenda & profeſſione ſuſcipienda.* Ergo voces Prioris & Seniorum in Nouitiorum profeſſione, cenſebantur à Benedictinis Anglis vim ſolummodo habere interceſſionis, & non reſolutionis. Additur. *Quod ſi cum benedicere Abbati non placuerit, ſtatuta die, in Capitulo, finito ſermone, in loco vbi ſolet, ſe proſternat, proſtratuſque pro impetranda benedictione petitionem faciat. Iuſſo eo ſurgere —— interrogat Abbas confidentes Fratres, quid inde ſentiant, & vtrùm precibus eius annuendum eſſe concedant. Quibus reſpondentibus ſe libenter concedere, adiungat, Et nos concedimus in nomine Domini.* Ergo vt cum benedicere Abbas valeat, non cenſent eſſe neceſſarium conſulere communitatem. Quod ſi Abbas noluerit eius profeſſionem admittere, ne temerè dicatur dimitti, qui temere non poterat egredi, conſulat ſuos; fortè enim, audito illorum conſilio, dignabitur illum recipere. Hic Anglorum mos eſt quaſi genus appellationis ab Abbate priuatim ſumpto, ad eundem in Capitulo ex ſuorum conſilio decernentem. Sed neque tunc Monachi dicuntur habere vocem decretalem, ſed ſolùmmodo conſultiuam, vt conſtat ex ſequentibus verbis. Dicitur enim de Nouitio, qui in Capitulo ab Abbate eſt admiſſus ad profeſſionem: *Vadat ad pedes Abbatis, vel eius qui* Ordini (ideſt *Conuentui) præeſt, ſi Abbas deeſt. Dehinc reuerſus in locum in quo ſtabat, flexis in terrā genibus humiliter inclinet antè & ad dexteram & ad ſiniſtram, gratiam referens Fratribus pro miſericordia, eorum precibus ſibi impenſa.* Igitur Fratrum voces preces fuerunt; quæ ſollicitâuerunt pectus Antiſtitis, vt illum Nouitium promoueret: non autem decreta, quæ ipſum cogerent & prædeterminarent. Hinc conſtat, opinionem D. Bernardi eſſe probabiliſsimam, & in praxi communi non ſolùm apud Gallos, ſed etiā apud Benedictinos Anglos ſeruatā.

Curioſus, cui vacat, legat totam ſcripturam apud P. Clementem Reynerum in Apoſtolatu Benedictinorum in Anglia, in fine. Eſt liber in folio, excuſus Duaci in Kellamia officina anno 1626. noto omnes has circumſtantias, vt faciliùs ſibi poſsit Lector comparare curioſam Hiſtoriam, quæ proſit intelligendis multis difficultatibus. Protocolon huius ſcripturæ, teſte eodem Reynero, reperitur in Palatio Dunelmenſi Londini.

Dicis, te non teneri obſeruare conſtitutiones Anglicanas. Fateor, ſed quādo conſtitutiones vnius Congregationis præſcribunt ſibi regulam exactiùs obſeruandam habent ſummam authoritatem in genere ſpeculatiuo, maximè, cùm hæ Lancfranci conſuetudines ſeu Benedictinæ Regulæ expoſitiones, confirmatæ ſint à Sede Apoſtolica. Conſtat ex Diplomate fundationi Sancti Albeni, quod reperitur in Bibliotheca Roberti Cattoni, teſte Reynero in Appendicis parte 1. ſcript. 40. in quo lego: *Glorioſus Rex Offa —— hanc Eccleſiā multarum poſſeſſionum libertatumque prærogatiua dotatam tradidit —— atque Monachis —— feliciter aptatis iuxta inſtitutionem & tenorem Regulæ S. Benedicti, ſub ipſo viuere regulariter ac reuerenter ordinauit.* Ecce Regis intētum erat, vt Regula in illo Monaſterio iuxta textus tenorem ſeruaretur. Sed ſubiungitur id quod attentè

 debet

debet legi. *Paulus Cadomenſis Monachus —— attulerat ſe cum conſuetudines Lancfranci, & ſtatuta Monaſtica à Domino Papa meritò approbata, cōſcripta*. Et paulò poſt: *Conſuetudines approbatas, & approbandas authoritate Lancfranci quondam Beccenſis Eccleſiæ Monachi, in Eccleſia S. Albani, eliminatis antiquis reprobandis conſtituit obſeruari*. Ergo Lancfranci conſuetudines erant iuxta tenorem Regulæ, & quâ tales tum à D. Papa approbabantur tum à Paulo Cadomenſi admittebātur. Hinc igitur argumentor ſic; Omnes Benedictini Angliæ mihi conſonant in huius capitis expoſitione, qui conſuetudine, conſtitutione, Pontificis confirmatione, & communi omnium approbatione expoſitionem ſuam confirmant; nullum vidi, qui contrarium docuerit; ergo probabilius iudico hanc eſſe mentem noſtri Legiſlatoris.

DISPVTATIO XXXXIV.

De ſtabilitate quæ in profeſſione ipſa promittitur.

527 Stabilitas, quæ ſub promiſsione cadit, duplex eſt; & Ordinis & Monaſterij. Tenetur profeſſus, in Ordine & in Monaſterio perſeuerare. Stabilitas in Monaſterio includit ſtabilitatem in Ordine; vtramque coniunxit D. Benedictus in prologo his verbis. *Proceſſu verò conuerſationis & fidei dilatato corde, inenarrabilis dilectionis dulcedine curritur via mandatorū Dei: vt ab ipſius nunquam magiſterio diſcedentes, in eius doctrina vſque ad mortē in monaſterio perſeuerantes paſſionibus Chriſti per patientiam participemur, vt regni eius mereamur eſſe conſortes*. Sanè ſtabilitas breuiſsimis verbis promittitur, indiget autem multis, vt bene intelligatur. Si perſeuerantiam, quam iuxta D. Benedicti mentem profitemur, vellemus expreſsè manifeſtam facere, vti deberemus hac formula. *Ego N. promitto vobis me incorporantibus ſtabilitatem in Ordine & in monaſterio ſecundum Regulam Sanctiſſimi Benedicti Abbatis, coram Deo & Sanctis eius &c.*

528 Stabilitatis promiſsio directè nō fit Deo, ſed hominibus, eſt enim inauditum in Ordine Benedictino, monachos teneri quatuor votis. Ergo præter tria vota eſſentialia, nihil vouiſti Deo, igitur ſi quid præter caſtitatem, obedientiam & paupertatem directè promiſeris, homini promiſiſti, non Deo, quia ſi Deo promiſiſſes, iam ligareris quarto voto; votum enim non eſt niſi promiſsio facta Deo. Hæc omnia clarè cōſtant ex Doctore mellifluo, qui ſtabilitatis promiſsionem cenſet eſſe pactum, quod profeſſus init cum confratribus, & Antiſtite. Ideo *lib. de præcep. c. 20.* aſſerit, eum qui illegitimè migrat ex monaſterio, *eſſe moleſtum Fratribus, inobedientem Seniori* (hoc eſt, *Antiſtiti*) *ſtabilitatis inſuper præuaricantem pactum: & primam irritam facientem fidem*. Ecce ſtabilitatis promiſsio pactum eſt, cui ſi non ſtes, contra Fratres & Seniorem (nempe Abbatem) delinquis.

Conſultò illud *directè* poſui, aliud enim eſt promittere expreſsè, aliud implicitè, aliud directè & aliud indirectè. Promittitur implicitè, quando expreſsè aliquid quod concomitari aliud debet neceſſariò, vnde idem eſt promittere implicitè ac promittere concomitanter. Promittitur verò aliquid indirectè quādo

do eſt medium vnicum & condiſpenſabile ad illud, quod directè promittimus. Et vt ſpecialiter rem totã explicẽ. Apud Dominos Benedictos vna & ſola promittitur obedientia, ſi formulæ expreſſum rigore ſpectemus: at quia obedientia ſolennis ſine Paupertate & Caſtitate ſtare non poteſt (nulla enim ex his tribus virtutibus ſolitariè ſumpta ſolenniter voueri poteſt) vbi obedientia ſolenniter vouetur; intelliguntur aliæ duę virtutes per concomitantiam conuoueri, non quidem expreſsè, ſed implicitè. Cùm igitur obedientia ſine ſtabilitate obſeruare non poſſit (quo enim ego modo regam abſentem ſubditum, quem vbinam habitet aut degat ignoro? nec caſtitas ſine Clauſura, (ſtabilitas locum reſpicit, clauſura peregrinorum colloquia) oportet Religioſos vtriuſque ſexus indirectè promiſiſſe ſtabilitatem vt medium in ordine ad obedientiam, clauſuram in ordine ad caſtitatem: tantam nimirum & talem, quę ſufficiat his finibus, non maiorem vnde non credimur ita ſtabilitatem ita clauſuram vouiſſe, vt non poſſimus omnino aut è monaſterio ęgredi, aut externos admittere etiam es Abbatis aut pręcepto aut licentia, ſicut in caſtitate relucet nam Monachus ne quidem de licentia Prælati poteſt vxorem ducere: ſed credimur ſtabilitatem vouiſſe vt medium ad obedientiã; clauſuram vt medium ad caſtitatem: adeoque ex vi huius directi voti poſſumus è monaſterio egredi quoties hæc ipſa egreſſio contrà obedientiam non eſt, & poſſumus fæminas in clauſuram introducere quoties hæc ipſa introductio non militat contra caſtitatem, aut ſpeciale aliquod mandatum ſuperiorum. Vnde cum ſtabilitas, & clauſura ſic expoſitæ, non voueantur propter ſe, nec vt finis, ſed vt medium; non vouentur quarto, aut quinto voto, ſed eodem quo vouetur obedientia vouentur omnia illa media quæ ſunt præcisè neceſſaria ad ipſius obſeruantiam, inter quæ præcipua eſt loci ſtabilitas: & conſequenter eodem, quo vouetur caſtitas, omnia illa media vouentur, quæ ad eius obſeruantiam neceſſaria ſunt, & inter ipſa præcipuè clauſura At quia nec caſtitas, aut Paupertas promittuntur, vt media ad obedientiam, nec hæc vt medium ad alias, diuerſis promittuntur votis, quia ſingulæ promittuntur propter ſe, & vt finis, ſaltem comparata cum reliquis.

529 Nihilominùs ſtabilitatis promiſſio directè conſiderata habet vim iuramenti, eſt enim facta homini, ſed coram Deo. Eſt contractus initus inter monachum, & incorporantes, & confirmatur iuramento. Conſultò *incorporantes* dixi: non enim certum eſt, an ſolus Abbas congregationi incorporet, an Abbas ſimul, & communitas: vtrumque eſt probabile, ſed hoc vltimum iudico hoc æuo probabilius: vide ea quæ ediſſero *n.*483.

530 Hæc doctrina certa eſt, & poteſt clarè perſuaderi. Omnia vota formaliter, hoc eſt in quantum talia, æqualia ſunt, & inducunt obligationes æquales; quod ſi aliqua differentia ſit, eſt omnino materialis: nempè, quia vel vnum eſt de re meliori quàm aliud, vel ſaltem, quia eſt de re aliàs obligatoria. Exempli gratia: Voues audire Miſſam die feriali, & voues ieiunare die quæ non eſt ieiunij, ſi vtrumque votum temeras, duo peccata æqualia committis; quia ſolum peccas contrà votum, & huius ratio æqualis erat in vtroque: Voues præterea caſtitatem: ſi hanc temeras, peccas grauiùs, quia contrà duas leges ſpecie differentes, nempe contrà votum, & contrà continentiam: hæc pertinet ad Decalogi ſextum, illud ad ſecundum. Cæterum præſcindendo mente legem ſextam Decalogi, adhuc incontinentia, & inobedientia eſſent contrà votum, & in hac cõſideratione, eſſent contrà eandem virtutem, & legẽ, & infi-

& inficerentur malitia æquali, & parallella. Obedientiæ obligatio pendet præcisè à voto, quoniam ſi iſtud deficeret, non teneremur Antiſtiti obedire. Stabilitatis obligatio etiam depẽdet à promiſſione, quia ſi hanc non promitteres, in monaſterio perſiſtere non teneris. Ergo ſi voto obligaris vtramque ſeruare virtutem; æquè obligaris ergo ſi vtramque non poſſis ſimul ſeruare, non teneberis potiùs ſeruare obedientiam, quàm ſtabilitatem, quia non eſt maior ratio vnius, quàm alteriùs: Atqui falſum eſt, quod æquè tenearis vtrique (nempè Obedientiæ, & ſtabilitati) ergo vtraque non vouetur Deo, vt finis, & per ſe. Conſequentia legitima eſt, & patet ex dictis ſatis clarè: minorem probo. Licet deficere à ſtabilitate propter obedientiam, non licet deficere ab obedientia propter ſtabilitatem: ergo non teneris æqualiter ſtabilitati, & Obedientiæ. Antecedens videtur per ſe notum, quia iubente Prælato teneor egredi ex monaſterio ad negotia grauia, & neceſſaria, cui nequeo nõ obedire prætextu ſtabilitatis. Vnde aptè melliſluus meus Bernardus *epiſt.* 78. aſſerit, *ſine obedientiſſima conuerſatione ſe fallere, qui de loci ſtabilitate confidit*. Vult locum deleri, ne obediendi obligatio deſeratur.

531. Hæc in forma Scholaſtica roboro, & confirmo. Obedire, & permanere in clauſtro, antè promiſſionem non obligant: obligãt formaliter à promiſſione. Ergo ſi alterutrum altiùs obliget, habuit ſanè altiorem promiſſionem. Ergo ſi promiſſio obedientiæ Diuina eſt, hoc eſt, facta Deo, promiſſio ſtabilitatis erit humana, non niſi homini facta, aut ſi diuina, alteri ſubordinata. Patet, quia alias hæ duæ obligationes formaliter æquales eſſent in promiſſionis genere, vt probaui. Manet igitur ſtabilitatem, vt medium ad obedientiam eſse promiſſam Deo hoc eſt indirectè, & directè promitti voto humano facto Communitati, firmato tamen ſolenni iuramento.

DISPVTATIO XLV.

Vtrùm Religioſus profeſſus ad alium Ordinem tranſire poſſit.

532. MVtare Religionem res grauiſſima eſt, & ſine Abbatis, congregationis, & nonnunquam etiam Generalis licentia fieri non poteſt: & cùm fit cauſa debet eſſe notabilis. Ita D. Thomas 2.2.*q.*198.*art.*8. vbi hoc ſolidiſſimis rationibus probat. Admittit tamen tres cauſa ſufficientes, vt quiſpiam laudabiliter ad aliam Religionem tranſeat. Eæ ſunt, perfectioris conuerſationis zelus: religionis, in qua eſt, relaxatio: infirmitas atque debilitas talis, ob quam non poſſit diſciplina ſeueriori, quã profitetur, ſatisfacere. Diui Thomæ ſententiam non admittam ſine expoſitione. Dico itaque non eſse licitũ tranſire ad aliã ob aliquod inconueniens, quando illius inconuenientis remediũ poteſt haberi in prima Religione. Qui perfectionem excellentiorẽ deſideras, ſcito, in tuo ipſo Monaſterio te poſſe eſse ſanctiſſimũ: quod ſi melioris conuerſationis inſtitutum te alliciat, tranſi ad alia tuæ Religionis monaſteria, in quibus, & obſeruantia viget, & modus procedendi eſt ſanctior. Nunquam

quam Religio eſt relaxata, quæ non habeat aliquot monaſteria conuerſationis ſeuerioris. Ergo, & in tuo Ordine poteris reperire, & remiſſioris diſciplinæ cœnobia, vt tuæ fragilitati, & morbis ſatisfacias, ſi valetudinarius ſis, & multa perfectioris, ſi volueris regimini ſubeſſe ſe veriori. ¶ Cæterùm, ſi cauſa ſit legitima, & nullum monaſterium tui Ordinis aptum ſit, vt tuæ neceſſitati ſatisfaciat, tunc ad alium Ordinem tranſire poteris: ſed vt tranſitus ſit legitimus, debent conditiones aliquot concurrere, quas explicabo.

533 Ex cauſis, quas D. Thomas allegat, conſtat, malè dici communiter, trãſitum poſſe fieri ad Religionẽ ſtrictiorem; non enim id quod eſt magis penale, eſt ſemper magis meritorium. Tranſitus poteſt fieri ad ſanctiorem, nõ abſolutam ſed relatiuam: ad eam Religionẽ ſcilicet, quæ prudentum iudicio eſt apta reddere ſanctiorem talem Religioſum. Petrus eſt valetudinarius, & deeſt ſtilus conſtans, adeſt tamen ſufficiens, vt ieiunet, eſt ei peſſima conſuetudo indebitis horis comedendi (& ſic de reliquis pœnalitatibus monaſticis philoſophare) videt ſe abſtinentiæ vix poſſe ſatisfacere, & in hoc genere fragiliter cõmittere plura peccata, quæ non committeret, ſi deeſſet ieiunandi obligatio. Tunc cenſenda eſt reſpectu iſtius, ſanctior illa Religio, quæ tot ieiunijs caret: eſt enim apta illũ ſanctiorem reddere, quàm prior.

534. Hinc conſtat, infirmitatẽ, & debilitatem, quam exigit D. Thomas in Religioſo, vt poſſit ad laxiorem tranſire, non debere eſſe tantam, vt ipſum excuſet ab omni culpa, ſi non ſatisfaciat in prima Religione: vt ſi in caſu poſito aliquis ſtomacho ita laboraret, vt prudentis medicij iudicio nõ deberet ieiunia monaſtica obſeruare. Iſte talis non eſſet ſanctior in Ordine laxiori, quoniam nec ſtrictus eũ obligat ad id, quod medici iudicio non poteſt. Infirmitas, & debilitas, de qua Doctor Angelicus, illa eſt, quæ non eſt ſufficiens auferre obligationem; occaſio tamen, vt accedente vel praua conſuetudine, vel animi fragilitate, frequentiùs eã intermittat, vt cum magna renitẽtia cordis præſtet, ſi quando id faciat. Vnde ſequitur eum in priori Ordine ſæpiùs peccare, qui nunquam peccaret, ſi per tranſitum ad laxiorem Ordinẽ liberaretur ab iſta obligatione. Hoc eſt quod authores multi exponũt alijs verbis, cùm interrogãt; An ad laxiorem Ordinem ſit tranſitus, ſi cauſa ſubeſt. Aſſerit Miranda *in Manual. q. 31. art. 5.* ſubſcribens Syluestro, & Nauarro: qui cenſent poſſe contingere, quod laxior Religio reſpectu vnius in ſingulari ſit ſanctior, & melior. His poſitis obſerua ſequentes Concluſiones.

CONCLVSIO PRIMA.

535. *Qui habet cauſam probabilem vt legitimè ad aliam Religionem tranſeat, debet petere ſaltem licentiã à ſuo priori Prælato: nõ tamen eſt opus quod talis licentia concedatur.* Eſt cõmunis Doctorum. Ita Miranda *in Man. Prælat. q. 31. art. 2.* Nauarrus, & alij, quos eſſet longum receãſere. Iſta licẽtia debet peti ab ordinario Abbate, aut Prælato. Ita Miranda *ibidem. art. 5. & art. 6. concl. 3.* & nomine ordinarij intelligimus illũ, qui eã poteſt concedere. Vnde in congregationib. in quibus multorum requiruntur ſuffragia, vt quis ad alium ordinem tranſeat, petit vrbanitas quòd ab illis omnibus licentia putatur, quæ alias non dicetur ab ordinario petita ſed ab Ordinarij parte: tunc enim ordinarius eſt homo myſticus, qui è multis coaleſcit.

536. Hic ſolent aliqui prolixè inquirere, quænam Religiones debeant ſanctiores iudicari, quæ ſtrictiores. Odioſa controuerſia, & inutilis eſt: quia, vt conſtat ex dictis ad illam poteſt Petrus

tranſi-

tranſire, quæ reſpectu illius eſt ſanctior, & per accidens poteſt minus ſeuera talis eſſe. Priuilegia & diplomata nituntur omnes abuſus tollere, & dirigere forum exterius: comparant Religiones abſolutè & ſecundum ſe, non reſpectu huius in ſingulari; quia hoc relinquitur iudicio prudentiorum; leges enim non poſſunt exprimere circumſtantias omnes in ſingulari. Explico me & dicta altius confirmo. Concedunt Pontificum decreta, vt quis tranſeat ad Carthuſianos; quid ſi Pauli animę non expediret tantus rigor? poſſetne cum detrimento ſuę cōſcientiæ hanc mutationem facere? Certè nec licitè, nec validè poſſet. Non licitè, quia nemo ſe poteſt licitè exponere periculis peccandi, & Sanctiſsimus Carthuſianorum Ordo periculoſus eſſe ſupponitur reſpectu Pauli. Non validè, quia ſanctiones Pontificum, eo ſenſu & eo caſu habent vim, in quo prudenter ſunt, non tamen, ſi ita exponantur, vt maneant indiſcretæ, aut iniuſtæ, iniurium enim cenſeo eſſe Sedi Apoſtolicæ illum, qui aſſerit quidpiam iniuſtè aut indiſcretè à Pontificibus indictum eſſe, (notant ex lege, *Saluius Ariſto. ff. de lega. præſt.* Socin. jun. *conſ.* 1. *nu.* 128. *lib.* 1. *& conſ.* 122. *n.* 23. *lib.* 3. Crauet. *conſ.* 5. *num.* 14. Iacobo Menoch. *conſ.* 133. *n.* 6. Ergo mutatis circumſtantijs ita debent leges in communi latæ exponi, vt ſancientis ingenuitas argui non poſsit.

537 Conſultus itaque de ingreſſu aut mutatione Religionis, ſuadeas omninò perſeuerantiam in priori; huiuſmodi enim mutationes multis ſunt expoſitæ inconuenientibus, & rarò bene vertunt. Si perſeuerantiam illi perſuadere non poſsis, ne illi ſuadeto religionem, quæ ſecundum ſe eſt perfectior; ſed illam, quæ eſt apta conſulentem efficere ſanctiorem.

538 Si cauſa legitima non ſubſit, poſſe Prælatum ſolum diſpenſare, vt tranſitus fiat ad Ordinem ſtrictiorem, docet Miranda iam citatus; vt tranſitus fiat ad æqualem, Conuentus & Prælati conſenſum poſtulat; vt ad laxiorem ſolum Papam poſſe diſpenſare, peccare tamen ſi diſpenſet, Ita etiam Nauarrus & Sylueſter, quos citat. Sed loquendo in ſingulari de noſtro Ordine Benedictino (& de alijs ſtando iuri communi) ego non reperio cur Prælatus, qui cum conſenſu ſui Conuentus incorporauit aliquem congregationi, non poſsit etiam excorporare omnibus poſtulantibus ideo ſit.

CONCLVSIO SECVNDA.

539 *Abbas nullum inuitum poteſt excorporare ab Ordine ſine cauſa. Poſtulantem ſtando vni et ſoli Regulæ poteſt de conſenſu ſuæ communitatis.* Probatur. Religioſus per profeſsionem acquirit ius ad talem Ordinem, & inter Benedictinos ad tale Monaſterium; & Ordo aut monaſterium habet ius in perſonam Religioſi. Ergo nec inuitum poteſt Communitas dimittere ſine cauſa, nec etiam ipſe poteſt excorporari ab Ordine, ſeu Monaſterio ſine cauſa, quando deficit conſenſus eiuſdem Monaſterij.

Conſentientib. partibus poteſt à monaſterio, imò & ab Ordine expungi, licèt cauſa non ſubſit. Ratio eſt clariſsima, quia promiſsio ſtabilitatis expreſſa, quam faciunt Benedictini, fit Monaſterio directè, non Deo. Ergo illi met quibus hæc promiſsio facta eſt, poſſunt liberè condonare. Quoniam ſicut Deus poteſt ſine cauſa te abſoluere ab actione illi vota, ita etiam ego à te, quam mihi promiſiſti.

Remanente promiſsione ſtabilitati, non votum obedientiæ, ſed eius determinatio ſæpe multiplicatur, ſuccedentibus varijs Abbatibus.

Ad excorporationem requiritur conſenſus Conuentus, non Capituli Generalis, niſi in aliqua Congregatione id maiorem authoritatem habeat, quàm apud Ciſtercienſes; apud quos Generalis

lis Capituli authoritas eſt ſatis limitata: nam in multis congregationibus noſtris illud quod Ciſtertij habetur non cognoſcitur, non admittitur.

Conſultò in concluſione poſui illud *ſtando vni & ſoli Regulæ*: quia præter Regulam dantur validæ leges in ſingulis congregationibus, quas debet omninò ſeruare, qui in huiuſmodi Communitatibus degit: adeoque vbi lege ſpeciali cautum, ne quis etiam volens permittatur ad alium Ordinem tranſire, ſine cauſa, aut ſaltem ſine Præſidis congregationis licentia, qui talem legem acceptarunt, ceſſerunt ſuo iure, & tenentur ſtare legi vel conſuetudini quæ vim legis habere credatur.

CONCLVSIO TERTIA.

540 *Religioſus tranſlatus de vna Religione ad aliam, non tenetur iterum profiteri eſſentialia, quæ in priore profeſſus eſt.* Eſt euidens: quia iam ex voto ſolenni obligatur ſeruare illas virtutes eſſentiales: & quod ſemel vouit, non eſt opus iterum voueat, cùm promiſſio ſecunda non poſſit maiorem obligationem inducere. Cæterum, ſi eſſet aliqua ſubſtantialis diſtinctio in votorum materia, tunc omninò deberet in ſecunda Religione omnia illa vouere, quæ in prima non vouerat. Nam Ciſtercienſis, ſi ad Cappuccinos validè & legitimè tranſiret, non teneretur vouere ſecundò caſtitatem, iam enim iſtam vouerat, ſed deberet vouere obedientiam Regulæ S. Franciſci, quia prius id non vouerat, & paupertatem etiam in communi, quam ſimiliter antea non vouerat. At ſi Regularis Cononicus ad Præmonſtratenſes tranſiret, vix ſcitè quid poſſet ſecundò ſolenniter promittere, quod non promiſiſſet in prima religione. Eodem enim modo votis tenentur, & eandem Regulam obſeruant.

CONCLVSIO QVARTA.

541 *In tali caſu omnes promiſſiones hominibus factæ ſunt repetendæ.* Ratio eſt quia debet pollicere i expreſsè aut implicitè ſtabilitatem ſecundo Ordini, & obedientiam nouo Superiori: ſine quibus tranſitus ſtare non poterit. His præſtitis, cenſetur Ordini alteri incorporatus. Sæpè translati Religioſi, in ſecundo Ordine vtuntur eadem profeſsionis formula, qua alij Nouitij profeſsuri, & quidem laudabiliter: nòn enim nocet promiſſa Deo iterum repromittere, & prodeſt hæc norma verborum ad Ordinis vniformitatem. Imò quia varij ſunt hominum ſenſus, tametſi hæc omnia ſolidiſsimè dicta ſint, quia forte non omnes ita docti vt hanc veritatem concipiat, me conſiliario, ſecunda profeſſio ita omninò fiat quo fieri ſolet à Nouitijs, non aliter ne detur locus diſputationi & inconſtantiæ.

CONCLVSIO QVINTA.

542 *Secunda illa profeſſio, in qua nihil ſubſtantiale additur aut mutatur, non eſt ſolennis profeſſio, ſed ſolennis prioris profeſſionis ſolennis repetitio, & humanarum circumſtantiarum legitima mutatio.* Patet ex dictis.

CONCLVSIO SEXTA.

543 *Sic tranſiens indiget tēpore probationis in Ordine ſecundo.* Patet, quia aliud eſt conuerſationis monaſticæ difficultates ſpeculari, aliud eſt experiri. Vnde ex natura rei (abſtrahendo à Cōcilijs & Pontificum ſanctionibus) nec à ſæculo ad Religionem, nec ab vna in alteram, ſine tempore deliberationis practicæ, deberet dari tranſitus.

Venientibus à ſæculo ad Religionem probationis, & Nouitiatus tempus determinauit Tridentinum Concilium, *ſeſſ.25. de Reg. cap.15.* tranſeuntib. ex Ordine

Ordine ad Ordinem non determinauit, vel ſaltem non determinauit expreſsè.

DVBIVM.

544 Sed inquiris: Quanto tempore debeant ſic tranſeuntes probari. Annum poſtulat Miranda *in Manuali quæſt.31. artic.21.* quod adeò certum credit, vt nulli liceat dubitare. Sed docti hominis pace, non dubitabo, imò contra expreſsè aſſeram, talis Nouitiatus nullum tempus eſſe à Concilio aliquo determinatum. Non enim debemus obligationes graues aſſerere, neque operantes grauis peccati arguere (ait Villalobos *in ſumm. tom.1. tract.24. dub. 9. n.8.*) ſi ius non fuerit valdè clarum, & teſte Miranda nuperrimè citato, in illo capite Concilij Tridentini non fit expreſſa mentio eorum, qui ad Ordinem alium transferuntur. Mentio autem quæ expreſſa non eſt, non ſolùm non valde clara, ſed neque clara eſt. Supereſt modò diluere argumenta in contrarium.

OBIECTIO PRIMA.

545 Requiri probationis annum integrum etiam in tali caſu, videtur eſse expreſsè determinatum à Concil. Trid. *ſeſſ.25. de Regul. ca.15.* vbi prohibentur, annullantur, irritantur profeſsiones eorum, qui non fuerint Nouitij integro anno.

Reſpondeo, ibi agi de profeſſione ſubſtantiali, non verò accidentali, quæ fit in ſecunda Religione: Clariùs: dico ibi agi de prima profeſſione, quæ fit à venientibus à ſæculo, non verò de ſecunda, quæ fit à tranſeuntibus ab alia Religione. Conſtat, quia ex vi iſtius ſanctionis, vt omnes explicant, qui ante annum completum profitetur, nulla obligatione ſubſtantiali obſtringitur: Religioſus autem qui tranſit ad aliam Religionem, non poteſt non obligari ad ſubſtantialia, licet illa non voueat: iam enim vouerat in priori Religione. Vnde aliud eſt ingredi Religionem, aliud mutare. Vt quis fiat Religioſus debet probare vtrùm poſſit ſubeſſe Antiſtitis imperio, ſeruare paupertatem, & continentiam ſummam: & an poſſit alia accidentalia præſtare, quæ conducunt ad ritus extrinſecos communitatis; talia ſunt, ieiunia, ſilentium, clauſura & alia id genus. Priora (nempe ſubſtantialia) ſunt difficillima: accidentalia & ſubſtantialia ſecundaria, minoris ſunt difficultatis. In ſecunda Religione probatio frequentiùs non inſtituitur de re eſſentiali, ſed ſolùm de accidentalibus. Ergo nec ex natura rei hæc probatio poſtulat tantum temporis quantum prior: nec Concilium Tridentinũ de illa quidpiam determinauit: verùm id committendum eſt conuentioni contrahentium. Ergo tempus illud venit à communitate determinandum, acceptandumque ab illo, qui mutat Religionem, aut è contrario.

546 Quod autem in illo capite Tridentinum non comprehendat omnes probationes, ſed ſolùm quæ fiunt, quando ex ſæculo tranſitur ad Religionem approbatam, patet: quia ſi omnes profeſſiones comprehenderet, etiam compleceretur profeſſiones Ordinum militarium, vt ex ſe liquet. Atqui declaratum eſt in Rota 11. Decembr. 1570. militarium profeſſiones non comprehẽdi in hoc capite: ergo non debet hoc caput ita vniuerſaliter intelligi, vt volebat Miranda.

547 Hæc declaratio non poteſt cenſeri minus authentica, cùm ſit praxi communi confirmata.

SECVNDA OBIECTIO.

548 Annus probationis inſtituitur, tum vt veniens ad Religionem experiatur rigores & aſperitates illius Ordinis, tum etiam vt illius Ordinis profeſſi probent

bent & experiantur eiuſdem mores, & conditionem: eadem ratio militat, cùm Religioſus tranſit ad aliam Religionem: ergo in ſecunda debet probari, iterum integro anno.

549 Hæc ratio ſumitur ex identitate rationis, ad quam reſpondeo, negando paritatem, quia vt in ſolutione alterius obiectionis dicebam, maiori tempore indiget, qui probandus eſt in ſubſtantialibus, & accidentalibus ſimul, quàm qui in ſolis accidentalibus. Vt quiſquam fiat Religioſus debet in virtutibus eſſentialibus probari: in accidentalium ſolùm obſeruantia, vt fiat Ordinis alterius Religioſus.

550 Sed quid ſi concederet quiſpiã rationis paritatem? ſanè cõcederet propoſitionem aliàs falſam, verùm non ſubeſſet conſequentiæ, quia illa fundatur in hac propoſitione: *Ius, in pœnalibus ex identitate rationis debet extendi ad alios caſus*, quam nego cum Salas *de leg. tract.* 14. *diſp.* 21. *ſect.* 13. *n.* 29. *in fin.* Portel *in addition. ad dub. Regul. verb. lex. num.* 13. Ioann. Valerio *in differ. vtriuſq; fori, verb. lex, diff.* 5. *num.* 2. Bonacina *de leg.* 1. *qu.* 1. *punct.* 8. *n.* 23. qui citat Sayrum, Suarez & alios, quibus ſubſcribit Diana *tract. de legibus, reſol.* 26.

OBIECTIO TERTIA.

551 Iuxta caput *recolentes de ſtatu monach. & cap. in noua* 16. *qu.* 7. qui ſimilem vitam cum alijs ſuſcipiunt, ſimilem debent ſentire in legibus diſciplinam, & vnuſquiſque debet ſe confirmare in omnibus vitæ & moribus eorum, cum quibus conuerſatur us eſt. Sed hoc nec congruenter nec commodè fieri poterit, niſi ſupradicti Religioſi tranſlati de vno Ordine in alium, ſint Nouitij, & concedatur illis annus probationis, quo experiantur & videant ea quæ profiteri volunt. Ergo debent per annum integrum probari.

Reſpondeo, aliud eſſe, debere probari, aliud probari tempore determinato. Ex natura rei debent Ordinis, quem de nouo aſſumunt experiri difficultates. Vtrùm anno integro, nullum ius determinauit hucuſque: ſupereſt vt illud vel contractum ineuntium arbitrio, vel Cõcilio futuro vel Pontificis decreto aliquo determinetur.

NOTA.

Reſolutio, vt mihi videtur certa eſt, ſed cum contrariam Miranda teneat, erit vt plurimum probabilis, adeoque in praxi omninò diſſuadenda. Expoſitæ enim ſunt grauiſſimis tricis & controuerſijs profeſſiones probabiles; nam taliter profeſſi, probabiliter poſſunt egredi, probabiliter dimitti, & numquam habent plus quàm ſecuritatem probabilem. Igitur, ſi velint habere ſuæ profeſſionis certitudinem, agant integrum annum nouitiatus.

CONCLVSIO SEPTIMA.

552 *Tranſiens ad aliam Religionem (futurus ſit Prælatus, aut non) præter vota eſſentialia, quæ iam eſt profeſſus in priori, debet illa omnia profiteri, quæ nondum fuerat profeſſus, & ſecundæ Religionis alumni communiter profiteri ſolent.*

CONCLVSIO OCTAVA.

553 *Religioſus, ſi habeat licentiam ab illis omnibus quibus promiſit ſtabilitatem, poterit validè, etiam ſine cauſa, tranſire ad aliam Religionem.*

Hinc conſtat, in Religionibus, quæ vouent particularem obedientiam Summo Pontifici, hunc eſſe vnum ex incorporantibus Nouitios Religioni, ac propterea ſine illius licentia non poſſe fieri excorporationem. Talis eſt S. Franciſci Religio, neſcio an alia.

Hinc

Hinc colligo, conſentientibus Superioribus, nempè Prouinciali, Generali, & Pontifice, poſſe Fratrem Franciſcanum validè tranſire ad aliam Religionem, etiam ſine cauſa. Patet; quia in contractu ille Religioſus voluntariè ſe tradidit illis, qui receperunt eum voluntariè: ipſe enim, omnibus circumſtantijs in variatis, potuit ſe Religioni non tradere; & hæc ſub eiſdem potuit etiam hunc non recipere: ergo cõtractus factus fuit inter Nouitium ex vna parte, & Religionem ac Pontificem ex alia: ergo ſicut conuenientibus omnibus, cõtractus potuit fieri, & non fieri: ſic ſimiliter, ſi omnes conueniant, ipſiſſimus reſcindi poteſt. Atqui, vt contractus profeſſionis validè fieret, nulla cauſa requirebatur; ergo ad hoc reſcindatur, nulla omninò cauſa requiritur. Igitur ſi velint omnes contrahentes, dempto nemine, poterunt eum validè caſſare ſine cauſa. Conſultò dixi *validè*, quia ad hoc, vt res fiant *licitè*, petunt ſaltem carere inconuenientibus.

Franciſcanus, qui à ſua Religione validè excorporatur, non manebit ſubiectus S. Franciſci Regulæ, cui obedientiam, & expreſsè, & directè promiſit. Ratio eſt, quia in Profeſſione debet cenſeri fuiſſe prudẽs, ac propterea promiſiſſe obedire Regulæ, quamdiu in Ordine remaneret; non enim aptè polliceretur, ſe ſeruaturum eſſe Regulam illam, & abſolutam paupertatem, etiamſi ad aliam Religionem legitimè tranſiret: ergo eius politica, & moralis voluntas non promiſit obedire Regulæ S. Franciſci in alia Religione.

CONCLVSIO NONA.

554 *Sine cauſa nec Pontifex ſolus, nec Prælatus ſolus nec Religioſus ſolus poteſt annullare ſtabilitatis promiſſionem, iuxta D. Bernardi ſententiam*, & oſtenditur.

Robertus Præmonſtratenſis monachus volebat fieri Ciſtertienſis, & D. Papa præcipiebat. Fortè rationes, quas D. Papa cenſuerat ſufficientes, expertiſſimus in hac materia Bernardus, aut nimis affectatas, aut parum ſufficientes iudicans, petijt aſſenſum Prælati eius, & Conuentus, ac eum tandem recepit. Laceſſitur à Præmonſtratenſibus, apud quos *epiſt.* 252. ſe excuſat his verbis: *Sed iam audite, quia iterum vultis audire, quomodo tandem Fratrem Robertum receperim. Dominus Papa præcepit: nempe rogatus ab illo, & eius amicis. Dicebat veſtrum ſeſe, & Abbatis ſui aſſenſum prece ſua obtinuiſſe: ne quis dicat, quod præcepto extorſit. Negatis: quid ad nos? Ipſe viderit.* Ergo D. Bernardus, cùm cauſæ deficerent, iudicauit dicti Roberti excorporationem non poſſe fieri mera Pontificis authoritate. Cenſuit non ſufficere Abbatis ſui licentiam violenter, nempe præcepto, extortam, ſed requiri liberum aſsenſum Abbatis, & illius qui illum incorporauerat.

Fortè alicui nimis rigida hęc ſententia videbitur; fortè maior Pontificis ſummi authoritas, quàm Bernardo fuit viſa; fortè ſolennitas à ſola Pontificis voluntate dependet; adeoque poteſt ſine cauſa, quem velit, excorporare; ſed hoc ipſum alij examinent, mihi enim ſufficit ſententiam mei Melliflui Doctoris propoſuiſſe.

CONCLVSIO DECIMA.

555 *Prælatus ſolus hoc æuo etiam ſi cauſa ſit legitima, non poteſt aliquem volentem excorporare ab Ordine, & Monaſterio ſine ſuæ Communitatis, & Superiorum conſenſu.* Hæc hodiè eſt certa: Abbatum enim authoritas eſt limitatior quàm erat tempore D. Benedicti, aut Bernardi. Stando enim nudæ Regulæ probabile omnino eſt. Prælatũ conſulendo ſuos religioſos, non teneri illos etiam in hac materia ſequi, ſed

poſſe volentem expungere ſine illorum conſenſu. Huic probabilitati ſubſcribens D. Bernardus Fratrem Fromundum Præmonſtratenſem recepit, ac ſuis incorporauit, conſentiente Abbate Fromundi, diſsentientibus eius confratribus. Quod Fromundum receperit, arguitur; & apolyſin conſtruit his verbis: *Iam de Fratre Fromundo non eſt quo nos laceſſatis*, ait in eadem epiſtola 252. *cùm nequaquam eum ſine voluntaria Abbatis ſui conceſſione receperim. Quod quidem nec vos latuiſſe, amara illa epiſtola demonſtrat; in qua nobis de ſola Capituli nō expectata cōniuētia calumniam ſtruitis. Quaſi verò vel in noſtra mutua conuentione id prohibitum fuerit, vel emancipatio fili ad Capitulum, & non potius ad ſolum ſpectet Abbatem*.

Ex his conſtat, apologiam, quam pro ſe faciebat D. Bernardus, conſtare hoc dilemmate. Receptio Fratris Fromundi, ſi eſt illegitima, talis erit vel quia ego non potui eum recipere, vel ipſe non potuit recipi: ſed ego potui recipere, quia in conuentione noſtra mutua, quam vocant *Chartam Charitatis*, mihi præcipitur, quod nullum monachum notum recipiam ſine conſenſu ſui Abbatis; non prohibetur receptio ſine aſsenſu Conuentus vel ſui, vel noſtri: (eſt expreſsus Legis tenor eiuſdem Chartæ capit. 5. §. ſi autem. *Nullus Abbas monachum cuiuſcumque Abbatis Ordinis noſtri, ſine eius aſſenſu retineat.*) Ergo ſiue iſta lex iuris æquitate extendatur ad vos, ſiue non extendatur, non indigui veſtri aſsenſu Capituli, vt veſtrum confratrem reciperem: ſed vel nullius, aut ſaltem ſolius Abbatis. Ergo liquet me illum (ſi aliàs eſset receptibilis ſecundum ſuas leges) ſecundum meas potuiſse recipere, & meo monaſterio incorporare. Reſtat perſuadeam, eundem, ſecundùm ſuas leges potuiſse ad me legitimè tranſire: verùm id patet. Quia emancipatio vnius Religioſi non ad Capitulum, ſed ad ſolum pertinet Abbatem. [At nunc Abbates plerique legibus obſtricti, ſiquidem illas acceptare voluerunt, debebant illas obſeruare.]

556 Hanc propoſitionem potiùs ſupponit quàm probat noſter mellifluus Pater: ergo ſuo tempore non ſolùm apud Ciſtertienſes, ſed etiam apud Præmonſtratenſes erat rata. Poſsum autem eius probabilitatem demonſtrare hac ſolidiſſima ratione. Ille poteſt excorporare aliquem, qui incorporare potuit: atqui Abbas inuito conuentui poteſt quempiam incorporare: ergo ex conuentu inuito etiam expungere. Minor eſt probabilis, expreſsa D. Benedicti, cui ſubſcribit Panormitanus Abbas, & alij, vt notaui ſuperiùs, cum de Nouitijs diſputarem.

557 Nihilominus, pace D. Bernardi, & ſeruata tanti Doctoris reuerentia, contraria ſententia fortè olim probabilior eſse potuit, & nunc omnino certa eſt, & perſuadetur hoc vltimo argumento. Excorporatio ab eiſdem poteſt fieri, à quibus fuit facta incorporatio: atqui non poteſt Abbas, ſine conſenſu ſui Capituli incorporare aliquem congregationi: ergo neque poterit excorporare. Minorem iam probaui ſuperiùs *num.* 482.

DISPVTATIO XLVI.

Vtrùm Religioſus profeſſus tranſire poſſit ad aliud Monaſterium eiuſdem Religionis.

558 NOn ſolùm ſtabilitatem in Ordine, ſed etiam in monaſterio promittit monachus: ſed cui? non Deo directè, vt diximus, ſed communitati. Communitatis membrum eſt, & eſt iuris illius Dominus proprietarius. Sine cauſa legitima, inuitum non poteſt communitas excorporare, non poteſt ab inuita communitate excorporari. Sed ſunt reſolutione dignæ aliquæ difficultates.

CONCLVSIO PRIMA.

559 *Nullus Religioſus poteſt egredi ex ſuo monaſterio ſine licentia expreſſa aut implicita Abbatis.* Ille dicitur habere licentiam implicitam, qui habet ab Abbate officium, cui non poteſt ſatisfacere quin egrediatur: qui enim promouetur ad tale miniſterium, poteſt vniuerſa ea facere, quę anteceſſor ipſius laudabiliter faciebat ſine expreſſa licentia Superioris. Fallit hæc Regula, ſi talis miniſtri ſecundi authoritatem Abbas expreſsè limitauerit. Præter hanc omnes implicitæ licentiæ omninò periculoſæ ſunt.

CONCLVSIO SECVNDA.

560 *Implicitam licentiam habere cenſendus eſt ille, cui iniuſtè negatur, aut ſaltem negaretur, videlicet in caſu, in quo Prælatus teneretur illi cōcedere talem licentiam.* Ratio eſt, quia tu promiſiſti ſtabilitatem prudentem, & non temerariam; imprudenter autem remaneres, cùm circumſtantiæ graues poſtulāt, vt egrediaris. Cauſæ legitimæ ad grauamen iniuſtum reduci ſemper debent. Nullus poteſt cogi in monaſterio perennare expoſitus mortis periculo, aut condemnatus iniuſtè ad pœnā grauem, quam ſolum fugiendo poſſit effugere. Pœnam grauem eam dico, quæ grauiter honorē lædit, aut infert ſummam incommoditatem. Qui ſic fugit, debet curare, vt illa grauamina tollantur ſi poſſit, & cùm ſublata fuerint, reuerti ad ſuam communitatem. Ex hac generali doctrina emanant reſolutiones variæ, quæ ſæpius proderunt.

Spirant horrores, & cædes exercitus hoſtilis, & hæreticus tranſit. Abbas eſt temerarius, & imprudenter confidit ſceleratorum militum clementiæ, quam vult experiri. In tali caſu, dico nullum teneri manere in monaſterio; quia agitur de vniuſcuiuſque vita. Vitæ tuæ Deus vnus eſt directus Dominus, non tuus Prælatus; & ideò cum vitæ diſpendio illi non debes obedire. Sed in hac ipſa rerum miſeria, nil temerè à ſimplici religioſo tentandum.

561 *Si peſtis* grauiter in monaſterio graſſetur, ita vt probabiliter immineat remanenti mortis periculum, poterit ſibi, & ſuæ vitæ conſulere. Probabile periculum dico, non quod timidi hominis, ſed quod conſtantis viri iudicio cenſetur eſſe graue. Iudico tamen Magiſtrum infirmorum, paſtores, & alios neceſſarios teneri ratione officij peſte correptis miniſtrare, vnumquemque in ſuo genere, etiam cum mortis periculo. Ratio eſt clariſſima, quia dantur officia quæ includunt eſſentialiter tale periculum,

riculum, & ſub tali onere acceptantur. Non ſufficit mortis periculum militi, vt fugiat, quia militare miniſterium, cui vacat, periculum iſtud ſupponit. Infirmarius ſimiliter, ratione officij, probabili eſt periculo expoſitus, & hoc etiam periculum admitit, cum officij honorem. Paſtor debet exponere probabili periculo animam ſuam pro ouibus ſuis. Ideò nec Infirmarius, nec Paſtor, poſſunt deſerere grauiter laborantem. Poſſent tamen per vicarium illius neceſſitati ſuccurrere, & ſaltem in foro interiori ſatisfacerent, ſi illi vicarij, qui ſubſtituuntur, eſsent ſufficientes regendæ animæ, & corpori laborantis infirmitate contagioſa. Paſtor Religioſorum ex rei natura eſt Abbas; non Prior, non Paſtor ſæcularium. Officium Magiſtri infirmorum honorificum eſt, & æquum, vt qui donatur tanto honore, non poſſit fugere periculum annexum miniſterio. Ergo Abbas, & Magiſter infirmorum, per ſe aut per alium tenentur aſſiſtere, ſolari, adiuuare, audire, inſtruere, &c. contrà tres quoslibet correptos morbo contagioſo, etiam cum periculo mortis probabili. Sed de hoc latius infrà, cum de regimine infirmorum.

562 Si iniuſtè à ſuo Prælato quis grauiter affligatur, ni oriantur maiora inconuenientia, poteſt ex monaſterio egredi ſine licentia, vt recurrat ad Superiores, non obſtante decreto Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 4. de Reg.* Ita ſentiunt Sanctarellus *tract. de Apoſt. c. 3. dub. 1. n. 11.* Nauarrus *comm. 2. de Regul. num. 61. & comm. 3. n. 51.* Azorius *tom. 1. lib. 12. c. 17. num. 40.* Rodriguez *tom. 1. q. 29. art. 2. & q. 30. artic. 4.* & Emanuel Sà *verb. Relig. num. 71.* Probatur: quia Concilium Tridentinum condemnat omnem recurſum ſchiſmaticum, & irrationalem; non autem condemnat, nec condemnare poteſt recurſum laudabilem, & neceſsarium. Addo iniurios Tridentinæ Synodo eſſe illos, qui credunt eam etiam neceſſarios recurſus, & appellationes abſtuliſſe quia conſequenter debent temerè aſſerere, eam proceſſiſſe contrà ius naturale, quod eſt regula infallibilis vniuerſarum legum. Addo tamen multas leges, quæ eſſent iniuſtæ, acceptatione iuſtas fieri: qui enim liberè eas acceptat, ſuo iure cedit voluntarius, & ſcienti volenti, & cedere potenti nulla infligi poteſt iniuria.

Petunt aliqui euidentiam, nempe quod ſubditus euidenter ſciat ſe à Prælato iniuſtè, & grauiter affligi, ſed prudentiores ſolum in rebus moralibus exigunt probabilitatem, ſaltem in illis Religionibus in quibus non tenentur obedire in materia mala prob. bili. Cæterum communius loquendo, iudico huiuſmodi fugam vix poſſe fieri licitè, ob circumſtantias appendices grauia inconuenientia parturientes. Potes propugnare tuam pecuniam, non tamen exponendo te euidenti periculo perdendi vitam: ſic ſimiliter, qui probabiliter iudicas te iniuſtè grauiter opprimi, poſſes egredi, ni aliud impedimentum grauius directè, & euidenter exoriretur: tali autem fugæ eſt appendix infamia manifeſta, & periculum pœnæ grauiſſimæ; quia ſi tu probabiliter cenſes cauſam fuiſse legitimam, poterit contingere quòd iudex cenſeat tuam ſententiam non fuiſse probabilem, & te condemnet pœna, cui ſine infamia, ac proindè ſine culpa ſubiacere non poſſis. Et ideo ſentio talem fugam vix aliquandò carere inconuenientibus ac proptereà vix culpa.

Dicta igitur reſumo, & concludo aſſerendo primò, *Poſſe egredi ex monaſterio quemcumq; qui certò, & euidenter ſcit, ſe aliàs aut occidendum, aut paſſurum tantam honoris, aut ſalutis tacturam, quantam ſine peccato acceptare non poſſit, & hoc etiã inuito Abbate*; & ratio eſt, quoniam in tali caſu illegitimè eſset inuitus Abbas, & inſo-

Q 2 lenter

lenter contrà Decalogum iuberet. Secundo *ſi notitia ad probabilitatem, aut mors imminens ad grauiſſimam incommoditatem reducatur, poſſe idem omnino præſtare*, quia in moralibus probabilitas euidenti certitudini æquiualet. [Excipe Ieſuitas (fortè, & Benedictinos) & ſiqui alij ſunt, qui cenſerunt iure vtendi opinionem probabili contrà Abbatis ſententiã: de quibus agam n. 694.]

CONCLVSIO TERTIA.

563 *Abbas validè poteſt dare dimiſſorias cuicumque Religioſo petenti etiã ſine cauſa*. Conſultò dixi *validè*, quia poſſet contingere, quòd Abbas dimiſſorias concederet illicitè; puta, ſi ſciret illas peti ex intentione mala.

Per dimiſſorias habitas ab Abbate, ille Religioſus non excorporaretur à communitate, nec à tribus votis monaſticis abſolueretur, haberet tamen exẽptionem ab obligatione illa humana, quàm contraxit poſt profeſſionem, dicendo Abbati incorporanti: *Ego N. promitto vobis obedientiam vſque ad mortem*. Ab iſta promiſſione vnicè per Abbatis dimiſſorias liberaretur. In tali caſu deberet ipſi conſulere, aut potius præcipere Abbas, vt iret ad aliud monaſterium, & alteri Abbati ſubeſſet: vel ſi prudentior ſit, deberet illi dimiſſorias concedere ad hunc effectum ſolummodò. Hoc eſt in praxi: ſæpe monachi, qui vadunt habitatum ad aliud monaſterium, abſoluuntur ab obedientia debita Abbati primo, & promittunt obedientiam alteri. In ſecundo monaſterio non habent vocem ex iure, ex vrbanitate autem habent in illis caſibus, in quibus hoſpites ſecundum monaſterij ſecundi leges, & mores conſueuerunt habere, aut conſultiuam, aut deciſiuam. Iſti tales ſunt ſecundi monaſterij conuentuales, filij autem primi.

Ad clariorem huius doctrinæ intelligentiam adnotato, in eodem monaſterio dari Filios, Conuentuales, Hoſpites. *Filij* dicuntur illi, qui reuerà ſunt membra communitatis. nempe illi qui ſunt incorporati monaſterio. Incorporatio fit, vel in profeſſione, cum Nouitius incorporatur congregationi: vel poſt profeſſionem, cum aliquis profeſſus, qui eſt ſui iuris, quomodocumque volens admittitur ab Abbate volente, & adſcribitur conſentientis corpori communitatis. *Conuentuales* dicuntur, qui ex ſui Prælati licentia tranſeunt ad aliud monaſterium, & abſoluuntur ab obedientia promiſſa Prçlato prioris monaſterij, & promittunt obedire Antiſtiti Monaſterij, ad quod veniunt. *Hoſpites* autem illi, qui ad tempus in alienis monaſterijs habitant, & non ſunt ſubditi ſecundi Abbatis.

CONCLVSIO QVARTA.

564 *Prælatus, conſentiente maiori congregationis parte, & Superiore illo Generali, cuius licentia lege, aut conſuetudine præſcripta requiritur, poteſt excorporare validè* (hoc eſt, facere quod prioris monaſterij filius non ſit, & poſſit alteri cooptari) *quemcumque Religioſum volentem, etiam ſine cauſa*. Conſultò dixi etiam in concluſione iſta *validè*: quia, vt *licitè* excorporatio fiat, debet ſaltem carere inconuenientibus certis, & periculis proximis. Patet; quia incorporatio eſt cõtractus humanus initus per promiſſionem tacitam aut expreſſam ſubditi, acceptationemque Superioris ſequentis decretum ſuæ communitatis, & volũtatem Generalis, vbi hæc requiritur. Ergo, conuenientibus partibus poteſt etiam diſſolui. D. Benedictus, D. Bernardus, & Capitulũ primũ generale Ciſtertij celebratũ, Abbas Panormitanus, & alij, credunt non requiri conſenſum Cõuentus, vt monachus quis incorporetur monaſterio, aut ab hoc expungatur. Vide ea quæ dixi præcedentis articuli concl. 10.

Hæc

Hæc excorporatio poteſt eſse duplex; & ab Ordine, & à Monaſterio. Ciſtertienſis excorporatus à ſuo monaſterio, remanet Ciſtertienſis monachus, eximitur tamen ab exercitio obedientiæ, quam debebat tali homini, & ab obligatione habitandi in tali monaſterio.

565 Monachus ſic excorporatus, dicitur eſse ſui iuris quoad hoc: poteſt enim habitare in monaſterio quocumq; voluerit, & promittere obedientiam cuicumq; Antiſtiti Ordinis Ciſtertienſis. De alijs pariter philoſophare, niſi fortè particularia iura limitent hanc diſpoſitionem.

566 Vt monachus excorporetur ab Ordine, debent conſentire illi omnes qui fuerunt ad incorporationem neceſſarij. Poterunt tamen vltrò conſentire, nec ex natura rei requiritur aliqua cauſa, vt validè excorporatio fiat; vt fiat licitè, cauendum eſt ne ſequantur ex hac excorporatione aliqua inconuenientia.

567 Monachus excorporatus ab ordine, remanet verè Religioſus, obſtrictus tribus obligationibus, quas proderit expendere. ¶ De CASTITATE dubitauit nemo. ¶ In PAVPERTATE occurrit dubium, cui dominium acquirat. Non enim acquirit monaſterio, aut Ordini, quia expunctus ſupponitur: nō ſibi, quia non eſt capax proprietatis. Ergo cui? Reſpondeo, omnia illa, quæ talis Religioſus habet, pertinere ad eumdem quoad vſum, non verò quoad dominium. Ipſe habet vſum abſolutum illarum omnium rerum, quas ſua induſtria acquirit, poteſt eleemoſynas facere ſecundùm ſuam qualitatem, & dona gratuita impertiri ſine alterius licentia, ita Molina *de iuſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 140. Villalobos *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 35. *difficult.* 39. *num.* 10. Leſſius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 15. *n.* 113. Salas *tract. de ludo dub.* 21. *num.* 5. Sanctarellus *tract. de Apoſtaſ. c.* 6. *dub.* 2. *num.* 11. Ioannes Franciſcus Suarius *in enchiridio caſ. conſc. lib.* 3. §. *de voto obedičtiæ.* & Diana *part.* 3. *tract. de dub. Regul. reſol.* 60.

568 Præter Villalobos, omnes citati authores aſserunt non teneri ad reſtitutionem illos, qui à tali dimiſso recipiunt pecuniam propter actiones inhoneſtas, quales ſunt luſores, homicidæ, ſceleſti, pellices, &c. Ioannes Franc. Suarius hinc infert, eum qui excorporatur à ſuo Ordine, abſolui à voto paupertatis; non tamen benè. Ratio eſt; quia benè poteſt conſiſtere, ſceleſtos illos homines recipientes ab eo pecuniā propter actiones illicitas, non teneri ad reſtitutionem, & nihilominùs ipſum eſse dominij, & proprietatis incapacem. Dico igitur, ideò illos ad reſtitutionem non teneri, quia non datur talis pecuniæ proprietarius cui talis reſtitutio fiat, iuxta ea quæ ſuprà diximus.

569 Hinc conſtat, furem (ſublato omni dictamine erroneo) qui exſpoliat talem Religioſum, eſſe reum vſus legitimi ablati, non dominij, quoniam res illæ furto ablatę nullius dominio ſubiacebant. Sequitur etiam neceſsariò, illum furem minùs grauiter peccaſse, quàm ſi abſtuliſset eandem ſummam à ſæculari.

570 Ab OBEDIENTIAE voto citatus Suarius aſserit eum eſse liberum, quem ſequitur Diana ſubſcribens Soto *lib.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 1. Azorio *part.* 1. *lib.* 12 *cap.* 16. *quæſt.* 11. & alijs. Sed cōtrarium eſt verum. Tenetur obedire alicui legitimo Superiori regulari, ſed per accidens non datur cui obediat; quia ſicut ſede Abbatiali vacante Religioſi nō tenentur vi voti alicui obedire, & nihilominùs non ſunt liberi ab obedientiæ voto, ſic ſimiliter in præſentiarum. Obſtrictus eſt ille obedientię voto, non tamen alicui obedit, quia non datur cui debeat. Non tenetur ſe præſentare Epiſcopo, quia, vt benè notat Diana, illi ſubeſt ſolùm, vt alij Clerici, non aliter.

Hinc conſtat iterum, quod in principio

cipio huius Diſputationis probauimus; videlicet, promiſſionem ſtabilitatis in propoſito fieri Deo, cùm morum conuerſionem pollicemur: ſtabilitatis autem in clauſtro promiſſionem, fieri indirectè Deo ratione Obedientiæ, ad quam ipſa requiritur: & directè toti communitati: vnde, & Abbas ſolus poteſt abſoluere aliquem non à voto obedientiæ facto Deo, ſed ab obedientiæ promiſſione facta ſibi, quę eſt voti contractio: & de illorum, qui lege requiruntur conſilio poteſt etiam abſoluere à promiſſione ſtabilitatis. Ab hoc abſoluitur D. Bernardus, & mittitur in Claram-vallem. Audi ipſum detractoribus ſatisfacientem *in epiſt.* 7. quæ eſt ad Adamum. *Sed quæris forſitan inquiens mihi: Quid ergo tu de ſtabilitate tua facis, quam apud Ciſtertium firmaſti, & nunc alibi habitas? Ad quod reſpondeo. Ego quidem Ciſtertienſis monachus, ibidem profeſſus, ab Abbate meo, vbi nunc habito, miſſus ſum; ſed miſſus in pace, miſſus ſine ſcandalo, ſine diſcordia miſſus iuxta conſuetudinem, & communé inſtitutionem. Quamdiu ergo in eadem, qua miſſus ſum, pace, & cõcordia perſeuero, quamdiu in vnitate ſto, communibus priuata nõ præfero, quietus, & ſubditus, in quo poſitus ſum, permaneo: ſecura dico conſcientia, quod promiſi, firmiter teneo.* Ecce à ſuo Bernardus Antiſtite, pace, & cõcordia ſuorum abſoluitur ab obligatione habitãdi Ciſtertij. Factũ id fuit nõ ſolùm validè, ſed licitè; quia legitima ſuberat cauſa.

CONCLVSIO QVINTA.

571 *Mortuo Prælato, monachi remanent liberi à determinatione voti obedientiæ, non ab ipſa obedientia.* Ratio eſt: quia ego in virtute voti ſolennis obedientiæ præſtiti, tenebar aliquem eligere Prælatum, cui obedirem. Elegi Petrum, verbi gratia: hoc mortuo, remaneo liber ab obligatione quam hæc electio induxerat, & potero mihi eligere alium, iuxta leges, & mores ratos communitatis, in qua dego.

CONCLVSIO SEXTA.

572 *Mortuo Prælato, monachi non poſſunt tranſire ad aliud monaſterium ſine licentia Capituli conuentualis.* & hoc ſtando nudæ Regulæ; quia ſi leges, & iura conſideremus, aliquid debebit in hac reſolutione alterari. De hac difficultate conſultus fuit olim Mellifluus noſter Pater à Carnotenſibus monachis, quibus dilucidè reſpondet *tract. de præc. & diſp. cap.* 24. morte, aut depoſitione Prælati nihil relaxari ſubditis, quo vtique licentiùs poſſint eo articulo temporis migrare quò voluerint, altero Abbate necdum videlicet ſubſtituto.

Hanc veritatem probat ſic. *Etenim ſponſio profeſſionis, quando ex morte fit in Oratorio, de Abbatis vita non ſumit terminum, ſed de præſentia teſtimoniũ. Profitenti itaq; modus ſit ſua vita non aliena. Attendat deniq; quid inde Legiſlator ipſe non ſolùm ſenſerit, ſed, & tradiderit: vt ſi aliquãdo, inquit, aliter fecerit (videlicet quàm promittit) à Deo ſe ſciat damnandum, quem irridet.* Hæc ratio fortis eſt, ſed potiùs probat concluſionem quintã quàm ſextam, de qua conſulebatur ipſe Sanctus. Hoc, & ipſe aduertens, propoſitã rationẽ clauſit ratiocinio efficaci, deſumpto ex noſtri Legiſlatoris verbis. D. Benedictus aſſerit monachos nec ſui corporis habere poteſtatem: atqui per mortem Abbatis nõ acquirit ſui poteſtatẽ, neq; fit ſui iuris: ergo mortuo Abbate nõ poteſt trãſire ad aliud monaſteriũ ſine facultate.

Præterea. Monachus promittit communitati ſtabilitatem in Monaſterio vſque ad mortem. Ita voluit D. P. Benedictus cùm ait: *Perſeuerantes in monaſterio vſq; ad mortem.* Ita intellexit D. Bernardus, qui capite allegato eum citat. Ergo ſine licentia communitatis, cui hæc promiſſio fuit facta, non poteſt tranſire ad aliud monaſterium: quia,

quia, ſi hoc faceret, non perſeueraret in loco profeſsionis vſque ad mortem.

Cæterùm, in tali caſu, ni lex aliqua contrarium ſtatuat volentē poteſt communitas mittere ad tempus, vel perpetuum, ad aliud monaſterium, & volentem poteſt expungere non ſolùm à monaſterio, ſed etiam ab Ordine. Patet, quia communitati facta fuit ſtabilitatis promiſsio, & ipſa poteſt hanc obligationem relaxare. Hoc poterit habere locum in monaſterijs nulli congregationi ſubiectis, in ipſis enim ratæ ſunt Superiorum leges, quæ obligent mortuo Abbate: at in reliquis ſtandum omnino eſt Capitulorum Generalium aut Prouincialium acceptatis decretis, quę Regulę ius limitarunt.

CONCLVSIO SEPTIMA.

573 *Ex Monaſterio vbi relaxatè viuitur ſine licētia ſui Prelati poteſt quis transire ad aliud, in quo ſeuerior diſciplina eſt.* Epiſtola D. Bernardi ſeptima admirabilis eſt: ſed inter alia continet huius concluſionis commentarium. *Videor*, ait, *contraria loqui rei, quam facio. Quæri etenim à me poteſt, ſi hos damno qui Abbatis ſui non ſolum conſenſu, ſed & iuſſu ſuum monaſteriū deſeruerunt: quo pacto illos & recipiā & retineam, qui de alijs Monaſterijs, fracto ſtabilitatis, voto & contempto Seniorum (ideſt Abbatum) imperio ad noſtrum Ordinem veniunt? Ad quod quidem breuis reſponſio, ſed periculoſa. Vereor namque diſplicere quibuſdam, quod dicturus ſum. Cœterum mihi magis verendum puto, ne tacendo veritatem illum verſiculū non veraciter cantem Iuſtitiam tuam nō abſcondi in corde meo: veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Hac ergo ratione illos ſuſcipimus, quoniam non putamus eſſe malum, ſi vota labiorum ſuorum, quæ in locis ſuis potuerūt quidem promittere, ſed nequaquam perſoluere Deo qui vbique eſt, vbicumque poterunt reddant, & ſolius ruptæ ſtabilitatis damna reliquorum Regularium præceptorum integra obſeruatione compenſent. Si cui diſplicet hoc et murmuret aduerſus hominem quærentem ſalutem ſuam, reſpondebit pro eis ſalutis author: Nōne oculus tuus nequā eſt, quia ille bonus?*

Cùm Prælati licentiam non exigo in dicto caſu, loquor ſecundum Regulas neceſsitatis: quia ex vrbanitate requiritur, quod ſaltem licentiam petat, licèt non obtineat: aut, ſi licentiæ petitæ petitio poſsit eſse illius bono propoſito forſan impedimento, tenebitur cum primum ad locum ſecurum venerit, ſcribere ſuo primo Prælato, ne ſolicitus ſit, & ne credat leuitatis cauſa eſse factum, quod praſtitum eſt ſancto cōſilio. Deberet ſimiliter ſcribere vni aut alteri Amico, vt ſimul ſcirent eius defectionis cauſam, ne minus de motiuis inſtructi, nudo defectionis nomine ſcandalizentur. Quæ obligatio ſcribendi naſcitur non ſolum ex vrbanitate, ſed etiam ex æquitate. Iniquum enim eſset, torquere Abbatem curis, quibus carere nequit, quoſque ſciat, quid factum ſit de one ſibi commiſſa: Iniquum eſset, etiam honorem prodigere, quem debent Ingenui maioris facere quàm vitā ipſam: Iniquum tandem eſset, perturbare & ſcandalizare confratres, inter quos ſi vel vnus ſit rigidus actionis interpres, vix non ſubſcribent vniuerſi.

574 Ex æquitate illum ad hoc teneri dixi, non ex aliqua lege, quia leges quę obligant Religioſos ad non tranſeundū ad alium Ordinem ſine licentia, eædem nihil decernunt de tranſitu ad aliud monaſterium ipſius Ordinis. Ergo qui titulo ſanctioris vitæ tranſit ad aliud ſuæ Religionis monaſterium, validè facit. Si ſuo primo Antiſtiti, & confratribus exponat cauſas, non peccat contra aliquam humanam legem, peccat tamen mortaliter contra Decalogi ſanctionem quintam, quoniam ſuum honorem prodigit

digit, & cæteros ſcandalizat.

Cùm ago de relaxato monaſterio, proderit exponere, quid tali nomine intelligatur. Non eſt dicendum relaxatum, vbi vota ſeruantur, ſed vbi religioſi poſſunt quidem illa promittere, non perſoluere. Nimirùm, vbi malo exemplo, & peccandi occaſione illecti, creduntur eſſe in periculo graui peccandi. Hoc enim ſolum probant verba D. Bernardi, quæ adlegaui. Illud in quo aut carnes comeduntur, aut horæ leuius decantantur, minùs bonū poteſt dici, non malum, quamdiu nemo in illo impunè permittatur peccare mortaliter.

575 Petrus ex monaſterio Cloriacenſi deformato, & relaxato tranſit ad Ciſtertiēſe ſpe vitę ſanctioris, & in hoc benè fecit, vt conſtat ex concluſione. Poſteà ſuæ defectionis cauſas ſcripſit cuipiam confratri amico, non Prælato. Petitur, vtrum is ſatisfecerit.

Reſpondeo primò, Petrum non peccauiſſe contrà iuſtitiam, quia per epiſtolam legatam ad confratrem, tam Prælato, quàm reliquis potuerunt innoteſcere cauſæ, quæ illum induxerant ad deſerendum tale monaſterium.

Dico ſecundò, ſi prudentum iudicio, hoc quod eſt non ſcribere Abbati, ſignum contemptus ſit, peccauit contrà vrbanitatem, & reuerentiam Abbati debitam; grauiter tamen aut leuiter iuxta illius contemptus grauitatem aut leuitatem. Quia ſi hæc omiſſio fiat ex cōtemptu leui, erit culpa venialis: mortalis, ſi naſcatur ex contemptu magno.

576 Peto prudentum iudicium: quia ſæpe Prælatis non ſcribitur reuerentiæ cauſa. Nonnulli venerationis ergo ſcribunt ad Abbatis ſocium, aut ad alium, qui nouerit ipſum opportuno tempore de re facta informare. In monaſterio, in quo viget is mos (licet minùs laudabilis) non ſcribendi ad Abbatem immediatè, ſed per alium, [dummodo in reliquis circumſtantijs ciuilitas debita ſeruetur] Petrus non ſcribendo illi, non peccaret.

577 Supereſt, vt probem poſſe Religioſum egredi ex priori monaſterio relaxato, obſeruationis vitæ cauſa etiā inuito Antiſtite. Ratio eſt clariſſima: quia ſtabilitatis pacto obligatur ad perſeuerantiam rationalem, non ad irrationalem; inualida enim promiſſio eſſet, quæ perſeuerantiam irrationalem dico, periculoſam ac propterea imprudentem. Inter relaxatos autem viuere, non ſolùm periculoſum, ſed plus quam periculoſum eſt. Dicebat Rex Pſalmographus: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro peruerſo peruerteris*, ex quo orthodoxè tamen, quis Ethnicus, *Corrumpunt bonos mores, colloquia praua*. Hæc licet clara ſint, libenter tamen audies D. Bernardum hanc difficultatem expendentem. Agit de Religioſo, qui ſine licentia ſui Prælati tranſit ad monaſterium in quo ſanctiſſimi noſtri Legiſlatoris Regula rigoroſiùs exponitur, & ſanctiùs obſeruatur. *Præſcribat proinde* (ait cap. 20. de præcep.) *ſtabilitatis pactum omni deinceps remiſſo deſcenſui, contentioſo diſceſſui, vago, & curioſo diſcurſui, totius deniq; inconſtātiæ leuitati: non tamen his, quæ in profeſſionis ſerie ſequuntur, morū videlicet conuerſioni, & obedientiæ quæ ſecundū Regulam ſit*. Periodus pulchra eſt, ſed eget attentione. *Præſcribere* forenſe verbum eſt, ſignificat habere quietam poſſeſſionem contrà aliquem. De præſcriptionibus ſcripſit Baldus tractatum integrum continentem 1156. columnas maximas: ego in meo *Philippo Prudenti*, de præſcriptionibus nonnulla expendo, quæ non omnibus nota *lib*. 2. & 3. Hinc verbis D. Bernardi dabo periphraſim, & ſimul commentarium. (Stabilitatis pactū pręſcribat, & ſit in quieta ſuæ perſeuerantię poſſeſſione contrà remiſſum deſcenſum; deſcendere enim ad vitam minùs obſeruantem ex remiſſione ſpiritus non debes, bene tamen ex feruore intenſiore; puta, ſi prudentum iudicio expediat tuæ ſaluti ſpirituali deſcende-

ſcendere ad conuerſationem benigniorem, iuxta ea quæ diximus *n.* 552. ſtabilitatis etiam pactum præſcribat contrà contentioſum diſceſsum, ne is habeat locum. Ipſa contentio maximum damnum eſt, & vix erit obſeruantia vtilis, ſi ex contentione parta. Contentio ſæpiùs charitatem extinguit, nec proficere ille deſiderat, qui contentioni vacat, quæ vix hominem permittit Deo. Pactum illud deniq; præſcribat contrà vagum, & curioſum diſcurſum, atque totius inconſtantiæ leuitatem, quia vagandi curioſitas expreſsè contrà Regulam eſt, quæ ſeueriſſimè carpit gyro vagos atque circumcelliones de quibus egimus *n.* 335.] Tanti enim quietem, & recollectionem monachorum faciebat Benedictus, vt *capite 63.* iuſserit omnes artes in monaſterijs exerceri, *ne ſit neceſſitas monachis vagandi foras: quia non expedit animabus eorum.* vbi annota illa ſequentia verba: *Hanc autem regulã volumus ſæpius in cõgregatione legi, ne quis Fratrum ſe de ignorantia excuſet.* Alia ſufficit ſemel indici, ſed clauſuræ regula debet ſæpiùs repeti, vt altiores radices mittat in cordibus diſcipulorum. Libro titulum *Regulæ* impoſuit, & alijs capitibus ordinauit plurima vtilia Monaſticæ conuerſationi, ſed cum primum induxit ſubditis ne egrederentur foras, vocauit hanc ſanctionem *Regulam,* vt doceremur totam Religioſæ conuerſationis obſeruantiam, imo totam Regulam Benedictinam conſiſtere eſsentialiter in collectione, quam ſi auferas, non remanebit Ordo, ſed Ordinis turpe cadauer.

578 Cæterùm, pactum illud non poteſt præſcribere contrà morum conuerſionem, & obedientiam, quæ ſecundum Regulam ſit. Vnde, ſi perſeuerantia in tali loco noceat tuis moribus, qui ex voto conuertendi ſunt, debes diſcedere, vel ſaltem potes. Debes, inquam, ſi ſis in proximo, hoc eſt, in euidenti periculo peccandi: potes, ſi in probabili. Potes etiam, ſi in tali monaſterio Regula, quam promiſiſti, non ſeruetur in articulis, qui obligant ſub mortali. Religioſi eſt tendere in perfectionem: & aſsequi virtutes regulares. *Si has ibidem* (ſubiungit Mellifluus Claræuallenſis Abbas) *pro improprietate nimirum atque irreligioſitate cohabitantium obtinere fortè nequiueris, duce ſpiritu libertatis tranſire indubitanter ſuadeo ad locum alium, vbi non impediatur homo reddere Deo vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua. Equidem cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Conſonat ſibi epiſt. 68. vbi aſserit G. Flauiacẽſem monachum Claræuallenſibus adnumeratum cuſtodire morum conuerſionem, & obedientiſſimam conuerſationem, *ſine qua ſeſe fallit, qui de loci ſtabilitate confidit.*

CONCLVSIO OTCAVA.

579 *Ex bene ordinato monaſterio ſine licentia Abbatis nullus debet tranſire ad aliud titulo maioris perfectionis.* Eſt expreſsa D. Bernardi iam citati. *Sanè de religioſis ac benè ordinatis monaſterijs* (ait cap. 20.) *nullus profeſſorum meo conſilio, ne arctioris quidem vitæ deſiderio, ſine licentia ſui Senioris* (hoc eſt, *Abbatis*) *egredietur.* Hanc doctrinam apprimè percalluit, & tenuit idem mellifluus Doctor: ideo noluit recipere Caziazenſem monachum ſine licentia ſui Abbatis, vt conſtat *ex epiſtol. 293.*

580 Conſultò dixi *nullus debet,* quia ipſemet Bernardus, qui nulli conſulit egredi ex monaſterio bene ordinato ad aliud ſanctius in eodem capite 20. ſubiungit: *Tutius tuam ſine dubio ad id quod putaſti melius, ſecutus es conſciẽtiam, quàm ſi in priori bono, & loco cõſcientiã permaneres, quamquã ſecure id poſſes.* Ergo in bene ordinato monaſterio ſecurè potes remanere, nec teneris

neris egredi ſpe conuerſationis ſeuerioris licet tutiùs poſſis.

Sed inquiris, An ex bene regulato monaſterio ad aliud ſanctus eiuſdem Ordinis tranſiret poſsit ſine Abbatis licentia.

Reſpondeo huic quæſtioni eſſe ſimilem, quæ inquirit, An ex vno Ordine (omnes bene regulati ſunt) poſſit quis tranſire ad ſanctiorem? vbi noto omnia quæ de tranſitu ex ordine ad ordinem dicuntur, poſſe benigniùs intelligi & tranſitu ex monaſterio ad aliud ſanctius: benigniùs quidem: quia grauior omninò res eſt mutare ordinem, quàm monaſterium. Noto etiam, in ſingulis ordinibus & monaſterijs ſæpe eſſe ſpecialia priuilegia, quæ debent omnino examinari antequàm quæſtio aliqua in ſingulari reſoluatur.

CONCLVSIO NONA.

581 *Qui egreſſus eſt ex bene ordinato monaſterio ſine licentia ſui Antiſtitis ad aliud magis regulare ignotum tamen, non tenetur reuerti*. Hæc concluſio ſtando puro iuri Regulæ eſt certa, & clara: addo tamen *primò* in comitijs Prouincialibus poſſe ſtatui; vt nemo ne quidem ad ignotum monaſterium confugiat, & Religioſos, ſi hoc ſtatutum acceptarint, obligandos ad ipſius obſeruantiam. Addo *ſecundò*, tale ſtatutum non fuiſſe latum in primis Generalibus comitijs, in quibus fuit S. Bernardus, vt videbimus num. 592. Addo *tertiò*, me non ſcire tale eſſe ſtatutum ab aliquibus latum.

Sanè noſtra cõcluſio fundatur in æquitate. Quia nullus poteſt cogi, vt ex altioribus ad inferiora, aut ex ſanctioribus ad minùs ſancta repedet, maximè cùm ipſe vouerit tendere in perfectionem. Vtramque concluſionis partem coniunxit Sanctus Doctor his verbis: *Egreſſus tamen* (nempe à bene ordinato monaſterio) *ſi melius inuenerit aut legerit, meo nihilominus iam conſilio non regrediatur ad inferius bonum quod reliquerat & contempſerat præ meliori; præſertim, ſi illud melius tale fuerit, quod eius primæ profeſſioni congruere videatur*. Addit, quod notandum bene: *Ipſe nempe viderit, qua ratione, quaue intentione altiora ſeu arctiora præſumpſerit*: (ergo licet ſine ratione, ſine bona intentione; aut alias ad quid illud *Ipſe viderit?*) *nam ad inferiora vel remiſſiora, me conſulente, nequaquam apoſtatabit, ſi non tamen loci vicina reuocetur: quia de noto monaſterio nec retineri quis regulariter poteſt, nec recipi ſine conſenſu Abbatis*.

CONCLVSIO DECIMA.

582 *Si aliqui vadat ad monaſterium propinquum ſine licentia ſui Prælati, debet non recipi*. Eſt expreſsè diffinita in Regula *cap. 61.* vbi ſic: *Caueat autem Abbas, ne aliquando de alio noto monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat ſine conſenſu Abbatis eius, aut literis commendatitijs, quia ſcriptum eſt: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Et in his verbis fundatur noſtri melliflui Doctoris reſolutio. Interim, ſi titulo maioris perfectionis ſincerè & non affectatè fiat, non erit condemnandus ille tranſitus, (nẽpe ad monaſteriũ ignotũ, niſi ab aliqua alia circumſtantia, vitietur, ſed erit admirandus: quia, vt docet Bernard. epiſt. 96. *Rariſſima auis in terris eſt, qui de gradu quem fortè in religione ſemel attigerit, vel parum adſcendat*. Admonendus autem eſſet qui ſic vellet tranſire, ne certa pro incertis, ne ſecura pro dubijs relinqueret, & ne ſine prudentum iudicio gliſceret quidpiam agere, ſine ſui Prælati permiſſione.

CONCLVSIO VNDECIMA.

583 *Qui ad ignotum monaſterium migrauerit, etiam ſine licentia prioris Abba-*

Abbatis, ſtando nuda Regulæ, poteſt à ſecundi loci Antiſtite recipi: Et licet ex leuitate primum monaſterium reliquerit, poteſt quietè & tranquillè in ſecundo degere: & ſicut tenebatur ſine licentia ſui Abbatis non egredi ex primo, ſic iam ſine licentia ſecundi Abbatis non poterit egredi ex ſecundo. Eſt expreſſa D. Benedicti. Sic eum intelligit D. Bernardus *lib. de præcept. c.* 20. cui ſubſcribit noſter Craesbeeck. *in com. Reg. c. 61.* Eſt concluſio tam certa, vt, cùm Frater G. ex Flauiacēſi monaſterio migrans ſine ſui Prælati licentia ad Claram-vallem confugiſſet, & ibidem ſtabilitatem ſuam eſſet profeſſus, Dominus H. Flauiacenſis Antiſtes & monachi vniuerſi negare non potuerint, ignoti monaſterij monachos poſſe recipi. Arguebant D. Bernardū, & controuertere volebant, non iam vtrum incogniti cęnobij Religioſus potuerit incorporari Claræ-valli, quia hoc erat eis ratum ex Regula: ſed potius, vtrùm Flauiacenſe Cœnobiū deberet ignotum dici reſpectu Claræ-vallis. De hoc argumento ſunt duæ Melliflui Abbatis epiſtolę, nempe 67. & 68. in ſecunda ſic ait: *Et vos quidem, quoniam de ignoto monaſterio monachum regulariter poſſe ſuſcipi negare non poteſtis, veſtrū nobis notum eſſe contenditis.* Ideo Caziazenſis ille monachus, cuius Bernardus meminit *epiſt.* 293. volebat longiùs ire, ſi non fuiſſet receptus in Clara-valle: quia cùm ſolùm haberet dimiſſorias ad illum effectum, ad aliud monaſterium propinquius migrare licitè nō poterat benè tamen ad remotum & ignotum, iuxta præſcriptum Regulæ.

Sanctio hæc D. Benedicti eſt iuſtiſſima, qua plurimis inconuenientibus itur obuiam, quæ ex praxi contraria naſcebantur. *Vbique ſeruimus eidem Deo* ait S. Benedictus, & monacho nihil perniciosius, quàm vitam vagam agere ac inconſtantem ergo ille, qui ſine cauſa antiquum monaſterium deſeruit & inter ignotos habitat, ibi remaneat, concedente hoc ipſo Legislatore: quia ex contraria diſpoſitione ſequeretur, vel talem Religioſum habere longum iter agere, vel non reuerti. Homo leuis (talis non poteſt non eſſe qui deſerit ſuos ſine licentia Superioris) & pauper (apud peregrinos monachus, licet velit, diues eſſe non poteſt) iter longum facturus; ſe exponit ſummis inconuenientibus: quā pauper, dedet ſibi forte iniuſtis diligētijs neceſſaria quærere, qua leuis, poterit in ipſo itinere periclitari. Ergo expedit ei in ſecundo monaſterio manere, & non reuerti ad primum.

584 Sed dicis. Non poterit in conſcientiæ ſecuritate ſub ſecundo Abbate eſſe, & ſecundo conuentui ſtabilitatem profiteri, qui frangit fidem primo Antiſtiti, atque communitati. Ergo tenetur reuerti ergo ſecurus in conſcientia in ſecundo monaſterio remanere non poterit.

585 Reſpondeo: Religioſum, qui migrat ex ſuo monaſterio vt ad ignotū aliquod confugiat, licet leuitas in actione ſit condemnanda, & fortè etiā carpendæ veniant aliquæ circumſtantiæ appendices, non tamen poſſe dici infidelem, & pacti præuaricatorem. Promiſit primo monaſterio ſtabilitatē non qualemcumque, ſed ſecundum Regulā Diui Benedicti: promiſit Abbati primo obedientiam, non abſolutam, ſed iuxta ſanctiones ipſius Regulæ. Ergo promiſſis ſatisfacit & ſtat dictis, cum vel monaſterium non mutat, vel mutat ſecundum Regulæ clarum decretū. Mutat equidem ſecundùm Regulæ ordinationem, qui vadit ad eos, à quibus poteſt recipi: poteſt tamen à quibuſcumque, ſi ſit ſui iuris; ab ignotis tantum, ſi ſui iuris non fuerit. Textus conſpicui ſpeciem dabo *ex cap. 61.* de peregrinis monachis. *Caueat autem Abbas*, ait Diuus Pater, *ne aliquando de alio noto monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat ſine conſenſu Abbatis*

batis

batis eius, aut literis commendatitijs. Ex quibus argumentor ſic. Exceptio firmat Regulam incontrarium. Monachi peregrini debent recipi: & illi, qui fuerint noti monaſterij, non ſine conſenſu ſui Abbatis: ergo qui ex mente noſtri Legislatoris fuerint Ignoti monaſterij, poterunt recipi, etiam ſine conſenſu ſui Abbatis.

586 Dum hęc expenderem, incidi in cap. 20. libelli illius Melliflui, qui *de præcepto* inſcribitur, & admiratus ſum D. Bernardi ingenium. Accinit meæ ſententiæ, & vt videas non eſſe expreſſam circumſtantiam hucuſque, quam noſter Bernardus non admittit, ero ipſius amanuenſis, & quæ in capitis fine doctiſſimo eloquio dictauit, fideliter ipſe tranſcribam.

587 *Salua igitur cuique ſua manet* (ait Bernardus) *in cœnobijs benè ordinatis profeſſio: tantum ſi ſana fuerit, & intentio. Cæterùm, qui inquietus eſt, & ita credere non poteſt, ſed magis credens, & cedens ſtimulanti conſcientiæ, exit, & quærit vbi ſoluat vota ſua, quæ ſuo loco, ſuo vtiq; iudicio vouerat quidem, ſed non ſoluerat: ſicut non laudo quod egreditur, ita vt regrediatur non conſulo, ſi tamen ad remotum ignotumq; Monaſterium migrauerit. Cur ita? tum propter Pauli ſententiam, quæ beatum manifeſtè pronũtiat, qui ſeipſum non iudicat in eo quod probat: tum ex noſtri authoritate Magiſtri, qui talem, & ſuſcipi iubet, & retineri: inuentum quoq; bonum, & vtilem ſuaſione allici, profeſſione ligari. Deniq; ſuadeatur ei, inquit, vt ſtet, & ne fortè prioris ſui monaſterij memor, remordente (vt aſſolet) conſcientia incipiat denuo de rupta ſtabilitate cauſari, generalem ſuper huiuſmodi ſcrupulo conſolatoriam profert ſententiam dicens: vbiq; enim vni Deo ſeruitur vni Regi militatur. Porrò de vicino prohibet, quod iubet de peregrino, ne vicinitas inter monaſteria fomes ſcandali, rixæ materia ſit, ſi alterutrum recipere monachos acquieuerint, abſq; mutuo dumtaxat aſſenſu. Quod toties equidem experimur, quoties talis vſpiã monachorum ſuſceptio planè non niſi contrà decretum regulare præſumitur. Quod ſi etiam poſt hæc Fratris ita regulariter ſuſcepti inquietiorem fortè animum pulſauerit recordatio ſcandali, quod diſcedens Fratribus, quos deſeruit fecit, & quia oporteat emendari ſuo redditu, quod ex diſceſſu deliquerit, prudenter aduertat, qui hoc cogitat, ſcandalum ſcandalo non bene emendari. Qualis deniq; emendatio erit, ſi, vt alijs ſcandalum tollas, alios ſcandalizas? Quamquam profectò, & tolerabilius ſcandalum illud ſit, & venialius, quod factum eſt intentione proficiendi in melius, quàm quod facere cogitas ad deterius apoſtatando. Sed antè quoque (licet non ſine ſcandalo) tutiùs tuam ſine dubio ad id quod putaſti melius, ſecutus es conſcientiam, quàm ſi in priori bono, & loco contrà conſcientiam permaneres, quamquam ſecurè id poſſes, ſi ſanè hinc eandem tui ipſius conſcientiam reddere ſecuram poßes. Quapropter quod de manducante, & non manducante decernit Apoſtolus, vſurpemus, & nos in noſtræ huius diſputatiunculæ concluſione, vt, & qui propria impellente conſcientia ſuũ deſerit locum ne ſuum (quod putant) deſerat votum, non deſerentem non ſpernat, & qui ſecura conſcientia fraternum ſcandalum timens, Fratres non deſerit, deſerentem non iudicet. Et de his me accipite ſanè quod ſentio reſpondiſſe, ſine præiudicio ſaniùs ſentientis.*

Hanc doctrinam ſic à D. Bernardo expoſitam, minùs ſecuram putant aliqui, quia videtur repugnare Concilio Agathenſi ſub Cæſareo Epiſcopo Arelatēſi (refertur 21. q. 4. *cap. Monachum*) ibi enim præcipitur, quod Monachus migrans de vno monaſterio ad aliud ſine licentia ſui Abbatis Abbati ſuo tradatur.

datur. Ex quo teſtimonio argumentantur ſic. Concilium vniuerſaliter loquitur, nec diſtinguit inter monachum qui tranſit ad monaſterium vicinum, & eum qui ad remotum: ergo vterque debet tradi ſuo Antiſti. Ergo quidquid D. Benedictus ſtatuerit, decreto huius Concilij reuocatur.

588 Reſpondeo, hoc decretum non agere de Benedictinis, ſed de Baſilianis, & antiquioribus monachis, ſi ſunt vera quæ chronologizant Perez, & Stellartius. Reuerendiſſimus Perez *in comment. Regulæ c.61. ſub fin.* aſſerit, hoc Concilij decretum eſſe ſanctum anno 506. Stellartius *lib. fundaminum cap. 27. tabul.ord.nig.mon.* affirmat D. Benedictum nobili Aniciorum ſtemmate clarum, anno 480. Nurſiæ natum fuiſſe, erigere monaſterium incepiſſe anno circiter 529. ætatis ſuæ 49. Ergo decretum Concilij Agatenſis latum fuit, antequam eſsent Benedictini: ergo non agit de Benedictinis, ſed de antiquioribus illis monachis, qui partim ſine regula, partim ſine debita degebant ſubiectione.

589 Sed dices, concilium non ſolùm agere de Monachis ſuo tempore exiſtentibus, ſed etiam de futuris.

Reſpondeo, hoc nec verum eſse, nec ſufficiens. Non eſse verum, conſtat: quia præcepta ſemper ſunt odioſa, nec debent extendi. Non eſse ſufficiens, etiam liquet: quia ex hypotheſi, quod Concilij mens eſset generaliter obligare omnes monachos Regula diſpenſat cum Benedictinis, quæ cùm ſit è multis Pontificibus approbata, ſine ſcrupulo ſeruari poteſt: non enim eſt cenſendus Pontifex non diſpenſare in mandatis ſuorum anteceſsorum, qui confirmat leges oppoſitas illis mandatis. Sanctio autem Benedictina, quæ à pluribus confirmatur Pontificibus, Agathenſis Concilij decreto ſi opponitur, contradictoria eſt. Igitur eſt dicendum, vel Concilium non agere de Benedictinis, vel ſaltem illius decretum abrogatum fuiſse à Pontificibus ſequentibus, qui Regulam noſtram confirmarunt.

590 Petis, vtrùm hæc diſpoſitio Regulæ de ignoto monaſterio, quam huc uſq; expendimus, ſit reuocata à Iulio II. Rom. Pontifice ſaltem quoad obſeruantiam Caſtellæ. Quia, vt conſtat ex priuilegio conceſso anno 1437. (num. 12.) nullus obſeruantiæ Religioſus poteſt tranſire ad alium Ordinem, aut noſtri Ordinis aliud monaſterium, ſine licentia petita, & obtenta. Et qui ad nullum dicit, etiam remota videtur excludere.

591 Reſpondeo, in omni dubio ſic exponenda eſse Pontificum priuilegia, vt Regula-mater cenſeatur ſupponi, & non reuocari, niſi id expreſsè à Pontifice exprimatur. Ergo intelligendus eſt Iulius Pontifex de monaſterio vicino, non de remoto iuxtà præſcriptum Regulæ: non enim expreſsè, & euidenter dicit contrarium. Confirmatur Nullus debet exſpoliari poſseſſione legitima, & pacifica antè expreſsam, & certam ſententiam: quia, vt Petrus plectatur, non ſufficit quod probabiliter credamus eum eſse condemnatum, ſed debemus id ſcire certò, & euidenter. Atqui Regula habet authoritatem à multis Pontificibus firmatam: ergo antequam expreſsè, & euidenter aliquid eius caſſetur à Pontifice, non debet intelligi annullatum.

592 Confirmatur iterum, & euidenter meo iudicio. Olim in Chartæ charitatis *cap. 5. §. ſi autem.* decernitur vniuerſaliter nullum Abbatem poſse cuiuſcumque alterius Abbatis monachum recipere, ſine conſenſu alterius Abbatis. Charta hæc, vt iacet, ſine aliqua limitatione confirmatur à Calixto II. & Vrbano II. aliiſque Pontificibus, & admittatur ab ipſo D. Bernardo *epiſt.* 252. Nihilominus illam Chartæ vniuerſalem aſsertionem Bernardus limitat, & expo-

& exponit de Monaſterio noto, negat de ignoto (ita *epiſt. 67. & 68.*) ergo ſi Iulius II. loquitur, vt Charta charitatis, ita ipſe intelligi debet, vt Charta intelligitur à D. Bernardo.

Scio totam hanc de ignoto Monaſterio doctrinam nonnullis diſplicuiſſe ſuperioribus: puto tamen eſſe vtilem ſubditis, & euidenter demonſtrari. Ille, cui ipſa diſpliceat, inuehatur contrà S. Benedictum, qui res ita diſpoſuit: non contrà me, qui illum expono, & ad mentem Melliflui Doctoris illuſtro. *Sed obijciunt*. Si poſſent religioſi ad ignotum monaſterium tranſire, nullus religioſus teneretur in ſuo Monaſterio manere, omnes poſſent diſcedere, vniuerſi ad ignotum monaſterium confugere. Sed reſpondemus, idem per idem vrgeri, & per modum inconuenientis ipſam concluſionem protrudi. *Addunt*: Hac libertate religioſis conceſſa, nulla omnino eſſet inter abbates, & Communitates pax: atqui hæc &c. ergo &c. Nego maiorem. Illa enim inconuenientia inter notas perſonas ſuboriuntur, nunquam inter ignotas. *Addo tamen* conſonans numero 581. contraria lege in Generalibus comitijs lata hanc qualemcunq; libertatem poſſe reſtringi.

DVBIVM.

593 Supereſt modò difficultas, cuius reſolutio maximè neceſſaria eſt. Petis, quæ ſint monaſteria illa, quæ *nota*, appellat Benedictus.

594 Reſpondeo, illa eſſe quæ *vicina*, quæ *propinqua*, quorum Abbates habent frequentem communicationem. E contrario dicenda ſunt *ignota*, quæ *remota* ſunt: nempe illa quæ congregatione, idiomate, aut regno ita diſſident, vt eorum Abbates vix, aut numquam concurrant perſonaliter, nec ſe ſalutent per literas. Non ſufficit monaſterij nomen noſcas, vt notum id tibi eſſe cenſeas, opus eſt illud frequentaſſe, & præter communes rationes, etiam amicitiam particularem profiteri. Hæc omnia vberiùs expendit noſter Pater Mellifluus. *Et vos quidem*, ait epiſt. ſexageſimaoctaua ad Dominum H. Flauiacenſem Abbatem, & eos qui cum eo ſunt, *quoniam de ignoto monaſterio monachum regulariter poſſe ſuſcipi, negare non poteſtis, veſtrum nobis notum eſſe contenditis. Negamus, non creditis. Verùm ſi non creditis ſimpliciter negantibus, credite vel iurantibus. In veritate, quæ Deus eſt, vobis dicimus, nec nouimus vos, nec noſcimus: ignotorum ſcripta ſuſcepimus, ad ignotos reſcripſimus. Senſimus quidem ſtimulationes, & inquietationes veſtras, ſed necdum ſtimulatores, & inquietatores ipſos agnouimus. Vos tamen ad conuincendum nos de ſimulata ignorantia, inutiliſſimum argumentum inducitis, non poſſe videlicet ignotos eſſe nobis, quorum, & Abbatis ſcilicet, & ipſius monaſterij nomen in noſtris poſuimus literis, quaſi mox, vt rerum vocabula ſcimus, etia res ipſas nouerimus. Multum ergo valet mihi Michaelis, Gabrielis, Raphaelis nomina noſſe, quando ex ſolo auditu vocabulorum, etiam de ipſorum beatorum ſpirituum cogitatione iam beatus ſum. Non mediocriter, inquam, profeci: quia didici ab Apoſtolo paradiſum, & tertium cœlum nominare, ſi etiam non raptus cum Apoſtolo, ſolis ex nominibus ſecreta cœleſtia iam noui, & audiui ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Stultus ego, iam ſciens nomen Dei mei, neſcio quid adhuc ſuperfluè quotiaie gemo, fruſtra ſuſpirans, & dicens cum Propheta: Vultum tuum Domine requiram. & illud: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? &: oſtende nobis faciem tuam, & ſalui erimus.*

595 Epiſtola autem 66. videbatur monaſteria ignota deſcribere per diſtinctionem idiomatis, aut epiſcopatus

ſic

ſic enim loquitur Abbati H. Flauiacenſi, poſtulanti Fratrem G. quem Bernardus nolebat tradere: *Multis terrarum ſpatijs, & diuerſis prouincijs, & diſſimilibus linguis ab inuicem diſtamus. Nec ſolum epiſcopatibus abſumus, ſed etiam in eodem archiepiſcopatu non degimus. Putamus autē quòd non de cuicumq; notis, ſed tantum de nobis notis monaſterijs monachos ſuſcipere prohibemur: alioquin, cùm nullum monaſterium ſit, quod alicui notum non ſit, nullum nobis relinquitur, de quo quis regulariter ſuſcipiatur. Quomodo ergo illud implebitur, quod à Beato Benedicto vel præcipitur, vel permittitur: peregrinum videlicet monachum non ſolùm debere ſuſcipi ad habitandum pro hoſpite quanto cupit tempore, ſed etiam in ventum vtilem ſuaderi ad manendum omni tempore? &c.*

596 Ex his colligo, illa monaſteria eſſe ignota, quorum Abbates ſe non viſitant, nec habent particularem amicitiam. Sunt monaſteria aliqua, quæ ad nullam congregationem pertinent, ſed vel Epiſcopo ſummo Romano, vel alijs ſunt ſubdita. Si loquamur de iſtis, videtur colligi ex epiſt. 65. D. Bernardi, debere remota atq; incognita ea dici, quæ Epiſcopatu diſſident, aut ſaltem archiepiſcopatu: cæterùm verum ita D. Bernardus ſenſerit, alij viderint. Certè monaſteria illa quę differunt congregatione aut archiepiſcopatu, & nihilominus magno commercio, & communione frequentantur, qualia ſunt noſtrum Dunenſe, & Valcellenſe non auderem ignota nominare.

CONCLVSIO DVODECIMA.

597 *Summus Pontifex ex D. Bernardi ſententia non poteſt validè dare alicui Religioſo aut Prælato licentiā, vt ſine cauſa non ſeruet promiſſam loci ſtabilitatem.* Patet: quia loci ſtabilitas cum fratribus, & monaſterio promiſſa eſt: non Deo non Pontifici.

598 Eſt expreſſa, vt conſtat ex epiſt. 7. Quiſpiam enim Abbas ſuum monaſterium deſeruerat, vt commodiùs genio indulgeret, & voluptati; abduxerat ſecum duos ſocios, quorum alter reuerſus ad ſuum monaſterium inuito Antiſtite, alter permanſerat apud eum. Excuſant ſe, & exponunt licentiam Summi Pontificis concedentis, vt extrà clauſtrum habitent, contrà voluntatem ſuæ congregationis. Rigidè contrà talem Antiſtitē ſcribit Doctor Mellifluus, laudat Fratrē qui eum deſeruit, condemnat obſiſtentem, & de Apoſtolica licentia ſic ait: *O friuolum ſatis remedium, quod non eſt aliud niſi more protoplaſtorum cauteriatis conſcientijs texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum!* Verba ſunt fortia, & contextus conſtat ſimilibus ſæpiùs repetitis.

Confirmatur hęc veritas. Petrus promiſit Ioanni mille ſcuta: acceptauit Ioānes, & fit contractus publicus, ſeu obligatio de ſumma huiuſmodi: aſſeretnè aliquis, poſſe ſine cauſa Pontificem abſoluere Petrum à tali obligatione? profectò nemo. Sic ſimiliter, inuito Conuentu monachus abſolui non poteſt ſine cauſa à ſtabilitatis promiſſione: ratio eſt: quia hæc promiſſio rata eſt, contractu inito inter monachum, & integram congregationem. Ergo, ſi deeſt cauſa legitima, non poterit Summus Pontifex Religioſum eximere ab hac obligatione. Cæterum, nec cauſa quælibet, legitima cenſenda eſt: ſed illa quæ fuerit grauiter conducens ad aliquid, in quod Summus Pontifex directam authoritatem habet. Vide ea quę poſui nu. 554. ſub finem, quia fortè ſummus Pontifex maiorem authoritatem habet quàm tempore S. Bernardi creditum, & fortè non culpat Mellifluus Doctor, quod talem Pontifex licētiam ſine cauſa conceſſerit, ſed quòd tunc eam conceſſerit,

ceſſerit, ſed quòd tunc eam conceſſerit, cùm erant rationes negandi. Aliud enim eſt, noneſſe cauſam concedendi; aliud, & omninò diuerſum, eſſe cauſam non concedendi.

CONCLVSIO DECIMATERTIA.

599 *Qui ex vno monaſterio ad aliud tranſit, antequam ſecundo incorporetur, debet probari.* Patet: quia in ſecundo cœnobio ſunt aliqua accidentalia, per quæ aliud à priori differt, quę omnia debet incorporandus experiri. Hoc eſt in praxi. Et conſtat ex epiſt. 67. vbi Doctor Mellifluus monachos aliorum monaſteriorum recipiebat, non tamen omiſſa probatione. De G. Flauiacenſi in epiſt. citata ſic ait: *Cuius nos videntes conſtantiam, audientes cauſam, & nullam contrà eum calumniam, adnuimus introitum,* PROBAVIMVS *ſuſceptum, adſtrinximus* PROBATVM, *tenemus profeſſum.*

Probationis tempus non eſt à iure aliquo determinatum, & ideò relinquitur prudentis Antiſtitis determinationi. Vide ea quæ dixi articulo antecedenti concluſ. 6. D. Peralta Monachus Ciſterctienſis, profeſſus extrà Obſeruantiam, incorporabatur Cœnobio Vallisbonę circa annum 1630. habuitq; quindecim dies nouitiatus. Quibus expletis mittebatur Salamanticam, vbi ſumma cum laude S. Theologiam annis aliquot profeſſus eſt.

DISPVTATIO XLVII.

Exponuntur illa Profeſſionis verba,

Promitto —— conuerſionem morum meorum.

600 FVit anceps difficultas, quæ ab annis multis malè torſit Doctores florentiſſimos: elaborarunt plurimi in exponenda morum conuerſione, quæ ſolenniter vouetur Deo. Extat de hac materia ſolidiſſima Doctorum quorundam reſolutio, iam à multis annis ad petitionem Aquiſcinctenſium publicata, cui ſubſcripſerunt DD. Iudocus Tiletanus, Michael Bayus, Ioannes Hendenius, Ioannes Heſſelius, Auguſtinus Hunæus, Thomas Gozæus, Cunerus Petri, Cornelius Ianſenius S. Th. Doctores; & D. Vvolmarus Bernardis, Canonici iuris Profeſſor ordinarius. Scripſit de eodem argumento eximius D. Ioannes Schinckelius, conſultus à Reuerẽdo adm. Domino D. Henrico Zypeo, Abbate ſancti Andreę, cuius & ingenium veneror, & nomine, cùm occaſio ſe offeret, hanc controuerſiam honorabo.

601 Stabilitatem in Ordine, & in monaſterio promiſimus, certè coram Deo, non tamen directè ipſi Deo, ſed congregationi: & hoc iuramento nos diſpoſuimus, vt aptiùs, & meliùs voueremus: meliùs enim ille vouere dicitur, qui antè votum ita ſua diſpoſuit, vt exactè poſſit ipſimet voto ſatisfacere. Cæterũ, ſtabilitas in monaſterio optima diſpoſitio eſt, vt quis Religioſus ſeruet paupertatẽ, obedientiã, & caſtitatẽ.

Poſt ſtabilitatem, morum conuerſionem Deo vouemus. Promiſſionis verba ſunt breuia, obligatio ex illis emanans eſt grauiſſima, & non æquè nota omnibus.

ARTICVLVS I.

Status controuerſiæ exponitur.

602 CVm quærimus, ad quid teneatur Religioſus ex vi voti ſui, nihil aliud inquirimus, quàm quid Deo vouerit: quia ad nil aliud tenetur ex vi voti, quàm ad reddendum Deo quod vouit: vnde melliflue Bernardus libr. de præcepto. *Quiſque profeſſus*, ait, *in quolibet genere ſalutiferæ vitæ, nec vltrà obedientiæ legè cogendus eſt, nec citrà eſt inhibendus, quàm ſua ipſius profeſſio complectatur.* Dicitur homo vouere illud quod volũtario Deo promittit, idque poteſt fieri vel ſola mentis promiſſione, vel expreſſione Verborum. Solennia vota mentaliter olim fiebant ante Conc. Tridentinum, iam fieri non poſſuut ſine verbis. Verba autem vel adæquata ſunt, & ſpecifica, non poterunt contrahi vouentis intentione, ac propterea omnes vouebunt eodem modo. Puta, ſi verba omnes circumſtantias determinent, nihil remanebit ab intentione limitandum. Sic ſi diceres, *Voueo virgineam caſtitatem* voueres omnimodam, & lingua non poſſet determinari ab intentione; quia in ſe erat ſatis determinata. Si diceres, *voueo caſtitatem*, verba eſſent generica, includerentque vel virgineam vel coniugalem, & deberent intrinſecè determinari à vouentis propoſitio: extrinſecè à circumſtantijs loci, temporis, & Religionis. Si monachus Caſtitatem vouerit, cenſendus eſt virginalem vouiſſe. Eques S. Iacobi Religioſus eſt, ſed militaris, & olim caſtitatem virginalem vouebat, hodie coniugalem: ideò antiquitùs dicens *Promitto caſtitatem*, vouebat puritatem virgineam, hodie ſub eiuſdem verbis promittit non niſi coniugalem, & idcirco hodie vxorem poteſt ducere, quia antea non poterat.

603 Cum igitur hæc verba *Promitto conuerſionem morum meorum* ſint valde generalia, & multifariam poſſint exponi, veniunt non ab arbitrio profitentis, ſed à legibus determinanda.

ARTICVLVS II.

Opinio Doctorum prædictorum.

604 CRedunt citati Doctores, ex vi voti Benedictinos teneri ſeruare ſubſtantialia Regulæ. Hæc ſunt in eorum opinione imprimis illa, quæ omnibus Regulis ab Apoſtolica Sede approbatis eſſentialia ſunt: quæ pulchrè expreſſit Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 1. & 2. de Refor.* Nec quidquid id noui præcipit, ſed tantùm præcepta Patrum, Baſilij, Auguſtini, Benedicti, Francisci, & ſummorum Pontificum, Concilij Lateranenſis & aliorum ad memoriam reuocat, & ſanctione confirmat. *Præcipit, vt omnes Regulares tam viri quam mulieres ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant & componant, atque in primis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi qua alia ſunt alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum reſpectiuè eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum & veſtitum conſeruanda pertinentia, fideliter obſeruent.*

605 In D. Benedicti Regula hæc iudicant eſſe eſſentialia. Celebrare diuinum officium, quod nulla ratione omitti poteſt: eſt primaria Benedictinorum obligatio, ideo à Diuo Benedicto appellatur *Opus Dei*. Secundò, dare eleemoſynas, quod diſtrictè in Regula præcipitur, dum agitur de pauperum hoſpitalitate: Quia D. Benedictus Religionem ſuam inſtituit ad vitam contemplatiuam, ita tamen vt ſimul coniũxerit, ſine impedimento contemplationis, vitam actiuam. In quantum ergo Religio eſt contemplatiua, præcipitur opus Dei; in quantum actiua, præ-

cipitur hoſpitalitas, ita tamen vt conuentus per hoſpites non diſtrahatur. Vnde ſicut in Religionibus quæ ordinantur ad ſuſcipiendum ęgros, leproſos, &c. aut ad ſepeliendum mortuos, aut ad ſtudendum, prædicandum, redimendum captiuos, aut ad militandum pro Eccleſia, non poteſt officium Religionibus illis reſpectiuè proprium omitti abſque violatione prædicti præcepti illarum Religionum; ita non poterunt Benedictini Diuinum officium & largitionem eleemoſynarum omittere, quin violent præceptum ſubſtantiale Regulæ D. Benedicti.

606 Vouent quoque Benedictini expreſsè præ quibuſdam alijs ſtabilitatem & morum ſuorum conuerſionem; quorum prius violatur, ſi monachus apoſtatet aut deſerat monachatum, aut abſque Prælati ſui licentia ſine neceſſitate exeat è monaſterio. Secundum violatur, ſi deditus vitæ prauæ, nulla cura & ſtudio ſuis moribus conuertendis inuigilet, aut expreſsè nolit mores ſuos dirigere ſecundùm Regulam.

607 Eximius D. Schinckelius abſtinentiam à carnibus inter eſſentiales Regulæ obligationes enumerat, ſed cum limitatione: credit illum monachum peccare moraliter, non qui ſemel aut iterum, ſed qui ex conſuetudine mores ſuos per virtutem abſtinentiæ non conuertit.

ARTICVLVS III.

Exponitur vera ſententia, & contraria opinio debellatur.

608 Acutiſſimè diſcurrũt hi Doctores, ſed cùm ſuppponant aliqua, quæ falſa eſſe ſuperiùs videmus, ſequitur quod conſequenter multa ipſi doctè aſſerant, quæ indoctè admitterem.

Primò, falſò aſſeritur Benedictinos teneri ſub graui culpa ad ſubſtantialia Regulæ; non enim tenentur ſub mortifero ad alia quam ad ſubſtantialia profeſſionis, vt colligitur ex ipſo Tridentini Concilij teſtimonio, quod citant. Certè obligationes profeſſionis, & Regulæ, diuerſæ ſunt: quia, licet in Regula nihil de caſtitate decerneretur, manerent monachi ex vi voti ſolennis (hoc vocatur profeſſio) ad caſtitatem obligati: non enim poteſt ſtare ratio voti ſolennis ſine obligatione caſtitatis.

609 Benedictini non profitemur aliquam Regulam abſolutè, ſed conditionatè; hoc eſt, profitemur ſeruare Regulam Diui Benedicti cùm Abbas iuſſerit; ſiue (quod idem eſt profitemur obedire Prælato indicenti illa quæ ſunt in Regula. Profeſſio ſic ſe habet: *Promitto obedientiam ſecundùm Regulam*, non autem, *Promitto obedire Regulæ*. Hæc opinio expendit D. Bernardus libello de præcepto, ex quo reſoluo ſatis clarè *diſp. 7.*

610 Ex hac obſeruatione, facili negotio docebimur, qui debeant intelligi verba Concilij Tridentini. Illud pręcipit, vt omnes Regulares ad Regulæ (quam profeſsi ſunt) præſcriptum vitam inſtituant: atqui Benedictini profeſsi ſunt obedire Regulæ, ſi hæc indicatur ab Antiſtite: ergo debent inſtituere vitam expeditam, promptam, & liberam ad obediendum Regulę quoties à ſuo Prælato præcipiatur. Cùm igitur de facto in monaſterijs bene ordinatis Regulæ obſeruantia indicatur extrinſecè, hoc eſt ſub pæna, debent ita ſuum animum inſtituere, vt curent pœnali præcepto ſatisfacere, cum intentione admittendi pœnam quoties non ſatisfecerint. Hinc eſt, quod tam eſſentialia Regulæ quàm accidentalia, non obligent in interiori foro.

611 Conuerſationem iuſtam, ſobriam, & piam Regula intendit, vt Diuus Bernardus aſſerit varijs locis.

Illud

Illud propriè intentum (ſeu finis) dicitur propter quod omnia : illud inquā, ad quod diriguntur vniuerſa: quo aſſe-aſſequuto reliqua prodeſſe non poſſunt. Audiamus D. Bernardum. *Qui ſecundum Regulam viuere ſtatuunt*, ait lib. de præcep. cap. 20. *etſi non ad vnguem (vt dicitur) totam cuſtodiunt, & ſi qua pro ſui clauſtri ritu vel mutant vel prætermittunt, à regulari tamen omnino profeſſione non diſcedunt, donec tamen ſobriè & iuſtè & pie pro ſuorum moribus viuere non deſiſtunt.* & epiſt.7. *Si quis cæterorum ad Regulæ cupiat tranſire puritatem, ſed propter ſcandalum non audeat, puto quia non peccat, dum tamen in ſuo ſtudeat loco ſobrie & iuſte & pie conuerſari.* Ergo has tres virtutes eſſentialiter profeſsio reſpicit, alias accidentaliter.

612 Admirare vitæ monaſticæ diuinam harmoniam. Vita ſobria, iuſta & pia inſtituitur conſule Benedictio, vt Decalogi leges ſeruentur. Regula exponitur, vt piam, iuſtam & ſobriam conuerſationem aſſequamur. Verumtamen doceri velim quænam ſint iſtæ tres virtutes, quæ ſunt finis Regulæ, & reſpiciunt præcepta Dei vt finem.

613 Finis Regulæ, teſte Bernardo, eſt vita ſobria, iuſta, & pia. Vita autem ſobria quæ? eadem, quæ continens, caſta, pura, & illibata. Auguſtinus. *Steuch. de pere. Philoſ. lib. 10. c. 79.* identificat ſobrietatem & continentiam vni tertio, nempe Dei cultui: *Sobrietas, ait, & continentia eſt Dei cultus*: ergo, ſecundùm communem opinionem, ſobrietas & continentia ſunt eadem virtus inter ſe, ad cultum tranſnaturalem ordinata. Vitam iuſtam dicit pauperem aut quia diuites vix vnquam ſunt iuſti, aut quia iuſti vix diteſcere poſſunt. Antiquitas vnum diuitem iuſtum cognouit *μάκαρ*, qui & admirationi coætaneis fuit & prouerbio poſteris. Lego in veteri Iuſtitiæ ſimulachro.

Cur pauper cultu ? in terris iuſtiſſimus eſſe.
Qui cupiat, multas nemo parabit opes.

Pietas tandem non niſi obedientia eſt, nempe illa virtus ſpecialis, qua quiſpiā ſubditur Parenti, Prælato, Superiori. Ita D. Th. 2.2.q. 80. *art.* 1. Vnde apud Virgilium *Pius* dicitur, quoniā in ſummis periculis ſtetit volūtati ſui parentis.

614 Igitur iuſta, ſobria & pia, non niſi pauper; caſta & obediens vita. Hęc nos adiuuat, vt ſatisfaciamus præceptis diuinis: huic regulares pœnalitates, & obſeruantiæ fauent. Qui Regulam ad vnguem non ſeruat, à regulari profeſſione non diſcedit, quandiu caſtam pauperem & obedientem pro ſuorum moribus vitam agere non deſiſtit. Ergo ſubſtantiales monachi Benedictini obligationes cum his tribus virtutibus obligant: non tamen abſolutè, ſed ſecundum Regulam noſtri Sanctiſsimi Legiſlatoris.

615 Monachalis ſanè Ordo contemplatiuus eſt, & choro addictus; non tamen inde ſequitur, ad chorum teneri ſingulos ſub culpa aut graui aut leui; tenentur enim venire ſi eis pręcipiatur; ordinariè præcipitur ſub pœna & ita reus erit decretæ pœnitentiæ qui abfuerit, tenebiturque in interiori foro, cùm id ei Pręlatus iuſſerit ſub præcepto obedientiæ.

616 Præceptum de hoſpitalitate ridiculū eſt, & ab omni probabilitate alienum. Non quærunt hoſpites Benedictini, qui homines fugiunt: ideò in eremis habitāt extra vias, quò difficilis ſit aditus peregrinantibus. Illos, qui ad ſe diuertunt, nec vrbanè nec religioſè dimittere poſsūt, præcipuè ſi fuerint amici. Peregrini recipiuntur, & liberali pietate tractantur, ſed per accidens, quoniam aliter fieri non poteſt. Puta ſi hora intempeſta, in media eremo aliquis nobis accidar, qui non recipi vrbanè nō poſsit. Præterea, ſi hoſpitalitas eſt præceptum formale ad quod tenentur ſub

 mortali,

mortali, quomodo in aliquibus ſanctiſſimis monaſterijs quibus viget obſeruantia, hoſpitalitas eſt omnino incognita? Quomodo proſequimur veneratione & reuerentia cęnobia florentiſſima in quibus lege Capituli Generalis ſanctum, ne admittantur hoſpites? Quis crederet, omnes illos Religionis Antiſtites hucuſq; fuiſſe cæcos, & hanc grauiſſimam obligationē ante hac non cognouiſſe, neque modo cognoſcere? Dico igitur, ita eos teneri ex Regula ad hoſpitalitatem, vt ad alias obſeruantias. Eleemoſynarum munificentiam ſemper laudo, hoſpites diuites dimitti non laudo, ſi inurbanè id fiat; ſi recipiantur qui vrbanè dimitti potuiſſent, turbatur monaſterij requies ſine cauſa. Oſtiarius indiget ſumma diſcretione. Sit modeſtus erga diuites, erga pauperes munificus & liberalis.

617 Et etiam ſi finis Ordinis eſſet hoſpites recipere, & choro aſſiſtere, particulares monachi ad neutrum tenerētur ſub mortali ex hos præcisè titulo. Ratio eſt, clariſſima; quia Religionis finis obligat cōgregationem, non tamē ſemper in interiori foro, quod probabo clariſſimè. Finis Ordinum militarium eſt pugnare pro Eccleſia, vt de ſe patet: ipſi autem non tenentur ſub culpa ire ad bellum, licèt ſint ſchiſmata & hæretici: quia, vt videmus, milites ſæculares defendunt Eccleſiam in communibus neceſſitatibus, & vix aliquando milites Religioſi. Quòd ſi dicas, hoc naſci ex eorū negligentia, & credas eos peccare cùm domi remanent tempore belli, condēnaberis eorū expreſsiſſimis legibus.

618 *Milites-Chriſti* Ciſtercienſes ſunt, & militant ſub viſitatione & correctione Abbatis Alcobatiæ, fuerunt olim in Mauros fulmina, ſed tenebantur eos eggredi, vt modo tenentur, nempe in foro exteriori. Dabo tenorem legis. *Tria vota obligant ſub culpa graui: præter hæc nihil ſub mortali obligat.* Ita tranſtulit ex illo libro Luſitanico, cui Epigraphę *Regras, Statutos, e Diffiniçōes da Ordem e Caualaria de noſſo Senhor Ieſu Chriſto.* tit. 29. Ergo ſicut Religiones militares non tenentur militare in foro interiori: ſic etiam alij Ordines (ſi alio non teneantur titulo) non debent cēſeri obligati moraliter ad aliquid ratione finis. Confirmatur quia etiam S. Dominicus Religionem inſtituit, cuius finis eſt euangelizare, vnde & *Prædicatorum Ordo* dicitur: hi autē non tenentur concionari ſub culpa; quia præter tria eſſentialia vota, nihil eos obligat in conſcientia. Ita D. Thomas.

619 Eſto igitur ratum, hoſpitalitatem non eſſe Ordinis Benedictini finem; & eam, licèt finis eſſet, non poſſe moraliter & in foro interiori Benedictinos obligare.

Igitur Benedictinus Monachus non Homini ſed Deo coram ipſo Deo & hominibus promittit ſolennem & monaſticam conuerſionem morum ſuorum ſecundùm Regulam; hoc eſt, pollicetur directè ſe ſeruaturum eſſe caſtitatem ſecundùm præſcriptū Regulæ Benedictinæ, vouet ſe ſeruaturum paupertatem ſecundùm decreta eiuſdem Regulæ: & tandem promittit, ſe obedientem futurum eſſe Abbati ſecūdum eiuſdem Regulæ limites & diſpoſitionem. Has tres virtutes eſſentiales non ſimpliciter, ſed ſecundum Regulam vouerit etiā ſenſit D. Bernardus lib. de præcept. cap. 20. *Nemo quippe cum profitetur,* ait, *ſpondet Regulam, ſed determinatè ſecundùm Regulam, ſui quiſque conuerſionem, ſuamque deinceps conuerſationem ſeſe pollicetur dirigere.* Ergo non ſolùm obedientiam ſecundùm Regulam, ſed etiam ſecundùm eādem Regulam, conuerſionem (hoc eſt, caſtitatem & paupertatem) pollicetur; & compromittit vt medium omnia illa ſine quibus hæc tria obſeruari non poſſunt.

620 Hinc eſt, quòd Benedictinus in genere continentiæ, paupertatis, & obe-

dientiæ

dientiæ illa poſſit facere, quæ Regula noſtra permittit; illa non poſſit quæ interdicit. Alia non vouit, & ideò ad plura non tenetur. Ex dictis conſtat quòd ſi, ſtante ſolenni voto in ſuo rigore, Regula maturentur ſubſtantiales voti obligationes, quia ſunt ſecundùm Regulam. Verbi cauſa: Benedictus non admittit proprium, nec vſum ſine licentia Antiſtitis; decernit virgineam puritatem: ſi Deus vel Summus Pontifex mutaret iſtam legem, & faceret quòd ſolus vſus & non proprietas à noſtro Legiſlatore interdiceretur; ſi faceret, quod indiceretur caſtitas coniugalis: ſtante illæſo voto profeſſionis monaſticæ, poſſet monachus Benedictinus habere proprium vt PP. Ieſuitæ, nondum ſolenniter profeſſi: & poſſet ducere vxorem, vt Ciſtercienſes milites, qui etiam ſunt Religioſi.

621 Illa quę ſubiunguntur de ſtabilitatis voto, ad nos non pertinent, qui non obligamur quatuor votis, ſed tribus. Non vouimus directè Deo ſtabilitatem in clauſtro, ſed in propoſito; quia illam directè promiſimus congregationi. *Vide num.* 528.

622 Votum conuertendi mores, iam expoſui; ſed quia oppoſitę ſententiæ authores illud reſumunt, & nos cum illis reſumamus. Morum conuertendorum votum, ſolenne eſt: ſolennis autem voti, niſi expreſsè aliquid addatur, obiectum tantùm cōplectitur tres virtutes monaſticas, quas vocant ſubſtantiales: in ſolenni Benedictinorum voto nihil exprimitur diſtinctum ab his tribus virtutibus: ergo ſolùm de illis venit intelligendum.

623 Ad id quod de carnis abſtinentia ſubſumitur, reſpondeo, illam ex vi Regulæ nulli præceptam eſſe, ſed præceptibilem: ideò teneri noſtri inſtituti Religioſos abſtinere à carnibus quando Prælatus iubet. Hoc tempore Abbas ter in hebdomada illas non interdicit, & ideo licitè veſcuntur carnibus talibus diebus; reliquis diebus eas interdicit ſub pœna, non ſub culpa; ac propterea ſubiacebit Regulari diſciplinæ, & decretæ pœnitentiæ, qui eas comederit ſine licentia. Quòd ſi contingat alicubi legitimè carnes interdici in virtute obedientiæ, tunc tenebuntur abſtinere à carnibus, & qui ſemel carnes comederit peccabit mortaliter: licèt eas comedat ſecretò & ſine ſcandalo. Peccabit mortaliter, inquam, qui interdictionem carnium legitimam violabit: vt obiter ſcias, non ſemper poſſe Prælatum has interdicere ſuis Religioſis. Ratio eſt; quia ipſi ex D. Bernardi reſolutione (*lib. de præcep. cap.* 20.) tenentur Antiſtiti obedire ſecundùm Regulam, quà receptam legitimèque diſpenſatam. Carnes autem ex vſu & non ex abuſu comeduntur, cùm ex legitima diſpenſatione: ſed de hoc loco aptiori, cùm de cibis & potu differemus.

DISPVTATIO XLVIII.

Vtrùm Religioſus Benedictinus teneatur obedire ſuo Prælato ſecundùm Regulam, ad litteram & in rigore ſumptam.

624 PRomiſiſti coram Deo ſtabilitatē ſecundùm Regulam hancque congregationi. Vouiſti Deo Caſtitatem, Paupertatem, & Obedientiam:

tiam, & ſingulas ſecundùm Regulam. Dubitas, vtrùm voueris obedientiam ſecundum Regulam ad literam ſumptã, vel ſanè ſecundum eam quà receptam in monaſterio illo, in quo degis? Hoc eſt, An poſſit Abbas quilibet priſtinum, & obſoletum viuendi modum reſtituere, & inuitos ſuos Religioſos reformare iuxtà rigorem Regulæ?

ARTICVLVS I.

Quorundam Doctorum, & Auctoris opinio.

625 Regula ſeruatur ad literam in tuo cœnobio, aut non: ſi primum, te felicem, & tuos beatos, quæ enim in vita hac aut conuerſatio beatior, aut ſtatus felicior illo, in quo reddis Deo vota tua, prout diſtinxerunt labia tua? Si aliqua minùs obſeruentur, examinare oportet, vtrùm illa ſint ſubſtantialia profeſſioni, cõtrà quam præſcribere nequaquam potes. *Nam ſi hæc ibidem* (verba ſunt mei Bernardi lib. de præcept. cap. 20.) *pro improbitate nimirum atque irreligioſitate cohabitantium, obtinere fortè nequiuerint, duce ſpiritu libertatis tranſire indubitanter ſuadeo ad locum alium, vbi non impediatur homo reddere Deo vota ſua*. Talis communitas irreligioſa eſt, & indigna nomine communitatis. Poterit etiam contingere, quod in aliquo cœnobio exoleuerint aliquæ regulares obſeruantiæ, vſu contrario præualente. Puta, ſi comedantur carnes, ſi ſilentium non ſeruetur, aut alia ſimilia permittantur. Interrogo, vtrùm iſti mores cõtrarij legitimè introducti ſint, an non. Si legitimè ſint introducti, monaſterium benè ordinatum dici debet. Non eſt malum obligationes fugere, non eſt malum diſpenſationem impetrare: licèt eſſe melius illas non fugere, iſtam non quærere: malum tantùm eſt obligationibus non ſatisfacere. Si regularia, quæ deberent ſeruari, (illa, inquam, de quibus nec diſpenſatio legitima eſt, neque præſcriptio rationalis) non ſeruentur propter abuſum ſubditorum, aut propter remiſſionem Abbatis, monaſterium huiuſmodi irregulare dici debet.

626 His poſitis, difficultati ſatisfacio. Dico igitur. PRIMO. *Qui vota emiſit in monaſterio relaxato* (in eo, inquam, vbi promiſſionis ſubſtantialia non ſeruantur: quod Deus qui hucuſque auertit, in poſterum auertat) *ſi habuit intentionem vouendi, tenetur ſeruare tres illas virtutes eſſentiales: nec illi ſufficiens excuſatio eſſe poterit, quod illas alij non obſeruent.*

627 Ratio eſt clariſſima: quia, ſtante voto, debent ſtare illa omnia, quæ eſſentialiter ex eo naſcuntur: atqui ex voto ſolenni Religionis, naſcitur obligatio ſeruandi tres virtutes monaſticas: ergo non poteſt contingere quòd votum monaſticum ſtet, & deficiat talis obligatio.

628 Conſultò dixi, *ſi habuit intentionem vouendi*; quoniam votum ſine intentione vouendi, promiſſio vera non eſt, ſed mendacium; quia contrà mentem loquitur, qui dicit ſe illa vouere, quæ reuerà non vouet. Certè lingua nõ vouet, ſed animi vouentis index eſt: patet, quia animus ſine lingua ſufficit vouere Deo virtutis alicuius praxim; lingua ſine animo, & vouentis voluntate, non ſufficit.

629 Poſtulaui intentionem vouendi, non ſatisfaciendi: quia, ſi ſolennis profeſſionis verba proferens voluiſti vouere, licèt velles non ſatisfacere obligationi, verè vouiſti, & dictis ſtare teneris.

630 SECVNDO. *Qui vota emiſit in monaſterio irregulari*, (hoc eſt, vbi contrà Regulam abuſus irrepſerunt) *tenetur reformationi ſubiacere, & obedire Antiſtiti, vſus illegitimos eliminanti.*

Verbi

Verbi cauſa. In monaſterio N. Ciſtertienſi comedũtur carnes ferijs quartis, quod eſt contrà præſcriptum Regulæ, quia licet ex indulto diſpenſationeque Pontificis ſanctio hæc mitigetur, & poſſimus carnes comedere Dominicis, ferijs tertijs, & quintis, à nullo conceditur quòd ferijs quartis. In tali caſu, conſuetudo hæc illegitima cenſeri debet. Tu ſequere maiorum exempla, & vitæ ſingularitatem. Comede carnes cum alijs, ſi velis; quia nulla lege pœnali aut morali tibi interdicuntur: ſcito tamen eas ab Abbate debere interdici ſub pœna, & poſſe ſub culpa; tu enim illi promiſiſti obedientiam ſecundùm Regulam, vt priuilegijs, & motibus præſcriptis limitatam: ipſa autem, quà carnes ferijs quartis interdicit, nunquam fuit mitigata.

631 Ex prædictis omnino clarum euadit, quàm periculosè illi ſe fallant, qui, cùm in ſua profeſſione Deo vouerint conuerſionem morum ſuorum, & obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti, exiſtimant tamen ideò ſe ex voto ſuo non obligari ad vitam communem, quia illa tempore profeſſionis ſuæ non ſeruabatur in monaſterio, & quia non intendebant (vt putant) ſe ad aliud obligare vi voti, quam ad id, quod videbant in monaſterio obſeruari. Cùm enim in ijs, quæ claris, & ſpecialibus verbis deliberateque prolatis vouent, non differat intentio ab expreſſione verborum, clarum eſt, omnes dictos Religioſos intendiſſe Deo vouere, quod verbis expreſſerunt; multitudo autem peccantium, & violãtium votum ſuum, neminem à peccato excuſat. Similes autem ſunt tales Religioſi illis coniugibus, qui putant ſe non violare fidem vxori promiſſam, ſi cum alijs mulieribus congrediantur, eò quòd plures coniuges ſui pagi vel oppidi adulteri ſint; aut ijs, qui putant ſe non periuros eſſe, dum iurant ſe non ſimoniacè obtinuiſſe beneficium quod ſimoniacè acquiſiuerunt, propterea quòd illi, inter quos habitant, ſimili ſimonia peruenerint ad beneficium, & ſimiliter periuri ſint. Turpiter hi abutuntur verbis S. Bernardi *lib. de præcept. c. 20.* dicentis: *Quiſquis tenet, quod teneri inuenerit bonũ vbi profitetur, profectò viuit ſicut promittit; quia non aliud procul dubio promittit quàm quod habere pia eorum vita videtur, cum quibus viuere deinceps diſponit, & eligit.* Et iterum: *Quia non eſt omnibus vna cordis intentio, poteſt indubitanter, ſine detrimento ſalutis, & ſine damno profeſſionis, operis quoque non vna vbique obſeruatio celebrari.*

632 Legunt D. Bernardum, & nolunt intelligere, ne bene agant. Iuuabit eius verba expendere: *Quiſquis tenet, quod teneri inuenerit bonum vbi profitetur, profectò viuit ſicut promiſit.* Ergo, qui tenet quod teneri inuenerit, malum vbi profitetur, ſanè is non viuit ſicut promiſit. Atqui abuſus, & illegitimæ conſuetudines, malæ ſunt; ergo licet illas inueneris vbi profeſſus es, illas tenere non poteris; aut ſi teneas, non viues ſicut promiſiſti. Verè abuſus non tenes, cùm illos non propugnas, cùm Prælato reformaturo non reſiſtis, cùm habes animum promptum, & decernis obedire illi, dum iuſſerit abuſum tolli. Loquitur Doctor Mellifluus de monaſteriorum varijs vſibus, non de abuſibus, & relaxatione. Si aliquid in monaſterio fiat cõtrà tenorem Regulæ, diſpenſante Summo Pontifice, bonum eſt, & vſus monaſticus vocari poteſt: ſi fiat contrà Regulam, & nulla adſit diſpenſatio legitima illa conſuetudo irregularis eſt, abuſus eſt. Hinc intelligitur idem Bernardus, cùm eodem capite ſic ait: *Si quid pro ſui clauſtri ritu vel mutant, vel prætermittunt*, nempè rationabiliter, hoc eſt, cauſa legitima poſcente, Pontificeque diſpenſante; *à regulari tamen profeſſione non diſcedunt, donec tamen ſobriè, & iuſtè, & piè*

pro ſuorum moribus viuere nõ deſiſtũt. Et infrà: *Exceptis*, inquit, *Ciſtercienſibus, de cætero neminem obedienter degentem moueat Regularis, ſolennisque profeſſio, in qua non ſit de tota Regula promiſſio, in his duntaxat monaſterijs, in quibus Ordo & diſciplina ſeruatur cum bonis conſuetudinibus*, (hoc eſt, ſine abuſibus.) Salua igitur cuique manet in cœnobijs bene ordinatis profeſſio, tantum ſi ſana fuerit intentio, & recta. Cùm igitur non viuere in communi, comedere carnes ferijs quartis, & ſimilia (ſi fiant) abuſus ſint, abſque legitima diſpenſatione aut cauſa introducti, ſequitur, Religioſos ad huiuſmodi obſeruantias compelli poſſe, nec à D. Bernardo excuſari: maximè, cùm Concilium Tridentinum præcipiat ſeruari in monaſterijs ſubſtantialia vota, nec non ad communem vitam & victũ pertinentia. Sequitur etiam, non poſſe Religioſus ſuam ignauiam tueri contra reformatores ex eo, quod tempore profeſſionis illa non ſeruabantur: quia tale monaſterium irregulare erat, & potuit, imò debuit reformari: in illo enim caſu habet locum admonitio Conc. Tridentini *ſeſſ.*25.*c.*1. (cui conſonant caput, *Cùm ad monaſterium, de ſtat. monach.*& caput, *Cùm Paulus* 1.*quæſt.*1.) aut iubentis aut ſaltem exhortantis Capitula Generalia, Prouinciales & Viſitatores, vt abuſus tollant, & ſtatum monaſticum ad Regularem puritatem, legitimoſque mores reducant.

633 Tertiò. *In bene ordinato Monaſterio* (nempe vbi ſine legitimo vſu nihil fit contra Regulam) *poteſt Abbas præcipere moraliter quamcumque regularem obſeruantiam, prout communiter in monaſterio illo fit: non autem poteſt reuocare obſoletas, de quibus habet communitas legitimam diſpenſationem.* Deducitur hæc concluſio ex ſupradictis de profeſſione in genere: Videndum igitur nunc eſt, an forma, ſub qua vouent Benedictini obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti, ſit ſpecialis an generalis, poſſitque varijs ſpeciebus & modis talis obedientia præſtari. Quia igitur rectè & verè ſecundum Regulam S. Benedicti is dicitur viuere, qui eſſentialia Regulæ quidem obſeruat, aliqua tamen accidentalia pro ſui clauſtri ritu legitimo mutat vel prætermittit; ſicut homo vocatur & eſt, etiam cui raſa eſt barba & crines, aut amputatus digitus, perſpicuum eſt, quod obedire ſecundùm Regulam S. Benedicti, ſit genu complectens primò eos, qui obediunt ſecundùm Regulam, perfectè & plene obſeruantes ad literam quidquid in illa continetur, quomodo vel teſte D. Bernardo ſe profeſſos exiſtimabant Ciſtercienſes: ſecundò illos, qui Regulæ accidentalia vel prætermittunt vel mutant, vt quædam circa genera ciborum, veſtium, modum cubandi, quales ſunt illi Cluniacenſes, qui tamen eſſentialia diligenter obſeruant, & vt Bernardus loquitur, monaſteria habent bene ordinata, in quibus ſobriè, iuſtè & piè viuitur, & in quibus ordo & diſciplina ſeruatur. Sicut enim viuere ſecundùm Euangelium, eſt generale, & multis modis impletur: aliter enim ſecundùm Euangeliũ viuunt, qui & præcepta Chriſti obſeruant & conſilia, aliter, qui conſilijs prętermiſſis ſola præcepta accuratè adimplent. Item aliter præcepta obſeruant, qui grauia crimina & peccata euitant, venialia autem (quæ non parui momenti ſunt) non ſtudent ſolicitè euitare; aliter, qui multa ſolicitudine quotidie ſatagunt ſibi à venialibus cauere; omnes tamen illi ſecundùm Euangeliũ viuunt: ſic ſanè S. Bernardus *lib. de præcep. & diſp.* in regulari & ſolenni profeſſione Benedictinorum ait nõ fieri de tota Regula profeſſionem, ſed promitti tres illas eſſentiales virtutes ſecundum Regulam quà legitimo vſu receptam in Communitate. Qui legitimũ vſum dico, abuſus omnes & prauas conſuetu-

ſuetudines elimino. Vouit Petrus obedientiam ſecundùm Regulam S. Bened. Videndum eſt, quam ſpeciem regularis obediētię in voto ſuo intēderit amplecti, quæ intentio iudicanda eſt ex ritu, conuerſatione & obſeruantia eorū, apud quos vouit; ſi enim apud Ciſtertienſes vouerit, iudicandus eſt vouiſſe obedientiam ſecundum Regulam, prout illud Ciſterciēſes ſeruatur, & tenetur ex vi profeſſionis ad illa omnia, quæ in Regula continentur, prout in illo monaſterio obſeruantur: tenetur, inquam, cùm Abbas illa præceperit, & non conſtiterit per aliquem Abbate ſuperiorem in illis diſpenſatum. Et qui apud Cluniacenſes profitetur obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti, intelligendus eſt regularem obedientiam profeſſus, prout Ordo Cluniacenſis obſeruat. Vnde ex vi voti non tenetur, etiamſi illi Abbas præcipiat, obſeruare rigorem Ciſtercienſium; quia apud Cluniacenſes legitimè vouens, non intendit eum rigorem vouere, nec eius partem. Sed ideò fortè Ordinem Cluniacenſem eſt amplexus, quia rigor Ciſtercienſis non eſt viſus imbecillitati ſuæ congruere. Vnde S. Bernardus de varijs obſeruātijs bene ordinatorum monaſteriorum Ordinis S. Benedicti, *Omnes*, inquit, *ſecundùm Regulam profitemur, vnaquidem oris vbique promiſſio, ſed quia nō eſt omnibus vna cordis intentio pōteſt indubitanter, & ſine impedimento ſalutis & ſine damno profeſſionis, operis quoq; vbiq; non vna obſeruatio celebrari.* Et iterum de Cluniacenſibus loquēs, *Qui*, inquit, *ſecundum Regulam viuere ſtatuunt, & ſi quæ pro clauſtri ſui ritu mutant vel prætermittunt, à regulari tamen ritu aut profeſſione non diſcedūt, donec tamen ſobrie & iuſte & pie pro ſuorū moribus viuere non deſiſtūt.*

634 Neque illi rectè interpretantur D. Bernardum, qui aiunt eum tantùm loqui de monachis, qui parati ſunt omnia ſeruare quæ continentur in Regula, Abbate id præcipiente; nam ſi de his ſolis loqueretur, verum eſſet quod omnibus in profeſſione eſſet eadem cordis intentio, eò quòd omnes intenderent puram Regulam ſeruare, Abbate præcipiente; nec eſſet illa differentia inter intentionem Ciſtercienſium & Cluniacenſium, quòd hi poſsint aliqua Regulæ prætermittere Abbate diſpenſante, vel ex cauſa conniuente, illi verò non; nam & Ciſtercienſes & omnes alij Monachi, Abbate legitimè diſpenſante, poſsunt quæcumque prętermittere. Cū ergo D. Bernardus cognoſcat differentiam inter Ciſtercienſes & Cluniacenſes, hæc tantum iuxta mentem ipſius in eo conſiſtit, quod Ciſtercienſes profiterentur obedire ſecundum Regulam ad literam ſumptam: Cluniacenſes verò profiterentur obedientiam non ſecundum illam partem quæ pro clauſtri moribus erat in vſu. Confirmatur: quia aliàs, nec Cluniacenſibus volentibus ſe obſtringere ad Ciſtercienſem puritatem (eligentibus nimirum præ illis conſuetudinibus magis rigorem Regulæ diſſuaderet Bernardus mutationē inſtituti ex hac cauſa quod videlicet certùm relinquere pro dubijs tutum non eſſet (*Forſan enim*, inquit, *hoc tenere poteſt, illud non poterit*:) ex hac, inquam, cauſa non diſſuaderet Bernardus mutationē, ſi putaret, Cluniacēſes ex profeſſione ſua obligatos ad eam Regulæ puritatē Abbate præcipientes ad quam obligabātur Ciſtercienſes ſed votum vrgeret, nec impotentiam vel imbecillitatem ponderaret: Atqui votum non vrget, ſed imbecillitatem ipſam ponderat: ergo ſignum eſt, quod materia Profeſſionis erat diuerſa. Vtrique profitebātur obedire Prelato ſecundum Regulam, diuerſimodè tamen expoſitam, & varijs moribus interpretatam. Cluniacenſis, qui ſecundum partem Regulæ vouerat Antiſtiti obedire, forſitan non potuiſſet, ſecundum totam Regulam, ergo prudenter melliflus Abbas imbecil-

ſtatem profitentis vrget, ne certa pro incertis deſerat: quia, qui perfectè poterit ſatisfacere mitigatæ Regulæ, rigoroſæ forſitan non poterit.

635 Poteſt etiam fieri, quod per longam Abbatis & Ordinis ac Viſitatoris conniuentiam, vel tandem per legitimam diſpenſationem aliqua accidentalia in Monaſterio bene ordinato abolita ſint, quæ in alijs Monaſterijs bene obſeruantur, nec hæc tenetur Monachus vi voti ſui recipere, præſertim ſi hoc monaſterium eſt ingreſſus, quia nolebat v. c. abſtinere à carnibus. Cæterum, ſi aliquid ſit abuſu introductū, poterit, imò debebit Abbas abolitum reſtituere & renouare cum potuerit: niſi forte abuſus tranſiuerit in conſuetudinem legitimam, præſcripſeritq; contra ſenſum literalem, de quo ſubiungam aliquid in fine præſentis controuerſiæ.

An expediat abuſus tolere, & mores à vitos reuocare, ſi ita omnes Monachi ſint diſpoſiti, vt ex renouatione maior ſit oritura turbatio quàm fructus, prudens Abbas magna ſolicitudine diſpicere debet. Vna certè ex conditionibus legis condendę vel abolitę reuocandę eſt, quod ſubditis, attenta eorum diſpoſitione, ſit poſſibilis futura & vtilis.

Religioſus itaque profeſſus ſecundū Regulam S. Benedicti in quolibet ſub Regula viuentium Monaſterio, obligatus eſt virtute & ratione voti ſui ad ea obſeruanda, quæ ad regularis vitæ obſeruantiam pertinent, & ſubſtantiam, quæ Synodus Trident. locis ſuprà citatis explicat, obedientiam, paupertatem & caſtitatem, quas virtutes ita tenetur ſeruare, vt nullo titulo illis licitè temerare poſſit. Tenetur inſuper viuere in communitate (*Vide num.* 528.) ratione pacti & promiſſæ ſtabilitatis: quod etiam iuſſit Synodus Tridentina *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. Hæ ſunt baſes & fundamenta conuerſationis regularis. Vota ſunt tantę perennitatis, vt nec ab Abbate, nec ab alio Ordinis Superiore poſſint diſpenſari: quin potiùs vbi in iſtis, aut in medijs proximè conducentib. ad illa, reperitur facta relaxatio vel mutatio, ea per Abbatem corrigenda eſt, & quilibet Religioſus in eam correctionem prompto ac lubenti animo debet conſentire, & ad eam ritè perficiendam cooperari: ſuo enim voto, quo ſe ad aliqua certa in cōmunitate ſeruanda vouens directè adſtrinxit, adſtringitur etiam indirectè ad omnia ea, ſine quibus aut non poſſunt, aut vt plurimum & regulariter nō ſolent vota obſeruari à communitate Religioſorum: & ad ea vitanda & declinanda, quæ plurimum periculi adferunt, vel occaſiones præbent non ſeruandi: qui enim vouit caſtitatem, tenetur ex conſequenti ea, quæ in periculum proximum caſtitatis violandæ deducunt, præcauere: & vigore præcepti de aliquo peccato vitando, tenemur vitare occaſiones proximas iſtius peccati.

Quartò. *In corporalibus obſeruantijs & conſtitutionibus, quas Regula præſcribit, poteſt Abbas aut Superior pro cauſis, locis, perſonis & temporibus diſpenſare; & vbi vel per Superiorem, vel per longam diſſuetudinem aliquæ obſeruantiæ exoleuerunt, non poſſunt inuiti Religioſi per Abbatem ad eas renouandas vrgeri, donec tamen regularis vita in ſobrietate, pietate, iuſtitia & bono ordine ſeruetur.* Hęc veritas habet potiſſimum locum in monaſterijs, in quibus quando profeſſio facta eſt, eas exoleuiſſe conſtabat. Religioſos ergo non debet ſolicitos reddere & inquietos regularis profeſſio, quod non integram præſtent, & ad vnguem ſecundum omnes regulares conſtitutiones obedientiam, dummodò ſeruentur ſubſtantialia profeſſionis monaſticę, & pia, ſancta ac regularis vita teneatur. Quòd ſi cōſuetudines & abuſus irrepſerint, qui diſſonant à Regulari & Monaſtica vita, ad eorum correctionem debent ſe alacres, promptos ac manſuetos exbiere. Quòd ſi abuſus con-

contra Deum non ſint, non tenentur poſitiuè monachi eorum abolitionem procurare. Abuſus ille dicitur eſſe contra meram Regulã non contra Deum, qui nec Decalogo, nec præceptis Catholicę Eccleſię contrariatur. Talis eſt de comedendis carnibus ferijs ſecundis, & huic ſimilia.

ARTICVLVS II.

Quæ conditiones requirantur ad hoc, vt Communitas bene ordinata audiat.

636 HAec difficultas politico-Chriſtiana eſt, & valde generalis: reperies reſolutiones varias pro ingenio & voluntate authorum ſæpius exorbitantes. Placuit, omiſſis eorum placitis, quibus nec licet ſubſcribere, nec iuuat reſpondere, quæſito ſatisfacere.

637 Vt bene ordinatum monaſteriũ diſcernas, examinare oportet quænam conſuetudines ſint cenſendæ laudabiles & vitę regulari congruentes, quænam cum vita regulari & monaſtica pugnãtes, & diſciplinam, ordinem bonum, vitamque ſobriam, & piam potius deſtruentes, quàm ædificantes. Nam ſecundum doctrinam D. Bernardi, vſus boni ſiue obſeruantiæ & conſuetudines bonæ demum iudicandæ ſunt, cum à regulari vita non diſcordant, id eſt, cum regularem vitam non impediunt nec deſtruunt, nec bono ordini aut diſciplinæ contrariantur, ſed hæc potius promouent. Priuſquam ergo reſpondeamus, videndum eſt quidnam requiratur vt aliqua ſocietas vel communitas in genere dicatur bene ordinata.

638 Primò & ante omnia requiritur finis bonus, quem illa communitas intendat: quia enim finis pyratarum, & latronum malus eſt, ſemper inordinata eſt ipſorum ſocietas: & quia exercitus Principis iuſtè bellantis finis eſt exercere iuſtitiam, ideò ex fine huiuſmodi exercitus bene ordinatus eſt. Vnde Suidas (*in Valentino Iun.*) *Imperatoriã acies ſtat non in armis, ſed in iuſtis cauſis*. Ob hanc rem. *Prouerb.* 21. Gubernaculis bella tractanda eſſe dicuntur: belli autem gubernacula, iuſtitia, fortitudo, & benignitas ſunt.

639 Secundò requiritur, vt quęcumque finem impediunt, extirpentur. Vnde exercitus non eſt bene ordinatus etiã bello iuſto, ſi hoſtes ſinantur in medio eius verſari; quia ſi impunè aut munitionibus adpropient, aut caſtra permeent ruinam vltimam inferre poterunt. Quam bellè Polybius lib. 4. *Quid magis infidum*, ait, *quàm vicinus hoſtis?*

640 Tertiò requiritur, vt media ad finem vtilia & commoda habeantur: ſicut exercitus in bello iuſto non eſt bene ordinatus, ſi inermi ſit aut commeatibus careat; quia non habet media neceſſaria vt aut in hoſtem irruat, aut in expeditione perſeueret. Paulus Iouius hiſtor. lib. 13. *Nulla re magis, quàm commeatus inopia exercitus vincitur*. Accinit Liuius decad. 3. lib. 2. *Facilè ſuperatur*, ait, *qui ſeneſcit in dies, qui non commeatus, non ſupplementum, non pecuniam habet*. Quæ omnia confirmat Dion. libr. 5. *Ab armis omnia pendent, quibus qui præualet, eius legibus omnes neceſſario obtemperant*.

641 Quartò, neceſſarium eſt, vt in certis ac determinatis modis & medijs conueniant & inter ſe membra communitatis & cum capite conſpirent. Vnde Plutarchus in Arato: *Vires inexpugnabiles ſunt*, ait, *quoties vnanimi ordine exercitus componuntur, atque reguntur*. Quamuis enim ad eundem finem varijs viis & bonis perueniri poſsit, ſicut à viatoribus, diuerſis ſemitis ijſque omnibus bonis peruenitur ad ciuitatem eandem, vbi nulla via determinatè neceſſaria eſt ad eam; attamen, vt perueniat ad ſuum finem communitas debet ei certa & determinata via præſcribi; ſi enim quilibet pro libitu ſuo medium amplectatur. Cõmunitas turbabi-

habitur, diſpergetur, & omne robur ſuum diſperſa perdet; nec vnus alterum confortabit, ſed potiùs impediet; ſiquidem omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, & domus contra ſe diuiſa nō ſtabit. Quemadmodum in exercitu, ſi vnus velit his armis vti, & hac parte, hac hora hoſtes impugnare; alius verò alia parte, alia hora, aliјs armis, planè inefficax erit inſultus & diſſipabitur. Sic igitur vt monaſterium, quod exercitus quidam ſpiritualis eſt Caſtrorum acies aduerſus ſpirituales hoſtes, ſit bene ordinatum. Primò requiritur bonus finis; finis autem monaſterij eſt, implere eſſentialia Profeſsionis: ſed illa poſſunt ordinari ad commodum præſentis vitæ, & non ad proficiendum in obſeruatione mandatorum Dei, ſicut quædam manēt virgines vt euitent difficultates & commoda coniugij, & intrant monaſteria, vt lautiùs viuant. Veluti Socrates olim Philoſophus, teſte Hieronymo, & alij plurimi diuitias contempſerunt; nullus tamen Chriſtianus eas monaſticè contemnit, qui intuitu boni temporalis. Veros pauperes deſcripſit. D.Gregorius 2. *lib. moralium* his verbis; *Sunt nonnulli iſtorum*, ait, *qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interiùs appetunt, exteriùs cuncta derelinquunt*. Si non fiat propter Dominum quod vouetur, non eſt bonus finis monaſticæ conuerſationis, ſed tantummodo eſt bonum temporale & caducum, vt eleemoſyna data ad acquirendam gratiam apud homines.

Finis itaque vitæ monaſticæ bonus, eſt impletio votorum ordinata ad profectum in obſeruatione mandatorum Dei, ſicut Dominus ait adoleſcenti: *Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælo, & veni ſequere me*: oſtendens paupertatem non eſſe vtilem, niſi ad ſequelam Chriſti ordinetur & ad perfectionem, quæ vtique in obſeruatione mandatorum Dei conſiſtit, obtinendam. Qandocumque itaque ſic viuitur in monaſterio, vt non ordinentur vota ad meliùs implenda Dei præcepta, monaſterium non eſt bene ordinatum, etiamſi opere preſtentur ea, quæ ſunt promiſſa; quia non eſt bonus finis à Religioſis intentus. Tunc verò non ordinantur vota ad obſeruanda Dei mandata, quando in monaſterio paſsim & ex conſuetudine aliqua, quæ contra Deum ſunt, committuntur, & impunita remanent; nō enim quærit peruenire ad aliquam ciuitatem, exercitus ille qui voluntariè quotidie eligit ambulare viam quę à ciuitate abducit, & ne ad eam perueniatur, impedit: vnde ſi omes alicuius monaſterii Monachi, vel tanta pars vt ad perficiendam ſuam voluntatem prævaleat aliis, aliquem articulum fidei deſerant, vel ſimoniacè quos recipiunt, admittant, vel ebrioſi ſint, non eſt bene ordinatum monaſterium, etiamſi omnia vota, & ſtatuta exactè obſeruentur.

642 Præterea requiritur, vt impedimenta finis amoueantur; vnde ea quæ occaſionem prabent criminum vel violationis votorum in primis debent abiici, vt colloquia cum hominibus indiſciplinatis & ſcurris, lectiones impudicorum poetarum, conuerſatio cum mulieribus, ebriis, &c.

643 Vlteriùs neceſſarium eſt vt habeant media ad finem bonum monaſticæ vitæ neceſſaria & vtilia; nimirùm bonas leges & conſuetudines (quæ vim legum habent) caſtigationes, admonitiones, &c.

644 Denique quamuis multis mediis perueniatur ad eundem finem, vt nullum determinatè ſit neceſſarium, aliquod tamen in genere requiritur. Ideò cùm teneantur Religioſi in bono monaſterio ſimul profeſsi communem vitam ducere, debet aliquis certus & vnus modus omnibus determinatus eſſe. Nā hoc eſt etiam Regulæ eſſentiale, quod habeat

habeat præſcriptum aliquem modum ad adimpletionem votorum & Dei mandatorum vtilem: quamuis quod hic ſit modus qui nunc eſt, non ſit eſſentiale, imò nullus determinatè modus eſſentialis cenſeatur. Nec iſtud ſolùm in monaſterijs vſu venit, ſed etiam in ipſa communitate Eccleſiæ: eſſentiale enim, & iure naturæ & diuino neceſſarium eſt, vt homo Chriſtianus aliquando ieiunet, aliquo tempore Deum particulariter colat. Sicut Auguſt. *in epiſt. ad Caſul.* & Doctores tradunt circa tertium pręceptum Decalogi. Imò quia Chriſtiani ſunt vnum corpus, cuius membra debent ſe mutuò iuuare neceſſarium eſt iure naturę vt aliquando ſimul Deo publicè cultum exhibeant, & proinde ex iure naturæ debent (& fortè ſub obligatione graui) certos habere dies ieiunijs & feſtis debitos; quod autem potiùs hæc dies deputetur quàm alia, ad vacandum Deo, non legis naturæ eſt, ſed poſitiuæ. Sicut igitur in communitate Chriſtiana res ſe habet, ita & in ſocietate eorum, qui voto obligati ſunt ad arctiorem ſeruitutem Deo præſtandam, debent eſſe media arctiora præſcripta & definita, vtilia ad impletionem votorum & præceptorum Dei. Debet igitur eſſe in monaſterio bene ordinato arctior determinatio ieiunij, ſilentij & ſimilium, quibus Deus colitur, quàm in tota Eccleſia Chriſtianorum.

645 Hæc dicta ſunt in communi, pro cognoſcendis diſtinguēdiſque cōmunitatibus quæ bene ordinatæ debent dici. Benedictinorum monaſterium regulare & bene ordinatum dicendum eſt, in quo nullus impunè aut Dei leges uiolat, aut temerat præcepta Eccleſiæ. In quo nulli permittitur non obedire, aut rerum habere proprietatem. In quo tandem lege pœnali indicitur, vt tota Regula ſeruetur, exceptis his, quæ legitima diſpenſatione aut vſu contrario validè recepto exoleuerunt. Illud, inquam, in quo non cognoſcitur abuſus vllus.

ARTICVLVS III.

Qui dicantur boni mores & vſus.

646 PRimò quidquid fit ſecundùm expreſſam diſpoſitionem Regulæ, laudabili vſu recipitur, & continuatur.

647 Secundò, quidquid piè præter Reg. inſtituitur, eſt laudabile, & licèt annis pluribus fiat, non habebit vim legis, niſi introducatur à ſcientibus ſe non eſſe obligatos, potentibus legē inducere, habentibuſq; voluntatem ſe obligandi. Ita per annos plurimos conſtanti conſuetudine recitauimus B. Mariæ Officium, ſed hodie, vt diffiniuit Generale Capitulum celebratum Ciſtertij anno 1618. ex conſuetudine laudatiſſima id legimus, non autem ex graui obligatione.

648 Tertiò illa quæ fiunt contra Regulam diſpenſante Summo Pontifice, laudabiliter & ordinatè fiunt: ſic hodie comedimus carnem ter in hebdomada, nec hoc eſt contra Regularem diſciplinam; quia rigor ille abſtinentiæ, qui carnes abſolutè interdicit (*capite Reg. 36. & 39.*) ob iuſtas cauſas, mutatis perſonis, temporibus, locis, & circumſtantijs, potuit, & fortè debuit mitigari.

649 In aliquorum opinione non ſolùm Summus Pontifex, ſed etiam Reformator Hiſpaniæ Generalis de conſilio Prouincialis Capituli poteſt diſpēſare in aliquibus, ex priuilegio conceſſo à Iulio II. anno 1437. ad petitionem Abbatum obſeruantiæ. *Vt dicti Religioſi*, ait Pontifex num. 14. *eo quietiùs & liberiùs feruori deuotionis, & ſanctæ contemplationi intendere valeant, volumus, ac ipſius motu, & authoritate ſimilibus concedimus, quod Abbas Reformator dictæ obſeruantiæ*

uantiæ pro tempore exiſtens & Prouinciale Capitulum huiuſmodi, ſaluis ipſius Ordinis. Ciſtertienſis Regulæ ſubſtantialibus, quæcumque circa Regulam & obſeruantiam prædictam occurrentia, ambiguitates, obſcuritates & dubia declarandi, dilucidandi, interpretãdi, & diſpẽsãdi. Vidẽtur multis verba clariſſima, & ſonare iuriſdictionem: ego illam tam limitatã eſſe reor, vt non reperiam, quod aliquid Reformatori concedatur. Hoc vt ſuadeatur, adnotandum eſt, primò, hanc diſpenſationem concedi, non Reformatori ſeorſim, ſed Reformatori, & Capitulo eſſet enim intollerabile, quod pro vnius hominis dictamine aut arbitrio, mores totius obſeruantiæ mutarentur. Notandum eſt ſecundò, Capitulum illud (quod in monaſterio *de Palacuelos* celebrari conſueuit) non poſſe diſpenſare in Regulę ſubſtantialibus, ſed ſolùm in accidentarijs. Vnde ſecũdo dubio locus, ſecundæ controuerſiæ, vt ſciamus quænam ſint ſubſtantialia Regulæ, quænam accidentalia. Doctores ſupranominati ex Tridentina Synodo colligunt eſſe eſſentialia Regulæ tria vota, vitam communem, victus amictuſque conformitatem. Diſſentio tamen ab illis: quia tria vota non ſunt eſſentialia Regulæ, ſed profeſsioni. Ad vitam communem tenemur ex pacto ſtabilitatis ſecundum Regulam, directè & expreſsè à nobis communitati, & indirectè Deo promiſſo & à Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. confirmato. Veſtium vniformitas præter Regulam eſt, quia Benedictini nec figuram, nec colorem veſtium determinatum habent: illarum enim color, magnitudo & diſpoſitio, relinquitur arbitrio Abbatis.

650 Supereſt victus, quem eſſentialiter determinari à D. Benedicto credidit eximius D. Ioann. Schinckelius, aſſerens inter eſſentialia Regulæ debere numerari abſtinentiam à carnibus. (De cibis vix libenter audio differentes. Hiſpanos, præcipuè nobiles, qui eos iudicant eſſe minùs quàm res accidentales. Vir ingenuus de cibis non requiritur: quoniam ſi in illis ſit delectus, vſurpat officium mancipiorum, quorum intereſt de cibis murmurare.) Dico igitur, legem Benedictinam de cibo & potu, præcipuè apud ingenuos viros, accidentariam eſſe, & minoris faciendam, quàm ſanctiones de veſtibus: quoniam, vt omnes nouimus, vir cordatus decẽtia veſtimenta maioris quàm opulentam menſam facit. Certè abſtinentia minor eſt in genere boni, quàm in genere mali intemperantia: quoniam hæc non ſolùm contra Deum, & legem, ſed etiam contra appetitum naturalem.

651 Quid ergo eſt eſſentiale Regulæ, cuius diſpenſatio, alteratio, mutatio, non committitur arbitrio Capituli nec Reformatoris Generalis? Cognoſcam id ex fine & motiuo conceſſionis. Concedit Iulius Pontifex, quod Capitulum accidentalia Regulæ poſsit mutare & diſpenſare, *vt dicti Religioſi* (verba ſunt eiuſdem Pontificis) *eò quietiùs & liberiùs feruori deuotionis & ſanctæ contemplationi intendere valeant*. Ergo finis Pontificis eſt feruor in deuotione quieta & contemplatiua. Igitur vniuerſa illa capita, quæ tractant de officio diuino, omnia quæ de ſilentio, de vitandis colloquijs inutilibus, & his ſimilibus, cenſenda veniunt fini huic eſſentialia. Accidentia, quæ per ſe non ordinantur ad monaſticam contemplationẽ, ſiue ad Dei opus. Hæc poterit tollere, mutare, diſpenſare, ſi iudicet hoc expedire, vt Religioſi quietiùs & melius meditentur. Cæterùm quæſiui, examinaui, & vix apicem reperi in tota Benedictina Regula, cuius mutatio aut diſpenſatio poſsit augere feruorem, & intendere contemplationem. Dicam tamen aliquid quod poterit omninò prodeſſe. Nempe, honeſtam aliquã recreationem feruori aliquando

quando ſeruire: etiam remiſsionem rigoris, quæ ex medici conſilio per modum medicinæ conceditur: Addo hæc ipſa, aut non eſſe contra diſcretam Regulam, aut ex vi huius priuilegij concedi poſſe.

652 Poteſt Abbas diſpenſare, ſi cauſa legitima ſubſit, in quibuſcumq; Regulæ obſeruantijs, pro tempore quo cauſa durat. Patet: quia Religioſi tenentur ſeruare ſolùm ſub pœna: atqui poteſt Prælatus tollere pænam. Cùm autem pęna tollitur, conſequenter tollitur penalix lex.

653 Dices: in Regula reperiri præcepta de charitate & caſtitate, & in ijs non poſſe Abbatem diſpenſare. Reſpondeo, nunquam poſſe dari cauſam legitimam vt quis non amet Deum, aut caſtus non ſit, atque ideò nihil hinc contra nos, qui aſſerimus poſse Prælatum validè & licitè diſpenſare, quoties legitima cauſa poſtulat.

654 Diſpenſatio duplex eſt, implicita & expreſsa. Tunc Pontifex aut Abbas expreſsè diſpenſant, cum expreſſis verbis aut literis claris id faciũt: tunc implicitè, cùm prudentum æſtimatione creduntur diſpenſare. Puta, ſi quippiam fiat in communitate, exigente cauſa probabili, quod directè contra aliquod præceptum Regulæ, & hoc tam publicè, vt non poſsit ignorari ab Antiſtite: tunc creditur is illam actionem approbare; quia cùm poſsit corrigere & de facto non corrigat, cenſetur diſpenſaſse.

655 Immemorialis conſuetudo, vſus contra Regulam præſcribēs eſt. Immemorialis conſuetudo debet eſſe de rebus aliàs indifferentibus, (nempe de illis, quæ nullo alio iure, diuino aut Eccleſiaſtico indicta ſunt aut interdicta) puta de ſilentio, de comedendis carnibus diebus non interdictis ab Eccleſia, & alijs huiuſcemodi. Debet eſſe bona fide introducta; & ante plurium profeſſionem. Si has qualitates habeat, præſcribit contra Regulam, & ęterna diſpenſatio eſt.

656 Illa ſtatuta Regulæ, quæ vel à Pontifice, vel per immemorabilem conſuetudinem abolita cenſentur, non poſſunt pro Abbatis arbitrio, ſine conſenſu communitatis, reuocari. At laudandus omnino Abbas erit, qui ſuauiter ſubditorum eò animos inducat, vt rigorem obſoletum, vbi legitimè reuocetur acceptent.

DISPVTATIO XLIX.

Vtrùm Religioſus teneatur in perfectionem tendere.

657 OMnes Religioſi tenentur in perfectionem tendere. Dicit Nauarrus *capite, Quia portio.* 12. *q.*1.*num.*10. hanc doctrinam eſse terribilem multis Religioſis, ſed perperam; quia qui dixit Matth. 11. 15. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*, etiam diceret, Iugum meum terribile eſt, illud non eſt meum. Errat in hoc Nauarrus, quòd carpat Religioſos, qui non curant in charitate proficere pluſquam bono clerici vel laici: eius error

inde

inde oritur, quòd non percalluerit iſtā difficultatem. Tenentur Religioſi in perfectionem tendere: tenentur etiam ſæculares: diuerſitas non eſt in obligatione, ſed in modo. Omnes homines tenentur in perfectionem tendere: conueniunt vniuerſi in hoc, quod teneantur proficere ſatisfaciendo ſuis obligationibus, non alienis. Ideò formaliter diſcrimen nullum eſt, ſed tota differentia eſt ratione materiæ; quæ non ſolùm diſtinguit Religioſos à laicis, ſed etiam laicos à ſeipſis. Ratio eſt; quia cùm vnuſquiſque debeat proficere ſatisfaciendo ſuis obligationibus, & filius-familias debebit proficere obediendo, Pater nutriendo, educando, Magiſter docendo, Prætor iudicando, famulus ſeruiendo. Medicus curando, Paſtor adminiſtrādo Sacramenta, & Religioſus reddendo Altiſsimo vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua. Hæc omnia vera ſunt, & patebunt clariùs ex dicendis. Expendam aliqua ex quibus clariſsimè conſtabit, proficiendi obligationem formaliter ſumptā eodem modo competere omnibus Chriſtianis, & totam differentiam (quæ aliàs magna eſt) eſſe præcisè materialem. Pro reſolutione iſtius difficultatis, eſto.

658 Prima Concluſio. *Religioſus, qui non tendit in perfectionem per obſeruantiam ſuæ Regulæ, quando grauiter ipſum obligat, eſt in ſtatu æternæ damnationis.* Sic D.Th. 2.2.q.184.a. 5. ad 2. quod clariùs reſumit Caietan. *ibidem.* Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculi diſp. 34. prologi num. 2.* Dabo etiam aliam propoſitionem parallelam, quæ æquè ſit vera, & à nemine negari poſsit. *Coniugatus qui non tendit in perfectionem per obſeruantiam ſuæ legis, quando hæc ipſum grauiter obſtringit, eſt in peccato mortali.* Vtraque aſsertio eſt neceſsaria; quia Religioſus eſt in ſtatu æternæ damnationis, qui non proficit per obſeruantiam, ad quam tenetur grauiter. Probatur; quia ille qui dicitur non proficere, vel facit opus obligatorium, vel non facit; ſi non facit, peccat mortaliter, ac propterea eſt in ſtatu æternæ damnationis. Si facit & non proficit, ſignum eſt quod non ſit in gratia; ſi enim eſset in gratia, per obſeruantiam legis proficeret in charitate; qui autem in gratia non eſt, eſt in ſtatu æternæ damnationis. Et hęc ratio æque probat de coniuge, ſi tantummodo materia mutetur; quia & laicus peccat mortaliter, qui graui obligationi non ſatisfacit; & eſt in ſtatu peccati grauis, qui quando ſatisfacit, non proficit.

659 Secunda Concluſio. *Ille etiam eſt in ſtatu æternæ damnationis, qui per executionem obſeruentiæ leuis non proficit.* Patet; quia cuiuſcumque legiſ leuiter obligantis obſeruantia, meritoria eſt: ergo quicumque Religioſus aut ſæcularis non proficit cùm leuia obſeruat, caret gratia, ſi enim hanc haberet, proficeret in charitate.

660 Tertia Concluſio. *Religioſus nō aliter tenetur in perfectionem tendere, quàm agendo vitam regularem.* Ita Bartholomæus de S. Fauſto *diſput. citatæ num.* 4. Cur non adderes, Coniux tenetur tendere in perfectionem agendo vitam coniugalem, & non aliter? An non & tenetur famulus agere vitam miniſterialem.

661 Maneat igitur ratum, omnes homines debere in perfectionem tendere, ſeu Religioſos teneri proficere excellentiori modo, nempe per exercitia virtutum illuſtriorum, & magis animum Deo coniungentium.

662 Addo hoc ex citato Bartholomæo Ciſtertio-Fulienſi Religioſo, illum qui non proficit, eſse in ſtatu peccati mortalis modo explicato, licèt non ex eo ſolùm quòd non tendat in perfectionem: ſed ex eo tantùm, quòd vel legi graui nō ſatiafaciat, vel antea non ſatisfecerit. Hinc eſt, quod nullus Religioſus poſsit dici non proficere, qui ſe accommodat regulari inſtituto, &

to, & vitat omnes culpas graues.

663 Quarta concluſio. *Quicumque eſt in gratia, ſemper proficit, ſaltem extenſiuè*. Conſultò dixi, *ſaltem extenſiuè*: quia in mea ſententia, Gratia, Charitas, ſicut & aliæ ſpirituales qualitates poſſunt bifariam creſcere, nempe intenſiuè & extenſiuè: rationalis enim animus licèt formaliter ſit indiuiſibilis, in ratione potentiæ virtualiter diuiſibilis eſt: Hoc perſuadeo, cum intenſione qualitatum. Supereſt vt oſtendam aliquem non poſſe eſſe in gratia, & non proficere in hac prærogatiua.

664 Veniamus ad profeſſionis tuæ ſolennitatem. Promiſiſti ſtabilitatem. In quo? in Religione, in Paupertate, in Obedientia, in Caſtimonia, his obligationibus ſatisfacis perpetuò, comedens, bibens, dormiens. Patet; quia dum permanes in Religione, ſtabilitati ſatisfacis: atqui remanes in Religione etiam quando comedis, & dormis; & ita ſemper creſcis in gratia ſaltem extenſiuè. Te creſcere in gratia dum comedis, non dubitas: quia & actualiter es liber, & poſses obedientiam Prælato denegare, proprietate allici, cedere ſenſualiter: quibus quia liberè non cedis, meritum habes. De ſomno tibi maior videtur difficultas: ſed eſt eadem. Non eſt ſeuerior Deus erga peccata, quàm munificus erga ſeruitia, imò ſi haberet magis, & minus & attributa non eſsent æqualia, maior eſset miſericordia, rigor minor. Atqui, ſi quiſpiam vigilans daret occaſionem directam alicuius peccati in ſomno committendi, hoc eſset imputabile: ergo, quando aliquis vigilans ponet directam cauſam alicuius operis virtuoſi exibendi in ſomnis, dicetur meritum habuiſse. (Nota illud *daret*, quia fortè talis occaſio directè dari non poteſt) Atqui Monachus, dum vadit dormitum, eſt in actuali exercitio ſtabilitatis, obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, nihil directè facit dormiens quod opponatur his virtutibus: imo & ſomnum ponit, qui directè opponitur vitijs contrarijs: ergo & dormiens meretur. Omitto & ſomnum capi ad corporis ſuſtentationem, vt obediamus Regulæ, quæ nos dormire iubet, & modum decernit: vt poſſimus die ſequenti alijs obligationibus ſatisfacere, quibus cohoneſtatur ipſe ſomnus. Vnde non ſolùm ea, quæ in ſomnis fiunt, ſed & ipſe ſomnus, ſi bene regulatus fuerit, in cœlo coronabitur. Hinc patet, Monachum, ni committat peccatum mortale, ſemper in gratia creſcere: vnde hæc eſt conſequentia legitima: Non creſcit in gratia, ergo eſt in peccato mortali vt ſtatuit prima reſolutio.

665 Dicis poſset aliquis conſeruare gratiam præteritam, & nullum opus bonum aut malum facere: puta, quia vel non operaretur, vel ſaltem faceret actum indifferentem: Atqui tunc non proficeret, & non peccaret: ergo datur ſtatio in perfectione aſsequenda, & hæc ſine peccato.

666 Reſpondeo ex dictis, ſtationem in curſu virtutum omnino eſse impoſſibilem. Ratio eſt; quia, vt bene dicit mellifluus Pater, *In virtutum itinere non progredi, regredi eſt*. Quando facis opus indifferens in vno genere facis ſimul plura meritoria in alijs, & mereris augmentum gratiæ; non quà operaris actionem indifferentem, ſed quà bonam. Imò, iuxta illuſtrium virorum ſententiam, quando peccas venialiter in vno genere, in vno actu, potes mereri in alijs. Quando actualiter leue mendacium dices, actualiter perſeueras in Religione, actualiter vel virtualiter es paratus reſiſtere cuicumque carnis tentationi, es paratus obedire Præpoſito: quà mentiris, peccas: quà in alio genere & alio actu obedis caſtus es, & in Religione perſeueras, habes meritum, lauream que adipiſceris.

667 Addam id quod minùs doctis forſan inauditum. Eſſe probabile, in pura omiſſione dari meritum. Salmanticæ Doctiſſimus Magiſter Borgia Benedictinus, in Gymnaſio Academiæ maiori, cuidam ingenioſo Iuueni ex PP. Ieſuitarum familia præſidebat anno 6730. defendenti in pura omiſſione dari meritum. Supponebatur primò, dari omiſſiones puras, quod eſt probabiliſſimum: Supponebatur ſecundò, tunc peccare quempiam, quando purè omittit actionem debitam quando eſt debita; vnde & conſequenter doctiſſimè inferebant, & mereri (ſi aliàs fuerit in gratia, quia hæc ſemper merito debet ſupponi) ſi purè omittat actionem interdictam, quando eſt interdicta. Atqui ſemper eſt interdictum Monacho egredi ex Monaſterio ſine licẽtia, ſemper eſt interdictum eſſe proprietarium, ſemper interdicitur eſſe laſciuum: Ergo *quia potuit facere mala, & non fecit, ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino*. Vbi nota illud *ideò*, quia bona Chriſtiani (hæc ſunt charitas, gratia) ſtabiliuntur, radicantur, & creſcunt in Domino, ideò tamen quod potuerit facere mala, & non fecerit, quia pura omiſſio peccati, reputatur ad meritum. Ergo in puris omiſſionibus (ſi hæ dantur) poteſt haberi augmentum gratiæ.

668 Subijcio & aliud rarius. Eſt probabile, non ſolùm poſſe dari ſimul duos actus meriti, & demeriti, vt diximus, ſed poſſe eumdem actum non ſolùm eſſe bonum & malum ſimul: ſed eſſe meritorium & demeritorium. Eſt opinio Reuerendiſſimi D. Manriqui Generalis Ordinis Ciſtercienſis, Doctoris Theologi, olim Primarij Salmanticenſis Vniuerſitatis Profeſſoris, hodiè Epiſcopi Pacis-Iuliæ (vulgò *Badaxos*) in tractatu Humanorum actuum. Vbi docet primò; eundem numero actum poſſe eſſe ſimul bonum, malem indifferentemque. Secundo, quemcumque actum Charitatis eſſe meritorium, imò non poſſe dari actum Charitatis ſine merito. Tertiò, leuem vanam gloriam eſſe peccatum veniale. Quartò (& hic nodus difficultatis) poſſe aliquem elicere actum amoris ſupernaturalis, vt maioris fiat apud Angelos Dei, ita vt in hoc ſecundo ſit aliqua leuis vana gloria. Tunc ille actus eſſet ſimul bonus & malus, peccatum & virtus. Quoad ſubſtantiam bonus & meritorius quia procedebat à Regina virtutum Charitate: quoad modum & rationem ſecundariam finis, prout vanè-glorioſè Angelos reſpicit, eſſe peccatum veniale. Vide igitur qualiter in ſententia magni illius Doctoris poſſit dari meritum in ipſis peccatis venialibus. Sed quidquid ſit de hac ſententia alibi examinanda, ſaltem non poteſt dari actus venialis, quem non committentur ſimul actus virtutum plurimarum, per quos Monachus ſemper proficiat.

669 Quinta Concluſio. *Qui actualiter non vult proficere (id eſt, qui purè omittit volitionem formalem proficiendi) nec peccat mortaliter nec venialiter*. Explico conceptum. Aliud eſt velle non proficere, aliud nolle proficere, & aliud non velleproficere.

670 *Velle non proficere* eſt formalis volitio, cuis obiectum eſt non profectus, qui neceſſariò coniungitur peccato (vt vidimus) quamobrem mortaliter is peccat, qui amat non-profectũ amat enim aut ipſum peccatum, aut aliquid cum eo neceſſariò coniunctum. Quoniam ſicut tota ratio proficiendi eſt charitas, ſic culpa eſt tota ratio non proficiendi. Ergo qui non profectum diligit, amat peccatum formaliter aut concomitanter.

671 *Nolle proficere* eſt odium formale, quo profectum perſequeris; ergo qui tale habet, charitatem adoritur, & peccat mortaliter.

672 *Non velle actualiter proficere* eſt carentia actualis amoris erga profectum; iſte non eſt formaliter debitus, niſi

niſi cùm obligat præceptum princeps primæ tabulæ: reperitur tamen ſemper virtualiter in animo, quouſque vel velit non proficere, vel proficere nolit.

Sed hæc fortè nimis ſubtilia ſunt: ad clariora, & morum inſtructioni vtiliora veniamus.

LIBER OCTAVVS.

De Votis ſubſtantialibus.

TRium Virtutum (videlicet Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ) deuotio ſubſtantialis eſt; has deuouimus Deo, cùm mores monaſticè conuertere profeſſi ſumus; conuerſio enim Monaſtica non aliter fieri debet, quàm per iſtas virtutes. Circa quarum obſeruantiam occurrunt quæſtiones difficiles, communes omni Religioſo. Examinabo illas potiùs ſincerè, quàm ſeuerè; non enim eſt animus agere hypocritam & inclementem, ſed veracem. Nullibi contra dictamen loquar; quod ſi alicubi propriam opinionem non expreſſero, eam ipſummet ſilentium clariſſime manifeſtabit. Neminem ſine cauſa clariſſima reum agam: non enim prodeſt nouas obligationes fingere, cum vix ſatisfacimus ratis.

DE GRADIBVS HVMILITATIS.

673 HVmilitas origo eſt, & fons vniuerſarum virtutum, ideò antequàm monaſticas exponam, proderit conſiderare Humilitatem. Sed cur ante virtutes vniuerſas. Quoniam ille qui vota emiſit, renatus & abluatus ſecundo baptiſmate, factus mente paruulus vt poſſit ingredi in cœlum anguſta porta. Sanè à Viris doctiſſimis Profeſſio alter baptiſmus dicta, non ſolum ob annexas indulgentias ſed ob heroicum ſummæ virtutis actum apud Alfonſum Rodrig. exercitij ſpiritualis par.3. tr.2. c.4. *Tanti Deo, ait, actus ille eſt, quo quis ſe totum ipſius obſequio per hæc tria Religioſa vota mancipat, vt tres Sancti pariter Theologiq; aſſerere non dubitent, hominem conſequi remiſſionẽ omnium peccatorũ, ita quidem certò, vt ſi tunc mori eum contingeret, immunis planè à pœnis purgantis ignis, non minus rectà in cælum, quam recens baptizatus aliquis, euolaret. Quem idcircò SS. Hieronymus, Cyprianus, Bernardus alterum baptiſmum appellant. Neque verò id fieri per viam indulgẽtiarum exiſtimandum eſt (cùm plenariam peccatorum veniam Nouitij citò confeſſi, paneque cæleſti paſti, ipſo Religionis ingreſſu vnà cum religioſo habitu accipiãt) ſed eſt hoc facinus naturâ ſua tam eximiũ, atq; heroicũ, vt ſine indulgẽtia etiã cuncta pœnarũ, quæ peccando contraxerant, nomina expungat.*

Baptiſmus igitur aqua illa eſt, de qua ſcriptum, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*. Et profeſſio nihil omnino aliud quam ſecundus baptiſmus. Religioſus ergo cum vota emittit, abluetur, & tranſit in angelum; ergo vt ſciat in angelica dignitate perſiſtere, docendus eſt virtutem Angelicam. Nullus diabolus humilis, nullus angelus ſuperbus eſt. Vnde collige humilitatem eſt Angelorum proprietatem, & ſi vis, etiam in quarto modo, Angelo

enim beato conuenit, & quidem omni (dæmones ab Angelica dignitate exciderunt) ſoli (hominibus ſi ipſa competit, nunquam priùs quam fuerint angelica innocentia donati) & ſemper (cum enim ipſa, etiam angelica perfectio deperditur.)

Magni omnino facienda à nobis hæc Angelica virtus. *Origo virtum*, ait Gregorius 27. Moral. *in nobis eſt humilitas. Ipſa veraciter pullulat, quæ in radice propria, id eſt, in charitate perdurat: à qua nimirum ſi abſcindatur, non creſcit; quia viuificantem ſe in intimis humorem charitatis perdit.*

674 Aliæ virtutes diſcuntur humano magiſterio; humilitas virtus eſt transhumana, quæ indiguit præceptore Deo. *Diſcite à me*, ait Deus-Homo apud Auguſtinum de verbis Domini, *non mundum fabricare, non cuncta viſibilia & inuiſibilia creare, non in ipſo mundo miracula facere, non mortuos ſuſcitare*. Quid ergo? *quia mitis ſum & humilis corde*.

675 Interpres Chriſti Benedictus hanc deuota ponderatione expedit ſuarum inſtitutionem ſeptimo, quod vix indiget commentario. Expendam nihilominus aliqua, quę proderunt aliorum Theorematum reſolutioni.

TEXTVS Ex cap. 7.

Iacobi ſcala donatur myſtica expoſitione.

676 CLamat nobis ſcriptura diuina Fratres dicens: (Luc. 14.) *Omnis qui exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur*. Cùm ergo hæc dicit, oſtendit nobis omnem exaltationem genus eſſe ſuperbiæ. Quod ſe cauere Propheta indicat dicens (Pſalm. 130.) *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Sed quid? *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam; ſicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retribues in animam meam.* Vnde, Fratres, ſi ſummæ humilitatis culmen volumus attingere, & ad exaltationem illam cœleſtem, ad quam per præſentis vitæ humilitatem aſcenditur, volumus velociter peruenire; actibus noſtris aſcẽdentibus, [a] ſcala illa erigenda eſt, quæ in ſomno Iacob apparuit (Geneſeos 20.) per quam ei deſcendentes Angeli, & aſcendentes monſtrabantur. Non aliud ſine dubio deſcenſus ille & aſcenſus à nobis intelligitur; niſi exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere. Scala verò ipſa erecta, noſtra eſt vita in ſęculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cœlum. [b] Latera enim eiuſdem ſcalæ noſtrum dicimus eſſe corpus, & animam, in quibus diuerſos gradus humilitatis, vel diſciplinæ vocatio diuina aſcendendos inſeruit.

Scala.

Scala. *a*) *Humilitatis ſcalam altè conceperat Chromatius Epiſcopus (de octo Beatitudimbus cùm ait :) Sicut impoſſibile eſt extra ordinem ſecundo ſiſtere gradui, niſi adſcenderis primum: ſic homo mitis eſſe non pterit, niſi priùs pauper ſpiritu (hoc eſt, humilis) fuerit factus .*]

Latera. b) *Dexter locus æſtimationis, & excellentiæ : ideò Chriſtus reſurgens à mortuis ad dexteram Patris reſidet in teſtimonium maieſtatis. Scala hæc componitur duobus lateribus, videlicet corpore & animo. Ne ſit à dextris corpus, quia anima hærebit à ſiniſtris. O illam miſeram (dicam Hiſpanus) que tubiere malos ſinieſtros : nempe, illam quæ habuerit mala inclinationes ! ſed hoc alibi expendo .*

Neſciat ſiniſtra tua, quæ faciat dextera tua, audis Chriſtum dicentem ; hoc eſt, Non debes corpus conſulere, animæ negotia tractaturus. Illud ſuo luxui prouidet, & ſubijciet te ruinæ graui, ne ſubiaceat vel leuiſſimæ incommoditati. Conceptus alibi explicandus.

Compoſuit mellifluus meus Bernardus librum integrum de humilitate ; in Concionibus meis de excellentiſſima iſta virtute curioſè tracto : idcirco gradus ſingulos hic breuiſſime percurram , & ſolùm minùs obuia notabo.

TEXTVS Ex cap. 7.

De Timore Dei.

677 PRimus itaqne humilitatis gradus eſt, ſi timorem *c* Dei ſibi ante oculos ſemper ponens, obliuionem omnino fugiat : & ſemper ſit memor omnium, quæ præcepit Deus ; & qualiter contemnentes Deum, in gehennam pro peccatis incidunt, & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata eſt, animo ſuo ſemper reuoluat. Et cuſtodiens ſe omni hora à peccatis & vitijs, id eſt, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ, ſed & deſideria *a* carnis amputare feſtinet. Aeſtimet ſe homo de cœlis ſemper à Deo *b* reſpici omni hora, & facta ſua in omni loco ab aſpectu Diuinitatis videri, & ab Angelis *b* omni hora Deo renuntiari. Demonſtrat nobis hoc Propheta, cùm in cogitationibus noſtris ita Deũ ſemper præſentem oſtendit dicens (Pſ. 7.) *Scrutans corda, & renes Deus.* Et item. (Pſalm. 93.) *Dominus nouit cogitationes hominum.* Et item dicit : *Intellexiſti cogitationes meas à longe.* Et (Pſalm. 75.) *quia cogitatio hominis confitebitur tibi.* Nam vt ſollicitus ſit circa cogitationes ſuas peruerſas, dicat ſemper humilis Frater in corde ſuo: (Pſalm. 17.) *Tunc ero immaculatus coram eo, ſi obſeruauero me ab iniquitate mea.* Voluntatem verò propriam ita facere prohibemur, cùm dicit Scriptura nobis : Et (Eccl. 18.) à

voluntatibus tuis auertere. Et item, rogamus Deum in oratione vt fiat voluntas eius in nobis. Docemur ergo meritò noſtram non facere voluntatem, cùm cauemus illud, quod dicit ſancta Scriptura (Prouerb. 16.) *Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis vſque ad profundum inferni demergit:* & cùm item cauemus illud, quod de negligentibus dictum eſt: (Pſalm. 52.) *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in voluptatibus ſuis.* In deſiderijs verò carnis, ita nobis Deum credamus ſemper eſſe præſentem, cùm dicit Propheta Domino. (Pſalm. 37. *b* *Ante te eſt omne deſiderium meum.* Cauendum ergo ideo malum deſiderium, quia mors ſecus introitum delectationis poſita eſt. Vnde Scriptura præcipit dicens: (Eccleſ. 18.) *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Ergo ſi oculi Domini (Prouerb. 15.) ſpeculantur bonos & malos, & Dominus (Pſalm. 13.) de cœlo ſemper reſpicit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum, & ſi ab Angelis *b* nobis deputatis die noctuque Domino factori noſtro, opera noſtra nuntiantur, cauendum eſt omni hora Fratres, ſicut dicit in Pſalmo (52.) Propheta, ne nos declinantes in malum, & inutiles factos aliqua hora aſpiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore, quia pius eſt, & expectat nos conuerti in melius, dicat nobis in futuro: (Pſalm. 49.) *Hęc feciſti, & tacui.*

Deſideria. a) *Carnis deſideria qui amputat, feſtinet; quia ſepæ, agens in agendo repatitur. Peccaſti ex fragilitate, ex leuitate? meditare peccatoris diſcrimina, Chriſti Domini miſericordias, peccati turpitudinem: huius tamen qua turpis diutius contemplationi inhærere, vix expedit. O quoties minus caute incipis ſenſualia gaudia deteſtari! O quoties hæc altè concepta rapuerunt voluntatem! Herculè carnis deſideria amputare poteris, ſi feſtines, ſi moroſè hæreas, illa periculoſiùs radicabis. Aptè Gregorius in Regiſt. Oculi noſtri (cordis intelligo) etſi iactentur in aliquam fœminam, in nullam figantur. In hac enim materia illa, cogitatio prodeſt, quæ luxum abominatur feſtina; non poterit non nocere, ſi hæreat, ſi in moroſa ſpeculatione detineatur.*

Adeo. b) *De Diuina præſentia & Angelorum miniſterio latè diſputo cùm de reuerentia orationis ad caput Regulæ 20.*

Dei. c) *Initium ſapientiæ timor Domini eſt, & idcirco Præceptor noſter ſapientiſſimus, moralem docturus Theologiam, à Dei timore exordium ſumit. Cogitationes, proles hominis ſunt, ideò Conceptus nominantur; hæ ſacrificandæ Deo ſunt, vt Deum timere iudiceris. Sanè Abraham antequam gladium ſtringeret immolaturus filium, non audiuit Dominum dicentem ſibi, (Nunc cognoui quòd timeas Deum.)*

TEX-

TEXTVS Ex cap.7.

De Obedientia.

678 Secundus a humilitatis gradus eſt, ſi quis propriam non amans voluntatē, deſideria ſua nō delectetur implere, ſed vocem illam Domini factis imitetur dicentis (Ioann. 6.) *Non veni facere voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me.* Item dici Scriptura: *Voluntas habet pœnam & c neceſſitas parit coronam.*

679 Tertius b humilitatis gradus eſt, vt quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat Maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apoſtolus: (ad Philipp.2.) *d factus obediens* Patri *vſque ad mortem.*

680 Quartus humilitatis gradus eſt, ſi in ipſa obedientia duris, & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs tacita conſcientia patientiam amplectatur, & ſuſtinens non laſſeſcat, vel diſcedat dicente ſcriptura: (Matth.24.) *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Item (Pſalm.26.) *Confortetur cor tuum; & ſuſtine Dominum.* Et oſtendens fidelem pro Domino vniuerſa etiam contraria ſuſtinere debere, dicit ex perſona ſufferentium: (Pſalm.43.) *Propter te morte e afficimur tota die: aſtimati ſumus vt oues occiſionis.* Et ſecuri de ſpe retributionis diuinæ ſubſequuntur gaudentes & dicentes: (Rom.8.) *Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* Et item alio loco ſcriptura: *Probaſti nos* (inquit Pſalm. 65.) *Deus: igne nos examinaſti, ſicut igne examinatur argentum. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro.* Et vt oſtendat ſub Priore nos debere eſſe, ſubſequitur dicens. *Impoſuiſti f homines ſuper capita noſtra.* Sed & præceptum Domini in aduerſis, & in iniurijs per patientiam adimplentes (Matth.5.) qui percuſſi in maxillam, præbent, & aliam: auferenti tunicam, dimittunt & pallium angariati milliario, vadunt & duo: cum Paulo Apoſtolo (2. Corinth. 11.) falſos Fratres ſuſtinent, & perſecutionem: & (1. Corinth. 4.) maledicentes ſe benedicunt.

681 Secundus. a) *Ex Dei timore ad obedientiam tranſitus immediatus; non potes dici bene Prælato obtemperare, qui Deum non times: ſicut non potes ad ſecundum gradum deueniſſe, qui non tranſiſti primùm. Hoc argumentū efficaciſſimum eſſet contra Adamum Monachum, quem honorat noſter melliſluus Pater Epiſtolis duabus, (ſexta videlicet & ſeptima) qui male iubenti Abbati obediens ſe periculis ſummis expoſuit, & defectionem fecit à ſua cō-*

gregatione. Optimè Heſiodus in operib. Bonus ille eſt, qui benè-indicenti obedit: ergo qui malè-indicenti obedit, malus eſt. Inſufficienter ergo ſe excuſat Adamus monachus apud Bernardū. Quoniam nec indicentis authoritas, nec iubētis imperium efficere poterit, vt mala licitè patrentur. Bis peccas (ait Pub. Mim.) cum peccandi obſequium accommodas. Sed fortè Adamum neceſſitatem, non niſi hypotheticam, neceſſarium enim omninò, vt vel ſatisfacias voto, vel pecces.

Tertius. b) *Non ſufficit obedire, ſed eſt opus obedire propter Deum; non ergo voto ſatis-facit, qui Prælato obedit contra Deum, hoc enim nec vouit, nec potuit.*

Neceſsitas. c) *Neceſſitatem vocat obedientiam, & indiget expoſitione. Obedientia non inducit neceſſitatē ſimpliciter, ſed infallibilitatem ex ſuppoſitione. Infallibilitas hæc etiam vocatur neceſſitas a Doctore mellifluo libello de præcept. & diſp. c. 2. Vel ſi excuſauerit indecreta ſatisfaciēdi prōptitudo, fuit enim poſteà vir egregius & multorum religioſorum parens.*

Factus eſt. d) *hunc locum de vera obedientia expoſuit Benedictus. Hinc quæſtioni politicę ſolutio manifeſta. Quiſpiam Ciſtertienſis defendit Cōpluti in actu Vniuerſitatis maiori, Chriſtū Dominum habuiſſe verū & rigoroſum præceptum, latum à Patre. Hæc aſſertio eſt cōtra noſtrum Lorcam, quem primarium Profeſſorem olim Complutenſis Academia celebrauit, quē hodie Magiſtrum Ciſtertienſes cōmuniùs profitemur. Hinc iſte inurbanitatis accuſabatur: non .n. iudicabatur expediens, contra communem Magiſtrum ſententias in tam celebri ſchola propugnare. Sanè, me conſule, maximi facias Lorcam, cuius ingenij facilitatem & magiſterium nemo non admirabitur; maioris tamen Benedictum: ideò à probabiliſſima Lorcæ abſtine opinione, & aſſerere Chriſtum Dominum habuiße verū præceptum moriendi: aliàs .n. vt Lorcæ vrbanus ſis, inurbanus eris Benedicto.*

Afficimur. e) *Sic conſtanter legunt omnia manuſcripta. Fortè reſtituendum eſt; Propter te affligimur tota die, vt conſonet Vulgato dicenti Propter te mortificamur tota die, &c.*

Homines. f) *Hinc conſtat malè illum præeſſe, qui exuerit humanitatem. Qui ſubditis inhumanus eſt, ſecundum Deum Præſes non eſt: homines enim hominibus præfecit Deus, non triferas & irrationales animantes.*

682 Quintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala à ſe abſconsè commiſſa, per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo. Hortans nos de hac re Scriptura dicit: (Pſalm. 36.) *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eum.* Et item dicit: (Pſalm. 117.) *Confitemini Domino, quoniā bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.* Et item Propheta: (Pſalm. 31.) *Dilectum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias meas non operui. Dixi, pronuntiabo aduerſum me iniuſtitias meas Domino: Et tu remiſiſti impietatem cordis mei.*

683 Sextus humilitatis gradus eſt, ſi omni vilitate, vel extremitate ſit contentus Monachus: & ad omnia quæ ſibi iniunguntur, velut operarium malum, & indignum ſe iudicet, dicens cum Prophe-

ta:

ta: Pſalm.72. *Adnihilum redactus ſum, & neſciui: vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.*

684 Septimus humilitatis gradus eſt, ſi omnibus ſe inferiorem, & viliorem non ſolùm ſua lingua pronuntiet, [b] ſed etiam intimo cordis credat affectu, humilians ſe, & dicens cum Propheta: (Pſ.71.) *Ego ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis.* (Pſalm.78.) *Exaltatus ſum, & humiliatus, & confuſus.* Et item: (Pſalm. 118.) *Bonum mihi quod humiliaſti me: vt diſcam mandata tua.*

685 [c] Octauus humilitatis gradus eſt, ſi nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterij Regula, vel Maiorum cohortantur exempla.

686 Circa quintum humilitatis gradum oportet adnotare, D. Benedictum loqui ex hypoteſi, non autem ſimpliciter & abſolute. Sæpe accidit dari Prælatos, qui carent politicis prærogatiuis, nempe maturitate, prudentia, circumſpectione, grauitate. Sæpe aut fauore Principum, aut Confratrū errore promouentur aliqui, quibus expediret potiùs regni, quam regere; potiùs audire quā audiri. Si fortè (quod Deus auertat) non ſubſis, cui poſſis totum cor tuū exponere (non enim teneris ſecreta expendere publicaturo) elige tibi in Monaſterio ſeniorem aliquem, cuius te modeſtia componat, vita inſtruat, conſilium dirigat, inſtructio moderetur. Huic cor tuum explica; ſed & hoc moderatè. Sunt aliqua iuuentutis delicta, & ignorantiæ, quorum non iuuat meminiſſe: In dubijs tace; quia indicta dici poterunt, ſi poſteà expediat; quæ ſemel dicta, non poterunt indicta reddi.

Pronuntiet. b) *Auguſtinus de verbis Apoſtoli (habetur 2.2. q. 2. Cum humil.) Cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod euitaras. Altè de ſe ſentire & humiliter loqui, bifariam malum eſt. Eſt primò ſuperba quæpiam æſtimatio, ſecundò commentitia confeſſio.*

Maiorum. c) *Sed qui in communitate Maiores debent nominari? Certè non ſemper ſeniorum vita eſt morum reformandorum ectypon, hos enim ſola debet dirigere illorum conuerſatio, qui ſubſint Regulæ ſinceræ expoſitioni.*

687 Nonus humilitatis gradus eſt, ſi linguam ad loquendum prohibeat Monachus: & taciturnitatem habens, vſque ad interrogationem non loquatur, monſtrante Scriptura: (Prouerb.10.) *Quia in multiloquio non effugietur peccatum*: & quia (Pſalm.139.) *vir linguoſus non dirigetur ſuper terram.*

688 Decimus humilitatis gradus eſt, ſi non ſit facilis, ac promptus in riſu, quia ſcriptum eſt: (Eccleſ.21.) *Stultus in riſu exaltat vocem ſuam.*

689 Vndecimus humilitatis gradus eſt, ſi cùm loquitur Monachus,

chus, leniter, & ſine riſu cum grauitate, & pauca verba, & rationabilia loquatur, & non ſit clamoſus in voce, ſicut ſcriptum eſt: (Eccl. 20.) *Sapiens verbis innoteſcit* [a] *paucis*.

690 Duodecimus humilitatis gradus eſt, ſi non ſolùm corde Monachus, ſed etiam corpore humilitatem ſe videntibus ſemper indicet, id eſt, in opere, in Monaſterio, in Oratorio, in horto, in via, in agro, vel vbicumque ſedens, ambulans, vel ſtans, inclinato ſit ſemper capite, defixis in terram [b] aſpectibus, reum ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimans, iam ſe tremendo iudicio Dei præſentari æſtimet, dicens ſemper illud, quod Publicanus ille Euangelicus fixis in terram oculis dixit: (Lucæ 18. 13.) *Domine, non ſum dignus* [d] *ego peccator leuare oculos meos ad cælum*. Et iterum cum Propheta: (Pſal. 118.) *Incuruatus ſum, & humiliatus vſquequaque*. Ergo his omnibus humilitatis gradibus aſcenſis, Monachus mox ad charitatem Dei perueniet, quæ (1. Ioann. 4.) *perfecta foras mittit* [c] *timorem*, per quam vniuerſa, quæ priùs non ſine formidine obſeruabat, abſque vllo labore velut naturaliter ex conſuetudine incipiet cuſtodire, non iam timore gehennæ, ſed amore Chriſti, & conſuetudine ipſa bona, & delectatione virtutum: quæ Dominus iam in operario ſuo mundo à vitijs, & peccatis Spiritu Sancto dignabitur demonſtrare.

Paucis. a) *Aliquando non ſine acumine exponebam ſic. Sapiens ex ſolis verbis innoteſcit paucis hominibus, ſed ex operibus nulli non innoteſcit. Verba cordis ſunt indices, qui aliquando & fallere poſſunt & falli: opera ſunt nūcij veridici, qui animi penetralia expandunt. Ex verbis vix pauci veram ſapientiam inferunt; quia hæc non in verborum, ſed in morum relucet elegantia*. Bernardus de interiori domo. *Qui linguam ſuam & ventrem cuſtodire non poteſt, monachus non eſt*: Citatur ab Alphonſo Rodriguez exercitij ſui part. 3. tract. 6. cap. 4.

In terram. b) *Reſpice finem, vt media diſponas competentia. Finis tibi qua corporeo terra eſt, qua ſpirituali cœlum: corporeis ergo oculis terram aſſentè meditare, qui terra es & in terram ibis; incorporeis, diuitias tranſnaturales illas, quas tibi redemptor præparauit*.

Timorem. c) *Quomodo foras timorem mittit charitas, cùm iſta ſapiens ſit, & ſapientiæ principium ſit timor? Generoſus ille timor, qui filiorum eſt proprius, eſt & ſapientiæ fons, & ſocius charitatis. Timor ſeruilis eſt gratiæ anceps, & foràs mittitur veniente gratia*.

d Non ſum dignus) *Bonarum mentium eſt ibi etiam aliquandò culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt*. Magnus Gregorius in epiſt. ad Auguſtinum. Reſp. 10. Nota illud aliquando, ſi enim ſemper non bonæ illæ, ſed ſtupidæ, & imprudentes eſſent. Sed, & hoc ipſum alibi vberius explicabo.

OBE-

OBEDIENTIA.

690. b SVbordinatio eſt virtutum politicarum princeps; Reſpublicę ſine paupertate,& caſtitate æternę fiunt,nulla ſine obedientia. Statum publicum ſæpe diuitiæ tuentur,fouent matrimonia legitima, quem independentia deſtrueret. Non poteſt perennare Reſpublica, quæ ex æqualibus membris coaleſcit. Corpus myſticum tunc bene diſpoſitum eſt, cùm ſimile euadit naturali. Habet vnum caput Communitas, quod cæteris præſideat membris; ne membrorum ordinem alteret, non enim moueri poterit, ſi ſuperponat pedes humeris; reptabit,ſi pedibus manus ſupponat. Homines ſumus Angelorum imagines:hi conſtituunt Rempublicam felicem, & omnes differunt ſpecie. Non dantur duo Angeli æqualis perfectionis: ne dentur homines æqualis dignitatis; ſed aut nullam authoritatem habeant, aut ordinatam benè.

Placuit igitur Obedientiæ neceſſitatem, & obligationem expendere antè virtutes reliquas; quoniam illa communis eſt omnibus, & hæ ſolùm ſunt neceſſariæ Religioſis. Sæculari,& Monacho communis eſt ſubordinatio, neuter enim eſt ex lex. Nihilominùs Obedientia ſtrictiùs Religioſum obligat quàm ſæcularem; firmatur enim ſecundæ Tabulæ Lex prima perennitate voti. Subinde inobedientes Ciues (ni fortè, & ipſi fidelitatem Magiſtratui iurauerunt) peccant dumtaxat contrà ſecundam Tabulam, ſed contrà vtramque Monachi,qui per inobedientiam quantum præceptum Decalogi temerant, & ſecundum: negant enim honorem debitum Patri Monaſtico, & nomen Dei in vanum aſſumunt, ſcientiæ immenſæ mentientes, &, contrà diuinam authoritatem peierantes.

Obedientiam bifariã Religioſi promittunt; alij Regulæ, alij ſecundum Regulam Prælato. Hos vltimos non teneri ad Regulæ obſeruantiam antè ſuperioris præceptum certum eſt; ex vi enim voti obedire ſuis Prælatis debent, moraliter aut pœnaliter, prout lex ab eiſdem lata fuerit moralis, aut pœnalis. Illi autem, qui Regulæ obedientiam promittunt tenentur obedire Regulæ. Sed quì? Grauiter, leuiter, pœnaliter? Huius difficultatis deciſio adeò eſt implicata, & incognita, vt Caietanus 2.2. *quæſt.* 198.*art.*9.conſulendum ſummum Pontificem ſuadent. Eamdem declarationem Angelus (verb. *Præceptum*) in D.Auguſtini Regula deſiderat. Dolet Nauarrus *cap.*23.*numero* 48. hoc dubium non fuiſſe in Concilio Tridentino propoſitum, & reſolutum. Et Syluester (verb. *Lex*) ſe adhibuiſſe laborem, nec tamen aliquid certi exploraſſe potuiſſe teſtatur. Hac olim Minores controuerſia vexati declarationem obtinuerunt, quæ incipit, *Exiuit de Paradiſo*. Et Thomas à Ieſu *in expoſitione Regularum. part.*2. *dub.*8. *pag.*132. celebrem hanc Clementinam recenſet,& ſubiungit, *& vtinam huius Pontificis, & aliorum circa ſuam Regulam declarationibus poſteà factis, adhuc eorum conſcientiæ ſedarentur.* Dum igitur hanc alij controuerſiam examinant, nos faciliùs, quid vouerimus, & qualiter obedire teneamur,demonſtrabimus,non enim, vt oſtendimus, tenemur Regulæ; ſed Prælato, ſi præcipiat ſecundum Regulam.

TEXTVS Ex cap. 5.

De Obedientia.

691 PRimus Obedientiæ gradus eſt, Obedientiâ ſine mora. Hæc conuenit his, qui nihil ſibi Chriſto charius aliquid exiſtimant, propter ſeruitium ſanctum, quod profeſſi ſunt, ſeu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ, mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, ac ſi diuinitùs imperetur, moram pati neſciunt in faciendo. De quibus Dominus dicit: Obauditu auris obediuit mihi. Et item dicit Doctoribus: Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales relinquentes ſtatim quæ ſua ſunt, & voluntatem propriam deſerentes; mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis ſequuntur. Et veluti vno momento prædicta Magiſtrij iuſſio, & perfecta diſcipuli opera in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citiùs explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo anguſtam viam arripiunt, vnde Dominus ait: Anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam, vt non ſuo arbitrio viuentes, vel deſiderijs ſuis, & voluptatibus obedientes; ſed ſemper ambulantes alieno iudicio, & imperio, in cœnobijs degentes, Abbatem ſibi præeſſe deſiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur ſententiam, qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Sed hæc ipſa obedientia tunc erit acceptabilis Deo, & dulcis hominibus; ſi quod iubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum reſponſione nolentis efficiatur: quia obedientia quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur. Ipſe enim dixit: Qui vos audit, me audit. Et cum bono animo à diſcipulis præberi oportet: quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo obedit diſcipulus, & non ſolùm ore, verum etiam in corde ſi murmurauerit; etſi impleat iuſſionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor reſpicit murmurantis. Et pro tali facto nullam conſequitur gratiam: Imò pœnam murmurantium incurrit, ſi non cum ſatisfactione emendauerit.

Reperio

Reperio periocham huius capitis in definitionibus Germanicis latis anno 1595. vbi hæc lego. Non ſint (*Religioſi*) rebelles aut inobedientes ſuis Abbatibus, Prioribus, alijſq; Superioribus, quia, qui illos ſpernit, Chriſtum (qui hoc dixit) ſpernit, ſed illis, vti ſanctè promiſerunt, ſubijciantur, & obediant, non ſeruili, ſed filiali timore, & reuerentia. Contrà eos non murmurent, propter quod meritum obedientiæ perderent apud Deum, qui correſpicit murmurantis, ſed ſi quid contrà officij ſui, & æquitatis rationem commiſerint, priùs reuerenter, & priuatim eos moneant, ſi non abſtinuerint, deferantur ad eos, à quibus corrigi debent. At ne inobedientiam ſuam Abbatum ſuorum indignitate vel alio prætextu tegant, præceptis Abbatis (inquit D. Benedictus) in omnibus obediendum eſt, & ſuſſe aliter, (quod abſit) agat; memor illius præcepti Domini; omnia quæcumque dixerint vobis facite, ſecundùm autem opera illorum nolite facere.

a *Connectuntur caput quintum & ſeptimum mirabili quidem concordia. Primus humilitatis gradus capite ſeptimo aſſeritur Dei timor & abnegatio propriæ voluntatis; cùm tamen quinto cap. Obedientia conſtituatur pro primo humilitatis gradu. Hæc tria coniunxit Benedictus, vt doceremur nullam Obedientiam bonam eſſe ſine timore Domini; præſtat enim obedire Deo quàm hominibus. Non debent, ait S. Pater cap. 71. Abbatis imperio priuata imperia præponi; ergo à fortiori Abbatis ſanctiones non debent diuinas adoriri. Pulchrè Gregorius citandus num. 695. ſubditos admonet, ne ita velint ſubeſſe ſuperiori, vt faciant defectionem à Deo. Ne Prælatus contra leges ſe ſuperiores quidpiam imperet: & ſi ipſe contra illas præſumat procedere, ſubditus non obediat. Prælato ſuperiores eas leges dico, quas ipſe non poteſt abrogare, quibus ſubditi in cordis foro tenentur obedire.*

Venit Propheta N. ad Ieroboā Regem, Idolorum Patronum, (3. Reg. 13.) *carpit ſeuerè eius amentiam, prædicit Idololatriæ excidium, & indignabundus valedicit. Turbatur Rex, & ſuauitate ſumma ipſum pacare cupiens, ſic ait: Eia Pater concede animū tuum tranquilitati, ſi Idola colores, mentireris; quoniam contra dictamen ires; mētirer ego, ſi non colerem, qui ſubſcribo dictamini. Superſedeamus à quæſtionibus, & tractemus aptiora. Fatigat te ætas ſenili maior, quam additus itineris labor reddit intollerabilem: ad mea igitur palatia venias vt te recrees, & vacillanti animo vires reſtituas. Epulabimur ſimul, & donabo te munere permagnifico.*

Angitur Propheta in binio conſtitutus. Indicit Rex terrenus, quæ æthereus interdixerat: præponens tamen Deum hominibus reſpondit adlicienti & ſubornanti Regi: Si opum tuarum me participem redderes, & mihi tuæ arcis cederes dimidium; ſi diuiſum imperium mecum habere decerneres, non te ſequer nec tuæ adquieſcerem authoritati: contrarium enim indixit mihi Dominus.

Sit tibi exemplo Anonymus iſte Propheta: Si enim Diuinis humanas præponas traditiones, miſerrimè peribis. Sit confirmationi huic conceptui Propheta ipſiſſimus, qui cùm poſtea contra Dei præceptum amici perſuaſioni, & imperio ſuccumberet, à Leone interficitur. (3. Reg. 13. 24.) *Equidem ſi contra Dei legem Prælato obedias, in ipſo perfectionis itinere, quod peragis, à Leone interficieris; ab illo inquam, qui circuit quærens quem deuoret, eos interimit qui obediunt homini temerantes legem Diuinam.*

TEX-

TEXTVS Ex cap. 4.

191 b Voluntatem propriam odire. Præceptis Prælati in omnibus obedire, etiam ſi ipſe (quod abſit) aliter agat, memores illius Dominici præcepti, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Non velle dici ſanctum antequàm ſit; ſed priùs eſſe vt veriùs dicatur. Præcepta Dei factis quotidiè adimplere.

Præuidebat Pater ſanctiſſimus eorum fragilitatem, & miſeriam, qui ad dignitates ſuperiores promoti. Ferè omnes diuinæ doctrinæ fluenta ſuis ouibus propinant Antiſtites, ferè omnes legem Dei ſincerè tradunt, & exponũt, & non multi exemplo præeunt, & virtute antecedunt. Et quia Præſidis exẽplo Monachus componitur omnis, huic voluit ſanctus Pater occurrere imminenti periculo, ſuadens ne ſubditi indiſciplinatis ſuperiorum moribus inficiantur, ſed eijdem condolentes doctrinam eorum ſanctam amplecterentur.

Conſultò præceptorum Dei meminit, cùm obedientiæ Abbati debitæ: hæc enim ipſi debetur quà Patri familiæ, quà Abbati; illi ex Decalogi præcepto quarto: huic ex ſecundo. In quarto enim præcipit Deus obedire Præpoſitis, in ſecundo reddi ſibi vota, quæ humanitus fuerint diſtincta.

TEXTVS Cap. 71.

Vt obedientes ſint ſibi inuicem Fratres.

692 Obedientiæ bonum non ſolùm Abbati exhibendum eſt, ſed etiam ſibi inuicem ita obediant Fratres, ſcientes per hanc obedientiæ viam, ſe ituros ad Deum. Præmiſſo ergo Abbatis, aut Prępoſitorum, qui ab ipſo conſtituuntur, imperio (cui non permittimus priuata imperia [b] præponi) de cætero omnes iuniores prioribus ſuis omni charitate, & ſollicitudine [a] obediant. Quod ſi quis contentioſus reperitur, corripiatur. Si quis autem Frater pro quauis minima cauſa ab Abbate, vel à quocumque priore ſuo corripitur quolibet modo; vel ſi leuiter ſenſerit animum prioris cuiuſcumque contrà ſe iratum, vel commotum, quamuis modicè; mox ſine mora tamdiu proſtratus in terra antè pedes eius iaceat ſatisfaciens, vſque dum benedictione ſanetur illa commotio. Quòd ſi quis contempſerit facere; aut corporali vindictæ ſubiaceat, aut ſi contumax fuerit, de Monaſterio [c] expellatur.

Obediant

Obediant a) *Patriarcha ſanctiſſimus in præſentiarum Vrbanitatis Doctor eſt; non enim ſanctitas dici poterit quæ fuerit inurbana Iniuſtitia non eſt ſanctitas: Iniuſtus dicitur, qui alteri negat quod ſuum eſt; inurbanus, qui honorem debitum proximo negat: ſunt ſorores igitur inurbanitas, & iniuſtitia. Inciuilitas culpa eſt, & grauis eſſe poterit, ſi materia ſit magna: inurbanitas etenim, proximi extrinſecus contemptus eſt. Tunc cenſeo materiam politici contemptus eſſe grauem, quando honos qui debetur, & negatur, prudentum æſtimatione magnus eſt: cùm immeritò ſubijcis proximum pudori, & confuſioni tantæ, vt cenſens iuſtè mallet perdere grauem ſummam pecuniæ, quàm talia pati. Sed de hoc inferiùs, cùm Monaſtico Politicas quæſtiones tractabo.*

Priuata b] *Eſt confirmatio conceptus, quem expendi num. 690. Nec debent priuata imperia publicis: nec publica diuinis anteponi.*

Expellatur c) *Hinc liquet; poſſe, imò debere dimitti contumaces: in quorum dimiſſione nec ingratus poteſt eſſe Prælatus dimiſſo, nec communitati. Communitati ingratus non eſt, qui eam ſcandalo frequenti liberat. Contumaci etiam placet, quem abſoluit onere intolerabili: pondus enim conuerſationis regularis, ſuaue quidem eſt humilibus, & mitibus corde, deprimit autem arrogantes, ſuperbos, pertinaces. De hoc inferiùs, cum de foro iudiciali.*

Proderit ſubiungere D. Thomæ Abbatis Salernitani legem latam anno 1618. in Speciosa vallenſi Monaſterio, quæ eſt illuſtratio huius præſentis capitis. Iubet ergo vt Patres, & Fratres honore ſe inuicem præueniant, vt ſeniores iunioribus non ſint iniurij, neque hi in illos inſolentes. Compellent ſe inuicem reuerenter in omnibus colloquijs, proprio ſuo nomine, non corrupto, non barbarè aut ſcurriliter prolato, præmiſſo titulo Patris, ſi ſeniorem alloquantur: Fratris, ſi iuniorem.

TEXTVS Cap. 72.

De Zelo bono quem debent habere Monachi.

693 Sicut eſt zelus amaritudinis malus, qui ſeparat à Deo, & ducit ad infernum: ita eſt zelus bonus: qui ſeparat à vitijs, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum feruentiſſimo amore exerceant Monachi, id eſt, vt honore ſe inuicem præueniant. Infirmitates ſuas, ſiue corporum, ſiue morum patientiſſimè tolerent: obedientiam ſibi certatim impendant. Nullus quod ſibi vtile iudicat, ſequatur; ſed quod magis alij. Charitatem Fraternitatis caſto impendant amore; Deum timeant; Abbatem ſuum ſincera, & humili charitate diligant; Chriſto omnino nihil præponant: qui nos pariter ad vitam perducat. Amen.

Plurimi zelo laborãt indiſcreto, qui cenſurant alienam vitam, & temerè proximum iudicant, ac ſæpius ſub ſpecie virtutis calumniantur. Similia monſtra ſæpe perturbant monaſteria. Me iudice bifariàm peccant: primò, quia ſunt alijs ſcandalo: ſecundò, quia ſcandalum virtute veſtiunt.

Zelus res eſt laudabilis, ait Nazianzenus Orat. 14. modò intra fines ſuos conſiſtat. Linea eſt recta quæ duobus terminis hinc inde clauditur, prudẽtia, & amore. Si amor zelo deficiat, eſt inuidus: ſi prudentia, indiſcretus, vterq; malus eſt, & exuberat amaritudine. Is eſt ille zelus, qui, Benedicto teſte à Deo ſeparat, & in infernũ manuducit. Zelum, vt bonus ſit, imò vt boni ſint, feruentiſſimo amore exerceant Monachi. Animaduertant tamen dari indiſcretum zelum, qui naſcitur ex amore imprudenti: ille, inquam, impatiens, qui nec ſuas, nec aliorum infirmitates tolerat. Ergo cum te vel alium diligis, & virtutes deſideras, prudenter agas: ſcias te eſſe hominem, & illum tibi ſymbolũ: imperfectiones tuas, & alienas patienter tolera, & corrigere pedetentim feſtina. Omnia patienter atq; prudenter facias: Patienter quidem, ne turberis prudenter, ne tuos conturbes.

O quot in Monaſterijs zelo laborant indiſcreto: multi bona voluntate, & malo iudicio gubernantur, quorum voluntas nec adæquata eſt bona: quia ſi adæquata bona atque ſincera eſſet, humilitatem diligeret, ac ſubeſſet iudicio ſapientiorum. Si dum virtutis zelo, & deſiderio ageris, conſilia ſapientiorum contemnis, non iam zelus ille tuus indiſcretus eſt, ſed in inuidiam tranſit; naſcitur enim à malo dictamine, & peiore voluntate.

Monachi igitur diligenter atque patienter imperent, & obediant. Diligenter agit, qui diligit; quoniam Amor ignorat negligentiam. Prudenter alijs imperas, prudenter cõſulis, cum eos per conuenientia media dirigis, cum eos patienter toleras, & corrigis blanda ſeueritate: confratrem tanquam te diligis, cum ſanctiones Antiſtitis maioris facis quàm reliquorum aut conſilia, aut imperia: cum Chriſto nullum anteponis.

TEXTVS Caput 68.

Si Fratri impoſſibilia iniunguntur.

694 Si cui Fratri aliqua fortè grauia, aut impoſſibilia iniunguntur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine, & obedientia. Quod ſi omnino virium ſuarum menſuram viderit pondus oneris excedere, impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi præeſt, patienter, & opportunè ſuggerat, non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo. Quod ſi poſt ſuggeſſionem ſuam, in ſua ſententia Prioris imperium perdurauerit, ſciat iunior ita ſibi expedire: & ex charitate confidens de adiutorio Dei obediat.

Impoſſibile bifariam ſumitur Moraliter, & phyſicè. Impoſſibilia phyſicè ſunt, quæ fieri non poſſunt: talia ſunt, audire colores, videre odores, & ſimilia. Illa autem ſunt moraliter impoſſibilia, quæ phyſicè quidem poſſibilia ſunt, ſed non poſſunt fieri ſine ſummo tædio ac difficultate. Imprudens eſſet Prælatus, qui phyſicè impoſſibilia iniungeret: quod ſi talia præciperet, ſubditus nec teneretur nec poſſet obedire, quia nõ datur potentia ad impoſſibile: ſi enim hæc daretur, non iam præciperetur impoſſibile ſed poſſibile. Iubet noſter Legislator ſubditum obedire Prælato impoſſibilia præcipienti: ergo iubet quod ſubditus faciat impoſſibilia, ſi præcipiat Prælatus: ergo agit in hoc capite de impoſſibilibus quæ fieri poſſunt: nempe de impoſſibilibus moraliter, hoc eſt, de difficillimis.

Ideò ſi tibi quidpiam regulare difficillimum à legitimo Superiore imperetur, erga eum te modeſtè excuſa: quod ſi excuſationem non admittat, confide de adiutorio Dei, ac hilari ſubmiſſione obedi. Vide n.747.

Sed hoc vnicum caput multa complectitur, quæ non poſſunt expendi modo, reſumetur ſub finem operis, & curis ſecundis illuſtrabitur.

DISPVTATIO L.

De rebus quæ præcipiuntur propter ſe.

SVppono id quod ſuperiùs diſp.VI. ſtatui, nimirùm Regulam neminem obſtringere moraliter, ne quidem ad ſubſtantialia: qualia ſunt Caſtitas, Paupertas, Obediẽtia: licet enim ad iſta grauiter obligemur, non quidẽ grauis hæc obligatio oritur à Regula, ſed à voto. Nec hoc eſt ſpeciale in ordine Benedictino nam, & ordinis Dominicani Regulæ ex natura ſua non obligat ad mortale aut veniale, D.Thomas 2.2. q.186. art.9.ad 3.Caietan.ibidẽ ad 4.dubium. Et Alphonſus Rodriguez in exercitij Perfectionis tractatu 3. cap.10. *Aio, ſi quidem aliud præter Regulam nõ eſſet, contrà illũ facere peccatũ non fore: ſin conſtitutiones regulæ-ve materiã voti alicuius cõtinent atq; explicãt, peccatũ ſanè fore, nõ ex vi earum, ſed ex vi voti quod obligat ſub peccato.* Ita etiam vir pius, & doctus de Regulis ſocietatis.

Hac igitur poſitione præmiſſa, addo omnia illa, quæ contenta in Regula, tametſi ante Abbatis præceptum non habeant quod obligẽt moraliter, poſſe tamen à ſuperiore præcipi, & tunc iã moraliter obligatura, grauiter aut leuiter ſecundum materiæ quantitatem. Poſſe, inquã, à ſuperiore præcipi, & hoc ipſum bifariã, nimirũ aut propter ſe, aut propter aliud. Illud dicitur præcipi propter ſe, quod iubetur vt finis, nempe cùm iubetur abſolutè. Illud iubetur propter aliud, quod iubetur vt medium ad aliquem determinatum finem. Hæc præcepta à multis confunduntur, quæ cœlo toto diſſident, & poſtulant reſolutiones differentes. Idcircò in hac diſputatione abſolutas ſanctiones expendam; in ſequenti diſſeram de relatiuis.

RESOLVTIO I.

695 *Prælato aliquid præcipienti cõtrà Regulam, nullus tenetur obedire.* Eſt

certa: quoniam contrà Regulam, nullam habet Abbas authoritatem. Si illud quod contrà Regulam indicitur, non ſit etiam contrà aliam legem nobiliorem, poterit inferior facere vel non facere: puta ſi iuberet quòd comederet carnes feria quarta, à quibus ex Regula abſtinemus. Quod ſi Abbas non ſolùm præciperet contrà Regulam, ſed etiam contrà præcepta Dei aut Eccleſię, teneretur ſubditus non obedire. Proderunt huic reſolutioni D. Gregorij verba (habentur in 2. quæſt. 7. Admonendi) dicentis: *Admonendi ſunt ſubditi, ne plus quàm expedit, ſint ſubiecti, ne cù m ſtudent plus, quàm neceſſe eſt hominibus ſubijci, compellantur vitia illorum venerari.*

696 Nomine Regulæ intelligo illam quà legitimè acceptatam in communitate: vnde non eſſet cenſendus iubere contrà Regulam Prelatus, qui nunc præciperet comedi carnes die Dominica: quia Regula quà à nobis admiſsa non decernit contrarium: eſſet tamen contrà Regulam, ſi ſano robuſto iuberet comedere carnes feria quarta, quas lex quà à nobis acceptata interdicit. Cæterùm, ſi æger aut debilis nollet carnes comedere feria quarta, poſſet eum Abbas obligare: quia ſecundùm Regulam ægri, & debiles carnibus vti debent.

697 Dices. Mitigatio Regulæ, priuilegium eſt: Atqui poſſum cedere priuilegio, cùm gratia nulla concedatur nolentibus. Ergo ſi cedam, remanet Regula ſecundum literam. Igitur ſi præcipiat mihi Antiſtes carnes comedere die Dominica, & ego cedam diſpenſationis priuilegio, remanebit mihi literatoria Regula prohibens carnes, ac propterea potero non obedire.

698 Reſpondeo: multa in inſtantia aſſumi, quæ indigent maiori examine. Nullam gratiam fieri nolenti certum eſt, ſicut neque volenti fit iniuria: ſed ſicut non ſufficit quæcumque voluntas vt iniuria non fiat, ſic nec quęcumque nolitio ſufficit vt gratia non teneat. Tibi iniuria non fit, cùm de licentia tua id adimitur quod potes dare: iniuria autem fieret, ſi, te permittente, adimeretur vita aut quidpiam aliud quod perdere non poſſes. Gratia tibi non fit, quando conceditur quod non vis nec teneris admittere: Gratia fit, cùm conceditur *id* quod teneris admittere licèt non velis. ¶ Priuilegiorum alia ſunt publica, alia priuata. Priuata, quæ vni ſoli: publica: quæ conceduntur voti communitati. Priuilegium, quod tibi vni conceditur, non admittere, & ſemel admiſſum dimittere etiam potes. Si id communitati concedatur, communitas poteſt admittere, & ſemel admiſſo poteſt cedere. Cæterum, ſicut vnus particularis non poteſt admittere gratiam publicam communitate inuita, ſic nec cedere gratiæ. † Mitigatio Regulæ quoad carnes, priuilegium eſt, ſed publicum: conceſſum communitati, non tibi vni: Ideò illa poteſt huic priuilegio cedere, tu non potes: Ergo teneris obedire Prælato tuo præcipienti contrà rigorem Regulæ, ſi præcipiat ſecundùm Regulam legitimè authenticeque mitigatam. Vel ſi dubites diplomatum tenorem conſule, & videbis tibi ſecundariò, & per accidens illud concedi, qua huius corporis parti: ergo corpus eſt quod poterit cedere, non tu.

699 Accedit, quòd tenearis obedire Prælato ex vi voti, voues autem ei obtemperare ſecundùm Regulam quà legitimè receptam in tuo monaſterio. Vt conſtat ex his quæ ex D. Bernardo dixi *diſp.* 7. Vnde qui teneris comedere carnes die Dominica Prælato præcipientes; ſi die Dominica piſces comedi Prælatus iubeat abſolutè, (hoc eſt ſine cauſa) non teneberis ei obedire. Addidi conſultò *ſine cauſa*, quia ſi cauſa aliqua Regularis (hoc eſt, quæ ſit in

Regula)

Regulæ) adſit, poterit Abbas indicere abſtinentiam propter illam. Sed vix talis cauſa poteſt accidere.

699 b Corollarium. *Hinc patet Religioſos non profiteri nec teneri obedire ſecundum Regulæ rigorem, qui in libris reperitur: ſed ſecundum communitatum bonos mores ab ordine, & eccleſia approbatos*: quod definitum eſt in comitijs Germanicis celebratis ann. 1595. in Bauaria Præſide Edmundo à Cruce Ciſtertij Abbate vbi ſic. *Regulam D. Benedicti, ſecundum quam profeſſi ſumus, prout à ſanctiſſimis noſtris primis Patribus recepta eſt, & à S. Sede Apoſtolica approbata, & moderata* (nota ſingula verba,) *accuratè, & integrè quilibet noſtrum obſeruet, maximè verò vota, quæ diſtinxerunt labia noſtra, videlicet promptam obedientiam, perpetuam caſtitatem, & paupertatem voluntariam. Quanta namque eorum reddendorum profeſſis omnibus incumbat neceſſitas, certa pariter, & tremenda illa D. Benedicti ſententia profeſſionis noſtræ formam continens declarat, cum inquit: Suſcipiendus in Oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, & conuerſione morum, & Obedientia, coram Deo, & Sanctis eius, vt ſi aliquandò aliter fecerit, ab eo ſe damnandum ſciat, quem irridet.*

RESOLVTIO II.

700 *Prælato præcipienti directè, & per ſe aliquod bonum, ſed extrà Regulam, poteſt Monachus obedire, ſed non tenetur.* Non teneri conſtat: quia ex vi voti debet iudicari: atqui ſufficienter hoc in profeſſione explicatur, & limitatur ad Regulam Monachus ergo extrà Regulam nihil tenetur facere. Non tenetur obedire, ſed poterit: quia ſi vltra Regulam aliquid fecerit, nihil contrà Regulam aut aliquam virtutem operabitur. Hæc concluſio expreſſè eſt D. Thomæ *in quodli. 10. artic. 10.* ſecuti Diuum Bernardum dicentem: *Nihil præcipiat Prælatus eorum quæ non voui, nihil prohibeat eorum, quæ non promiſi: non augeat, neq; diminuat votum meum.* Ita de diſpenſ. & præcept. ſæpè, & clariùs cap. 7. in fine.

RESOLVTIO III.

701 *Abbati præcipienti aliquid ſecundùm Regulam, Monachus tenetur obedire.* Patet ex vi profeſſionis. Non tamen inobediens ſemper peccat mortaliter, ſed pro quantitate materiæ: quia qui in re parua fuerit inobediens Prælato legitimè præcipienti, ſolùm peccabit venialiter. Materia magna in mea ſententia non dicitur, quæ non ſit octaua pars operis conſummati; neque parua, quæ ſit minor vno *Pater noſter* in tempore, aut lectione. (De materia magna, & parua diſſero *diſput. 4.*)

De officio Diuino prout præcipitur à Prælato.

RESOLVTIO IV.

702 *Prælato præcipienti recitare Officium diuinum in choro, teneris obedire ſub peccato mortali, & tunc excuſaberis à peccato mortali, ſi omiſeris ſolùm materiam paruam*: quanta ſit paruitas materiæ in officio diuino, diffinio ex his ipſis principijs proprio loco. Vnde ſi abſis à Choro communi die integro, vel parte octaua totius diuini officij, peccabis mortaliter. Nota, quod ſi ex vi huius præcepti deficias à Choro culpabiliter vel inculpabiliter, non teneberis, poſteà legere priuatim: quia illud mandatum eſt de lectione publica, non de priuata. Teneberis autem priuatim legere ex alio capite: puta, ſi habeas maiores ordines aut aliam ſimilem obligationem.

RESOLVTIO V.

703 *Prælato præcipienti recitare officium diuinum extra Chorum, ille qui in Choro non recitauerit tenetur obedire.* Patet, quia eſt expreſſum in regula cap. 50. Si Prælatus iubeat id recitari genibus flexix extra Chorum, peccabit venialiter qui non poſuerit hanc circumſtantiam: peccare illum patet: quia ſic ordinatur in eodem capite: venialiter, quia eſt circumſtantia parui momenti. Prætereà, ab hac circumſtantia ex cauſa rationabili poſſent Monachi excuſari, ita vt nec venialiter peccarent, etiam Abbate præcipiente, v. g. ſi eſſent in itinere: & hunc caſum etiam D. Benedictus excipit, dum dicit in fine eiuſdem capitis: *Qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ, ſed vt poſſunt agant ibi, & ſeruitutis penſum non negligant reddere.*

RESOLVTIO VI.

704 *Prælato præcipiente alicui Sacerdoti legere officium Diuinum, tenebitur is duplici titulo, obedientiæ, & Sacerdotij.* Sed cùm vterque titulus etiam ſit Obedientiæ, licèt grauiùs peccet, non tenebitur hanc aggrauantem circumſtantiam in confeſſione exprimere: patet, quia eſt aggrauans in eadem ſpecie.

RESOLVTIO VII.

705 *Prælato præcipienti recitare horas, quas quiſpiam iam ſemel in Choro cum alijs recitauerat, nullus tenetur obedire.* Ratio eſt: quia nullus tenetur priuatim repetere, quæ bene in Choro cum alijs recitauit. Memineris quod hic agimus de rebus præceptis propter ſe, quia ſi detur ratio aliqua regularis propter quam id tanquam medium præcipiatur, obedire tenebitur.

RESOLVTIO VIII.

706 *Si Prælatus præcipiat alicui, vt vadat ad Chorum cantaturus Matutinas cum alijs, licèt priuatim eas legerit, tenetur ire.* Ratio eſt manifeſtiſſima: quia officium ipſius eſt aſſiſtere Choro, recitaſſe autem priuatim, non prodeſt ad hoc, vt excuſetur ab obligatione cantandi publicè.

RESOLVTIO IX.

707 *Præcipitur Petro, quod vadat ad Chorum, vadit & non cantat, ſatisfacit præcepto?* Reſpondeo affirmatiuè, quia non præcipitur ipſi cantus. Sed hic debeo paululum hærere. Fortè verba ſignificabunt plus quàm ſonant. Fortè hoc mandatum, *vade ad Chorum,* æquiualet huic *vade & canta.* Quam ob rem exiſtimo hanc concluſionem locum habere quando probabiliter conſtat ſuperiorem non præcipere cantum ſed meram externam aſſiſtentiam: vidi enim aliquem ob raucedinem exemptionem prætendere, & prudenter ad præſentiam obſtringi.

RESOLVTIO X.

708 *Præcipitur eidem vt cantet in Choro, & non canit; peccatnè mortaliter?* Peccat, niſi à paruitate materiæ excuſetur. Quod ſi omitteret vnam integram horam, vel octauam partem totius officij, licèt legeret ſuppreſſa voce, peccaret mortaliter; quia iam frangeret præceptum in materia magna. Suppono, quod non habeat aliquam infirmitatem, propter quam poſſit cantum omittere.

RESOLVTIO XI.

709 *Rogas, vtrùm prudenter præcipiatur alicui, vt vadat ad Chorũ, aut vt cã-*

vt cantet. Reſpondeo cum cauſa eſſe laudabile: quia, ſi ſubditus ſit negligens, debet aliquibus modis coerceri, vt ſuo officio, & occupationi ſatisfaciat: ſed ego non ponerem tale præceptum, niſi priùs cognoſcerem non ſufficere omnes pœnitentias corporales. Non tamen tenentur Abbates eſſe tam benigni, atque ideò poſſent ſtatim in principio adhibere iſtam ſpiritualem medicinam.

RESOLVTIO XII.

710 *Qui non poteſt cantare in Choro, debet ſaltem aſſiſtere*. Quia licèt ſuppreſsa voce recitet, facit corpus communitatis, & ſua præſentia illum actum cohoneſtat.

RESOLVTIO XIII.

Prælato præcipienti mutari Cantica, & ordinem, aut numerum Pſalmorum, & breuiari lectiones aut reſponſoria, Monachus tenetur obedire. Patet: quia talia mandata ſunt ſecundum Regulam. Habet locum hæc regula etiam ſi Abbas id præciperet illicitè, modò validè. fallit ſi eccleſia illo capite expuncto res ita diſponeret vt Prælatus præciperet illicitè, & validè.

De ieiunijs prout præceptis.

RESOLVTIO XIV.

711 *Si Prælatus præcipiat ſeruari aliquod ieiunium Ordinis, id obligabit ſub peccato mortali*. Patet: quia eſt ſecundùm Regulam, & materia grauis. Quod ieiunia Ordinis ſint ſecundùm Regulam, eſt manifeſtum; quòd ſint materia grauis, probo. Sunt magis neceſſaria quàm ieiunia Eccleſiaſtica; Atqui hæc ſunt materia grauis; & obligant ſub peccato mortali in omnium opinione; ergo, & ieiunia Ordinis dicunt materiam magnam, & ſi præcipiantur, obligabunt ſub peccato mortali. Probatur maior. Ieiunia Eccleſiaſtica ordinentur ad vitam Chriſtianam, Monaſtica ad vitam pœnitentem, & Religioſam, & magis conducunt ad hanc quàm ad illam, poſſet enim quis faciliùs Chriſtianus eſſe ſine ieiunijs, quàm pœnitens, & Religioſus. Vix enim intelligitur ſine ieiunio pœnitentia. Ergo &c.

RESOLVTIO XV.

712 *Si præcipiat Prælatus ieiunia Eccleſiaſtica ſeruari, qui ea fregerit, licèt peccet contrà præceptum Eccleſiaſticum, non peccabit contrà Monaſticũ,* quia de ieiunijs Eccleſiaſticis ſancta Regula diſponit nihil. [Duo ſuppono, I. illud eccleſiaſticum ieiunium præcipi purè propter ſe non propter aliquid aliud regulare; quæ hypotheſis totam hãc diſputationem tranſcendit. II. nõ coincidere cum alio ieiunio ordinis, vt plerumque contingit.] Imò ſi præcipiatur propter aliquid regulare conſiderari poterit prudentiſſima DD. Ciſtercienſium lex lata Cæſareæ in Prouinciali Germanorum capitulo anno *1626*. Vbi Patres congregationis Monaſterijs prælati, *Declaramus*, inquiunt, *ea quæ in Regula noſtra ſuperiorum præceptis aut conſtitutionibus præcipiuntur, & alia ſunt iuris diuini vel eccleſiaſtici, ex vi præcepti Regulæ, Superioris aut conſtitutionis, nullam nouam obligationem inducere*.

RESOLVTIO XVI.

713 *In diem, quæ aliàs eſt ieiunij Monaſtici, incidit vigilia alicuius ſancti: præcipitur ab Abbate hoc ieiunium propter ſe, ſubditus ſeruauit formam Monaſticam, non Eccleſiaſticam; quale peccatum peccauit?* Reſpondeo contrà Eccleſiam, non contrà obedientiam;

peccauit eodem modo, quo peccaret in eadem actione aliquis ſæcularis: vel ipſe, ſi nihil præcepiſſet Abbas. Ratio eſt; quia Abbas ſolùm poteſt præcipere ieiunia Monaſtica, & ſupponitur ſubditus tali die fregiſſe ieiunium Eccleſiaſticum, Monaſticumque ſeruauiſſe. Nota, ieiunium Eccleſiaſticum, & monaſticum differre in ciborum quantitate, qualitate, & modo; vt expendam inferius, n. 1613. b

RESOLVTIO XVII.

714 *Præcipitur alicui ſine cauſa ieiuniū Monaſticum, die Dominica verbi gratia: aut alia die quæ non erat Monachi: dies ieiunij.* Quæritur, an debeat obedire. Reſp. Negatiuè, quia eſt ſupra Regulam. (Nota illud ſine cauſa, quoniam ceſſat dubitatio, ſi cauſa legitima detur.)

De Præcepto ſilentij.

RESOLVTIO XVIII.

715 Silentium, ſicut, & alia quæ ſunt in Regula; deficiente præcepto non poteſt obligare ſubditum in foro interiori, atque ideò, qui non obſeruauerit ſilentium, debet excipi ſupplicio corporali. Si tamen adſit præceptum Abbatis, obligabit ſub peccato, ſecundum quantitatem materiæ, vnde in dormitorio, vbi tota die eſt ſilentium, qui contrà præceptum Abbatis per tres horas garriret, peccaret mortaliter. Fortè qui, & paucioribus, nam tametſi naturalis dies 24. horis componatur, moralis creditur habere pauciores, vnde qui 12. illum æquinoctialibus conſtituunt, eum qui octaua eiuſdem parte, hoc eſt hora, & media operatur die feſto arguunt de mortali, quod videtur poſſe etiam de ſilentio impræſentiarum probabiliter dici. Nomine *præcepti* intelligo illud quod ponitur ex virtute obedientiæ, quia præceptum formale, quod fert quà Paterfamilias, non poteſt attingere ſilentium, quis enim vſpiam dixit, poſſe Patremfamilias indicere ſilentium propter ſe ſuis filijs? *Si garriret* dixi, quia ſi eſſet neceſſarium loqui, puta propter hoſpitem, vel propter aliam cauſam, non peccaret: quia neceſſitas, & vrbanitas ſunt fortiores ipſo *præcepto* Monaſtico.

Sed quia poſt completorium in tota domo ſilentium obſeruandum, prudenter inueſtigas qua hora illi finis ponendus ſit, nimirum qua matutina poſſimus loqui, & ceſset illud regulare ſilentij obſeruandi præceptum? Reſpondeo Regulæ S. Benedictini ſolere adiungi vtilem diſcurſum, qui inſcribitur, *B. Bernardi Abbatis Claræuallenſis de vitæ ſpirituali nobile documentum*. Ita in editione Pariſienſi anni *1616.* ita in alijs. Sed in huius Diſcurſus periodis multæ ſunt valde vtiles, & doctrinales; & duas exſcribam. *De nullo prorſus*. ait, *ſiniſtre loquaris, quantumcumq; ſit verum vel manifeſtum, niſi in confeſſione: & hoc vbi non potes aliter manifeſtare peccatum tuùm*. Sentit ergo poſse in confeſſione complicem manifeſtari, ſi aliter peccatum non poſſit: ſed hoc non vrgeo, non enim à te propoſitam controuerſiam concernit. Addit inferiùs. *Fuge loquutoria quantùm potes. Melius eſt enim ſilere, quàm loqui. Poſt completorium non loquaris, quouſq; finita ſit miſſa ſequentis diei*. Sed vtra miſsa? matutinalis, maior-ve? non declarat Bernardus, & nos in re dubia mediam opinionem eligimus, & quoniam vtrique miſsæ capitulum intereſt, finem ſimul, & capitulo, & ſilentio nocturno imponimus. Firmabo hoc definitionem Germanicæ Congregationis proponendo: quæ hoc dubium anno 1597. declarauit his verbis. *Omni tempore ſilentium ſeruetur, & vbique poſt completorium vſque ad egreſ-*

ſum

ſum capituli diei ſequentis: Silenti huius cuſtodia valde eſt neceſſaria religioſo, quia (vt inquit D. Iacobus) ſi quis putat ſe religioſum eße, non refrenans linguam ſuam à malo, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio. Conſonant aliorum Antiſtitum reſolutiones D. Ioann. Martinus Clari-loci Abbas viſitans Speciosam-vallem anno 1608. Sic inſcribit. *Silentium omni tempore, & loco, at præſertim à completorio ad exitum vſq; capituli, & in cunctis locis regularibus ſtrictiſſimè teneatur.* & anno 1615. D. Nicolaus Boucherat ibidem *Silentium, ait quod iuſtitiæ cultus eſt, & religionis noſtræ potiſſima clauis, exactè ſeruetur in omnibus locis regularibus: vbiq; verò poſt completorium vſque ad egreſſum capituli diei ſequentis.*

De caſtitate, & Paupertate quà præceptis.

RESOLVTIO XIX.

716 Poterit Prælatus præcipere ſuis Monachis Paupertatem, & Caſtitatem; & tunc proprietarius, aut incontinens non ſolum peccabit contrà votum ſpeciale Paupertatis, aut Caſtitatis, ſed etiã contrà votum Obedientiæ; vnde illud peccatum duobus titulis eſset cõtrà votum ſolenne: ſed duobus titulis vel eſt eadem malitia, vel ſaltem grauitas eſt extenſiua, nec eſt neceſsarium hanc aggrauantem circumſtantiam exprimi in confeſſione; nõ ſecus, ac qui die Paſchatis miſsam omitteret, ad quam duplici præcepto tenetur, ſpeciali, & communi: communi: quia eſt dominica; ſpeciali, quia Paſchatis. Lege inferiùs. Nam mihi vota ſecundum ſe conſiderata, & abſtracta ab alijs præceptis, non diſtinguuntur ſpecie, ſed ſolùm materialiter: ac proinde numero tantummodo. Et probabiliùs eſt duas malitias numero diſtinctas non poſse in eodem actu reperiri.

De alijs præceptis.

RESOLVTIO XX.

717 In alijs quibuſcumque rebus dũ adeſt præceptum Prælati, & eæ ſunt ſecundùm Regulam, tenet præceptum: prævaricator peccabit mortaliter aut venialiter ſecundum quantitatem materiæ; vnde in rebus minoribus peccatum erit veniale, in maioribus mortiferum. Res minores eſse crediderо ſequentes. Dormire cum veſtibus, vel ſine veſtibus quando quiſpiam iturus eſt ad Matutinas, de quo cap. 22. (Vbi notandum eſt, in illorum ſententia qui docent ceſsante fine in ſingulari adæquatè, ceſsare etiam legem eos, qui non ſunt ituri ad Matutinas, non teneri ad iſtam obſeruantiam, quia littera eſt per ſe ſatis clara. at teneri in contraria ſententia, ſed fortè non eſt adęquatus finis ille, qui in Regula expreſsus; fortè etiam mortificationis, & modeſtiæ) dormiebat omnes in eadem aula, & indecens omninò eſset, ſi viderentur nudi (rationem habuit Legiſlator, quam non expreſſit.) Occurrere tardè ad aliquam horam Diuini officij, aut aliquem actum communitatis, de quo cap. 43. Falli in Oratorio, de quo cap. 45. obedientia mutua cap. 71. & alia ſimilia. Etiam res illas inter minores iudicauero, quæ conducunt ad regimen politicum Monaſterij, vt, quod non ingrediantur in talem locum, vel in cubicula, non egrediantur ad hoſpites, non veniant ad portam, quæ, ſi propter ſe iniungantur, vix vlla ſunt: ſi propter alium finem, ille eſt conſiderandus; quoniam ratione huius poſsunt eſse grauiſſima, & obligare ſub mortali.

DISPVTATIO LI.

De rebus præceptis non propter ſe, ſed propter aliud.

718 EGimus hucuſque de rebus quæ præcipiebantur propter ſe, quarum multæ, quæ ex vi Regulæ non ſubiacent authoritati Abbatis, poſſent ſubiacere reductiuè: quia licèt non reperiantur in Regula, poſſunt ordinari conducere ad ſatisfaciendum ipſi Regulæ. Ideò ſupponere oportet, Prælatum poſſe non ſolùm præcipere illa omnia quæ ſunt in Regula, ſed etiam illa, quæ poſſunt conducere ad impletionem ipſius Regulæ. Vnde dico Prælatum non ſolùm poſſe præcipere Caſtitatem, ſed & abſtinentiam quacumque die, etiam Dominica, ſi prudenter iudicauerit illam eſſe neceſſariam tali ſubdito, ad cuſtodiam Caſtitatis.

RESOLVTIO I.

719 *Omnia quæ præcipiuntur propter aliud, ſi finis exprimatur, habent à fine ſpeciem.* De hoc nullus dubitabit, qui legerit authores diſputantes de bonitate, & malitia humanorum actuum.

RESOLVTIO II.

720 *Nihil contrà Regulam debet præcipi in ordine ad impletionem præcepti Regulæ.* Patet: quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Ad huius reſolutionis maiorem claritatem adnotato, nulla præcepta Regulæ, prout à Beatiſſimo Patre ſtatuuntur, ſibi inuicem contradicere, & ideò nunquam eſſe neceſſarium frangere vnum, vt aliud impleatur: vnde, cùm Abbas poſſit vti medijs bonis aut indifferentibus, imprudenter procederet, ſi iuberet aliquid contrà Regulam, vt aliud Regulæ Præceptum ſtrictiſſimè cuſtodiretur. Sic exempli cauſa Capite 42. præcipitur, vt poſt Completorium nemo loquatur vſque ad horam primam ſequentis diei, incluſiuè vt communiter interpretamur. (vide num. 715.) Sanè conduceret ad obſeruantiam huius præcepti, quod Monachi vſque ad illam horam non egrederentur ex cubiculo. Quid ſi ergo Abbas iubeat, quod ex cubiculo nullus illorum egrediatur? Non poteſt id iubere; quia cap. 47. præcipitur, quod ſurgant hora matutina, & vadant ad Chorum cantaturi laudes matutinas.

720 b. Sed occurrit dubium omninò neceſſarium. *An Abbas contrà Regulam poſſit aliquid præcipere in ordine ad obſeruantiam votorum aut charitatis?*

Reſponſurus volo primò exactè examinari, an omninò neceſſarium ſit Regulæ materiam violari vt charitas conſeruetur: nam ſi illa materialis violatio neceſſaria non ſit, ceſſabit dubium, reſoluemuſque liberrimè, irregulare illud præceptum imponi non poſſe.

Si abſolutè regularis illa obſeruantia opponatur charitatis cuſtodiæ, & ad illius obſeruantiam conducat omiſſio adhuc inquiram, an conducat ad conſeruandam, an verò ad augendam charitatem. Si concurrat primo modo, certum omnino eſt tale Abbatis præceptum (nempè inhibens actionem materialiter regularem, & tamen per accidens charitatis deſtructiuam) obligare grau-

grauiter, licet irregulare videatur. Si concurrat ſecundò poſſemus dubitare & ambigere, an maioris faciendum illud augmentum charitatis, quod vna die, & per accidens poterat reſultare, ſtricta Regulæ obſeruantia, quæ exponitur periculo ſi ſubſit diſpenſationi & præcepto contrario. Sed his non obſtantibus reſoluit in fauorem charitatis P. Noſter Bernardus de præcepto & diſpenſ. num. 5. vbi ſic ait. *Porrò inuenta atque instituta fuerunt, non quia aliter viuere non licet, ſed quod ita magis expediret, nec planè ad aliud quàm ad lucrũ & custodiã charitatis. Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa ſunt, mutarique omninò ne ab ipſis quidem præpoſitis ſine offenſa poſſunt. At ſi è contrario contraria forte, aliquando charitati viſa fuerint, his duntaxat quibus hoc poſſe videre datum eſt, & prouidere creditum eſt: nonne iuſtiſſimum eſſe liquet vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur? Sicut è regione iniquum procul dubio foret, ſi ſtatuta pro ſola charitate, contra charitatem tenerentur. Tenent ergo fixam firmamq; immobilitatem etiam apud Prælatos quæ ex ſtabili neceſſario ſunt, ſed quatenus charitati deſeruiunt. Nunquid autem hoc ego vel ſolus ſentio, vel primus dico? An non hoc ipſum & Papa Gelaſius ſenſit? Ait ſiquidem: Vbi neceſſitas non eſt, inconuertibilia maneant patrum Sanctorum decreta Leo quoque Papa, vbi inquit, neceſſitas non eſt, nullo modo ſanctorum Patrum instituta violentur. Et infert, ergo neceſſitas fuerit ad vtilitatem Eccleſiæ, qui poteſtatem habet ea diſpenſet. Ex neceſſitate enim fit mutatio legis.*

RESOLVTIO III.

721 *Quando Abbas iubet aliquid quod eſt extra Regulam ſed in ordine ad aliud quod eſt in Regula, peccabit inobediens grauiter aut leuiter ſecundum quantitatem materiæ, non medij, ſed finis.* Me explico. Conducit ad ſeruandam caſtitatem, Petrum non intrare talem locum, præcipit id Abbas; non poteſt intrare. Sed debemus hic, ſicut in omnibus alijs rebus, paruitatem non debere menſurari penes medium; quia poteſt ingredi pro prauo tempore, & nihilominus ſuum in paruo illo tempore caſtitatis candorem grauiter maculare: vnde concluditur, quantitatem materiæ dependere à fine. Ideò ſi ille in locum vetitum ab Abbate ne peccet cōtra caſtitatem, ingrederetur peccaturus mortaliter, frangeret votum Obedientiæ; ſi autem intraret peccaturus venialiter, etiam contra idem obedientię votum peccaret venialiter; quod ſi alia de cauſa ingrederetur, nullatenus peccaret. (Pro hac me reſolutione Baſæus *in floribus pagin.* 582. *r* citatque huius Commentari *numero* 50. & 51.)

722 Hic obiter notandum eſt: Prælatum, cùm præcipit medium propter aliquem finem, non præcipere ipſum finem, neque entitatem abſolutam medij, ſed entitatem medij relatiuam, hoc eſt, ipſum medium quà tale. Ideò in caſu poſito, ſi tibi indicitur ne ingrediaris talem locum, quia cognoſcit Prælatus tibi inibi imminere proximum peccandi periculum; nec peccabis contra obedientiam cum alibi laſciuus fueris, nec cùm ſine periculo illum locum adiueris; ſed ſolùm, cùm ingreſſus fueris peccaturus operatione extrinſeca, vel cum graui externo tamen periculo peccandi.

723 Petrus ingreſſus eſt talem locum cum intentione peccandi in genere, quod cauebat lex. Iuxta noſtram hypotheſim, intrauit vt eſſet cum amaſia. Petis, quando peccet mortaliter contra obedientiam; an quando intrat, an quan-

quando peccat mortaliter in genere adulterij. Reſpondeo, illum peccare contra obedientiam, cùm primùm incipit eſſe in periculo proximo extrinſeco peccandi extrinſecè.

724 Vt hanc difficultatem meliùs penetres, aduertere dari duo pericula proxima; aliud periculum conſentiendi, aliud faciendi. Conſenſus eſt actus merè internus, nec ſubeſt hominum authoritati. (Suppono probabiliſſimam illam ſententiam, quæ actus mere internos humano iudicio non ſubdit.) Non punitur ciuiliter, qui merè internè voluit alium occidere; ſed ille, qui externè fecit, aut procurauit. Eſt in periculo conſentiendi & non faciendi ille, qui remanet in occaſione, in qua ſcit ſe conſenſurum eſſe, non tamen facturum, propter impedimentum tale.

725 Non dantur præcepta humana de actibus merè internis, neque externa propter merè-interna poſſunt præcipi humana authoritate. Ergo non poteſt tibi interdici acceſſus ad talem domum vel locum, ne aſſenſum merè-internum præbeas adulterio; Poteſt tamen legitimè interdici, ne extrinſecè adultereris, aut ne te exponas periculo euidenti extrinſecè & moraliter, (illud eſt quod dicitur proximum) adulterandi.

726 Periculum proximum peccandi opere externo, eſt quid extrinſecum morale; ac propterea authoritati humanæ ſubiacet. Cenſetur enim ponere extrinſeca media moraliter infallibiliter conducentia ad talem actum, qui proximo periculo extrinſecè ſe exponit.

RESOLVTIO IV.

727 *Quando Prælatus iubet aliquid quod eſt in Regula propter aliud quod non eſt in Regula, ad quod aliàs non teneris, poteris ipſi non obedire.* Ratio eſt manifeſtiſſima; Medium totum eſt ad finem ergo ſicut res irregularis eſt verè regularis, ſi ordinetur ad Regularem, & teneris illam facere; ſic res regularis fit irregularis, ſi ordinetur ad aliam irregularem: non enim eſt maior ratio vnius, quàm alterius. Exempli gratia. Abbas iubet talem monachum venire ad Chorum, vt delectet ſe vocis artificioſa ſuauitate; in tali caſu dico, Religioſum non teneri in foro interiori venire ad Chorum, quia non reperitur in Regula quod Monachi ſuarum vocum harmonia debeât delectare Abbatem, ſed laudare Deum. Vnde illud medium (hoc eſt venire ad Chorum) quod propter ſe poteſt præcipi, propter finem irregularem (talis eſt ille qui non eſt in Regula) nunquam iniungi poteſt.

Nihilominùs nemini ſuaderem in tali caſu non obedire præcepto Prælati; primò, quia poteſt Prælatus habere in præcepto duos fines: ſufficit autem alterum eſſe Regularem ad hoc, vt præceptum teneat, vt in exemplo poſito. Præcipit tibi Antiſtes vt ad Chorum venias, tum vt tuæ obligationi ſatisfacias, tum etiam vt auditores tuæ vocis ſuauitate recrees. Ecce duos fines eidem operi, & propter primum redditur indictio obligatoria, quæ talis non eſſet, ſi tantùm reſpiceret ſecundùm. Prælatus non tenetur fines ſuos exponere: & dum vnum exprimit, poſſumus prudenter præſumere illũ habere ſimul alios excellentiores. Sed tenet reſolutio, quando Prælatus finem irregularem præcepto ſuo præfigit, & ſimul explicat ſe non intendere alium finem. Tunc, vt dixi, ex vi voti non teneris obedire: deberes tamen, ſi inde ſequerentur ſcandala, quæ eſſent vitanda: quod ſi non faceres & ſequerentur inconuenientia, peccares quidem nō contra votum Obedientiæ, ſed in genere illorum inconuenientium; quæ tua culpa ſequerentur: quæ, ſi bene conſiderentur, etiam aliquando poterunt eſſe ſcandala recepta & non data. Cæterùm, qui obediet, ſequetur ſecuriorem partem.

RESO-

RESOLVTIO V.

728 *Quando Abbas præcipit medium propter determinatum finem, licèt quiſpiam delinquat contra finem, ſi non delinquat contra medium; nihil facit contra obedientiam.* Patet in exemplo poſito. Interdicitur ingreſſus in talem locum; ne quis cõmittat tale peccatum. Petrus eò non ingreditur, ſed committit illud peccatum alibi: non peccat contra Obedientiam. Ratio eſt per ſe nota, quia non interdicitur abſolutè peccatum tale ſed prout prouenit à tali medio: & peccatum Petri ab illo medio non prouenit.

RESOLVTIO VI.

729 *Quando Abbas iubet aliquid extra Regulam, & dicit ſe iubere non propter ſe, ſed propter aliquem finem ſecretum, quid faciendum?* Dico primò, Prælatum non teneri explicare finem, propter quem aliquid præcipit. Addo, ſubditum poſſe credere finem eſſe magnum, & regularem, vel ſaltem ex antiqua experientia poſſe probabiliter inferre, qui finis ſit Prælato propoſitus. Dico ſecundò, ſi probabiliter cognoſcas finem vt frequentiùs accidit, ſuppone illum fuiſſe expreſſum ab ipſo Abbate: in rebus enim moralibus ſufficit probabilitas. Si dubites, vtrùm propter hoc, an propter illud, tale præceptum fuerit poſitum, ſuppone quod propter vtrumq; & ſic nulli errori erit locus. Tandem ſi non poſſis aſſequi aliquem determinatum finem, ſuppone quod propter totam Regulam illud mandatum impoſitũ fuerit, & ita quotieſcumque illud violabis vt aliquid leue facias contra Regulam, peccabis venialiter: quotieſcumque vt aliquid graue, peccabis mortaliter. Sed ſi illud frangas, vt facias actionem irregularem (hæc eſt quæ non interdicitur in Regula) vel vt ſatisfacias cuipiam præcepto Regulæ, non peccabis venialiter. Inhæreamus propoſito exemplo.

730 Interdicitur ab Abbate ingreſſus in talem locum, & non potes colligere cur interdicatur. Si ingrediaris, vt per breue tempus horis indicti ſilentij garrias peccabis venialiter: ſi vt frangas ieiunium, mortaliter. Si vt fueris rem parui pretij, venialiter: ſi vt rem magni momenti, mortaliter: ſi vt committas peccatum veniale contra Regulam, peccas venialiter: ſi vt mortale, peccas mortaliter. Si, vt agas aliquid neceſſarium, vel non interdictum in Regula, ſecluſo imperitiorum ſcandalo, non peccas venialiter. Ratio eſt manifeſtiſſima. Quia ſi talis ingreſſus poteſt interdici, maximè propter aliquod præceptum Regulæ, atqui hic nullum frangitur, vt ſupponitur: ergo & nulla eſt obligatio. Ceſſante enim fine legis adæquato in vno particulari, ceſſat obligatio talis legis quoad illum particularem, ita Scaccia, Nauarrus, Mexia, Henriquez, Comitolus, Abbas, Angelus, Soſa, Megala, Granadus: quod licèt vbique ſit verum, à fortiori in noſtro caſu, vbi aliquid, quod eſt præter Regulam, non poteſt præcipi propter ſe, ſed propter Regulam. Vide ſup. n. 50.

730. b Sed quia communius loca interdicta ſunt cellæ & officinæ, videndũ, quid ſpecialiter dicendum ſit, Germanorum definitiones ſic habent. *Nullus alterius cellam ingrediatur præter Præſides, quod Iunioribus ſub Regularis diſciplinæ, Sacerdotibus ſub grauioris culpæ pœna prohibitur, ne ſi parùm timorati fuerint, nugis, confabulationibus aut ſimilibus actibus indicentibus aliorum ſtudium & quietem turbent; ob eamque cauſam, & ſub iiſdem pœnis nullam ſæcularem perſonam in ipſum dormitorium ſine vnius Præſidis permiſſione, & ex aliqua neceſſitate, quiſque introducere præſumat.* Hiſpanorum definitiones ingreſſum in cellas nõ prohibent

hibent ſub mortali: eſt tamen moris, quòd Abbas illum prohibeat in virtute obedientiæ; & quidem quicumque ingrederetur, peccaret mortaliter, ſi ſequeretur ſententiam, quæ aſſerit legem obſtringere grauiter etiam vbi ceſſat finis adæquatur: at qui teneret opinionem contrariam, vi finis adæquatus legis ceſsaret, poſset ſine peccato ingredi. Sed quando ceſſabit ille finis? deberet priùs ille bene cognoſci, quam de ceſsatione diſputari. Et quidem me cōſule finis præcipuus eſt bonum monaſterij regimen, & peccandi impedimentum: qui, ſi bene examinetur, ceſsare non poteſt. Videtur enim lege illa caueri non ſolum ne peccent religioſi, ſed ne habeant peccandi occaſionem, etſi velint.

Explicuimus res irregulares præceptas propter regulares: item præceptum regularium propter irregulares: Reſtat exponamus præceptum alicuius rei regularis propter regularem.

RESOLVTIO VII.

731 Quando Abbas moraliter præcipit aliqnid regulare propter aliud etiam regulare, quale eſt Petrum dormire veſtitum vt tempeſtiuè vadat ad horas matutinas, quorum vtrumque eſt in Regula: Dico, illum poſse dormire ſine veſtibus, ſi probabiliter crediderit ſe tempeſtiuè iturum ad Matutinas. Patet ex reſolutione præcedenti. Quod ſi credat ſe non poſſe ire tempeſtiuè ad Chorum, peccabit ſecundùm materiæ quantitatem. Si vadat poſt grauem Matutinorum partem, mortaliter: venialiter, ſi ante decantatam partem grauem. Sed grauis quanta? Mihi octaua, ni minor quindecim angelicis ſalutationibus ipſa ſit. Præterea, ſi dormiat veſtitus, & tamen tempeſtiuè non vadat, nec peccat mortaliter, nec venialiter: quia iam ſatisfecit præcepto, quo non obligabatur ire tempeſtiuè ad Chorum: licèt autem de facto non vadat, verè tamen poteſt, quod intendebat præceptum. *Vide n.722.* (Nota hic præceptum impoſitum vt quis bonum actum aut faciat aut facere poſſit: ergo & è conuerſo poteſt poni non ſolùm ne malus actus fiat, ſed etiam ne fieri poſſit: qua obſeruatione inſtructus meliùs intelliges num.730. b ſi relegas.)

DISPVTATIO LII.

Obſeruationes variæ, ex quibus pendet penitior huius voti expoſitio.

732 PRæmittam vnam aut alteram reſolutionem certiſſimam, mox aſſumendam ad probationem aliarum, quæ à multis non ſatis certæ exiſtimantur.

RESOLVTIO I.

733 *Suades alicui ſæculari ne obediat tuo Abbati: Licèt agas contra obedientiam erga tuum abbatem, non peccas contra votum;* quia non promiſiſti alios futuros ipſi obedientes ſed te futurum vt ante diximus.

RESOLVTIO II.

734 *Eodem modo obligatur ad obedientiam Monachus, quo frater Laicus:*

Patet:

Patet: quia in votis eſſentialibus conueniunt vniuocè: ſunt enim verè Religioſi Laici: & tenentur ſuis etiam Prælatis obedire. Nomine *Fratris Laici* intelligo conuerſum ſolenniter profeſſum, non verò profeſſum ſimpliciter.

RESOLVTIO III.

735 *Donatus habet votum ſimplex Obedientiæ:* Sed non tenetur, ſi peccauerit, in confeſſione aperire, vtrùm ſit Donatus, aut Conuerſus, aut Monachus; quia votum ſimplex, & ſolenne ſolùm differunt ſolennitate, non verò eſſentia. Ita multi apud Dianam de circumſt. aggrau. *reſolutione* 4. Vide inferiùs *nmu.999.*

RESOLVTIO IV.

736 *Perſuades alicui Confratri, ne obediat Abbati tibi & illi communi. Quæritur, an pecces contra obedientiam.* Reſpondeo te non peccare formaliter, ſed obiectiuè. Hoc eſt. Facis alium eſſe inobedientem, ac proinde in confeſſione non teneris manifeſtare te Religioſum eſſe, quia in hoc, eodem modo peccaſti, qui eandem inobedientiam Monacho eidem perſuaderet. Ratio eſt ſatis cōſpicua; quia non vouiſti Deo & Prælato Fratris obedientiam, ſed tuam, ideò licèt in hac perſuaſione pecces contra iuſtitiam, vtpote qui facis Fratrem tuum inobedientem eſſe, non tamen peccas formaliter contra votum Obedientiæ; nunquam enim promiſiſti te talia non perſuaſurum eſſe.

Dixi te peccare contra votum obiectiuè, & hanc circumſtantiam æquè in te & in ſæculari damnandam, & vt hoc bene intelligas, actum proponamus, & conſideremus. Antonius ſæcularis homo & propriæ ſalutis incurius perſuadet Romoaldo religioſo ne Prælato obediat. Dico Antonium non violare votum formaliter, ſed obiectiuè. Non formaliter; quia illa perſuaſio non opponitur directè voto, quæ opponeretur, ſi ille vouiſſet talis perſuaſionis abſtinentiam. At obiectiuè; quia obiectum illius perſuaſionis eſt voto interdictum. Adeoque Antonius non violat votum, ſed ſuadet alteri vt violet illud. Quid ſi Antonius eſſet religioſus? eſſet quidem eodem omninò modo iudicandus, quo ſæcularis. Quia tametſi teneatur voto obedientiæ, non tenetur huius virtute ab illa mala perſuaſione ceſſare, ſed Prælato obedire, quam ob rem ſcandaloſa illa perſuaſio erit mortaliter peccaminoſa, & ſacrilega obiectiuè, quia erit perſuaſio ſacrilegij. Vide num. 982.

RESOLVTIO V.

737 *Scio Abbatem cùm primùm occurrerit, præcepturum mihi eſſe aliquid in virtute ſanctæ Obedientiæ; fugio præſentiam eius, & quantum in me eſt, curo ne mihi occurrat. Quæritur, an peccem?* Reſpondeo. Nullatenus: quia aliud eſt fugere obligationes, & præcepa; aliud, illa frangere: hoc ſecundùm eſt interdictum, non primum: non enim teneor facere, vt mihi Abbas aliquid præcipiat, ſed ſolùm obedire cùm præceperit.

RESOLVTIO VI.

738 *Vt præceptum Obedientiæ ſit æquum, requiritur, quod imponatur à legitimo Abbate, & ſit de rebus contentis in Regula vel conducentibus ad contentas in Regula. In Rebus quæ expreſſæ ſunt in Regula, prout communiter explicatur, non eſt opus acceptetur à ſubditis; in rebus quæ ſunt in ſummo rigore Regulæ contra communem vſum, & in rebus quæ non ſunt regulares, ſed ad regulares reducuntur vt media ad finem indiget acceptatione.* Omnia ſingulatim expendam.

739 Soli legitimo Abbati deberi obedientiam, conſtat; quia teneor obedire ex vi profeſſionis, ſed non promiſi obedientiam Abbati intruſo, neq; anti-Abbati; ergo ſolùm Abbati Legitimo debeo ſubiacere. Priori debetur reuerentia & obedientia in foro exteriori, & Subpriori ſimiliter: & deficiente Abbate, ille quem Abbas Præſidem domus conſtituerit habet authoritatem delegatam ab Abbate, & iuriſdictionē ſecundùm Abbatis delegationem; qui Abbas & poterit ſuum Priorem, vel digniorem aliquem ſenem, Præſidem in ipſius abſentia nominare. Prior in Abbatis abſentia non remanet Pro-abbas, nec habet delegatam authoritatem gubernandi monachos qua tales, hoc eſt, regendi eos ex vi voti, & obligandi eos in virtute obedientiæ; quia hæc authoritas aut remanet apud neminem, aut apud illum, quem Abbas elegerit Pro-abbatem: qui ſi nullum elegerit, vt communiter in Belgio fit, nec Prior nec alius habebit talem authoritatem.

Si Abbas non creauerit Pro-abbatem Priore maiorem, Prior in abſentia Abbatis, licèt nulla illi noua authoritas concedatur, remanet Caput Monaſterij, atque illius familiæ Pater; poteſt imponere præcepta ad domus politicam gubernationem, quæ poneret Pater familias ſæcularis, & illa præcepta obligant ſub culpa graui, ni materiæ paruitas excuſet; ita tamen, vt qui talia præcepta non obſeruat in materia graui, non peccet mortaliter contra votum ſed contra quartum præceptum Decalogi, atque ideò non teneatur in confeſſione manifeſtare ſe eſſe Religioſum; peccat enim vt filius-familias ſæcularis.

740 Præterea materia circa quā verſatur Abbas, eſt Regula, circa quam verſatur Prior, Abbate abſente, eſt gubernatio domus politica, atque ita de vtroque diuerſimodè eſt philoſophandum. Quod Priorem, debemus ſupponere, quod Regula non ſit in rebus. Ideò dico, Priorem poſſe omnia illa præcipere, quæ conducunt ad vtilitatem, authoritatem pacemque Monaſterij: interdicere munerū largitionem. primo titulo: Officij ſolennitatem, modeſtiam, aſſiſtentiam in Choro, & communes obſeruantias ſecundo titulo; quia eſt contra Communitatis authoritatem, & ſplendorem, quod in ipſa aliqua permittatur relaxatio: eodem Monaſticæ authoritatis conſeruandæ titulo, poterit interdicere egreſſum ex monaſterio, colloquia cum aduenientibus mulieribus, imò cum peregrinis viris: quis enim aſſeret, non ædificari ſæculares, cum ad noſtra Monaſteria veniunt allocuturi aliquē, & vident quod hæc colloquia non permittantur, eo tēpore quo Religioſus debet aſſiſtere communitati, aut choro? cùm vident omnem præcluſum aditum, ſine licentia? non poſſe vnum ad alterius ire cubiculum, ſine expreſſo conſenſu ſuperioris? Ideò hoc titulo omnia hæc iniūgere poterit Prior, ſed vt Pater-familias. Poterit etiam eodem iure interdicere, quæ contra hęc aut ſimilia militant. Tertius titulus aſſignatus erat pax cuius vtilitatem nemo nouit, qui non fuerit expertus controuerſias, rixas, ſcandala, murmurationes. Vnde concludo. Priores poſſe præcipere ſub præcepto ad Decalogi quartum pertinente, omnia illa quæ ordinantur ad vtilitatem, authoritatem, & pacem communitatis. Deficiente Priore ſuccedit Subprior in regimine & in eadem Patris-familias authoritate.

741 Dixi, in præcipiendis rebus, quę expreſſè cōtinentur in Regula prout communiter recepta, non eſſe neceſſariam acceptationem præcepti: Ratio eſt; quia quando abſolutè promiſi obedientiam ſecundùm Regulam, iam tūc acceptaui illa omnia quæ ipſa continentur; & Lex ſemel acceptata ſemper obligat, nec indiget ſecunda acceptatione: maximè, quia præcepta Prælati non ponunt

ſunt legem nouam, ſed notificant iam acceptatam.

742 Vnde addo, quod ſi Prælatus præcipiat aliquid ſecundùm Regulam quà vſu receptam, & illud præceptum nolint ſubditi recipere, illos peccare, & præceptum tenere; quoniam illud iam eſt in profeſſione acceptatum, & non requiritur noua receptio, ſed obedientiæ promptitudo.

743 Dixi *ſecundum Regulam quà vſu receptam* vt diſtinguerem inter vſum, & abuſum, illa enim omnia, quæ per relaxationem ſunt introducta, debent reformari, cùm ſint deformationes Ordinis; illa quæ ſunt introducta legitimè, puta Pōtificis authoritate, debent conſeruari. Ideò quando Prælatus præciperet aliquam obſeruantiam regularem quę aliquo priuilegio, aut legitima conſuetudine eſſet alterata, expectandus eſſet conſenſus maioris partis communitatis; quia, ſi communitas nolit cedere Priuilegio, aut vſui legitimo, nihil poterit Abbas diſponere. Pono exemplum. In Regula interdicuntur carnes, ſed noſtri Ciſtercienſes ex Priuilegio Pontificis, vſu legitimo per longos annos confirmato, poſſunt ter in hebdomada illis veſci: aliquis Abbas fert legem in ſuo monaſterio de carnibus non comedendis; dico hanc legem nullo modo obligare ante acceptationem.

744 Sed hic occurrit difficultas. Vtrùm lex illa obliget, ſi maior pars communitatis illam acceptauerit. Reſpondeo, tunc obligari totam communitatem, & tam acceptantes, quàm non acceptantes poſſe cogi in communi ad obſeruationem legis taliter acceptatæ. Addo, ſi aliquis ex non acceptantibus frangeret hanc legem in particulari, ſecluſo ſcandalo, non peccaret: Ratio: quia ille acceptauit legem in communi, non in particulari; ad hoc enim ſufficit quod eam recipiant plures; ad illud, opus eſt, vt ab ipſomet indiuiduo recipiatur. Accedit, quòd regulares vniuerſæ obſeruantiæ pœnaliter obligent, quamobrem poterunt ſecretè ſine ſcrupulo culpę aut pœnæ violari.

Suppono in huius num. 744. reſolutione corpus myſticum vnius communitatis non habere niſi vnam volūtatem moralem, prædeterminandam tamen phyſicè à plurium vocibus. Non enim requiritur ex natura rei, vt prædeterminatio duas tertias partes communitatis ſequatur, ni lege aut concordia valida ſtatutum id ſit, nam ſtando communitatis, ſeu myſtici hominis naturæ & ingenio, eſt illa pars, quæ maior.

744. b *Petis*, An in omni materia debeant pauciores ſtare plurium decreto? *Reſpondeo* videndus eſſe leges, & vitæ communis fundamentales contractus, quibus ſi aliquid ſpeciale decernatur, tenendum eſt. At ſi in ipſis nihil ſpeciale decretum, aſsero ſingulos religioſos vitam communem profeſsos debere conſentire, & approbare omnia & ſingula, quæ in capitulo legitimè congregata communitas è plurimū vocibus ſtatuat; modò materia ſit quæ vitam communem concernat, non tamen qualemcumque vitam communem, ſed illam, quę inſtituta ſecundum Regulam, iuxta quam ſinguli profeſſi ſunt.

745 Quando Prælatus præcipit ea quæ ſunt in Regula in ordine ad regularia, ſiue expreſſo, ſiue ſuppreſſo fine, præceptum requirit tacitam aut expreſſam Communitatis receptionem; nam non debent fieri per media difficilima, quæ poſſent fieri per ſuauia, & Prælati non acceperunt authoritatem ad grauamen ſubditorum, ſed ad regimen. Hi, ſi iugum non reſpuant, ſed mediorum ſummam difficultatem, non veniunt condemnandi. Ita authores omnes, qui dicunt leges non receptas non obligare.

746 Nec valet dicere Abbas, ſubditum iam illam legem in profeſſione acceptaſſe: quia acceptauit Regulam directè, & indirectè illa omnia quæ neceſ-

ſario

ſariò conducunt ad obſeruantiam Regulæ: ſi eſset medium vnicum, non deberet nec poſſet Monachus clamare. At ſemper ſuppetunt plurima, nec vllus in profeſſione admiſit media ſummè grauia, ſed neceſſaria ſolùm: quæ autem ſummè moleſta ſunt, non ſunt neceſſaria, dum adſunt ſuauiora. Quod ſi ſemel acceptatum fuerit tale præceptum obligabit vt alij.

747 Vt ſcias quàm modeſtè debeas procedere cùm Leges rerum irregularium non admittis, proderit relegere Caput 68. Regulæ, vbi Legiſlator permittit Monacho priuato, vt legem priuatam (nempe ipſi impoſitam, & non Communitati) ſi illam impoſſibilem, hoc eſt, nimis difficilem iudicet, non acceptet: hæc autem, ſi acceptata non fuerit, non obligat. Addit tamen, illum debere obedire, ſi Prælatus, non obſtante ipſius excuſatione, iterum iuſſerit. Ergo priuata lex, quæ indiget acceptatione, ſemel lata, ſi non obſtante non-admiſſione iterum feratur à Prçlato, obligat in conſcientia.

748 Dubitas, vtrùm hæc doctrina debeat extendi etiam ad communẽ leges, nempe ad illa præcepta quæ imponuntur toti Communitati. Reſpondeo negatiuè; quia caput illud Regulæ non agit de Communitate, ſed de priuato Monacho, & cùm obligatio materia odioſa ſit: non debet ex preſſa Legiſlatoris verba ampliari. Igitur præceptum de re quæ non eſt in Regula, nec eſt medium vnicum ad aliquid contentum in Regula, impoſitum toti Communitati, & non admiſſum, in conſcientia non obligat, licèt pluries feratur. Illud prçceptum iudicatur à Communitate non admitti, quod dum ponitur, expreſſè, & modeſtè à pluribus Religioſis reijcitur ob moralem impoſſibilitatem: quod ſi lex feratur, & nullus aut ſaltem pauciores contradicant, cenſenda eſt admiſſa, & ipſos etiam non admittentes obligat. Quod ſi à lata Lege communi circa materiam irregularem non neceſſariam, de qua ſemper agimus, plures ſe excuſent, dicendum eſt Legem illam non admitti, ac propterea nec illos paucos obligare, qui illam volebant admittere.

Ratio eſt clariſſima, deſumpta ex natura ipſius Communitatis. Acta Communitatis ſunt publica, à nemine in ſingulari fiunt, ſed ab omnibus ex plurium conſilio. Conueniunt in vnum ſinguli, vt ſciant quid omnes ſimul debeant facere, compromittuntque in pluriũ opinione; quod plures decernunt, omnes faciunt, etiam illi, qui fuerant oppoſitæ ſententiæ. Lex publica à paucioribus admiſſa, publicè & in communi admiſſa non eſt, nec obligat Communitati, imò nec illos paucos qui eam volebant admitti, ipſi enim ex vi compromiſſionis debent ſtare plurium reſolutioni.

Cùm Lex publica à Cõmunitate non admittitur, adhuc reſtat via, quâ poſſit eam tueri Legiſlator: eandem legem ſingularis priuatim imponat, iterum iubeat ſe excuſanti, & ſic obliget in particulari, & ſeorſim ſingulos, qui non poterat omnes in communi.

Hinc prudenter procedunt Monachi, qui modeſtè ſe excuſant, cum Lex publica fertur, quæ moraliter apparet impoſſibilis. Procedunt imprudenter, qui Prælato, huiuſmodi excuſationem non admittenti, iterumque eandem Legem ferenti nolunt acquieſcere. Quoniam, vt vidimus, Prçlatus qui non poteſt in vnam Communitatem obligare, poteſt obſtringere ſingulos etiam inuitos, iuxta Cap. 68. Regulę. Ergo imprudenter Legem reijciunt in communi, quam tenentur ſeorſim admittere, quando fertur in particulari, nempe cùm identidem Prælatus præcipit Caput 68. Regulæ ſeruari.

Cùm Lex ſingulis ſeorſim ponitur, ſingulos ſeorſim obligat, non omnes in communi: vnde, non obſtantibus omni-

omnibus illis legibus priuatis, (ſunt enim tot præcepta, quot Monachi) omnes per modum Communitatis legitimè congregati poſſunt contrarium facere. Dabo exemplum, vt hæc doctrina euadat clarior & vtilior. Præcipit Prælatus ſeorſim ſingulis Religioſis in virtute obedientiæ ne viſitent occurrentes hoſpites ſine expreſſa licentia, & hoc nō præcipitur Communitati, ſi adueniat aliquis hoſpes, quem Communitas ſua viſitatione dignum iudicet, poterit ipſum, data occaſione, legitimè congregata (puta cùm egreditur ruſticatum modeſtæ recreationis gratia) viſitare, aut, ſi malit, ex Capitulo vnum deputare, qui eum viſitet nomine totius Communitatis, & ille poterit ire ad hoſpitem, non obſtante præcepto ſui Prælati: ratio eſt clariſſima; qui cùm Prælatus interdicit illi vt adeas hoſpites, reſpicit illum vt perſonam priuatam, & iubet ne proprio nomine hoſpites viſitet. At dicere, quòd Prælatus permittat communitati vt vnum illuſtrē hoſpitem per ſe aut interpoſito internuntio viſitet, & quòd præcipiat ſingulis ne communitatis nomine hoſpitem adeant, eſt contradictorios terminos inuoluere. Ergo idem eſt præcipere Petro, ne talem rem faciat nomine communitatis: ac pręcipere communitati, ne talem rem faciat per Petrum, ergo ſi grauari ſe videat nouis legibus, poterit reclamare communitas, ſed ſi modeſta voluerit Prælato condeſcendere, legem illam acceptat, & tenebitur acceptationi ſtare.

Communitas legitimè debet eſſe congregata vt aliquid validè faciat; non .n. ſufficeret quodcumque conciliabulum: nam Monachi qui congregantur illegitimè, non conſtituunt commune corpus, ſed remanent plures ſingulares. Suppoſui, & ſuppono hanc actionem non eſſe interdictam toti Communitati: nam ſi communitati interdicta illa eſt, ceſſat queſtio.

749 *Si aliquid contra Regulam præcipiat Abbas, licèt hoc præceptum acceptetur, non obligat.* Quia nec id ille potuit præcipere, nec inferiores acceptare. Dabo melliflui Doctoris verba clariſſima: *Eſto proinde*, ait c.7. de præc. *Regulæ litera cedat pro tempore charitati, cum ratio neceſſitatis vel charitatis exegerit: abſit tamen, vt hominis cuiuſpiam ſubdatur voluntati. Super Fratrum ſanè tranſgreſſiones, non ſuper Patrum traditiones conſtituitur, qui Abbas eligitur: mandatorum cultor, & vltor vitiorum. Arbitror namque ſanctas illas obſeruantias Prælatorum prudentię & fidei creditas, non tamen voluntati. Hinc eſt, quod idem Legislator in ijs quæ Abbati diſpenſanda reliquit, cautè nunquam (vt nemini) voluntatem, ſed aut conſiderationem, aut diſpenſationem, aut prouidentiam, aut certè arbitrium, ſeu aliquid huiuſmodi ponit: volens nimirum prouidum fidumque diſpenſatorem, rationis, vbi fortè diſpenſat, ſequi iudicium, non ſuæ placitum voluntatis. Vnde intimat ei non ſemel, quod de omnibus iudicijs ſuis Deo redditurus ſit rationem. Lego profectò in Regula: Hæc conſideratio penes Abbatem ſit: & hoc vel illud eſſe in prouidentia vel arbitrio ſeu diſpoſitione Abbatis. Vt autem pro ſua voluntate aliquid mutet, me ibi legiße non recolo, quinimò in omnibus, inquit, omnes magiſtram ſequantur Regulam, nec ab ea temerè deuietur à quoquam. Ergo nec ab ipſo Abbate. Omnes inquit, magiſtram ſequantur Regulam: nemo ergo ſuam voluntatem. Vbi ſanè nec Abbatem excipi puto.* Accinit & Bernardo, & meæ Reſolutioni Gregorius (2. quæſt. 7. admonendi) qui ait: *Admonendi ſunt ſubditi, ne plus quàm expedit ſint ſubiecti, ne cum ſtudent plus quàm neceſſum eſt, hominibus ſubijci, compellantur vitia, eorum venerari.*

RESOLVTIO VIII.

750 *Si Communitati quidpiam Abbas præcipiat contra Regulam, ſed vſu receptum (vt comedere carnes die Dominica) licèt illud præceptum recipiatur, ex multis capitibus non obligat*: primò, quia præceptum in contradictorijs quādo alterutrum interdicit, & alterutrum præcipit, vt obliget, debet eſſe de meliori bono atqui meliùs eſt ieiunare, quàm non ieiunare, meliùs eſt obedire Regulę, quàm vti priuilegio: ergo illud præceptum non eſſet de meliori bono Prætereà, inuito nūllus fit fautor. Poterit autem Communitas renūtiare priuilegio, & ſi in caſu præſenti renuntiet; non poterit comedere die Dominica carnes, ac proinde, ſi illud ei præcipiatur, iniuſtè præcipietur, & contra Regulam. Sed hanc reſolutionem intellige de Communitate; quia de ſingulis aliter philoſophandum eſt. Vide *num.698*. Hinc collige communitatem quæ velit reformari & carnium abſtinentiam reſtituere non poſſe ab Abbate impediri, ni dentur cauſæ graues; quas eſſe poſſibiles non apparet.

751 Poteſt ſubditus renuntiare Priuilegio comedendi carnes, in particulari: non poteſt renuntiare Priuilegio veſcendi carnibus in communi, iuxta ea quæ diximus *n.698*. hoc enim non conceditur ipſi, ſed Communitati. Poteſt obligari vt veniat ad menſam communem, & vt in ea communibus vtatur cibis, daret enim alijs ſcandalum, qui prę reliquis vellet iuſtus eſse, & ſibi occaſionem vanæ gloriæ: peccaret igitur tam ſubditus, qui ſic eſset ſingularis quàm Prælatus qui hoc permitteret. Peccaret ſanè venialiter aut mortaliter, iuxta quantitatem ſcandali, ſeu vanæ gloriæ, maiorem, vel minorem.

751 *b* Sed ſtatim occurrit dubium, & ſanè difficile, quo ambigitur, quid ſit cedere priuilegio comedendi carnes in particulari? Hæc enim ceſſio videretur impoſſibilis. Priuilegium enim communitati conceſſum eſt, non priuato: hic enim ideò illum participat, quia communitatis eſt membrum: ergo eſse membrum communitatis eſt tota participandi ratio. Ergo ſicut non poteſt intelligi, quod aliquis careat virtute diſgregatiua viſus, & tamen habeat albedinem, ſic non poterit illum eſse membrum priuilegiatæ communitatis, & tamen priuilegio carere.

Reſpondeo nullum poſse Religioſum priuare ſe priuilegio comedendi carnes diebus ab eccleſia permiſſis, poſſet tamen ſe ipſa comeſtione priuare: & hoc erit ſe virtualiter priuare priuilegio, nam & illud habebit, & ita ſe habebit ac ſi careret illo. Cæterùm poſſet ſpeciali ſe voto abſtringere, non quidem ad abſtinentiam publicam ſingularitatis & ſcandali malitia infectam, moleſtam reliquis religioſis, quam imprudenter toleraret ſuperior, ſed ad abſtinentiam ſecretam quæ neminem offendere poſset.

752 Vnde, ſi ſubditus eſset Grangiarius, & habitaret extra Monaſterium, aut in ipſo, & ratione officij deberet comedere ſolus, ac cibi præpararentur ſine aliorum ſcandalo, non diceretur ſingularis, & hoc titulo poſset ab Abbate tolerari: ſed & poſset eum alijs titulis obligare ad comeſtionē carnis, puta ratione infirmitatis. Hæc ratio etiam eſt ſufficiens reſpectu Communitatis. Poſset in die Paraſceues toti Communitati præcipere eſum carnium, ſi iudicio prudentis Medici hoc iudicaretur neceſsarium: quia Regula expreſsè permittit eſum carnium infirmis & omninò debilibus. In tali caſu obligaret præceptum, nec indigeret aliqua noua acceptatione: ægros enim veſci carnibus ſecundum Regulam Benedictinam eſt.

RE-

RESOLVTIO IX.

753 *Abbas præter Authoritatem Abbatialem Eccleſiaſticam, habet authoritatem Patris-familias, & ſecundum hanc poterit præcipere ſub præcepto formali illa omnia; quæ diximus Priorem poſſe in Abbatis abſentia.* Sed notandum eſt, hanc authoritatem non à voti naſci, ſed à gubernatione domus ac perinde extēdi etiam ad Nouitios: qui, quamdiu tales ſunt, verè ſunt filij-familias in tali Monaſterio, & vt tales aluntur; vnde, quando aliquid præcipitur in virtute ſanctæ Obedientiæ, non obligat Nouitios: quando aliquid in communitate præcipitur virtute Patriæ Authoritatis, obligat vniuerſos, tam profeſſos quàm nouitios, & omnes eodem modo, hoc eſt, ſub obligatione ad quartū Decalogi præceptum pertinente. Differt præceptum Obedientiæ, à præcepto Patriæ Authoritatis; primo, in hoc, quod illius transgreſſio ſit contra votum Obedientiæ, huius non: ſecundò in hoc, quod illud à ſolo Abbate poſſit imponi ſubditis, hoc veró ab Abbate, & in abſentia ipſius, ab illo qui Monaſterium gubernat: tertiò in materia, quia Obedientia reſpicit totam Regulam, & ea quæ conducunt ad illam: Patria authoritas reſpicit politicā gubernationē domus, vt diximus *n.*740.

RESOLVTIO II.

754 *Quæritur, an Abbas teneatur ſeruare ſua præcepta.* Nona illud *ſua*, & explico, & reſpondeo, horum alia eſſe communia, alia particularia. Communia ſunt ea, quæ ponuntur pluribus ſub ratione aliqua communi etiam ipſi Abbati: particularia, quæ ponuntur vni aut alteri, vel pluribus ſub ratione non communi ipſi Abbati, vt quando præceptum imponitur Conuerſis: quæ ratio non conuenit Abbati, quia Abbas non eſt Conuerſus.

754 *b* Dico primo: Præceptum poſitum Petro, Paulo, Nouitijs, Conuerſis & Iunioribus, non obligat Abbatem: quia Abbas non eſt talis Petrus, nec Paulus, nec Nouitius, nec Iunior, nec Conuerſus.

754 Dico ſecundò Præceptum impoſitum Sacerdotibus, Profeſſis, Senioribus, Præſidibus, ſi tale ſit, & taliter latum vt ferri à tota communitate credatur, iuxta ea quę ſtatim ſubijciemus, obligare etiam Abbatem: Ratio eſt, quia & ipſe eſt Sacerdos, Monachus, Profeſſus, & ratione officij eſt Senior; & Præſes Monaſterij.

754 *d* Addo tertiò: Prælatum, qui ſine cauſa tale præceptum non obſeruat, peccat mortaliter, ſi fuerit materia magna: ita Granadus *p.2.contr.7.tract.3. p.2. diſp.17. ſect.3. n.24.* Suarez *de legibus lib.3.cap.35.n.8. & 20.* Sayrus *in claui regia lib.2. cap. 9. n.2.* Maldetus *part.2.quæſt. 96.tract.5.* & alij.

754 *e* Noto quartò: Abbatem poſſe ſecum diſpenſare, quādo poteſt cum alijs. Ita Filliucius *tom.2.tract.21.cap. vlt.num.426.* Azorius *p.1.lib.3. c.11. quæſt.1.* Salas *de legib. diſp.14. ſect.2. n.19. & 20. & diſp.20. ſect.12. n. 140.* Leſſius *lib.2.cap.35. dub. 5.n.34.*

754 *f* Sed antequàm vlteriùs progrediamur, nonnihil hic adhuc immorandum.

Puto enim illam Propoſitionem, *legiſlator tenetur ſuis legibus*, nec concedi, nec negari; ſed debere diſtingui, nam aliquando eſt vera, & aliquando falſa. Legifer enim ille, qui leges poteſt ferre independentes ab omni acceptatione, non obligatur ſuis legibus, quarum ipſe eſt dominus, illæ enim ſuæ dignitati & authoritati ancillantur: Illum autem nonnulli ratione vniformitatis obſtringunt, leuiter tamen, non .n. exiſtimant dari poſſe grauem in vniformitate materiam. At hæc ipſa leuis obligatio, non videtur bene poſſe probari; quia primarius finis legum in tali caſu

non eſt bonum publicum, ſed ſuprema Legislatoris libertas, qui fert leges hominibus, quos occidere poteſt aut potuit, & tunc vniformitas ipſa noceret: non enim vlla debet eſſe inter ſeruum & dominum. De Legiſero autem à communitate depēdente ſic debebimus philoſophari. Dicemus aliud eſſe legem proponere, aliud lege obſtringere; ſuperiorem neminem obſtringere lege, ſed omnibus & ſingulis à ſe inuentam & conceptam proponere: quam poſteà totum corpus (caput & membra, ſuperior & ſubditi) per modum vnius hominis myſtici ſingulis tam capiti quàm membris indicant. Tunc ſuperior lege abſtringitur: ſua quidem materialiter, at formaliter lege communitatis; quæ ſicut non potuit ſine communitate ferri, non poterit ſine communitate abrogari. At quia communitas ius diſpenſandi Capiti cenſetur indulſiſſe, ideò Prælatus poterit erga ſe diſpenſare ex cauſa, quando erga alium poſſet. Ex cauſa dixi; quia diſpenſare ſine cauſa ille poteſt, qui legem abrogare.

754 *g* Nota hanc doctrinam veriſſimam & ſubtiliſſimam; & ſcias obiter, pauca eſſe in communitatibus Religioſis præcepta à toto corpore lata adeoque ſuis (nempe illis quæ ſua ſint formaliter) non teneri Prælatos.

754 *h* Nota ſecundo lege à tota communitate lata ſingulos etiam voto teneri; quia, quæ ab omnibus, etiam à Prælato fertur, cui ſinguli profeſſionis iure obſtringuntur: at Prælatum, in tali caſu teneri graui lege, non voto, non enim obedientiam ipſe communitati, aut confratribus vnquam promiſit.

RESOLVTIO XI.

755 *Non tenentur Regulares ex obedientia ſeruare leges Synodales Epiſcoporum*. Hoc verum eſt, etiam adſit ſcandalum, quod ſi adſit & ipſi nihilominus eas non obſeruēt peccabunt contra quintum Decalogi præceptum ratione ſcandali, non verò contra Obedientiam: ita noſter Lorca cui adiungit plures alios Authores, Diana *tract. de legibus reſol.* 11. Sed, & hanc ſententiam ſecutus eſt Suarez, & Pontius de Leon, quem habuimus Salmanticæ, & Cathedraticum primarium, & ſuæ ætatis miraculum, Granadus, Zalas, Zanardus, Portel, noſter Llamas, quorum loca inuenies apud citatū Dianam. Dantur caſus expreſsi in iure, in quibus Religioſi tenentur obedire Epiſcopis, eos inuenies apud Malderum, *in par. 2. q. 9. art.* 5. apud Genedum *in q. canon. q.* 26. Barboſam *de poteſt. Epiſc. par.* 5. *alleg.* 105. Sed in ijs caſibus tenentur obedire Epiſcopis ratione Sacerdotij, aut alterius ordinis, aut vt plurimùm ratione Chriſtianitatis, ac proinde in obſeruantes non peccant contra ſolenne votum obedientiæ. Vide interim, quę dicturus ſum num. 1613. XI.

RESOLVTIO XII.

756 Acturi de Legibus Ciuilibus, quæ non militant contra exemptionem, audiamus Mag. Lorcam, qui part. 2. to. 2. tract. de leg. diſp. 25. memb. 4. ait: *Eſt dubium, vtrum Clerici obligentur legibus ciuilibus ſola æquitate naturali, ratione cōformitatis cum alijs hominibus, an ipſa vi & efficaciter legum. Mihi apparet probabiliùs obligari ſecundo modo, quoniam, licèt ad aliqua exempti ſunt, quoad leges non videntur exempti, quare non ſolùm virtuti directiuè, vt aliqui opinantur, ſed virtuti etiam coactiuæ ſubſunt, quamuis, hæc coactio, punitio, & executio legum fieri non debeat per Principes ſæculares, ſed per Principes Eccleſiaſticos, per eos autem compelli debent ad legum ciuilium obſeruationem.*

RESOLVTIO XIII.

757 Præcepta merè pęnalia obligant in cōſcientia? Supplicijs extraordinarijs

vbique

vbique perditur honos: ideo qui ſe exponit euidenti piriculo perdendi honorem ſubſtantialem grauem, aut vitam, peccabit: non tamen ſi ſecretò id faciat, ita vt non ſit euidens pœnæ luendæ periculum: quia eo ipſo quòd lex ponat pœnam, obligat in foro exteriori: & ſi pœna non ſit ſubſtantialis, & magni dedecoris, aut pecuniæ ſummæ, aut capitis, poterit ſe quis periculo luendi illam exponere ſine peccato graui. Vide ea quæ de lege pœnali diximus *lib.* 1. à *num.* 36.

758 In noſtro autem Ordine, qui ſe expoſuerit euidenti periculo habēdi leuem pœnitentiam, puta comedendi panem & aquam, vel in pauimento, vel proſtrationis, vel flagellorum, aut rei alterius ſimilis, non peccabit venialiter: quia iſtæ pœnitentiæ nec leuem infamiam pariunt, cùm ſępè imponantur ſine culpa, ſolummodo modeſtiæ & obſeruantiæ gratia. Quod ſi aliquis ſe exponat euidenti periculo maioris pœnitentiæ, vt commedendi per tres dies panem & aquam, aut alterius minùs communis pœnæ, peccabit venialiter; quia non poſſumus negare, quin aliqua inde ſequatur ignominia, ac dedecus mediocre: niſi velimus dicere perditunc honorem ſolùm accidentalem, ſubſtantialem non lędi. Quòd ſi ſe expoſuerit pœnæ graui, (puta carceri, aut alijs pœnitentijs, quæ pro grauioribus culpis ſolent imponi, ſi ipſæ vt ferè contingit, honorem ſubſtantialem proſcribant peccabit mortaliter. Cæterùm, ſi alicui actioni impoſita fuerit pœna grauis, & nihilominus probabiliter iudices futurum eſſe, vt non luas talem pęnam, (puta, ſi ſecretò feceris, ſi ſcias eſſe pœnam commiratoriam, & nullatenus executioni mandandam, vel Abbas ſit tibi particulariter addictus, vel alio quouis modo) & rem cui annexa eſt talis pœna committas, non peccabis venialiter: nam aſſerendi peccati ratio ceſſat.

RESOLVTIO XIV.

759 *Abbas in ſuis legibus poteſt diſpenſare ſine cauſa.* Ita noſter Lorca *p.* 2. *to. diſp.* 27. Pontius *de Matrim. l.* 8. *c.* 14. *nu.* 7. Eos ſequuntur innumeri. Proderit reuocare in memoriam omnia & ſingula, quæ 754. ſ. ſunt dicta non enim præcepta *ſua* ſunt, quæ acceptatione indigent: nam hæc ipſa à Prælato, & tota communitate per modum vnius cenſentur lata. Vocantur igitur *ſua*, omnia illa, quæ independenter ab acceptatione in communitate ferũtur.

Communitas igitur hoc eſt Abbas, & Religioſi ſimul ſumpti in ſua, & Abbas etiã analogia ſeruata ſine cauſa diſpenſans in ſua lege non peccat venialiter, ſecluſo ſcandalo: quòd ſi ſcandalum adfuerit, peccabit mortaliter, aut venialiter ſecundùm ſcandali magnitudinem. Patet: quia nullo iure tenetur ſuas leges conſeruare, & ſi teneretur, cùm hoc ſit materia grauis, non peccaret venialiter, ſed mortaliter. *Addo*, pręcepta in communitate rarò eſse neceſsaria. Inuigilet Abbas, Prior, & Seniores Decani: qui peccauerit, luat, patiatur homo exterior, non imponantur laquei homini interiori. Illi Abbates ſępe pręcepta fulminant, qui indulgere genio deſiderant, & committere vni Deo regimen Monaſterij; ſi enim inuigilarent ſuper grege, non indigerent talibus medijs; cùm experientia doceat, ſufficere pœnas corporeas. *Quod ſi credas* Abbatem non poſse in ſua lege diſpenſare ſine cauſa legitima, ſubſcribam tibi vrbanè, vt te faciliùs ad opinionẽ meam reducam. An non ſemper erit ſufficiens diſpenſationis cauſa, tranquillitas, ſecuritaſque communitatis? An non debet prouidere Antiſtes, ne periculosè fiant per plura, quæ ſuauiùs poſsent per pauciora? Tollat igitur leges morales, merè-pœnales ferat; iſtæ enim ſuauiùs & vtilius conducunt ad obſeruantiam vitæ monaſticæ.

RESOLVTIO XV.

760 *Ceſſante cauſa diſpenſationis, non ceſſat diſpenſatio: niſi fortè data fuerit pro tempore durationis ipſius cauſæ*. Ita omnes communiter. Ratio eſt acris. Quia poſita diſpenſatione, ſum liber à lege non ad tempus & conditionatè, ſed ſimpliciter & abſolutè: nam ſi diſpenſatio datur pro tempore, quo illa cauſa durauerit, non eſt quæſtio. Petrus autem qui ſemel eſt liber à lege abſolutè, & ſimpliciter, indiget nouo præcepto, vt legi ſubiaceat; atqui ceſſatio cauſę non eſt nouum præceptum, vt de ſe patet: ergo ceſſante cauſa perennat adhuc diſpenſatio. Ideò Legiſlator cum diſpenſat, hac frequenter vtitur cautela. *Diſpenſo, ſi cauſa eſt vera, pro tempore quo durauerit ipſamet cauſa*; Quia aliàs, ſi ipſi Prælati diſpenſatione in fauorem proprium non limitant, quorſum contra ſemetipſos ſubditi deberent illã limitare? [Diſpenſatio alia expreſſa alia implicita; illa verbis claris expreſſa, hæc ex claris dictis aut quæ dicerentur illata.] Vide num. 958. Poſſunt dari verba, quæ ſonent diſpenſationem, & tamen ipſam non concedi. Vide num. 963. *b*.

DVBIVM I. INCIDENS.

760 *b* Quæris, An tumultuaria & & præcipitantia aliquorum Abbatum mandata, qui animosè & calidè (ne tyrannicè, & callidè dicam) ſubditos ſuos gubernant, ſi in virtute ſanctę obedientiæ ferantur & materia ſit grauis, obligent ſub peccato mortali?

Materia eſt odio expoſita, & obnoxia periculis, in qua veritatis vſus ſit bonus, & intolerabilis abuſus. Conſidera Reſolutiones ſubſequentes.

Prima. *Tota præcipiendi regularis authoritas adreſcit Abbatibus ex libera profeſſione ſubditorũ*. Patet; quia Abbates non condiderunt homines, in quos exercerent tyrannidem: ſed ſunt creati ab hominibus, qui voluerunt ſanctè, & prudenter regi.

Secunda. *S. Abbas incidat in amentiam vel phræneſin, non poterit ſubditos obſtringere lege morali*. Puto hanc fore omnium ſcriptorum ſententiam, infero. *Ergo ſi quid impetu per ſe primò imperet, non obligabit*. Oſtendo, quia actus per ſe primi non ſunt liberi nec obligatorij. Confirmo. Quia maior eſt poteſtas, qua quis ſe poteſt obſtringere iuramento illa qua ſubditum poteſt præcepto, at homo qui aliàs iuraret validè, iuramento actu per ſe primo elicito non obſtringitur: ergo homo, qui aliàs validè præciperet, nõ obſtringitur præcepto elicito actu per ſe primo, & indeliberato. Cognouerunt altè & ſapienter hanc veritatem Patres Congregationis Ciſtercienſis Germanicæ, anno enim 1626. celebrantes comitia Generalia Cæſareæ; legem enim hanc prudentiſſimam in ſtatutis ſuis poſuerunt. *Porrò Prælati non faciant præcepta obligantia ad mortale ex ira aut paſſione, maximè contra ſubditos turbatos, & ſi fecerint, irrita ſint, & inania, facta tamen maneant quoad quaſcumque pœnas temporales. Nec faciant etiam quieto animo præcepta concernẽtia totam Communitatem niſi in ſcriptis extra neceſſitatis articulum, facta tamen valeant quoad pœnas temporales. Præcepta autem in ſcripto facta, cenſentur facta ſine ira & omni paſſione*.

DVBIVM II. INCIDENS.

760 *c*. Quæris etiam. An Congregationum ſtatuta obligent ſub mortali?

Reſpondeo me legiſſe multa, in quibus expreſsè ponitur non eſſe intentionem Congregationis obligare cõſcientias. Id expreſsè habemus in Præmonſtratenſium ſtatutis, id in definitionibus Ciſtercienſium apud Hiſpanos.

In

In *Specioſæ-vallenſi* monaſterio anno 1642. à Ciſtertienſium Prouinciali capitulo deciſum & definitum fuit, *ſtatuta per ſe & communiter citra contemptum non obligare ſub culpa ſed ſub pœna*. Ergo exiſtimo hanc Regulam generalem poſſe ſtatui, nimirum, *quod illa moraliter non obligent, niſi ſpecialiter in illis caſibus, in quib. à Legislatorib. moraliter obligantia exponātur*.

DISPVTATIO LIII.

De Abbatibus Abbatum Patribus?

761 ABbates Abbatum Patres in ordine Ciſtertienſi vocantur illi, qui habent filiationes: talis eſt Ciſtertienſis erga Claræ-Vallenſem, Pontigniacenſem, &c. Claræ-vallenſis erga Dunenſem, Cambronenſem, &c. De his reſtat aliquid ſub breuitate dicendum.

RESOLVTIO I.

762 *Abbas-Pater Monachis filiationis nihil poteſt iniungere, etiam de licentia ordinarij Abbatis.* Patet, quia non eſt Abbas ordinarius, neque immediatus, ſed ſolùm mediatus in gradu appellationis. Ex promiſſione Abbatis ordinarij nulla alteri datur authoritas, nulla iuriſdictio; nam ſicut ſæcularis, etiam permittente Abbate, non poteſt quidquam præcipere in Monaſterio, ita nec Abbas domus Matris; quia reſpectu domus Filiæ in omnibus primis inſtantijs eſt extraneus: ita diſponunt noſtra priuilegia, & ratio manifeſta confirmat. Si enim Abbas Ciſtertienſis, aliquid poſſet Dunenſibus Monachis iniungere, maximè quia eſt Abbas illorum; atqui eſt Abbas remotus mediante Claræ-vallenſi, & Dunenſi, ergo remotè tantùm poterit præcipere hoc eſt, mediante vtroque Abbate. Sed de hoc plura, cùm de poteſtate Domini Ciſtertienſis.

763 Addo, ſi Abbas Dunenſis Claræ-vallenſi, verbi gratia, non ſolùm det licentiam aliquid immediatè iubendi, ſed etiam ſuam deleget authoritatem, poterit tunc Claræ-vallenſis in virtute delegationis ea omnia diſponere, quæ diſponeret quicumque Monachus peregrinus, qui eandem delegationem obtineret.

RESOLVTIO II.

764 *In præceptis Abbatis inferioris, non poteſt diſpenſare Abbas Superior ſine cauſa.* Patet; quia quoad hæc Abbas ſuperior ſolùm habet authoritatem in genere Appellationis, aut Viſitationis; & vtrumque eſt genus iuſtitię, neutrum gratiæ: iuſtitia autem non datur ſine iuſta cauſa.

RESOLVTIO III.

765 *Si cauſa diſpenſationis ſit talis, vt Abbas teneatur diſpenſare, & non diſpenſet, peccat; quia facit contra obligationem ſuam, & tunc ſubditus non indigebit recurſu ad Abbatem ſuperiorem, vt in foro interiori operetur; pro foro tamen exteriori debet in forma iuris facere ſuam appellationem à denegata iuſtitia, & iubere Abbati ſuperiori, qui examinatis cauſis per ſe vel per Vicarium ſuum, & non aliter, poterit diſpenſare.* Sed in ſimilibus opus eſt magna prudentia & circumſpectione,

quia ſubiecta ſunt in maioribus inconuenientibus, quàm vtilitatibus. Quæ inconuenientia quia difficulter euitari poſſunt, & vt ſubditi diſcant obedire, iudico moraliter loquendo vix vnquam poſſe Abbatem Superiorem in præceptis inferioris diſpenſare.

Multa congeſta reperis in concluſione, & examinare vis ſingula ne errandi periculo et exponas.

765 b *Petis primò*, An quando de diſpenſationis cauſa agimus, debeamus tantam ſupponere, vt ſit euidens quòd Abbas debeat diſpenſare; an ſufficeret ſi ſit probabile? *Petis ſecundò*, An appellare poſſint, qui habent legem contrariam? *Petis tertiò*, An diſpenſaturus debeat euidenter cognoſcere dari cauſas ſufficientes; an ſufficiat, ſi hoc ipſum probabiliter ille cognoſcat?

Reſpondeo; Caput 68. Regulæ me ad multos ſcrupulos redigere tametſi ſcrupuloſus non ſim; adeoquæ ab illo præſcindendo *Dico primò*, Peccare Abbatem, qui non diſpenſat, quando euidenter videt ſe debere concedere diſpenſationem, non tamen quando obligationem videt probabiliter. *Dico ſecundò*, Quando ſuperior negat diſpenſationem in rebus regularibus, & negando peccat; tunc inferiorem monachum tuta conſcientia ſupponere conceſſam; creditur enim Regula non obligare moraliter, & ſi obligaret Eccleſia teneretur ſupprere. *Dico tertiò*, Poſſe ſubditum appellare ad Superiores, ni ceſſerit appellandi iure, aut acceptauerit abſtinendi ab appellatione præceptum. *Dico quartò*, Superiorem non poſſe Abbatem inferiorem ob negatam diſpenſationem condemnare, vbi ius ſit probabile; in probabili enim materia nemo iuſtè damnatur: poſſe tamen, modò id in inferioris Abbatis confuſionem non vergat, ex probabili cauſa concedere ſimplici ſubdito diſpenſationem illam, quam negauerat Abbas inferior.

Conſultò volui à Capite illo ſexageſimo-octauo abſtrahere, quoniam ſub finem operis videbimur multa ex illo aboriri, quibus magna poſſent oppleri volumina.

RESOLVTIO IV.

766 *Abbas ſuperior poteſt præcipere inferiori Abbati omnia illa, quæ conducunt ad hoc vt ſit bonus Abbas.* Puta in generali, vt frequenter chorum, vt præbeat bonum exemplum, non ſit prodigus, non dilapidet bona Monaſterij, nõ vrgeat nimijs prçceptis communitatem, inuigilet gregi, peccantes pœnitentijs cohibeat, & in his ſit ſummè rigoroſus; non quòd pœnitentiæ debeant eſſe nimis rigidæ, ſed quòd obſeruantia regularis diſciplinæ ab omnibus, nemine dempto, rigidiſſimè conſeruetur.

Loquendo autem in ſingulari hic & nunc, vix reperitur aliquid, quod Abbas ſuperior poſſit præcipere Abbati inferiori. Quid enim? Quod admittat talem v. c. nouitium? non quia admittere nouitios eſt materia gratiæ, non iuſtitiæ, opponet etiam grauamen monaſterij, &c. Quid igitur? quod talem rem emat, talem donet? Abbas Superior non eſt Dominus ſubſtantiæ extrinſecæ. Concludendum igitur eſt, Abbatem Superiorem, extra tempus Viſitationis, nihil ſingulare debere præcipere Abbati inferiori; tum quia præcepta ſingulari petunt exactiſſimam notitiam circumſtantiarum, quas abſens vix poteſt cognoſcere; tum etiam, quia regimen domus non ad Superiorem, ſed ad Abbatem Ordinarium ſpectat.

DI-

DISPVTATIO LIV.

Reſoluit caſum difficillimum.

767 **A**bbas quidam poſuit tale præceptum: *Iubeo tibi vt facias hoc* (erat materia grauis, & expreſſa in Regula) *quoties babueris à Deo auxilium efficax ad illud exequendum.* Quæritur, an hoc præceptum obliget.

Obijcit quidam amicus hanc quæſtionem, ſicut & alias multas, quæ in præſenti opere examinantur, eſſe omnino ſuperfluam, & inutilem; non enim contextum concernit. Et ego breuiter, magis ſuperfluam eſſe eiuſdem cēſuram reſpondeo. Librum ſcribo ſubtili calamo: non concluſiones modò, ſed & fundamenta examino: & præſentem propono controuerſiam, vt actuum liberorum cognoſcatur natura, ſine quorum natura, nec virtus poteſt nec peccatum cognoſci: omnes enim actiones aut bonæ aut malæ moraliter, in indifferentia libertatis fundantur.

PRIMA SENTENTIA.

768 Videbitur alicui quod nō. Quia præcepta debent dari de rebus liberis, non de neceſſarijs: Atqui poſito Dei auxilio efficaci, neceſſarius eſt actus: Ergo non poteſt de tali actu dari præceptum. Non poſſe dari præcepta de neceſſarijs, eſt per ſe notum: Ideò nullus poterit mandare quòd Petrus habeat mentem, quòd habeat voluntatem, vel quòd occupet ſpatium, habeat vbi, ſit in loco, &c. Quòd autem actus ille præceptus ſit neceſſarius poſito efficaci auxilio Dei, probatur: quia ille actus petitur in ſenſu cōpoſito, hoc eſt, ſuppoſito auxilio: ſed in ſenſu compoſito ille actus non eſt liber: ergo neceſſarius.

769 Secundò. Illud eſt præceptum, cuius tranſgreſſores peccant, atqui tranſgreſſores huius non peccant, ergo non eſt præceptum. Minorem probas, quia præceptum tale nullus tranſgrederetur.

770 Tertiò. Illud eſt præceptum, in quo aliquis poteſt diſpenſare: atqui in hoc nullus poteſt diſpenſare: ergo non eſt præceptum. Probas minorem. Quia diſpenſare eſt dare facultatem ad omiſſionem actus præcepti; ſed poſito efficaxi auxilio, nullus Prælatus poteſt dare facultatem ſubdito omittendi actum, ad quem determinat efficaciter ipſum auxilium: ergo nullus Prælatus poteſt diſpenſare.

771 Quartò. Si poſſet Abbas iniungere tale præceptum, poſſet etiam dicere: Iubeo tibi, facias hoc quod eſt in Regula, quoties habueris auxilium ſufficiens: omittas illud quod interdicitur in Regula, quoties habueris ad illud agendum phyſicam, & efficacem prædeterminationem. Conſequentia eſt clara: quia non eſt maior ratio vnius quàm alterius. Atqui ſi talia præcepta ponerentur, ſemper peccarent ſubditi: & multiplicarentur ipſis laquei: ergo hæc præcepta nequeunt imponi: ergo neque alterum, cùm nulla ſuppetat ratio diſparitatis.

772 Quintò. Si Prælatus hoc poteſt præcipere, ergo, & quiuis Deo vouere, & iurare, promittere ſe facturum talem actum virtutis, quoties habuerit auxilium efficacis gratiæ: Atqui hoc ſecundum non poteſt ſubditus: ergo neque Prælatus primum. Minorem probas. Quia promiſſio (incipio ab vltimo) eſt de poſſibili, non de futuro;

non

non bene enim mihi promitteres ſolem craſtina die oriturum eſſe: nam hoc eſt futurum. Præterea: polliceri eſt faciliùs quàm præſtare, vt dicitur *Exodi* 19. 8. & omnes nouimus ſatqui in dato caſu difficiliùs eſſet polliceri, faciliùs præſtare: ergo talis caſus eſt impoſſibilis: ergo hoc nullus poteſt promittere. Hanc minorem probas. Illa ſunt faciliora, ad quæ eſt: agens magis determinatum, atqui promiſſioni nulla determinatio ſupponitur, executioni ſupponitur efficax: ergo in tali caſu faciliùs eſſet præſtare, difficiliùs polliceri. Sic ſimiliter philoſophari poſſes de voto, & iuramento.

RESOLVTIO.

773 Ad huius difficultatis ſolutionē dico, illud eſſe verè præceptum, & ſi ſubditus illud violaret, peccaret mortaliter. Ratio eſt efficax: quia omnia requiſita ad morale obligatoriumque præceptum, in tali iuſſione reperiuntur. Requiſita ſunt hæc. Præcipientis authoritas, materia legitima, & probabilis, & in obediente libertas. Præcipientis authoritas, ac materiæ legitimæ, & regularis grauitas, atque poſſibilitas præſupponitur. Libertas in obediente facilè poteſt comprobari: quoniam auxilium efficax non tollit libertatem: ſi enim tolleret, nulla actio eſſet meritoria, quia meritum non datur ſine libertate, & nulla actio fit ſine efficaci auxilio.

SOLVVNTVR
Argumenta contrariæ Partis.

774 Ad primum. Reſp. Negando minorem: ad probationem nego etiam minorem. Ratio eſt: quia auxilium efficax, ſiue quod idem eſt, prædeterminatio phyſica, in ſenſu compoſito non neceſſitat, ſed infallibilitat libertatem, & facit vt infallibile ſit quòd operabitur liberè illud opus. Hic eſt modus facilis defendendi auxilij aut prædeterminationis efficaciam, quæ aliàs vix ſunt defenſabilia.

775. Ad ſecundum dico, non requiri quòd dentur tranſgreſſores, qui peccent, ad hoc, vt præceptum ſit tale: quia licèt nullus peccaret, præcepta Naturæ verè eſſent talia. Requiritur ad rationem præcepti, potentia peccandi in ſubdito: In dato autem caſu ſubditus poſſet non exequi, ac perinde peccare: ergo eſt præceptum legitimum & verum.

776 Ad tertium. Negarent innumeri maiorem, ſed eam admitto: quia mihi omnis lex conſiſtit in actu Legiſlatoris libero: nego autem minorem. quia in hoc præcepto diſpenſare poterat, qui id poſuit: Ad probationem dico, diſpenſare eſſe dare facultatem quantum eſt ex parte diſpenſantis ad omiſſionem rei præceptæ: atqui in noſtro caſu, ſi præcipiens diſpenſaret, quantum eſt ex parte Prælati poſſet ſubditus omittere moraliter actum, ad quem determinat auxilium efficax: quantum verò eſt ex parte ſua poſſet omittere phyſicè vt dicebamus: ergo non vrget argumentum: quia etiam poſito auxilio, in ſenſu compoſito poteſt ſubditus omittere illum actum.

777 Ad quartum. Si ſufficeret rei poſſibilitas ad hoc vt homines hominibus iuberent, non eſſet difficile admittere illas duas illatas conſequentias: vnde Deus præceptum poſuit Adamo in tempore, cùm ab æterno decreuiſſet dare ipſi tantùm auxilium ſufficiens, & poſito hoc auxilio fuit inobediens, quia poterat obedire, ac proptereà peccauit. Vnde ſi Deus ferret talem legem obligaret vniuerſos, & præuaricator delinqueret. Vel dicito. Si per impoſſibile, Deus hodiè decerneret in poſterū nulli dare auxilium efficax, an eſſemus liberi à Decalogo, à Lege naturæ, à lege æterna?

æterna? Sanè per negationem concurſus efficacis à Lege non eximeremur: Sed remaneret Lex obligans cum ſolo auxilio ſufficienti: Proindè quantum eſt ex hoc capite poſſet Prælatus Regularis talia præcepta imponere. Verùm cum Prælatus ex profeſſione ſubditi totam ſuam in eum acceperit iuriſdictionem, & ſubditus noluerit præparare ſibi laqueos, aut obligationes, quibus annexa eſt infallibilis præuaricatio: inde eſt quòd Prælatus non poſſit ſimilia imponere. Inter iſtum caſum, & noſtrum ſumma eſt diſparitas: quia huius argumenti præcepta ſunt prorſus inutilia, imò nociua ſemper: at præceptum illud (de quo agitur) eſſet vtile, & proficuum. Ideò nunquam cenſebitur ſubditus promiſiſſe obedientiam in iſtis: nulla autem eſt ratio cur non promittat obedientiam in primo. Sed Deus, vt dixi, cuius authoritas non dependet à ſubditorum promiſſione, ex hoc capite non limitatur: vnde poſſet quælibet præcipere negato efficaci auxilio, & ſuppoſito ſolùm auxilio ſufficienti. Hæc pro nunc ſufficiant: ſed huic quarto argumento dabo ſolutionem, & clariorem, & faciliorem in fine huius quæſtionis; vbi ad eius efficaciam percipiendam nonnulla prælibabimus.

773 Ad argumentum vltimum. Admitto ſimilia vota, iuramenta, & promiſſiones eſſe validas; quia ſicut præcepta tenent, cur non tenerent iuramenta? Ad illud quod ſubſumitur: videlicet, faciliùs eſſe polliceri, quàm præſtare, diſtinguo: ſemper? nego: plerumque? concedo. Addo in noſtro caſu eſſe æquè facile promittere, & exequi, quia ſicut nihil præſtamus ſine efficaci auxilio, ſic eodem nihil omninò promittemus.

779 Dicis. Ad hoc, vt ſubditus teneatur obedire præcepto conditionato, debet cognoſcere vtrùm ponatur talis conditio, an non. Atqui nullus poteſt cognoſcere, quando ſit auxilium efficax, aut quando non: ergo præceptum quod ſupponit illud, ſupponit circumſtantiam incognoſcibilem: ergo non poteſt habere rationem præcepti formalis. Patet maior. Quia ſi tibi præciperetur hoc modo: *Si veniat Petrus, dices hoc.* & non poſſes cognoſcere aduentum Petri, non tenereris illi præcepto ſatisfacere, etiamſi Petrus veniret.

780 Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Debet ſubditus in tali caſu illam circumſtantiam, quæ ſupponitur, cognoſcere à priori aut à poſteriori, concedo: ſemper à priori nego. Atqui nemo poteſt cognoſcere vtrùm ſit, aut non ſit auxilium efficax diſtinguo: à priori? tranſeat à poſteriori? nego: & ideò nego conſequentiam.

781 Dixi, ſufficere quod ſuppoſita conditio cognoſcatur à poſteriori: vt in exemplo argumenti, ſi non videres Petrum, & tamen audires, & à poſteriori ab effectu vocali illum cognoſceres, tenereris illi præcepto ſatisfacere; quia iam poneretur conditio, & tibi ea ſufficienter eſset cognita, licet à poſteriori.

782 Addidi, auxilium efficax cognoſci à poſteriori, hoc eſt, ab ipſo opere, quando actualiter fit, quia ex opere euidenter infertur auxilij, & prædeterminationis efficacia.

783 Dicis. Conditio vt cognita eſt prior quàm obligatio in præceptis conditionatis, obligatio eſt prior opere; atqui hic eſset prius opus quàm conditio, vt cognita: ergo hic nulla poſſet dari obligatio. Probatur minor: quia efficacia, vt cognita, eſt poſt opus; & conditio ſuppoſita, eſt prædeterminationis efficacia, quà nota.

784 Satisfactio eſt facilis. Nullus actus exterior fit in inſtanti, ſed in tempore, itaque in primo inſtanti naturæ intellige auxilium efficax, in ſecundo immediato intellige primum eſse operis, in tertio auxilium vt cognitum, in quarto immediato opus quà ſatisfacis

ipſi

ipſi præcepto. Inſtantia in ſententia Ariſtotelis immediatа penetrantur, & ſic vni inſtanti temporis coexiſtere aſſolent plura inſtantia naturæ. Quod ſi Zenonis veriſſimam ſententiam teneam, iuxta quam ſemper philoſophor, quæcumque actio ſenſibilis plurima inſtantia continet, & ita eadem eſt ratio quia in quarto inſtanti datur præcepti ſatiſfactio.

785 Ex his deducitur alia ad quartum argumentum ſolutio, & facilior, & melior. Dico, neminem poſſe præcipere hoc modo: *Fac hoc, ſi habueris ſufficiens auxilium:* quia eſset conditio incognoſcibilis: non enim poſset cognoſci à priori, vt de ſe patet: non à poſteriori, cùm nullus eſset auxilij ſufficientis effectus. Nec valet dicere, effectum auxilij ſufficientis eſse carentiam effectus, quia etiam deficiente tali auxilio datur talis carentia, puta ſi nullum auxilium ſit in voluntate. Quod ſi dicas carentiam actus, quæ eſt quando deficit vtrumque auxilium, ad præſentiam auxilij ſufficientis tranſire in priuationem, licèt hoc aliquomodo ſit verum, illa tamen priuatio eſt etiam incognita: quomodo ergo ſcire potero, vtrùm carentiam aut priuationem actus habeam? Nec ſatis eſt ad cognoſcendum auxilium ſufficiens, quod deficiat opus tempore præcepti (puta, ſi tempus determinaretur) quia non tenetur Deus dare auxilia ſufficientia: illa enim ſunt gratuita, & etiam inſtante præcepto poterit illa denegare. Maneat ergo integrum, auxilium efficax poſse cognoſci à poſteriori; ſufficiens prorſu eſse incognoſcibile.

DISPVTATIO LV.

De Verborum ſignificatione.

786 Poteſt Abbas conſulere ſuis ſubditis, & illis etiam præcepta imponere tam moralia quàm pœnalia. Sanè moralia præcepta fert bifariam, nempè quà Abbas, & quà Paterfamilias.

Sanctiones merè-pœnales conſilia ſunt, aut ſaltem monita: cur ergo præcepta nominantur? Reſpondeo ex Bernardo legum ſtudioſis prodero: non enim paſſim intelliguntur pœnales leges. Lex pœnalis conſtat duabus propoſitionibus hypotheticos, & ſubiunctiuè, vt *n.97.* aſserui. Hæc eſt pœnalis lex: *Qui ad horas Matutinas non venerit, diſciplinæ regulari ſubiaceat.* Hæc legis formula æquiualet huic clarioribus verbis expreſsę. *Aut ad horas Matutinas venito, aut pœnæ regulari ſubiaceto.* Hic reperies duas propoſitiones indiſtinctiuas: Prima eſt, *Ad horas Matutinas venito,* & eſt conſilium cui adiungitur pœna, vt notaui *n.36.* Secunda eſt, *Pœnæ regulari ſubiaceto,* hæc propoſitio etiam eſt conſultiua, teſte D. Bernardo *de præcept. cap.* 14. vbi leges hæc verba tanto ingenio digniſſima: *Illum ſanè dico ſecurum, qui etiam ſi interdum obedientiæ limites præterit, conſilium non reſpuit pœnitentiæ.*

Ex his duobus conſilijs neutrum determinatè, & in ſingulari obligat, nihilominus lege morali indicitur, vt alterutrum admittatur. Licitè, & ſine ſcrupulo venialis culpæ aberit à Matutinis, qui volet ſubire pœnitentiam: licitè etiam, & inculpabiliter poterit non ſubire pœnitentiam, qui choro adſiſtet.

Alte-

Alterutrum faciens, præcepto pœnali ſatisfacit. *Regulares namque terminos* (verba ſunt Bernardi iam citati) *non euadit, qui cenſuræ, quæ ex Regula eſt, diſciplinam non ſubterfugit:* Non ſatisfacis, ſi neutrum facias. Lex ergo pœnalis, prout vtramque propoſitionem complectitur, eſt lex moralis ex duplici conſilio coaleſcens.

Hinc conſtat, mereri apud Deum illos, qui non ſeruant Regulam præceptam pœnaliter; quia terminos diſciplinæ regularis non euadunt, dum volunt Regulæ imponenti pœnam obedire. Meretur, qui ſe abſentat à choro, licèt plus meretur ſi adeſſet. Meretur quidem, quia ipſi lex eſt, vel ire ad chorum, vel ſubeſſe cenſuræ, quamcumque partem eligat, legi ſatisfacit: ſatisfactorius autem actus factus ab homine gratiam habente, etiam eſt meritorius; ergo qui vult choro deeſſe, ſi & velit regulari pœnitentiæ ſubeſſe, ſatisfacit legis obligationi. Hæc breuiter notata ſunto, alibi vberiùs reſumenda.

787 Interrogas, qui cognoſcere poſſis, Vtrùm Abbas iubeat ſub culpa, an ſub pœna? An quà Prælatus, an quà Pater?

Nihil certius in Iure, quàm æquiuoca, & generica ſemper eſſe ad benigniorem ſpeciem contrahenda, & fauorabiliùs explicanda: ſic quando Ius fauet Religioſis, Religioſorum nomine intelliguntur, & Nouitij; quando contrà Religioſos decernit, intelliguntur ſolùm Profeſſi. Ita in præſenti: ſi Prælatus aliquid iubeat in fauorem tertij, ille, cui fit talis fauor, poteſt extendere tale mandatum ſecundùm maximam verborum ſignificationem, tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum. (Ita Emanuel Sà *de verborum ſignif. n.* 1. *&* 3. Salas. *diſt.* 21. *ſect.* 3. Layman *l.* 1. *tract.* 4. *c.* 18. *n.* 8.) quod ſi ſit præceptum pœnoſum, poteſt contrahi ad minimam verborum ſignificationem. [*L.* 1. *§. generaliter. ff. de legatis præſtand... l. de pretio. ff. de publ. in rem act.* & Suarius *l.* 6. *c.* 5. *&* *c.* 6. *nu.* 4. & alij.] Vtrobique tamen notandum eſt, quod verba politicè explicentur, & iuxtà commune Lexicon communitatis; ſi enim quiſpiam rigorem Scholaſticum verborum quæreret, certum eſt, quod ſæpè contrà mentem Prælati operaretur, qui ſuæ domus regimen politicè tractat, non verò ſecundùm ſubtilitates academicas. Verba, quæ communiùs vſurpant Abbates, ſunt hæc: *Conſulo, Facias, Impero, Mando, Præcipio*, & ſimilia. Singulorum Monaſticum rigorem expendamus. Sed interim notandum eſt, noſtras leges non eſſe iuxta methodum aliarum legum explicandas, nam leges Ciuiles non obligant ex virtute voti, nec eſt in vſu, quod obligent in foro exteriori, niſi pœna explicetur; è contrà verò noſtræ leges Monaſticæ, & obligare poſſunt ex vi voti, & frequentiùs obligant in foro exteriori, licèt pœna non explicetur, quia ſupponitur pœna arbitraria; ſic tota Regula obligat in foro externo; & licèt hoc non exprimatur in Regula, eſt tamen certiſſimum, & ſuperiùs demonſtratum; ideircò aſſero quaſcumque leges particulares non obligare in foro interiori, niſi Prælatus id explicet. Ratiò eſt manifeſtiſſima. In quocumque genere ſuprema, & nobiliſſima ſpecies eſt menſura omnium aliarum, ita communiter Philoſophi. Atqui inter Leges Monaſticas Regula S. P. Benedicti eſt omnium optima atque illuſtriſſima, eſt ergo omnium aliarum Legum regula, & menſura. Atqui hæc non obligat in foro interiori, niſi id nouo præcepto exponat Abbas, vt ſæpè diximus; Ergo Abbatum leges, niſi explicent voluntatem ſuam aliquibus verbis id ſufficienter demonſtrantibus, nô obligabunt ſubditos in foro interno. Interrogas, quomodò ſe debeat Abbas explicare, quomodo intelligi. Reſpondebo

debo ex Regulis Iuris ad materiam noſtrarum Legum applicatis.

788 Verba *Moneo, hortor, rogo, conſulo, vellem* (diſtinguo *vellem* à *volo*) non dicunt præcepti obligationem, ſed ſolùm directionem per modum admonitionis, & conſilij; ideoque talia verba non obligant in foro interiori, nec exteriori; non facientes nequeunt dici prævaricatores, nec contra eos debet procedi aliquibus pœnis, quia ipſis nihil erat præceptum, ſed ſolùm propoſitum conſilium, de quo dicitur, *Qui poteſt capere, capiat.* hoc eſt, *qui vult.*

789. Verba de præſenti, ex quibus innoteſcit voluntas obligandi, vt, *Decernimus, ſancimus, determinamus, legem ferimus, condimus, intendimus, volumus, ſtatuimus, ſtabilimus, ordinamus*, conſtituunt veriſſimum præceptum. Item quando verba ſunt ex genere ſuo præceptiua, vt *Præcipimus, iubemus, obligamus, mandamus*, vel aliter. *Præcipitur, iubetur, mandatur; teneantur, obligantur, debeant facere, neceſſe eſt vt faciant, non poſſit non fieri*. vel in præceptis negatiuis. *Prohibemus, vetamus, interdicimus, non liceat, non fiat*. Item quæcumque verba imperatiua, qualia ſunt, *Facite, dicite, caueant, non audeant, abſtineant à tali re*, & his ſimilia. Ita Vaſquez *diſp.* 158. *c.* 3. Suarez *lib.* 3. *c.* 15. *& cap.* 26. *nu.* 7. Valentia *part.* 2. *diſp.* 7. *puncto* 6. *§.* 6. Syluester *verb. Præceptum quæſito* 2. Azor. *part.* 1. *l.* 5. *c.* 6. *quæſito* 5. Panormitanus, Felinus, Caſtro, & alij apud Salas *de Legibus diſp.* 10. *ſect.* 9. *n.* 49. 51. Eman. Sà. *verbo Lex. n.* 5. *& Clauem Regiam. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 27.

790 Diſtinximus ſuperiùs inter ſe has præcipiendi formas: *Volo facias hoc.* & *Vellem facere hoc*, quibus modò addo: *Vellem feciſſe hoc*, & *Voluiſſem feciſſes hoc*. In prima formula exprimitur ratio præcepti, quia exponitur voluntas, & mandatum Antiſtitis. Secũda pertinet ad tempus optatiuum, atque ideò penes communem acceptationem idem eſt, *Vellem fieret hoc*, atque. *opto deſiderio quod hoc fiat*: in his autẽ verbis non reperitur ratio præcepti, ſed vt plurimùm modeſtæ petitionis, aut vrbani conſilij. Quod aptiùs hæc verba per modum petitionis explicentur, quàm per modum conſilij, facili negotio probabitur; quia ſubditus quà talis nec Prælato precipere poteſt, nec conſulere, ſed vt plurimùm ab illo neceſſaria expoſtulare; poteſt autem congruè vti iuſta verborum formula; ergo in illa mera eſt modeſtæ petitionis ratio. Probatur minor. Subditus dicturus Prælato: *Subueniat mihi Dominatio veſtra in tali neceſſitate:* an non modeſtiùs ageret ſi vteretur his verbis *Vellem quod mihi V. D. ſubueniret in hoc aut illo*. Aliæ formulæ de præterito ſunt, & ideo nec rationem præcepti, nec conſilij, aut petitionis poſſunt inducere, cùm ad præteritum potentia, vel nulla, vel ſaltem humana nunquam detur.

791 Cognito ergo præcepto, reſtat examinare quale illud ſit. Ideò dico, verbis præpoſitis, quibus imponebatur præceptum, nondum eſſe explicatam voluntatem Prælati, vtrùm tale ſit pro foro interiori, an pro exteriori, quia verba, cùm ſint generica, vtrumque poſſunt ſignificare. Quid igitur dicendum eſt? præceptum his verbis genericis latum, quale eſt iudicandum?

Cenſendum eſt eſſe merè-pœnale, & obligare ſolummodo in foro exteriori. Ad probationem iſtius reſolutionis, habeo duas rationes efficaces. Prima eſt communis, alia ſpecialiſſima. Communis eſt. In ambiguis fauore ſunt ampliandi, atqui verba generica ſemper ſunt fauorabiliùs exponẽda. Ergo quãdo eſt dubium, vtrùm præceptum ſonet culpam vel pœnam, debemus credere id obligare ſub hac, non ſub illa.

792 Rationem ſpecialem deſumam

ex his

ex his quę paulò antè diximus. Præcepta, & leges particulares debent explicari ſecundùm vſum cōmunem exponendi leges, in tali Republica, ergo Abbatum præcepta debent explicari iuxta cōmunem praxim Monaſticæ noſtræ Reipublicæ: atqui noſtram primariam legem (hęc eſt ſanctiſſimi Legiſlatoris Regula) quæ loquitur genericè, dicimus obligare ſed ſub pœna, non ſub culpa: ergo de ſecundarijs Legibus (hæ ſunt pręcepta Abbatum) ſi eæ etiā genericè loquantur, ſimiliter loqui debemus. Maneat ergo ratum, præcepta Abbatum, ſi genericè ferantur, non obligare in interiori foro.

793 Quando Prælati volunt obligare in foro interiori, non loquuntur genericè, ſed ſpecificè: frequentiùs vtuntur iſtis formulis. *Præcipio in virtute præcepti formalis*, & *Præcipio in virtute ſanctæ obedientiæ*. Hæ duæ formæ multis confunduntur, ſed differunt toto cœlo, inducuntque varias obligationes. Abbas duplicem authoritatem habet, aliam politicè-Naturalem, aliam Monaſticam. Ex vi primæ tenetur ſubditus illi obedire, dicente Deo in Decalogo *Honora Patrem tuum*. Ex vi etiam ſecūdæ tenetur obedire ſubditus, quia in profeſſione dixit: *Promitto Obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti Abbatis*. Sic quando præcipit in virtute pręcepti formalis, hoc eſt obligantis in conſcientia, intelligendus eſt vti authoritate Patria, nam quà Pater imponere poteſt præcepta quæ obligēt etiam in conſcientia: & qui præcipienti vt ſic, in materia graui non obedit, peccat mortaliter, non contra votum præſtitum, ſed contra quartum pręceptum Decalogi, ac proinde non tenetur explicare in confeſſione ſe eſſe Religioſum: quia licèt peccauerit, non tamen contra votum Obedientię. Quod ſi vtatur veſtibus Monaſticis, tunc nec Confeſſarius credat eum contra Obedientiā operatum, deberet dicere; Non ſatisfeci voluntati Prælati præcipientis non in virtute Obedientię, ſed præcepti formalis.

794 Quando autem Abbas pręcipit in virtute ſanctæ Obedientiæ, nulla eſt quæſtio; ſi materia ſit grauis, obligat ſub peccato mortali, ſed in diuerſo genere, videlicet in genere voti temerati. Hic tamen adnotari debet, Abbates aliquando declarare, ſe nolle obligare in foro interiori, quando vtuntur his verbis, & poſita tali declaratione, hęc pręcepta obligabunt iuxta declarationis proprietatem. Sic in fine diffinitionum antiquarum Hiſpanię, quæ adhuc ſunt in vſu, dicitur eſſe mens. Diffinitorum, nunc quam obligare in conſcientia, licèt Obedientiæ nomine vtantur: ideòque præuaricantes puniuntur Pœna corporea, hac regula, vt maiori pœnæ ſubiaceant, qui non ſatisfaciunt præceptis obedientiæ; minori, qui temerant præcepta formalia: & minimæ, qui agunt contra præcepta generica: nulli verò, qui contra conſilia.

795 Poteſtatem Abbatis quà Patris, vocaui. *Naturalem politicè*: quia participat iuris vtriuſque rationem. De iure Naturæ eſt, quod filij-familias obediant ſuo Patri: de iure politico, quod talis vir ſit in tali communitate Præpoſitus, & Pater.

Præceptorum expoſitio notanda.

DVBIVM I.

796 Quidam Abbas in ſuo Monaſterio cū authoritate ſufficienti, & cauſa legitima impoſuit præcepta his verbis: *Præcipio in virtute ſanctæ Obedientiæ, quod omnes ieiunēt ferijs quartis. Item, quod omnes ſurgant ad Matutinas*. Petitur, verùm hoc vltimum obliget in conſcientia, & quomodo.

797 Benè petitur de hoc vltimo, quia de primo nulla eſſe poteſt dubitatio. Dico igitur, illud vltimum non obligare in

re in conſcientia, niſi contrarium exponat viſitator. Ratio eſt: quia vel ibi ſunt omnia verba neceſſaria ad ſenſum integrum, vel aliunde petenda, vt is compleatur. Si primum dixeris, eſt ſolùm Conſilium: quia in his verbis *Omnes ſurgant ad Matutinas*, non relucet aliqua ratio præcepti moralis. Si ibi ἔλλειψις committitur, aliquid debet ſuppleri. Quare? quia aliàs non ſubſiſteret ſenſus. Ergo illa præcisè debent ſubſtitui è primo, quibus ſenſus ſubſiſtat, non debent ſuppleri quæ non ſint neceſſaria: ergo in data periodo debet ſuppleri illud *Præcipio*, vt ſit integra Oratio, *Itē præcipio, quod omnes ſurgant ad Matutinas*, nec eſt opus ſupplere illud *in virtute ſanctæ Obediētiæ*, quia ſine eo ſenſus ſubſiſtit integerrimus. Ergo illud ſecundum eſt præceptum in genere, ac proindè ex prælibatis obligat in foro exteriori.

Ideò doctiores Abbates, quando volunt plura mandata ponere, in ſingulis exprimunt virtutem obedientiæ, vel ſaltem in fine declarant, ſe nomine præcepti intelligere vbiq; præceptum Obedientiæ. Et hoc eſt in praxi.

DVBIVM II.

798 Quidam Viſitator condidit varias leges ſub diuerſis formulis: in alijs dicebat *Præcipimus*, in alijs *Conſulimus*, in alijs exprimebat virtutem obedientiæ, in alijs vim præcepti formalis, tandem in fine addidit hæc verba: *Hæc omnia cuſtodiri præcipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ*. Inquiritur, vtrùm omnia, & ſingula obligent ſub obedientia.

Reſpondeo negatiuè. Quia hoc præceptum vltimum non explicat priora: vt enim illa explicaret, debuiſſet dicere: *Eſt noſtra voluntas, quod ſingula hæc præcepta obligent in virtute ſanctæ Obedientiæ*. Hoc vltimum eſt nouum præceptum, quod imponitur Communitati, & præcipuè Præpoſito, qui præcipitur in virtute Obedientiæ, quod omnia faciat cuſtodiri, prout in ſtatuto Viſitatoris continentur, ita vt transgreſſores puniantur ſecundùm peccati qualitatem. Quod ſi Abbas tranſgreſſores tales ſecundùm diſcretionis regulas non puniret, peccaret mortaliter contrà hoc ipſum loco vltimo poſitum obedientiæ præceptum.

DVBIVM III.

799 Quidam Abbas præceptum poſuit, in hæc verba: *Præcipio talem rem ſecundum maximum meæ authoritatis, nolo tamen obligare in conſcientia*. Quale eſt? Reſpondeo eſſe meram verborum, & ſententiarum colliſionem. Si non in conſcientia, quomodo ſecundùm maximum authoritatis, cùm authoritatis maximum in eo ſit, quod obliget in foro conſcientiæ? Propterea dicendum eſt, tale præceptum fuiſſe nullū; habere tamen rationem cōſilij, quoniam exprimit voluntatem Prælati. Relege n. 42.

DVBIVM IV.

800 Dixit Prælatus ſubdito: *Ego præcipiam tibi hoc*. Remanetnè ſubditus cum aliqua obligatione? Reſpondeo, illum obligari conſilio, eo modo quo conſilium ſolet dici obligatio, & ex decentia debere illud facere: videtur enim Prælatus monere, dum ſe præcepturum minitatur. Cæterùm, quoaduſque Prælatus id præcipiat, non tenetur ſub ratione præcepti.

DVBIVM V.

801 Dixit ſubdito Antiſtes: *Quomodo non facis hoc, cùm illud præceperim tibi in virtute Obedientiæ? & fallitur Abbas, quia nunquam præceperat, & hoc innoteſcit etiam ſubdito; interrogatis vtrùm teneatur obedire.*

Reſo-

Reſolutio eſt eadem cum præcedenti. Sicut *Præcipiam* nõ eſt actualiter præcipere, ſic etiam *Præcipi* eſt voluntatis præteritæ, non verò præſentis inſinuatio, ac proinde de præſenti non præcipit; quod ſi conſtet, vt ſupponitur, eum tale nunquam anteriùs præcepiſſe, nullum erit præceptum. Hæc tamen verba ſuperinduunt rationem conſilij, quia interrogatio de re cognita, eſt genus non inaſſuctæ monitionis.

DVBIVM V.

801 b. Vt altius vim præceptiuarũ legum percipias, verba Antonij Perezij proponis, qui in Prologum Regulæ Benedictinæ num. 122. ſic inquit. *Age vltimam ne dicam germanam, huic nodo ſolutionem adhibeamus. Sanè eatenus Doctor ſanctiſſimus nihil graue, nihil aſperum in ſua Regula conſtituere ſperauit, quatenus ab his quæ inſtituta omnia acerba & grauia reddunt (vtique præcepta, & Eccleſiaſticè cẽſuræ) quoad eius fieri potuit, abſtinere ſtuduit. Licet enim Diuus Pater noſter Bernardus dicat inſtitutiones Regulæ profitentibus eſſe præcepta, & præuaricantibus crimina, quia tamen generalis regula eſt, (quam ex Clemente V. in Clementina, exiuit de paradiſo, de verborum ſignificatione, deſumpſere Theologi pariter, & Iuriſperiti) illa tantum præcepta eſſe, & mandata quæ per verbum præcepti, aut inhibitionis, vel æquipollentis precepto, aut inhibitioni, obligãt ſub reatu culpæ: verba autem præcepti eſſe, præcipio, mando, iubeo, prohibeo, inhibeo, veto, interdico: æquipollentia vero eſſe debeant, teneantur, neceſſario, neceſſe eſt, non licet, non poteſt: verbum Bernardi (cui omnes ſubſcribere neceſſarium pariter atque glorioſum eſt) intelligendum venit iuxta regulam iſtam. Non enim licet commendari præcepta, vbi ſpecies præcepti non eſt, maximè quod vltra præcepta, multa in Regula continentur, quæ conſilij, admonitionis, conſuetudinis, correctionis, animaduerſionis, atq; ſimilium rationem habent. Quia igitur præceptor noſter præceptis non abundauit, ſed (quoad eius fieri potuit) abſtinuit, ideo conuenienter dicere potuit, ſe grauia, & aſpera in Regula non conſtituturum. Grauia enim, & aſpera monaſticæ inſtitutionis non alia habentur, nec ſunt, quam præcepta formalia, & cenſuræ, quibus innodamur ob illa quæ tanto pretio digna non apparent. Quare conſtitutio, & regula, quarum violatio ad pœnam duntaxat temporalem obligat, ſuauis, & lenis cenſetur, quæ vero ad ſpiritualem, acerba, niſi violatio ſit vt crimen læſæ maieſtatis, qualis eſt votorum ſolemnium, ſimiliumque tranſgreſſio.* Et his bene conſideratis verbis quæris: *Primò*, An nulla eſſe præcepta in Regula Benedictina Perezius ad legatus teneat? *Secundò*, An id bene inferat ex tenore legis, & verbis contextus? *Tertiò*. An contrarium D. Bernardus ſenſerit?

Ad primum *dico Perezium his lineis docere votorum ſolenniũ tranſgreſſionẽ* (quæ contrà Decalogum eſt) *& ſimiliũ* (hoc eſt, obligationum à Decalogo impoſitarum) *eſſe moraliter peccamioſam: at tranſgreſſionem puræ Regulæ eſſe malam pœnaliter.* Conſtat ex cõtextu, & præcipuè ex vltimis verbis allegatis [Puram Regulam tranſgredi dicitur, qui violando illam nihil contrà Dei aut Eccleſiæ cõmunia præcepta operatur.]

Ad ſecundum *dico, optimè ex verbis Perezium venari mentem Legislatoris.* Sic enim faciendum duxi in tota hac diſputatione, quam *de verborum ſignificatione* inſcripſi, & ſic fecerunt Ioannes Medina *Codice de ieiun. quæſt.* 7. Alphonſus de Caſtro *lib.* 1. *de lege pœnali. c.* 4. *documento* 4. Syluc. *verb. præceptum q.* 2. Armilla *ib. n.* 7. Nauar. *in Summa c.* 23. *n.* 30. Couarr. *in regula*

peccatum 2.p.§.15.n.2.& 3. Vazquez. *2.diſp.158.n.20. & 21.* & alij plurimi, quos Perezius ſequitur.

Addo, *etſi in Regula ſingulis periodis reperirentur verba iubeo, & Præcipio, non poſſe adhuc Monachos obligari moraliter*. Probaui ſuperiùs n.89. vbi legis in titulo, *Notitiæ penitioris cauſa ſuppono omnia, & ſingula, quæ ſunt in Regula ex Legiſlatoris mente habere vim præcepti, & vtrùm ad ea in conſcientiæ foro obligemur, examino*, & ſtatim, *Admiſſa hypotheſi reſpondeo negatiuè*. Et ratio eſt, quia tenemur vi promiſſionis, & non aliter quàm promiſimus, & nõ niſi ad illa quę promiſimus. Nec tamen promiſimus obedientiam Regulæ, ſed Prælato præcipienti ſecundum Regulam.

Infero *Non bene rimari Perezium. An teneamur moraliter ad Regulam ex verbis præcipiendi, & hortandi*. Patet, quoniam iam diximus, non iri nos obſtrictum, etſi in periodis ſingulis pręcipiendi verbum insereretur.

Non ſubticebo tamẽ aliquã magnam conſequentiam, quæ ex Perezij opinione diducitur. [Illa poteſt Prælatus præcipere quæ præcepta in Regula, non quæ conſulta. At Perezio aſſerente præter ſolennia vota, & ſimilia, quæ alias etiam grauiter obligarent, nihil in Regula Benedictina præcipitur: ergo nihil poterit Abbas in virtute deuotæ obedientiæ præcipere, quod aliàs non obliget ex præcepto Decalogi.] Conſequentia eſt legitima, maior omnino vera, minor ex Perezio deſumpta. Tu igitur ne nimium inferas, minorem Perezianam remitte, & tene dari multa in Regula D. Benedicti, quæ præcepti vim habent, & ideò poſſunt ab Abbatibus præcipi, & ſi in præcepta veniant profitentibus, præuaricantibus ventura in crimina.

Ad tertium dico, *D. Bernardi verba eſſe ſimilia illis quas vltima linea periodi præcedentis poſuimus*. addo, *D. Bernardum verbis à Pererio citatis non docere Regulam obligare moraliter antè præceptum Abbatis, ſed omnino contrarium*. Vide ſuperiùs num.91. Et locum D. Bernardi ſecundo calamo illuſtratum in Scholio ad Regulam Benedictinam. & aſſere D. Bernardum non agere ſolùm de votis, ſed de omnibus præceptis regulæ.

DISPVTATIO LVI.

De Hoſpitibus.

802 Monachi Ordinis noſtri habitantes in alijs Monaſterijs, vel incorporantur Communitati, vel non. Si ſemel incorporentur Communitati, iam non dicuntur Hoſpites, ſed Filij Monaſterij, & per legitimam incorporationem abſoluuntur ab Obedientia præſtita priori Prælato, & ſolùm ſecundo tenentur obedire, atque in omnibus rebus eidem fortunæ ſunt expoſiti, cui Monachi ſecundi Monaſterij; ac proindè non poterunt redire ad primum, ſine licentia iſtius ſecundi Abbatis.

803 Si communitati non incorporentur, ſed ad tempus ibidem, vel perpetuò veniant habitatum, ſemper in ſecũdo Monaſterio ſunt hoſpites, & peregrini, tenẽtur obedire priori Prælato ex rigore iuſtitię, ſecundo verò non niſi ex decentia, & non contemnenda vrbanitate, ac proinde, ſublato ſcandalo, nunquam

quam in foro interiori. Quòd ſi Abbas primus delegat ſecundo ſuam authoritatem, erunt tales Monachi ſubditi Abbati vtrique: primo, vt Ordinario: ſecundò, quà Vicario, & delegato primi.

804 Hic dubium obſeruatione dignum. Hoſpiti præcepta eſt talis res ab Abbate ſuo Ordinario: Abbas, apud quem hoſpitatur, iubet illi contrarium: rogas, cui debeat obedire.

805 Hic eſt caſus maximè neceſſarius, & hodiè accidit in pleriſque Monaſterijs, in quibus reſident reliquiæ Martyrum, qui paſſi ſunt in Monaſterijs deſtructis, & deuaſtatis ab Hæreticis: illi, inquam, qui fugientes ab ore gladij religioſum ſanguinem ſitientis, ad alia ſui Ordinis cœnobia ſeſe receperunt, & ſub alijs Abbatibus degunt. Hi plerumque habent inſtructiones à ſuis Abbatibus; cùm de ratione veri Paſtoris ſit, ſemper oues gubernare, ſemper dirigere, hi tales vident in Monaſterijs, in quibus habitant, leges ſuis legibus contrarias, vtraſque iuſtas. Conſulunt me, vtras teneantur ſeruare.

806 Et quidem videntur ipſis ſeruandæ eſſe leges Abbatis primi, propter rationes primo aſpectu apparenter efficaces. Prima eſt. Quando concurrunt duæ Leges contrariæ, debet illa præferri, quæ à maiori, & digniori, reſpectu obedientis, eſt lata. ideò lex lata à Deo, præponitur omnibus legibus Humanis: Atqui, reſpectu talis Religioſi, maior eſt primus Abbas quàm ſecundus: ergo tenetur ſeruare præcepta primi Abbatis. Probatur minor. Quia primus Abbas eſt eius Ordinarius, ſecundus verò vt plurimũ Proordinarius.

807 Secunda. Quando opponuntur Leges illa præualet, quæ obligat ſub grauiori. Ergo præponenda eſt Obedientia Congruentiæ: Atqui legibus prioris Abbatis tenetur talis Monachus obedire ex obedientia, legibus ſecundi de congruo: ergo illæ ſunt anteponendæ.

808 His non obſtantibus Concludo, tales Hoſpites, & Peregrinos, in concurrentia, & oppoſitione duarum Legum, ſi vtramq; ſeruare non poſſint, debere ſeruare legem ſecundi Monaſterij. Primò, quia hoc non eſt contrà voluntatem Abbatis prioris Monaſterij, non enim eſt credibile, cum voluiſſe quod Monachus ſuus eſſet Abbati ſecundi Monaſterij moleſtiæ; & Fratribus ſcandalo. Ideo hic, vel nuſlibi, habet locum epicheia. Præterea, ſupponamus Abbatem prioris Monaſterij dixiſſe. Ego præcipio tibi, quod in ſecundo Monaſterio facias hoc, licèt illius Monaſterij Abbas contrarium diſpoſuerit: dico, Monachum Hoſpitem adhuc non teneri obedire ſuo Ordinario, ſed Abbati ſecundi Monaſterij: primo, ex Vrbanitate: ſecundò, ex Neceſſitate. (Vrbanitatem Neceſſitati præpoſui, quia Vrbanitas eſt de genere Neceſſitatis, imò neceſſitatum maxima, animo nobili, & ingenuo magis neceſſaria, quàm cibus corpori: quia ſine hoc perditur vita, ſine illa honos. Verùm illud patitur ſuas difficultates, & exceptiones alibi explicandas.)

809 Maximæ inurbanitatis actum exercere illum iudico erga ſecundum Abbatem, qui iuſtis eius legibus, & ſtatutis alia cuiuſcumq; præponit: & ideo tales Monachos, in tali caſu, à præceptis Abbatis Ordinarij excuſabam. Hoc argumentum in mea ſententia, quæ maioris facit honeſtatem politicam quàm vitam naturalem, ſummam vim habet: ſed multi pretium honoris non percallent: Ideò pro his alia vtar ratione, etiam efficaciſſima.

810 Præcepta Eccleſiaſtica cum dãno maximo non obligant: ideò dicimus poſſe agricolam colligere meſſem die feſto, ſi immineat graue periculum illã perdendi: poſſe ſartores, barbi tonſores, pictores, & ſimiles laborare diebus feſtis, in caſu imminentis periculi, ratione cuius amitterent cum graui ſuo damno,

& detrimento acceſſum emptorũ & reſpõſaliũ ad ſuas officinas. Tunc ſic. Nõ poteſt talis hoſpes non obedire ſecũdo Abbati ſine periculo maximi damni, ergo tenetur illi obedire. Probo antecedens. Secundus Abbas videns hoſpites in ſuo Monaſterio non ſubiacere communi diſciplinæ, poteſt id ægrè ferre, tũ ratione imminentis ſcãdali puſillorũ, tum propter periculum introductionis nouarum cõſuetudinum & relaxationis conſuetę obſeruantię, ac ideò poſſet tales viros dimittere ſine vllo ſcrupulo; quia, quos gratioſè recepit, non tenetur ingratos & ſuis non conuenientes cum tali periculo detinere. Atqui hæc dimiſſio eſſet in magnum damnum Hoſpitis: ergo hoſpes non tenetur ſub tali periculo priori Abbati obedire.

811 Nec eum laudarem, qui ſecundo Prælato manifeſtaret Ordinarij ſui voluntatem; quia certum eſt nullum hominem velle ſuam domum ab exteris gubernari; certum etiam eſt, vnumquemque ægrè ferre, quod aliena præcepta ſuis præponantur: & ex tali manifeſtatione poſſet ſequi vel quod non admitteretur, vel quod dimitteretur admiſſus, vel ſaltem quod minùs amicè tractaretur.

812 Sciant ergo exules & peregrini Monachi, qui furias Hæreticorum euaſerunt, vbicumque ſint, ſe debere tueri Prælatorum iuſtas partes imò hos contra ipſorum ſubditos defendere, ſi ratio poſtulauerit: non enim à ſubditis, ſed ab Abbate admiſſi ſunt, ideò nunquam (obſecro) appareant ingrati. Statuta ſecundi Abbatis laudent, Monaſterij ſecundi obſeruãtiam venerentur, de priori nil dicant comparatiuè, niſi in maximam ſecundi commendationem. Suum venerentur Ordinarium, ipſi obediant in omnibus, non verò contra edicta ſecundi, ad quorum obſeruantiam ſub periculo tanto tenentur. Sciant Abbatem ſecundum eſſe hominem non angelum, atque ideò vt hominem coli debere: colitur, cùm lex ipſius ſumma obedientia commendatur.

813 Nec *rationes in oppoſitum* probabãt quidpiam, quia ſemper debet lex dignioris, legi minùs-digni, & lex fori interioris Legi fori exterioris præponi, ſi in illa maiori & ſtrictiori lege non adſit diſpenſatio: atqui in caſu præſenti diſpenſat Vrbanitas & Neceſſitas in Lege maiori, & remanet minor, ergo huic præſtanda eſt obedientia.

814 Qualiter ſe debeant exibere Viſitatores erga tales Hoſpites, eſt facile explicatu: quia ſicut illi ordinariè non ſubduntur Abbati illius Monaſterij, ita neque extraordinariè Viſitatori, licet is ſit Pater vtriuſque Monaſterij, primi & ſecundi. Exempli gratia. Eſt Dunis Monachus Fontanenſis, ſuperuenit D. Claræ vallenſis Dunas viſitaturus, qui eſt Pater vtriuſque Filiationis. (Dunenſe Cœnobium in Flandria, & Fontanenſe in Anglia immediatè à Claravalle dimanarunt) dico quod Claræ-vallenſis Abbas viſitans monaſterium Dunenſe, directè nihil poſſit iuridicè cognoſcere contra Fontanenſem, ſed ſolùm contra Dunenſes, licet ſint abſentes, & hoſpites in quouis alio Monaſterio. Ratio eſt: quia extraordinaria authoritas non eſt maior Ordinaria, atqui Ordinaria Domini Dunenſis authoritas non comprehendebat illũ Fontanenſem Hoſpitem, ergo neque authoritas Claræ-vallenſis: cùm ſit extraordinaria. Nec obeſt, quod Fontanenſe ſit etiam filiatio Claræ-vallis quia D. Claræ-vallenſis dum non viſitat Fontanenſe Cœnobium, in Fontanenſes non habet immediatam authoritatem: at viſitare Dunenſe eſt non viſitare Fontanenſe Cœnobium: ergo in Fontanenſes, dum Dunas viſitat, nullam authoritatem habet. Idem dicendum eſt de quibuſcumque ſeu Viſitatoribus à Capitulo ſeu Hiſpaniæ ſeu Galliæ deſignatis.

PAV-

PAVPERTAS.

815 PAupertas duplex eſt, nobilis, & illiberalis. Hanc inuexit Fortuna, illam in corde magnanimo fixit generoſitas. Paupertas nobilis ingenua eſt, quoniam ingenuos facit. Ingenuè pauperes dicuntur Pauperes ſpiritu, quia dum nihil habent omnia poſſident, quoniam omnia contemnunt. Non conſiſtit Paupertas in rerum effectiua carentia, ſed in affectiua. Illiberalis pauper eſt, qui rerum poſſeſſione caret, quarum deſiderio non caret: liberalis, & ſpiritualis pauper dici debet, qui licet diuitias habeat domi, non habet in corde. Vnus enim affectus erga diuitias conſtituit vilem paupertatem. Optimè Adamus (ſi & ipſe Hebraicæ linguæ inuentor, vt multi aſſerunt) eſſentiam paupertatis, illiberalitatemque cognouerat, cùm eam אבוי *Aboi*, hoc eſt *Concupiſcentiam* nominauit, quia ſolus pauper, & miſer ille eſt, qui plures opes concupiſcit. Quàm aptè neſcio quis!

Quis diues? qui nulla cupit. Quis pauper? auarus.

Ignobilis paupertatis pericula meditans idem Nomenclator, eam dixit חמרון *Heſron*, hoc eſt *fraudem*, à radice חמר *Haſar*, quæ in *Pihel* ſignificat *Circumuenire, & Defraudare*: quoniam illiberales pauperes, cùm opes ambiunt, nulli fraudi aut corruptioni parcunt, vt diuites fiant. Tales illi de quibus Calphurn. Flaccus, Controuerſia 7. *Pauperes*, inquit, *erant, & ideò potuere corrumpi*: & mox, *Negas potuiſſe corrumpi? pauperes fuerunt*. Nominalem ago iam video, ſed etymon quæro in Lingua rationali. In alijs.

Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis: in Hebræa ſemper; quia illis nomina impoſuit Adamus Iehoua Præſide: nec erraſſe dicendus eſt, qui dirigebatur infallibiliter à Deo.

816 Pauperes ſpiritu donauit nomine הלנאים *Helcaim*. Legunt acutè Maſorethæ חל כאים *Hel Caim* per duas dictiones *Conuentum Contritorum*. Vt doceamur veros, & ingenuos Pauperes reperiri in Conuentibus, *in communitatibus*: nempe, eos, qui corda pænitentia conterunt, corpora incommoditatibus macerant, vt innocentiam recuperent, quam per peccatum perdiderunt.

817 Tanti Deus facit liberam paupertatem, vt eam Dauid audeat *Dei fortalitium* nominare. Conquerebatur Deo afflictus Rex de ſuis hoſtibus Epigrammatis 59. verſ. 12. Cui in ecſtaſi Omnipotẽs: Quid deſideras Dauid, fieri tuis hoſtibus? Ecce, & poſſum, & volo opitulari, & fauere tibi. Deſtruam? annihilabo? Deo Propheta Rex me interprete: *Nullatenus, heu me! Deus! fiam videri in inimicis meis. Ne occidas eos: ne fortè obliuiſcatur populus meus: promoueri facias eos* בחילך hebelca *in fortalitio tuo, ſeu in volũtaria paupertate.*

TEXTVS Caput 33.

Si debeant Monachi proprium aliquid habere.

818 PRæcipuè hoc vitium radicitùs amputetur de Monaſterio, ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine iuſſione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem,

neque codicem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino: quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria poteſtate. Omnia verò neceſſaria à Patre Monaſterij ſperare; nec quidquam liceat habere quod Abbas non dederit, aut permiſerit. Omniaque omnibus ſint communia, vt ſcriptum eſt, nec quiſquam ſuum eſſe aliquid dicat, aut præſumat. Quod ſi quiſquam hoc nequiſſimo vitio deprehenſus fuerit delectari, admoneatur ſemel, & iterum; ſi non emendauerit, correptioni ſubiaceat.

Quò ſæpiùs ſanctam Regulam lego, eò vehementiùs admiror Legislatoris ſuauitatem. Vocat vitium Proprietatis nequiſſimum, & meritò; quoniam ignobile peccatum eſt, & non ſolùm contrà votum, ſed contrà humani pectoris politicam generoſitatem. Multos nobiles, & ingenuos homines fragiles vidimus, multos inobedientes, fures ac latrones vix paucos. Luxus nobilibus innatus morbus eſt, vix capax medicinæ; ſtemmatum ſplendor eos inflat, & ſæpe reddit arrogantes, & indociles: nobilitas autem cùm vera, ſemper eſt liberalis, adeò eſt ſuperba, vt nec ſubiaceat Auaritiæ; hæc enim nequiſſima magnanimo pectore eſt indigna.

Nequiſſima auaritia eſt, eius proles eſt proprietas, quæ, & æquè ignobilis. Hæc vitia radicitùs Prælatus amputet, ſummo rigore. Verùm quali? rigore clementiam ebibente, induente ſuauitatem, ſi quiſpiam, inquit Benedictus, deprehenſus fuerit hoc nequiſſimo vitio delectari, admoneatur ſemel, & iterum; ſi non emendauerit, correptioni ſubiaceat.

Admonebiturnè publicè an priuatim? ipſa admonitio publica, correptio eſt: Ergo ſi antè correptionem debet ſemel, & iterum admoneri, opus eſt admoneatur priuatim.

Admonemini etiam Antiſtites, in ſimilibus caſibus veſtros ſubditos admonituri. Non omnia ſtatim ad forum iuſtitiæ debent deferri. Oportet multa videre non videntes, multa non audientes audire. Capituli parietes ne omnia videant, præcipuè ſi grauia. Peccantes ſuauiter accerſite, clementer inſtruite, & apud reliquos in honore, & opinione conſeruate. Antequam in Capitulo aliquem condemnetis, eum ſemel admonete, iterùm priuatim corrigite, publicas pœnas minitamini: prodeſt ſæpe ferenda ſententia, quæ noceret lata. Me iudice, pede tardiſſimo reum quempiam agite, punite ob proprietatem, aut aliud crimen, ex quo ſubſequatur infamia. Quid Abbati proderit habere infamem Religioſum? Quantæ laudi erit Patri filium infamaſſe, cuius honorem tueri poterat, cuius peccata obtegere, & vitam medijs ſeueris ſecretè emendare? Quantæ vtilitati erit ipſi ſubdito, fuiſſe factum infamem? Plurima bona propter authoritatem fiunt, quæ aliàs non fierent. Negotiò facili ſuis miſerijs indulget, qui nil perdere poteſt. Nihil infamis poteſt perdere, qui, opinione dilapidata, cenſetur perdidiſſe vniuerſa.

TEXTVS Cap. 54.

Quod non debeat Monachus literas vel eulogia accipere.

819 NVllatenus liceat Monacho nec à Parentibus ſuis, nec à quoquam hominum, nec ſibi inuicem, literas aut [a] eulogia, vel quælibet munuſcula accipere, aut dare ſine [b] præcepto Abbatis ſui. Quod ſi etiam à Parentibus ſuis ei quidquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere, niſi priùs indicatum fuerit Abbati. Quod ſi iuſſerit ſuſcipi, in Abbatis ſit poteſtate cui fortè directum fuerat, vt non detur occaſio maligno. Qui autem aliter præſumpſerit, diſciplinæ regulari ſubiaceat.

Eulogia a) *Græcè Ευλογία id dicitur quod Hiſpanicè Encomiendas, o beſamanos.*

Præcepto b) *Præceptum ponitur pro licentia: quia loquendo iuxtà rigorem Scholaſticum, ad hoc vt licitè ſubditus aut literas aut munera quævis recipiat, non requiritur Abbatis iuſſio, ſed ſufficit permiſſio.*

De munerum largitione, & receptione egit Clemens VIII. in particulari Bulla, de qua diſp. 58. num. 820.

Ad pleniorem huius capitis intelligentiam, lege diſp. 60. num. 876. & deinceps.

Hoc caput exponit lex lata apud Germanos Ciſtertienſes ann. 1595. per hæc verba. Ad Regulæ præſcriptum nullus litteras ſcribat, nec recipiat, nihilq; det, mittat aut accipiat ſine Abbatis aut Prioris ſcitu, & permiſſione, nec vllus particulare ſigillũ habeat, ſed cum opus fuerit, paruo ſigillo prioratus litteræ, ſi quas Fratres ſcribant, claudantur; qui aliter præſumpſerit, niſi ſit officiarius diſciplinæ regulari ſubiaceat.

DISPVTATIO LVII.

Vtrùm Benedictini habeant rerum dominium in communi.

820 HÆc quæſtio vniuerſalis eſt, & proderit omnibus ſemel examinata. Ad illam reſpondet Nauarrus *in Comm. 2. de Regul. num. 3. 34. & in Apolog. q. 1. monito. 24. & alibi*, nullos Religioſos habere rerum dominium in communi; quia credit bonorum mobilium, & immobilium dominium, non ad Congregationes Monaſticas, ſed ad ſolum Chriſtum pertinere. Conſentit Maior *in 4. d. 24. q. 6.* & probant, Quoniam hæc bona paſſim in iure *Patrimonium Chriſti* vocari ſolent.

Miror in re tam graui authores tam doctos definire ex motiuo tam leui. Etiam quæ dantur pauperibus non Re-

ligioſis, Chriſto Domino dari dicuntur; nihilominus dominij titulo pertinẽt ad huiuſcemodi pauperes. Quis enim mortalium dixit vnquam, argenteum à te largitum pauperi, non eſſe pauperis, ſed Ieſu-Chriſti? Eleemoſynæ Chriſto dicuntur dari. S. Ioann. Chryſoſtomus, Homil. 8. ad Coloſſ. *Non pro dolore pauperum hæc dico*, ait, *ſed pro veſtra ſalute. Peribunt, qui Chriſtum non aluerunt*. S. Saluianus lib. 4. contra auaritiam: *Non enim vile ac deſpicabile putes, ſi ſubſtantiam tuam miſeris atq; egentibus derelinquas. Chriſtum in illis facies hæredẽ, & hæreditatis emolumenta percipies. Quæcumque enim Chriſto reliqueris, per Chriſtum omnia poſſidebis*. Quibus conſonant etiam authores vniuerſi: qui non debent in metaphyſico rigore intelligi, ſed in politico; eo enim ſenſu, quo occidere legatum eſt legantem moraliter occidere, eo ipſo largiri eleemoſynas, eſt Chriſtum alere. Muneribus quidem noſtris Chriſtus verè non alitur; ſed pro ſua clementia ita ſe habet erga munificos, ac ſi eleemoſynis ipſorum aleretur.

RESOLVTIO.

Communis ſententia aſſerit. Religioſos omnes (excipe Capucinos & Minores de obſeruantia) habere rerum non ſolùm vſum, ſed & dominium in communi.

Hanc concluſionem probat Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 4. dub. 5.* aliquibus authoritatibus, quæ Nauarrum non vrgent, aſſerentem *dominium regulare* vocari Ius adminiſtrandi. Ergo neceſſarium eſt, relictis teſtimonijs, rationibus vti.

Igitur contrà Nauarrum, & Maiorem arguo ſic. Si Monaſticæ congregationes ſunt dominij incapaces, ergo vel ratione voti paupertatis, vel ratione alicuius leges eos reddentis inhabiles ad dominium. Non ratione legis alicuius: ergo ratione voti. Atqui votum paupertatis non obligat congregationem, ſed ſolummodò particulares: ergo. Minorem probo. Huiuſcemodi votum ſolùm obſtringit emittentem; ſed id non emiſit communitas: ergo non obligat communitatem. Minorem demonſtro. Quoniam nulla eſt Benedictinorum aut ipſis ſimilis, congregatio, quæ per modum communitatis paupertatem promiſerit. Cùm igitur hanc virtutem priuatim promittant Religioſi, non communitas; dicendum eſt, eam non congregationem, ſed ſingulos ſeorſim obligare.

Pro maiori huius rei intelligentia, adnotato, alia eſſe bona Sacra, alia Eccleſiaſtica, alia Sæcularia, alia Sæcularium, alia Eccleſiaſticorum.

Bona Sacra dicuntur, loca, & bona illa quæ immediatè Deo dantur, dicanturque cultui diuino, vt calices, ornamenta, lampades, & alia huiuſmodi, cùm conſecrantur vni Deo, nempe cùm dantur Deo, & non communitati.

Hinc conſtat, aliud eſſe dare calicem aureũ Deo ad vſum talis Templi, aliud eſſe dare Monaſterio. Quia ſi calix Deo detur, etiam ſi liquefiat, & conſecrationem perdat, & maneat aurum impolitum, pertinebit tamẽ iure dominij ad Deum, & non poterit communitas illud conuertere in domeſticos vſus; ſed tenebitur illud impendere in rebus pertinẽtibus ad cultum diuinum. Quod ſi calix ille aureus donetur Monaſterio, poterit id illum vendere, & pretium in vſus domeſticos conuertere ſine conſcientiæ ſcrupulo.

Ex his colligo, debere diſtingui ſacrata à ſacris. Nempè *Sacrata* dicuntur illa, quorum vſus pertinet ad Deũ, dominium ad homines; *Sacra* verò, quorum vſus, & dominium pertinet ad ſolum Deum.

Bona Eccleſiaſtica ſunt illa, quę pertinent ad Eccleſiaſticas perſonas adæ-

quatè,

quatè, hoc eſt, non ſolùm quoad immediatum dominium, ſed etiam quoad ſupremum, quod *de ſoberania* noſtrates vocant.

Bona Sæcularia ſunt ea, quorum dominium totaliter pertinet ad ſæculares: illa ſcilicet, quorum dominium immediatum, & ſupremum eſt penes ſæculares.

Bona Eccleſiaſticorum, & non Eccleſiaſtica ſunt illa, quorum immediatus Dominus eſt Eccleſia aliqua; ſupremus verò eſt Princeps ſæcularis.

Bona Sæcularium, & non ſæcularia illa, quæ reſpiciunt ſæcularem aliquem tamquam immediatum Dominum, Eccleſiam autem aliquam, vt ſupremum.

Dominium quid? quotuplex?

821 Dominium eſt ius in re aliqua tanquam in propria, & diuiditur in generale, & particulare. Dominium generale, eſt dominium omnimodū in vniuerſis: & hoc vni Deo cōpetit, Domino vniuerſorum. Ipſe modis omnibus vniuerſæ creaturæ dominatur. Particulare, eſt dominium à Deo participatum, & finitum, quod ad aliqua extenditur, & non ad omnia, & iſtud pertinet ad creaturas intellectuales; irrationales enim non ſunt capaces alicuius Dominij.

Dominiū particulare eſt duplex; nēpè proprietatis, & iuriſdictionis. Dominium iuriſdictionis eſt ius gubernandi legibus. Dominium proprietatis eſt ius diſponendi de aliqua re tanquam de ſua, hoc eſt, vendendi, dandi, commutandi, mutuandi, oppignorandi. Dominium proprietatis diuiditur in perfectum, & in imperfectum. Ille dicitur dominus imperfectus, qui vel habet rei proprietatem, & non emolumentorum; vel horum, & non ipſius rei: perfectus autem Dominus ille eſt, ad quem proprietas pertinet non ſolùm rei principalis, ſed etiam vſusfructuum. Dominium imperfectum diuiditur inutile, & directum. Directum dominium dicitur, quod eſt rei ipſius: tale habet Princeps in feudis, qui locauit agrum in agro; & filius-familias in peculio aduentitio. Dominium fructuum dicitur vtile, tale habet vſu-fructuarius, feudatarius, emphyteuta. Dominium directum non eſt inutile, vt multi credunt; quia dantur leges, quæ definiunt, quando, & qualiter debeat dominium directum cum vtili conſolidari, quas non iuuat in præſentiarum recenſere. Dominium perfectum diuiditur in politicum, & particulare. Politicum eſt, quod extraordinariū, ex vi cuius poteſt Princeps bona vnius hominis dare alteri, vel abſolutè auferre, ſi hoc grauiter conducat ad conſeruationem authoritatemque Reipublicæ. Particulare, idem eſt quod ordinarium, & tale eſt apud ſingulos particulares in bona, quorum dicuntur habere proprietatem, & eſt duplex, Actuale, & Potentiale. Dominium actuale eſt quod habet vnuſquiſque in ſuis boni; potentiale autem, quod habet in aliorum bona, quæ poteſt emere, vel recipere gratis, ſi legitimè ſibi donentur. Hinc conſtat, hunc librum iure dominij actualis pertinere ad ſuum dominum, iure dominij potentialis ad omnes, & ſingulas perſonas; omnes enim aut poſſunt eum recipere gratis, aut emere.

Petis, ſintnè ſoli Homines, an etiam Angeli, capaces dominij limitati, Leſſio *lib.2. de iuſt. & iur. cap. 4. num. 3.* videntur Angeli non habere proprium dominium, niſi ſuarum actionum. Cæterùm, non video apparentem aliquam rationem, quæ probabiliter conuincat Angelos non poſſe habere dominium in inferiores creaturas, ſi illis, vel illarum aliquas Deus ipſis ſubiecerit. Cùm autem ex potentia actus non inferatur neceſſariò, reſpondeo, non conſtare, vtrùm Michael, exempli gratia, habeat aut non habeat dominium verum, & proprium in talibus aut talibus creaturis. Igitur vt omnia quæ diximus, complectamur, conſidera hanc categoriam.

- Dominium
  - Generale & infinitum, quod vni Deo conuenit, & naſcitur à creatione; ſi enim nos non creauiſſet, huiuſcemodi dominio generali careret.
  - Particulare, Quod hominibuscōpetit, & fortè Angelis.
    - Iuriſdictionis, ſiue gubernādi poteſtas.
    - Proprietatis, & eſt poteſtas perdendi, & conſeruandi.
      - Perfectum ſeu adæquatum.
        - Politicum, & ad Rempublicam ſpectat.
        - Priuatū & pertinet ad particulares.
          - Actuale.
          - Potētiale.
      - Imperfectum ſeu inadequatum, aut partiale.
        - Directum in rem ipſam.
        - Vtile in fructus rei.

Manus mortua quæ?

822 Videmus homines in agone aliquid apprehendere, quod niſi extrahas antequam artus, frigeſiant, vix poſteà poteris. Hinc adagio politico, tenaces, auari, & qui nihil ſolent amicis impertiri, *manus mortuæ* denominantur. Vnde translationi occaſio. Omnia bona vinculata, quoniam immutabilia fiunt, dicuntur in mortuam manum incidiſſe: incidunt enim in genealogiæ aut communitatis manum, quæ illa non poteſt commutare.

Amortizatio quid?

823 Quod talia bona reddantur invendibilia, eſt directè contra omnes particulares, qui hanc conſtituunt Rempublicam, ſine quorum conſenſu, aut ſaltem Principis, nemo bona, aliqua incommutabilia indiuiſibiliaque facere poteſt. Ratio eſt; quia ſinguli homines, qui ſunt vera membra huius regni, habent ius dominij potentialis, ergo nullus poteſt ab illis hoc ius auferre, niſi ipſi, vel Princeps. Sanè ipſi poſſunt, etiam ſine cauſa, quoniam poſſunt cedere ſuo iure: non tamen ſine Principe, quoniam & ipſe Princeps ſupremus habet ius dominij potentialis in talia bona, & ſi ipſe etiam non cedat iure ſuo, etiam ſi omnes particulares iure ſuo cedant, bona illa non reddentur inuendibilia, indiuiſibilia & vinculata; quoniam

niam in vendibilia bona ſunt illa quæ à nemine emi poſſunt; quæ ſi ab vno poſſint emi, nō debent vocari inuendibilia.

Princeps ſupremus ſine ſubditis poteſt reddere aliqua bona incommutabilia & inuendibilia: Primò, de conſenſu Procuratorum, in quorum ſententiam omnes vaſalli compromiſerunt; vel ſolus, ſi in ſuam ſolam ſententiam particulares compromiſerint. Secundò ſolus, (nimirum in Rebuſpublicis, in quibus Principis decreta à populi acceptatione non dependēt) cùm ex cauſa graui vtens iure dominij politici vinculat hæc bona & firmat in talis aut talium poſſeſſione, & cōcomitanter priuat vniuerſos iure dominij potentialis circa huiuſmodi bona: ex quo ſequitur, neminem poſſe illa emere, neminem poſſe illa recipere, etiam à gratis dante.

Hæc bonorum vinculatio, qua indiuiſibilia, inuendibilia & incommutabilia fiunt, vocatur *Amortizatio*, quoniam hęc ſanctio multos moraliter occidit. in politico idiomate lis ſopita dicitur, quæ in foro eſſe deſijt reuerſura: mortua autem, cum ita deſierit, vt nunquam iterum tractanda ſit. *leg. cum lite. ff. iudic. ſolut.* Hæres mortuus dicitur, qui eſt exhæres. *Speculat. in titul. de fer. §. 1.* Exul, captus ab hoſtibus, plexus in ſtatua, & ſimilis, ciues mortui dicuntur. *leg. cum ſtatus. §. ſi ambo, ff. de donat. cauſ. mort.* Etiam Monachus mortuus ille dicitur, qui dimiſſus, aut eiectus, aut excommunicatus, aut quoquo alio modo exemptus. *Leg. fi. C. de epiſc. & cleric. §. ſecundum. in Aut. de nupt.* ſimili modo emptores, mortui dici poſſunt, reſpectu illorum bonorū, quę non poſſunt emere: venditores mortui, ſeu venditores manus-mortuæ illi, qui vendere non poſſunt. Vnde, bonorum vinculatio, non niſi emptorum & venditorum politica occiſio quæpiam eſt: ac perinde bona ipſa vinculata & incommutabilia, poſſunt mortua dici; quoniam vendi non poſſunt.

Non poſſunt bona aliqua viua bonis mortuis incorporari ſine licentia Principis.

824 Commutabilia bona, ſi incommutabilibus connectantur, incommutabilia ac mortua fiunt: puta, ſi fundus talis legitimè incorporetur maioratui, imbibet prærogatiuas maioratus, & reddetur mortuus ac inuendibilis. Hęc autem incorporatio non poteſt fieri ſine licentia Principis; quod probo ſic.

Nullus poteſt dare alteri maius dominium in re aliqua, quàm ipſe habebat: quia vaſallus Regis Hiſpanię poteſt vendere ius proprietatis quod habet in ſua domo, non tamen poteſt vendere ius ſupremi dominij; nam id non eſt venditoris, ſed Principis.

Maioris claritatis gratia, ſupponamus Comitem Petrum emere à Ioanne ciue Bruxellenſi vnam domum in eodē emporio Primò, Ioannes non potuit vendere Comiti Petro dominium generale & infinitum, quod ſupponitur ad Deum ſolummodo ſpectare: *Secundò*, nec ipſe Ioannes vendidit dominiū iuriſdictionis, nec politicum; non enim illa ad ſe, ſed ad Regem Hiſpaniæ pertinebant. *Tertiò*, nec vendidit dominium potentiale, quia hoc pertinet ad ſingulos in ſolidum & ad Principē, qui vel ex ſuorum conſenſu poterit omnium nomine cedere iuri dominij potentialis, etiam ſi cauſa deſit; vel ſolus, ſi cauſa id exigat, & authoritas ſuppetat, poterit priuare omnes iure potentialis dominij reſpectu domus huiuſcemodi. *Supereſt*, quod Ioannes ſolùm Petro vendiderit dominium proprietatis perfectæ & actualis. Ergo ex vi iſtius contractus, domus illa non remanet amortizata; erit enim domus Comitis non Comitatus: vt igitur ad Comitatū pertineat, opus eſt vt incorporetur Comitatui & reddatur inuendibilis; reddetur, ſi omnes priuentur iure dominij potentialis reſpectu eiuſdem domus, ita

vt in

vt in poſterum nemo eam poſſit vendere, aut emere; hoc autem non poteſt fieri ſine Principe.

Hinc conſtat, diſtinguendum eſſe inter bona manusmortuæ, & amortizata. Bona amortizata ſunt bona incommutabilia, quæ nec emi nec vendi poſſunt: tales ſunt Maioratus, & omnes indiuiſibiles poſſeſſiones, quę trãſfertur ad poſteros quaſi ab inteſtato. Bona manus mortuæ ſunt bona quę reuerà ſunt commutabilia, poſſidentur tamen ab habente bona amortizata; talis erat in exemplo nuperimè poſito illa Bruxellenſis domus, quæ non ad Comitatum, ſed ad Comitem Petrum pertinebat.

De Bonis Eccleſiaſticis.

825 Quodcumque Benedictinorum Monaſteriũ (Idem dicito de quacumque congregatione habente bona in cõmuni) habet verum perfectum priuatum & actuale dominium proprietatis in omnia illa bona, tam mobilia quàm radicalia, quæ ſua dicuntur. Dominium iuriſdictionis immediatæ pertinet ad Abbatem domus, quæ eſt mater eiuſdẽ Monaſterij; hic enim ex natura rei, ni dentur ſanctiones legitimæ quæ aliter diſponant, habet dominium iuriſdictionis in omnes filiationes, vt videbimus inferiùs ſuo loco. Dominium iuriſdictionis ſupremę pertinet ad Pontificem Maximum; ad quem ſpectat etiam dominium Politicum perfectum, ratione cuius poterit, ſi detur cauſa grauis id exigens, bona vnius Monaſterij dare alteri eiuſdem vel alterius Ordiuis vel alij Eccleſiæ. Cauſam grauem id exigentem poſtulo, vt Pontifex poſſit bona vnius Monaſterij dare alteri, vt præcludam aditum adulatoribus, & oſtendam dignitatem Pontificiam ad bonum publicum Eccleſiæ eſſe inſtitutam, non autem ad confuſionem & turbationem ſingularium. Non poſſe Pontificẽ pro arbitratu ſuo ſine cauſa, bona vnius Cęnobij ſibi adſumere, vel alteri aut Monaſterio aut Eccleſię dare (Eccleſię nomine etiã Epiſcopos intellige & S. R. E. Cardinales) docet Leſſius *de iuſt. lib. 2. c. 4. num. 19. §. Contrà.* ſubſcribens communi Doctorum opinioni. Quoniam ad hoc vt Põtifex Summus poſſet ſine cauſa bona mei Monaſterij auferre, deberet habere in bonis dicti Monaſterij ius dominij actualis, quale habet ſæcularis in ſuis bonis, & quale ipſemet Põtifex in bonis Capucinorum, & Fratrum Minorum de Obſeruantia. Cæterùm, in bonis aliarum Religionum, dominium actuale non ad Summum Pontificem pertinet, ſed ad communitatem.

Bonorum Eccleſiaſticorũ dominium potentiale ad neminem ſpectat; nullus enim illa vẽdere aut emere poteſt, cùm ſint à ſuo Supremo Domino, hoc eſt, à Pontifice amortizata: quæ ſi contingat legitimè vendi ſæcularibus, eo ipſo quòd legitimè commutabilia reddantur fiunt bona Eccleſiaſticorum, & non remanent ampliùs Eccleſiaſtica.

De dominio Imperfecto nõ eſt opus aliquid addere; quia id nihil eſt aliud quam pars Perfecti ex dictis cognoſcenda.

Non poſſunt bona Eccleſiaſtica ſæcularia fieri, ſine partium concordia & Pontificis amortizatione.

826 Eſt lege naturali ſanctum, *ne quis aliena inuito Domino deripiat vẽdat aut commutet* conceſſum *vt de proprijs diſponat.* Hæc eſt ſolidiſſima veritas, in qua nititur doctrina de amortizatione, quam ediſſerũt multi & pauciſſimi intelligunt. Reus igitur Philoſophus à vulgaribus quod omnia diſtinguat: ipſe condemnat eos quia omnia confundunt. Diſtinctio in rebus Scholaſticis iniuria nemine; quia ſi loqueris in eo ſenſu quem admittit, tua aſſertio conceditur; ſi in contrario, negatur. Si in neutro, venis exponendus & di-

diſtinctione alia explicandus. Illa quæ in rebus diſtinguuntur, etiam ſunto ideis diſtincta. Vt igitur bene calleas præſentem controuerſiam, memoria retine ſanctionem naturalem & dominij prædictas diſtinctiones, quibus præpoſitis propono caſum.

Monaſterium N. dedit effectiuè Comiti Petro ſæculari fundum verè Eccleſiaſticum, quem excorporauit à bonis Monaſterij ſine Pontificis authoritate. Petitur, an donatio ſit valida, & quis ſit illius fundi Dominus.

Reſpondeo, illum fundum, quem à dicto Monaſterio recepit Comes Petrus, etiam dum ab ipſo Petro poſſidetur, titulo ſupremæ iuriſdictionis ſeu dominij *de ſoberania*, vt loquimur Hiſpanicè, pertinere non ad Regem, ſed ad ſolum Pontificem, & hoc non ſolùm probabitur, ſed demonſtrabitur. Quoniam, ſi nemo poteſt alienare quod ſuũ non eſt, non potuit prædictum Monaſterium dare Comiti Petro, aut eius Regi dominium ſupremum in illo fundo; hoc enim non ad Monaſterium, ſed ad Pontificem Romanum pertinebat: Ergo opus eſt quod Põtifex cedat Regi dominium illud ſupremum, vel aliàs id non tranſibit ad Regem, ſed in Pontifice manebit. Hoc argumentũ etiam demonſtrat, Monachos non potuiſſe dare aut comiti aut eius Regi dominiũ politicum, quod non habebant ipſi ſed Pontifex, & bona Pontificis (hæc ſunt aliena) non poſſunt donare tales Monachi priuata authoritate.

Dominium proprietatis potentialis in illum fũdum habebat Comes Petrus; non enim poteſt Pontifex priuare proprio dominio ſæculares; ac propterea dicendum eſt, Petrum verè potuiſſe aut gratis recipere, aut pretio emere fundum huiuſmodi. Potentialis proprietatis dominio in illo fundo carebãt dicti Monachi, quia ille fundus, vt ſupponitur, erat Eccleſiaſticus & incommutabilis, & vinculatus manui mortuæ: ergo Monachi nec eum potuerunt dare, nec vendere. Attende obſecro. Nõ ſufficit te eſſe viſiuum vt Angelum videas, ſicut nec te eſſe auditiuum vt colorem audias, quia & inaudibilis color, & Angelus eſt inuiſibilis: viſus enim nihil videre poteſt inuiſibile, nec auris audire inaudibile, & ſic ſimiliter de alijs potentiis. Ergo non ſuffecit Comiti Petro ſe habere poteſtatem, emendi illum fundum, ſi ipſe erat inuendibilis: Monachi enim, vt probaui, vendere illum non poterant. ¶ Accedit, quòd probabiliùs debeat dici, Petrum Comitem nullum ius proprietatis potentialis habere in dictum fundum: ratio eſt, quia ille fundus olim fuit ſæcularis & commutabilis; ergo vt fieret Eccleſiaſticus, indiguit amortizatione Regis; ergo & Comes Petrus eſt emptor politicè mortuus, hoc eſt, non habet emendi aut recipiendi poteſtatem.

Ex dictis igitur manifeſtum eſt, fundum illũ, quem aut accepiſſe aut emiſſe dicitur Comes Petrus, defectu amortizationis concedendæ à Pontifice, non mutauiſſe poſſeſſorem, ſed iure actualis dominij pertinere ad dictum Monaſterium, iure ſupremæ iuriſdictionis & authoritatis politicæ ad Pontificem Romanum; ac per conſequens donationes, venditiones, & commutationes huiuſcemodi eſſe nullas, ſi fiant ſine Pontificis authoritate.

Sunt aliqua Monaſteria quæ habent Priuilegia à Summis Pontificibus conceſſa alienandi, donandi, & vendendi ſæcularibus, quæcumque bona radicalia aut mobilia, cùm iudicauerint expedire propriæ commoditati, ex vi quorum valeret donatio facta à Monaſterio in fauorem dicti Comitis Petri.

Hic obiter notandem eſt, id quod fortè non omnes Iuriſperiti animaduertunt, nempe bona Eccleſiaſtica indiuiſibilia, quæ per amortizationem Pontificis tranſeunt ad ſæculares, non tranſire indiuiſibilia, hoc eſt, cùm primùm

mùm ſæcularia fiunt, diuidi poſſe. Perſuadeo ſic. Ideò bona Eccleſiaſtica ſunt indiuiſibilia, quia cùm fuerunt data Eccleſiæ, amortizati ſunt à Rege emptores ſæculares, amortizati ſunt à Pontifice emptores, & venditores Eccleſiaſtici; atqui cùm bona Eccleſiaſtica ſęcularia fiunt, Pontifex donat Eccleſiaſticos iure proprietatis potentialis, vt de ſe patet; cedit priuilegio amortizationis conceſſæ à Rege; quia ſi non cederet, illa bona non poſſent emi à ſęcularibus: ergo ſublatis iſtis amortizationibus, illa bona remanent diuiſibilia atque commutabilia, vt alia non vinculata bona quælibet, quæ poſſident viri ſæculares.

An, & quomodo res ſæculares poſſint ſacræ fieri, aut ſacratæ.

827 Ex eiſdem principijs cognóſces quid facias cùm Chriſto ipſi, & vni domum aliquam dedicas, hoc eſt, donas. Poſt donationem illa domus nouo titulo debetur Deo. Deus habebat in illa domo dominium generale infinitum intrinſecum, & ab æterno, incipit à donationis tempore eſſe dominus domus illius nouo titulo, nempe iure proprietatis actualis atque particularis; vnde iam illa domus iure actualis dominij non ad te, ſed ad Deum vnum pertinebit tanquam ad verum dominium, & ad ſummum Pontificem tanquam ad Prodominum ſeu Dei Vicarium, qui illam pro arbitrio dare aut alienare non poterit, ni detur cauſa ex qua probabiliter colligatur Chriſtum Dominum, ſi inter nos degeret, illam alienaturum eſſe.

Omnes qui habebāt anteà dominium proprietatis potentialis in illam domū, habebunt, & poſt conſecrationem; ac proptereà ſi ex cauſa ſufficienti illam ſummus Pontifex vendat, poterunt eam à Pontifice emere illi omnes, qui à te poterant antè conſecrationem.

Per meram domus dedicationem ſeu donationem Chriſto Domino factam, non perdit Rex aut quilibet ſupremus Dominus iuriſdictionis aut politicę authoritatis titulum. Ratio eſt; quia ex vi iſtius dedicationis tu tranſtuliſti in Chriſtum quidquid iuris habebas in ſupradicta domo; atqui non habebas dominium ſupremæ, nec dominium politicæ authoritatis: ergo illud transferre non potuiſti. Manet igitur, domum illam non eſſe totaliter ſacram, ſed ſecundùm quid. remq; nullam poſſe fieri totaliter ſacram ſine licentia proprij Regis; ſine licentia, inquam, quam vel olim dederit vel poſteà dabit.

Templa ſunt loca totaliter dicata Deo, quæ ſubſunt Deo ſoli, & prætereà nemini. In eis habet ius dominij Pontifex, non vt Dominus ſed vt Prodominus. Hinc conſtat templa eſſe loca ad quæ poſſunt omnes confugere tanquam ad aſilum, in quibus ſæculares aut Eccleſiaſtici iudices nullam iuriſdictionē habent. Nullum poteſt Catholicus Hiſpaniæ Rex vinculis mandare Londini. Rex Angliæ nullum Madriti poteſt capere; quia ſicut nec Londini Catholicus, ſic nec Madriti Rex Angliæ ſupremam aut politicam iuriſdictionem habet. Ergo, & ſimiliter nullus Rex, ſi rei naturam ſpectemus, poterit quempiam à templo extrahere, quia in eo nullam iuriſdictionem ſupremam aut politicā habet; eſt enim Templum locus adæquatè mortuus, qui debet cenſeri, ac ſi non eſſet: vnde qui eſt in Templo, non ſolùm cenſendus eſt eſſe in territorio alterius Regis ſed etiam (& hoc benè conſidera) cenſendus eſt non eſſe in Mūdo; eſt enim in loco qui nullo titulo ſubeſt homini, ſed vni Deo. Si quiſpiam Hiſpanus confugiat ad Angliam, eſt liber: cæterùm, ſi id cauſa exigat, poterit Angliæ Rex aut eius Vicarius negare fauorem confugienti, & permittere vt in Anglia capiatur: non ſecus Summus Pontifex, ipſe eſt Pro-deus, ex

cauſa

cauſa legitima fauorem, & adſiſtentiam aliquibus ſceleratis deuegat, permittens quod ab Eccleſia ipſa extrahantur. Poſita autem hac Pontificia permiſſione, poſſunt & ab Eccleſijs extrahi, & ſententia condigna iudicari.

Hinc conſtat, aliter dominari Pontificem in templis, aliter in bonis Eccleſiaſticis. In vinculatis enim Eccleſiæ Romanæ bonis habet dominium ſupremæ authoritatis, ac dominium politicum, nec non priuatum actuale: in eadem bona nulli habent dominium potentiale, ni Pontifex ipſe concedat. In bonis Monaſterij N. Ordinis Ciſtertienſis v.g. Pontifex habet dominium iuriſdictionis ſupremæ, politicæque diſpoſitionis. Dominium actualis proprietatis ad Monachos in communi pertinet, non ad Pontificem: cùmque agamus de bonis indiuiſibilibus & vinculatis, dominium potentiale nullus habet. In Templo dominium Generale, & particulare, tam iuriſdictionis quàm proprietatis priuatæ aut publicæ, conuenit vni, & ſoli Deo. Pontifex inibi nullum dominium proprium habet, eſt tamen Prodeus, hoc eſt, Vicarius habentis inibi dominium omnibus titulis.

Non poſſunt bona ſæcularia Eccleſiaſtica fieri ſine licentia Regis.

828 Nomine Regis intelligo eum, qui habet clauum regiminis, ſupremamque iuriſdictionem.

CONCLVSIO PRIMA.

Stando iuri naturæ non poteſt fundus ſæcularis, Eccleſiaſticus fieri ſine licentia Regis. Eſt euidens; quoniam nemo poteſt, Deo aut Eccleſiæ dare, quod ſuum non eſt; ergo Petrus cùm donat fundum Eccleſiæ, poterit ei validè dare dominium quod habet ipſe, non illud quod habet Rex, nō illud quod habent vniuerſi. Atqui Rex habet in illo fundo dominium ſupremæ iuriſdictionis, atque dominium politicæ authoritatis; vniuerſi in eundem fundum habemus dominium potentiale; Petrus autem ſolummodo habet proprietatem actualẽ: poterit ergo Petrus donare Eccleſiæ hanc priuatam actualem proprietatem quæ ad ſe pertinet; non poterit proprietatem politicam, ſupremamque iuriſdictionem, quæ pertinet ad Regem; non poterit dominium largiri potentiale, quod pertinet non ad Petrum vnum, ſed, & ad vniuerſos. Ergo ex vi priuatæ donationis ille fundus erit fundus Eccleſiæ non tamen Eccleſiaſticus.

CONCLVSIO SECVNDA.

Stando iuri Eccleſiaſtico non poteſt fundus ſæcularis, Eccleſiaſticus fieri ſine Regis licentia. Patet, quia nec de licentia Summi Pontificis, nec ex vi alicuius Canonis licet aliena rapere, & Eccleſiæ largiri. Dominium autem ſupremum, & politicum non pertinet ad Petrum, ſed ad Regem; ac proinde illud non poterit Petrus cuipiam aut vendere, aut donare Rege inuito. Ita ſentiunt Olibanus *tract. de iure fiſci cap. 7. n. 31.* & iuniores iuris-conſulti ſubſcribentes Arnolfo Ruzeo, Petro Peckio, Carolo Degraſſalio, & Chopino.

CONCLVSIO III.

Sufficit Regis licentia fuiſſe olim conceſſam, ſi legitimè non ſit reuocata, aut moraliter eſſe deſierit. Ideò ſicut Pontifex conceſſit aliquibus communitatibus, vt poſſint quæcumque bona radicalia dare ſæcularibus, & hoc perpetuo priuilegio; ſic ſimiliter Reges poſſunt in perpetuum concedere, vt ſine noua licentia bona qualibet incorporētur Eccleſiaſticis-amortizatis. Tale priuilegium de facto Conſtantinus Imperator, & alij Monarchæ conceſſerunt: id viden-

videntur non conceſſiſſe Reges, Galliæ, Vallentiæ, Luſitaniæ, & Maioricarum, ſine quorum licentia nulla bona ſæcularia. Vide Dian. 1. *p. tract.* 2. *reſ.* 104. *&* 3. *part. tract.* 1. *reſ.* 14. *& part.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 57. qui contrariæ ſubſcribit.

CONCLVSIO IV.

In amortizatione requiſita vt bona ſæcularia fiant Eccleſiaſtica non habet locum legalis aliqua præſcriptio. Ratio eſt: quia legibus non debent iudicari qui ipſis non ſunt ſubiecti: ergo ſæcularis Principis lex non poteſt fauere Pontifici, quoniam iſte ſeculari non ſubditur, nec venit ſæculari iure iudicandus. Leges igitur de præſcriptionibus latæ à Monarchis ſecularibus, Pontifici Summo non fauent: Atqui neque leges de præſcriptionibus Eccleſiaſticæ: ergo. Probatur minor, quia tales leges nequeunt directè attingere bona quæ non ſint Eccleſiaſtica: quæ autem illegitimè dantur Eccleſiaſticis, antequam præſcribant non ſunt bona Eccleſiaſtica.

SVFFICIAT

hæc breuiter ediſſeruiſſe, vt dominij natura & ingenium amortizationis cognoſcatur. Subtiliſſima materia eſt, in qua non multi deſudarunt, & integro libro indigeret. Cùm per occupationes liceat, reſumam vberiore calamo.

DISPVTATIO LVIII.

De Bulla Clementis VIII. circa Religioſorum paupertatem.

829 Anguntur aliquando ſcrupulis non-nulli videntes Bullã Clementis octaui rigidiſſimè multa diſponere, & aliter illa ſeruari. In eorum gratiam volui examinare, qualiter ea obliget, vt habita obligationis notitia, poſſint ſcrupulos omnes deponere.

Ad reſolutionem igitur difficultatis, aſſerendum eſt primò, Leges tam Ciuiles, quàm Pontificias, ante populi cõſenſum acceptationemque nullo modo obligare. Ita docuit noſter. *Nauarrus, in man. c.* 23. *n.* 41. *Cochler. de iuriſdict. to.* 1. *q.* 50. *n.* 8. *Tanerus in p.* 2. *D. Tho. d.* 5. *q.* 5. *dub.* 4. *n.* 130. *Valentia tom.* 2. *diſp.* 7. *q.* 5. *punct.* 2. *Emanuel Sà verbo: lex num.* 1. *Miranda in man. Præl. to.* 2. *q.* 25. *art.* 21. *concl.* 1. *Filliucius tom.* 2. *tract.* 21. *c. vlt. n.* 429. *Leſſius lib.* 2. *c.* 22. *dub.* 13. *nu.* 98. *Sanctarellus tract. de hæreſi. c.* 23. *nu.* 31. *Becanus in ſumma Theolog. part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *q.* 8. *nu.* 2. *Reginaldus to.* 1. *lib.* 13. *c.* 16. *n.* 160. *Homobonus de exam. Eccl. p.* 2. *tract.* 11. *c.* 7. *q.* 17. *Azor. p.* 1. *l.* 5. *c.* 4. *q.* 1. *Villalobos in ſumma tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 16. *n.* 6. & alij plures.

Hanc ſententiam ante omnes docuit D. Paulus 2. *Corinth.* 13. vbi aſſerit Chriſtum dediſſe poteſtatem Principibus Eccleſiæ non in deſtructionem ſed in ædificationem, ex qua aliqui doctè argumentantur ſic. Atqui eſſet ſummum grauamen Chriſtianorum, ſi ijs renitentibus obligarent leges, & hinc non ſequeretur ædificatio virtutum, ſed morum deſtructio, & pacis exterminatio: Ergo leges Eccleſiæ non obligant non acceptatæ.

Aſſerendum eſt ſecundò, hanc conſtitu-

ſtitutionem non eſſe acceptatam à Prælatis Religionum. Ita docuit Stephanus Gratianus *in ſuis diſceptationibus forenſ. tom. 2. c. 203. n. 17.* Megala *part. 2. lib. 2. c. 27. q. 3. n. 65. & conſ. 33. n. 17.* Ioannes Valerus. *verbo Munera. num.* 106. Homobonus *de caſ. reſer. p. 3. c. 3. & in Examine Epiſc. p. 1. tract. 7. cap.* 50. *q.* 123. Tancrus *in 2. 2. diſp. 6. q. 3. dub. 4. num.* 107. Scortia *in conſtitut. Pontif. Epit. 159. Theorom. 399. in fin.* Peirin. *de Religione, to. 1. c. 2. q. 2. §. 6.*

Hæc veritas probatur ratione. In hac Bulla præcipitur, quod debeat quotannis legi in Capitulis omnium Religionum, & ſcribi in libris inſtitutorum, & Conſtitutionum vniuſcuiuſque: Id in Ordine noſtro non fit; ergo non acceptauerunt talem Bullam. Ad probationem Minoris, aſſero me viſitaſſe plurima Monaſteria in Hiſpania, Gallia, Belgio, ſed in eis nec talis Bullæ memoriam, aut aliquod veſtigium reperiſſe; vnde colligo, illam non ſolùm hodie non eſſe in vſu, ſed nec olim fuiſſe acceptatam. Quin immò dum illam aliquando curioſitatis gratia, quærerem obſeruari multis neque de nomine cognitam eſſe. Præterea. Non ſolùm non eſt recepta hæc Bulla, ſed multa contra eam ſancita reperio legibus Religionũ, & ne egrediar ex noſtra, anno 1622. in Capitulo noſtro Generali Hiſpaniæ Diffinitores, ac deinde in ſingulis Monaſterijs Reformator, plurima præcepit in virtute ſanctæ Obedientiæ contraria iſti Bullæ, quorum ſingula, vix aliquo mutato, conſeruantur, ac de nouo mandantur. Hæc omnia demonſtrant iſtam Pontificis Conſtitutionem non fuiſſe receptam. Quod ſi aliquis crediderit leges, & præcepta contra iſtam conſtitutionem lata fuiſſe iniuſta, legat Chriſtophori Martinez Apologiam, vbi illorum valor, & æquitas, ſatis curioſè comprobantur.

Quod ſi velis illas Ciſtercienſium Hiſpanorum leges cum Clementina conciliare, ita vt nullla ſit diſſonantia vel contrarietas, aſſere illam nihil de nouo mandaſſe, ſed paupertatem, prout tunc erit in vſu, confirmaſſe. Stando igitur veritati, cenſeo hanc Clementinam nec à nobis, nec ab alijs fuiſſe receptam. Vnde ſit,

RESOLVTIO.

Clementis VIII. *Conſtitutio de largiendis muneribus non obligat in foro interiori, nec exteriori.* Probo. Omnis lex Pontificia, quæ non eſt recepta, non obligat: Atqui hæc Bulla non fuit recepta: Ergo non obligat. Conſequentia eſt legitima: Maiorem, atque Minorem probaui.

Hæc reſolutio tollit omnes illas quæſtiones, quas per Librum integrum Soſa, & alij laudabiliter pertractant, quia ſuppoſito quod ea Bulla non obliget, remanet ſatisfactum omnibus difficultatibus occaſione illius ſubortis. Sentio tamen illos libros eſſe vtiles, dantur enim ſæpe aliæ conſtitutiones ſimiles, quæ poſſunt exponi iuxta illa quæ ab eis authoribus tractata.

DISPVTATIO LIX.

Vtrùm ſinguli Monachi ſint Dominij capaces.

530 HAec quæſtio magis implexa eſt quàm hucuſque apparuit: Plurima inuoluit difficulter euoluenda; Proderunt Reſolutiones ſequentes.

RESOLVTIO I.

Frater Laicus non eſt magis capax dominij, quàm Monachus. Patet, quia vterque abſtringitur ſolenni paupertatis voto.

Laici Fratres nomine non intelligo conuerſum ſimplici voto obſtrictum, ſed ſolenni. Hoc noto; quia in Belgio & Germania magnę ſunt æquiuocationes circa conuerſorum nomen obligationes quæ. Sed de hoc deſtructiùs iam ſuperiùs tractaui. Vide n. 406. & 412.

RESOLVTIO II.

Abbas non eſt Dominus bonorum Monaſterij, ſed merus diſpenſator, & communitatis abſolutus œconomus. Patet: quia eſt verè Monachus, & Monacho quà tali dominium rerum monaſterij non conuenit.

Hanc veritatē omnes Abbates ſciunt, tametſi aliqui diſſimulare videantur. Nicolaus Boucherat Ciſtertij Abbas illam vbique, dum viſitaret, proclamauit, & legibus ſeueris indixit: in Speciosa-valle exſtat charta viſitationis ab ipſo factæ anno 1615. & in ipſa hæc breuis ſed valde vtilis concio. *Sæpius recogitet (Abbas) ſe bonorum Monaſterij non Dominum, & Poſſeſſorem, ſed adminiſtratorem dumtaxat eſſe conſtitutum, &c.*

RESOLVTIO III.

831 *In manuſcripta ſua habet verū dominium Religioſus.* Ita Ioannes Valerus *in ſuis diff. verbo. Munera. n. 106. & verb. Reg. diff. 8. n. 2.* Vbi expreſsè aſſerit manuſcripta eſſe ſui Authoris, ac proinde illum poſſe illa deferre quocumque vadat, etiam ſi transfeat ad aliam Religionem nulla obtenta, aut petita licentia, nullis relictis eorum copijs. Eſt difficultas vtilis, & ideò profundiùs explicanda.

Manuſcripta bifariam poſſunt conſiderari: primò prout continent tot folia chartæ: ſecundò, prout continent ideas interni hominis. Nō aſſero, quod Religioſus habeat directum dominium in manuſcripta conſiderata primo modo, quia certum eſt quæcumque talia acquiri Monaſterio. Dico autem, Monachum habere verè dominium directum in manuſcripta ſecundo modo ſumpta, & indirectum in eadem ſecundùm primam acceptationem. Directum dominium in forma probo ſic.

832 Manuſcripti, in quantum eſt idea, totum *eſſe*, eſt eſſe imaginē, quia idea nihil eſt aliud quàm mentalis imago. Atqui nō eſt imago cōmunitatis, nō Abbatis, ſed tantūmodo Hominis interioris diſcurrentis & philoſophātis; Ergo manuſcriptum, quatenù Idea, eſt non pertinet ad Abbatem, neque ad Communitatem, ſed ſolùm ad authorem.

833 Dicis, hinc ſequi Regem Hiſpaniæ, verbi gratia, habere verum ac directum dominium in picturam ſuam, quæ eſt in officina Artificis, quod manifeſte eſt falſum. Sequelam probas in ſimili forma. Totum *eſſe* picturæ quâ talis eſt eſſe imaginem, Atqui hæc pictura eſt imago ſolius Regis, Ergo in quantum eſt imago, eſt ſolius Regis: ergo ſoluendo aliquid pro linteo & coloribus, poterit Rex eam retinere, nullaque pictori fiet iniuria, cùm totum id commutetur quod eſt in tabula præter imaginem.

834 Reſpondeo negando illam ſequelam; Rex enim nullum dominium habet in illam picturam, quia hæc pertinet tota ad artificem tam pro materiali, quàm formali. Ad probationem, concedo maiorem, nego minorem: nam in rigore loquendo, illa pictura non eſt imago Regis, ſed ideæ pictoris, quia huius ideæ eſt imago perfecta & naturalis: Regis autem largo quodam modo, mediato, indirecto & metaphorico. Atque ideò, in rigore iuſtitiæ, picturæ dominium habet pictor quia eſt Dominus materiæ, & formæ qua talis,

cuius

cuius totum *eſſe*, eſt ad ideam artificis.

835 Inſtas. Ergo qui contemplatur picturam, fit dominus formæ picturæ. Probas conſequentiam. Quia pictura quà talis eſt ſimilis ideæ contemplantis, ergo totum ſuum eſse habet ad talem ideam: ac proinde picturæ forma pertinebit ad mentem ſpeculatricem.

836 Reſpondeo negando primam conſequentiam. Ad probationem diſtinguo illud ſubſumptum: Pictura quà talis eſt ſimilis Ideæ contemplantis, vt cauſa, concedo vt effectus, nego. Ergo totum ſuum eſse habet ad talem ideam, ſimiliter diſtinguo, vt cauſa, concedo: vt effectus, nego: ergo picturæ forma pertinebit ad contemplantis mentem, eodem modo diſtinguo: vt ad effectū, concedo: vt ad cauſam, nego. Hinc autem nihil probatur, quia effectus nō habet dominium in cauſam, ſed cauſa in effectum, vnde ſi pictura dominij fuisſet capax, habuiſset dominium in contemplantis actum, non ſub ratione entis, ſed ſolùm ſub ratione imaginis. Maneat igitur inconcuſsa illa ratio, qua directum dominium Religioſi in ſua manuſcripta comprobauimus.

837 Confirmatur hæc mea ſententia ex declaratione iſtius Clem. VIII. qui (vt notat *Homobonus in Exam. Eccleſ. p.1.tract.7.c.22.q.100. Coriolanus de caſu reſeru.part.2. caſ.16.n.19.*) aſseruit Monachos poſſe alienare ſua manuſcripta, abſque peccato contra Bullam de largitione munerum, quam publicaret: atqui ſi manuſcripta pertinerent ad Communitatem, Pontificis aſſertio fuiſſet falſa. Ergo manuſcripta pertinent ad Authorem, non ad Communitatem. Minorem probo quia hæc ſæpè ſunt maximi valoris, & ex Clementis Bulla Religioſi vix res parui valoris poſſunt elargiri.

838 Probauimus manuſcripta pro formali, prout dicunt rationem imaginis, directè pertinere ad authorem, reſtat probandum eadem, ſumpta pro materiali prout dicunt chartam & atramentum, pertinere etiam ad authorem tametſi indirectè. Probo ſic. Ad illa extenditur dominium indirectè, quibus dominium directum indiget ad ſui conſeruationem: Atqui talis idea indiget charta & atramento ad ſui conſeruationem vt de ſe patet: ergo qui habet dominium directum in huiuſcemodi ideas, habebit etiam in atramentum & chartam indirectum. Maiorem probo. Petrus eſt dominus ſuæ vitæ, non quòd illam poſſit alteri dare, ſed quòd nullus habet directum dominium in illam præter ipſum, non eſt dominus ciborum pertinentium ad Paulum; verùm ſi aliquando contingeret quod eius vita non poſſet ſubſiſtere ſine talibus cibis, haberet in illos ius atque dominium indirectum [fortè & directum, id non diſputo.] Sic ſimiliter in noſtro caſu. Si ideæ illæ & imagines poſſent ſubſiſtere ſine charta, monachus non haberet in hanc ius, ſiue dominium indirectum: at ſubſiſtere nequeunt ſine charta: Ergo Author, qui in illas habet ius directum, opus eſt habeat indirectum in chartam.

Obijcis. Religioſis condere teſtamentum omni iure interdicitur: at ſi haberent rei alicuis proprietatem, de illa poſſent in teſtamento iuxta ſuam vltimam voluntatem diſponere: ergo nihil omninò habent. Aliàs enim quis interdicere poſſet Viro docto vt ſcripta ſua amico vel cognato legaret?

Reſpondeo certum eſſe Religioſos non poſſe teſtamentum conficere, ſed hanc ipſam certitudinem non carere ſuis difficultatibus. Nam ſtatuto ordinis S. Antonij Viennenſis liberum fit in mortis articulo aliquid relinquere ſeruitoribus ſuis, & ad pias cauſas aſſerente Renato Choppino Monaſticon lib.1.pag.134. Et cum teſtandi incapacitas vel in proprietatis voto, vel in rerum incommutabilitate fundetur, videtur extra controuerſiam Religioſorum

non poſſe legare pecunias, illarum enim non eſt dominus, nec actiones ipſas naturales quarum eſt dominus, quoniam ipſæ donabiles non ſunt. At ſcripta ſua viuus donare poteſt probabiliter (alij enim negant) ergo & probabiliter legare poterit Sed & poterit etiam vti contraria probabilitate ſuperior, & illa retinere non obſtante iure Legatarij. Sed de hac materia vberiùs & diſtinctius alibi. Sane Patres capucini nihil dicuntur poſſidere in particulari, nihil in cõmuni, at videntur ſuorum manuſcriptorum domini. Habeo præ oculis Iacobi Bolduci Oggium Chriſtianum, & inhibet Ludouicus XIII. Galliæ & Nauarræ Rex ne hunc librum vendat aut videndum curet aliquis, præter eum vel illos quibus ipſe conceſſerit licentiam, & in virtute huius priuilegij ſibi conceſſi non Capucinorum Religio, ſed ipſemet Iacobus Bolduc conſentit vt ad quatuor annos proximos Laurentius Aniſſon illum imprimeret; reſeruans ſibi authoritatem concedendi alteri ſimilem licentiam poſt illos quatuor annos. Iacobus ergo Bolduc, & non Ordo Capucinorum erat dominus illius libri legitimus.

COROLLARIVM I.

839 *In diſcipulos, qua tales, habet verum dominium Religioſus.* Eſt euidens: & naſcitur ex præcedenti. Diſcipulus in monaſterio, quà talis, non eſt cõmunitatis, non Abbatis, ſed Lectoris ſolummodo. Et quà talis comparatur ad Magiſtrum, vt filius ad Patrem vt effectus ad Cauſam. Probatur. Diſcipuli, quà tales, ſunt effectus ſolius directiuæ cauſæ, & illam ſolummodò reſpiciunt; ergo directrix cauſa, quæ eſt Magiſter, verè habet dominium in ſuos diſcipulos, quà tales. Hinc ſequitur. Magiſtrum etiam Religioſum habere dominium indirectum in diſcipulos, non quà corporeos, ſed quà ſpirituales: patet, quia ideas, quas Magiſter delineauit in diſcipulorum intellectu, velut in charta, non egent corpore ad ſui conſeruationem; egent tamen anima. Videant ergo diſcipuli quid debeant Præceptoribus.

840 Hæc ratio poteſt, paucis mutatis etiam concluſionem antecedentem perſuadere. Lauream euangelicam ſcripſit Manriquus, verbi gratia; Author iſtius libri non fuit Manriqui Monaſterium: Ergo is liber quà compoſitus non dicetur Monaſterij, ſed Manriqui. Ergo is liber pertinet ad Manriquum, non ad ſuam communitatem.

841 Dicis, eſſe certum in iure, quod quidquid à Religioſo acquiritur, monaſterio acquiritur. Tibi ego. Hoc axioma intelligendum eſſe de ſupellectile & rebus ſimilibus. Dantur enim plurima, quæ acquiruntur à Monachis, quorum communitas eſt incapax. Cum Petrus intemperantia ſua adquirit capitis dolore, non adquirit communitati, ſed ſibi, ſic ſimiliter, cùm impalleſcit chartis, ſed reddit dominum difficultatum, non communitatem: ſicut enim in priori caſu communitas non dolet capite, ex eo quod Petrus laboret, ſic ſimiliter nec communitas eſt diſcipulorum Magiſtra, nec Theologiam docta, nec cathedræ moderatrix, ex eo quod particularis aliquis talis ſit: In Monaſterijs dantur notionalia & communia: hæc ad totum conuentum, illa ad ſingulares perſonas pertinent. Religioſorum diſcipuli, & manuſcripta notionalia ſunt: & ad authorem pertinent, ac in illa communitas nullam authoritatem habet.

842 Hinc conſtat, peccare Antiſtitem, qui ſine cauſa ſcripta alicuius ſubditi vel igni mandat, vel edit alieno nomine, ſine authoris licentia *ſine cauſa* dixi: quia ſi detur cauſa poterit ſine ſcrupulo alterutrum facere. Ratio eſt clariſſima, nullus poteſt auferre à Petro gladium eius, ſine cauſa: quod ſi is vellet quempiã occidere: iã daretur cauſa ſuffi-

ciens,

tiens, vt etiam inuitus enſe proprio legitimè priuetur. Sic ſimiliter, ſi dentur inconuenientia grauia orta ex alicuius ſcriptis, poterit illum Prælatus talibus ſcriptis priuare, vt occurrat imminenti damno. In tali caſu, ſcripta Petri ſuberunt Prælato peraccidens, debet enim ita ſuos gubernare, vt tollat quæcumque impedimenta, & quàm-optimè conſulat bono communi.

843 Addis, ſcripta Petri eſſe talia quę nemini Monacho obſint, ſed ſcandalo ſint ſæculari. Videbuntur alicui in tali caſu hæc ſcripta ab Antiſtite damnari non poſſe, quia Antiſtes non eſt rector & gubernator ſæcularium, ¶. Sed dico nihilominus huiuſmodi ſcripta poſſe, immò debere damnari: quia Religiones, vt ſęcularibus proficiant & faueant, primariò aut ſecundariò inſtitutæ ſunt, qui autem ſcandalo eſt ſæculari, peccat contra Religionem: omnia autem peccata, & præcipuè illa quæ contra Religionem fiunt, Antiſtites vitare debent. Damnanda eſſe ſcripta aſſerui ſi ſcandalum dent ſæculari, vt diſtinguam inter ſcandalum receptum & datum, nam vt diuinitùs ait Magnus Gregorius. 7. in Ezech. *Si de veritate ſcandalum accipitur, meliùs permittitur quàm vt veritas relinquatur*. Cui conſonat Beda venerabilis (c. qui ſcandalizauerit. de reg. iuris.) *Vtilius eſt ſcandalum naſci, quàm quod veritas relinquatur*.

844 Sicut Antiſtes ſcripta nociua lectoribus poteſt damnare, ſic à fortiori ipſamet bona ſcripta ſi authori nociua. Scientia inflat, & valemus aliquos plus quatuor ſyllogiſmis tumeſcere, quàm rana æſopica cùm inuidebat magnitudini bouis. Tunc Prælatus morbo ſpirituali ſubditi medeatur, tollat omnes morbi cauſas, & huiuſmodi ſcripta retineat apud ſe, aut edenda poſt authoris obitum, aut ſi is humiliatione & pœna ſeueriore indigeat, euulget ea nomine Communitatis, vel ſi conſultiùs iudicet, alterius Religioſi.

845 Dubitant aliqui, vtrum ſit mentiri edere libros alieno nomine, & an id aliquãdo licitè & ex cauſa legitima fiat. Reſpondeo nomina eſſe ad placitum, & poſſe permittere alterationes. Primò non mẽtitur author qui ſua opera euulgat nomine Communitatis: imò inde laude maiori eſt dignus, quòd laudem non ambiat. Doctiſſimus Pater N. (nõ nomino, ne ſim iniurius amico, quem magni facio) publicauit curſum Philoſophicum & primum Theologici tomũ ſub nomine Collegij Carmelitanorum Complutenſis & Salmanticenſis. Nec mẽtitur, quia bene ſcimus libros à Collegijs non componi. Multi poſſunt ſeruire materiæ libri præparandæ, forma autem debet ab vna mente prouenire præcipuè in re ſcholaſtica. Vnde cùm dicitur *Collegij Salmanticenſium Carmelitarum Curſus*, non aſſeritur è Collegio compoſitus, ſed ab aliquo Anonymo Doctore illius Collegij.

846 Maior eſt difficultas cùm liber editur nomine alterius. Verbi cauſa, Aſtrum inextinctum edebatur priùs nomine D. Sciopij, qui reuera compoſitus fuit D. Romano Haye Ochſenhuſano in Sueuia Benedictino Monacho, Martem Gallicum ſub *Armacani* nomine D. Ianſenius Epiſcopus Iprenſis edidit. Solertiſſimus Aſtronomus Scheinerus Ieſuita publicauit ſolarium macularum inuentionem ſub nomine Apellis. Placuit illis ſic nominari: & nomina ab arbitrio pendent.

COROLLARIVM II.

847 Nullus Religioſus poteſt edere Libros ſine licentia ſui Ordinis. Eſt decretum iure & legibus communitatum: & licèt eſſet difficultas exlex, reſolui poſſet ex iure naturali. Quoniam nullus eſt Dominus honoris communis: atqui ex vno libro pendet grauiter fama & opinio totius communitatis: ergo communitas debet per cenſores

Y 3 ſuos

ſuos examinare, vtrùm expediat quod talis liber publicetur. Nullus igitur Religioſus (ni cauſæ ſufficientes dentur) poterit libros edere ſine licentia Religionis.

848 Quid ſi edat? Aſſeram illũ non peccare contra paupertatem, ſed contra obedientiam, & quintum præceptum Decaſogi, Quà pauper, libros edere ſine licentia potuit: quà obediens, non potuit, quoniam hoc contra leges quibus tenetur obedire. Addidi circumſtantiam quinti præcepti, quia contra illud peccat, ſi honorem ſuæ communitatis iacturæ & contemptui exponit.

RESOLVTIO IV.

849 *Monachus habet verum dominium naturale in ſuos filios.* Ius eſt duplex; Politicum, & Naturale. Illud pendet ab Hominum conſtitutione: occurrente cauſa alteratur, mutatur, eſtque diuerſum pro diuerſitate Prouinciarum. Illud vbique eſt idem, immutatum, & immutabile. Patria poteſtas politica potuit à legibus, vt tollerentur abuſus, limitari, naturalis non potuit. Quia Naturæ ius non ſubiacet extrinſecis cõſtitutionibus. Plura repetio in iure de filijs Sacerdotum, & de ſpurijs nõ pauca: illa omnia aut abolere, aut limitare videntur authoritatẽ patriam quà politicam, non quà naturalem: leges enim potuerunt primum facere, non ſecundũ. His poſitis, aſſero monachum in filios ſuos per profeſſionem perdidiſſe omnem authoritatem ciuilem & politicam, conſeruaſſe naturalem contra quam nil potuit operari profeſſionis ſolemnitas, nil votorum emiſſio.

850 Præterea. Si Religioſus poſt profeſſionem habeat filios, hi ſunt ſpurij, ſunt illegitimi, & ex thoro damnato: nihilominùs naturaliter loquendo, ſunt verè filij: licèt Pater contra leges peccauerit accedendo ad non ſuam, nihilominus acquiſiuit verum, ac immediatum dominium naturale in prolem, quæ eſt illius peccatoris, non verò communitatis, aut Antiſtitis.

851 Poſſemus plura ſimilia recenſere, ſed breuitatis gratia dicendum eſt, monachos per paupertatis votũ nullius rei perdidiſſe ius & dominium naturale, ſed ſolùm politicum: impoſſibile.n. eſt cedere dominio naturæ, quia licèt Pater cedat Paternitatem naturalem alteri, hic alter non erit Pater naturalis filij: & filius numquam erit filius naturalis alterius, ſed ſui Patris. Hinc conſtat, Religioſum procurantem, & acquirentem prolem, non peccare contra paupertatem, ſed contra caſtitatem.

RESOLVTIO V.

852 *Monachus eſt verè naturalis dominus ſuarum actionum naturalium.* Actiones Naturales intrinſecæ ſunt, intelligere, velle, meminiſſe: extrinſecæ, videre, audire, loqui, comedere, dormire, &c. Iſtarum omnium Monachus eſt cauſa naturalis, ac proinde habet in eas dominium naturale, ita vt eas eliciendo non operetur contra Paupertatem.

RESOLVTIO VI.

853 *Actiones merè-internæ, nulli hominum ſubditæ ſunt authoritati, ſunt enim ſolius agentis, ac proinde Prelatus non poteſt diſponere de actionibus interioribus ſubditis.* Probatur. Si Religioſus deberet actiones merè-interiores ſubijcere Abbati; hoc faceret in quãtum pauper; aùt in quantum obediens, aut in quantũ caſtus: Atqui nullo modo tenetur: ergo. Primò, non tenetur quà caſtus, quia plures actiones interiores non reſpiciunt luxuriem; tales ſunt diſcurſus, ratiocinatio, theologizatio: ſecundò, nec illas, quorum obiecta ſunt peccata contra Caſtitatem: quia omnes actiones quæ militant contra Caſtitatem, ſunt ſemper peccaminoſæ; atqui cogni-

cognitio, & ſpeculatio peccatorũ contra Caſtitatem, ſæpiùs eſt vtilis, laudabilis, ac neceſſaria, quomodo enim poſſemus mala fugere, ſi ea non noſceremus? quomodo confiteri præterita peccata, ſi in memoria ſpiritualia eorum idola non conſeruaremus?

854 Præterea, actiones interiores nõ tenetur ſubijcere Prælato quà pauper, quia tum peccat quis contra paupertatem, quando vſurpat ſibi dominiũ cuius eſt incapax; atqui actuum interiorum dominium tale eſt, vt ſolum reſpiciat operantem, & id non poſſit commutare (quia actus intrinſeci non alienantur, non venduntur, non oppignorantur, non donantur) ergo hoc titulo non tenetur illas ſubijcere Prælato. Addo, ſi per impoſſibile, Abbas haberet potentiam phyſicam non ſolùm tollendi à monacho veſtes & alia extrinſeca, ſed etiam internos actus tollendo illos peccaret contra iuſtitiam: hæc enim docet, dandum eſſe vnicuique quod ſuum eſt: atqui actiones internæ ſunt ſuarum cauſarum, ergo operans debet eas poſſidere.

855 Tandem, eaſdẽ interiores actiones non tenetur ſubijcere Prælato quà obediens (hic examinabimus difficultatem in rigore ſummo, quia, hoc ſeruato, Monachus non ſubijcitur Prælato quà caſtus neque quà pauper, ſed ſolum qua obediens) Probatur. Illa poteſt politicè præcipere Prælatus, propter quæ contempta, poteſt corripere politicè inobedientem; propter omiſſionem actus merè-interioris, non poteſt inobedientem politicè corripere: ergo non poteſt circa actus merè intrinſecos politicè quidpiam diſponere. Demonſtratur minor. Correctio politica fit per denuntiatorem & teſtes, itque deficientibus, non poteſt fieri; atqui contra actus merè-intrinſecos nullus Iudex poterit taliter procedere: Ergo nullus Iudex propter omiſſionem actus merè-interioris poterit aliquẽ politicè corripere.

856 Noueris hic obiter methodum correctionis Politicæ, quia licèt Prælatus ſine teſtibus poſſit corrigere ea ad quæ Monachus tenetur in foro exteriori, non tamen illa ad quæ grauiter tenetur in foro interiori. Bene poterit Prælatus extra formam iuris dicere, habet talem pœnitentiam, quia loquebaris, ibi enim non agitur de honore Religioſi, ſed de commoditate; & hanc etiam poterit Prælatus innocenti Religioſo indicere, ſolummodo vt mortificetur. Caeterùm non poterit, ſi deficiãt teſtes, illum corrigere publicè, licèt euidenter ſciat quod fuerit inobediens, proprietarius aut incontinens: quia hic ageretur de honore ſubditi, quem poſſidet, non debet autem ante ſententiam iuridicam re poſſeſſa priuari.

857 Sed ſupponamus doctrinæ liquidioris cauſa, Abbatẽ poſſe (& hæc doctrina omnibus Legiſlatoribus æquè communis) de inobedientia extra formam iuris corripere. Syllogiſmus præcedens erat. Illa poterit præcipere politicè Prælatus, de quorum omiſſione poteſt corrigere, atqui propter omiſſionẽ interioris actus corrigere non poteſt: Ergo illum non poterit præcipere. Probo iterum iſtam Minorem. Illa poteſt corrigere, quæ poteſt cognoſcere, vnde in iure *cognoſcere de aliqua cauſa*, eſt contra illam procedere: Atqui (vt de ſe patet) actus intrinſecos non poteſt cognoſcere: ergo propter illos neminem poterit corrigere. Petis, vtrùm extra fori & iuris ſolemnitates poſſit Prælatus publicè corrigere peccata ſecreta, venialia. Poteſt, ſi ex tali publicatione nec leuis ignominia oriatur contra Religioſum. Poteſt tamen accidere quod Prælatus publicans, ſecretam culpam venialem, peccet non venialiter ſolùm, ſed & mortaliter. Eſt doctrina valde vtilis, & explicabitur cum agam de Regulæ ſtatutis iudicialibus.

RESOLVTIO VII.

858 *Actiones naturales extrinſecæ titulo dominij pertinent ad operantem, titulo obedientiæ poterunt ſubijci Prælato: vnde qui contra mandatum Prælati aliquam exercuerit, non erit proprietarius.* Ratio ex dictis eſt manifeſtiſſima, quam penetrant etiam indocti; ille etenim qui iuſſus tacere loquitur, ab omnibus vocatur inobediens, à nullo proprietarius.

RESOLVTIO VIII.

859 Quæritur. *An artefacta pertineant ad artificem, an ad communitatem.* Quæſtio eſt difficilis & indiget maiori examine? qui illud adhibuerit, neque abſolutè negabit, neque concedet abſolutè. Pro deciſione ergo iſtius difficultatis.

Dico primò. Conuerſi (Profeſſos ſolenniter intelligo) ex vi ſuæ profeſſionis tenentur ad actiones vitę actiuæ, ſecundum capacitatem ſuam, & Abbatis diſpoſitionem; Omnes actiones ſuæ artis obtulerunt communitati; ac proinde artefacta quæ fiunt à Conuerſis, ſunt communitatis; ipſi enim non ſunt magiſtri in officina, ſed miniſtri. Et vt metaphyſicè acutè procedamus, Conuerſus Aurifex, verbi gratia, quà Conuerſus aurifex, eſt miniſter communitatis, & ſeruit Monaſterio, vota enim emiſit in ordine ad exercitia artium extrinſeca; Igitur quà Conuerſus artifex ordinatur ad ſeruitium Monaſterij. Ergo & artefacta ordinantur ad ſeruitium Monaſterij. Patet conſequentia; aliàs enim non eſſet effectus ſimilis ſuæ cauſæ: Quia, applicando ſingula ſingulis, ſicut ab artificioſa mente artificis procedit effectus artificioſa delineatio, ſic ab ordinatione mentis artificioſæ debet procedere artificioſæ delineationis ordinatio, ergo ſicut cauſa quà talis eſt ad ſeruitium Monaſterij, ſic ſimiliter effectus, quà tales debent ſeruire Monaſterio.

860 Prætereà efficaciùs & breuiùs. Artefactum eſt Artificis. Atqui Artifex, quà talis, eſt Monaſterij; Ergo Artefactum eſt Monaſterij. Quia ſi ignis eſt Petri; eius erit & ſplendor.

861 De Monachis eſt maior difficultas. Hoc diſcrimen reperio inter Aurificem Monacum & Conuerſum Aurificem, quod Conuerſus quà Artifex eſt Conuerſus: alius verò non eſt Monachus quà Artifex, ſed quà Choriſta. Ratio eſt; quia Religioſus eſt genus morale ad Monachum & Conuerſum: Differencię contrahentes ſunt Chorus, & Ars. Monachus eſt Religioſus Choriſta. Conuerſus eſt Religioſus Artifex. Vnde artefacta naſcuntur à Conuerſo per ſe, à Monacho per accidens. Tam eſſentiale eſt Conuerſo artificere, quàm Medico mederi. Artificere comparatur Monaho, vt mederi Aurifici, aut aurificere ipſi Medico. Ideo Conuerſus tenetur artificere pro Communitate, non cantare: Monachus è contrario tenetur cantare, & contemplari in choro, non autem aurificere. Ideo

862 Dico ſecundò *Artefacta; quæ fiunt à Monachis, quà talia non pertinent ad communitatem.* Probatur. Artefactum quà tale pertinent ad Artificem vt effectus ad cauſam: Atqui Monachus Artifex, quà Artifex non pertinet ad communitatem:. Ergo neque illud artefactum.

863 Prætereà. Ratio propter quam artefacta elaborata à Conuerſis pertinent ad Communitatem, eſt, quia Conuerſi, quà artifices: ad eamdem pertinent: quà Artifices enim, ſunt Conuerſi. Atqui hic eſt ratio contradictoria, ergo contradictoria reſolutio, iuxta illud pronuntiatum certiſſimum. Sicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita & negatio negationis. Probatur minor Monachi quà Artifices non ſunt Monachi, neque ad Monaſterium ipſum pertinent,

tinent, quia Monachus Artifex eſt qualis Muſicus Principis, Medicus: qui ratione prioris officij eſt de familia Principis, non ratione ſecundi. Vt ergo deueniamus ad praxim.

864 Dico tertiò. *Horis quibus Conuerſus tenetur operari pro Communitate* (ſunt in mea ſententia vt plurimùm duodecim, numquam plures) *non poterit aliquid facere quod det Amico extraneo*. Ratio eſt, quia quà artifex pertinet ad monaſterium, & ijs horis tenetur operari in actu ſecundo: ergo quidquid tunc fecerit, pertinebit ad communitatem ex natura ſua, & ideò non poteſt alienare.

865 Addidi illam temporis determinationem: quia non video cur Conuerſus (qui per duodecim horas laborauerit vt ſeruiret Monaſterio, & in ſummo conſumpſerit tempus neceſſarium) non poſſit vnam aut alteram horam quam conſumpturus erat in fabulis, occupare in amici obſequium, ſine licentia expreſſa Abbatis, ſi non adſit mandatum in contrarium: quia vel non eſt neceſſaria talis licentia, vel ſupponitur, interpretatiua; eſset enim rigor nimius, & auſteritas maxima, quod Conuerſo ſollicitè ſeruiēti, denegaretur hæc facultas.

866 Determinaui operum tempus, cùmque videam mancipia nō vltra horas duodecim perſeuerare, cur ad maius pondus condemnarem Conuerſos, qui ſunt famuli, & non mancipia Monaſterij? Modò addo, in ijs duodecim horis debere comprendere tempus quod conſumunt in audienda Miſsa, & Lectione, ita vt Miſsa, Lectio, & quotidianus manuum labor tale tempus non ſuperet: ſed & hoc prudentia, & benignitate moderandum eſt.

867 Addidit *(niſi adſit mandatum Abbatis)* quia poteſt Abbas artificibus interdicere praxim ſuarum artium, vt conſtat ex Regulę c. 57. ſed tunc operaretur contra Obedientiam, non contra Paupertatem, qui aliquid contra mentem Prælati operaretur horis liberis ad petitionem alicuius amici ſæcularis.

868 De Artefactis à Conuerſis in die feſto eadem erit reſolutio atque de factis à Monachis, quia ſicut Monachus non nouit vitam actiuam, ſic nec Conuerſus vitam actiuam operaturam diebus feſtis: vnde ſi aliquid diebus feſtiuis egerit, peccauit contra tertium Decalogi præceptum: de cætero vt Monachus eſt iudicandus. De Monacho.

869 Dico quartò. *Poteſt Monachus* (niſi Abbatis contrarium præceperit) *induſtria ſua horis vacantibus ſeruire amicis puta pingendo, tranſcribendo, celando*. Ratio eſt: quia illæ actiones non ſunt Monachi quà Monachi, illud tempus eſt vacans, licentia Superioris præſumitur, ideoq; niſi contrariū conſtet, poterit huiuſcemodi facere. Ita Bonacina *in tract. vari. diſp. 3. punct. 1. n. 5.* Scortia *in Bulla Pontif. epit.* 158. *theo. 396.* Diana *tract. de paupert. relig. reſol. 6.* Si Abbas contrariū decreuerit, ſciat ſe teneri ad obedientiā in tali materia, cùm ſit in Regulæ c. 57. expreſsū, quod Abbas poſſit prohibere, ne Artifices in Monaſterio operentur. Nec valet dicere illud caput intelligendū eſſe de Conuerſis, quia multis eſt euidens hos non fuiſſe tempore S. Benedicti, ideoque omnia quæ continentur in Regula, non debere de talibus interpretari.

870 In his omnibus intelligo artefacta quà talia, non ago de materia; ſi illam dederit ille amicus (puta, argentum, aurum, colores, ſericum, &c.) tenebit reſolutio: quod ſi hæc ſumantur à communitate ſine licentia tacita, vel expreſſa, peccabit Artifex contra paupertatem iuxta materiæ aſſumptæ grauitatem; quod ſi materia nullius ſit valoris moralis, non peccabit.

Petrus Monachus egregius pictor pinxit imaginem vendibilē mille florenis, illam dedit ſæculari contra voluntatē Abbatis, contrarium in virtute obedientiæ præcipientis; qualiter peccauit?

Pri-

Primò, vide quanti materia colorum & tabulæ fiat, & ſecundùm harum rerũ valorem illum argue, non ſecundùm valorem artis, quod ſi materialia ad amicum pertinebant, & nihilominus contra voluntatem Prælati dederit, non eſt cenſendus proprietarius, ſed inobediens. Contra obedientiam autem peccauit, me iudice mortaliter; quia longo tempore pingere contra mandatum Abbatis, eſt actio notabilis.

Hinc conſtat, duos Monachos, qui contra Prælati mandatum pingunt tabulas quas donant ſæculari, etiamſi alter delineet precioſiſſimas, alter viliſſimas, ſi æquale tempus inſumant, peccare æqualiter. Ratio eſt; quia peccatum non conſiſtit in valore picturæ, ſed in quantitate temporis expendi in arte pingendi contra voluntatem Abbatis.

Nec valet, dicere illos habuiſſe pingendi licentiam, ſed non dandi; ſi enim bene conſideres, in tali caſu non habuerunt licentiam pingendi tabulas dandas, ergo quas dandas pinxerunt, pinxerunt equidem contra obedientiam.

Si Monachus pictor ſuas picturas vendat, pecuniam adquirit Monaſterio; ipſe enim eſt incapax dominij pecuniarum.

Poterit gratis ſcribere, pingere, &c. orare celebrare pro Paulo, licèt ſciat eum venditurum eſſe manuſcripta, aut recepturum eleemoſynam pro orationibus; quia ipſe non dat Paulo pecunias, ſed ſuæ induſtriæ aut orationis extrinſecos actus, & hos gratis; quos ni contrarium Prælatus iuſſerit, liberrime donare poteſt. Vide 880. & 881.

Dices: Monachum non poſſe habere dominium in pecuniam, nec in rẽ commutabilem pro pecunia: atqui manuſcripta & artefacta ſunt commutabilia ſæpe magna pecunia, vt conſtat ex hiſtorijs: ergo Monachus nec in manuſcripta, nec in artefacta ſua dominium habet.

In pecuniam & res extrinſecas materiales certum eſt monachum nec habere, nec poſſe habere dominium, cæterùm in multa habet dominiũ quæ ſunt commutabilia pretio: verbi gratia, in res vnico actu conſumptibiles, vt dicemus *num.* 871. etiam in ſuas actiones corporales, vt expendimus *num.* 852. & 858. vtræque autem ſunt precio commutabiles. Pingere, ſcribere, delineare, cælare, ſunt ſimul actiones ſpirituales & corporeæ, & vtroque modo titulo dominij pertinent ad operantem (vide *nu.* 852.) poſſunt Prælato ſubijci ratione obedientiæ (*num.* 858.) ſed nullo titulo pertinent ad Monaſterium. Quia ſicut loquens contra Abbatis imperiũ eſt inobediens, non tamen proprietarius: ſic ſimiliter, pinguens contra obedientiam, peccat contra votum obedientiæ, non contra votum paupertatis. [Nota obiter inter manuſcripta, picturas, & reliqua artefacta, non reperiri differentiam, quæ iudicium alteret: cumque Clemens VIII. declarauerit Religioſos in manuſcripta adquirere verum dominium, videtur idem omnino de picturis, & artefactis declaraſſe. Vide *n.* 851. & 837.

RESOLVTIO IX.

871 *In res vnico actu conſumptibilis acquirit dominium Religioſus.* Ita Ioannes XII. *in extrauagant. ad conditorem. q. quod autem de verbor. ſignific* vbi ſic ait: *Quia in rebus vſu conſumptibilibus, vſus & dominium non diſtinguuntur, ſed cui cõceditur vnum, conceditur vtrumque.* Hanc etiã ſententiam ſequuntur Hieronymus Cenedo *de paupertate Religioſa dub. 17. nu. 9. & dub. 32. nu. 8. &* 11. Petrus de Aragon. *in 2.2. q. 62. art.* 1. Turrecremata *in ſumm. lib. 2. c. 112. ad* 10. Sylueſter *verbor. Dominium. §. 3.* D. Antoninus *p. 4. tit. 12. c. 4. §. 10.* Sarmiento *de reddit. part. 1. c. 1.* Hanc etiam tan etſi Capucinus probabilem iudicat Bataus

in Flo-

in Florum *pag.256.* a vbi me citat, ſed contrariam aſſerit probabiliorem. Quæ quidem clariſſima ſententia probatur non inefficaciter ex *lege 2. ff. de vſufructu earum rerum, quæ non conſumunt.*

Authores opinionis contrariæ, ita eam defendunt vt hanc vt plurimùm iudicent etiam probabilem. Ex hac veritate præpoſita, ſunt hæ Concluſiones appendices.

872 Prima. *Poſſe Religioſum ſine licentia ſui Prælati, quin contraueniat voto Paupertatis, largiri rationem ſuam, ſeu pitantiam pauperi, aut amico.* Ita authores citati. Ratio eſt: quia iam acquiſiuit verum dominium in huiuſcemodi rationem, ei enim fuerat cõceſsus vſus, qui non diſtinguitur ab ipſo dominio, vſus inquam, non ille qui habetur re illæſa, ſed corruptiuus qui eſt actus dominij vſuarij. Hanc cõcluſionem limitat Diana *de Paupert. relig. reſ.* 28. ad res quæ præbentur in quantitate determinata, vt eſt caro, oua, & ſimilia: non verò ad eas quæ dantur ſine taxa, vt panis, cereuiſia, (vinum, vbi eſt abundantia) ſed hæc limitatio non placet: quia ſicut in iſtis non conceditur prodigus vſus, ſed rationalis: ita qui ex his quæ poſset comedere daret amico vel pauperi, non peccaret cõtra paupertatem. Quantum poſſit comedere, iam habet à natura determinatum, & ita licèt communitas in aliquibus rebus non ponat taxam, illam poſuit & ratio, & communis vſus. Hęc opinio eſt vtilis in praxi dupliciter, nam ſpe eleemoſynæ faciendæ docentur Religioſi eſse abſtemij, & frugales. Quod ſi aliquis huiuſcemodi in vſus illicitos eſpenderit, viderit ipſe cui pręcepto vel voto contra veniat: ego certè video illum non delinquere contra virtutum paupertatis.

873 Secunda. *Non poterit talẽ donatiunculam ſuæ rationis facere, ſi contrarium iuſſerit ei Abbas.* Patet: quia ipſe vouit obedientiam ſecundùm Regulam, & hæc c. 54. damnat talẽ actionem his verbis: *Nullatenùs liceat Monacho, neque à Parentibus ſuis, neque quoquam hominum, nec ſibi inuicem, litteras aut eulogias, aut qualibet munuſcula accipere, aut dare ſine præcepto Abbatis ſui.* Noto obiter huiuſcemodi donatiunculas non ſolum poſſe prudenter interdici, ſed in multis eſſe locis interdictas de facto. Sunt enim apud Germanos Ciſtercienſes inhibitæ ſpeciali lege, lata in Comitijs anno 1595. vbi ſic. *Non liceat fratribus quidquam cibi vel potus de ſua portione ſeorſim reſeruare, ſed reliquiæ à miniſtris colligantur, & reponãtur pauperibus erogandæ, vel in communem vſum monaſterij expendendæ.* Igitur cauetur, ne à menſa communi aliquid priuatim ſeruetur, aut alio mittatur. Cauetur etiam ne à menſis priuatis, nam & ipſæ cauentur. *Priuatæ menſæ fratrum officiariorum inhibeantur, cogatque Abbas omnes legitimè non impeditos ad vnum ſimul refectorium communis refectionis ſummendæ gratia conuenire.*

Conſonant omnes DD. Abbates in ſuis viſitationibus. D. Clari-locenſis anno 1608. viſitauit religioſiſſimum Specioſæ vallis Monaſterium, & hanc legem indixit, *Nemo ex pane cibo potu-ue reſiduo quidquam diſtribuat, aut aliòs aſportet, vel referri mandet; ſed reliquiæ omnes pauperibus erogandæ.* Sed nota, quod talis peccabit contra Obedientiam, non verò contra Paupertatem.

874 Tertia. *Si Monachis non detur portio determinata, ſed ponantur cibi communes in menſa, vt vnuſquiſque comedat quod voluerit, ſtando voto Paupertatis, poſſet Monachus accipere in ſuo orbe aliquid, quod aliàs comederet, & mittere ad amicum, vel pauperem: ſtando vrbanitati, non poſſet,* (& vix reperitur obligatio non-naturalis vrbanitate maior.) Ita video ex menſis Principum orbes ad famulos antiquiores, ac-

ne digniores mitti (puta ad Capellanos, Oeconomos) ſed quando adſunt conuiuæ nihil mittitur; eſt enim inurbanitatis genus, quod cibi ante aduentũ Conuiuarum efferantur. Quod ſi comederent quatuor vel quinque Monachi ſimul, & omnes vellent aliquid mittere ad communem amicum, nil facerent contra Paupertatem, aut contra Vrbanitatem.

875 Quarta. *Si Grangiario determinetur cõgrua pro ſingulis annis, & ipſe plus inſumpſerit, erit grauamini Monaſterio; ſi minus, poterit, ſine Monaſterij grauamine, de reſiduo pauperibus, amicisque ſubuenire.* Vera eſt, nec à me tamen vnquam meis permittenda, nec conſulenda amicis; multa enim prævideo inconuenientia, quæ poſſunt facilè caueri hanc ipſam poteſtatem regulari præcepto limitando. Probatur ex dictis: quia ſicut portio eſt congrua vnius diei, ſic congrua eſt portio totius anni. Ita Ludou. Beia *in reſp. caſ. conſc. p.* 4. *caſ.* 32. Cenedus *de paupert. dub.* 32. *num.* 9. & 15. *n.* 17. *n.* 9. & Ioannes Valerus *in diff. vtriuſq; fori verbo. Munera. num.* 73. poſtq; omnes Diana *tr. de paup. reſ.* 19. & Peyrinus *de Religioſo ſubdito tom.* 1. *q.* 2. *c.* 2. *ſ.* 6. Confirmatur ex Dianæ *Reſol.* 32. & authoribus, quos ibi allegat.

875 b Inquiris primò. *An Religioſus poſſit licitè habere ſuperflua conſentiente Prælato?* Reſpondeo in tali caſu Prælatum potiùs, quàm ſubditum argui debere. D. Ioannes Abbas Cæſarienſis in Monaſterijs ſibi ſubditis non permittebat ſuperflua Religioſis concedi, & hoc cum ſeueritate notabili. Dabo legem latam in Viſitatione monaſterij N. anno 1624. vbi hæc verba, *ex cellis quoque impertinentiæ, columbæ, aues, canes, aliæque nugæ & vanitates, laſciuiores etiam imagines & picturæ paſſim extantes, nihilque niſi materiam diſtractionum generantes, per præſides nullo habito reſpectu (è cubiculis vniuerſis) tollantur.*

Vt igitur dubio reſpondeã, non puto eſſe ſuperflua quæ ad regularem cõmunemque recreationem inſtituta: puto ſuperflua eſſe quæ ad priuatam: & ſic auiculas, & alias nugas, quæ ſolent à multis religioſis magnis curis, imo aliquando expenſis cõuerſari, quas D. Cæſarienſis meritò interdixit, arguo ſuperfluitatis, nec debere à Prælatis concedi.

At aues, quas ratio œconomica nutriendas ſuadet, imo etiam aliquæ quæ communitatis recreationi regulari ſeruirent, cum nutrirentur ex cauſa rationabili, ſuperfluæ dicendæ non eſſent. [Hinc infer qui debeas in rebus pretioſioribus philoſophari.] Caſſinenſes huiuſcemodi etiam aues interdicunt in illuſt. *Cap. VI.* Regulæ, non tamen habentes proprietatis ſed leuitatis & ſcurrilitatis incuſant.

875 c Inquiris ſecundò. *An poſſit Religioſus eſſe Iudex forenſis, & ius pronuntiare de Prælati licentia?* Reſpondeo poſſe: ſed decere, vt negotia forenſia per ſæculares agantur. Solebant in Monaſterio Specioſæ-vallis Religioſi ab Abbate deputati iudicare vel potiùs conciliare ſubditos ſęculares: at anno 1624. Monaſterij eiuſdem Viſitator, tulit ſanctionem ſubſequentem. *Suademus*, inquit, *etiam atque monemus, ne in poſterum iuriſdictio temporalis à Religioſis, vt hactenus factum, ſed per virum aliquem diſcretum, & ſi fieri poteſt, Iuriſcõſultũ adminiſtretur.*

Conſultò *ſuademus* & *monemus* dixit prudens Abbas, non *præcipimus*: ſępe enim meliùs ex æquitate, quàm ex legum rigore ruſticorum cauſę terminantur. Iura enim Miniſtrorum ſunt tanta, vt litigantes exhauriri contingat. Vnde expedit, vt Abbates ſubditos ruſticos tractent filialiter, nec permittant cauſas ad ſtrepitum iuris venire, quæ amicabiliter poſſunt componi: quod ſi debeat pronuntiari ex iuris rigore ſententia, id decentiùs fiet à ſæculari.

DISPV-

DISPVTATIO LV.

De munerum largitione & receptione.

876 Circa hanc materiam occurrunt difficultates frequentiſſimæ, quarum ſæpe ſunt difficiles reſolutiones. Aliquos malè torſit Clementina quam expoſui *diſp.* 58. plus vrget Benedictina Regula, iuxta quam ſit.

RESOLVTIO I.

Religioſus non tenetur acceptare munera ab amicis oblata. quia cap. 54. hæc acceptatio abſolutè interdicitur, nec iubetur acceptare petita licentia, ſed ſimpliciter prohibetur acceptare ſine præcepto Abbatis, vbi videtur inſinuare S. Legiſlator, non expedire quod petatur recipiendi licentia, & ideò ad aliquid acceptandum exigit Abbatis præceptum, non licentiam. Quod ſi præcepti nomine, non niſi licentiam velis intelligere, non vrgebo hanc inſtantiam. Sit ſecunda, quia licentia eſt gratia, & gratia non fit inuito, ideo nullus tenetur petere licentiam.

877 Hæ rationes ſunt claræ & efficaces: firmentur nihilominùs ſcriptorum aliquot authoritate: hanc ſententiam tenuit Suarius *tom.* 3. *de relig. libr.* 8. *cap.* 15. *num.* 45. Rodriguez *in exercit. ſpir. p.* 3. *tract.* 3. *cap.* 15. Sanchez *in ſumm. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *nu.* 74. Villalobos *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 35. *dub.* 32. *num.* 6. Peirinus *de Relig. tom.* 1. *cap.* 2. *quæſt.* 2. §. 4. Facundez *de præc. tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 18. Scortia *in Bulla Pontific. Epit.* 158. *theor.* 397. Laymanus *in Theolog. mor. libr.* 4. *tract.* 5. *c.* 3. *q.* 8. *num.* 62. Bonacina *de contr. diſp.* 3. *q.* 12. *punct.* 1. *num.* 6. & alij.

RESOLVTIO II.

878 *Poteſt Religioſus petere ab amico, vt det talem eleemoſynam tali pauperi, vel talem pecuniam tali amico.* Liquet ex antedictis; quia ex voto Paupertatis obligatur nihil dare non verò obligatur non petere à Petro, vt ipſe det. Subſcribunt omnes authores iam citati.

RESOLVTIO III.

879 Dabat Petrus munus cuipiam Religioſo. Is Petro: Nolo (1.) acceptare, ait ſed nihilominus propter me (2.) da Ioanni, & inſinua illi (3.) quòd ad inſtantiam meam facias. Peccauit?

Reſpondeo negatiuè, quia primum potuit facere ex Reſolutione prima, ſecundum ex ſecunda, in tertio nihil malitiæ reperitur. Hanc Concluſionem in terminis tenēt omnes illi authores quos citaui *Reſol.* 1. & præter eos has tres vltimas reſolutiones tuētur Soſa *in explicatione Bullæ* §. 3. *n.* 73. Bartholomæus de S. Fauſto *in theſ. relig. l.* 8. *q.* 213. Galeti *in marg. verb. relig. num.* 9. Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 6. *nu.* 7. Naldus *in ſumm. verb. religio. num.* 11. Cenedus *de paup. dub.* 29. *n.* 4. Gratianus *in decep. for. ſ. to.* 2. *c.* 202. *n.* 17. Turrianus *in* 2. 2. *tom.* 1. *diſp.* 85. *dub.* 3. & alij.

RESOLVTIO IV.

880 *Monachus poteſt celebrare Miſſas pro quocumque amico ſine licentia Prælati, dummodo non recipiat eleemoſynam.* Hęc ſententia in noſtra Religione Benedict. eſt clara, eſt certa: quia non

non habemus particulares obligationes celebrandi quotidie, quod autem facimus ex deuotione, poſſumus cuicumque applicare. Sed de applicatione Miſſarum alibi.

Interim in Religionibus, in quibus Monachi tenentur Miſſas legere pro communitate, non poterunt eas pro amico dicere cum communitatis detrimento: puta, ſi amicus recipiat nouam eleemoſynam, aut velit non deuotioni, ſed obligationi ortæ ex aliquo pretio ſatisfacere: & ſub hac limitatione intelligatur reſolutio ſubſequens.

RESOLVTIO V.

881 *Poteſt celebrare Miſſas ad intentionem cuiuſcumq; amici, licèt ſciat hunc amicum recipere ſtipendium pro illis*. Ita Soſa *in explic. Bullæ §. 3. nu. 74.* cui ſubſcribit Diana *tract. de paup. reſ. 9.* Ratio quâ vtitur Soſa, eſt efficaciſſima, quia Monachus nihil dat amico quod non ſit ſpirituale: quod alter accipiat ſtipendium, aut non, eſt Monacho per accidens, ideoque nullus locus ſcrupulo.

881 b Sed reſumis, & vrges hanc rationem his verbis. Nihil dat Religioſus amico, quod ſpirituale non ſit hoc eſt, ſupernaturale: hoc enim hic nomine ſpiritualis intelligitur. At ille amicus pro hoc ipſo ſpirituali recipit ſtipendium: ergo committit ſimoniam: non enim poteſt ſtipendium recipi pro re ſpirituali. Nec valet dicere, quòd ille amicus laborem vendat: non enim ipſe poteſt ſuum, nec alterius. Non ſuum, quia ipſe nullo modo laborat: non alterius, quia religioſus non dat amico materialem laborem, ſed valorem ſupernaturalem: aut ſi laborem dat, falſum eſt dicere, quòd nihil dat amico, quod non ſit ſpirituale: labor enim veniendi ad Eccleſiam, induendi ſe, & legendi, materialis & non ſpiritualis eſt.

881 Reſpondeo primò nomine ſpiritualis non ſolùm ſupernaturale, ſed etiam naturale intelligi: ſpiritualis eſt intellectus, voluntas, & eorum actus. Ire, redire, legere, & ſimiles actus purè materiales non ſunt, nam cùm liberi ſint & propter finem facti, mixti ſunt è corporeis & incorporeis coaliti. Ergo ſi Religioſus hos omnes ſpirituales actus cedit ſuo amico, habet ille quos poſſit vendere: non enim cômittitur ſimonia in quarumcumque ſpiritualium rerum venditione, ſed in ſola venditione rerum ſupernaturalium, aut etiam ſi velis moralium.

881 d Reſpondeo ſecundò condeſcendendo & permittendo vt nomine ſpiritualis ſupernaturale intelligitur, & dicẽdo nomine etiam ſtipendij in miſſis intelligi eleemoſynam, nec eſſe ſimoniam actum virtutis pro actu virtutis commutare: vt ſi exempli gratia, contraherem tecum dicens: commenda me Deo, & ego te etiam commendabo: Lege pro me vnam miſſam, & ego tres Eccleſias viſitabo pro te: Roſarium pro me recita, & ego dabo vnam eleemoſynam pauperi: & ſiquidem tu pauper es, dabo tibi.

RESOLVTIO VI.

882 Petiit Petrus à quodam Monacho viginti Miſſas, pro earum ſtipendio offerens tot florenos: reſpondit Religioſus: (1.) Ego legam Miſſas pro te gratis, ſub hac tamen conditione, quod iſtud ſtipendium, (2.) quod non accepto, (3.) des gratis tali amico meo. Quid dicendum? Reſpondeo, *Omnia eſſe licita*. Primum ex *reſol.* 16. & 17. ſecundum ex 15. tertium ex 15. ſolùm remanet illa ratio conditionis expreſſæ, quæ poſſet inducere nouam difficultatem. Dico, non eſſe illicitum facere conuentionem in rebus ſpiritualibus: puta, ſi Petrus ex conuentione celebret Miſſam pro Paulo ſub conditione oneroſa, quod Paulus recitet pro ipſo Pſal-

mos

ſnos pœnitentiales, vt ante paucas lineas dicebamus. Sic ſimiliter potuit ille Monachus celebrare pro Petro ſub hac cõditione, quòd Petrus illius intuitu faceret opus miſericordiæ, largiendo talem pecuniam amico, vel pauperi.

RESOLVTIO VII.

883 *Poteſt probabiliter aliquis dare Religioſo quamcumque pecuniam ad vſum Religioſi liberè & prout voluerit diſpenſaturi, reſeruans ſibi dominiũ talis pecuniæ.* Ratio eſt, cùm vſus, & dominium diſtinguãtur realiter, poteſt illud retineri, & hic alienari. Religioſus autem vtens tali pecunia, non peccat contra paupertatem. Ita Soſa *in explic. Bullæ* §. 2. *n.* 73. & *nu.* 78. Sanchez *in ſumm. tom.* 2. *l.* 7. *c.* 19. *n.* 51. Fauſto *in theſ. relig. l.* 8. *q.* 109. *nu.* 2. Diana *de paup. relig. reſ.* 42. Aliquibus videtur laxa hæc ſententia, imò ipſi Dianæ *de paup. relig. reſ.* 10. quãuis *reſ.* 42. illam non laxam, ſed probabilem iudicet. Nec poteſt in conſequentiæ excuſari, quia alibi agit de dominio, alibi de vſu: vſus autem potiùs ad Obedientiam reducitur, quàm ad Paupertatem contra quam militat dominium: de Prælati enim licentia, Religioſi habent rerum vſum: dominium verò permanentium, nec de Prælati volũtate. Quid intelligatur nomine opinionis laxæ deberent explicare, facilioris reſponſionis gratia: quia vel opinio laxa nimis, eſt idem ac parùm probabilis, aut idem ac certa aut ſummè probabilis, latiſſimos tamen, campos aperiens & ſcrupulos innumeros tollẽs. Si hoc ſecundum intelligant nomine opinionis laxæ, gaudeo meam hanc opinionem laxam eſſe, dummodo enim opinio aut certa ſit aut probabilis, de benignitate non eſt accuſanda, niſi ſolùm in eorum ſententia, quibus odioſa veritas. Si nomine opinionis laxæ intelligant opinionem improbabilem, eſt aliud: ſed nullus eam cordatè poterit talem dicere, contra quam nullus maior Soſa, Sanchez, Fauſto, Dianâ inuchitur, quam ratio fortiſſima corroborat, cui & ego qualemcumque (ſi alicubi ſine formidine) hic tribuo authoritatẽ. Ratio eſt hæc. Peccatum contra paupertatem eſt proprietas: & vbi hæc non relucet, hæc virtus conſeruatur illæſa. Atqui in præsẽti caſu nulla datur proprietas: ergo nullum peccatum contra Paupertatis promiſſionem. Suppono quod Prælatus non iubeat contrarium: quia, vt dixi, *Reg. cap.* 54. interdicitur munerum receptio & oblatio, & vſus etiam eſt munus, ideoque contra Abbatis præceptum nihil poteſt recipi quoad vſum: vnde addo, accipientem rei vſum & non proprietatem, contra Abbatis iuſſionem, peccare contra Obedientiam, non verò contra Paupertatem.

Dices, ex his colligi, Paupertatis votum benignius eſſe, quàm multi exiſtimabant: fateor, vtinam & adhuc id benignius fieri poſſet! quia experientia docet, creſcentibus obligationibus, creſcere culpas: Non ſunt præcepta in cauſa, nihilominus ſunt in occaſione ſaltem remota, vnde ego nullum præceptum ponerem, tollerem quę poſſem: vidi doctiſſimos in hac ſententia, vtinam nulli ſequerentur contrariam: faciliùs Deo ſeruire poſſent.

884 Quod de pecunia dixi, poteſt intelligi de quacumque re non conſumptibili vnico actu: quia de hac ex meis principijs aliter debeo philoſophari. Dixi *reſolutione* 12. in rebus vnico actu cõſumptibilibus Religioſum acquirere totum dominium, quia in ijs non diſtinguitur vſus à dominio: ergo, ſtando huic ſententiæ, non poterit aliquis dare Religioſo cibos ad vſum, conſeruans ſibi dominium: ſi enim dat vſum, non poterit dominium non dare: & in tali caſu, ſi hos Religioſus acciperet ſine licentia tacita vel expreſſa, eſſet proprietarius, peccaretque mortaliter aut venialiter ſecundùm muneris ponderationem: de quo poſtea.

885 Ad-

885 Addo, te non teneri ex meis principijs philoſophari, ſicque poſſe ſubſcribere Bartholomæo Salon. *in 2. 2. tom. 1. q. 61. tract. de dominio. q. 1. art. 2. concl. 1. corol. 3.* Turriano *in 2. 2. tom. 2. diſp. 31. n. 21.* & Tannero *in 2. 2. diſp. 4. quæſt. 1. d. 2. num. 22.* aſſerentibus in rebus vnico actu conſumptibilibus dominium diſtingui, etiam ab vſu, & ideò non ſolùm pecuniæ vſum, ſed & vſum comeſtibilium poteris accipere ſine licentia, quin pecces contra Paupertatem, ſed conſequenter debes negatiuè reſpondere concluſionibus propoſitis in reſolutione 9. diſputationis præcedentis.

885 b Poſui iſtam poſitionem benignam ductus grãdium hominum authoritate, à quibus habet quòd probabilis ſit. Ego autem, vt defendam, illã debebo limitare. Dicam, vſum eſſe duplicem: nam & vtimur re illam conſumendo, & vtimur etiam illæſa. Primùs vſus, eſt actus dominij vſuarij: ſecundus dominij vtilis. Puto Petrum ſibi reſeruato dominio vſuario, poſſe mihi concedere vſum pecuniæ vtilem: non autem credã mihi poſſe vſum vſuarium ſeu deſtructiuum concedere ſibi dominium vſuarium reſeruando cùm ſint ſibi mutuò connexa. Tu igitur religioſe, poteris vti pecunia, quam tibi dedit Petrus ſibi reſeruando dominium vſuarium: nimirùm, poteris vti, non tamen vſuariè, hoc eſt, conſumendo aut deſtruendo: quia vſus deſtructiuus eſt actus ſecundus dominij directi & proprietarij: vnde neceſſariò dicendum, aut te licitè illam pecuniam conſumpſiſſe, & fuiſſe proprietarium dominum: vel ſi proprietarius dominus non fuiſti, cõſumpſiſſe illam peccaminosè. Puto pecuniam conſumi, cùm donatur, cùm luditur, cùm dilapidatur, aut etiam cùm in commeſſationibus prodigitur: non item cùm commutatur: manet enim in re empta virtualiter, ipſa pecunia.

Hæc ſubtilia & difficiliora, quam putant; qui ſe omnia ſcire putant; à quibus ſe facili negotio Benedictinus Abbas, pecuniarum receptionem huiuſmodi ſeuerè interdicendo, euoluet.

RESOLVTIO VIII.

886 *Non peccat contra Paupertatem, qui inſcio Abbate ab externis pecuniam accipit & libros emit, dummodo habeat eos in cubiculo expoſitos, & omnibus obiectos: Idem a fortiori dicendum eſt, ſi accipiat ipſos libros.* Ita Diana *tract. de paup. relig. reſolut. 26.* qui ſequitur Azorem, Fabium, Coriolanum, Homobonum, ac alios. Dixi *non peccat*, quia hæc concluſio eſt ſatis probabilis, licèt contraria ſit probabilior. A fortiori dicendum eſſet, etiam non peccare, qui libros aut ſupellectilia mutua accepiſſet. Sed hæc omnia ſummis ſunt expoſita periculis, ideoq; omninò interdicenda. Inter Germanicæ congregationis leges, notabilis & vtilis eſt hæc, *Prohibitur ne religioſi etiamſi Officiarij ſint, quicquam mutuò dent, vel accipiant ſine licentia ſuorum Abbatum, aliàs mutuum quod ab eis datum vel acceptum fuerit, nullam vim habent.*

RESOLVTIO IX.

887 *Non peccat contra Paupertatem Religioſus accipiens ab amico pecuniam in eleemoſynas diſtribuendam nomine eius, qui dedit, electurus pauperes pro arbitrio.* Conſtat ex Reſol. ſeptima, quam defendunt Fauſtus *in theſ. relig. l. 8. q. 109. num. 2.* Sanchez *in ſumm. tom. 2. l. 7. cap. 30. n. 4.* Diana *de paupert. reſol. 29. & alij.* Ratio eſt; quia non accipit dominium, nec vſum, ſed ſolùm eſt inſtrumẽtum cauſæ principalis, cooperans, in actum charitatis ex hac ſententia, quam ipſe etiam ſequitur, in Floribus. pag. 505. h. mę citat eruditiſſimus P. Balæus, & alios.

RE-

RESOLVTIO X.

888 *Religioſus, qui ex cibis ordinarijs Monaſterij ſolet clandeſtinè aliquid ſumere, & hoc frequentiſſimè, vt conſumat in actualem vſum, ſui, aut alterius Confratris, non frangit votum Paupertatis*. Eſt expreſſa Suarij *de relig. tom. 3. lib. 8. c. 11. num. 41.* Habeo ad hoc aſſerendum motiua plura, quorum aliqua producam, poſtquam verba reſolutionis explicauero.

889 Conſultò dixi *ex cibis ordinarijs:* nam ſi cibi eſſent extraordinarij, aliter deberes philoſophari, cùm ex hoc maximum damnum inferatur Monaſterio, quia tales ſæpius conſeruantur pro hoſpitibus, & eſſet Monaſterio dedecori, quod adueniens hoſpes non poſſet tractari pro qualitate ſuæ perſonæ, iubente id expreſsè Regula cap. 53. Sunt etiam cibi extraordinarij, qui ad aliquam Communitatis ſolennitatem, aut recreationem reſeruantur: eſset enim res magni ponderis, quòd propter gulam vnius particularis, recreatio publica denegaretur.

890 Addidi, *vt conſumat in actualem vſum*, vt indicarem illos cibos non poſſe remitti ad extraneos, & debere vno vel altero actu conſumi; vnde, ſi quis vini dolium integrum clanculò ſubriperet, peccaret contra paupertatem, non enim illud erat vno aut altero actu conſumpturus. Quæ autem quantitas in cibis ſimul ſumptis ſufficiat ad peccatum mortale, nec auſus eſt determinare Diana *tract. de paup. reſol. 30.* nec ego poſſem diffinire: quia debet conſiderari rei quantitas, valor, finis; quæ omnia debet conſcientiæ conſultus ſedulò examinare, & neminem condemnare ſine euidenti ratione: ad condemnationem enim in foro interiori opinio probabilis non ſufficit, cùm licita ſint quæ fuerint probabilia. Sequor in hac concluſione citatum Suarium. Tanner. *2. 2. diſp. 7. qu. 3. dub. 4. nu. 106.* ſatis probabiliter ait, *Nullam Prælati ſe ueritatem eiuſmodi acceptiones quoad ſubſtantiam rei acceptatæ, iniquas reddere poſſe*. Sunt verba maximè notanda à Confeſſariis.

891 Probatur igitur noſtra Concluſio. Clandeſtina ciborum ſumptio non eſt Prælato inuoluntaria, quà ſubreptio eſt, ſed quà clandeſtina eſt: Atqui iſte modus non eſt contra Paupertatem: ergo talis ſumptio non eſt contra Prælati voluntatem: Sed illud quod fit, permittente Prælato, in hoc genere eſt licitum; ergo hæc ciborum ſubreptio eſt in conſcientia licita. Prælatis non diſplicere hàc ciborum ſubreptionem quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad modum, conſtat; quia Monachi tractandi ſunt vt filii, & commune eſt filiis à ſuis parentibus clanculò cibos ſubripere, quod ſub terminis noſtræ reſolutionis, à nemine cenſetur eſse graue.

892 Præterea. Diuerſæ ſunt hominum complexiones, diuerſæque eorumdem neceſſitates, quæ exteriùs non poſſunt cognoſci: ideò pientiſſimus Benedictus in ſua Regula vix audet *ca. 39.* & 40. ciborum determinare quantitatem. Ideò dum labor Communitatis eſt maximus, quis damnabit eum, qui accipit aliquid clanculò, vt poſſit meliùs & ſuauiùs Deo Communitatique ſeruire? Accedit expreſſa mens Patris Sāctiſſimi *Reg. c. 40.* dicentis addendam eſse ciborum quantitatem, ſi labor fuerit maior, quod non ſolùm in communitate, ſed etiam in quo vis ſingulari habet locum: ratio eſt; quia ſicut communitas, ex eo quod hodie laboret pluſquam heri, poteſt habere aliquid amplius refectionis; ſic Monachus particularis, ſi hodie faciat aliquid maioris laboris, maioris ponderis, quàm alia die, poterit & aliquid amplius aſsumere ſibi in ientaculum, aut refectionem.

893 Leges debere extendi ad caſus ſimiles, docent communiter DD. & in praxi multos caſus difficiles, per alios ſimi-

ſimiles ſolent explicare. Atqui ex mẽte S. Patris c. 38. poteſt Lector menſæ ante lectionem ſumere aliquid, vt meliùs & faciliùs legat. Et c. 35. agens de Monachis ſeruientibus Communitati: *Imbecillibus*, ait, *procurentur ſolatia, vt non cum triſtitia hoc faciant*. & mox addit: *Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant ſuper ſtatutam annonam ſingulos biberes, & panem, vt hora refectionis ſine murmuratione, & graui labore ſeruiant Fratribus ſuis*. Et cap. 34. dicit *danda eſſe omnia, non in æquali menſura, ſed pro ſingulorum neceſſitate*: Ergo ſi rationabilis accidat cauſa, poterit Monachus ex diſpoſitione Regulæ aliquid accipere.

894 Dices. Poteſt, ſed humilietur & petat à Prælato. Bene: ergo iam iniquitas non eſt in acceptione, ſed in modo; accepit enim clanculò, quæ publicè deberet ſumere licentia petita & obtenta: ergo ſi quid mali eſt, reducetur ad Obedientiam, non ad Paupertatem: vnde, ſi non ſit poſitum præceptum, & factum detegatur, vt plurimùm luet in foro exteriori: ſi ſit poſitum. Tannerus iniuſtum nominat, ego illud non laudo, quia ſatis probabiliter opponitur & patriæ benignitati, & maternæ Regulæ, quam profitemur.

895 Addo, Nouitios eſſe quoad hoc verè filios-familias, & ſi clanculò aliquid accipiant & comedant, non eſſe furti arguendos; cùm enim ferant pondus communitatis, cur & benignitas non debeat identidem ad illos extendendi?

894 b Sed inquiris, An famuli ſint etiam filij familias quo ad hoc, & poſſint ſine peccato clam cibos ſubripere? Reſpondet Thomas Sanchez *Conſiliorum moralium l. 1. cap. 1. dub. 1. nu. 17*. per hæc verba, *ex dictis fit famulos nũquam vel rarò peccare mortaliter, ſi accipiant, vt edant cibaria communia ex domo Herorum: tum quia dominus non eſt inuitus, tum etiam, quia alij exordinario cibo ſumptus excuſantur, minus enim hora conſueta comedunt. Sic Nauarra ibi n. 221. & refert Nauarrus. cap. 17. Hiſp. n. 139. Latina nouæ. num. 138. Sed Nauarrus non ita abſolutè loquitur, vt Nauarra, ſed dicit nos peccare mortaliter, ſed venialiter, quando credunt illa Dominum conceſſurum eſſe ſi ab eo peterent, licet nollent, vt ſe inſcio accipiant, quia tunc eſt tantum furtum quoad modum. Inde quando famulis tribuitur certa, ac determinata portio, id eſt, ſeles da racion, cum credatur dominium nolle eos aliquid furari, nec ab hoc excuſetur ex alia parte, id quod illis daturus erat ad manducandum, cenſendũ eſt de his furtis ac ſi fierent ab ijs, qui non ſunt famuli, niſi eſſent tam modica, vt credatur dominum velle. Similiter quando minimè crederetur dominum velle, etiam ſi illis nos detur cibus ſub certa quantitate & portione; ſi tamen ipſis cibaria congruentia impertiuntur, nec ob eas quæ furantur, aliquid excuſatur ex cibo, iudicandum eſt ſimiliter ac ſit alia furta fierent ab ijs, qui non ſunt famuli, niſi, vt dixi eſſent tam modica, vt rationabiliter deberet dominus velle.*

RESOLVTIO XI.

896 Tranſeo ad res non commeſtibiles. Monachus de licentia ſui Superioris debet vel accepit aliquid magni pretij ſed clanculò, præſciens hunc modum Prælato diſplicere. Quæritur, an peccauerit. Reſp. cum ſaltem contra Paupertatem nec mortaliter nec venialiter peccaſſe. Ratio eſt; quia cùm ſupponatur adfuiſſe licentia implicita Superioris, malitia non poteſt conſiſtere in quantitate ablatæ materiæ, quæ grauis eſt & ad peccatum mortale ſufficiens, ſed ſolùm in modo clandeſtino. Modus autem eſt contra Prælati voluntatem, adeoque contra Obedientiam,

& cùm

& cùm hæc ante præceptum nullius ſit obligationis in interiori foro, dico illum in exteriori tantùm eſſe condemnandum. Ita Tannerus *in 2. 2. diſp. 6. q.3. dub.4. num.165.* Fagundez *de præcept. tract.2. lib.8. c.6. n. 3.* Mendoza *q.8. concluſ.*8. Nauarrus *comm.2.n.20. de regul.* Suarius *de relig. tom.3. lib.8. cap.11.n.11.* Graffius *deciſ.p. 1. lib. 3. cap. 5. num.34.* Miranda *in man. Præl. tom.1. quæſt. 28. art. 16. concl.2.* Genedus *de paupert. Relig. dub.18.n. 14.* Debet tamen in foro exteriori condemnari ſeuerè; quoniam ſi ſemel admitteretur hæc excuſatio, nullus eſſet fur, qui rerum ſubſtantias ſubriperet; omnes enim fingerent ſibi licentias implicitas, & aſſererent ſe peccaſſe quoad modum.

897 Hic alij dubitationi locus. Petrus accepit aliquid cum licentia implicita ſui Abbatis, quod deinde, ne diſpliceat Abbati, abſcondit, ne in Viſitatione cubiculi reperiatur. Vt decidatur hæc quæſtio, opus eſt diſtinctione: quia, vel Petrus vult abſcondere directè rei ſubſtantiam, ne ſciat Abbas ſe illã habere, vel vult celare ſolùm modum, ne ſciat rem illam clanculò, & ſine licentia expreſſa eſſe acceptam. Si intendat celare rem ipſam quoad ſubſtantiam, eſt proprietarius, nec contrarium iudico probabile. Si verò velit quidem, quod Prælatus rem illam videat, dummodo neſciat eam clandeſtinè ad Monaſteriũ eſſe adductam, ſed ideò occludat, & occultet, quòd Prelatus eam videre nequeat quin & hoc cognoſcat, dicendus eſt directè occultare non ſubſtantiam rei, ſed clandeſtinum illum modum, & nec eſſe proprietarius. Hæc doctrina ſic explicata eſt vtilis ad tollendos ſcrupulos à conſcientijs indoctiorum. Velim eam retineant Confeſſarij ad benigniùs iudicandum. Sub ijs terminis defendit illam Sanchez *in ſumm. tom. 2. lib.7. c.19. num.61.* Mendoza *q.8. poſt concl.4.* Rodriguez *qq. reg. to.3. q.29. art.5. concl.5.* Peirinus *de relig. tom.1. c.2. q. 2. §. 4.* Bartholomeus à ſancto Fauſto *in reſol. relig. lib.8. q.126. n.3.* Sed in foro exteriori Prælatus non ſit tam ſubtilis; puniat grauiter, ſi quos repererit modi ſolicitos, ſubſtantiæ incurios: quia Eccleſia de occultis non iudicat, & intentiones hominum occultæ ſunt.

Quæris an peccent Religioſi & quicumque alij Eccleſiaſtici, qui permittunt ſuo nomine aliqua emi à ſæcularibus cum vectigalium detrimento?

Hanc quæſtionem à Caſſinenſibus tactam video, ſed deciſam non video. Ipſi exponentes caput XXXIII. Regulæ, ſic inquiunt. *Nemo præſumat quicquam emere, in quibuſuis ciuitatibus aut locis nomine Laicorum, aut etiam ab eis accipere, vt id aſportet abſque gabellarum ſolutione. Quod ſi quis non obſeruauerit, ſi quidem fuerit in dignitate conſtitutus, per depoſitionem puniatur. Si verò fuerit ſimplex Monachus degradetur, habita conſideratione grauitatis criminis: ſed ſi fuerit commiſſus, aut expellatur, aut grauiſsimis pœnis ſubiaceat.*

Dico igitur, huiuſmodi religioſum eſſe illius furti complicem, ne dicam cauſam principalem moraliter, ſiquidem eius nomine fraus illa cuditur contra rempublicam, adeoque peccare eodem modo quo ſæcularis in cuius vtilitatem fraus committitur: moraliter quidem, ſi lex fuerit moralis: & ſi pœnalis, pœnaliter, nam ſunt circa tributa & gabellas diuerſæ leges: aliàs enim ſub culpa obligant, aliàs ſub pœna.

DISPVTATIO LXI.

De loculis Religioſorum.

898 POteſt laudabiliter Abbas permittere Burſarium in Monaſterio, qui habeat pecuniam, quã quiſque Religioſus ſua induſtria à deuotis, aut ab amicis comparauerit, modò ipſi Religioſo non tribuatur niſi ad vſus licitos, & de licentia Prælati. *Item* Poterit Abbas licitè permittere quod Religioſus habeat quoad vſum (non quoad proprietatem) reditus annuos in vſus honeſtos, reuocabiles tamen ad ſuam voluntatem.

899 Primum eſt in vſu in ſanctiſſimis alijs Religionibus, & admiſſum in noſtra: ſecundum rarò vidi in noſtra; tantùm enim cognoui tres, qui haberẽt reditus annuos. Religioſos habere loculos, eſt hodie in vſu, & præceptis Capituli, & Generalium, & Viſitatorum ſingulis annis confirmatũ, ac ſatis vtile: de cuius vſus æquitate, & præceptorum eum confirmantis iuſtitia acutè & efficaciter ſcripſit Reformator Martinez anno 1630. vnde collige, hoc non eſſe contra aliquod Pontificium decretum: vel ſi eſt, eo ipſo illud decretum non fuiſſe acceptatum. Neque hic aliquid decernitur contra Concilium Tridentinum: quia, vt omnes DD. aſſerũt, id non condidit nouum ius, ſed antiquum confirmauit, (nempe *caput* Monachi, & c. cum ad Monaſt. de ſtatu Monachorum,) vbi interdicuntur tantùm peculia loculi, & reditus, quæ ſine Prælatorum licentia, aut in vſus profanos, aut irreuocabilia aſſerebantur non ſine maxima iactura morum: vſus enim irreuocabilis videtur ſonare proprietatẽ: reliquum, reditus & loculi reuocabiles à Prælato, nec conſumendi ſine licentia eiuſdem, nullatenus interdicuntur. Ita Villalobos *in ſumma. p. 2. tract. 35. dub. 30. nu. 2.* Nauarrus *comm. 2. n. 15. & 18. de regul.* Sanchez *in ſumm. tom. 2. lib. 7. c. 22. nu. 11.* Sà. *verb. Relig. 48.* Miranda *in man. Prœl. to. 1. q. 28. art. 8.* Tannerus *in 2. 2. diſp. 6. q. 3. dub. 4. num. 108.* Faber *de ? eſt. in 4. ſent. lib. 4. diſt. 15. q. 2. diſp. 45. cap. 5. num. 125.* Riccius *part. 4. decis. 340. num. 12.* Hieronymus Cenedus *de paupert. relig. dub. 9. numer. 4. & ſeq.* Graffius *in ſuis deciſ. parte 1. libr. 3. cap. 5. num. 55.* Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 8. quæſt. 30.*

900 Probatur primò, ex Bulla Clementis VIII. vbi Pontifex facit differentiã, & diſtinguit inter bona Cõmunitatis, & inter bona particulariũ Religioſorũ: Ergo datur talis diſtinctio.

901 Præterea. Loculi nihil inuoluunt proprietatis, ergo poſſunt permitti. Probatur antecedens: Quia proprietas eſt penes Monaſterium, vſus ſine licentia non permittitur, hæc non datur niſi in fines bonos: ergo nil mali reperitur.

902 Loculos eſſe vtiles & Communitati & Religioſo particulari, demonſtro. Communitati quidem: quia ex eis ſubuenitur Religioſis in cauſis legitimis quibus aliàs deberet ſubueniri ex bonis Monaſterij: Religioſo autem, quia liberiùs audebit petere, imo & faciliùs conſequetur licentiam vtendi pecunia induſtria ſua acquiſita, quàm pecunia ipſius communitatis.

903 Vel dicant mihi Auth. oppoſitæ opinionis, verùm aliud ſit habere loculos, quàm quod ſubditus dicat Prælato, ſibi obuenturas neceſſitates, in quibus ſubleuandis conſumenda eſſet pecunia, & ne Monaſterio ſit grauamini, ſe petere licentiam congregandi ex ſtipen-

ſtipendijs Miſſarum vel ex quęſtu certæ artis ſummam pecuniarum deponendam apud ipſum Abbatem aut alium ad hoc conſtituendum pro eius arbitrio, cum plenaria reſignatione illis carendi, ſi Abbati viſum fuerit. Si hoc ſit habere loculos, quis condemnet? imo quis non laudet Monachos opere manuum lucrari neceſſaria? Si ſit quid aliud in opinione contrariorum habere loculos, ipſi ſe explicent: vix enim credidero poſſe loculos, prout à me ſunt expoſiti, à quoquam Doctorum cōdemnari. Hęc opinio præter vtilitates poſitas, docet Religioſos eſſe induſtrios, nunquam ignauos, & ſemper optimè occupatos: fugat otium, quod plurium peccatorum eſt principium: beat homines iuxta illud Pſ. 127. *labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.*

Accedit, quod habuiſſe loculos Chriſtum & alios Apoſtolos probauerimus *nu.* 229. vnde ſi & illi, nos ſine ſcrupulo etiam poſſumus.

N O T A.

903 *b* Legum optimi interpretes ſunt mores, & ſic proderit nonnihil addere, vt ex nationum diuerſarum praxi hęc doctrina liquidiùs cognoſcatur.

903 *c* Apud Hiſpanos nulli Religioſo Ciſtertienſi permittitur retinere pecunias, ſed oblatas & receptas regulariter, hoc eſt, de Abbatis licentia, tenetur vnuſquiſque in manus Depoſitarij ab Abbate denominati conſignare: qui Depoſitarius non poteſt illas expendere aut dare ſine expreſſa eiuſdem Abbatis licentia. Viſitatores, Depoſitarij librum & computum examinant; quia & religioſi non permittuntur reclamare aut obloqui & tamen congruum eſt, vt in harum pecuniarū diſtributione ęquitas & modeſtia ſeruetur. In monaſterijs nemini permittitur habere in loculis vltra octuaginta imperiales, at in collegijs maior benignitas neceſſaria eſt.

903 *d* Apud Germanos reperio etiā de loculis Religioſorum legem. Ciſtertienſes illas, quas in Bauaria prædeceſſores noſtri anno 1595. tulerunt, examina, & reperies interalias ſanctiſſimē ſtatutas, hanc. *Sit arca communis conuentus deputata, in qua pecuniæ omnes ex piorum eleemoſynis pro celebrandis miſſis, confeſſionibus audiendis & alijs Eccleſiaſticis officijs ex penſionibus perſonarum vtriuſque ſexus conceſſis, ex veſtibus diuenditis, ornamentis, alijſque rebus profeſſioni monaſticæ indicentibus, & vndecumq; ad earumdem perſonarum manus, aut quocumque prouenerint, reponentur & ſeruabuntur. Ipſa verò arca in loco tuto cuſtodietur, clauditur quæ ſub tribus diuerſis clauibus, quarum vnam Abbas, ſecundam Prior, & tertiam Senior à conuentu diſputatus habebit; pecunia inde nō extrahetur, niſi in eorum trium præſentia vel pro minutis rebus, Fratrum infirmorum ſolatijs vel pro comparandis Eccleſiæ ornamentis, vel pro vrgentibus Monaſterij neceſſitatibus. Qui contra facere auſus fuerit, velut proprietarius puniatur.*

903 *e* In virtute huius legis D. Ioannes Martinus Clariloci Abbas in monaſterijs ſuis poſuit hanc legem, *ſiquid ipſis* (nimirum Religioſis) *oblatum à Reuerendo Prælato recipere conceſſum fuerit, id ſtatim communi burſæ incorporetur, vt minutioribus tam illius cuius obtigerit, quàm aliorum indigentium neceſſitatibus inde ſuccurratur.* Vide Viſitationem Specioſæ-vallis factam anno 1608. Et nota, eum qui loculorum æquitatem, ſuperiùs demonſtratam defendet, cum duplici hominum genere pugnaturum; nempe, cum ignorantibus & cum ignauis. Primò enim indocti, dum rem non capiunt & doceri non volunt, vociferationibus caput noſtrum obtundunt, & proprietatem in loculis, hoc eſt, in meridie

tenebras, amaritudinem in melle inclamant; Secundò ignaui, tametſi rem intelligant, ne ex decentia vitam induſtriam agere teneantur, non volunt facere quod ſentiunt, ſupponẽtes hac doctrina mores vniuerſos mutari. Nam vbi loculi permiſsi, accenditur deuotio populi, ſunt conciones frequentes, miſſæ quotidie, & ſucceſſiuæ horæ non inſumuntur fabulis, ſed vnuſquiſque libras in arte aliqua honeſta iuxta capacitatem & ingenium exercet; & ſic victus & amictus adquiritur, ſi non omnino neceſsarius, decentior. Vbi non permittuntur loculi, ceſsat illud virtutis calcar (diſtinguimus calcar à fine etiam in actibus ſupernaturalibus) & multi reperiuntur Religioſi omninò deſides, omninò incurij; ſalus plebis negligitur, rariùs celebratur, tota die garritur, & Abbas expenſis, quæ poſsent excuſari, grauatur: imò quod miſerabilius adhuc eſt, hæc ipſa ignauia nominibus ſanctis inueſtitur. Contẽnunt populi ſalutem, quia, vt aiunt, contemplatiuam vitam profeſſi non debent ſe immiſcere actiuæ: miſsas rarò celebrant, quòd indecens videatur quotidie ad altaris ſacrificium accedere: fabulantur tota die ſine temporis aut loci diſcrimine, quia rationales ſunt, & loqui ſit diſcretio, ſeruare ſilentium indiſcretio etiam beluis communis, quæ ideò *alogæ* dictæ, quod loqui non valeant: dedignantur aliquam artem exercere aut addiſcere, quia id nimis mechanicum, & contra authoritatem ordinis Benedictini: nec Abbati condolent nec Conuentui, à quibus etiam ſuperflua habere volunt, & ita pauperes dici, vt nulla re vel minima careant aut egeant.

309 f Rem igitur prudens Lector conſideret; virtuti faueat, & ita in hac materia iudicet, vt nihil contra paupertatis iuratam deuotionẽ indulgeat, ſed ſi loculos viderit huic ſolẽni virtuti congruos, multarum aliarum eſſe compotes, illos in ſuis ipſe monaſterijs conſulat & admittat, præcauendo ne ſit aliquis error in illis aut exceſsus; qui enim ſubſtantialiter boni, poſsent damnari quoad modum aut exceſsum. Primò.n. loculi mali ſunt, ſi pecuniarum acquiſitarum ſine Abbatis licentia; ſecundò, ſi ipſis met religioſis permiſſi; tertiò, ſi expendendi ſine licentia Abbatis; quartò, ſi irreuocabiles, quintò, ſi nimij, & tranſeunt in auaritiæ & cupiditatis fomenta; nemini enim permittendi eo fine, vt habere dicatur aut videatur, hic enim finis vilis eſt; ſed permittendi vt vel ſic Prælatus habeat vnde faciliùs poſſit libros ſingulis aut alia ſimilia procurare.

DISPVTATIO LXII.

Vtrùm, qui paulatim modica acceperit, tandem peccauerit mortaliter.

904 EST quæſtio celeberrima, non ſolùm Regularibus, ſed etiam ſæcularibus ſcitu vtilis, ne dicam, neceſſaria: Hic variè digladiantur authores. Ipſis mentem meam adiungam aſsertis ſubſequentibus.

905 Aſsertum 1. *Plurima peccata venialia nõ poſſunt facere vnum mortale.* Hæc concluſio eſt certiſſima. Hic tamen obiter notandum eſt, cautè eſſe legendos veterum libros, in quibus ſæpe reperitur, ex ſeptem aut ſaltem ex multis

tis

tis venialibus fieri vnum mortale; quod verum eſt, ſi explicetur debitè; accipiatur vt ſonat, eſt hæreticum. Ex venialibus peccatis fiunt mortalia, non vt à materia, non vt à forma, quia venialia neque materialiter neq; formaliter continentur in mortalibus: fiunt tamen hæc à venialibus vt à diſpoſitione remota. *Remotam* dico, quia diſpoſitio proxima illa eſt, quam immediatè ſequitur forma, ad quam diſponit; peccatū autem veniale licèt diſpoſitio ſit ad mortale, non tamen immediata & proxima: nam ſepties in die cadit iuſtus venialiter, ſed mortaliter aut raro, aut nunquam. Ideò difficultas non eſt de peccatis venialibus quà talibus, ſed de materia iſtorum peccatorum, vtrùm materia obiectiua plurium venialium peccato, conſtituat materiam grauem, ita vt ſit tandem materia peccati mortalis.

906 Pro maiori claritate huius quęſtionis, aduerte eam non eſſe ſingularem in materia furti, ſed per omnia precepta diſcurrere; quod quia rarum & inauditum, venit profundiùs demonſtrandum.

907 Petrus paulatim furatus eſt pluries modica, ergo hæc materia eſt materia magna; quid enim numerus magnus eſt quàm plures vnitates? cur non ſimiliter, ſi Petrus pluries laborauit in die feſto, licet ſingulæ vices dicāt materiam paruam, omnes ſimul non poterunt continere tres horas, [aut ſaltem ſeſqui horam] quæ eſt materia peccati mortalis? Petrus in recitando miſit hic ibi aliquem verſum, quod ſi pluries fęcerit, cur non poterit octauam officij partem omiſiſſe, & proinde peccaſſe mortaliter? Sæpiùs interdiu comedit aliquid in parua quantitate, cur illæ ciborum particulæ, ſi coniungantur, non ad octauam partem deuenient congruæ ſuſtentationis? cur non poterimus ſimiliter in alijs caſibus philoſophari.

In his omnibus reſolutio eſt eadem, ſed petit attentionem, ne malè intellecta in abuſus aliquos deducat ignorātē.

908 Aſsertum II. *Numerus non eſt plures vnitates, ſed tertium reſultans ex pluribus coniunctis vnitatibus;* vnde acutè Ariſtoteles docet, bis ter non eſſe ſex; quia ſenarius ſpecie differt à ternario, ideò ſenarius eſt numerus vnus reſultans ex materia duorum ternariorum. Sic ſimiliter in Geometria. Triangulus non eſt tres lineæ, ſed figura reſultans ex vnione linearum trium.

909 Aſsertum III. Ex realibus venio ad moralia; quia vel hæc ſunt realia, vt ego credo: vel ſaltem tunc meliùs expoſita, cùm ſequuntur principia metaphyſica. Dico ergo. *Plures materiæ paruæ morales, non ſunt vna magna moralis, ſed plures paruæ.* Materia magna moralis eſt vna, quę componitur ex pluribus paruis: & ſi vna non ſit, non eſt materia magna. Probatur. Illud quod reſultat ex vnitatibus, niſi ſit vnū, non eſt numerus; illud quod ex lineis, ni etiam ſit vnum, non eſt figura: ergo ſimiliter, quod reſultat ex materijs pluribus modicis, ni habeat vnitatem, nunquam erit materia magna, ſed erit plures paruæ.

910 Aſsertum IV. *Vnitas materiæ moralis deſumitur ab actu voluntatis, non à re phyſica.* Hinc patet, duo eſſe peccata, velle eundem hominē occidere diuerſis actibus, Puta ſi Petrus vellet interficere Ioannem, & poſteà voluntatem hanc retractatam iterùm excitaret; quia licèt Ioannes in eſſe phyſico ſit vnus, prout in voluntate Petri, eſt duplex: fuit enim obiectum duorum actuum: nempe, duorum moraliter, non phyſicè, quia actus vt ſint duo peccata debent diſtingui moraliter. *Hinc patet* eſſe probabilem ſententiam, quæ tenet eſſe vnum peccatum, velle vnico voluntatatis actu occidere duos: quia, licèt hi ſint plures in genere phyſico, in voluntate ſunt per modum vnius: nam vnius actus non datur niſi vnum obiectū; licèt velle occidere duos ſit maius

peccatum quàm velle occidere vnũ, non tamen eſt duplex peccatum. Quare in mea ſententia, quæ tenet circumſtantias, maximè aggrauantes, non eſſe in confeſſione aperiendas, ſufficeret illi in confeſſione dicere, volui ſemel occidere: quia non voluerat bis, vt ſupponitur: quod autem voluerit occidere vnũ, aut quatuor, actum aggrauat, ſed non multiplicat, & ita ſolùm eſt extenſio materialis, nec eſt opus explicetur. Hæc doctrina eſt cõmunis in omnibus peccatis, ſed vſus ſum hoc exemplo, vt confirmarem meam ſententiam etiam authoritate Suarij. *in 3. p. tom. 4. diſp. 22. ſect. 5. n. 35.* cui ſubſcripſit Megala *in p. 1. l. 5. c. 12. n.* 4. quod & Vazquez probabile indicat *in 3. p. t. 4. q. 91. art.* 10. *dub.* 4. *num.* 8. & alij: ac propterea volens vnico voluntatis actu occidere Patrem ſuum & vnum Sacerdotem, deberet in confeſſione dicere: Volui ſemel occidere, & erat in hoc actu circumſtantia Parricidij & Sacrilegij: nec teneretur explicare, vtrùm idem eſſet Pater qui Sacerdos, an diuerſus: quia Parricidium, & Sacrilegium, ſunt circumſtantiæ mutantes ſpeciem ideoque neceſſariò manifeſtãdæ Cõfeſſario, quod autẽ iſte Sacerdos & Pater diſtinguantur in eſſe phyſico vel nõ, eſt quid peccato materiale. Doctrinam ab illis verbis *Hinc patet* traditam eſſe probabilem ſuppoſui ob authores, quos obligari, & rationis allatæ fortitudinem: ſed ſemper me torquet ſcrupulus, ne illi certitudinem probabili maiorem concedã, non enim video, cur vnus actus non poſſit eſſe ſimplex phyſicè, & duplex moraliter. Mittitur Petrus Romam & conſtituitur duorum hominum Procurator in negotijs diuerſiſſimis & inconnexis; an non ipſe eſt phyſicè vnus homo, duplex moraliter? an non legantes duo ita ſe habebunt Romæ, ac ſi realiter præſentes eſſent? Rem conſidera; ſed dum clariora non ſuppetũt, eſſe probabilem propoſitam doctrinã concede.

911 Aſſertum V. *Plures materiæ paruæ ſunt, quæ obijciuntur ſucceſſiuè pluribus actibus liberæ voluntatis.*

912 Aſſertum VI. *Plures materiæ paruæ, quando obijciuntur ſimul vnico actui, non ſunt plures materiæ paruæ, ſed vnum obiectum, & vna materia reſultans ex pluribus paruis.* Patet vtrumque ex aſſerto 4. quia vnitas, & pluralitas obiecti deſumẽda eſt ex pluralitate morali actuum formalium; vnde ijs multiplicatis, obiectum in eſſe obiecti multiplicari neceſſarium eſt: Actus formales volũtatis multiplicãtur moraliter, vel mutato obiecto, vel interpoſita retractatione phyſica aut morali.

912 *b* Dices hoc ſextum Aſſertum ſupponere vnum actum voluntatis phyſicum nõ poſſe eſſe moraliter duplicem aut multiplicem, quod nondũ demonſtratum. Nam, ſi ponatur, vt poni probabiliter poteſt vnum phyſicè actũ; ſolere eſſe moraliter multiplicem, cur debeat Aſſertum admitti non vides; poſſet enim probabiliter dici, quando plures materiæ paruæ obijciuntur ſimul vni actui phyſico, manere adhuc plures paruas materias, & eſſe multa obiecta moralia; quoniam ille actus, tametſi phyſicè ſimplex, moraliter multiplex eſt, & ideò vnum morale obiectum habere non poteſt.

912 *c* Reſpondeo tamen hoc Aſſertum clariùs exponi ſupponendo actum ſimplicem phyſicè non poſſe eſſe duplicem aut triplicem moraliter; non tamen ob iſta ſuppoſitione dependere; poteſt enim etiam defendi in contraria ſententia; qua quomodocumque hypotheſis illa ſe habeat, certum eſt me poſſe concipere decem homines diſparatos, & poſſe etiam connexos; diſparatos quidem, ſi actibus diſparitatis; connexos non aliter quàm vno actu. Vnde hę duæ poſitiones vniuerſaliter ſunt admittendæ, I. *Materiæ paruæ actibus diſparatis conceptæ, vnum obiectum non conſtituunt.* II. *Materiæ, quæ vnũ* obie-

obiectum conſtituunt, non niſi vnico actu poſſunt concipi; addendumque illas paruas materias, cùm vnico actu cõcipiuntur, tranſire in vnam, vel quòd recipiant vnitatem ab actu concipiente qui vnus phyſicè eſt: vel, ſi hoc non ſufficiat, quòd non ſolùm concipiantur ipſæ, ſed concipiatur præter ipſas connexio, & damnum graui illatum illi, qui illas res perdidit; & hinc vnitatem deſumere.

913 Aſſertum VII. *Plures materię paruæ, quæ ſeparatim obijciuntur diuerſis actibus voluntatis, non faciunt peccatum mortale, ſed venialia plura.* Demonſtratur. Quia ſi daretur ibi peccatum mortale, vel id eſſet aliquis ex his actibus, qui reſpiciunt materiã paruã, vel aliquis ex ipſis compoſitus: neutrum eſt: ergo. Probatur minor quoad priorem partem: actus qui ſemel eſt peccatum veniale, & terminatur ad materiam paruam, numquam erit mortale: ergo ſi illi actus ſeorſim ſumpti ſunt peccata venialia, quicumq; illorum remanebit veniale, etiam ſi alijs venialibus ipſe ſuccedat: quia tempus non mutat eſſentias peccatorum. Probatur eadem minor quoad poſteriorẽ partem, ſcilicet ex pluribus venialibus nõ componi vnum mortiferum peccatũ: quia, vt in Aſſerto I. diximus, peccata venialia non ſunt materia, aut forma mortalium, ſed ſolùm occaſio remota, & remota diſpoſitio.

914 Aſſertum VIII. *Quando vnus actus terminatur ad plures materias paruas (nempe ſufficientes vt conſtituant vnam magnam) & conſiderat illas per modũ vnius, facit ex illis vnã magnam, ac proinde voluntas, quæ idẽ obiectum attingit, nec vult illud reſtituere, eſt peccatum mortale.* Quod actus is faciat ex illis omnibus materijs paruis vnum obiectũ, conſtat ex aſſertis præpoſitis; quod iſtud vnum obiectum ſeu vna materia ſit magna, eſt euidens; quia ſupponuntur tot materiæ paruæ, vt poſſint facere vnam magnam. Quod ſit peccatum mortale, eſt manifeſtum; quia eſt actus interdictus, circa materiam magnam.

915 *Hinc caſuum plurium reſolutio*. Petrus habuit pluries delectationes paruas materia ſenſualitatis, & ſingulæ harum correſpondebant diuerſis voluntatis actibus, non vni. Sunt plura peccata venialia, nõ mortale; quia ſunt plures per modum plurium, nõ per modum vnius; vt enim ex illis pluribus fieret vna magna delectatio, deberent habere vnitatem ab actu vno voluntatis ad omnes ſimul per modum vnius conceptas terminato, qui non eſſe ſupponitur. Accedit, quod ex multis leuibus delectationibus in mea ſententia non poſsit fieri delectatio grauis; nam ſenſualitatis grauitas in intenſione conſiſtit, & ex duabus qualitatibus remiſſis non poteſt componi vna intenſior.

916 Sic ſimiliter, qui actibus ſeparatis atque independentibus pluries in die ieiunij comedit modicam quãtitatem, nec habuit actum voluntatis omnia coniungentem, non fecit peccatum mortale, ſed plura venialia. Vnde, ne noceat potus, poterit comedere aliquid modicum, puta ſex amygdalas ſacratas, vel alium ſimile; hoc enim eſt materia parua moraliter, & cauſa poſita, vix vlla. Quod ſi paruum exceſsum fecerit, puta ſi comederit octo vel decem, peccabit venialiter quoties illas comederit; & ni faciat in fraudem ieiunij, volẽs vno actu ſimul, illa comedere ſucceſſiuè, non peccabit mortaliter. Ita Villalobos *in ſum. to. 1. tr. 23. diff. 8. n. 14.* Homobonus *de Exam. Eccl. p. 2. tr. 8. c. 7. q. 20.* Reginaldus *in praxi to. 1. l. 4. c. 14. d. 4. n. 17.* apud quem hoc etiam tenetur Syluest. Med. & Armill. ſed de hoc fuſiùs alibi [De ieiunijs agam inferiùs num. 1613. b]

917 Non ſecus (& hoc cognitione eſt digniſſimum) Petrus pluries modica furatus eſt, ita vt talia furta eſſent

actus

actus diuerſi volũtatis; peccauit pluries, ſed venialiter: nec erit peccatum mortale, quouſque vno actu omnes illas paruas materias comprehendat, per modum vnius.

918 Aſſertum IX. *Vinitor* (vel alius quicumque *Mercator*) *qui decernit à ſingulis ſumere modica, peccat mortaliter*: quia vnico actu ambit materiam magnam.

Aſſertum X. *Quando ipſe actualiter accipit modica, peccat mortaliter, non tamen pluries, ſed ſemel*: quia ſicut latro, qui vult furari pecuniam totam, quę reperitur in vna theca, & ſucceſſiuè extrahit, licèt faciat plures actiones phyſicas, non committit furta plura, ſed vnum: ſic vinitor, quando actualiter furatur ab hoc & ab illo, licèt faciat diuerſas actiones in genere phyſico, continuat nihilominus eamdem in genere moris, & ideò non ſunt plures actus furti ſed vnus.

919 Aſſertum XI. *Talis quando actualiter modica accipit, non peccat venialiter*. Patet ex dictis: quia ſi ille actus eſt peccatum mortale, nequit in eodem genere eſſe veniale. Prætereà, illa parua materia non obijcitur ſeorſim actui voluntatis, ſed coniuncta alijs paruis: & ſic ille actus voluntatis, quem reſpicit illa materia parua, eſt peccatũ mortale, non tamen diſtinctum à priori, ſed illud prius moraliter perſeuerans. Et ne egrediamur ab exemplo præmiſſo. Si latro ita thecam effringeret vt non poſſet pecunias extrahere niſi per partes, & has modicas: quæro, an extrahendo totam cẽtum manuum motibus, commiſerit centum venialia, an vnum mortale tantummodò. Secundum dices: ergo de vinitore aut alio quocumque mercatore eodem omnino modo philoſophare. Hinc calui difficili ſolutio.

920 Talis Mercator per viginti annos à diuerſis modica furatus, à multis magna vſurpans, quorum multa ſufficerent vt peccaret mortaliter, tandem venit ad confeſſionem, & ait: *Furatus ſum materiam grauem*. Rogas, vtrum debuerit alias circumſtantias aperire.

921 Reſpondeo, illum ſufficienter ſe explicaſſe: quia reliqua, quæ omiſit, non erant confeſſioni neceſſaria. Nam furandi modus, furantis officium, non pertinent ad confeſſionem furtum enim lege interdicitur quoad ſubſtantiã, non quoad modum: vnde reſtitutio non deberet fieri in eodem loco, in eodem officio, neq; in eadem die: quia iſta omnia, ſicut non ſunt de eſſentia reſtitutionis, ſic nec fuerunt de ſubſtantia furti. Reſtitutio autem, prout fieri poteſt, debet eſſe in fauorem earumdem perſonarum, quæ paſſæ fuerunt detrimentum.

922 Durationis tempus, quamuis fuerint diuturnæ, nõ tenebatur aperire: quia eſt circumſtantia aggrauans, & hę non ſunt eſſentia confeſſionis, vt innumeri authores tenent apud Diana *circumſtantijs aggrauantibus reſol.* 1. Tẽporis durationem non eſſe de eſſentia confeſſionis, docuit in ſingulari Vaſquez *in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 4. dub. 1.* quam ſententiam etiam tenuit Nauarrus, & Zerola *in praxi pœnit. c. 12. q. 15.* & Diana *de circumſt. aggr. reſ. 39.*

923 Quod abſtuleris ab vno aut à diuerſis, non teneris exprimere: quia hæc circumſtantia, ſi eſt aggrauans, non eſt de eſſentia confeſſionis. Imo eſt circumſtantia diminuens: nam minus peccatum eſt furari ab octonis patacones ſingulos, quàm octo patacones ab eodem. Vide Dianam *de paupert. relig. reſol. 34. §. Dico tertio*.

924 Aſſertum XII. Petrus diuerſis peccatis venialibus abſtulerat à Paulo plura modica, quę poſtea cognoſcit eſſe multa, & per puram omiſſionem non reſtituit: Quæritur, an peccet. Supponis primo, illa furta fuiſſe peccata venialia, ac proinde fuiſſe independentia, & diuerſis actibus amata: poſteà

addis

addis cognitionē intellectus omnia ſimul coniungentis, quam ſequitur ſuſpēſio voluntatis. His conſideratis dico, in opinione eorum, qui docent non dari puram omiſſionem liberam, quæ eſt ſatis probabilis, illum nondum peccare: quia nondum intelligitur actus voluntatis, ſine quo non intelligitur peccatum. Admiſſa autem purę omiſſionis libertate, quæ etiam eſt probabilis, dico in tali caſu dari actum voluntatis non phyſicum ſed interpretatiuum, ac proinde non peccare, aut nō peccare nouo peccato. Explico ſimul hoc, & probo. Quia vel ante iſtam omiſſionē habuerat intentionem reſtituendi, aut habuerat intentionem non reſtituendi, vel neutram. Si habuerat intentionem reſtituendi, iſta pura omiſſio creditur moralis perſeuerātia prioris actus, ac proinde debemus credere, quod ſi operaretur voluntas tunc, etiā vellet reſtituere, maximè cùm non inſtet præceptum reſtituendi ſtatim. Si antè habuerat immediatè intentionem non reſtituendi, peccauit mortaliter, quando habuit talem intentionem; reliquùm, cùm purè actum voluntatis omittit, cenſetur à prudentibus in priori intentione perſeuerare, ac ideo non peccat nouo peccato, ſed antiqunm continuat. Maior eſt difficultas, ſi anteà neutram voluntatem habuiſſet; quia ſi inſtaret reſtituendi præceptum & omitteret purè reſtitutionem, cenſeretur velle non reſtituere: quod ſi non inſtaret præceptum, videretur nullo modo operari, & ita nec peccaret, nec mereretur. Sed hæc ſunt merè Theologica, & alterius loci.

925 Quod ſi cognoſcat Petrus, ſe accepiſſe vanis vicibus multa parui valoris à Ioanne, & habeat intentionem non reſtituendi, peccat mortaliter. Ratio eſt; quia illæ multæ materiæ paruæ ſumunt vnitatem obiectiuam ab iſto vltimo actu intellectus, & ſic faciunt vnā materiam magnā: poſteà ſequitur actus voluntatis, quæ vult totam illam materiam, Domino inuito, retinere; cùmq; ſit actus vetitus circa materiā magnam, erit peccatum graue. Non tamen erit propriè peccatum mortale furti, ſed in iuſtæ retentionis: quæ peccata, licèt ſint contra eamdem legem, ſunt nihilominus in multis diſſidentia.

926 In rebus tranſeuntibus, quæ non ſunt in damnum tertij, ſicut non obligat reſtitutio, ſic actus ille vltimus non eſſet peccatum mortale. Ex hypotheſi, quod intentio fiat additione partis ad partem, proponitur curioſa inſtantia: Petrus ſæpiùs leuiter delectatus eſt in materia ſenſualitatis, ita vt illæ omnes delectationes ſimul; ſi fuiſſent iniūctæ, potuiſsēt complere materiam magnam in hoc genere: nihilominus ipſe pluries peccauit venialiter, nunquam mortaliter. Pòſt gaudet ſe habuiſse illas leues delectationes: conſulor, an peccet mortaliter. Reſpondeo, eum vel gaudere quòd habuerit plures illas delectationes ſeorſim vt plures, vel velle quòd habuiſſet omnes ſimul per modum vnius, & eadem vice; vtrumque enim eſt poſſibile, & quæ habuiſti ſucceſſiuè, poſse velle habuiſse ſimul. Si ille gaudet ſe diſcretè, & ſeorſim habuiſse tales delectationes, complacet ſibi de peccatis pluribus venialibus, ac proinde venialiter peccat: quod ſi vellet habuiſse totam illam delectationem ſimul & continuè, vellet ſe feciſse peccatum mortale, ac proptereà peccaret mortaliter; mortaliter enim peccat, quem pœnitet non peccaſse mortaliter.

927 Poſui duos caſus; vltimo non erat annexa reſtitutio, erat primo; vt videas qualiter in alijs debeas philoſophari. Vnde, ſi inſit reſtituendi obligatio, ſequere reſolutionem illam; iſtam tamen, ſi obligatio reſtituendi non adſit. Hinc ad ſtatutū religioſum.

928 Religioſus N. accipit plura modica a Communitate, ita vt in ſingulis peccet venialiter contra virtutem Paupertatis, & poſteà vnico actu vult non reſtitue-

reſtituere illa omnia. Peccatnè mortaliter? Neceſſarium eſt ante reſolutionem, bene intelligere quæſtionem. Plures actus ſuppono, qui ſint peccata venialia; quia, ſi quiſpiam acciperet pluries aliquid comeſtibile, cùm ſupponatur voluntas tacita prudentis Prælati, illi actus non eſſent peccata venialia; vel ſi eſſent, non eſſent in genere furti, ſed in genere inobedientiæ: quia in illa modici cibi ſumptione clandeſtina, eſſet Prælatus involuntarius quoad modum, non verò quoad ſubſtantiam, & ita qui peccaret venialiter in ſimilibus actibus, non delinqueret contra Paupertatem, ſed contra Prælati reuerentiam, atque ideo, vt plurimùm, ceu filiusfamilias in quarto præcepto decalogi. Vnde talis Religioſus non teneretur ad reſtitutionem. Primò, quia nil iniuſtè accepit, qui in genere furti non peccauit; ſecundò, quia cùm eſſent comeſtibilia, potuit acquirere verum dominium de licentia implicita Prælati, vt ſuprà diximus; ergo in tali caſu nulla eſt reſtituendi obligatio.

929 Tota ergo difficultas in eo eſt, vt ſciamus, an qui plura parua accepit, debeat reſtituere, ita ut in illis actibus venialiter peccaret contra Paupertatem, videlicet inuoluntario Abbate non ſolùm quoad modum, ſed etiam quoad ſubſtantiam actus. *Reſpondeo affirmatiuè*.

929 *b* Vbi obiter notandum eſt, hic nullum authorem boni nominis à me diſſidere; quia licèt aliqui eos moderniores in turmas diuidant, ipſi tamen inter ſe non differunt. Quoniam quando aſſerunt Religioſos non tueri ad reſtitutionem illarum rerum quas paulatim ſumpſerunt, agunt de rebus conſumptibilibus, in quibus debet intelligi quoad rei ſubſtantiam licentia prudentis Prælati, nam non intelligere talem licentiam, eſſet procedere contra Prælati authoritatem & diſcretionem; nullus enim debet præſumere illum non eſſe prudentem, non eſſe Patrem, eſſe parcum, eſſe tyrannum: ſanè tyrannidis eum condemnarem, qui nollet ſubditos ſuos accipere fruſtum panis, cùm volunt, hoc enim nec interdicitur ipſis mancipijs: Idcirco, ſi viderem aliquem monachum non ſumentem ientaculum, propter abſtinentiam laudarem; ſi non ſumeret propter paupertatis votum, condemnarem illum de iudicio temerario, & contra illum hoc ratiocinium efformarem: Non ſumis ientaculum ne agas contra votum paupertatis? ergo præſumis tuũ Prȩlatum fore inuitum quoad ſubſtantiam ientaculi; ergo prȩſumis illum eſſe imprudentem, & non Patrem, ſed potiùs parciſſimum Tyrannum; quia nondum de Tyrannis legi, quod negarent cibos filijs ſuis.

929 *c* At dices non tenere exemplũ, poſſet enim Prælatus eſſe inuitus quoad panis ſubſtantiam, nec tamen auarus aut tyrannus haberi: nam tenetur curare vt abſtemij ſint ſubditi, & ideò illis interdicere vt extra loca & horas regulares, ne fruſtum quidem panis habeant.

929 *d* Et quidem cùm inſtas contra me, meam ſententiam confirmas; nam ſi ægre fert Abbas, quod Paululus non ieiunet, non eſt inuitus quoad ſubſtantiam panis qui comeditur, ſed circa locum & horam qua comeditur, quia ſi eumdem ille panem meridie in refectione comediſset, non reprehenderetur à Prælato. At horam locumque non militare contra paupertatem, ſed eſſe concomitantias circumſtantias manifeſtum eſt.

930 Authores qui ad reſtitutionem in talibus caſibus regulares obligant, agunt de actibus, qui in genere furti & paupertatis fuerunt peccata venialia, & ſic inter illos nullum reſtat diſſidium.

931 Vt de Religioſis philoſophatus es, loquere de famulis, ſeruis, & ancillis; quia etiam ſunt filijfamilias, comedunt cùm inueniunt, luunt cùm inueniuntur luunt ſanè, non quòd comederint, ſed quòd non petierint ab œconomo: nullus

ſus enim dicet, ſe velle quod ſui famuli aut filij non comedant. Quod ſi ipſe Paterfamilias ſemper punit inobedientiam, non furtum; dicendum eſt, tales non delinquere contra ſeptimum præceptum decalogi, ſed contra quartum. Atqui contra hoc illa irreuerentia non eſt grauis, ergo nec erit peccatum mortale, nec obligatio aliqua reſtitutionis.

Non cito authores, quia omnes video probabiliter in hac eſſe ſententia, & ideo non eſſe citandos.

Hanc doctrinam contraxit, citauit, & propugnauit Balæus Florum ſuorum pag.331.

DISPVTATIO LXIII.

Contra Paupertatis votum materia magna, quæ? quando?

932 ORdior maximè neceſſariæ difficultatis ſolutionem. Nunc fortè aptior vt ſcribam, & ſecundis curis edita recognoſcam, quòd hæc ipſa alieno exarem calamo ſummam paſſus rerum omnium iacturam. Solebas, amice lector, ſummum in me reprehendere verum temporalium contemptum, & vel inde præſumere me de furtis tractaturum aut benigniùs aut laxiùs, vt potè qui nulla re carens de damnis, quæ à latronibus & furibus alijs inferuntur, iudicare non poſſem. Sed iam experientia magiſtra me doctiorem, me aptiorem reddidit, vt poſſim hanc ipſam materiam retractare. Louanij eram ad lauream Doctoralem admiſſus, & aliquot florenorum millibus, quæ congeſſeram, ſubreptis furto, in curſus medio vbi impetus ſolet eſſe velocior, manſi ſine alis, nec tamen vel ideò turbatus. Quæſiui mutua, quæ deerant; curſum conſumaui, fidem ſeruaui, Francofurti etiam Epiſcopus denominatus, in Vicarium Eminentiſſimi Principis Electoris electus, notabilem pecuniæ ſummam pro impenſis Romanis, pro conſecratione & iuribus requiſitam congero, & in manus militum incidens Apoſtolicus reddor, & Herbipolin ſine pera ſine duplici tunica lætus & hilaris ingredior teſtis mihi infortunij Reuerendiſs. D. Euſlerſthallenſis, itineris ſocius, & miſeriarum particeps, ſimiliter etiam ſpoliatus. Et quidem in his duabus occaſionibus, vt alias minoris momenti & conſequentiæ omittam, multa florenorum millia perdidi. Illa abſtulerunt homines ſcelerati ab inuito; vellem vt reſtituerent, fateor; non tamen ita inuitus ſum, vt velim eos teneri ad reſtitutionem ſub mortali. Non tanti mihi tria vel quatuor florenorum millia, quàm vna ſola anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt. Peccauerint ex erronea conſcientia illi, mihi & ipſis condoleo; ò vtinam illud redimere peccatum poſſem vel maiori iactura. Quid ergo hic facturus homuncio, iudicaturus homines, qui res terrenas magni faciunt, cùm illas ego vix aut ne vix quidem faciam parui? Quo idiomate acturus ſum cum viris, qui tanti vnum aureum æſtimant, vt & eius intuitu latronem poſſe occidi doceant, qui iniuſtè læſus tametſi multa florenorum millia perdiderim, non puto perdidiſſe rem grauem? Ridebo è meo dolio Diogenes Alexandros, pauper diuites, aut fortè diues pauperes, & controuerſiam iſtam ex alienis principijs

pijs ad meā climatis pertractabo.

932 b Dico igitur in furti materia debere poni duos terminos, alterum magnitudinis, alterum paruitatis. Materiam magnam eam dico, quæ eſt ſufficiens ad conſtituẽdum peccatum graue. Bifariam autem ſumitur magnitudo materię, *abſolutè* videlicet & *reſpectiuè*.

932 c Aſſero igitur, loquendo ſimpliciter & abſolutè, dimidium regalem, hoc eſt moneta Belgica duos vel tres ſtupheros, eſſe materiam reſpectu vniuerſorum paruam: vide *numer.* 43. quatuor autem florenos ſeu ſedecim regales plerique iudicant materiam magnam: vnde, conſequenter loquendo, nec minor materia trium ſtupherorum erit grauis, nec maior quatuor florenis leuis. Inter hos terminos remanent probabiles ſententię recentiorum.

933 Si materiæ grauitas ſumatur reſpectiuè, dicendum eſt, maiorem quantitatem requiri vt damnum illatum diuiti ſit peccatum mortale, quàm illatum pauperi. Qui vult authores conſulere, inueniet, quot capita, tot ſententias. Curioſus legat Nauarrum *in Man. cap.* 17. *num.* 3. Cordubam *in ſum. qu.* 109. Aragonium & Bannez. *in* 2.2. *q.* 66. *artic.* 6. Salonium, Toletum *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. Medinam *in* 2. *p. q.* 88. *art.* 8. Valentiam *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 10. *punc.* 6. & alios quos citat Diana *de religioſa paupertate reſol.* 36. *in princ.* Agendo igitur de his qui non à ſuis parentibus, ſed ab extraneis furantur.

934 DICO PRIMO. *Ablatio iniuſta dimidij regalis, niſi ſequatur aliud detrimentum, nunquam eſt peccatum mortale in materia furti.* Dixi *in materia furti*, quia poſſet inde ſequi magna incommoditas poſſeſſori legitimo, & licèt dimidius regalis non eſſet materia grauis in genere furti, eſſet occaſio damni aut incommodi magni, & ita non haberet ſpeciem à ſua materia, ſed ab illato detrimento: vnde ſi id eſſet in genere commoditatis, pertineret ad Decalogi præceptum quintum, & ſic de alijs.

935 DICO SECVNDO. *Iniuſta quatuor florenorum ablatio ſemper eſt materia grauis.* Non habeo rationem alicuius momenti, qua probem nunquam eſſe materiam peccati venialis furari quatuor florenos, ſed nec ſuppetit ratio, qua abnegem: ideoque ſubſcribo ſententiæ communiori, propoſui enim in tota hac diſputatione dicta à varijs ad ſtili conſequentiam redigere, non tamen ſententiam propriam ſtatuere.

936 DICO TERTIO. *Quantitas minor florenis quatuor & maior dimidio regali, aliquando eſt grauis, aliàs leuis, penes damni illati quantitatem.* Poſitis illis duobus terminis, de quibus iam diffiniuimus, intermedia debent iudicio prudentis viri ſubiacere. Bonacina *de contr. diſp.* 2. *q.* 8. *p.* 1. *nu.* 7. diſtinguit inter perſonas illuſtres, diuites, artifices, & pauperes. Sed hæc diſtinctio non ſatisfacit: quia in hac quæſtione non eſt attendenda qualitas, ſed quantitas.

937 DICO IGITVR QVARTO. *Quando quantitas eſt maior dimidio regali, & minor ſedecim, iudicanda eſt grauis reſpectiuè, ſi ſit octaua pars redituum vnius diei: ſi minor, erit leuis.* Ideò qui furaris vnum florenum ab eo qui habet annuatim mille ducatos, peccas mortaliter: quia cùm ipſe dietim habeat florenos ſeptem cum dimidio, vnus florenus erit maior octaua parte. Sed Princeps qui habet ſex millia ducatorum, habet diebus ſingulis 180. regales plus citrà, quorum octaua pars erit vigintiduobus cum dimidio; vnde qui ab illo acciperet tres florenos, non peccaret mortaliter, quia hæc quantitas eſt minor octaua parte diurnæ ſuſtentationis.

938 Dicis. Ergo qui à Principe habente duodecim millia ducatorum annuatim, ac proinde dietim florenos nonagin-

pagiata, furaretur decem florenos, non peccaret mortaliter. Ex principijs poſitis nego conſequentiam: quia illa materia, licèt non ſit grauis reſpectiuè (ſupponitur enim minor octaua parte diurnæ congruæ) eſt magna abſolutè: eſt enim maior quatuor florenis, qui conſtituunt ſimpliciter magnam quantitatem, vltra quam quidquid ſit, ſemper erit materia magna.

939 Hinc fortè colliges, peccare mortaliter eum, qui furatur dimidium regalem ab habente vnum florenum dietim, quoniam furatus eſt dictæ octauam partem. Sed malè; quia ſicut quatuor florenorum aut maior quantitas nunquam eſt materia parua: ſic ſimiliter medij regalis aut minor quantitas, nunquam eſt magna.

Ab habente binos florenos dieb. ſingulis, vnus regalis non poteſt iniuſtè accipi ſine lethali culpa, minor quantitas poteſt. Et huiuſcemodi ad numero quarto generi à Bonacina *de contr. diſp. 2. q. 8. punc. 1. num. 7.* deſignato. Ad hoc vt duo regales non ſint grauis materia, eſt neceſſarium, quòd illorum dominus habeat annuatim ducatos ſexcentos, ſeu dietim vltra quatuor florenos. Tres regales iudicarem graue nocumentum habenti octingentos ducatos annuatim, hoc eſt, dietim ſex florenos. Tres floreni non eſſent graue nocumentum Principi habenti diebus ſingulis vltra vigintiquatuor. Quatuor florenos apud quẽcumque crederem magnam materiam: quia, abſolutè & ſimpliciter loquendo, huiuſcemodi grauis iudicatur.

Grauitas iſta relatiua, prout à me deſignatur, eſt vtilis non ſolùm huic materiæ, ſed etiam cunctis alijs: vbique enim dico partem octauam totius, eſſe materiam grauem; leuem, octaua ipſa minorem.

940 Grauitas abſoluta habet terminos abſolutos paruitatis, & magnitudinis. Hoſque debere deſignari patet: quia aliàs diceres furantem vnum ſtupherum à Sacerdote paupere, peccare mortaliter, cùm is non habeat niſi octo ſtupheros pro ſtipendio Miſsæ, & hos non diebus ſingulis: quæ materia, ex natura ſua eſt incapax talis grauitatis. Sic dico, eum qui fuerit furatus à mendico habente vnum ſtupherum, non peccaſſe mortaliter in genere furti: quia vnus ſtupherus eſt ſimpliciter materia leuis. Dixi *in genere furti*: quia ſi inde ſequeretur illum mendicum tota die non comedere, eſſet peccatum in genere incommoditatis contra Decalogi præceptum quintum, & contra hoc poſſet eſſe graue, ſi damnum cenſeretur graue.

941 Signato paruitatis termino, conſequens eſt debere etiam poni terminum magnitudinis: cùm non ſit maior ratio vnius, quàm alterius: preterea, quia ſi non daretur terminus magnitudinis, ſequeretur furantem à Rege aliquo ſeptem millia ducatorum, non peccare mortaliter. Sequela probatur, quia reperiuntur Reges habentes annuatim vltra milliones viginti duos, (vel, vt Merſennus loquitur, vltra vigintiduilionem) ac proinde dietim ſexaginta millia ducatorum, cuius pars octaua eſt 7500. maior quantitate furata. Atqui nullus eſt tam in ſentiendo præceps, qui dicat ſeptem millium ducatorum furtum non eſſe peccatum mortale: ergo neceſſariò debemus dare terminos magnitudinis & paruitatis.

942 Termini iſti mihi ſunt ſatis clari in genere, &, vt credo, præterita ratione ſatis demonſtrati: reliquum, in ſpecie non ſunt mihi ſatis euidentes. Me explico. Dico, quod licet mihi ſit euidens dari terminos abſolutæ magnitudinis & paruitatis: non eſt euidens vbinam debeant aſſignari. Paruitatis terminum ad minorem quantitatem nunquam reducerem, forſitan alij reducent ad maiorem. Furtum vt culpa grauis ſit, duo poſtulat, & materiæ ablatæ quantitatem notabilem, & quod hæc auferatur ab inuito domino: nullus enim propriè

fur

fur dicitur, qui rem accipit à permittente. Si agamus de filijsfamilias, quantitas quatuor florenorum grauis eſt: ſed patres minùs ſunt inuoluntarij erga filios, quàm erga extraneos. Ideò placuit (vt de filiis agam) aſſerere tunc filium peccare mortaliter, cùm peregrinus etiam peccaret mortaliter, ſi auferret ab eadem perſona dimidiam illius ſummæ partem. Magnitudinis limes erant quatuor floreni. Ex quibus principijs.

DICO QVINTO, *Filius, qui à patre ſuo furatur octo florenos, peccat mortaliter*. Aliis hoc videtur ſeueriſſimum: debet tamen dici, vel nulla eſt dicendi conſequentia. Poterit etiam peccare mortaliter aliquando in minori quantitate, ſi Pater non fuerit opulentus. Idcirco.

943 DICO SEXTO. *Filius-familias, qui à patre ſuo furatus fuerit minus quàm octo florenos, reſpectiuè veniet iudicandus, ſi ablata quantitas compleat reditus diurni quartam partem, peccabit mortaliter: non, ſi quintam.* Poſuimus communes terminos reſpectiuos in octaua parte. Patres erga furta filiorum minùs inuitos eſſe quàm erga exterorum, eſt per ſe notum: quantum minus ſint inuoluntarii, quis ſciat? ſaltem mihi ſatis videtur congruum, Patrem dupló-maiorem habere curam filii, quàm famuli: vnde, ſi octaua pars vnius dietæ erat famulo aut peregrino furanti grauis quantitas: ni duplum filius ſubripiat, non eſt de culpa graui condemnandus: ergo non peccabit mortaliter filius, qui ſine ſui patris licentia ſumet minus quàm vnius dietæ quartam partem, modò illa pars non veniat ad octo florenorum quantitatem; nam hanc iudico ſimpliciter, & abſolutè magnam erga filios.

944 DICO SEPTIMO. *Monachus eſt verè filiusfamilias Monaſterij.* Ideò de Monacho, vt de filio-familias, debes philoſophari. Ita Ledeſma *in addit. ad ſumm. tom. 2. cap. 4.* & Cenedus *in tract. de paupert. relig. dub. 202 num. 10.*

945 DICO OCTAVO. *Quicumque Religioſus aut filiusfamilias à bonis communibus ſumpſerit vnum regalem aut quinque ſtupheros, non peccabit mortaliter.* Patet; quia ſicut pro filiis-familias mutabatur terminus magnitudinis, ita & congruum eſt paruitatis terminum proportionaliter mutari: nam, vt diximus, Patres cenſendi ſunt erga filiorum furta minùs inuoluntarii, quàm erga furta aliorum. Igitur erga filios ſit quantitas quinque ſtupherorum materia eſſentialiter parua: ergo nunquam peccabit mortaliter filius-familias, aut monachus, qui auferet à bonis paternis & communibus vnum regalem. Patet; quia in caſu poſito hæc quantitas eſt ex natura ſua leuis, & ſic nunquam poterit fieri grauis, iuxta illud principium Metaphyſicæ: *Cui conuenit aliquid per ſe, eius oppoſitum nec per ſe nec per accidens poteſt competere.* Homini, conuenit per ſe eſſe rationalem; oppoſitum, hoc eſt, eſſe irrationalem nec per ſe, nec per accidens ipſi conueniet. Similiter, quinque ſtupheris à filio ablatis conuenit per ſe eſſe materiam leuem in genere furti: ergo oppoſitum, hoc eſt, eſſe grauem in eodem genere, non conueniet per ſe, nec per accidens. Quia ſi accidat ratione alicuius alterius ſuperuenientis circumſtantiæ eſſe materiam grauem, erit talis non in furti, ſed in alio genere.

946 DICO NONO. *Si Religioſus furatus ſit de bonis Monaſterij minorem quantitatem quàm florenorum octo, iudicium agatur reſpectiuè, ſi furtum comprehendat quartam vnius dietæ partem, condemna illum de peccato mortali; ſi quintam, aut quarta minorem, de veniali.* Patet ex dictis.

947 Hinc conſtat, mortaliter peccare illum Religioſum, qui à bonis monaſterii ſui habentis ſex millia annua, fura-

furatus fuerit quinque florenos, [a]bſtulit enim pluſquam vnius dietæ quartam partem.

948 Hinc ſcies in Monaſterijs diuitibus poſſe ſine graui culpa Religioſum accipere, quæ non poſſet in Monaſterio pauperi. V.C. Prioratus Vſtenſis media hodie non deueniunt ad centum ſcuta, ferè omnia eius bona ſunt deuaſtata, & vſurpata à ſchiſmaticis, in hoc quantitatem medii floreni crederem eſſe magnam: ſi vincentium armorum beneficio illa domus recuperaſſet aliqua, ita vt haberet ducentos ducatos annuè, eſſet inibi vera ſententia *Mendozæ* aſſerentis (*q.8.concl.9.n.12. de paup.relig.*) duos regales eſſe materiam magnã.

949 Qui in monaſterio habente quadringenta ſcuta annuè, furatur tres aut quatuor argenteos, peccat mortaliter. Patet; quia hæc quãtitas eſt maior quadrante vnius dietæ in tali monaſterio. Vnde venit intelligendus Bartholomęus à Fauſto *in theſ.relig.lib.8.q.193.num.21.* & Sanchez *in ſumm.tom.2.l.7.c.20.nu.3.& 6.* & Ioannes de la Cruz *de ſtatu Relig.l.1.c.3.dub.5.* quorum primus tres regales, vltimi quatuor diffiniunt eſſe materiam magnam.

950 Hinc conſtat Authores illos debere habenas conſcientiæ contrahere, qui hanc materiam non reſpectiuè ſed abſolutè tractant. Ledeſma *in addi.ſum.tom.2. c.4.* & Cenedus *in tract.de paupert.relig.dub.20.n.10.* docent, ſumentes octo aut nouem regales de bonis Monaſterij, ita vt id non pluries faciant, ſed vt plurimùm bis, non peccare mortaliter. Vide quomodo octodecim regales in iſtorum ſententia ſint materia leuis. Rodriguez *in ſumm.tom.4. cap. 18. num.27. & 29.* putat duos aureos eſſe materiam grauem, pauciores non eſſe. Quid aurei nomine intelligat, non explicuit: & ideo ſumendo valorem ab aureo minimo, qui in Hiſpania continet regales tredecim, duo aurei continent viginti ſex regales aureos, qui, cum auctario communi, æquiualent argenteis triginta duobus, & cupreis quadraginta. Hanc ſententiam docuerat Sotus *de iuſtit. lib. 5. quæſt.3. ad 3.* & poſt omnes Aragon. *in 2.2.quæſt.66.artic.6. concluſ.3.* Illum Religioſum, qui à bonis communibus minùs quàm duos aureos furatur, nunquam peccare mortaliter ipſi aſſerunt: ego non credo; non enim pro aſſerente aut negante parte rationem efficacem audio. Tu igitur pone duos magnitudinis & paruitatis abſolutos terminos, quos deſignaui: inter quos reſpectiuè & proportionaliter philoſopheris.

951 DICO DECIMO. *Religioſus non eſt filius-familias viri ſæcularis*, & ita ſi furetur à ſæculari, ſciat illam eſſe materiam grauem, quæ eſſet ſæculari reſpectu alterius ſæcularis.

952 DICO VNDECIMO. *Religioſus qui incorporatur Monaſterio, eſt filius Monaſterii, & ſic illum iudica vt alios Monaſterij filios.*

953 DICO DVODECIMO. *Furta religioſi hoſpitis, ſunt media inter furta filij & ſæcularis*. Patet; quia magis inuoluntaria creditur communitas circa furta hoſpitum quàm filiorum, minùs cenſetur inuita erga hoſpitum furta quàm erga ſæcularium: hoſpes igitur Religioſus cenſeatur medius inter filium & ſęcularem. Sunto igitur termini paruitatis, argentei numiſmatis tres quartæ partes (Hiſp. *tres quartillos:*) ſunto termini magnitudinis, floreni ſex. Sunto proportionales, dietæ ſextans, hoc eſt, ſexta pars prouentuum vnius diei. Ex his principijs analogicè philoſophare.

Animaduerſio de materia nulla morali.

954 Dari materiam moraliter nullam in omnibus rebus, mihi eſt euidentiſſimum. Materiam nullam nomino illam, quæ prudentum æſtimatione nihili fit: hæc enim non ſufficiet ad peccatum veniale: quomodò enim pote-

tis teneri ſub veniali ad reſtitutionem vnius marabetini, quem nec auderes ſine pudore & parcitatis nota largiri pauperi, quemque expauimento non eleuares, ſi videris in via? Idem dicerem de fibula, acu, calamo, ſumptis propter ſe, nam ſumpta propter aliud, poterunt non ſolùm eſſe peccata venialia, ſed & mortalia; vt ſi defectu acus à te ablatæ ſartor periret fame; ſed tunc grauitas huius actionis non eſſet in genere furti, ſed in genere homicidij, de quo non tracto. Idcirco qui ſumit ab alio vnum folium communis chartæ, aut vnum calamum, ſi inde non ſequatur aliud damnum, non peccabit venialiter. Patet; quia, licèt vnum folium communis chartæ phyſicè ſit aliquid moraliter creditur nihil, nam, moraliter loquendo, nihili ſimilia reputamus. Materia hæc moraliter nulla latiores terminos habet, ſi de filijs & vxore agamus. Iacobus de Graſſis *Deciſionum Aurearum libr. 2. cap. 93. numer. 33.* ſic ait: *Filius, qui latenter patri aliquid ſubripit, vel vxor, quæ occultè viro, ſi res non eſt magni valoris, non cenſetur furtum feciſſe eò quod fiat inuito Domino. Omnis enim (ſicut mos eſt parentum) præſumitur pro conditione ſua & ſtatu indulgere filio minutiores ſumptus, & multò magis maritus vxori: ſecus ſi res eſſet magni valoris.* Vbi furtum cognoſcit, & à veniali excuſat, quod vel inuiti non credendi parentes ſint, vel non ſit materia quæ digna vt prudenter inuiti eſſe poſſint. & nota Religioſos in omnibus vt filios familias decet, habendos & tractandos eſſe.

955 Eodem modo quo de furtis de aliis omnibus philoſophare. Sic in diuino officio omittere vnum aut alterum verbum, non eſt peccatum veniale; imò nec vnum verſum, quia moraliter nihil eſt.

In materia etiam venerea grauis erit octaua pars delectationis completæ; materia leuis, minor octaua parte; materia moraliter nulla, quæ moraliter loquendo non ſit ſenſibilis. Sic etiam in aliis.

956 Sit hæc regula. Quidquid eſt minus minima moneta Reipublicæ, eſt politicè nihil. Patet; quia illud non habet pretium publicum & ciuile.

957 In rebus pretio non commutabilibus octaua pars totius eſt minima materia magna: octaua pars octantis, ſeu ſexageſimaquarta totius, eſt minima materia parua. Ergo ſicut id quod eſt minus octaua parte totius, non eſt materia magna, ſed minor magna; ſic ſimiliter, quidquid eſt minus ſexageſimaquarta totius, non erit materia parua, ſed minus parua; nempe erit aliquotum phyſicè, quod cenſeatur nihil moraliter. Debes ex mandato legitimo eſſe in Eccleſia per duas horas, & fuiſti tantùm centum minutis (hora habet ſexaginta) peccaſti mortaliter: ſi fuiſſes 110. minut. peccauiſſes venialiter: ſi 119. nedum venialiter; licèt enim mathematicè 120. differat à 119. hi tamen numeri ſenſibiliter & moraliter non diſtinguuntur.

957 *b* Hæc omnia, quæ de materia nulla ſtatui, conſonant Capiti *Reuera de conſ. diſt. 2.* & *l. ſi oleum. §. vltim. ff. de dolo.* & *l. Senatus. 8. de legib.* vbi habetur, *Quòd parum & nihil in iure æquiparantur:* vnde [illegible] originem traxiſſe commune Politicorum axioma, quod aſſerit, *Parum pro nihilo reputari.*

DVBIVM INCIDENS.

957 *c* Egi de materia parua & nulla, hac diſputat. LXIII. & diſp. LXIV. ſequenti acturus ſum de licentia expreſſa & implicita, videtur bene interſeri quæſtionem quæ vtramque diſputationem coniungens, claudat præcedentem, & viam alteri aperiat. Inquiris, An probabiliter defendi poſſit Mendozæ ſententia aſſerens non peccare mortaliter Religioſum qui contra expreſſam Prælati

lati licentiam aut iuſſionem duos regales argenteos expendit. Proponam priùs partem aſſerentem vtens verbis Ludouici de Miranda *in Manualis quæſt.* 28. *artic.* 17. & poſteà proprium iudicium adiungam.

Pater Fr. Ildefonſus de Mendoza Auguſtinianus in quodlibetis. quodlib. 8. (ait Miranda) ſaluo meliori iudicio & ſub aliorum cenſura dicit, quod Religioſus pauper (hoc eſt, voto paupertatis obſtrictus) qui inconſulto Prelato, & ſine ipſius licentia recipit, retinet, expendit, & conſumit quantitatem duorum argenteorum, non peccat mortaliter, etiam palam dicente ſibi Prælato, ne eos expendat, aut conſumat. Et ratio ipſius eſt, quia quantumvis neget licentiam, & palam dicat, ne id fiat, adhuc ſubditus in re tam paruæ quantitatis, & tam parui momenti cenſetur operari cum licentia, rationabiliter præſumpta. ream licet Prælatus, vt præmiſſum eſt expreſsè eam ſibi neget, non tamen rationabiliter, ſed prorſus irrationabiliter: Valdè enim (inquit) durum, atque irrationabile eſt, quòd velit Prelatus habere Religioſum ſibi ſubditum, tanquam vile mancipium, & ſeruum, cum longè aliter ſe res habeat ac debeat habetur: quapropter dicit, quod ſicuti mulier, ſi maritus nullo modo ſibi permitteret facere Eleemoſynas, etiam paruas, non peccaret contra faciendo, & erogando aliquas in parua quantitate, cum maritus debeat rationabiliter, vxori talem licentiam concedere, & ſi eam negat, irrationabiliter negat, ac proinde nec curandum de illius negatione, ſiue nolitione, vt tenet communis Theologorum Schola, agendo de eleemoſyna, ſic (inquit prædictus Mendoza) dicendum eſt, de Religioſo, qui recipit, retinet, expendit, aut conſumit duos argenteos abſque licentia Prælati, & eo inconſulto, aut etiam negante illam.

Et reſpondeo Mendozā fuiſſe virum doctiſſimum, nec occurrere cur eius opinio debeat dici improbabilis.

NOTA.

957 *d* Multa monetarum nomina fortaſſe leges, quæ non intelliges, nam in diuerſis prouincijs acceptio eſt varia. Hanc diſputationem ſcripſi Salmāticæ, edidi Louanii, & recudo Moguntiæ. & nomina Belgica retineo. *Scutum* igitur habet regales tredecim, *Ducatum* vndecim, *Philippicum* decem, *Ducatonum* duodecim, *Pataco* nouem & tres ſtuphcros ſeu albos, *Florenus* quatuor regales, *Capitellum* duos regales, *Regalis* quinque ſtupheros, aut triginta quatuor marabetinos. Hæc addidi, ne in computu hæreres aut pretio, cum me legeres computantem.

DISPVTATIO LXIV.

De licentia Prælati requiſita.

958 IN expendendis bonis Monaſterii requiritur Abbatis licentia: ſed qualis? licentia eſt multiplex; nempe, *ſcripta*, *expreſſa*, *implicita*, & *interpretatiua*. Licentia *ſcripta* dicitur, quæ in ſcriptis: *expreſſa* eſt, quam diſertis verbis dedit Abbas ſine ſcriptura: *Implicita* illa eſt, quæ ab aliquib. *virtualiter expreſſa* dicitur, quæ probabiliter, aut euidenter colligitur ex alia expreſſa, v.g. Nominat aliquem Abbas Patrem Monialium, Grangiarium, aut medio-

rum collectorem: is non poſſet egredi ex Monaſterio ſine licentia Abbatis, ſed habet implicitam; quia cùm domi non poſſet gubernare Moniales, nec adminiſtrare bona Grangiæ, nec coniungere reditus, eo ipſo quòd habeat talẽ officium, debet credere ſibi implicitè datam fuiſſe licentiam obeundi ſuam miſſionem: niſi enim hoc crederet, procederet vt minùs-cordatus. Licentia *tacita* ſiue interpretatiua illa eſt, quam præſumitur daturus Abbas, ſi peteres.

959 Dico igitur, licitè poſſe monachum operari cum qualibet ex ijs licentijs, ſcripta, expreſſa, implicita, tacita, aut interpretatiua. Addo primò, non eſſe neceſſarium, quod licentia implicita euidenter ſequatur ex expreſſa; ſed ſufficere, quod inferatur probabiliter: quia in moralibus raræ ſunt euidentiæ, & ſufficiunt illationes merè-probabiles. Eſt lege cautum, verbi gratia, nullum Religioſum poſſe habere pecuniam apud ſe, eligeris in Cellerariũ, non ſequitur euidenter, & ex natura rei, quod habiturus ſis pecunias; poteris enim officio ſatisfacere, etiam ſi pecunia fuerit penes Prælatum, vel potiùs apud neutrum, ſed in arca communi ſub tribus, aut pluribus ſeniorum clauibus, vt fit in Hiſpania, vbi ſecretis ſuffragiis eliguntur Clauigeri, ſine quibus nemini in arcam aditus. Quod ſi, ijs non obſtantibus, videris prædeceſſori tuo in eodem officio licuiſſe habere penes ſe pecuniam, poteris probabiliter credere idem etiam tibi licere, quouſque contrarium declaratur.

960 Addo ſecundò, licentiæ interpretatiuè te non debere habere euidentiam Moralem, ſed ſufficere opinionem probabilem cum formidine contrariæ partis: ita Sanch. *in ſumm. tom. 2. lib. 7. cap. 39. num. 13.* & ex eo Diana *de pauper. relig. reſol. 31. §. ſed circa.* Vnde collige, verè erraſſe Molinam, & Ledeſmã petentes moralem certitudinem, cum ad bonitatem actuum moralium ſufficiat probabilitas etiam moralis.

961 Rogas, vnde poſſis bene interpretari voluntatem Abbatis, & credere te habere ipſius tacitam, aut interpretatiuam facultatem. Reſpondeo, ex multis capitibus: primò, ſufficeret te vidiſſe alijs tibi ſimilibus, in occaſione ſimili, talem licentiam concedi. *Tibi ſimilibus* dixi, ſi enim eſſet licentia conceſſa diſſimilibus, non ſufficeret ad interpretationem, quia multa conceduntur ſenioribus, infirmis, debilibus, ſacerdotibus, Monachis, quæ non concederentur iunioribus, ſanis, robuſtis, Diaconis, Conuerſis: plura in hac occaſione, quæ non concederentur in alia; quæ omnia ſunt ponderanda.

962 Secundò, conſiderandum eſt ingenium Superioris; quia quando is eſt ſuauis, dulcis, humanus, facilior eſt interpretationi locus.

Tertiò, Iuuabit cognoſcere analogiam inter Abbatem, & ſubditum, nam ſi profiteantur particularem affectum, habebit interpretatiuam licentiam plurium rerum.

Quartò, erit vtile examinare naturam ipſius etiam licentiæ; ſi enim ſit in vtilitatem Monaſterij, cur veniret Monacho ingenuo deneganda? Nota tamen interpretatiuam, cum adeſt Prælatus aut adiri poteſt, à viris doctis meritò non admitti. poterit tamen etiam tunc tolerari, quando ſciretur ſaltem probabiliter non diſplicere Prælato vt ſubditus vtatur licentia illa implicita ſeu interpretatiua. Pater Alphonſus Rodriguez in exercitij perfectionis tract. III. cap. x I I I. ſic inquit. *Aduertunt prætereà aliud Authores circa tacitam ſeu interpretatiuam licentiam; videlicet, quod ad hoc vt Religioſus dare aliquid aut figere aut accipere tenereque poſſit, non ſufficiat noſſe licentiam à Superiore, ſi peteretur continuò conceſſum iri, ſed quod ſcire inſuper oporteat Superiorem per id gratum ratumque habiturum, quòd* ſe

ſe etiam inconſulto, rem illam des, accipias, retineas. Cui libenter ſubſcribo.

963 Hæc omnia conducunt ad tollendos ſcrupulos, & vt ſit vera ſententia dicentis, *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*; quia aliàs Religio eſſet iugum, quod neque nos, neq; Patres noſtri ferre potuiſſent. In ijs omnibus conueniunt ferè omnes authores. videantur Homobonus *de Examer. Eccl. p. 1. tr. 7. c. 32. qu. 130.* Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ. relig. l. 8. q. 162.* Diana *de paupert. relig. reſol. 31.*

De licentia expreſſa, quę ſit inualida moraliter.

963 *b* Dari implicitam licentiam etiam vbi interdictio expreſſa reperitur, oſtendimus; & conſequentia doctrinæ dicendum dari interdictionem implicitam etiam vbi datur licentia expreſſa. puta ſi hæc ſit extorta mendacio aut circumſtantię tales ſint, quæ certiſſimè impedirent, ſi dictæ. In definitionibus Germanicæ Congregationis quæ latæ fuerunt in Bauaria anno 1595. Pręſide Edmundo a Cruce Ciſtertii Abbate hęc lego. *Cùm Abbas alicui negauerit aliquid, ab alio id petere non præſumat: ſi quid etiam Cellerarius recuſauerit, & id à Priore poſteà poſtulauerit, caueat ei celare Cellerarium illud ſibi renuiſſe; ſimiliter quod Prior non conceſſerit, ſi ab Abbate petierit nullatenus omittat dicere Abbati Priorem id negaſſe, aliter ſe doli reum eſſe nouerit.* Ergo, qui à Priore negatam ab Abbate poſtulat & expreſsè impetrat, non putet ſe habere licentiam; quia Abbatem omnino circumuenit, qui credendus eſt non voluiſſe aut Priorem confundere, aut tollere ſubordinationem: ergo cum maximè expreſſam, imò ſcripta ſi velit, habeat, ſciat ſe licentia carere; illa enim licèt expreſſa & conceſſa phyſicè, eſt nulla & negata moraliter, ſcitur enim, non iam probabiliter, ſed euidenter, aut Prælatum eſſe imprudentem, aut nolle concedere licentiam, quę diſciplinę monaſticę noceat, aut Priorem confundat.

Hęc lex tam vtilis, ne neceſſariam dicam, credita, vt eadem illa Congregatio anno 1626. in Comitiis habitis in Cęſarcenſi Monaſterio reſcripſerit & confirmarit diſtinc. V. quę de votis eſt. §. De paupertate. notarit que eſſe antiquiſſimam in Ordine, vtpote ex libro Vſuum deſumptam.

DISPVTATIO LV.

De Religioſis inter ſe.

964 OMnia, quę habent Religioſi filij eiuſdem Monaſterii, ſunt eiuſdem domini, nempe Communitatis, & ita dum alter alteri concedit ea quę habet ad vſum, non mutatur dominium, ſed remanet apud priſtinum dominium. Ex quibus principijs certiſſimis ſit Concluſio.

965 *Religioſus poteſt dare quæcumque alteri filio eiuſdem domus, quin peccet contra Paupertatem*. Ita docuit expreſsè noſter Llamas *in Method. part. 4. cap. 9. §. 12.* Vnde non ſolùm libros cuiuſcumque pretij, & veſtes quaſcumque, ſed etiam picturam cuiuſcumque valoris, licèt excedere pretium millium ducatorum, poſſet Monachus dare Confratri. Ratio eſt manifeſtiſſima, quia hic nullum detrimentum fit bonis Monaſterii, nam ip-

pſius illæſum dominium conſeruatur. ; Vſus non eſt contra Monaſterium, quid enim huius refert, quod talis pictura ſit in cubiculo Ioannis, aut Pauli? ſolùm hic iniuria fit Prelato, ſine cuius licentia dantur munera, cùm ſit expreſſum in Regulæ ca. 54. ſine Abbatis licentia nulla munera nec à Confratribus accipienda eſſe: atque ideò qui talem picturam, aut aliam rem ſummi valoris dederit contra Prælati præceptum Obedientiæ, peccabit ſanè mortaliter, ſed non contra Paupertatem. Qui in talibus rebus contra Abbatis præceptum Obedientiæ non operatur, peccat contra Regulam in foro exteriori, in quo eſt puniendus: & pœna corporalis ſufficit ad conſeruationem diſciplinæ. Ipſum Llamas ſequutus eſt Fagundez *de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 8. cap. 6. num. 4.* & 5. & 6. Et ſanè credo hanc concluſionem demonſtrari.

966 Aliqui illam limitant. *Religioſum poſſe hoc facere*, dicunt, *modò ſibi reſeruet ad vſum neceſſaria*; quia ſi non reſeruaret, ſequeretur graue damnum Communitati, quæ deberet ſtatim ipſi de neceſſarijs prouidere.

967 Sed hęc limitatio non eſt vniuerſalis, quia poſſet quis velle pati incommoditates ex defectu datæ rei prouenientes, quin aliquid à Communitate peteret, & in tali caſu nullum damnum emergere monaſterio.

968 Prætereà nullum damnum ſubſtantiale ſequitur monaſterio ex eo quòd aliquid emitur Petro, quod non deberet aliàs emi; quia in genere dominij tam diues monaſterium eſt quàm antea, puta ſi antea haberet 20. ſcuta, & modo habet æquiualentis pretij veſtem, qua Petrus vtitur. Nec iuuat dicere, quod iſta teretur, quia etiam tereretur alia quam dedit ſuo confratri. Damnum igitur ex mutuis fratrum muneribus ſequi non poteſt, ac proinde nec aliquid, quod ſit contra virtutem Paupertatis.

969 Fateor eſſe Prælato incommodum commutare pecuniam pro rebus quæ maneant in communitate, quoniam pecunia vtilior ipſiſmet rebus eſt. Vnde non in proprietatis genere iudicandus eſt talis Religioſus, ſed in genere incommoditatis, in præcepto quinto decalogi. Incommoditas vt cenſeatur grauis & non poſse inferri ſine mortifero, extraordinaria debet eſse; homo enim labori eſt natus; Abbas creatur non ſomno, ſed cutis, & officij iure debet habere de rebus ſingulis curas graues, quæ grauiter augeri non poterunt, niſi extraordinariè reddantur.

970 A fortiori hęc concluſio tenenda eſt de commodatione, mutuatione, imò commutatione rerum: & de commutatione ſcias eſse probabile, Monachum non ſolùm poſse veſtes, libros, & alia quæ habet ad vſum, commutare cum confratribus, ſed etiam cum ſecularibus, modò in commutatione rigor iuſtitiæ plùs citra conſeruetur. Vnde, qui daret ſæculari vnam togam pro vno libro ſimilis valoris, non peccaret mortaliter. Ita tenent Lopez, & Rodriguez citati à Sanchez *in ſumm. tom. 2. libr. 7. cap. 19. num. 67.* & Bartholomęo à Sancto Fauſto *in theſ. relig. l. 8. qu. 158. nu. 2.* Ita etiam Ledeſma *in addit. ſum. tom. 2. capit. 4. dub. 7.* Ioannes de la Cruz *de ſtatu relig. lib. 1. cap. 3. dub. 3. concluſ. 2.* Peirinus *de Relig. tom. 1. cap. 2. quæſt. 2. §. 2.* Diana *de paupert. reſol. 38.*

971 Quando Religioſus clanculo aliquid accipit ab alio licèt ſummi valoris id ſit, non committit furtum, quia dominium remanet apud eundem dominum. Poterit hæc ſubreptio eſse mortale peccatum ex capitibus multis, ſed non contra virtutem paupertatis. Primò, ſi ſit obedientiæ præceptum impoſitum contra actiones ſimiles, tunc enim peccabit, ſed contra votum Obedientiæ. Secundò, ſi illud ſubripit à ſuo Confratre, vt det extraneo, tunc enim peccabit contra Paupertatem, non

qua

qua ſubripit ab vno, ſed qua largitur alijs: quia licèt in acceptatione non mutetur dominium, mutatur tamen in donatione. Tertiò, ſi inde ſequeretur grauis Confratri incommoditas,& vix poteſt non ſequi non ſolùm incommoditas, ſed & graue damnum, ſanè incommoditas, nam ille careret neceſsariis, ſanè damnum, quia craſtina die poſset Prælatus illam rem petere ab eo, cui dederat, & illum punire tanquam proprietarium, quia de occultis non iudicat Eccleſia, & ſic Prælatus prudenter poſſet ſuſpicari, rem illam non fuiſſe furto ablatam, ſed potiùs ab eo donatam exteris. Tandem, quia talem rem vel accipit à confratre cum animo relinquendi eam in cubiculo ſuo expoſitam oculis omnium, vel cum animo occultandi, ita vt ignoret Prælatus vbi illa ſit. Si primum, ſe exponit periculo vt puniatur, ceu fur & latro, & paruipendatur à confratribus, & ideò ſibi infert damnum magnum in honoris materia, quem ſi ſubſtantialis ipſe ſit, ex quinto Decalogi præcepto debemus conſeruare. Si habet animum occultandi, iam rei ſubſtantiam occultat Prælato, & eſt verè Proprietarius, non quòd à confratre ſubripuerit, ſed quòd occultet Prelato: niſi fortè dicat ſe occultare non ſubſtantiam rei, ſed modum, nempe illam minus ingenuam circumſtantiam. [De modi occultatione vide *numer.* 897.]

972 Ex his conſtat, moraliter non poſſe accidere, quòd aliquis ſubripiat à confratre aliquam rem mediocris valoris, & non peccet mortaliter contra vnam aut alteram legem. Non poſſe moraliter dixi, quia ſi per impoſſibile omnia inconuenientia tolleretur (quæ licèt moraliter ſint neceſſaria, ſunt contingentia phyſicè, & ſic poſſunt euitari) in tali caſu non peccaret mortaliter: ſed iſte caſus moraliter vix eſt poſſibilis.

CASTITAS.

973 Colunt hanc virtutem heroicam generoſi, non enim datum eſt puſillanimi proprias paſſiones moderari. Colunt, ſed diuerſimodè. Alij extrinſecè tantùm, & hi dicuntur cauti, nempe qui ſuam fragilitatem ſimulant, atque ſuas miſerias modeſtia & circumſpectione tegunt. Alii tantum intrinſecè, qui cùm verè caſti ſint, loquuntur, viſitant, & viſitantur, ac ſi caſti non eſſent. Hi ſunt ſcandalo proximis, & cùm maximè caſti ſint, non debent caſti nominari. Bias apud Auſonium:

Quis caſtus? de quo mentiri fama veretur.

De incautis & imprudentibus non timet fama mentiri, ac propterea, ſi incontinentes appareant, caſti dici non debent. Alii vtrumque coniungunt, & fragilitati addunt inſolentiam, & hi ſunt qui nec cauti, nec caſti, quos cenſeo peiores vniuerſis.

974 Vera Caſtitas colit corporis virgineam puritate & honori prouidet diligentiſſinè. Non ſolùm euitat actiones quæ malæ ſunt, ſed & quæ malæ apparent. Has tamen alii propter homines, non multi pure & propter Deum. Sunt plurimi ſimiles Crotoniati Aſtylo, Chriſoni Imeræo, Amœbeo Muſico, & Cyrenæo Ariſtoteli, qui apud Clementem Alex. *lib. ſtrom.* 3. propter Athleticos ludos à venere abſtinuerunt. Mortua erat horum Caſtitas; mortua hodie illorum puritas quæ non reſpicit Deum: Pulchrè Aug. c. 8. de Virg. *Neque enim ipſa*, ait *quia virginitas, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur.* Igitur viua Caſtitas ad Deum dirigitur, non ad plauſus & commoditates corporeas: malim tamen potiùs mortuam quàm nullam Caſtita-

ſtitatem habeas. Diuinè equidem Peluſiota Iſidor. *lib.4.epiſ.41.F. Melior eſt,* inquit, *is qui propter hominum gloriam colit Caſtitatem & temperantiam, eo qui ne quidem propter hanc temperans & caſtus eſt. Alter enim homines ſaltem, alter verò neque homines neque Deum eſt reueritus.*

975 Turpe vitium luxuries, & Eccleſiaſtica perſona indignum. Ethnicorum altaria madebant ſanguine & ſuperſtitione, arcebant tamen prophanos & incontinentes. Tibullus in Epiſt.

Vos quoque abeſſe procul iubeo: diſcedat ab aris,
Cui tulit heſterna gaudia nocte Venus.

Hanc Religioſi fugiunt, & ne experiantur voluntatem ad veteres miſerias reducem, libertatem ſuam voto ſolenni firmauerunt. Voto inquam, cuius praxis perenni difficultate exuberat, cuius cognitio multis dubijs, plurimis controuerſiis. Has velim examinare breuiter, vt clarioribus donati notitijs, faciliùs obligationi ſatisfaciant.

TEXTVS. Excap.4.

975 b MAla ſua præterita cum lachrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipſis malis de cætero emendare. Deſideria carnis non perficere. —Non velle dici ſanctum antequam ſit, ſed priùs eſſe vt veriùs dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimplere. Caſtitatem amare, nullum odire.

Non poteſt conſeruare diuitias qui illas non amat, adeoque S. Pater perſuaſurus caſtitatis cuſtodiam, incipit ab amore. Si velis ſancto Patriarcha obedire, ama non amare, non concupiſcere concupiſce. Sed quia ſunt imprudentes aliqui qui cum docentur non amare odio habent id ipſum, quod non amare præcipiuntur, ideò qui dixerat, Caſtitatem amare, *ſubdidit* Nullum odire. *nam inter amorem laſciuum odiumque, inter concupiſcentiam & iram datur medium, nempe neutrum habere.*

Sed quid illud. Non perficere deſideria carnis? *An illa incipere decet, proficere dedecet? Dicam. Deſideria hæc ipſa in ſuo principio actus per ſe primi ſunt, non ſubſunt libertati & arbitrio, paſſiones homo inuitus & inuoluntarius patitur, quæ non vult ſentit; & cum conſentit, perficit. Iubet igitur S. Pater non perficere, hoc eſt, concupiſcentiæ motibus non conſentire.*

TEXTVS. Excap.7.

976 ET cuſtodiens ſe omni hora à peccatis & vitijs, id eſt, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ, ſed & deſideria carnis amputare *a* feſtinet. Aeſtimet ſe homo de cœlis ſemper reſpici omni hora, & facta ſua in omni loco ab aſpectu Diuinitatis videri, ab Angelis Dei omni hora nuntiari. Demonſtrat hoc nobis Propheta, cùm in cogitationibus noſtris, ita Deũ ſemper preſentem oſtendit dicens. (Pſ. 7.) *Scrutans corda, & renes*

Deus.

*Deus.*Et item(Pſ.93.)*Dominus nouit cogitationes hominum.* Et item dicit *b.Intellexiſti cogitationes meas à longè.*(Pſ.75.)*quia cogitatio hominis confitebitur tibi* . Nam vt ſolicitus ſit circa cogitationes ſuas peruerſas, dicat ſemper humilis Frater in corde ſuo (Pſ.17.)*Tunc immaculatus ero coram eo, ſi obſeruauero me ab iniquitate mea.*

FESTINET *a*] *In concupiſcentiæ bello fugere & feſtinare vincere eſt . Vide quæ notaui num. 677.in Comm.a.*

DICIT *b*] *in Pſal.XCIII.Deo Propheta Rex , Intellexiſti cogitationes meas à longè,agens Benedicto interprete de caſtitate.Deus omnes reſpicit,bonos & malos , iuſtos & peccatores: diſcrimen tamen in hoc eſt quod continentes reſpiciat à longè,& prope ſit caſtis & mundis . Qui Deum ab incontinentibus remotum perſonat,Virginibus propinquum aſſerit Regius-Poeta(144. 18.)Propinquus eſt Dominus,ait,omnibus legentibus eum in veritate . Illis, qui legũt atque iterum legunt Deum (tales ſunt Religioſi , qui iuxta Ciceronem à religendo dicti)ipſe Deus propinquus & affinis eſt,teſte Luca 8.21.Propinquus eſt Deus Religioſis: non tamen omnibus , ſed ijs vnicè qui religunt eum in veritate,in caſtitate,in puritate . Illis qui non mentiuntur per tonſuram,ſed ſtant ſolennibus dictis , atque promiſſis ſatisfaciunt .*

977 Voluit Chriſtus ſemel oſtendere quanti Virgineam puritatem faceret D.Bernardi . Apparet illi in ecſtaſi de ligno pendens.Soluit clauis extenſa brachia, & famulum fidelem amplectitur, lateris vulnus pretioſiſſimum præbens & dicens (teſtis mihi Zamora Monarc. part.7.lib.6.in ſymb.S.Bern.§.19.)BIBE BERNARDE . Propinat hauſtum ſanguinis propinquus Dominus Viro puriſſimo, vt eius puritatem plusquam humanam commendaret. Et mellifluus Doctor Chriſti pendentis conſanguineus: eſt enim Caſtitatis veræ & genuinæ præmium , eſſe propinquam Crucifixi : ipſa etenim crux etiam eſt , ac perenne martyrium .

TEXTVS Ex cap.7.

978 IN deſiderijs verò carnis, ita nobis Deum credamus ſemper eſſe præſentem, cùm dicit Propheta Domino:(Pſalm.37.) *Ante te eſt omne deſiderium meum*. Cauendum ergo ideò malum deſiderium quia mors ſecus introitum : delectationis poſita eſt. Vnde ſcriptura præcipit dicens : (Eccleſ.18.) *Poſt à concupiſcentias tuas non eas*.

POST *a*] *Concupiſcentia morbus ineuitabilis , vniuerſos homines concomitatur . Fallit,qui aſſerit ſe adamantinum eſſe : componitur homo carne & oſſibus , & periclitaretur ſæpiſſimè , ni viſitatio Dei ſpiritum humanum cuſtodiret.Laſciuus appetitus omnium eſt comes,non tamen apud omnes idem.Sequitur bonos , præcurrit peccatoribus . Iuſti ſua deſideria fugiunt,ſuum corpus deerunt vt tranſuolent in Paradiſum . Corporea pars , quia remanere renuit fugientem ſequitur Animum , quem non adſequitur . Peccatores à ſenſu*

manu-

manuducti, ſibi ſcopum proponunt appetitum, & terminum concupiſcentiã. Contra hos loquitur Diuinus Spiritus, cum ibi. Audi imò potiùs obaudi: Poſt concupiſcentias tuas ne ito. Cur? quia expedit præcedere concupiſcentiam. Si ipſa ſequatur, quam totam deſerere non potes, fuge & aſſimulare capreæ, quæ ſpirat aure. Audi Dei legem, aure tamen ſpiritu diuino plena, & ſic velocior ipſum te fugies, & à te ipſo liber, ſecuriſſima ad patriam venies.

Breues dies hominis ſunt: & ſi peccator fuerit, incompleti. Viri ſanguinum & doloſi (Pſ. 54. 24.) non dimidiabunt dies ſuos, quia in delectationis introitu poſita eſt mors, quæ ipſos transglutiat. Iuſtus interitus eſt verè introitus ad gloriam: peccatoribus autem ipſe introitus delectationis, eſt verè interitus: vnde meritò dicitur mors ſecus introitum delectationis poſita.

TEXTVS Ex cap. 53.

979 VT ergo nuntiatus fuerit hoſpes, occurratur ei à Priore, vel a Fratribus cum omni officio charitatis: & primitùs orent pariter, & ſic ſibi ſocientur in pace: quod pacis oſculum non priùs offeratur, niſi oratione præmiſſa propter illuſiones diabolicas.

Oſculum pacis vrbanitas petebat olim quæ iam in varijs prouincijs exoleuit. Erit ciuilitas periculis multis obnoxia, quam pietatis Magiſter Benedictinus non eſt auſus intermittere ſed admiſit, correctis tamen circumſtantijs. Præmitti voluit orationem: ſciebat enim Pater Sanctiſſimus, hanc eſſe dæmonis eliminatricem. Dæmon, qui multa patitur, multa tolerar, multa expectat, nec orationem patitur nec orantes tolerat, nec lucrum apud eos expectat. Fugit quod fugare non poteſt.

Hic obiter notari velim quanti facienda ſit vrbanitas. Vel non agas cum hominibus vel ita agas vt nullum offendas. Melliſluus Doctor ſtuduit habitus & corporis compoſitioni, ne intuentes offenderet. Fugit hominũ commercium S. Benedictus, & deſiderat neſcire ſæcularia. Hoſpites non quærit: venientes tamen hilari animo deuotaque libertate recipit, audit verba quæ timet, offert pacis oſculum, quod recuſaret, ſi per patrios mores liceret: nemo enim inurbanus eſſe proximo poteſt Iniquus, qui negas alteri quæ ſua ſunt, & non niſi alterius omnia illa ſunt, quæ debentur ex vrbanitate. Sed de hoc vberius in parte Politico. Monaſtica.

DISPVTATIO LXVI.

De caſtitate Virginea, quam Deo ſolenniter vouent Religioſi.

980 MVltos video in huius virtutis obligationibus recenſendis, & exponendis diffidere, quòd non percalluerint quid Caſtitatis nomine deſignetur. Eſt igitur Caſtitas virtus ſpecialis circa venerea, vt conſtat ex D-

ex D.Tho. *q.* 151.*art.*11. & iuxta eundem Angelicum Doctorem *q.* 143. differt à pudicitia; quòd pudicitia ſit præcipuè circa ſigna venereorum, vt ſunt tactus, oſcula, & huiuſmodi; Caſtitas verò circa Veneream commiſtionem, quæ eſt diſtinctio valdè notanda: erit enim vtilis ad plurium difficultatum ſolutionem.

981 Diſtinguitur etiam Caſtitas à Pudicitia, quod illa ſit corporis, hæc animæ: vnde *Auguſtinus* contra Iulianum lib.4.*Pudicitia res eſt Animæ, Virginitas Corporis: deniique, illa integra in anima permanente, poteſt iſta de corpore ſibi violenter auferri: & cùm iſta integra manet corpori, poteſt illa in animo laſciua voluntate corrũpi*. Vt philopharis de Virginitate, ita de Caſtitate agere debes, quia Monaſtica Caſtitas eſt Virginalis: & in hoc differimus à Religioſis militibus, quoniam ipſi vouent coniugalem. Et in libris de Ciuitate, Pudicitiam virtutem eſſe animæ, cui comes ſemper ſit fortitudo. & Epiſt. 22. ait: *Pudicitia vi, nec in Carne, nec in Animo violari poteſt*. Non violatur in Carne, in qua non conſiſtit, non in animo, qui cùm ſit liber violentia non poteſt gubernari.

982 Voto ſolenni Monachus promittit (expreſsè, ſeu implicitè de quo non ago) Caſtitatem; Pudicitiam non vouit directè. Præterea vouit ſe futurum eſſe caſtum: non vouit ſe facturum eſſe, quod alij eſſent caſti. Nota hanc vltimam diſtinctionem, quæ eſt veriſſima, & ante noſtrum *Llamas* à nemine obſeruata, & hodie à multis nondũ benè intellecta. Ratio eſt: quia ſicut qui vouet Obedientiam, non promittit ſe facturum eſſe alios obedientes, ſed promittit ſolùm ſe obediturum eſſe Abbati; [Vide num.736.] & ſicut qui vouet paupertatem, non pollicetur ſe depauperaturum eſſe alios, ſed ſolùm ſe proprium, non habiturum eſſe; ſic ſimiliter qui vouet Caſtitatem, nunquam vouet ſe facturum eſſe quod alij non ducant vxores, ſed ſe non ducturum: nunquam vouit ſe curaturum eſſe, ne alij habeant pellices, ſed ſe non habiturum; non enim Deo alienam, ſed propriam libauit Caſtitatem. Ex ijs Quæſtionibus nõ ſatis facilius ſolutio.

Omnia ſunt munda mundis, omnia bona quæ ſcitu neceſsaria; mundiſſima mens ideat luxum, vt fugiat, vt pœnitentes intelligat, corripiat: & ideò dicenda, licèt impura, non debuerunt omitti, vt ſcias pęnitentes dirigere, monere, gubernare.

CONCLVSIO I.

983 *Beſtialitas, Sodomia, Fornicatio ſunt peccata mortalia directè contra virtutem Caſtitatis*. Eſt Cõcluſio manifeſta; quia Caſtitas interdicit Veneream commiſtionem, per beſtialitatem ſe commiſcet peccator cum bruto, per Sodomiam, cum maſculo, per fornicationem cum muliere ¶ Petis, Vtrùm peccata recenſita differant ſpecie. Eſt probabile quod peccata omnia contra naturam ſint vnius ſpeciei infimę & non ſubalternæ. Ita Filliucius *tom.*2.*tract.* 30.*cap.*7.*n.*131. Diana *part.*4.*tract.*4. *de Sacram. Reſol.*159. licèt contrariam probabiliorem cenſeat. Vide meam moralem Theologiam in additionibus ſub finem, vbi viginti ſex authores cito pro hac ſententia.

CONCLVSIO II.

984 *Intentio fornicandi, v. g. formaliter eſt contra pudicitiam, obiectiuè verò contra Caſtitatem, vnde qui habet talem intentionem, ſicut de facto non fornicatur, ſed vult fornicari, ita de facto nõ perdit Caſtitatem, ſed vult perdere: ac proinde ille actus non eſt ſacrilegium formaliter, ſed materialiter, hoc eſt non eſt intrinſecùs ſacrilegium, ſed extrinſecùs & obiectiuè nimirum,* inten-

intentio cõmittendi ſacrilegium. Hinc intelligendus venit Auguſtinus in Regulæ c. 5. *Cùm ſe inuicem ſibimet etiam tacente lingua conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectãtur ardore, etiam intactis ab immunda violatione, corporibus fugit caſtitas de moribus*. Fugit quidm caſtitas non formaliter, ſed obiectiuè: illi enim qui ſe ſignis ſollicitant, non cõmiſcentur formaliter, ſed obiectiuè, hoc eſt, volunt commiſceri. Ex dictis conſtat, æqualiter peccare Nouitium, qui habet intentionem fornicandi poſt profeſſionem, ac profeſſum, quia ille actus totam malitiam deſumit ab obiecto, & ratio ſacrilegij non eſt ipſi forma, ſed terminus.

CONCLVSO III.

985 *Monachus poteſt perſuadere ſoluto, quod ducat Vxorem: Vxorato, quod reddat ſuæ debitum, quin agat contra ſuum votum Caſtitatis*. Patet: quia ipſe non promiſit aliorum Caſtitatem.

CONCLVSIO IV.

986 *Monachus, qui perſuaſione, vel cooperatione concurrit ad hoc, vt alius ſeu monachus ſeu ſæcularis vadat ad Concubinam, peccauit quidem mortaliter, ſed non contra ſuum votum Caſtitatis*. Demonſtratur; quia ipſe non habuit rem cum tali pellice, ſed fecit vt alius haberet, vnde tenetur in cõfeſſione dicere: Feci quod alius ſæcularis, vel religioſus, iret ad ſæcularem vel religioſam, tenetur explicare ſtatũ peccantium, (ita tamen vt poſſit omittere circumſtantias non mutantes ſpeciem.) non verò ſuum, atque ideò ſi ſit in habitu ſæculari, non tenetur dicere ſe eſſe Religioſum: Ratio eſt, quia ipſe non peccauit formaliter contra votũ, imo neque contra ſextum præceptum Decalogi, ſed contra quintum formaliter, & contra ſextum obiectiuè: fuit enim illis ſcandalo & occaſioni vt peccarent contra ſextum. Prætereà. In hoc ſcandalo, ſeu perſuaſione, nulla voluptas ſenſualis reperitur, nulla venerea delectatio, neque in hanc aſſenſus, ſed ſolùm reperitur malitia voluntatis animam alterius occidentis, & hoc eſt contra quintum. Hinc habes ſolutionem ad caſum ſequentem.

Petrus vt ſollicitaret quandam religioſam, vſus eſt induſtria amici ſæcularis, & tandem induſtria religioſi: conſuleris, vter grauius peccarit ſæcularis, an religioſus, ſi quidem vterque æqualiter concurrit ad religioſæ illius præuaricationem. Reſponde, vtrumque peccaſſe æqualiter, quia neuter habuit rem veneream, ſed fecit quod Religioſa haberet.

CONCLVSIO V.

987 *Mulier quæ ſine delectatione propria, ſenſuali & ſine periculo aſſenſus in propriam delectationem* [fortè id abeſſe non poteſt, fortè nec ipſa delectatio) *tactibus polluit alium vel aliam vt alter, vel altera habeat delectationem, peccauit ſanè mortaliter*: Sed in quo generi, contra quot leges & regulas, debemus aperire.

988 Primò ſi ipſa fuit alij ſcandalo, eſt malitia, contra quintum Decalogi præceptum; ſi non fuit alij ſcandalo, vt poteſt contingere, exuet iſtam malitiam.

Secundò, eſt inſtrumentum alienæ pollutionis, & ſic peccarer contra ſextum, ſed huius peccati alius eſset cauſa principalis.

Tertiò, ſi eſset Moniales, non operaretur contra votum Caſtitatis. Ita Llamas *in ſumm. p. 3. cap. 8. §. 16.* Diana *de Circumſt. aggr. reſol. 61.* remittit Viris doctis examinandum, vtrùm hæc opinio

opinio ſit probabilis, & pro ſua pietate noluit eam condemnare. Verùm, ſi res examinetur, non ſolùm probabilis, ſed etiam euidens eſt hæc ſententia, conſeruatis principijs præcedentibus. Argumentor. ſic

989 Poterit Monialis cooperari vt vt Ioannes reddat debitum vxori propriç, quin contra votum Caſtitatis procedat, quia ipſa non vouit Caſtitatem alterius, ſed propriam. Ergo eadem de cauſa poterit cooperari, vt Ioannes incidat in pollutionem, quin frangat votum Caſtitatis, cùm ipſa non vouerit vitare pollutionem alterius, ſed propriam: vel ſigna diſparitatis cauſam.

990 Dices; aliam eſſe actionem licitam, aliam vetitam, & ideò poſſe primum, non verò ſecundum.

Non ſufficit, nam hic nō dubitamus, vtrùm Moniales mortaliter peccet, cùm hoc in principio expreſsè à nobis fuerit declaratum; ſed tota difficultas eſt, an violet votum Caſtitatis; ideòque diſparitatem nullam eſſe probo. Non minùs interdictum eſt Moniali nubere, quàm mollitiem committere. Atqui quando cooperatur, vt Ioannes reddat Vxori debitum, nihil facit contra ſuam Caſtitatem, ſed contra Caſtitatem Ioannis; Ergo ſimiliter, quando cooperatur Monialis ad hoc; quod Ioannes habeat pollutionem, nihil facit contra Caſtitatem ſuam, ſed contra Caſtitatem tertij: & diſcrimen tantùm eſt in hoc, quod in primo caſu operetur contra Caſtitatem Ioannis non debitam, & ſic nullo modo delinquat, in ſecundo contra debitam: non enim eſt Caſtitas marito debita in genere ſoluendi debiti, ſed eſt debita in genere habendæ pollutionis, vnde in ſecūdo caſu peccat contra Caſtitatem Ioannis, non in primo.

991 Ideò concludit doctè noſter Llamas, debere hanc Monialem in confeſſione dicere: Actu alium polluit religioſum, vel ſæcularem, quia ſicut operata eſt contra Caſtitatem alterius, ita cōtra alterius votum: non tamen tenetur dicere, vtrum ille quem polluerit, eſſet vir, aut mulier; quia mollities aut pollutio non eſt diuerſæ ſpeciei in viro & in muliere: præterea, non tenetur exponere ſtatum ſuum: nempe vtrùm eſſet Religioſa, vel ſæcularis, quia nihil fuerat operata contra ſuam Caſtitatem.

992 Ioannes autem ſi veniat ad confeſſionem, poſset dicere: Alienis tactibus pollutus ſum, non explicans cuius fuerint hi tactus, viri an mulieris, ſæcularis an religioſæ: quia Caſtitas Monialis non eſt in tali caſu violata.

993 Audiui ſæpè doctos, aſserentes hunc caſum eſse merè metaphyſicum, nec vnquam dari in praxi, quia non eſt intelligibile, quod aliqua polluat alium tactibus, & ipſa non patiatur etiam delectationem, vel ſaltem ſit in ſummo periculo præbendi aſsenſum.

994 Hoc eſt aliud, & doctè animaduerſum. Ergo iam non operatur illa Monialis contra ſuam Caſtitatem, quà polluit Ioannem, ſed quà tactibus illis delectatur, & delectationi præbet aſsenſum, vel eſt in ſummo periculo præbendi, ergo, ſublatis his circumſtantijs, cōtra Monialis Caſtitatem nil remanet.

995 Quod hæ circumſtantiæ omnes poſſint tolli, cognoſcunt illi qui audierunt varias confeſſiones; nam ſi ſæpe mulier in actu Venereo merè paſſiuè ſe habet & vt lapis quod fœminis nimis deditis Veneri eſt frequentiſſimum: cur non earum aliqua poſſet ſtudens proprio lucro, non propriæ voluptati, etiam ſine delectationis periculo Amaſium polluere, & peccare mortaliter non contra ſuam ſed contra debitam Amaſij Caſtitatem?

CONCLVSIO VI.

996 Si vera eſſet ſententia diſtinguentium inter Caſtitatem, & Pudicitiam: ita vt illa actum Venereum, iſta oſcula & tactus reſpiciat, dicēdum eſſet

eſſet per oſcula, amplectus & tactus non perdi Caſtitatem, ſed pudicitiam. hæc voto non eſt firmata, ſed illa. Vnde ſi in illis tactibus eſſe periculum commixtionis, eſſet periculum violandæ Caſtitatis, non violatio: quod ſi ſequeretur commixtio, tunc de facto violaretur ipſamet Caſtitas. Citant D. Thomam quæſt. 151. art. 11. quem videntur non intellexiſſe.

CONCLVSIO VII.

997 *Votum implicitum, & expreſſum, differunt modaliter*, hoc eſt ſolùm in expreſſione. Ratio eſt: quia ſunt de eodem obiecto, & ſub obligatione ipſiſsima: vnde eodem tenemur modo ſeruare Obedientiam, Paupertatem, & Caſtitatem: licèt illam expreſsè vouerimus, & has implicitè.

CONCLVSIO VIII.

998 *In Subdiacono, Diacono, Sacerdote, & Religioſo, Caſtitatis votum eſt eiuſdem ſpeciei.* Quia eſt votum tacitum, aut expreſſum de eadem virtute Caſtitatis.

Hinc conſtat, Sacerdotē Religioſum qui Carnis peccatum cōmiſit, ſufficienter ſe explicare, ſi dicat, quamcumque ex iſtis circumſtantijs tantum: puta ſi dicat: Sum Religioſus, vel habeo Ordines; quia omnes iſtæ circumſtantiæ inferunt votum Caſtitatis, & non diuerſum in ſpecie. Sicut enim ille qui plùries promiſit atque firmauit iuramento, aut chirographo debitum aliquod, non fecit debitum eſſe maius; ſic qui ſæpiùs Caſtitatis vota emiſit (nempe in profeſſione, in Subdiaconatu, in Diaconatu, in Sacerdotio) nōn fecit maius debitum, ſed ipſiſſimum ſæpiùs firmauit. Sit ſimiliter mulier, quando vadit ad confeſſionē, non tenetur exprimere ſe habuiſſe copulam cum Religioſo Sacerdote, ſed ſufficit, ſi dicat ſe illā habuiſſe cum Sacerdote, vel cū Religioſo vel cum Subdiacono, &c. vel in genere, cum viro ſacris ordinibus initiato. Ita docent, Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 9. cap. 37. n. 13.* Sanchez *de matr. lib. 7. diſp. 27. num.* 27. Henriquez *lib. 5. de pænit. cap. 5. num. 6. in Gloſ. littera G.* Pitigianus *in 4. ſentent. tom. 2. diſt. 16. q. 1. art. 5.* Diana *de circumſt. aggr. reſ. 3.* Ita etiam Medina, Azorius, & Rodriguez apud Villalobos iam citatum. Hanc ſentētiam probabilem etiam putarunt Ioann. de la Cruz *in direct. conſc. p. 1. præc. 6. art. 6. dub. 8. concl. 3.* Leſſius *lib. 4. c. 4. dub. 12. num.* 87. & Fagundez *de præcep. Eccl. tract. 2. l. 4. cap. 3. num.* 4. Baſæus *in Floribus pag.* 614. *b* vbi me etiam citat.

CONCLVSIO IX.

999 *Votum ſimplex, & ſolenne ſolum differunt ſolennitate*, hoc eſt modo, non re: atque ideò ſunt idem apud Dominum. Probatur. Actus miſericordiæ, patientiæ, aut alterius virtutis publicus, & ſecretus non differunt eſſentia; ſed ſolùm publicitate: ergo ſic ſimiliter voti religioſa actio, ſiue ſolenniter fiat ſiue non, erit in eſſentia eadem & ſolùm differet humana, extrinſecaque publicitate.

999 *b* Reuoca ad memoriam caſum præteritum, & ex hac Concluſione dic, Religioſum Sacerdotem ſufficienter ſe explicari in confeſſione, ſi dicat: Aſtrictus ſum voto caſtitatis, & habui cum muliere copulam. Sufficienter ſe explicare mulierem, ſi dicat: Habui rē cum aſtricto caſtitatis voto, & neuter tenebitur exponere circumſtantiam Ordinis, aut Religionis. Ita noſter acutiſſimus Llamas *in ſumm. p. 3. cap. 8. §. 14.* Sanchez *de matr. tom. 1. l. 7. diſp. 27. n.* 27. Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 9. dub. 37. num. 13.* Henriquez *lib. 5. de pænit. c. 5. n. 6. in Gloſs. litt. G.* Fagundez *de precept. Eccleſiaſt. tract. 2. l. 4.*

cap. 3.

cap.3. n.6. Megala *in 1.p. l. cap.11. n.* 8. Filliucius *tom.2.tract.30.c.9.n.124. & 125.* Diana *de circumſt. aggr. reſol.* 4. Azevedo *in ſumm.lib.1.cap.4. n.15.* Baſæus *in Florum editione ſecunda pag.614. b* vbi me citat inter alios. Eodem modo philoſophare ſi copula fuerit cum muliere, aut viro ſodomitica.

1000 Hinc collige à fortiori votum Caſtitatis emiſſum in ſeculo & emiſsũ in nouitiatum, & emiſsum in Profeſſione, & emiſsum poſt Profeſſionem, & id quod eſt annexum Sacerdotio, eſſe eiuſdẽ ſpeciei: vnde qui millies Caſtitatem vouiſset in ſæculo, multoties in anno nouitiatus, tranſiens per varias Religiones ſæpè promiſiſset ſolenniter, & iure vel iniuria, ſæpiùs ad ordines eſset promotus, ſi peccaſset contra caſtitatem, dicere poſset in confeſſione: Talem actionẽ feci qui ligor voto Caſtitatis; nec teneretur dicere, quale eſſet illud votum, aut quoties iteratum. Ita Sanchez *de matr. to.2.l.7.diſp.27. nu. 25. & 35.* Diana *de circumſt. aggr. reſol. 4. in fin. & ibid. reſol.9.* & apud eos Azorius, Rodriguez, & Henriquez. Item Fagundez *de præc. Ecc. tract.2. lib.4.c.3.n.11.* & apud eum Sanchez, & Llamas. Ita etiam Filliucius *to.2.tract. 30.cap.7. num.26. & alij.*

CONCLVSIO X.

1001 *Epiſcopus, Generalis, aut Abbas, ſi ſecretè peccent mortaliter, nõ tenentur aperire ſtatus circumſtantiam.* Conſultò dixi *ſecretò*; quia ſi eſset publicitas, non deeſset ſcandalum: ſcandalizamur enim peccatis Antiſtitum, licèt toleremus peccata priuatorũ. Pro peccatis ſecretis habe Villalobos *in ſumm. tom.1.tract.9.dub.36.num.14.* Sanchez *de matr.tom.2. lib.7.diſp.27. num.33.* Henriquez *lib.5.c.5.n.6. Gloſſ. litt.G.* Coninck *de ſacr.diſp.7.dub.4.num.18.* Filliucium *tom.2.tract.30.c.8.nu.117.* Dianam *de circumſt. aggr. reſol.6.* De peccatis publicis explica authores quà ſubſcribunt oppoſitæ ſententiæ, & ſic inter calamos reperietur diſcrimen, inter authorum animos diſſidium nullum.

1002 Monachus Epiſcopus non ſolùm non tenetur dicere ſe eſſe Epiſcopum cùm confitetur fornicationem verbi gratia, ſed nec debet dicere ſe eſſe Religioſum, cùm ſufficiat dicere, Peccaui in tali ſpecie luxuriæ contra votum, quod habeo, Caſtitatis.

Notandum tamen hanc eamdem circumſtantiã, tametſi in confeſſione aperienda non ſit, eſſe aggrauantem intra eandem ſpeciem, grauiùs enim tenentur voto & regula qui in maioribus conſtituti. Dabo Germanæ Congregationis doctiſſimam definitionem, quę hanc delucidat veritatem his verbis. *Abbates, quoniam eò magis trium votorum vinculis tenẽtur, quod in regulari conuerſatione debent eſſe ſecundum Apoſtolum forma facti gregis, ſtudeant diligenter vt Religioſis ſuis pietate, cõtinentia, ſobrietate, & religionis zelo, cæteriſque virtutibus, quæ Prælatos decent, præluceant, eoſque tanquã Patres filios amant, ac in omni charitate, exemplo vitæ, verbo doctrina rerumq; neceſſariarũ ſubuentione, tamquam boni Paſtores paſcant.* Lata fuit anno 1595. in Monaſterio Furtenfeldenſi in Bauaria præſide D. Edmundo à Cruce Ciſtertij Abbate: poſt quem D. Nicolaus Boucherat etiam Abbas Ciſtertij hanc eamdem veritatem docuit & anno 1615. in viſitatione cœnobij Specioſæ-vallenſis ſic inquit, *Abbas eò magis trium votorum vinculis tenetur, quòd in regulari conuerſatione debeat eſſe ſecundum Apoſtolum forma factus gregis.* Conſonant cap. LXV. Benedictinæ Regulæ vbi de Prępoſito, *Quantũ Prælatus eſt cæteris, tantum eum oportet ſolicitè obſeruare præcepta Regulæ.* Ecce Prior ſtrictiùs tenetur obſeruantiæ quàm ſimplex Religioſus, adeoque ſtrictiùs quàm ipſe aut quicum-

que

que alius, tenebitur ipſemet Abbas.

CONCLVSIO XI.

1003 *Nouitius non peccat contra votum caſtitatis*. Patet: quoniam illam non vouit. Mulier rem habens cum Nouitio non tenetur hanc circumſtantiam explicare: & idem dic ſi rem habeat cum Clerico minorum ordinum, quia in neutro eſt caſtitatis obligatio ſub aliquo voto. Ita Diana *de circumſt. aggr. reſol.* 7. & apud eum Megala. Vnde miror noſtrum Llamas *in ſum. p.* 3. *ca.* 8. §. 14. aſseruiſse hoc vltimum, & negauiſse primum. Quia ſicut ſe habet Nouitiatus ad Religionem, ita Minores Ordines ad Maiores. Atqui ſecundùm illum Minores Ordines non ſuperinduunt circumſtantiam in confeſſione aperiendam: ergo nec Nouitiatus.

1003 *b* Obijcis. Strictiùs Religioſi tenentur ad virtutes ſubſtãtiales quàm ad Regulam: atqui hanc Nouitij ſine culpa non temerant: ergo nec illas. Minorem probas ex Hiſtoria, quam recenſent Gerardus de Francheto *in vitis Fratrum Prædicatorum approbatis à ſuo Generale ann.* 1266. & Beyerlinckius *in Theatro. verbo Religio. pagin.* 167. *E.* De quorum teſtimonio Nouitius poſthumus ſocio apparuit, ſe in purgatorii loci pati aſseruit, quia Regulam violauerat non reddens ſoccos veteres cum receperat nouos.

Reſpondeo *primò* illam hiſtoriam continere multas circumſtantias impoſſibiles, & eſse fide indignam, vt cognoſcet qui apud alterutrum authorem leget.

Secundò adhuc ſi eſset authentica nõ torquere nos, quia non dicimus incontinentem & furem Nouitium non peccare, ſed non peccare contra votum. Ille iuuenis de quo Franſchetus & Beyerlinckius. ſoccos furatus erat abſ inuito Prælato, cui tenebatur reddere, imò & poſtumus reddidit: ergo erat in purgatorio quà fur, non quà ſacrilegus. Hic obiter: peccat Nouitius cùm aliquid retinet contra Regulam, ſed contra Decalogum, quia omnia quæ ſine licentia retinet, retinet Domino inuoluntario. (Nomen ſoccorum non bene intelligo; puto hoc vocabulo ſaltem debere rem intelligi tanti valoris, quæ ſit ſufficiens ad peccatum veniale.)

CONCLVSIO XII.

1004 *Qui virginitatem amiſit, non tenetur hanc circumſtantiam explicare*. Admittitur à Balæo *in Florum editione ſecunda pagin.* 634. vbi etiam me citat. Hanc concluſionem, aliàs certam, difficilem reddiderunt aliqui, qui non bene intellexerunt, quid importaret ratio Virginitatis. In rigore Virginitas non eſt quid ſingulare cõtra Luxuriam ſed eſt flos atque virtutum inuiolatio: vnde Virgo ille dicitur, qui non fuerit violatus. Sic Virginem in primo præcepto decalogi dicas illum, qui nunquam contra illud peccauerit: qui nunquam in vanum iurauerit, erit Virgo in decalogi lege ſecunda: qui nunquam violauerit feſtiuitatem, erit virgo in tertia, & ſic de alijs. Hinc facili negotio Authores explicantur. Virgilius de Paſiphae:

Ah Virgo infælix, quæ te dementia cæpit?

1005 Cur ergo tantus Poeta Virginem nominat, quam conſtat habuiſſe tunc tres liberos? quia erat Virgo, ſi non in genere fornicationis, ſaltem in genere beſtialitatis, & quæ ad Tauri concubitum feſtinabat, hunc vltimum florem modò perdere ſatagebat.

1006 Auguſtinus: *Quarta ſit*, ait, *orandi differentia inter vacuum ventrem, & refertum, inter rubentem faciem, & ora pallentia: inter ſaliuam virginem, & labra crapulis diſſoluta*. Vbi vides S. Doctorem admiſiſſe in

gene-

genere crapulæ Virginitatẽ. Ideò quæcumque hominis virtus intellectus, ſed voluntatis, ſi nondum ſit violata. *Virgo* dicitur. Cicero in Orat. *Philoſophia caſta, verecunda, incorrupta, virgo.* Sic intelligo, *Philoſophia virgo*, hoc eſt, quæ nunquam fuit experta errorem. Ideò conſultiſſimè Nomenclator Hebræus בתולים *Bethulim* dixit *Virginitates*, non *Virginitatem* vt doceret curioſos Virginitatẽ eſſe multiplicem, non vnam, indeque omnibus Animæ habitibus multifariam reperiri poſſe. Iuuat Gregorius in Ezech. dicens: *Flos eſt virginitas, flos martyrium, flos actio bona.* Vnde ſicut ille dicitur in materia Venerea habere florem, qui nunquam in illo genere peccauit: ſic in teſtimonio habebit florem, qui nunquam Chriſtum abnegauerit: habebit florem in aliqua virtute, qui nunquam ſubiacuerit vitio contrario.

1007 Supponitur politicè *Virginitas* pro inexperta Venere, quia hic flos eſt magis ſenſibilis, & facilior cognitu: non quia præſtantior: etenim in omnium hominum, ſententia eſt dignius, non perdidiſſe Gratiæ florem, quàm non perdidiſſe florem carnis.

1008 Hinc colligitur, cæteris paribus, in quocumque genere grauius peccatum eſſe perdere florem, quàm deinceps delinquere contra eandem legem. Probat Hieronymus in quadam Epiſt. ratione ſatis efficaci: *Virginitas*, ait, *in eo facilior eſt, quia carnis incentiua non nouit: & viduitas in eo ſollicitior, quod præteritas in eo recolit voluptates*. Ergo ſimiliter virgini in genere vindictæ, facilior erit eiuſdem vindictæ cõtinentia, quia virginitas talis vindictæ delectationem nondum cognouit, vindictę cõtinẽtia delectationes iraſcibilis partis expertas refrenauit. Atqui tum grauius quis peccat, cùm facilius poſſet non peccare: ergo grauiùs peccat virgo, quàm alius. Atqui nullus mortalium vnquã dixit, debere eum, qui primum homicidium fecerit, hanc circumſtantiam explicare, ergo nec ille qui primam copulam habuit, tenebitur manifeſtare primam. Hæc ratio non ſolùm probat hanc circumſtantiam non eſſe explicandam in confeſſione, quando vir amittit virginitatis florem, ſed etiam quando mulier amittit.

1009 Viros non teneri hanc circumſtantiam explicare, mordicus defendit noſter Llamas *in ſumm. p.* 2. *c.* 8. §. 17. Henriquez *lib.* 2. *de pænit. c.* 8. *n.* 2. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 29. *c.* 3. *n.* 71. Diana *de circumſt. aggr. reſol.* 10. Nunnes *in addit. ad* 3. *to.* 2. *q.* 9. *ar.* 2. *dub.* 3. *conc.* 5.

1010 Mulieres, etiã cùm liberè peccant, non teneri virginitatis circumſtantiam exponere, docuit Vazquez *opuſc. de reſt. cap.* 3. §. 1. *dub.* 1. *n.* 6. *& in p.* 2. *diſp.* 112. *c.* 1. *n* 1. Sanchez *de matr. l.* 7. *diſp.* 4. *n.* 5. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. Leſſius *l.* 2. *c.* 10. *dub.* 6. *n.* 5. Coninck *de ſacram. diſp.* 7. *dub.* 4. *num.* 19. Item Megala, & Nauarrus apud Salas *in p.* 2. *tom.* 2. *tract.* 3. *diſp.* 14. *n.* 5. Hanc ſententiam *in p.* 2. *diſp.* 4. *q.* 8. *n.* 150. probabilem vocat Tanerus.

1011 Ex hac doctrina conſtat, Monialem moroſè delectatam de iuuene, non teneri explicare ſe virginem eſſe vel non eſſe: vnde imprudenter Confeſſarius procederet, ſi de hac circumſtantia interrogaret; & illa interrogata non teneretur reſpondere.

1012 Infero ſecundò, Iuuenem qui delectatur moroſè de virgine, licèt incidat in pollutionem, & habeat voluntatem copulæ de futuro, dummodò nolit inferre vim, imò ſi de facto cum illa conſentiente rem habeant, non teneri in confeſſione exponere virginitatis circumſtantiam.

1013 Infero tertiò, Peccantem cum virgine ſodomiticè, non teneri dicere illam eſſe virginem. Ita Diana *de circumſt. aggr. reſol.* 11. §. 2. imò neque teneri exponere ſe ſodomiam habuiſſe cum muliere, vt ipſe docet Diana *ibidẽ*

reſ. 2. & Bonacina *de matr. q.*4. *p.*11. *num.*9. Ratio eſt, quia Sodomiam cum mulier aut cum viro ſolùm differunt in genere entis, non in genere moris, non ſecùs ac furari aurum vel argentum: frangere ieiunium pane, vel piſcibus.

1014 Quando vis infertur virgini, ſunt plurima conſideranda. Fornicatio, violentia, & damnum inde ſubſequutum, quia habebit corrupta ignobiliorem coniugem, quàm haberet ſi eſſet illibata: debent etenim huiuſmodi damna compenſari.

CONCLVSIO XIII.

1015 *Rem habuiße cum filia confeſſionis, non eſt circumſtantia explicanda, ſiue illa ſit actualiter filia ſiue fuerit.* Eſt mere probabilis, oppoſita ſententia benignior, non tamem omnino certior, nam ſi quis dicat confeſſarium, ſpiritualem Patrem eſſe, me vrgeret multum. Sed hoc in morali Theologia reſumpturus huius ſententiæ probabilitatem ſic oſtendo. Quoniam illa paternitas non inducit cognationē ſpiritualem: ergo. Nec in vllo iure contrarium reperitur. Ita Vazquez *in* 3. *p. tom.*4. *q.*91. *art.*1. *dub.*2. *num.*20. Vega *in ſumm. cap.*35. *caſ.*19. Ita in terminis docuerunt Poncius, Azorius, Bonacina, & alij apud Dianā *de circumſt. aggr. reſol.* 12. Hæc ſententia non ſolùm eſt vera quoad filias cōfeſſionis, ſed à fortiori, quoad filios: nam contra naturam non eſt conſanguinitas. Ita Diana *ibid. reſol.* 56. vbi & citat Pontium, Acunnam, Peirinum, Fagundez, Portel, &c. Vbi laudandus eſt Baſæus, qui in Floribus pag. 374. k hanc ſententiam propugnat, affirmans inceſtum, qui confeſſario, & pœnitenti intereſt non eſſe verum, ſed metaphyſicum, hoc eſt, aut ens rationis aut Platonis idem quæ à parte rei reperiri non poſſit, me ipſe citat & ſequitur, & ego ab eo citatus opinioni conſentio.

CONCLVSIO XIV.

1016 *Tactus impudici facti in eccleſia non habent diuerſam malitiam in ſpeci, quam debeas in confeſſione manifeſtare.* Probatur. Eccleſiæ violatio non eſt de iure naturæ, quia ſi eſſet, quocumque peccato mortali violaretur: ſed de iure poſitiuo: ergo ſolùm violabitur in caſibus à iure expreſſis: atqui in iure ſolùm exprimuntur ſanguinis, & ſeminis effuſio, Eccleſiæ igitur ijs ſolùm, & nō alijs violantur. Antiqui tactus impudici, ni ſequatur pollutio, non ſunt effuſio ſeminis, ergo Eccleſiam non violāt. Ita Vazquez *in p.* 2. *tom.*1. *q.*77. *art.*6. *diſp.*98. *n* 4. Sanchez *de matr. to.*3. *l.*9. *diſp.*15. *n.*21. Fagundez *præc.* 2. *l.*4. *c.*4. *num.* 31. Valentia 2. 2. *q. diſp.*6. *q.*15. *punct.* 1. §. *præterea.* Henriquez *libr. de pænit.* 5. *c.*7. *num.* 5. *tom.* 1. *tract.* 17. *reſol.* 12. *dub.* 1. & alij.

1017 Rogas vtrùm fornicatio, & pollutio, aut, quæcumque alia non-naturalis carnis commixtio habita ſecretè in Eccleſia, ſit ſacrilegium, & hoc debeat in confeſſione explicari. Reſpondeo eſſe probabile quod non: ita docuerunt Vazquez *in part.* 2. *tom.* 1. *q.*72. *art.*7. *diſp.* 98. *c.*3. *n.*6. Baſilius Pontius *de matr. l.*18. *c.* 10. *n.* 15. & Diana *de circum. aggr. reſ.* 26. *in fin.* Baſæus *in ſecunda Florum editione pag.*614. d vbi etiam me citat. Vbi notes obiter, illos duos Viros priores fuiſſe ex maximis, ita vt ſecuriſſimè ſequi illos poſſis. Dianam diligentia & ſtudium etiam magnis adſcripſit, & fortè ipſi plus debet eccleſia, plus ethica Chriſtiana, quàm alijs. Sed ad rationem, quā hi authores ſuam probant ſententiam, deueniamus. Actus interiores ſunt liberi à directa gubernatione Eccleſiæ, illoſque nequit interdicere, quia nequit cognoſcere, vt omnes Doctores boni nomini aſſerūt. Atqui actus exteriores ſecreti prout tales, participant eandem rationem, nam illos non poteſt Eccleſia cognoſcere:

Ergo

Ergo de iſtis non veniunt intelligenda iura.

1018 Dices, actibus exterioribus eſſe accidentale ſecretum, ſi enim quiſpiã eos vidiſſet, poſſet publicare. An non eodem modo actus internos, ſi quis vidiſſet, poſſet publicare? & Angeli, & dæmones vident, & ſæpe publicant. Vnde ſic multi philoſophandum docent, ſic concludunt. Auctus externi ſecreti, ſi eſſent publici, cognoſcerentur ab Eccleſia; ergo ſi iſti eſſent publici, poſſent interdici: non ſunt, ergo interdici nequeunt. Vide, vtrùm conſequentia ſatis legitimè inferatur, pro ſcientia tua in hac doctrina iudica, iſta enim omnia ſequi ex hac ſententia, colligitur ex meis principijs. Sed nihilominus, quidquid ſit de efficacia huius rationis, quæ videtur difficilis, de quo nihil diffinio, ſententia illa Pontij & Vazquez, eſt in praxi probabilis ratione authorum; ex quibus Vazquez & Pontius, negant huiuſmodi ſecretam ſeminis emiſſionem infici malitia ſacrilegij, non quòd ſecretam interdicere non potuerit Eccleſia, ſed quod noluerit.

CONCLVSIO XV.

1019 *Tempus non variat ſpeciem peccati carnalis: puta ſi rem habeat die Veneris ſancto, aut alio.* Ratio eſt, quia nulla eſt ſpecialis interdictio. Ita Vazq. *in* 3. *p.t.*4.*q.*91.*art.dub.*4.*n.*24. & omnes ferè recentiores.

CONCLVSIO XVI.

1020 *Tactus & oſcula, quæ ſequuntur copulam, non ſunt noua peccata, ſed præcedentis continuatio, & terminus, vnde qui poſt fornicationem iterũ tangit, & oſculatur fœminam, ſi non habeat alterius copulæ intentionem, continuat primum peccatum, & non committit nouum.* Ratio eſt; quia fornicatio non eſt res indiuiſibilis metaphyſicè, ita vt incipiat in principio copulæ, & finiatur in fine. Sed poteſt incipere quatuor menſibus, aut annis ante copulam, modò ille non retractet propoſitum, continuari epiſtolis, & tandem extendi poſt copulam, dummodo nec intentio alterius, neque aliquod periculum ſit pollutionis. Hæc ſententia fuit olim Nauarri *c.* 6.*n.*7. eam poſt docuerunt Azorius *p.*1.*l.*4.*c.*4.*in fine*. Sancius *diſp.* 6. *nume.* 3. Henriquez *in ſumm. l.*5. *c.* 5. *num.* 5. *in Gloſſ. litt. V.* Zanardus *in direct. Theol. par.*1.*tract. de pœnit.c.*18. Zerola *in praxi de pœn. cap.*12.*q.*47. Poſt quos omnes Flores ſuos ſecundis curis auctos P. Balæus Antuerpiæ edidit, me citat. *pag.* 531. *g* & ſuo nomine huius probabilitatem opinionis adauget.

CONCLVSIO XVII.

1021 *Coiens cum viro, & ſupercubans ſicut ſuper mulierem, non tenetur hanc circumſtantiam aperire, ſed ſolùm dicere, tangendo alterum pollutus ſum.* Ita quidam vir doctus apud Llamas *in ſumm.p.*3.*c.*8.§.1. Ita Diana *in circumſt. aggr. reſol.* 52. Ratio eſt: quia illa actio non mutat ſpeciem pollutionis, ſed ſolùm eſt vel nulla vel aggrauans, ac proinde non de neceſſitate confeſſionis. Dubitas vtrùm teneatur ſtatum cõplicis aperire? vide *concluſ.* 5.

CONCLVSIO XVIII.

1022 b *Pollutio nocturna proueniẽs ex peccato mortali, non aufert impedimentum Euchariſtiæ de neceſſitate poſt peractam pœnitentiam. Si homo nocte fornicatur, & mane (ipſum) pœniteat, poteſt poſt pœnitentiam humiliter accedere ad ſacramentũ.* Sunt verba formalia Iacobi de Graſijs à Capua *Deciſionum aurearum lib.*2.*c.*87.*n.*10. vbi citat Sotum *in* 4. *ſent. diſtinct.* 12. *q.* 1. *art.* 7. *colum. penult. propoſ.*3. Monet non iri acceſſum ad Euchariſtiam, ſi in-

de ſuboriri poſſit ſcandalum: culpat de veniali illum, qui ſine aliqua vrgente, & honeſta cauſa intra horam, vel certè eadem die accederet, putat habere honeſtam cauſam, qui accedit vt ſatisfaciat pręcepto, vel vt ſuæ conſulat famæ.

DISPVTATIO LXV.

De delectationibus moroſis.

1022 DE hac materia olim vberiùs, ſtylo tamen metaphyſico, aptiore Scholaſticis quàm Confeſſoribus. Fuerunt aliqui, qui crederent non dari peccatum in delectationibus moroſis, & probarent argumento fortiſſimo, quod indiget expoſitione.

1022 *b* Non magis illicita eſt ſoluto copula venerea, quàm eſus carnis die Veneris, aut hauſtus aquæ laboranti febribus periculoſis. Atqui licèt quis die Veneris mente concipiat præſentes carnes, fingat ſe illas comedere, & hac idea moroſè delectetur: non peccabit mortaliter, vt benè docent Tannerus *in* 1. 2. *D. Thom. diſp.* 4. *q.* 8. *dub.* 7. *num.* 137. Laymanus *in Theol. mor. l.* 1. *tract.* 3. *dub.* 3. *num.* 5. Malderus 1. 2. *D. Thom. q.* 74. *art.* 10. Leſſius *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 15. *num.* 114. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 110. *cap.* 1. quos citat & ſequitur Diana 3. *p. tract.* 5. *reſol.* 5. Ergo laſciua moroſitas non eſt peccaminoſa grauiter.

1022 *c* Confirmatur. Laborat Petrus periculoſo morbo, ita vt iudicio prudentis Medici certò ſit moriturus ſi bibat aquam in febris acceſſu, Famuli, ne bibat, bibunt coram eo; ac fontibus artificialibus eum fallunt & recreant, Aegrotus interim credit ſe Danubium bibere, & quaſi actualiter biberet excitat guſtum & fallit appetitum. Omnia hęc pręſtat, & à nemine mortaliũ cõdẽnatur. Ergo ſimiliter ſolutus poteſt cogitare ſe fęmina pulcherrima vti, & excitare ſenſũ hac idæa, appetitũ imagine concepta fallere, quin peccet in hac moroſitate: vel detur diſparitatis ratio.

Hac ratione torquebam aliquando eximium Dom. N. Virum doctiſſimum, qui rationis pondere preſſus mihi, ipſi dixit, diſponeret eos qui in rebus moralibus quærunt perennem conſequentiam, & ideò, amiſſa paritate, negabat conſequentiam. Quis tamen non videat, potiùs ipſum deſipere, qui de omnino paribus diuerſimodè philoſophatur?

1022 *d* Alij quærebant diſparitatem ex doctrina, quam tradit nuperrimè citatus Diana, qui delectationem de carnibus cogitatis in die Veneris, cenſet non eſſe materiam culpæ grauis, quoniam lege humanæ non prohibent actus internos. Cæterùm hæc ſolutio non eſt ſufficiens: quia ægroti illa actio non eſt merè interna, nec aquæ hauſtus lege humana interdicitur, ſed Decalogi præcepto quinto, vt norunt vniuerſi. Non enim eſt Medicus, qui aquam illi ægroto interdicit, ſed Medicus eſt naturæ interpres, declarans morbum eſſe talis ingenij, vt armatus vno aquæ hauſtu ſit vitam eliminaturus.

Prætereà, licèt fornicatio ſola humana lege interdiceretur, delectationes grauiter moroſæ eſſent peccata mortalia. Ergo vt argumento ſatisfiat, & hanc difficultatem percalleamus, ex ſolidis principijs, quæ ſuperiùs expoſui, teneor aliter philoſophari.

Difficultatis diſſolutio.

1023 Delectatio alia eſt exterior, alia interior. Hæc eſt duplex, ſpeculatiua & Practi-

Practica: hanc ſubdiuido in efficacem, & *in* inefficacem. Sanè hæc diſtinctio omnino admittenda vel inuitis nonnullis, qui pingui mente philoſophati, omnia damnanda putant quæ dicta altiùs. Eam admiſit me citato Pater Baſæus *pagin.*233. *a* iuxta Antuerpienſem editionem.

Delectatio exterior, corporea eſt, nempe illa extrinſeca, quæ conſiſtit in ſpirituum naturalium commotione & alteratione, nata ab obiecto, vel à phantaſia. Vbi obiter notandum venit, omnes ſenſationes extrinſecas ab obiectis cauſari poſſe, a phantaſia non omnes: quia deficiente colorato, non poteſt facere phantaſia, quod reuera videas, bene tamen quod reuera ſenſualitas, & iraſcibilis potentia cooperentur, in hoc enim iraſcibilis, & concupiſcibilis diſtinguuntur ab alijs ſenſibus, quòd non ſolùm à cauſa extrinſeca alterentur, ſed etiam ab intrinſeca, videlicet à laſciuo aut irato phantaſmate.

Delectatio interior eſt illa, quæ independenter ab omni ſenſu exteriori operatur, & hæc eſt duplex, phantaſia, & intellectus. Illa eſt materialis, immaterialis *i*ſtc. Phantaſiam ſequitur. Appetitus ſenſitiuus, & Intellectum Voluntas: hæc libera eſt, ille neceſſarius.

1024 Tunc Intellectus & Phantaſia verſantur circa obiecta ſpeculatiuè, quando naturas rerum ſpeculantur in communi, puta eſſentiam ſenſualitatis, in quo conſiſtat ratio vindictæ, quomodo fiat ſpirituum carnalium alteratio. Tunc operans operatur practicè, quando habet executionis intentionem: quæ eſſe poterit vel abſoluta, vel conditionata. Abſoluta vocatur efficax, quia quantum eſt ex ſe talis eſt; quod ſi aliquando talis non ſit, hoc accidit ab extrinſeco poſito impedimento; & verba in diffinitionibus poſita non dicunt exercitium, ſed virtutem operationi ſufficientem. Voluntatis efficacia conſiſtit in hoc actu: *Volo talem rem abſolutè.* Conditionatus actus ſemper eſt optatiuus aut ſubiunctiuus, adhibens conditionem poſſibilem vel impoſſibilem: poſſibilem, vt: *Vellem rem habere cum tali, ſi non eßet coniugata; ſi non eßet in tali domo, cui debeo reuerentiam; ſi eſſet coniux alterius, et non Petri, qui eſt amicus meus: ſi non eſſet Monialis.* Conditiones impoſſibiles ſunt, *ſi non eſſet peccatum; ſi non eſſet mater mea; ſi non eſſet filia illius.* quia iſtæ, & ſimiles conditiones moraliter ſunt impoſſibiles, & in opinione multorum, etiam realiter.

1025 *Dico igitur*, vt ab hoc vltimo incipiam, delectationes interiores practicas, ſeu intentiones abſolutas ſumere ſpeciem à toto obiecto; vnde ſi obiecta fœmina, ſit coniugata & fecerit votum caſtitatis; talis abſoluta intentio erit peccatum mortale, & habebit circumſtantiam adulterij, & ſacrilegij.

1026 *Dico ſecundò*. Delectationes mere interiores conditionatæ voluntatis, non ſumere ſpeciem à circumſtantia denegata; & ideò hic actus: *Vellem rem habere cum tali, ſi eßet mea*, eſt actus virtutis, quia contrarius eſſet peccaminoſus; delinqueret .n. qui aſſenſu diceret: *Ego non haberem rem cū illa, licèt eſſet vxor mea, atq; debitum peteret.* Ex eodem principio: *Ego vellem rē habere cum tali, ſi non eſſet coniugata*, eſt peccatum mortale, ſed aſſenſus in ſimplicem fornicationem, quia ibi non amatur iniuria. Sic etiam: *Ego vellem rem habere, ſi non eßet peccatum.* non eſt actio mala, quia præciditur tota malitia. Sic ſimiliter de omnibus actibus merè intrinſecis philoſophare: ſumūt enim ſpeciem ab obiecto, ad quod non pertinet circumſtantia, quam eliminat actualis ſuppoſitio.

1027 Hic tamen annotato, actum appetitus materialis non eſſe liberum, & ideo in illo rationem culpæ reperiri non poſſe, hæc enim vnicè conſiſtit in motu libertatis. Vnde non rarò ſcru-

pulosis contingit, credere ſe aſſenſum præbuiſſe cùm generosè reſtituerunt: idcirco operæ pretiũ iudico characteri- con appetitus corporei ampliùs aperire.

1028 Nota primò appetitum ſenſitiuum ſequi obiectum propoſitum à phantaſia, non tamen propoſitum ab intellectu: ſicut è contrario. Voluntas non ſequitur phantaſma, ſed verbum. Ideò ſi cognoueris intellectum nõ operari ſed phantaſiam, ſcias appetendi actum fuiſſe materialem, ac propterea non liberum. Quod ſi phantaſia non operabatur & appetitus reperiatur, ille eſt ſpiritualis, ac perinde liberrimus.

1029. Phantaſia non operatur per ſuppoſitiones & conditiones; non cognoſcit præterita quà talia; non cognoſcit futura, prout futura: & ideò intentio conditionata ſemper eſt ſpiritualis, & libera.

1030 In intentione abſoluta phantaſia non cognoſcit circumſtantias inſenſibiles, puta rationem adulterij, ſacrilegij, &c. & ſic quandò hæ offeruntur, operatur intellectus, & proinde eius pediſequa voluntas. Vix autem intellectus cognoſcit aliquod obiectum, in quo non exprimat aliquam circumſtantiam inſenſibilem, & ſic moraliter non poteſt eſſe æquiuocatio.

1031 Diſtinguitur etiam actus libertatis, ab actu appetitus, quod illi deſpoticè poſſit poni terminus, non iſti.

1032 Prætereà videtur docere experientia, voluntatem reſidere in capite, & appetitum materialem in pectore. Sed hæc notata hic ſint, alibi vberiùs illuſtranda.

1033. *Dico tertiò*, delectationes merè ſpeculatiuas ex ſe non eſſe peccaminoſas. Dixi *ex ſe*, quia cognita ſpeculãtis fragilitate, eſſe poſſent peccaminoſæ ratione periculi alicuius. Sic laudabiliter Doctores, Ethici, Medici, Patres, Sancti peccatorum eſſentias cõtẽplati, adhibuerũt remedia, & documẽta vtilia.

1034 Reſtat delectatio corporea: hæc ſemper eſt mala, quia ex natura ſuá eſt inceptio incontinentiæ. Ideò qui liberè delectatur ſenſualiter, ita vt habeat voluptatem, quæ ſit octaua pars voluptatis completæ, peccabit mortaliter, venialiter tamen, qui minorem.

1035 In hac, ſublato omni periculo, non attendenda eſt temporis duratio, ſed delectationis intentio. Vnde ſi quiſpiam in delectatione leui perſeueret per longum tempus, peccabit venialiter: ſi in graui per breue (ſuppoſito aſſenſu libero, ſine quo nullus condemnatur) mortaliter.

1036 Petrus patiebatur moroſitatẽ quã probabiliter iudicabit leuem, liberè perſeuerauit in illa, quæ tandem continuo augmento facta fuit grauis. Peccauitnè mortaliter? Reſpondeo, ſi illud augmentum fuit cognitum & nihilominùs perſeuerauit liberè, peccauit mortaliter. Quòd ſi ipſe ſe permiſit delectationi paruę quà paruæ, & poſteà per diſtractionem, & inaduertentiam accidit, quod illa creuerit; nõ peccauit mortaliter, niſi rediens ad ſe, liberũ iterum aſſenſum prębuerit. Ratio eſt; quia nullum eſt peccatum, quin volitum, & nihil volitũ, quod non fuerit præcognitũ.

1037 Ioannes permittit ſe moroſitati leui, cum intentione ceſſandi antequam illa ſit magna. Peccatnè mortaliter? Sublato omni periculo, reſpondeo negatiuè. Sed periculum ibi eſt notorium, & vix euitabile. Quod ſi Ioannes cognoſcat aliàs crediddiſſe ſe tali leui moroſitati, & ceſſauiſſe poſtmodum ſine aſſenſu aliquo ſenſualitatis vlterioris, probabiliter iudicare poterit, ſe etiã in præſenti maiori moroſitati non aſſenſurum eſſe. Sed hoc licèt dicatur, eſt ſanè theoricum, ac proptereà vix poſſibile in praxi: quod ſi aliquando accidat in terminis propoſitis, teneat reſolutio explicata.

138 Egimus de delectationibus ſeorſim ſumptis; modò corporeas incorporeis iungamus. Dubitas, vtrùm extrinſecæ

ſecæ ſumant ſpeciem ab intrinſecis, & ſint de obiecto à voluntate propoſito?

1039 Fateor ignorantiam meã. Nũquam intelligere potui, quomodo actus ille moroſus poſſet ſumere ſpeciem ab obiecto amato à voluntate. Ideò ſequi decreui Vazquez *in p.2.to.2. diſp.112. c.2.* Sayrum *in claui reg. l.9.c.7. n.10.* Reginaldum *tom.2.lib.12.c.2.n.13. &* Dianam *de circumſt.aggr. reſ.48.* aſſerentes, tales actus moroſe extrinſecos nullatenus ſumere ſpeciem ab interioribus, quod probabile etiã iudicauit Leſſius *l. 4. c.3. dub.15. n. 123.* Filliucius *tom.2.tract.21.cap.8.n.301. &* Bonacina *de matr. q.4. punct. 8. num. 19.* & poſt ipſos Balæus in florum ſuorũ *pag. 234.* & vbi me citat & defendit. Hos quidem ſequor non eorum authoritati innitens, ſed rationi ſequenti, propter quam, licèt omnes contrarium ſentirẽt, ſecuriſſimè tuerer iſtam ſententiam.

1040 Ratio, quæ me conuincit, hęc eſt. Si actus hi externi ſumerent ſpeciem ab obiecto intrinſecùs propoſito, ſumerent ſanè vel vt à cauſa, vel vt ab effectu, vel vt ab obiecto, vel vt à fine conſequendo: aut determinent ipſi poſſibilem ſpeciem aliam. Atqui nulli vnde ſumunt; Ergo. Probabitur minor per partes.

1041 Si quærimus moroſæ delectationis quà peccaminoſæ directam cauſam, reperiemus eſſe aſſenſum in illam, non aliam: ſed aſſenſus in moroſitatem: diſtinguitur à mentis ſpeculatione, ergo ab hac nullam ſumit ſpeciem, vt à cauſa directa. Non vt à cauſa indirecta; quia indirectæ cauſæ non ſpecificant. Et dato, quod actus ille mentis ſpeculatiuæ repræſentantis pulchritudinem fœminæ, eſſet cauſa directa moroſitatis exterioris, inde ego potiùs deducerem illum ab hac ſpeciem ſumere, quam è contrario: quia in libertate cauſæ continentur directi effectus, non verò in libertate effectuum cauſæ; quia cùm hæ ſint priores, ſunt independentes ab illis; & ſic cauſæ effectibus non ſunt imputabiles: imputantur attamen directi effectus cauſis; cumque moroſitas ex cognitione pulchritudinis indirectè naſcatur, nec hęc imaginatio à moroſitate ſpeciem ſumit, nec ab imaginatione moroſitas.

Cogitationem illam non eſſe effectũ ipſius moroſitatis, eſt euidens: nam frequentiùs eſt prior, & quod ſemel eſt priùs, nunquam eſt effectus; is enim ſemper eſt poſterior propria cauſa: vnde liquet, huiuſcemodi moroſitatem non ſumere ſpeciem ab imaginatione vt ab effectu.

1042 Pręterea, nec ipſa cognitio eſt obiectum moroſitatis; tum quia illa eſt interior, hæc exterior, tum etiam, quia potentia tactus eſt tactiua, & cogitatio non eſt tangibilis.

1043 Nec obiectũ cogitationis eſt obiectum ſenſus extrinſecùs-corporei; quia tactus non ſequitur cogitationem: hic enim ſine illa, & hæc ſine altero reperitur frequentiùs. Vnde ſi contingat illa ſimul operari, eſt per accidens: quia ſicut viſui & auditui contingit per accidens quod ſimul operentur, ita tactui & tali cogitationi eſt accidentale, quod coniungantur, cùm poſſint ſeorſim perſiſtere: vt patet in ſomnis, in quibus ſenſualitas ſæpè excitatur, cogitatio autem & voluntas quieſcunt, ſolumq; operatur phantaſia & appetitus materialis.

1044 Præterea. Tactus non poteſt attingere talis cogitationis obiectum: quia illud eſt abſens, & tactus ſolùm ſentit præſentia. Ergo dicendum eſt tactum percipere qualitatis laſciuæ mollitiem, non verò obiectum intrinſecæ cogitationis.

1045 Tandem ab obiecto illius cogitationis nõ ſumit moroſitas ſpeciem vt à fine, ſi cogitatio ſit merè ſpeculatiua; quia tunc actioni nullus finis proponitur. Neque ſumit ſpeciem à fine, ſi voluntas fuerit inefficax, & conditionata: quia quando videtur finis im-

poſſibilis, tunc nulla ponuntur media à voluntate: atqui conſequutio finis conditionati illo tempore eſt impoſſibilis: ergo pro illo tempore nullum medium poteſt ordinari ad talem finem. Loquamur in ſingulari doctrinę facilioris cauſa. Dices: *Si non eſſet peccatum, haberem rem cum Bertha*. Interim moroſè delectaris, aut incidis in pollutionem: hæc delectatio, hæc pollutio, quomodo hic & nunc eſt medium? Ergo ad finem impoſſibilem: quia copula alienæ ſine peccato tibi eſt impoſſibilis. Sic ſimiliter dicis: *Si non eſſet Monialis*, &c. tibi ille finis eſt impoſſibilis, qui non potes facere eam non eſſe Monialem: ergo eſt impoſſibile, ponere media in talem finem. Quod ſi poſſibile ſit illam non eſse Monialem, tamen per illud medium (hoc eſt per mollitiem) non eſt poſſibile. [Baſæus in Florum ſuorum *pag.* 235. verbo, Delectatio *num.* 12. citat hunc eumdem numerum 1045. & hanc meam opinionem corroborat authoritate Bonacinæ, Azorij, Caietani, Sylu. Filliucij, Laymani, Sanchezij, Nauarri, Reginaldi.]

1046 Poſtremò, in voluntate efficaci abſoluta non poſsum intelligere quomodo mollities ordinari poſsit vt medium ad rem habendam cum Joanna, quia potiùs ordinatur ad non habendam: nam per pollutionem deciditur, illud, quod per copulam Joannæ deberet communicari.

1047 Ex his patet, moroſas has extrinſecas delectationes nullatenùs ſumere ſpeciem ab actibus intrinſecis, & eſse omnes in genere pollutionis inceptæ, & non completæ: vbi obiter minùs acutè video proceſſiſſe Dianã qui (*reſol.*48. §. *Hæc opinio tract. de circumſcript. aggr.*) dicit moroſitatẽ non differre à ſimplici fornicatione: quia hæc petit mulierem realiter, non mente conceptam; & moroſitas poteſt eſse decõcepta muliere, vel viro. Vnde dicendum eſt, dari duos independentes actus in voluntate: alium, aſsenſum in talem moroſitatem, & hunc eſse peccatum graue aut leue penes delectationis grauitatem aut leuitatem: alium eſse ſpeculationem aut intentionem, & eſse bonum aut malum ſecundùm obiectum ſuum, independenter ab omni genere moroſitatis: ideo quoad Deum idem eſt hos actus eſse ſimul, & vnum eſse hodie, alium anno ſequenti.

1048 Ex ijs patet, ſufficienter ſe explicare in confeſſione, qui dixerit: Moroſè (grauiter, aut leuiter) fui delectatus; quia in actu exteriori nulla relucet obiecti mente concepti circumſtantia.

Poſteà examinet actus merè ſpirituales, & videat an præbuerit aſsenſum obiecto vetito, & ſic illos explicet, iuxta ea quæ in principio de actibus ſpeculatiuis, & practicis diſseruimus.

Satisfit argumento, quod in principio ponebatur, ad probandum moroſas delectationes non eſſe peccata mortalia.

1049 Iam igitur ad rationẽ pro parte contraria militantem nego paritatem paritatem; quia laſciua moroſitas eſt inchoatio pollutionis, teſte Galeno citato à Diana *p.*3.*tract.*5.*reſol.*1. & probatur; quia ſi moroſitas perſeuerat & creſcat, tandem ſemen decidet; ergo delectari ſenſualiter, eſt incipere ſemen mouere. Delectatio autem quæ capitur ex carnibus conceptis die Veneris, non eſt inchoatio comeſtionis; quia licèt hęc delectatio creſcat & perſeueret, carnes illas non comedet: ergo eſt ſumma diſparitas in caſu vtroque. Eodem modo de ægro philoſophor; videre enim aquas & alios hilariter bibẽtes, nec non cogitare & ſupponere ſe oceanos illimitatos bibere, nõ eſt idem ac incipere bibere; quoniã cogitatio huiuſcemodi nunquã erit ſufficiẽs, vt ex vi talis delectationis hauſtus ille mortifer bibatur.

Qui moroſè delectatur de cibo illicito, aut

tò, aut de potu cũ intentione nõ bibendi, habet delectationem ſpeculatiuã, quę conſiſtit in mente, non in guſtu. Ideò hæc delectatio non eſt peccaminoſa. *Vide num.* 1033. Quando moroſè delectaris de concepta muliere, qua vti non vis, examina vtrùm illa moroſitas conſiſtat in intellectu, & ſit merè ſpeculatiua; ſi talis ſit, eodem modo de illa ac de cibo aut potu cogitatis philoſophare. Sed ſæpiùs contingit moroſitatem hanc in tactu conſiſtere, & qui aſsenſum huic præbet, conſentit in pollutionem inchoatam; quæ ſi ſit grauiter inchoata, erit peccatum mortale. Et cùm agimus de moroſis delectationibus, de illis, quę in ſenſu exteriori conſiſtunt, diſputamus.

Aliquot Reſolutiones appendices.

1050. I. Petrus ratione contemplatrice ideat diuerſas mulieres diuerſorum ſtatuum, vt illarum obiecto excitetur ad rem habendam cum vxore propria. Reſpondeo, eum non peccaſſe; nam iſta omnia non ſunt illicita, quia in intellectu ſpeculatiuo non datur peccatum, & finis erat licitus.

II. Ioannes ſpeculatiuè proponebat ſibi varia obiecta, vt maiorem delectationem haberet in mollitie: quomodo peccauit? Reperio tria conſideratione digna: finem, entitatem medij, & ordinationem medij ad finem. Finis eſt delectabilior pollutio, non mutat ſpeciem maior aut minor delectatio: & ideo non eſt opus in confeſſione hanc circumſtantiam aperire. Entitas medij erat licita, quia eſt actus ſpeculatiuus, qui nullo modo interdicitur. Ordinatio medii ad finem eſt mala, ſed malitia finis; quia ſicut materia exiſtit exiſtentia formæ in ſententia probabili, ita etiam in eadem medium, ſi aliàs indifferens, inficitur non propria, ſed malitia finis. Ideo in confeſſione dicat. *Commiſi mollitiem*. & ſufficit.

III. Quidam furabatur vt mœcharetur. Veniens ad confeſſionem dixit: Furatus ſum toties; toties mœchatus, & ſubticuit ordinem furti ad mœchiam. Dubitas, vtrùm ſufficienter ſe explicuerit. Reſpondeo affirmatiuè: ita etiam Diana, *in tract. de circumſt. aggr. reſ.* 23. vbi citat & ſequitur alios authores. Ratio eſt manifeſta; quia licèt illud furtum habeat malitiam fornicationis, non tamen habet malitiam fornicationis diſtinctam à malitia finis; eſt etenim malum malitia propria in genere furti, & malitia finis in genere luxuriæ: & ideò pœnitens explicuit omnes circumſtantias mutantes ſpeciem: omiſit vnius circumſtantiæ aggrauantem extenſionem in eadem ſpecie, quam non tenebatur explicare.

IV. Quiſpiam Monachus intentione conditionata eliciebat hunc aſsenſum: *Rem haberem cum Ioanna, ſi eſſet vxor mea.* interim liberè delectabatur. Conſulis, qualiter peccauerit. * Reſpõdeo in ſpeculatione eum non peccaſſe: peccaſſe aſſero in moroſitate iuxta ipſius intentionem: vnde, ſi moroſitas fuit magna, mortaliter: quia licet conditionato aſſenſu non velit habere rem illicitam cùm tali fœmina: abſoluto alio efficaci concomitante vult habere delectationem moroſam, quæ ipſi eſt interdicta. Vtrùm in tali delectatione peccet contra votum, dixi ſuprà.

V. Caius, vtilis aut inutilis ſpeculationis gratia, concipit mente magnam mulieris pulchritudinem, modum aliquem peccandi, aut aliquod obiectum ſenſuale, ita vt intendat merè illud ſpeculari: interim contra voluntatem ipſius ſenſus moroſè excitatur, & renitente voluntate polluitur: rogas, vtrùm talis peccauerit? videtur quod ſic: nam potuiſset ceſsare ab illa cogitatione, & ſic non pollueretur. ¶ Reſpond. tamen eum non peccaſse, ſi non præbuit aſſenſum in pollutionem, nec ſe expoſuit aſſentiẽdi periculo. Ratio eſt: quia

quia cogitatio non eſt cauſa *per ſe* illius pollutionis: & ideò qui vult cogitationem expreſsè & directè, non videtur velle implicitè, & indirectè pollutionem, quæ in tali cogitatione nullatenus vt in principio continetur, ſed potiùs ſubſequitur per accidens. Et ſic in ſimilibus philoſophare.

DISPVTATIO LXVIII.

De ſomnijs.

1051 Angit ſæpe indoctiores dæmon illuſionibus varijs in ſomnio, vt inquietè vacillent excitati: aliàs iſta noctis phantaſmata prouenuint à ſpecierum confuſa alteratione. Reexaminata non reperitur libera atq; directa illorum cauſa. Non eſt cauſa directa nocturnæ pollutionis, calidarum rerum comeſtio; quia hæc vt plurimùm poſſet ſuperfluitates generare, non tamen directè decidere. Eodem modo ebrietas non ordinatur ex natura ſua ad deciſionem ſeminis nocturnam.

Addo (& hoc examinanti non erit mirum) tactus, oſcula, & cogitationes turpes, moroſaſque delectationes, licèt ſint peccata mortalia, non eſſe cauſam directam nocturnæ pollutionis. Ita Sâcius *in ſuis ſelectis. diſp. 1. num. 15. & diſp. 23. num. 29.* Ratio huius authoris eſt efficaciſſima. Quia quæcumq; cauſa eſt potentior atque actiuior, quando eſt præſens, quàm quando eſt abſens: Atqui moroſitas delectationis, tactus, oſcula, non cauſauerunt pollutionem dum eſſent præſentia: ergo multò minùs abſentia poterunt cauſare.

Ex ijs patet, pollutionem præuiſam in ſomnis ſed non volitam, licèt procedat à cauſa mortaliter peccaminoſa, in genere luxuriæ non eſſe peccatum mortale: ratio eſt; quia non amatur in ſe, vt ſupponitur; non amatur in cauſa, quia nulla datur directa talis pollutionis.

1051 *b* Rogas, vtrùm aliquo modo poſſit amari ſine peccato. Reſpondeo affirmatiuè. Quia omnia quæ non ſunt mala, poſſunt amari à voluntate ſine peccato, quà non mala: quia peccatum eſt actus circa obiectum malum moraliter: ergo quis vetet te deſiderare habere talem pollutionem nocturnam, eo modo quo ipſa non eſt peccatum? Clariùs, quis vetet te appetere illam habere, vt habetur quando non eſt peccatum? haberi enim aliquando ſine peccato, certum eſt in omnium opinione. Imò poterit huic deſiderio imponi finis bonus: vt ſi quis deſideret humores ſuperfluos ſine actu libertatis decidi, vt meliùs poſſit ſeruare caſtitatem. Quia ſi in pollutione ſine libertate non eſt peccatum, & talis conducit ad facilio-rem caſtimoniam, cur non poterit aliquis ſine culpa rem non malam in finem bonum exoptare? Ita reſoluit Diana *part. 3. tract. 5. reſol. 87.* vbi & citat Sanchez, Sancium, Tannerum, Villalobos, Filliucium, Reginaldum, Ioannem de la Cruz, Laymanum, Granadum, & Fernandez. Quibus adde Iacobum de Grafiis à Capua, qui *in Deciſionum Aurearum lib. 2. cap. 87. num. 12.* ſic inquit: *Deſiderare vt ſibi dormiente illa* (pollutio) *contingat, quò leuetur natura per ſolam viam naturalem, non eſt peccatum mortale: dummodò non procuretur, nec ad id vllam cauſam præbeat, qui eam cupit.* & citat Nauarrum

rum cap.16.num.17.poſt medium, Sylueſtrum, Angelum, & Caietanum.

1051 *c* Sic ſimiliter non condemnaueris eum qui die ieiunij diceret: Vtinam comediſſem aliquid ex obliuione naturali inculpabili, vt faciliùs poſsem ſeruare formam ieiunij Eccleſiaſtici! Quia is nihil mali deſiderat: comeſtio enim ex obliuione, aut inaduertentia inculpabili non eſt mala, atque ideo poteſt ſine peccato amari.

1051 *d* Non ſecùs, ſi adderet: Vtinam haberem ignorātiam inuincibilem talis præcepti humani, vt liberè poſſem hoc facere! Quia non eſt peccatum habere ignorantiam inuincibilem, nec eſt peccatum, agere contra legem humanam ex inuincibili ignorantia.

DISPVTATIO LXIX.

Vtrùm in rebus Venereis detur materiæ paruitas.

1052 REducunt ad dubium aliqui rem certam & claram; qui, quantum capio, verbis ſolùm diſcrepant à vera ſententia. Aliud eſt inquirere, an in fornicatione detur materia parua: aliud & omninò diuerſum, an in re venerea. Sanè in fornicatione materia parua dari nequit: quoniam quæcumque fornicatio, licèt parua ſit, grauis eſt: nec de hoc quiſquam mortalium dubitat. Sic ſimiliter dicere poſſemus: non dari paruitatem materiæ in homicidio: quoniam qualecumque homicidium, mortiferum peccatum eſt. Non aliter in genere blaſphemiæ nihil leue reperire quis poterit. Et, vt vniuerſaliùs loquar, idem eſt ac ſi diceremus, non dari materiam leuem in genere peccati mortalis: quidquid enim culpa mortalis eſt, grauis etiam materia eſt.

1052 *b* Quæſtio igitur eſt, Vtrùm in re Venerea detur materia parua: hoc eſt, Vtrùm ſit dabilis aliqua ſenſualis delectatio, quæ ita ſit leuis, vt ex ſe non inferat peccatum graue.

Conſultò *ex ſe* dixi: quia licèt contingeret nullum dari delectationem moroſam ſine culpa mortali, non ſtatim veniret materiæ paruitas deneganda: moroſitas enim, quæ ex ſe eſſet leuis, poſſet cenſeri grauis, ratione periculi, aut alterius circumſtantiæ adiacentis. Conſiderata ergo moroſitate venerea ſecundùm ſe, peto, Vtrùm aliquando aut ſit, aut poſſit eſſe leuis?

Negatiuam ſententiam nunquam intelligere potui, nec illam auderem contra mediocriter doctos propugnare. Eam vidi aliquoties defendi, nunquam bene: ideo ſubſcribo Sancio *de matrimon.lib.9.diſp.46. numer.9. 27. &* 40. Zanardo *in direct.Confeſſ.par.1.de Sacram.matrim.cap.41.quæſt.*28. Salas *in 1.2.diſput.6.ſect.21.num.*141. Villalobos *in ſumm.tom.2.tractat.40.dub.9. numer.*8. Maldero *in 1.2.qu.74.art.*10. Quibus etiam fauere videntur Seraphimus Freitas *in addit. ad tract. de Confeſs.ſolicit.quæſt.7. num.*33. Sancius *in ſelectis diſp.11.nu.*12. Miranda *in Manualis Prælatorum Regularium, quæſt. 28.art.17. concl.*1. vbi in omnibus rebus excepto iuramento aſſertiuo reperit materiam leuem, & ait, *Certiſſimum eſt* (nonne conſtanti animo & ſine aliqua formidinis ſpecie loquitur?) *quod*

In omni materia, excepto, periurio, paruitas materiæ excuſat à peccato mortali. Ergo etiam in venerea, hæc enim periurium non eſt. & vt probet, ſubiungit. *Hæc Concluſio eſt communis omnium Theologorum reſolutio cum D. Thoma 2.2.quæſt.88.art.5. & 6. & 2.2.quæſt.59.art.4. & quæſt.66.artic.6. Eſt etiam communis reſolutio Iuriſperitorum ſuper c. vnum. d.25. & c.etſi. de ſimonia. & l.ſcio. de reſtitutione in integrum*. Citari etiam poteſt Marchantius *in quæſtionibus Paſtoral. ad Decalogum cap.6. qu.2.* Sed & D. Antoninus Diana pro ſua in mea ſcripta beneuolentia nonnullos mihi in ſuis litteris Authores ſuggeſſit, quos addam cum meas chartas recognoſcere poſſim. Dabo tamen doctiſſimum Patrem Baſæum, qui *in Florib. verb. Impudicitia pag.372.num.7.* b citauerat me *in Commentarij huius diſp.69.num.1052.* aitque. *Inter hos* (non coniugatos) *etſi* (oſcula) *non ſint cenſenda peccata mortalia, tamen increpandi ſunt, qui hoc faciunt, tanquam operis arguentis animum nimis mollem & libidini deditum*. Et Syluium 2. 2. *quæſt.154. art.4. concluſ.6.* etiam pro ſua ſententia adlegat. Sed & verb. *Peccatum I. nu.7. pag. 520.* ſic infit. *An in rebus venereis detur paruitas materiæ excuſans à mortali? Affirmant Sanch. de matrim. lib. 9. diſp.46. num.9. Nauarrus prælud.9. num.12. Clau. Regia lib.8. cap. 6. num. 2. Salas 1.2.d.6. ſect.21. nu.149. Vazqu. 1.2. diſp.108. num.3. P. Soto de doctr. fol.26. & hanc ſententiam probabilem ſpeculatiuè docet Malderus, quia ſi in cæteris datur materiæ paruitas, cur non in hoc? Quidquid ſit de ſpeculatiua probabilitate huius ſententiæ, negatiua eſt ſuſtinenda vt communior, & tutior in praxi. Sanè pro maiori huius quæſtionis elucidatione non grauabor hic apponere verba docti D. Ioannis Caramuel in Comment. in Regul. Bened. diſput.69. & 70. Leuis tactus* (verba mea habes in ſuo loco) & *paulò ſuperiùs* (num.1053.b.) *fatetur idem author* (nempe Caramuel) *periculoſum eſſe aſſerere dari materiam paruam, quia* (inquit) *qui putat hanc vel illam actionem ſenſualem eſſe leuem, dum illam elicit, ſæpe ſe exponit periculo vlteriori, & cet.* Hucuſque Baſæus, qui cum ſuam opinionem communiorem & tutiorem nominet, dicendus omnino eſt noſtram dicere communem & tutam. Conſtat igitur ex præmiſſis Authorum teſtimoniis dari laſciuas actiones, quæ ſint leues.

1052 c Probatur primò à pari. In cæteris præceptis datur materia parua: ergo etiam in præcepto continentiæ.

Das diſparitatis rationem, quòd fragilitas humana ſit maxima, & periculum videatur euidens. Sed hæc ratio nec eſt vera, nec ſufficiens. Sanè non vera: quoniam non video, cur non poſſit Petrus leuiter fœminæ pedem pede comprimere; quin ſe exponat euidenti periculo conſenſus in vlteriorem actũ. Quis credat non eſſe poſſibile quod Paulus ex leui & ſenſuali curioſitate adſpiciat tranſeuntem fœminam, quin velit vlteriùs progredi, & liberiùs peccare? Præterea eſto, detur tale periculum concomitans, quod reuera non datur. Eſto, non poſſis digitum mulieris ſtringere vel leuiter, ſine periculo euidenti conſenſus: an ideo neganda eſſet materia parua? minimè. Sanè dicendum eſſet, letem tactum habere duas malitias diſtinctas, alteram intrinſecam, alteram extrinſecam. Intrinſeca eſſet malitia leuis, vtpote quæ ſumeretur ab actus quantitate, quæ reuera eſt leuis: extrinſeca eſſet grauis, quoniam ſumeretur à periculo, quod ſupponitur euidens & graue. *Euidens* dixi; non enim eſt proximum ſi ſit probabile: quoniam ſi illud probabiliter ſubſit, probabiliter etiam non ſubeſt.

1052 d Probatio ſecundò. Non poteſt

teſt eſſe intrinſecè materia grauis moraliter, quæ entitatiuè eſt parua: atqui poteſt dari commotio venerea, quæ entitatiuè ſit parua: ergo poteſt dari ſenſualitas, quæ ſit materia parua. Maior eſt vera: Leges enim non poſsunt obligare grauiter, ſi materia ſit leuis, vt probaui *num.41.* Minorem efficaciter probo. Datur commotio venerea grauis, datur & inſenſibilis: ergo poterit dari talis, quæ ſit inſenſibili maior, & graui minor. Patet conſequentia: nam datis duobus extremis, etiam media debent deſignari. Quod dentur commotiones venereę inſenſibiles conſtat clariſſimè. *Primò*, quia contingit quempiam aliquando ſine aduertentia habere aliquam humectatem: hæc autem inſenſibiliter ſtillat, quæ ſine commotione venerea ſtillare non poteſt: ergo datur venerea commotio, quæ ſit verè inſenſibilis. *Secundò*, Galenus *in Medicinali arte*, cui ſubſcribunt Ioannes Argenterius *comm.1.pag.mihi* 110. Nicolaus Bieſius *ibidem à pag.* 14. *ad* 29. diſtinguit inter corpus ſanum & neutrum. Neutrum in tertio modo, idem eſt quod ægrotum medicè. Morbum medicum dicunt humorum deordinationem tam leuem, quæ ab ægro percipi non poſſit. Tali morbo laborant vniuerſi aliquibus diebus antequam infirmentur grauiter. Senſibilem morbum illum appellant, qui eſt quantitatis ſenſibus proportionatę: habent enim ſenſitiuæ potentiæ ſuos terminos magnitudinis & paruitatis. Vtrumque morbum poſſemus diffinire ſic: Morbus medicus, ſeu neutrius corporis ille eſt, qui ſubiacet ſpeculationi Medicæ & non praxi, quoniam ab ægro non percipitur quando eſt, ſed innoteſcit à poſteriori grauior factus. Morbus ſenſibilis ille dicitur, qui à dolente percipitur quando eſt, & ſubeſt medicinæ praxi. Ex qua doctrina arguo ſic. Magis ſenſibilis eſt dolor quàm luxuries: atqui dantur dolores medici, hoc eſt inſenſibiles: ergo in re venerea dabuntur etiam commotiones medicæ, quæ ſenſu percipi non poſſint. Maiorem probat luxuriæ ipſa moroſitas, quę tarda eſt & quodammodo doloris antipes: is namque eſt viuax, acutus & celer: tactum luxuries moroſè afficit, quem dolor acutè & celeriter pungit: vnde vix videmus dormientes à luxurie excitari, dolentes econtrà vix quieſcere & dormire. Verùm.

1052 *e* Admittis dari commotionem veneream inſenſibilem, & nihilominus negas dari materiam parnam; quia commotio medica ſeu inſenſibilis, non iam parua ſed materia nulla eſt, quidquid autem laſciuum & ſenſibile ſit, erit materia magna.

Concedo commotiones medicas ſeu inſenſibiles non eſſe culpabiles venialiter: illud autem quod ſubſumitur, gratis aſſeritur. Quia ſi dolor medicus augeretur ſucceſſiuè & continuè, quouſquè eſſet dolor magnus: debuiſſet neceſſariò priùs fuiſſe paruus quàm magnus: ergo ſimiliter, ſi commotio venerea medica continuè creſcat & fiat magna, fuiſſe paruam: ergo impoſſibile eſt negare leuem quantitatem.

1052 *f* Reſolutioni noſtræ refragantur aliqui, quorum fundamentis eſt ſatisfaciendum. *Primò* dicunt ſententiam hanc non eſſe probabilem: quoniam, ſi talis eſſet, non deberet à quopiam docto interdici. Atqui Claudius Aquauiua iuſſit Societatis Theologis, docerent non dari in re venerea quantitatem paruam: ſententia ergo contraria non eſt probabilis.

Reſpondeo negando maiorem; nam opiniones probabiles interdici poſſunt, & ſolent laudabiliter, cùm cauſa exigit. Virginem v. c. cum peccato conceptam fuiſſe, probabile eſt: ſed defendi non poteſt, ob rationes & cauſas legitimas, quibus ductus decreuit Pontifex, vt ſententia benignior doceretur & defenderetur; ergo ſimiliter aliæ opinio-

nes, licèt probabiles ſint, proſcribi poſſunt. Quid ſi etiam Aquauiua non condemnet materiæ paruitatem in re venerea, ſed in fornicatione? Hoc examinent quibus vacat, & quorum intereſt.

1053 Dices, malè pro mea ſententia citari Sancium: is enim author ea, quæ priùs leuiter dixerat, re meliùs expenſa retractauit *in ſumm. tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 12.*

Reſpondeo, huius ſententiæ probabilitatem non pendere à reſolutione Sancij: nam, vt vidimus, à multis præter Sancium defenditur. Sed neq; Sancius dicendus eſt ſententiam priorem retractaſse: illam enim tenuit dum liberè ſcripſit: contrariam autem non ob rationem aliquam ſolidiorem, ſed præcepto Generalis coactus *in ſum. tom. 2.* amplexus eſt. Retractationes Sancij docti iudicant ab alio factas. Beyerlinckius *verbo. Mollities* §. *Quid ſit.* [*Non defuerunt*, ait, *qui ob ſanitatem ſieri abſque graui peccato poſſe docuerint. Adſcribitur hæc ſententia Thomæ Sanchez in tract. de Matrimon. in prima illius editione: at in poſterioribus videtur Auctor, aut alius eius nomine ſententiam ſuam hic retractaſſe, & communem aliorum amplexum eſſe.*] Ecce dubitat, an Sancius, an alius opiniones primę editionis immutauerit.

1053 *b* Inſtas iterum: Diana Vir doctiſſimus edidit reſolutiones benigniſſimas, nihilominus *part. 3. tract. 5. reſolut. 1.* putat periculum eſſe, aſſerere dari in re venerea paruam & leuem quantitatem.

Dabo duas ſolutiones. Prima Dianam ſexcenties admittere quantitatem leuem in materia venerea, ſemel aut iterum negare. Sumus optimi amici, & ſuis me ſæpe honorat litteris, & meas libenter legit: at quia ſemel ſcripſerat, multis Romanis hanc opinionem diſplicere, ſed à ſe licet contra ſe in mei gratiam aliquando verbis puris defendi, reſcripſi epiſtolam, quam inter alias dabo ſpeciali volumine, quod *Epiſtolæ Morales* inſcribetur. Agi in illa ipſi gratias debitas, illamque non meam ſolùm ſed & ſuam eſſe opinionem probaui teſtimonijs clariſſimis. Totam ſubſtruxi hoc ſyllogiſmo: Vbicumque datur veniale, quod conſenſus ſemipleni ratione non excuſatur, ponitur leuitas materiæ: At Diana in re venerea ſexcenties admittit peccata venialia, quæ ob ſemiplenum aſſenſum non excuſat: ergo ille ſexcenties admittit materiam paruam in re venerea. Et minorem eiuſdem teſtimonia demonſtrant. Hæc dicta ſint, vt oſtendatur Dianā nobiſcum conſentire, quem ſtudioſus Lector legat & accuratè examinet.

Secunda ſit, quòd non conceſso ſed condonato nobis Dianam eſse contrarium, eius ingenium venereor: eius industria multas opiniones euaſiſſe probabiles, quæ antea non erant, aſsero: vocoque inuidum, qui non confirmet. Addo tamen, eum tametſi magnum, vnum Authorem eſſe: nec ipſius, nec Tanneri, Caſtri, Baſilij, Pontij, Leſſij, Rebellij, & Aquauiuæ authoritatem tantam, vt ob illam contraria pars non iudicetur probabilior, &, ſi rationem conſulamus, certa. Periculoſum eſt, ait Diana, aſſerere dari materiam paruam. Fateor: [quia qui putat hanc vel illam actionem ſenſualem eſſe leuem dum illam elicit, ſæpe ſe exponit periculo vlteriori: vnde, ſi hoc ſit alterius rei etiam leuis, erit remotum: non enim datur proximum, ſi materia ſit parua, vt inferiùs videbimus: ſi periculum ſit euidens & rei grauis, erit peccatum mortale:] ideo doctiſſimè Malderus docet, ſpeculatiuè poſſe admitti materiam paruam, practicè autem (hoc eſt ratione periculi frequenter imminentis) non poſse: nam actio ex ſua natura leuis, poterit eſſe peccaminoſa grauiter, ſi grauiter ſit periculoſa. Ego autem loquor de malitia intrinſeca actionum, omni

omni alio periculo præciſo. [illa verba] parentheſi quadrata clauſa, nimirum à *quia* ad *mortale*, citantur laudanturque à Baſço *in Flor. verb. Peccatum 1. pag. 520. num. 7.*

A ratione argumentaris ſic. Nulla eſt tam parua fornicatio, quæ non ſit peccatum mortale: ergo nulla eſt tam parua delectatio laſciua, quæ non ſit culpa grauis. Probat Filliucius conſequentiam; Quia delectatio ſortitur morem actus, atqui actus eſt mortiferè peccaminoſus: ergo & quæcumq; delectatio.

Negata prima conſequentia, ad Filliucij probationem reſpondeo diſtinguendo maiorem. Delectatio leuis ſortitur morem actus, nego: grauis, concedo. Concedo ſubſumptam minorem: & eodem prorſus modo diſtinguo conſequens. Si Filliucius agat de delectatione graui, concedo: ſi de leui, nego.

1054 Arguis iterum. Omnis delectatio venerea ſecundùm Galenum eſt inchoatio quædam pollutionis: atqui omnis actus inchoatus pollutionis eſt mortalis; ergo quæcumque delectatio.

Reſp. diſtinguendo. Omnis delectatio venerea eſt pollutionis inchoatio remota vel proxima, leuis vel grauis, parua vel magna, concedo: eſt ſemper inchoatio proxima, grauis & magna: nego. Similiter, omnis actus pollutionis, qui grauiter eſt inchoatus, erit peccatum mortale: non autem qui fuerit inchoatus leuiter. Vnde ſequitur, quamcumque delectationem grauem, eſſe mortaliter peccaminoſam: non quamcumque leuem. Et verò, ſi hæc ratio eſſet efficax, nec egeret diſtinctione, etiã ſequens eſſet demonſtratiua, Vnus hauſtus vini eſt principium ebrietatis, omnis enim ebrietas incipit ab vno hauſtu; atqui ebrietas eſt peccatum mortale: ergo & vnus hauſtus. NOTA. Dari in rebus venereis materiæ paruitatem, aſſerui: ſed petis; quænam ſint actiones illæ laſciuæ, quæ cenſeantur leues.

1055 Aliqui aſſerunt manuum leuem contactum, pedis impulſum, oſculum, & ſimilia, ſublato vlteriori periculo, non eſſe grauia. Ego à delectationis quantitate culpæ magnitudinem metior, & ex meis principijs ſic philoſophor. Illa delectatio, qua octies maior ſufficeret ſemen decidere, eſt grauis, & mortaliter peccaminoſa; quæcumque ea minor, eſt leuis. Patet; quia ex meis principijs, quæ ſuperiùs efficaciſſimè probaui, completi operis octaua pars eſt materia minima peccati grauis. Ergò delectatio, quę eſt minor octaua parte delectationis completæ (ni aliud periculum ſubſit) erit culpa venialis. Delectationem completam eam dico quę ſemen decideret, ſi remaneret.

Petis ſecundò, Vtrùm in re venerea debeat admitti etiam materia nulla; nempe quæ phyſicè ſit aliquid, & prudentum opinione nihil.

Reſpondeo affirmatiuè. Quia commotio medica, quamdiu inſenſibilis remanet, verè & realiter commotio venerea eſt; ſed, ſicut nec leuiter ſenſibilis eſt, ita nec leuiter peccaminoſa.

Præter commotiones medicas aut inſenſibiles, etiam aſſero ſenſibilem, quæ ſit minor ſexageſima-quarta parte completę delectationis, eſſe materiam nullam; nempe moroſitatem illam, quæ moraliter eſt inſenſibilis. Probatur; quoniam non eſt cenſenda moraliter interdicta delectatio illa, quæ moraliter loquendo nec percipi nec cognoſci poteſt.

Pono calamum monens doctum & pium lectorem me ſemper loqui de delectatione ipſa parua à periculo incrementi & conſenſus vlterioris præciſa, quia vbi datur conſentiendi in rem grauem, proximum & indubitatum periculum centies dixi non abeſſe peccatum mortale.

DI-

DISPVTATIO LXX.

De periculo proximo.

1056 NOlo finem imponere huic materiæ, quin aliquid de periculo proximo dicam, ad tollendos imperitiorum ſcrupulos.

Primò, periculum, vt cenſeatur proximum, debet eſſe euidens phyſicè aut moraliter; ſi enim tantùm ſit probabile, periculum morale non eſt; nam probabiliter etiam cenſere poteris, periculum nullum ſubeſſe. Rationes euidentes aſſenſum prædeterminant; ſi ſint merè probabiles, mentem non cogunt, ſed opinio eligenda committitur opinioni voluntatis.

Secundò, materia debet eſſe grauis; nulla enim euidentia poteſt dari phyſica aut moralis, ſi materia ſit leuis. Ratio eſt; quia materia leuis nunquam tam tyrannicè prædominatur voluntati. Ideò fur faciliùs abſtinebit à furto vnius quadrantis, quàm à furto millium ſcutorum. [Hanc periodum ad litteram tranſcripſit Balaus in ſuos Flores, mihi *pag.* 520.1.]

Si iueris ad talem domum decies, & quinquies peccaueris & quinquies non peccaueris, eſt probabile, ſi reuertaris, te peccaturum eſſe, & eſt æquè probabile te non peccaturum eſſe. Ergo non eſt periculum proximum.

At ſi toties cecideris, vt improbabile videtur, quòd fortiter veſtiturus ſit, & moraliter certum, quòd cades; peccabis omnino, ſi illi te periculo exponas.

Periculum cognoſcitur ab experientia; quod & optimè notauit Suarius *de charit. diſp. 9. ſect. 2. num.* 8. vbi ſic ait; *Periculum eſt in determinata materia, in qua aliquis fragilem ſe expertus eſt.* Examinare enim, vtrùm periculum ſit proximum, nihil eſt aliud, quàm conſulere experientiam, & videre vtrùm tuæ futuræ conſtantiæ faueat grauis experientia; illa dicenda eſt grauis, quàm non vincit alia pluſquam ſeptuplò maior; & hoc cæteris paribus.

Quid ſi mutentur circumſtantiæ? tollitur periculum proximum, ſi non poſſit iudicium ſumi ab experientia; puta, ſi octies ſolus iueris ad domum talem, & ſemper fueris lapſus, & velis eò reuerti cum ſocio prudenti & modeſto, credo iam te non exponi euidenti & proximo periculo; quoniam qui certo-moraliter ſciebas te peccaturum eſſe, ſi ſolus *ires*; nondum certò noſti quid ſis facturus præſenti tali ſocio, & ideò, quoaduſque experiaris, pro te ferre fauorabilem ſententiam potes.

1057 Hinc lux obſcuriſſimis difficultatibus. Dubitant aliqui, An Chirurgus expertus ſe, dum inhoneſtis partibus corporis medetur, in pollutionem conſentire; An Parochus, qui audiens confeſſiones, voluptate allicitur & obiectis turpibus aſſenſum præbet; An, inquam, debeant ab illis actionibus abſtinere; an contra illos effulminetur illa ſententia rigidiſſima. Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Cæterùm, Authores valdè confusè hoc tractant, ex quorum fundamentis nec prudenter aſſerere, nec etiam negare poſſumus.

Caſtrus Palaus *in opere morali tomo 1. tract. 3. diſputat. 2. punct. 9. §. 3. num. 11. & 13.* ſic ait: *Chirurgus poteſt verenda fœminæ curare cum periculo conſenſus, nec Parochus eſt obligatus deſerere officium, etſi experiatur ſe voluntariè pollui occaſione deſumpta ex auditis in confeſſione: ſufficit enim ſi pro-*

proponat amplius non conſentire. Ex his verbis collige, non agi de ſentiendi periculo, ſed de periculo conſentiendi: non enim eſt crimen ſentire, ſed conſentire.

Addidi illud, *niſi mutatis circumſtantijs*: quoniam his mutatis, omnia mutari neceſſum eſt. In caſu poſito Chirurgus indifferẽter ſe habebat cùm à laborantibus accerſeretur, hoc eſt, nulla præuia diſpoſitione aut intentione non-peccandi accedebat. Sedecim vicibus medicatus eſt, ex quibus tantùm ſemel ſe continuit & non præbuit aſſenſum. Dico, illum non poſſe reuerti manentibus ijſdem circumſtantijs, hoc eſt, non poſſe reuerti ſine diſpoſitione præuia & intentione non peccandi. Quod ſi proponat ampliùs non conſentire, hoc propoſitum fortificat eius voluntatem & timorem eliminat: non enim euidenter ſequitur, voluntatem fortem & præmunitam eſſe in proximo & certo periculo, in quo erat cùm debilis eſſet. Periculi quantitas, non abſoluta ſed relatiua eſt: obiectum enim, quod hunc tyrannicè abripit, illum remiſsè adlicit, & alterum fortaſsè fugat. Eſſes in periculo proximo, ſi mulierem in tuo lecto permitteres. Permiſit Bernardus, & ſollicitantem hoc modo confudit. Dormiebat caſtiſſimus adoleſcens, cùm puella eius amore capta, inſidias ſtrueret virginitati: noctis ſilentio audentior reddita lectum ingreditur, excitatus cognoſcit fraudem, ſe profundè dormire ſimulat, & remanet in lecto tanquam lapis. Ecce voluntatis fortis miracula: ſicut ergo credendum non eſt, pericula omnibus eſſe æqualia; ſic nec cenſenda ſunt æqualia vni & eidem diuerſimodè diſpoſito. Non igitur condemnandus eſt ille Chirurgus, qui nondum expertus eſt, vtrùm adhibito propoſito reſiſtendi ſit peccaturus.

Quid ſi adhuc cum voluntate fortificata vt quatuor, nempe frequenſa propoſito non peccandi intenſo vt quatuor, ſemper peccauerit? Debet aut non reuerti, aut voluntatem ſuam adhuc intenſiùs præmunire.

Sancius *in ſelectis diſput.* 21. *num.* 9. hanc quæſtionem tractat, & admittit hanc voluntatis fortificationem excuſantem à culpa: quoniam, poſito non-peccandi propoſito intenſiori, periculum euidens non eſt, & ideò non debet dici voluntarium.

Villalobos *in ſum. tom.* 2. *tract.* 40. *diff.* 16. *n.* 5. Megala *in* 1. *p. lib.* 4. *cap.* 4. *nu.* 6. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *n.* 98. Ioannes de la Cruz *in directorio conſc. part.* 1. *præc.* 6. *art.* 8. *dub.* 9. *concl.* 2. & alij quos ſequitur Diana *p.* 3. *trac.* 5. *reſol.* 3. malè citantur pro ſententia contraria, quod clarè conuincitur ex eorum principijs ſuppoſitiſque fundamentis. Dabo rationem, quam ex omnib. collegit Diana. Ob nullam rem poteſt quis ſe exponere formali periculo peccandi, nam qui amat periculum, peribit in illo. *Eccl. c.* 3.

Ex hac ratione, cuius vtramque propoſitionem admitto, conſtat, eos ſolùm dicere nemini licere ſe exponere formali periculo: vnde exactè definiunt non eſſe proximum, quod non ſit formale. Formale idem eſt quod certum, ſicut enim poſita forma effectus formalis neceſſario ſubſequitur, ita poſito formali periculo, effectus etiam ſubſequetur. Vnde qui probabiliter putas effectum nullatenus ſubſequuturum eſſe, debes eadem probabilitate aſſerere periculum non eſſe formale; quoniam, ſi tale eſſet, inferret effectum non probabiliter ſed certò-moraliter.

Hinc collige erroneum eſſe dicere, quod quis poſſit ſe exponere proximo, & formali periculo ſine graui peccato nec dari vnum authorem, qui contrarium aſſerat; nam Caſtr. Palaus & Sancius, qui citantur à Diana, cùm propoſitum non-peccandi petunt, non concedunt quod quis ſe periculo formali

committat, ſed ſuggerunt modum quo periculum tolli poſſit. Ex his principijs occurrit noua difficultas. Petrus tenetur grauiter, ire ad talem locum, audire confeſſiones, alicui fœminæ mederi, aut aliquam ſimilem actionem agere, quam omittere non poteſt ſine culpa mortali(puta, vel quia eſt voto aut iuramento obſtrictus, vel præcepto legitimo obligatus)examinat experiẽtiam, & reperit eſſe periculum proximum conſentiendi in mollitiem. Hoc periculum non euadet ſi conducat ſocium; nã actus merè internos præſentium reuerentia non cohibet: quid igitur facturus eſt? an tenebitur ex cauſa neceſſaria ſe credere periculo formali.

Videretur aſſerere Sanc. *in ſelect. diſp. 21. n. 9.* vbi ſic ait: *Quoties aliquis ex cauſa neceſſaria vel vrgente ſe exponit periculo peccandi, non ob id delinquit, dum, quando ſe obijcit tali periculo, determinatam habeat voluntatẽ non peccandi, cùm in tali caſu inuoluntariũ ſit periculum.* Mens authoris ſatis cognoſcitur, ſed periodus indiget lima.

Dico ergo primò in caſu noſtro, *peccare mortaliter eum, qui omittit illam actionem ad quam tenetur grauiter, etiam ſuppoſito periculo conſentiendi in mollitiem.*

Dico ſecundò, *peccare illum mortaliter, qui ſe exponit periculo formali, etiam data cauſa neceſſaria & vrgente, quæ poſtulet illam actionem.*

Dico tertiò, *Nulla cauſa aut lex præcipit aut præcipere poteſt vt te exponas proximo peccandi periculo.* Hæc concluſio eſt dilucidatio præcedẽtium. In caſu poſito teneris ire ad talem locum in quo eſt periculum proximum, & teneris non te credere tali periculo, quoniam vtrumque ſimul potes facere, ſi addas voluntatem non peccandi, quã anteà non habueras: aut ſaltem intenſiorem, ſi ante remiſſam habueris; efficis enim quod non ſit proximum periculum, vbi ante fuit; & ideò illã actionem non ſolùm potes, ſed & teneris facere.

Res exemplo clariſſimo manifeſtabitur. Iacet puer ante portam tuam, nec tranſire potes quin eum occidat, inſtat tamen præceptum eundi ad Eccleſiam. Dico te teneri & illum puerum non occidere, & domo egredi; vtrumq; enim potes facere; puta ſi puerum priùs abmoueas, & poſtea tranſeas. Sic ſimiliter in alio caſu; tenebaris illum locum adire, & tenebaris te non exponere periculo, quoniam vtrumque poteris: nempe fortificatione & præuentione voluntatis tollendo priùs illud periculum, & hoc iam ſublato, eundo & ſatisfaciendo obligationi.

1058 Petis, vtrum poſſit ſe aliquis exponere probabili peccandi periculo. Noſter Lorca *in 2. 2. ſec. 3. diſp. 28. nu. 9.* & Lopez *in inſtruct. par. 1. ca. 21. §. ad tertiam ration.* negant: ſed videntur inſiſtere alijs principijs. Ego nullam actionem prudentem peccati arguo, nec imprudens cenſendus eſt, qui ſequitur partem probabilẽ: ita efficaciſſimè ſuperiùs *nu. 57.* vbi notaui, tunc probabiliter deeſſe periculum, quando probabiliter adeſt, & ſi tibi ſit probabile, quod nullum ſit peccandi periculum, non video quid te vrgeat aut cogat ne poſſis licitè operari S. Gregorij Papæ verba in homilia illa quæ legitur in die Reſurrectionis. *Nos ergo, inquit, in eum qui eſt mortuus credentes, ſi odore virtutum referti cum* OPINIONE *bonorum operum Dominium quærimus, ad monumentum profectò illius cum aromatibus venimus.* Sanè ad Chriſtum venimus, non ſolùm cùm opera elicimus, quæ euidenter ſint bona; ſed etiam cùm opinamur (hoc eſt probabiliter credimus) nos bene operari. Ergo à Deo non credit, qui probabiliter putat ſe nõ credere: ergo non vult recedere, qui ſe exponit periculo, quod probabiliter putat aut nullum eſſe aut leue.

EPI-

EPILOGVS.

Omnes virtutes morales quodammodo concatenatas eſſe.

1059 Cohærent ſibi mutuò virtutes. Sine charitatis prærogatiua nulla eſt vera, quoniam nec vna eſt viua. Veniẽte charitate omnes virtutes reuiuiſcunt. Ad hanc ſubſtantiales ordinantur tanquam ad finem. Huic conſeruandæ nàuant operam, & eius hoſtes perenni diligentia vincunt. Religioſus virtutum ſubſtantiali tria de armatus. Militarem artem profitetur, quam Græcè θεοφιλίαν nominamus: Non eſt Theophilia ſciẽtia ſpeculatiua, ſed practica. Contemplatur diuinas perfectiones, vt corde exprimat: rimatur operationes Chriſti, vt imitetur, bellum incidit ſenſibus vt ſuperet, cœleſtia contemplatur, vt habeat. Eſt Theophilia facultatũ ſupernaturalium nobiliſſima; intellectum.n. illuminat, voluntatem perficit, & dirigit ſenſus exteriores. Inſtrumẽtis & machinis bellicis indiget; has hęc fabricat in Schola ſeu Officina peculiari. Illam deſignat, hæc enumerat noſter Inſtitutor Sanctiſſimus. Dabo tenorem literæ.

TEXTVS. Ex cap. 4.

Officina verò, vbi hæc omnia *(nempe virtutum Cæleſtium incorporeà artefacta)* operemur, CLAVSTRA ſunt Monaſterij, & ſtabilitas in Congregatione.

Significantius fortè Officina uera legeretur. Etiam Seculum Officina virtutum eſt, non tamen vera. Ibi virtutes hypocriticæ, & fucata facinora. Ibi antidota mixta veneno. Cænobia Officinæ illæ ſunt, vbi iacula illa fiunt, quæ Cælos licèt adamantinos penetrant, ſuperant, adſequuntur. Hæc iacula, perennes Orationes ſunt (iaculatorias dicimus) quæ Animus ardens Deum exhalat: hæ Cœlo vim inferunt, ab his Cœlum vim patitur, quoniam id Animus obſidet, meditatione luſtrat, ſuſpirijs circumcingit. Id expugnat iaculis perennis Orationis. Oratio ita debet emitti vt ad Cœlos perueniat. Non tamen quærendæ veniunt machinæ, non quærenda inſtrumenta, ſed facienda. Arte Theophilica in Clauſtrali Officina fient machinæ bellicæ Cœlum ſuperaturæ. Eadem arte fabricantur inſtrumenta, quibus inſtructum Cor, Firmamentum expugnat.

Officina vera virtutum alio nomine dicitur virtutum ſchola, & meritò nam in illas diſcimus, formamus, propugnamus. Verè monaſteria dicuntur & eſſe debent virtutum Scholæ, quotquot ſunt in ipſis Monaſterijs cuiuſcumque conditionis & ſexus Regulares perſonæ ſtudeant maximè in omni pietate diuino amori omnia poſt ponere, omnia vitia fugere, ab omni ſpecie mali abſtinere, puritatem mentis & corporis ſeruare, diſciplinam, ſuique intelligentiam, ſibi comparare, pacem, pietatem, modeſtiam, ſobrietatem, reliquaſque Religioſis omnibus dignas virtutes, ac omnium præcipuè neceſſariam humilitatem. Sunt enim ipſæ maximæ votorum reddendorum adiumenta, & ſimul cum ipſis

acquirendæ, augendæque charitatis viæ tecuræ, & certiſſima inſtrumenta. *Ita Patres congreg. Germanicæ in Definitionibus latis ann. 1565. in capitulo celebrato in Bauaria præſide Edmundo Monaſterij Ciſtertienſis Abbate.*

TEXTVS Ex cap. 7.

Quæ ſint inſtrumenta bonorum operum.

1060. In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. Deinde proximum tamquam ſeipſum. Deinde, Non occidere. Non adulterari, Non facere furtum. Non concupiſcere. Non falſum teſtimonium dicere. Honorare omnes homines, Et quod ſibi fieri quis non vult, alij ne faciat. Abnegare ſemetipſum ſibi, vt ſequatur Chriſtum. Corpus caſtigare. Delicias non amplecti. Ieiunium amare. Pauperes recreare. Nudum veſtire. Infirmum viſitare. Mortuum ſepelire. In tribulatione ſubuenire. Dolentem conſolari. A ſæculi actibus ſe facere alienum. Nihil amori Chriſti præponere. Iram non perficere. Iracundiæ tempus non reſeruare. Dolum in corde non tenere. Pacem falſam non dare. Charitatem non derelinquere. Non iurare, ne forte periuret. Veritatem ex corde, & ore proferre. Malum pro malo non reddere. Iniuriam non facere: ſed & factam patienter ſufferre. Inimicos diligere. Maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere. Perſecutionem propter iuſtitiam ſuſtinere. Non eſſe ſuperbum. Non vinolentum. Non multum edacem. Non ſomnolentum. Non pigrum. Non murmuroſum. Non detractatorem. Spem ſuam Deo committere. Bonum aliquid in ſe cùm viderit, Deo applicet, non ſibi. Malum verò à ſe ſemper factum ſciat, & ſibi reputet. Diem iudicij timere. Gehennam expaueſcere. Vitam æternam omni concupiſcentia ſpirituali deſiderare. Mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habere. Actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodire. In omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire. Cogitationes malas cordi ſuo aduenientes mox ad Chriſtum allidere, & Seniori ſpirituali patefacere. Os ſuum à malo, vel prauo eloquio cuſtodire. Multum loqui non amare. Verba vana, aut riſui apta non loqui. Riſum multum, aut excuſſum non amare. Lectiones ſanctas libenter audire. Orationi frequenter incumbere. Mala ſua præterita cum lachrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipſis malis de cætero emendare. Deſideria carnis non perficere. Voluntatem

tatem propriam odire. Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamſi ipſe (quod abſit) aliter agat, memores illius dominici præcepti: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Non velle dici ſanctum antequàm ſit: ſed priùs eſſe, vt veriùs dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimplere. Caſtitatem amare. Nullum odire. Zelum & inuidiam non habere. Contentionem non amare. Elationem & iactantiam fugere. Seniores venerari. Iuniores diligere. In Chriſti amore, pro inimicis orare. Cum diſcordantibus ante ſolis occaſum in pacem redire. Et de Dei miſericordia nunquam deſperare. Ecce hæc ſunt inſtrumenta artis ſpiritualis, quæ cùm fuerint à nobis die noctuque inceſſabiliter adimpleta, & in die iudicij reconſignata, illa merces à Domino nobis recompenſabitur, quam ipſe promiſit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum.

1060 *Lecto quarto hoc capite innumeri terreutur Religioſi, nec melliflunm Doctorem intelligunt, qui Monachum extra Regulæ limites poße cogi non putat. Nil mi Prælatus probibeat inquit de præcept. & diſp. cap. 8. horum quæ promiſi; nec plus exigat quàm promiſi. Vota mea nec augeat ſine meá voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate. Ergo qui aſſeruerit nihil ſibi extra Regulam præcipi poſſe, admittere tenebitur dari aliquas virtutes, quæ in Regula non contineantur. Qui ergo intelligendum cap. 4. vbi inſtrumenta bonorum operum recenſentur, & vix aliqua virtus omittitur? Qui caput 7. vbi innumeræ virtutes recenſentur? Qui caput 68. vbi ne impoſſibilia quidem excipiuntur à iuriſdictione Abbatis? Ergo ſi omnia poteſt præcipere, quæ ſunt in Regula, nihil eſt, quod non poſſit præcipere: quia nihil eſt quod capite 4. aut 7. aut ſaltem 68. non comprehendatur.*

Pro dubij ſolutione notandum, in Regula nihil eſſe præceptum ſed præceptibile, non tamen omnia quæ in illa reperiuntur, præceptibilia eße cenſenda ſunt; multa enim Religioſis poſſunt conſuli quæ non iuberi; talis eſt abſtinentia à vino; & obſeruantiæ ſimiles. Hinc colligo illa, quæ in capite 4. expenduntur, ni aliàs obligent, habere vim ſolius conſilij, non quidem dati, ſed dabilis: quia ex vi capitis 4. non remanent præceptibilia, ſed conſulibilia.

Illud quod ex cap. 68. adducitur, reſoluitur ex his quæ expendimus num. 694. & 747. quia ibi non agit D. Benedictus de rebus impoſſibilibus, quæ non ſpectant ad Regulam, ſed de rebus regularibus aut ad regularia conducentibus, ſi per accidens valde difficilia reddantur.

EPIMETRON,

DE COMMVNITATE.

1060 SVbſtantiales obligationes perſtrinxi, & qualiter illis ſinguli obligentur expoſui: ſupereſt expendere an votis illis tota etiam obſtringatur Communitas. Quæſtio hæc olim facilior erat, ſed horum ſcrupulo, illorum ambitione, & aliquorum ignauia, difficilior euaſit. Re autem benè examinata certæ ſunt excluſiones ſequentes; ita inquam certæ, vt contrariç vix cenſeantur probabiles.

RESOLVTIO I.

1060 d *Communitas per modum communitatis non poteſt vouere caſtitatem.* Demonſtratur, quia poſſibilia ſub votum cadere poſſunt, non verò neceſſaria. Hinc non poterit Petrus promittere Deo futurum ſe eſſe rationalem, quia nequit talis non eſse: poterit vouere reformationem; quæ ipſi libera eſt, & prorſus voluntaria. Communitas per modum vnius corpus vnũ eſt, & ſub hac conſideratione voluptatibus inquinari non poteſt. Singula communitatis membra per modum plurium poterunt ſextam Decalogi legem opere externo temerare, omnia ſimul per modum vnius nequeunt, quia communitas quà talis corpus morale eſt, & caſtitatis conſummata violatio eſt actio phyſica, quæ à morali principio procedere non poteſt.

RESOLVTIO II.

1060 e *Communitas poteſt vouere paupertatem.* Si voueat, Religioſi non habebunt rerum dominium in communi; huic tamen voto rerum dominium in particulari minimè obuerſatur. Strictiùs tenentur Capucini & Minores dicti de obſeruantia, qui neque particulare, neq; commune habent dominium: particulari enim carent, vt alij Religioſi; priuanturque dominio in communi, ſtatuto aut ſingulorum voto, aut fortè voto totius communitatis. [Hinc patet, dari religionem, in qua admittitur dominium in communi & in particulari vtrumque enim habet ſocietas reſpectu diuerſorum: dari, in qua neutrum ſit qualis Capucinorum: dari, in qua ſit dominium in communi & paupertas in particulari: poſſe dari è conuerſo, in qua ſit paupertas ſolennis in communi, & dominium in particulari. Sed de hoc aliàs.]

RESOLVTIO III.

1060 f *Communitas poteſt vouere obedientiam.* Patet, quia eſt actio poſſibilis, & laudabilis; nec aliqua aſſignabitur ratio quæ hanc potentiam impugnet. Probatur, quia poteſt vouere omnes illas virtutes, quæ à corpore myſtico obſeruantur, & ab eodem violari poſſunt. Poteſt communitas ad eleemoſynas, reſtitutionem ſe obligare iure iurando & voto. † Maior difficultas eſt, vtrum de facto ſimilibus votis obſtringatur.

RESOLVTIO IV.

1060 g *Nulla Benedictina communitas obſtringitur voto paupertatis.* Demonſtratur. Dominium perfectæ proprietatis & paupertatis votum (quale DD. Benedictini emittunt) conſiſtere non poſſunt; alias enim ſinguli poſſent rerum dominio frui illæſo pau-

per-

Pertatis voto. Atqui omnes communitates Benedictinæ habent rerum dominium in communi: ergo non vouerunt paupertatem. Minorem probo *diſp.* 57. *à num.* 820.

Hinc conſtat communitatem poſſe eleemoſynas notabiles facere, etiam alienando, & vendendo bona radicalia cum grauidiultiarum detrimento, dummodo modeſtè neceſſaria conſeruet. Hic auari ſcrupuloſi notent neminem ad inclementiam cogi poſſe titulo ſanctitatis. Vtrum communis vitæ pactum ab omnibus caſsari poſſit, prolixior controuerſia eſt. Si poſſit, poteſt Benedictina communitas omnia bona alienare dando, mutando, dilapidando, eodem iure quo ſe poteſt diſſoluere. Si commune confraternitatis vinculum, etiam ex omnium decreto nequeat ſolui, adhuc locus remanet bonorum alienationi cum notabili eorundem iactura. Suppono (exempli gratia) Monaſterium. A indigere decem. mille ducatis annuis, & vigintimillibus frui. Cur non poterit ex plurium Monachorum decreto omnia ſuperflua expendere, nempe largiendo eleemoſynas, aut fundatorum conſanguineis fauendo, imò ſingulorum parentes adiuuando dementiæ gratitudinis & obſeruantię gratia? Si oboriantur neceſſitates publicæ (vt bella, peſtilentia, fames, & calamitates huiuſmodi) quis arguet communitatem, quæ vendet agros ſuperfluos, vt populo laboranti ſuccurrat? Vnus ille qui putabit ſibi ne orbem quidem ſufficere.

1060 *h* Vendere, alienare, dare, commutare illa omnia quæ non fuerint pręcisè neceſſaria, communitas poteſt, Abbas non poteſt, nam omnia ſubſunt dominio conuentus, non Abbatis: hic obſtringitur fidelitatis iuramēto, communitas verò, quia domina abſoluta eſt, nemini tenetur bona ſua temporalia ſubijcere; imò ſi Generali Capitulo de facto ſubiecerit, non poteſt cogi vt ſuperflua retineat cum pauperum & laborantium detrimento: quod ſi communitas habeat legitimam Superiorem, poteſt dirigi in electione pauperum, dirigi quidem ſed non cogi, quia (ſi datur) communitatis ſuperior. non eſt rerum dominus, vt vniuerſi nouerunt; cum ex omnium ſententia proprietas ad ſolam communitatem pertineat.

1060 *i* Leſſius *de iuſt. lib. 2. cap. 26. num.* 33. putat Religioſum de Superioris conſenſu poſſe lucrari & perdere ſummam etiam notabilem, cui nequaquam ſubſcribo, niſi Superiori communitas talem etiam authoritatem commiſerit. Talis licentia ab Abbatibus concedi non poteſt ſine permiſſione conuentus: Ratio eſt, quia licet conuentui dominium rerum alienare ſine alterius conſenſu. Antiſtiti non licet, cum tantummodo ſit conuentus Oeconomus & merus bonorum adminiſtrator, qui etſi authoritatem ſummam habeat, vt bene fideliterque adminiſtret, nullam tamen, vt malè: cæterum, ludo diuitias exponere, nequaquam fidelem bonamque earum adminiſtrationem iudico. Vide num. 830. 11.

1060 K Petis, Vtrùm communitas poſſit rem momenti notabilis alienare (puta fundum, domum ſyluam, &cct.) etiam inuito Abbate?

Facilè ex dictis quæſtio reſoluitur. Nam Abbas, vt fructus Monaſterij expendat, talem habet poteſtatem, qualem ipſi communitas, patriæ mores, & Superiorum leges conceſserint? vt. ſine communitatis decreto alienet radicalia bona, nullam habet. Cùm dubitatur, an fundus aliquis alienandus ſit, conuocanda communitas eſt & ex plurium ſuffragijs reſoluendum, Abbas habet ſimplex ſuffragium (niſi fortè lex aliqua particularis ei duplex concedat) in caſu æqualium ſuffragiorum eſt arbiter, aliàs quæſtio reſolui debet ex plurium decreto, etiam contra Abbatis dictamen. Ratio eſt, quia circa immobilium bonorum alienationem

Abbatis vox non eſt potior voce ſimplicis Religioſi, ſicut & circa res illas, quæ fiunt deciſiuis vocibus Religioſorum.

1060 *l* Si Petro v.g. domum quandam petenti Communitas legitimè cōgregata eam conceſſerit, cenſeo hoc ipſum decretum eſſe donationem & mutationem dominij: Ratio eſt, quòd donatio non conſiſtat formaliter in diplomate & publico inſtrumento: ſed in reſolutione communi, quę inſtrumento publico teſtata redditur: Ergo ſi communitas ſemel Petro domum conceſſerit, illam nec communitas nec Abbas retinere poterit, quia aliàs rem alienam domino inuito retinerent.

Si dominij mutatio ſit de futuro (talis eſt cùm fundus commutandus, vendendus, aut donandus ſtatuitur) tenetur Abbas ſtare communitatis decreto, quod, niſi ab ipſa caſſetur, inuiolabile eſt: Ab ipſa verò caſſari dicitur, cùm in alio actu communitatis abrogatur. *Non ſecus* in Nouitijs ad profeſſionem admittendis. Aſſerui Antiſtitem poſſe dimittere Nouitios inconſulto conuentu (*num.* 471.) addidi illos non poſſe ad profeſſionem promoueri ſine conſilio & aſſenſu conuentus (*num.* 482.) Quid ſi poſt conſultationem Abbas vellet Nouitium à conuentu approbatum dimittere? Inuito conuentu non poſſet: quia cùm voces ſint deciſiuæ, ſtandum eſt communi decreto, quod ſemel latum à ſolo conuentu caſſari & annullari poterit. Alias enim non eſſent deciſiuæ ſed merè conſultiuæ voces Religioſorum. Abbas autem qui in Nouitiorum approbatione aut aliis caſibus probabiliter crediderit voces Religioſorum non eſſe deciſiuas, poterit ſequi ſuum dictamen non obſtante communitatis decreto, iuxta ea quæ dixi *num.* 498. cœterum, communitatem non eſſe directam, & abſolutam rerum dominam improbabile eſt. [Reperimus etiam aliquas communitates legibus Superiorum acceptatis obſtrictas, & ſentio communitates tales debere iuxta præſcriptas leges viuere, nec poſſe rem validè vendere contra legem quæ actum validè inualidet.]

RESOLVTIO V.

1060 *m Nulla communitas Benedictina obſtringitur obedientiæ voto.* Demonſtratur. Nemo obſtringitur voto, quod non emiſit expreſsè aut implicitè, phyſicè vel moraliter; atqui nulla communitas alterutro modo obedientię votum emiſit: ergo nulla eo obſtringitur. Minorem explico, ex legibus & decretis Pontificum conſtat, quod Abbates fidelitatem communitati promittere & iurare teneantur; Abbati autem obedire ſinguli tenentur, non quia id promiſerunt Abbati, ſed Deo; aliàs.n. verum votum non eſſet, ſed ſolùm humanæ fidelitatis obligatio relaxanda ad nutum Abbatis. Communitas autem vt talis, nec Deo nec Abbati obedire promiſit, vt conſtat ex communi Ordinis praxi; neque contrarium ab aliquo poterit probabiliter oſtendi. Hinc conſtat inualida eſſe omnia præcepta, ſiqua ex vi obedientiæ præſtitæ imponantur toti communitati: Abbas enim qui ſingulos ex vi voti poteſt obſtringere, vniuerſos per modum vnius ſumptos non poteſt. Hinc naſcuntur corollaria, quæ ob breuitatis ſtudium curioſis inferenda committo.

RESOLVTIO VI.

1060 *n Quæcumque communitas ſubeſt ſuo capiti vi quarti præcepti Decalogi.* Patet; quia licèt Abbati non ſit obedientia promiſſa, ei tamen debet obedire communitas cùm illa præcipit quæ bonum publicum reſpiciunt, & à Patre-familias præcipi ſolent. Vide *num.* 70. vbi de authoritate Patris-familias ago. Vide etiam *num.* 748. vbi admitto

Abba-

Abbatem poſſe imponere leges communitati nempe obligantes, non iure religionis, ſed iure quartæ legis Decalogi; atque addo tales leges non obligare communitatem niſi acceptentur, conſonans mihi *n.*48.

RESOLVTIO VII.

1060 o *Vbi ſunt pauciores tribus non eſt communitas.* Conſono mihi *n.* 1325 k *pag.* 591. Vbi ſunt plures, quot comparare neceſſarium eſt, vt communitas integra cenſeatur? Reſpondeo debere duas partes eſſe præſentes. *Leg. Nulli. leg. Plane ff. Quod cuius vniuerſ.* quod pulchrè ediſſerit Panormitanus Abbas *ad legem. Quod maior.* & *cap.* 2. *de his quæ fiunt à mai. part. capituli*. qui cùm doctiſſimus & Benedictinus fuerit, temerè proſcribi non poteſt. Panormitanum ſequitur Suarius mox citandus.

RESOLVTIO VIII.

1060 p *Præſentium maior pars eſt moraliter ſanior, & omnes in eius ſententiam compromittunt.* Vide *nu.*748. Probatur *ex leg. Quod maior. ff. Ad municipalem*. Huic ſententiæ ſubſcribit Felinus *in c. Cùm omnes, de Conſt. n.*7. & Suarius *lib.*7. *de legib. c.*9. *n.*13.

Quędam Communitas legitimè congregata aliquem contractum iniuit ex plurium decreto: petitur, an teneantur omnes illi ſubſcribere, an ſoli illi qui præbuerunt conſilium.

Dubium hoc ex mera ignorantia naſcitur, quia contractus non fiunt à dimidio corpore, ſed à toto; hoc autem ex plurium conſilio deciſiuo. Omnes compromittunt in voces plurium, atque ideo quod plures decernunt, omnes volunt; nec eſt qui ſine ſchiſmatis nota, poſſit diſſentire. Contractui aſsentientium nomina ſubſcribantur, hoc eſt, aut nullius aut omnium; quia ſi plures diſsuadeant, nemo conſentit; ſi ſuadeant plures, conſentiunt vniuerſi. Contractus non fiunt à multis religioſis quà multis, ſed à communitate quà vna; hanc autem vniuerſi conſtituunt; tam qui conſilium ſanius, hoc eſt communius; tribuere; quàm qui minùs ſanum. Id apud omnes Senatores, Deputatos, & quaſcumque communitates religioſas & ſæculares eſt in praxi, & inſuper tam ratum & notum, vt in controuerſiam probabilem reduci non poſſit.

Multa de Communitatis obligationibus, exemptionibus, & authoritate expoſui alijs in locis, quæ erit vtile ſimul cōnectere; huc manuducet te Index verbo *Communitas*.

QVAESTIO INCIDENS
De peccatorum, quæ contra vota militant grauioritate.

1060 q OBedientiam continentiā, Paupertatem, eſsentiales omni religioſo virtutes aſſeruimus, & quia non omnia etiam eſsentialia ęquè perfecta ſunt, quænam ex illis melior, quodnam ex peccatis oppoſitis ſit grauius, inueſtigas. Ideò non iam de grauitate agis in titulo, omnia enim huiuſcemodi peccata, ſi magna ſit materia, ſunt grauia; ſed agis de grauioritate, & quodnā ſit grauiſſimū omniū inquiris.

Huic controuerſiæ multi variè, & ideò audiendi omninò ſunt, antequam ipſa decidatur.

Anno 1595 Antiſtites Ciſtercienſes Germani videntur noluiſſe reſoluere quæſtionem, commendant enim charitatem, & omne mortale crimen, qualemcumque illud, ſanctiſſimis verbis dehortantur. Sic inquiunt. *Noſtra omnium vera & benè ordinata reformatio eſſe debet, ſumere initiū ab ijs, ad quorum obſeruationem in primis obligamur, & nobis ad æternam ſalutem conſequendam magis neceſſaria ſunt. Itaque cùm omnis noſtræ Religionis Monaſticæ profeſſio & obſeruantia regularis eò maximè tendat, vt perfectionem (quæ charitatis eſt) nobis acquiramus, & acquiſitam magis ac magis augere ſtudeamus, hoc vnum viribus omnibus adniti debemus, vt Dominum Deum ſuper omnia toto corde diligamus. Ad hoc enim, cum Chriſtiani omnes obligātur, tum verò nos eò magis, qui ad hāc obligationē nobis cum illis communem, ſecundam voto firmatam adiunximus, nos totos Deo deuouendo, & propter eum omnibus, quibus vti licuiſſet, renuntiando, vt expeditus in via mandatorum eius curramus.* Auſi tamen comparationem inſtituere videntur reſoluiſſe ſummam culpam in continentiam eſſe. Dabo formalia verba. *Quoniam Deo nihil magis diſplicet in perſona ſibi dicata, quàm carnis immunditia, turpiſſimi huius flagitij grauitatem, quia multi non attendunt, nec fortaſſis ſatis ſeuera cēſura & correctione in eos animaduertitur, licentioſiùs immundas & deteſtandas carnis paſſiones & ſpurcitias ſectantur cum maxima Dei offenſa, priorum ſcandalo, & ordinis vituperio, &c.*

At anno 1636. Georgius Abbas Cæſarienſis viſitans idem ipſum Cænobiū, videtur omniū irregularium criminum peſſimum proprietatis peccatum indicaſſe, ait enim: *Quoniam Religionis baſis, cui perfectionis fabrica innititur, eſt paupertas, quæ deſideria noſtra à caducis abſtrahit, & in vnū ſummum bonum deducit, adhortamur omnes in Domino, vt nullā omninò rē quocumq; ꝓpriæ induſtriæ, parſimoniæ aut alio titulo pro ſe recipiant, teneant aut donent aut diſponent ſuperioribus inſcijs.* Fundatur hæc opinio fortiſſimis Regulæ verbis, nam capite 33. dicitur, *Quod ſi quiſquā hoc nequiſſimo vitio deprehenſus fuerit delectari, admoneatur ſemel & iterum, ſi non emendauerit, correptioni ſubiaceat.* Nequiſſimum vitium vocat S. Pater, quod omnium peſſimum Cōſonuere Patres Cōgregationis Germanicę, qui in Comitijs Prouincialibus an. 1626. paupertatis votū prępoſuerūt.

Anno 1608. Ioannes Martinus Abbas Clarilocenſis in eiuſdem Monaſterij viſitatione obedientiam ſummā virtutem, inobedientiam ſummam culpam eſſe pronuntiauit. *Imprimis hortamur vt omnes & ſinguli...... in via mandatorum Dei, & S. mater Eccleſiæ alacriter, & indefeſsè currant, votaque obedientiæ, continentiæ, & voluntariæ paupertatis, quæ diſtinxerunt eorū labia, Domino Deo fideliter reddant.* Vbi loco principe ponitur obedientia. Cui quidē ego viderer ſubſcripſiſſe ſuperiùs n.690. b dicēs *Subordinatio eſt virtutū politicarū Princeps. Reſpublicæ ſine caſtitate & paupertate æternæ fiūt, nulla ſine obedientia*, & agens de illa in primo loco.

Anno 1615. D. Nicolaus Bacherat, in viſitatione eiuſdem Monaſterij, extra ſolennes ipſa obligationes ſummam reperit; *Silentium, inquit, iuſtitiæ cultus eſt, & Religionis noſtræ clauis.*

Anno 1618 D. Thomas Salernitanus Abbas ſobrietatem propoſuit, putanſq; nullum vitium cum ebrietate & crapula comparari debere. In eodem Monaſterio ſic pronuntiauit ius. *Cultus diuini deuotio maximè à ſobrietate pendet.* Quam ſententiam viro magno digniſſimam videtur doctus à S. P. Benedicto, qui c. 10. ait. *Nihil ſic contrarium eſt omni Chriſtiano, quomodo crapula, ſicut*

ſicut ait Dominus noſter, Videte, ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & capite 1. vrget illud, *Vinum apoſtatare facit ſapientes*.

Sed anno 1595. Antiſtites ſuperiùs citati in ſuæ Congregationibus generalibus definitionibus poſuerunt hanc periodum. §. De officio diuino. *Præcipuum penſum noſtrum eſt, vt in ſanctitate Domino ſeruiamus, diuinum officium, tam diurnum quàm nocturnum ...... celebratur*. Cui viderer aſſenſum præbuiſſe ſuperiùs num. 1108. vbi dixi, *Quotidiana diuinorum officiorum decantantio religioſis congregationibus maximè familiaris eſt, ac inter eorum ſtudioſa opera ferè primatum tenet*.

Hinc conſtat dari ſeptem, inter Ciſtercienſes, ſententias. Prima docet virtutem omnium maximâ, & neceſsarijſſimam eſſe charitatem, cui omne peccatum graue opponitur. Secunda præponit Caſtitatem vtpote virtutem candidiſſimam, cui Luxuries opponitur. Tertia Paupertatem in ſublimi conſtituit, cui virtuti opponitur Proprietas. Quarta obedientiæ primas defert, & ſeuerisſimo iudicio Inobedientiâ condemnat. Quinta virtutum omnium Taciturnitatem Reginam ſtatuit, & Garrulitatem deteſtatur. Sexta commendat Abſtinentiam, condemnat Crapulam & ebrietatem. Et tandem ſeptima loco primo Officium diuinum enumerat, cuius omisſionem de maximo peccato appellat. Omnes & ſingulas conſideras, magnorum Hominum teſtimonio ſuffultas, & inquiris, Vtrum ego reliquis ſententiam præponendam virtutem, vtrum ego præ reliquis peccatum deteſtandum? & quia me Iudicem eligis, inquiris, Quanam ex iſtis ſeptem prępoſitis ſententijs ſit vera? Et reſpondeo omnes omnino veras eſse, ſi virtutes & vitia diuerſimodè conſiderentur. Dico igitur.

Primò. Si agamus de excellentia finali, Charitas excellentisſima omnium virtutum eſt, eo enim collimat tota vitæ regularis ſeueritas, vt Charitas conſeruetur & augeatur.

Secundò. Si agamus de vita communi (hæc eſt eadem quæ cœnobitica) dicendum obedientiam eſse multorum vnitatem, qua per inobedientiam ſublata, non manebit communitas ſed hominem inconcinna congeries congregata per accidens.

Tertiò. Si de animæ & corporis puritate ſit ſermo, primas Caſtitati deferam, quia illam violans corpus ſuum phyſicè, animam moraliter maculat, vtrumque priuans diuinitus conceſso honore.

Quartò, ſi tranquillitatem reſpiciam, proſcribam omnem auaritiam, vbi enim rerum diuiſa eſt proprietas, lites ſunt plurimę & grauisſimæ difficultates. Taciturnitatem adiungam, quia ſicut furta ſic detractiones homines generoſos inquietant, detractio enim eſt honoris furtum, & furtum, diuitiarum detractio. Et quidem honos non ſemper diuitijs pręponendus datur enim ſubſtantialis & accidentarius, ille vita nobilior, iſte ignobilior opibus, ipſo enim qui diues ſit carere non poteſt.

Quintò, ſi Dei cultum reſpiciam, Diuinum officium enumerabo primo loco, qui enimâ caſtitate habent quod ſint Angelicorum ſpirituum ſimiles, à laudandi Dei miniſterio habent quòd ſint commilitones & ſocij. Magna eſt Angelorum terreſtrium, ſeu Monachorum dignitas, quæ ſi deſit ſobrietas deprimitur, cultus enim ſine deuotione eſt nonnumquam irreuerens, & deuotio pendet à ſobrietate.

Videris paucis conciliatas periodis noſtrorum Ciſtertienſium ſententias, ſed adhuc notitiam vberiorem ambiens, peccata contra vota conſideras, & inquiris, quodnam ex ipſis in genere peccati ſit grauius? Reſpondeoque culpam grauisſimam eſse incontinentiam, h proprietatem minùs-graue, inobedieac

tiamn-

tiam vltimam. Et oſtenditur. Quoniam in genere ſacrilegij, periurij & voti violati iſta tria crimina vniuocè, imò & ſpecificè conueniunt, & ſecūdo præcepto opponuntur. at quia concomitanter ſecundariæ reperiūtur, penes illas eſt exponenda inæqualitas. Incontinens eſt ſacrilegus & fornicator, Proprietarius, ſacrilegus & fur, Inobediens purè ſacrilegus. Præciſo voto adhuc fornicatio grauior furto eſt: cum tamen voto præciſo nulla ſit Monacho obediendi obligatio. Crapula & ebrietas, ſi tantæ, vt peccaminoſe mortaliter ſint, minus adhuc graues erunt inobedientia, hæc enim nequit ſine ſacrilegio committi, illæ poſſunt Diuinum officium niſi adſit præceptum non obligat. videtur in communi non niſi pœnaliter præceptum, at in particulari etiam grauiter, nimirum ab Eccleſia, non tamen cuicumque ſed ad ordines maiores promoto. Et tandem loquacitas vt peccatum ſit, aut debet eſſe interdicta & tunc erit inobedientia; aut detractoria & tunc erit grauis leuis-ve, non ſecundum durationis intrinſecæ, ſed ſecundum illati damni quantitatem.

LIBER NONVS.

De Diuini Officij ritibus, ſolennitatibus, antiquitate.

Choriſtæ non niſi Angeli terreſtres ſunt, ſimillimi Empyreis illis Intelligentijs, quas iure optimo dicerem Choreutas ſupernaturales. Habet Eccleſia in terris Cælos ſuos, qui laudent Dominum. Hi ſunt illi verè-Theoſophi, qui ſe diſcunt, & in ſe Deum. Fruſtrà Deus in rebus extrinſecis quæritur, qui non niſi in corde Theophili inuenitur. Ibi contemplatione & laude Dei gratia alitur; ibi charitas contritione nutritur. Hucuſque Religionis Benedictinæ candidatum depinxi, eius obligationes catholicas expoſui, quæ naſcuntur à votis: ſupereſt, vt illas expendam quæ exoriuntur à fine. Is eſt Diuina laus, cuius inſtitutiones definit calamo curioſo Benedictus, quas ediſſeram ſequentibus diſputationibus.

TEXTVS. Cap. 52.

De Oratorio Monaſterij.

1062 ORatorium hoc ſit quod dicitur: nec ibi quidquam aliud geratur, aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum ſummo ſilentio exeant, & agatur reuerentia Deo: vt Frater, qui ſibi fortè peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed & ſi alter vult ſibi fortè ſecretiùs orare, ſimpliciter intret,

& oret,

& oret, non in clamoſa voce, ſed in lachrymis, & intentione cordis. Ergo qui ſimile opus non facit, non permittitur expleto opere Dei remorari in oratorio, ſicut dictū eſt, ne alius impedimentū patiatur.

De Templorum forma & antiquitate.

1063 *Eccleſiarum antiquitatē commendant aliqui curioſè: ego ad infantem Mundum contemplabundus veniens reperio veſtigia templi erecti ab Adamo. Hinc ad Mundi geneſin diſtātia maxima: mediū Authorum negligētia nebulis impeditur, & ideò oculis lynceis indigemus aut teloſcopijs perfectiſſimis: illos autē & hæc largientur ſacræ Literæ, ſi debito ſtudio legantur.*

Fuiſſe locum determinatum, in quo ſanctiſſimus Genearcha Adamus, & eius Filij ſacrificarent, conſtat ex Geneſeos capitis quarti tertio, ſi rigorem idiomatis Hebræi ſequamur. Textus diuinus ſic: Fuit autem in fine dierum, vt adduceret Cain de fructu terræ oblationem ipſi IEOVAE: Ebel quoque etiam ipſe adduxit de primogenitis pecudum ſuarum & de adipe earum. Sequor in translatione Hebraicam veritatem, conſultis Sancto Pagnino, Aria Montano & Vatablo. Verbum הביא *& Adducere locum aliquem determinatum indigetant, vt de ſe patet. ergo Oratorio erat Adami tempore locus aliquis determinatus.*

Sed iſte qualis? an in aperto rure, an muro circumcinctus? Fuiße Adami Oratorium cinctū muro ne negabit qui legat dixiſſe Cainum fratri ſuo; verſ. 8. Egrediamur foràs. Erāt intra Sacellū; quia aliàs non poßent velle egredi foràs. Oratorij iſtius murum conſtructum æſtimo lapide crudo & impolito. Docet hæc ædificandi ratio illa rudiora ſecula, quibus nondum cognitæ Architectonicę curioſitates. Legitur Cainus ędificaſſe ciuitatem, certè nec lateribus, quorū vſus inuenitur Geneſeos 11. 3. nec terra coagulata (Hiſpanus Tapias nominat) hoc.n. inuentū recens eſt. Ergo priorib. illis ſeculis, crudis lapidibus connexis luto, muri fabricabantur. Si doceri velis ichnographian, reor Sacelli huius figuram fuiſſe circularem, quoniā quadrata templa non fuerunt in vſu apud antiquos, vt conſtat ex numiſmatum & columnarum decrepitis delineationib. Addo Adami Oratorium non fuiße fornicatum, nec contignatione aliqua tectum; quia aliàs nec ignis cælitùs deſcendere potuißet, nec fumus cęlū verſus attolli. Adami nec non Abelis ſacrificia igni cæleſti abſumi colligo ex capitis citati verſu quarto, qui Theodotione interprete; Ἐνεπύρισεν, &c. Inflammauit Dominus ſuper Abel & ſacrificium eius ſuper Cain nō inflammauit. Conflagratione miraculoſa teſtabatur Deus ſe ſacrificium acceptaſſe; quod & feciſſe legitur ſępe alibi. Expoſuit igne cælitùs immißo ſibi placere Gedeonis victimam Iudic.6. 2. Manuæ Iudic.13.20. Aaronis Leuit.9.20. Elię 3. Reg.18.38. Dauidis 1. Paralip. 21. 26. Salomonis 2. Paralip.7. 1. & Nehemiæ 2. Mach.1.32. Vidit Cainus oblationem ſui fratris diuino igne comburi, & ſuam contemni, ideò exſpes & inuidus fratrem occidit & parentes deſeruit. Ergo ſatis veroſimile apparet illud Oratorium fuiße ſubdio, expoſitum cæli clementiæ.

Ab Adamo homines iuniores edocti, ſemper habuerunt determinata aliqua loca, in quib. hoſtia, prece & cantu Deū priuatim colerent, vſq; ad Enochū, is enim fuit primus qui cæremonijs & ritib. publicis cæpit Deum collaudare.

Ideò in Monaſterius Benedictinus vult Oratorium erigi, in quo Deus, qui vbique regulari obſeruantia colitur, harmonico applauſu celebretur. In Oratorio choros alternos & amœbæos inſtituit, in quib. Monachi vacent Diuino

cultui

cultui. Huius circumſtantias per varia capita exponit noſter Benedictus, hunc ego clariorem & illuſtriorem reddam quæſtionibus aliquot examinatis.

DISPVTATIO LXXI.

De cultu religioſo.

1064 ANtè quàm ad ſingulas veniam controuerſias, duo mihi declaranda; primum quid *Religionis*, ſecundum quid *Cultus* nomine communiter intelligatur.

Religionem, quæ à Græcis Θρησκεία, dicitur, à Thracibus (his Orpheus cultûs & adorationis ritus atque præcepta indixit) diligentes authores originem traxiſse affirmant. Ita Plutarchus *in Alexandro*, & Nazianzenus *in oratione prima & tertia contra Iulianũm, & in Iambicis*. Ferunt Deorum cultum & cæremonias viguiſse in Thracia, Orpheum tradidiſse rituum anagogicas inſtitutiones, & diuinum officium vouiſſe Θρησκείαν, quod à Tracibus inuentum eſset. Veroſimiliùs & vtiliùs philoſophatur Auguſtinus *lib. 10. de Ciuit. cap.* 1. deducens vocis etymon à verbo θρησκεύω, *colo, celebro, video*. Alij non ſine conceptu confugiunt ad labium primitiuum, & iuxta Arabicæ dialecti proprietatem aſserunt Θρησκεῖαν dici à voce הדום, à radice דום *nutrire, alere*. Aptè Religionem Θρησκεῖαν, ſeu *alimentum* nominant, quæ mentem alit, cor nutrit, & recreat totum animum.

1065 Θρησκεία latinè dicitur *Religio*; ſed de huius vocis origine ſunt opiniones variæ. Cicero *lib. 2. de Natura Deorum* & Iſidorus *lib. 10. Etymolog. c. 17.* Religionem à relegendo dictam affirmant, quaſi quæ ad diuinum cultũ pertinent, ſemel atque iterum legat, *qui enim quæ ad cultum Dei pertinent pertractarent & tanquàm relegerent, ſunt dicti Religioſi à relegendo* inquit citatus Cicero.

Maſurius Sabinus relatus à Gellio *libr. 4. noct. Atticar. c. 9.* Religionem à relinquẽdo dici exiſtimat. Religioſum enim illud eſt, quod propter ſanctitatẽ aliquam remotum ac ſeparatum eſt à communi vſu. Idem docet Sulpitius relatus à Macrobio *lib. 3. c. 3.* & Gellio ſupracitato, & ſequitur Seruius. *Aeneid.* 8. probatque Gellius ex illo Virgilij *Aeneid.* 8.

Eſt ingens gelidum lucus prope Ceritis amnem
Relligione Patrum latè ſacer: vndique colles
Incluſere caui & nigra nemus abiete cingunt.

Vbi expendit illud, *incluſere*, & *nigra nemus abiete cingunt*, vt ſepoſitum quid ac ſeparatum intelligas.

1066 Sypontinus tamen *in Cornu-copia & Epigramm. 22. Martialis.* Religionem ab eligendo dici tradit; quia Deum, quem diligimus, eligimus. Et hanc ſententiam ſecutus fuit *Aug. 10. de Ciuitate c. 4.* cùm de Deo loquens ſic ait: *Ipſe finis noſtræ beatitudinis ipſe omnis appetitionis eſt finis, hunc eligentes* (lege potius *religentes*) *amiſeramus negligentes, vnde & Religio dicta perhibetur.* Sed hanc retractauit Auguſt. *lib. 1. Retract. c. 13.* & rectè quidem; nam eligere vel re-eligere Deum negligenter amiſsum, ad virtutem

rem pœnitentiæ pertinet, non ad Religionem, niſi forſan accidentaliter & ſecundariò: neque *religionis* vox ex vi ſuę ſignificationis indigetat *eligere quod neglectum erat*; ſed potiùs quod electum erat iterum eligere.

1067 Communis ergo & vera ſententia eſt, quam tradit Lactantius *libr. 4. de vera Sapientia c. 28.* Religionem à verbo relegandi deduci. *Hac*, inquit *conditione gignimur, vt generati Deo iuſta & debita obſequia pręſtemus, hūc ſolum nouerimus, hunc ſequamur, hoc vinculo pietatis obſtrictio Deo & Religati ſumus, vnde & ipſa* Religio *nomen accepit.* Et addit: *Diximus nomen* Religionis *à vinculo pietatis eſſe deductum, quòd homines Deus ſibi Religauerit, & pietate conſtrinxerit, quia nos ſeruire ei ac domino, obſequi vt parenti neceſſe eſt.* Hanc ſententiam probat Auguſtinus *libr. de vera Relig. c. vltimo. & 10. de ciuit. c. 4.* Diuus Pater Bernardus *libr. de nat. & dignitate diuini amoris c. 15.* Et Hieronymus *ad c. 9. Amos n. 7.* explicans illa verba, *Faſciculum ſuum ſuper terram fundauit*, ſic ait: *Faſciculum vocat vniuerſitatem electorum de qua Luc. 12. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum. Ille faſciculus vna Domini religione conſtrictus eſt, vnde & ipſa a* Religando, *& in faſcem Domini vinciendo nomen accepit.* Huius faſciculi meminit Sacra Scriptura 1. Reg. 25. *Si ſurrexerit homo perſequens & quærens animam tuam, erit anima Domini mei quaſi in faſciculo viuentium*: id eſt, ſeruabitur, vt Deus ſeruat animas electorum ſuorum.

1068 Sed in explicanda hac origine diſſenſio eſt; nam Lactantius, Auguſtinus, & Bernardus ideò Religionem à religando dictam affirmant, quia nos pietatis vinculo Deo obſtricti & religati ſumus. Hieronymus verò, quia ipſos homines ſeligat & quaſi in vnum congreget ad colendum Deum. Hieronymum ſequitur Abulenſis *quæſt. 49. in capit. 12. Exodi.* Sed quia hæc Hieronymi explicatio magis ad Religionem prout ſignificat ſtatum accomodata eſt, quæ tamen ſignificatio non eſt primaria, ſed potiùs à priori deriuata, ideò illa Lactantij interpretatio magis placet. Religio enim ex vi primariæ ſignificationis id habeat, quod nos Deo vniat ex quo conſequenter fit, vt qui eundem Deum colunt, aliquo modo vniantur magis vel minùs iuxta rationem cultus.

1069 Sed adhuc inter Lactantium & Bernardum ex vna parte, & Auguſtinum ex altera, differentia eſt; nam Lactantius & Bernardus intelligunt religionem iſtam ab illo vinculo naturali, quo homines ex vi naturæ & conditionis propriæ naturæ adſtringuntur Deo, & illius obſequio obligantur. Auguſtinus verò Religionem ex eo dictam ſignificat, quia nimirum vinculo nouum vinculum ſuperaddit, quod explicat S. Thomas *opuſculo 12.* ex eo quòd omnis creatura priùs in Deo quàm in ſeipſa exiſtat, cùm verò à Deo procedit, quodammodo ab eo diſtare incipit per creationem, & ideò rationalis creatura ad ipſum Deum debet religari, cui coniuncta fuerat: ſed cùm creaturæ in Deo ſint ipſemet Deus minimè poſſunt dici alligari, niſi vt ſunt ab illo diſtinctæ vnde primum vinculum Religio dici non poteſt. Creatura ergo rationalis, quæ per naturalem ac debitam ſubiectionem ad Dei cultum ligata eſt per voluntariam ſubiectionem religatur. Vide D. Thomam 2. 2. *quæſt. 81. art. 1.*

ARTICVLVS I.

Quid nomine Religionis ſignificetur.

1070 SEd iam ad veram ſignificationem Religionis accedendum eſt, vt quæ noſtro inſtituto minùs neceſſaria ſunt, remoueamus. Primò ergo Religio ſignificat ſtatum; ſed hæc ſignificatio primaria non eſt, ſed ſecundaria ex priori deriuata, de qua inferiùs: imò in hac ſignificatione non eodem modo vtuntur Sancti hac voce; nam Carillus Alexandrinus *lib.3.in Ioannem cap.* 25.& alii communiter, vniuerſalem Eccleſiæ Catholicæ ſtatum ac profeſſionem Religionem Chriſtianam appellant, & hoc modo vox iſta communis eſt omni Chriſtiano, qui Sathanæ renuntiat in Baptiſmo, ligaturque per fidem ad illius proteſtationem, operibus latriæ exhibitam. Alio modo magis proprio & ſingulari hæc vox conuenit aliquibus fidelibus, qui non ſolùm præceptis ligati ſunt Deo, ſed conſilijs, & quodam vitæ magis arcto inſtituto ac profeſſione religati ſunt: qui ſibi nomen Religioſorum veluti magis proprium adſciuerunt.

1071 Propria ergo huius vocis ſignificatio eſt, quam adducit Auguſtin. *lib.83.qq.quæſ.*31.vbi dicit: *Religio eſt virtus, quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam dicimus, curam cæremoniaſque affert.* Sunt autem huius virtutis elicitæ actiones, adoratio, oratio, deuotio, Sacrificium, Sacramentum, votum, iuramentum: ideoque Religionis nomen his actionibus, illarum ceremonijs, legibus, doctrinis, templis, quibus exercentur, & rebus aliis, quibus Deus colitur, attribui ſolet. De Cæremonijs quidem. Exod.12. *Si dixerint filij veſtri, quæ eſt hæc religio?* videlicet, quid eſt iſte cultus, vel cæremonia? & inferiùs: *hæc eſt Religio Phaſæ.* Chaldæus: *hic eſt ritus.* Septuaginta: *Lex.* Simili ratione *num.* 19. ſermo fit de ſacrificio vaccæ rufæ, dicitur: *hæc eſt religio victimæ*, id eſt, Cæremonia, ſiue lex cæremonialis. Et Exod.29. *erunt mihi Sacerdotes religione perpetua.* id eſt, firma & ſtabili. Et in hac ſignificatione vſus eſt hoc nomine Virgilius:

----Riuos deducere nulla
Relligio vetuit.

1072 Id eſt, *detergere*; nam diebus feſtis riuos veteres ſordidatos detergere licebat, nouos fodere non licebat: nulla ergo lex primum prohibebat. Et in eadem ſignificatione Angelorum cultum Religionem appellauit Paulus *ad Coloſ.*2.dicens; *nemo vos ſeducat in religione Angelorum.* Quem locum in hunc ſenſum explicant Bellarminus, Turrianus & Theodoretus, qui in eius rei confirmationem adducit Canonem 35. Concilij Laodiceni, vbi dicitur: *non poteſt Chriſtianus derelicta Eccleſia abire, & ad Angelos abominandæ idololatriæ congregationes facere.* Fateor, Bartholomæum Carranzam in ſua Summa Conciliorum non *Angelos*, ſed *Angulos* (aptiùs *Angelos*) legere, quaſi Concilium occultam idololatriam, quæ in angulis, vbi erant idola, fiebat, voluerit, vetare. Cæterùm Concilij textus *Angelos* habet, & ſic legunt Theodoretus & alii. Cultum ergo, cæremonias & alia, quibus ſuperſtitiosè ab idololatris Angeli ſiue dæmones colebantur, nomine Religionis comprehendit Apoſtolus. Hinc religioſa templa, religioſæ domus, & religioſa loca. Vnde Virgil. Æneid. 2.

-------- Limina relligioſa Deorum.

Et Cicero de Aruſp. Reſpond. *Facere aliquam domum religioſam.* Denique cultus ipſe, modus actionis, & quidquid ad Religionem pertinet, ac honeſtatis rationem participat, hoc nomine donatur; diuerſimodè tamen, vt tradunt Doctores. Imò & iuris-iurandi religio, quia ad Deum pertinet iuramentum, eodem nomine appellatur. *l.*3.

de iureiurando. & iuramenti vltor dicitur *l.2.de rebus creditis*.

1073 Illud tandem in hac voce probare non poſſum, quod Henrico Stephano, Stucheo, & alijs viſum eſt, quod ſicut apud Latinos vox *Sacri* in bonam & malam partem accipitur, & apud Hebræos ברך *barach* in Paal, vel potiùs *berech* ſeu *berach* in Piel *benedicere* ſignificat Gen.24.34. Pſal.10.3. & *maledicere* Reg.21.10. & Iobi 1.5. & 11. ſic & vox *Religio* accipiatur fauſtè & infauſtè. Ex quo *religioſos* dies triſtes & omninò infames, in quibus res aliqua non poterat felix exordium ſumere. Hoc, inquam, probare non poſſum; *religioſum* enim ſanctum & Deo placitum dictum eſt. Neque obſtat locus Auſonii in Auguſto c.6. cùm dicit: *Illuc introire, niſi neceſſariò & caſtè religio eſt* Ex Plinii *lib.28. Næuos in facie tendere, religioſum habent etiam nunc multi*. Nam in his & ſimilibus locis *religio* & *religioſum* ſignificant non *infauſtum*, ſed *prohibitum* propter obſeruantiam, quæ pænam comminatur violanti religionem. Et forſan hac ratione poſſet dici, *religioſum*, ominoſum & metuendũ. Sic intelligo Ciceronem *lib.9. Epiſt. ad Atticum*. Habet & hæc vox alias ſimiles ſignificationes ex priori deductas propter habitudinem ad illam, etiamſi aliquid immediatè ordinatum ad Deum non videatur cõtinere; qua ratione Caliſtratus *in l. Diuus Adrianus ff. de re iudicata*. Iudicis integritatem & anxiam curam religionem appellat, dicens: *Comparatione aduerſariorum, teſtibus pecunia corruptis, religionem Iudicis circumuentam eſſe*. Et in eodem ſenſu vſus eſt hac voce Cicero 7. *in Verrem*, vbi ait: *Nam qui ſibi hoc ſcripſit, vt corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoſcat ſi qua in re ipſe ab religione officij declinarit?* id eſt, à debito officij munere. Sibi eſt ſimilis *in oratione Athenienſ. & de claris orat.* Accinit Plinius *in Epiſt. lib. 4. ad Cornel. Tacit.* Similitudine ducta ex cura & ſolicitudine, quæ in diuino cultu adhibenda eſt. Simili ratione anxietatem, metum & formidinem nomine religionis intelligunt antiqui. Sic Virg. Æneid. 8.

Iam tunc relligio pauidos terrebat agreſtes
Dira loci.

Et Cicero 1 *Philip. vt inexpiabiles religiones in Rempublicam inducerentur*, id eſt, anxietates & formidines. Simili ratione vox iſta tranſlata eſt ad ſignificandum ſcrupulum iuxta illud Terẽtij in Andria: *At mihi vnus ſcrupulus etiam reſtat, qui me malè habet*. Cui Pãphilus: *Dignus es odio cum tua religione*, id eſt, cum tuo timore & ſcrupulo. Ex quibus facilè intelliges, quod dicit Auguſtinus 10. *de Ciuitate c.1*. Religionem non ſolius Dei cultum ſignificare, ſed etiam officium, quod hominibus cognatis & affinibus, vel alia ratione nobis coniunctis exhibetur. Ex eo enim quod diuinus honor officium eſt maximè debitũ, per quandam analogiam omne debitum officium nomine religionis ſignificatur. Vnde D. Thomas 2.2.q.81.a.1.ad 2. expendens hanc Auguſtini doctrinam, religionis nomine latè vſum fuiſſe aſſerit. Omnes ergo huiuſmodi ſignificationes per quandam extenſionem à principali & propria ſignificatione, quæ ſolius Dei cultum reſpicit, ſunt deriuatæ.

ARTICVLVS II.

Quid nomine Cultus *in hac materia intelligatur*.

1074 AVguſtinus 10. *de Ciuit. c.1.* felici calamo tetigit hãc quæſtionem. Cultus Dei (ait) *varijs nominibus appellatur. Si tantummodo* Cultus *ipſe dicatur, nõ ſolum Deo deberi videtur, dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione vel præſentia frequentamus, nec ſolùm ea*

quibus nos religioſi humilitate ſubijcimus, ſed quædã etiam quæ nobis ſubiecta ſunt coli putantur, nam ex hoc verbo agricolæ, ruricolæ, coloni, & incolæ vel accolæ vocantur, & ipſos Deos non ob aliud appellant cælicolas, niſi quòd cælum colant, non vtique venerando, ſed inhabitando, tanquam cæli quoſdam colonos, ſed quia & aliarum rerum dicitur cultus, *ideò latinè vno verbo ſignificari cultus Deo debitus non poteſt, nam & ipſa religio, quamuis diſtinctiùs non quemlibet, ſed Dei cultum ſignificare dicitur, vnde iſto modo interpretati ſunt noſtri, eam quæ græcè θρησκεία dicitur*. Hæc Auguſtinus, ex quibus ſatis liquet *Cultum* non vno modo dici, nec mirum quidem, nam *colere* eſt tractare, exercere, vnde omnia colimus, quibus ſtudemus, vt literas, arma, terrã, ludos & ſimilia. Dicimus etiam & Deũ colere, & rectè quidem, nam inſtar agri fertilis & optimi *diuus-cultus* fructus fert ad vitam æternam vberrimos. Cùm ergo Religionis materia vnica voce ſignificari non poſſit, geminato nomine ſignificamus, hoc ſcilicet *diuinus cultus*. Veteres autem huiuſmodi cultum *rem diuinam* appellaſſe, ſatis indicit locus Ciceronis pro Milone: *Patera, qua ad res diuinas vtebatur*. Eſt & locus Plauti in pænulo: *Cùm ab re diuina rediero*. Et alibi: *Paucis verbis rem diuinam facito*. Ideò quando in Scripturis vel Patribus inuenitur hoc nomen abſolutè vel aliud ſimile, ex ſubiecta materia vel circumſtantijs indicandum eſt vtrùm pro diuino cultu vel alio inferiori accipiatur, quod propter hæreticos eſt obſeruandum.

ARTICVLVS III.

In quo conſiſtat huiuſmodi cultus.

1075 Certum eſt, cultum iſtum in actionibus humanis cõſiſtere, quatenus illæ aliquomodo cedunt in gloriam & honorem Dei. Qui ſint autem huiuſmodi actus explicuit Ariſtoteles 1. *Rhetoric. cap. 5.* dicens *Honoris partes ſunt Sacra, memorationes, decãtationes carminum, aut ſolutæ orationis ad laudem recitatio, præmia delubra; primi conſeſſus, ſepulchra publici ritus; vnde inclinari, loco cedere, munera deferri, &c.* quæ omnia ſolùm materialiter differre poſſunt, ſi eiuſdem excellentiæ teſtimonia exiſtant. Non meminit Ariſtoteles interioris cultus, quia de eo, qui inter homines exhibetur, erat illi ſermo: homines autem ſolùm exteriori cultu mutuo ſe colunt.

1076 Quomodo verò huiuſmodi cultus ad Dei famam & honorem ſpectet, explicuit Plato in libro, qui Εὐθύφρων Περὶ ὁσίου inſcribitur ibi cùm dixiſſet cultum Dei eſſe ſcientiam petendi & dandi, & Euthyphron ex eo intuliſſet, cultum Dei commercaturam vel negotiationem mutuam inter Deum & homines eſſe: reſpondet, Religionem nequaquam poſſe dici propriæ mercaturam, quia (vt notum eſt omnibus) nihil habemus boni, quod diuinitùs nobis non detur. *At verò*, inquit, *quid commodi aut vtilitatis præcipiunt Dij ex donis illis atque muneribus, quæ à nobis accipiunt?* quaſi diceret, *nihil*. Contrà autem, vt in omni contractu, ita in mercatura oportet vt operum, impẽſarum atque damnorum, ita vtilitatum atque commoditatum eſſe ſocietatem atque communionem: Atqui cùm nulla in Deum ex religionis materia redundent commoda, non poteſt dici mercatura. Accedit Lucretius *libr. 1.* vbi agens de diuina natura ſic ait:

Ipſa ſui pollens opibus, nihil indiga noſtri.

Accedũt & diuina decreta *Iob. 35. Si iuſtè egeris, quid dabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* Et regius Propheta in Dei perſona Pſal. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregib. tuis hircos. Si eſuriero, non dicam tibi; meus eſt enim orbis terræ & plenitudo eius;*

1077

1077 Quod ſi quis obijciat, Deum ab hominibus glorificari, ac ſanctificari, ac gloriam & honorem eius propagari, & illuſtrari: Reſpondet Socrates, hoc non eſſe ita intelligendum, quaſi aliqua honoris & gloriæ ad Deum fiat acceſſio, qui cùm ſit immenſus, infinitus, & omnibus numeris perfectus & abſolutus, nihil vt eſſentiæ, ita & gloriæ eius addi vel demi aut detrahi poteſt, ſed quia Dei gloria atque honor magis ac magis hominibus innoteſcit. Ecce quomodo, ex ſententia Platonis, gloria & honor ſint externa Dei bona. Dicendum igitur eſt, ex honore Deo exhibito Deum nihil prorſus habere in ſeipſo, niſi denominationem quandam extrinſecam apud nos, quia aliquando augetur in noſtra cognitione. Vnde S. Thomas 2. 2. *q.* 81. *art.* 7. dicit nos exhibere Deo honorem non propter ſeipſum, ſed propter nos. Vbi Caietanus notat illud *propter* nō denotare cauſam finalem, ſed terminū vtilitatis. Has omnes circumſtantias contēplabantur Aegyptij Sacerdotis, cùm definierunt cultum orationem, & honorem Deo exhibitos aquilæ hieroglyphico ſignificari, ea etenim ales honores Soli tribuit hoſque tantummodo videndo, in quorum præmium habet quòd ſemper impunè & ſucceſſiuè clarius eum videat, & poſt ſenectutem renouetur. Sol honorē recipit ab Aquila. Quem? videri. Sic & monaſticè. Sol iuſtitiæ Deus honorem recipit ab oratione, intrinſecum nullum, extrinſecum illuſtrem. Qualem? ſolùm cognoſci, vt poſt liquidiùs cognoſcatur. Obſequium Rationalis Aquilæ, mentis contemplatricis, maximi facit Deus, præmio proſequitur miraculoſo, concedit ei per reſurrectionem innouari: non ſolùm ei, ſed & omnibus propter ipſam, cùm tamen nulla Deo accreſcat vtilitas, niſi cognoſci ſolum.

1078 Ex his colligo, actus tam internos quàm externos eſſe poſſe proximam materiā Religionis, cum in vtriſq; poſſit reperire ſufficiens honeſtas, ad fundandam rationem cultus. Comprehendit autem materia religionis conuenientem de Deo æſtimationem, & actus alios, quibus illa manifeſtatur, & vtrūque eſt proxima materia Religionis, quatenus ex vtroq; Dei gloria cōſurgit.

1079 In hoc autem libro, in quo cùm D. Pater Benedicto de Religione nobis ſermo inſtitutus eſt, de cultu interno aut pauca aut nulla differemus, quia de illo vix quidpiam Legiſlator. Is verò, qui extrinſecus eſt, tametſi multipliciter contingat, vt docuit Ariſtoteles ſuperiori articulo relatus, præcipuè tamen duobus modis fuit in vſu inter homines, ſcilicet per actionem ſacrificij, & orationem publicam: & quamuis prior modus primarius ac præcipuus ſit iuxta doctrinam Pauli *ad Hebræos* 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Tenetur enim populus publico cultu, ritu, & cæremonijs Deum colere; & vt rerum omnium creatori ac domino honorem & cultum debitum exhibere, id autem per ſingulos homines decenter fieri minimè poterat, cum plures rudes ſint & ignari: vnde neceſſarium fuit idoneum aliquem eligere, qui pro cæteris hoc poſſet præſtare, & hoc eſt, quod dicit Paulus: *pro hominibus conſtituitur*. In eo autem quod addit *vt offerat dona & ſacrificia* præcipuū explicat munus ſacerdotis. Dona appellat ea, quæ ſponte offerebantur à populo, vt erant hoſtiæ, quæ dicebantur pacificæ *Leuit.* 3. Sacrificia verò ſeu victimæ ex præſcripto legis mactabantur, *Leuit.* 4. Quamuis ergo hic cultus religioſus præcipuus fuerit imò ſecundus, fuerit ſemper priori coniunctus; in præſenti tamen de publico cultu, qui oratione & laude fit, cum D. Pater Benedicto nobis agēdum eſt. Cùm autem oratio duos habeat reſpectus, alterum quatenus cedit in bonum & com-

modum petentis, alterum verò quatenus eſt honor & cultus Dei, à quo aliquid poſtulatur, & manifeſtũ ſit, ſecundùm priorem reſpectũ non pertinere ad Religionẽ, quia hæc, cùm ſit pars iuſtitiæ, eſt ad alterum cui debitum ſoluit: penes ſecundum reſpectum ad religionem pertinet, & ſub illa ratione conſideratur Deus vt perſona cui honor defertur, & in hoc ſenſum in præſenti libro de oratione, cultu & religione diſputabimus.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ſit aliquod præceptum de huiuſcemodi cultui.

1080 MIſſam facio quorumdã Philoſophorum ſententiam, quam refert Lactantius *lib. 2. diuin. inſtit. c. 3.* qui omnem cultum & venerationem ſuperioris Numinis reprobabant, hi enim dicentes ſe eſſe ſapientes, adoriebantur rationem naturalem, quæ dictat Deum venerandum ac colendum eſſe.

1081 Alij verò hæretici ex varijs prinsipijs omnem orationem inutilem dixerunt. Quidam enim omnia ex neceſſitate euenire exiſtimantes hunc fatalem ordinem minimè à Deo poſſe mutari credebant. Hunc errorem impugnant S. Thomas 2. 2. *quæſt. 83. art. 2. & 3. & ad c. 3. Dionyſii.* Caſtro *verbo oratio. hæreſ.* 3. Boetius *lib. 5. de Conſolatione proſ. 3.* Sed cùm, poſito illo errore, ea neceſſitas ex ineuitabili ordine cauſarum oriatur, & inter ipſas vna cauſa poſſit eſſe oratio, non video quomodo id ſequatur per locum intrinſecum, cum poſſit dici orationem eſſe vnam ex prædictis cauſis ad effectum, & ita ſolùm ſequitur, quod, ſi effectus eſt neceſſariò euenturus media oratione, homo neceſſariò debeat orare, & Deus eadem neceſſitate teneatur concedere quod petitur. Fateor, id ſine fundamento dici, quia ſupponitur in iſto errore Deus agere ex neceſſitate naturæ: ſi ergo aliquem effectum facturus eſt, non minori neceſſitate a get poſita oratione, ad fine illa: cùm oratio non ſit cauſa per ſe influens in effectum, ſed tantùm moraliter mouens Deum ad effectum.

1082 Alij aliter orationem inutilem adſtruebant, quia licèt concederent liberas, & contingentes cauſas, negabant tamen diuinam prouidentiam. Ex quo errore manifeſtè ſequitur orationem inutilem eſſe. Qui prouidentiam negant, neceſſariò negant Deum habere cauſalitatem proximam in hæc inferiora, & ſcientiam particularium quæ hic aguntur. In hoc errore fuerunt Epicuræi, Stoici, & aliqui ex Peripateticis.

1083 In eodem errore ſcilicet orationem eſſe inutilem, fuit Pelagius, vt docet Auguſt. *hæreſ.* 88. *& epiſt.* 106. ex alio tamen principio, quia exiſtimauit hominem non indigere auxilio diuino ad bene agendum, neque ad ſalùtem: ex quo inferebat, orationem non eſſe neceſſariam aut vtilem ad huiuſmodi beneficia impetranda. Iſte error antiquiſſimus eſt, & Ioſeph. *lib. 1. Antiq.* illum refert ad Nembroth, qui ſuos ſubditos docebat nihil potere à Deo, ſed omnia referro in proprias vires, de quibus forſan Eccleſiaſt. 16. *Non exorauerunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes ſuę virtuti.* Et aliquid ſimile videtur tribuere Origeniſtis, Epiphan. *epiſt. 66. ad Ioan. Hieroſol.*

1084 Hos omnes errores in hoc loco ex profeſſo diſcutere ſuperuacaneum duxi, cùm in proprijs locis à citatis authoribus fuſiùs impugnentur. Vualdenſis *lib. 3. c. 1.* Vviclephum in eo errore fuiſſe affirmat, vt orationẽ côtemneret, quia exiſtimabat Deum non moueri verbis noſtris, ſed ſolùm intueri opera, iuxta quæ præmiũ vel pœnã retribueret. Sed hic iterũ rationẽ aſſerendi nõ video. Eſto ſola opera bona reſpiciat

Deus;

Deus: cur oratio damnanda? an non & ipſa bonum opus? Exiſtimat Vvaldenſis *li.* 1.*c.*13. Vviclephum errorem illũ hauſiſſe ex philoſophis, qui, vt refert Hieronymus ad illa verba *Matt.*6. *Scit enim pater veſter cæleſtis, quia his omnibus indigetis*, ita colligebant: Si nouit Deus quib. indigemus antequam oremus, fruſtrà ſcienti loquimur.

1085 Sed ſpecialiter huic hæretico tribuit Vvaldens. *li.* 3.*tit.*1.*ca.*1.quòd damnarit vſum orandi vocaliter, quem errorem habuerunt Taboritæ & aliqui ex Bohemis apud Aeneam Syluium *lib. de origin. Bohemor.* Sed forſan iſti non tam orationem vocalem, quàm cantus & modum canendi damnarunt, de quibus inferiùs. Hunc tamen errorem tribuit. Prateolus *in Elencho hæres. ex Lindano* alijs hæreticis, qui Trinitarij dicti, quorum fundamentum eſt illud Ioan.4. *Spiritus eſt Deus; & eos, qui adorãt eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*. Ex quo colligebant Deum mentaliter, non vocaliter orandum eſſe. Quod poſſunt confirmare ex eo, quòd vox ſenſibilis ſolùm fuit inſtituta propter eos, qui interiores actus minimè poſſunt percipere Deus autem non indiget ſimili ſigno, vt hominis cogitationes inſpiciat. ſuperfluum ergo eſt, Deum vocaliter orare.

1086 Hunc errorem limitarunt alij hæretici dicti Inſabbaturi, quos refert Prateolus ſupracitatus, qui dicebant, nullam orationem præter Dominicam eſſe admittenda, quam tamen vocaliter poſſe proferri dicebant, quia Chriſtus de modo exteriùs & vocaliter orandi fuit loquutus.

1087 Sed cùm nil communius ſit hominibus, præſertim imperitis & ſuperbis, quàm varias ac contrarias inter ſe de rebus fidei doctrinas comminiſci, fuerunt aliqui, qui è contrario, ſemper & continuò ex neceſſitate orandum eſſe affirmarent; vnde dicti ſunt Euchitæ, id eſt, precatores; quem etiam errorem tribuit Prateolus hæreticis Enthuſiaſtis, & Meſſalianis Epiphanius *hæreſ.* 8. Auguſtinus *ad quod vult Deum hære,* 57. Theodoretus *lib.*4.*hiſt. c.*10. *& li.* 4.*hæreticar. fabul.* Quorum præcipuus dux fuit Adelphus quidam, vt dicitur *in hiſt. trip. li.* 7.*ca.*11. & in Nicephoro *li.*11.*c.*14. Horum fundamentum erant verba Chriſti Lucę 18. (*Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*) & 1.ad Theſſal. (*Sine intermiſſione orate.*) & ad Coloſ.4 (*Orationi inſtantes.*) Fauet Philo *lib. de victimis*, qui eiuſmodi ſacrificium laudis perenne eſſe debere aſſerit, ſignificatumq; *Leuit.*6. vbi præceptum eſt in altari perpetuò arderet ignis in ſymbolum huiuſmodi orationis, quæ dicitur eſſe perpetua. Quinimò ita neceſſariam orationem aſſerebant, vt ipſa ſola ad ſalutem ſufficiat, etiamſi Sacramenta, & alia remedia prætermittamus. Videndus eſt Caſtro *hæreſ.*1. qui rectè monet non eſſe contra hanc hæreſim diſputandum.

1088 Alij deniq; alio modo contra orationis vtilitatem errarunt, dicentes orationem habere vim immutandi diuinam diſpoſitionem & prouidentiam. Hunc errorem refert D.Tho. 2. 2 *q.*83. *ar.*2. *&* 3. *& contra Gentes ca.*96. qui creditur fuiſſe Aegyptiorum.

1089 Inter hos errores Fides Catholica media via incedit, vtilitatem orationis cognoſcit, & debitas circumſtantias præſcribit. Sit ergo in re hac.

CONCLVSIO I.

1090 *Oratio tam vocalis quã mentalis iure diuino vtilis & licita eſt, ſi debita intentione fiat.* Eſt de fide, & frequenter expreſſa in Sacra Scriptura; Conſtat enim Chriſtum Dominum ſępe oraſſe, tam in horto quàm in cruce, & orando vitam conſummaſſe. Habemus & præceptum Chriſti *Matth.* 6. *Petite, & accipietis) & cap.* 26. *Vigilate & orate, vt non intretis*

in tentationem.) Apoſtolus etiam fuiſſe orationi inſtantes conſtat ex actis Apoſt. Sed ſpecialiter id probatur de oratione mentali ex illo Pſalmi 26. *Tibi dixit cor meum,* & Pſalm. 38. *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Et vt huiuſmodi aſcenſiones intelligas, addit ſtatim: *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam* Legimus etiam Chriſtũ Dominum in montem ſolùm adſcendiſſe ad orandũ. *Matth.* 14. quod de mentali oratione communiter Patres intelligunt: de oratione verò vocali extra illud Pſal. 5. *Intende voci orationis meæ.* & Pſalm. 140. *Intende voci meæ cùm clamauero ad te.* & Pſalm. 141. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum.* & 1. *Reg.* 1. de Anna legimus quod loquebatur in corde ſuo, & additur: *tantumque labia eius mouebantur, & vox penitùs non audiebatur.* Ex quo conſtat, non tantùm animo, ſed corpore etiam oraſſe, quamuis voce ſubmiſſa. Et Chriſtus Dominus exemplo ſuo hanc orationem approbauit; quoniam *Ioan.* 11. *Matth.* 6. *& c.* 26. dicitur: *Hymno dicto exierunt in montem Oliueti.* Ex his ſatis conſtat vtramque orationem tam mentalem, quàm vocalem iure diuino vtilem eſſe. Supereſt, vt probemus eamdem iure naturali interdictam non eſſe.

CONCLVSIO II.

1091 *Oratio, abſtrahendo à mentali & vocali iure naturali neceſſaria eſt.* Pro quo notandum eſt ex D. Thom. 12. q. 94. *art.* 1. Legem naturalem non poſſe aliud eſſe, quàm partem legis æternę cognitam practicè dictamine euidenti (vt *Diſp.* 1. oſtendimus) quod ratio de agendis conſtituit, vt non furandũ, non mœchandum, & cet. Dicitur autem hoc dictamen per ſe notum, non quia intellectus practicus non indigeat aliqua vi, & facultate ſibi ſuperaddita ad illa cognoſcenda, ſed quia non eget aliorum cognitione, vt hæc poſſit cognoſcere. Nam quemadmodum in intellectu ſpeculatiuo ad cognoſcendum prima principia ſpeculatiua, ponimus habitum naturalem, quem dicimus lumen naturale; (diſtinctum aut identificatum iuxta diuerſorum ſententias) ita ad cognoſcenda prima principia practica, ponimus in intellectu practico habitum ſyndereſis, cui proprium eſt, inclinare intellectum ad eſſentiendum primis principijs practicis, & huiuſmodi habitus non eſt lex naturalis; ſed potiùs ipſæ propoſitiones practicæ, ad quarum aſſenſum inclinat, dicuntur lex naturalis.

1092 Sed quæret aliquis, vtrùm lex iſta naturalis plura orandi præcepta contineat, an tantùm vnum. Reſpondetur, quod ſicut in motibus neceſſe eſt ponere vnum principium mouens non motum, cuius virtute cætera moueantur; ita etiam in diſcurſu intellectus, qui motus eſt, neceſſe eſt ponere vnum primum principium per ſe notum, cuius virtute reliqua cognoſcantur: hoc autem in intellectu ſpeculatiuo eſt, *Quodlibet eſt, vel non eſt,* vt docet Ariſt. 4. *Metaphyſ. tex.* 9. In intellectu verò practico ſecundum Ariſtotelem 1 *Ethic. c.* 1. *Bonum eſt ſequendum malum fugiendum.* Sed vltra illud principium vniuerſale, quod eſt primum præceptum legis naturæ, inueniuntur plura alia magis particularia circa determinatas materias. Pro quorum explicatione ſupponendum eſt, in homine eſſe tres gradus vitæ; primus eſt communis homini cum alijs viuentibus, & dicitur vegetatiuus, ad quem naturalis ſequitur inclinatio ſe conſeruandi, vnde in homine eſt præceptum naturale de conſeruanda vita, & fugienda morte. Secundus gradus eſt communis homini cum brutis, & dicitur animalis, quem naturalis ſequitur inclinatio ad conſeruandam propriam ſpeciem: & quia per concubitum vagum nec ordinatè proles ſuſcipi aut inſtrui, nec ſpecies propagari poteſt,

teſt,

teſt, oritur lex matrimonio. Ex quo ſequitur, fornicationem ſimplicem eſse contra legem naturæ: & quia, ſicut natura inclinat animalia ad ſuſcipiendam prolem, ita etiam ad alendam ſuſceptā: fit, quod exiſtat aliud præceptum naturale de educādis filijs & rectè inſtituēdis. Ex quo præcepto rurſus infertur: primo, matrimonia lege naturæ eſse indiſsolubilia: nam ſi pro arbitrio diſsolui poſsent, proles rectè educari ac inſtitui minimè poſset. Imò & ſequeretur, matrimonia non eſse neceſsaria, aut certè non dari matrimonia. Infertur ſecundò Parentes debere prouidere filiis ſuis, & illis theſaurizare: iuxta illud Pauli. 2. ad Corinth. 12. *Non debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filij.* [Semper pono præceptum poſitiuum, quia eo ſublato non intelligo dari peccatum, nimirum in materia virtutis non præceptæ.] Tertius gradus vitæ & omnium ſupremus eſt rationalis, conſtatque operibus intellectus & voluntatis, & ſecundum hunc gradum vitæ ſunt in homine plura præcepta naturalia. Nam primò ex parte intellectus præcipit natura, vt homo diſcat ea, quæ neceſsaria ſunt ad rationabiliter viuendum: & ex parte voluntatis, quod diligat Deum ſuper omnia, & omnia alia propter Deum. Et denique, quod in omnibus operibus ſenſibus imperet. Ex parte vero ſocietatis præcipit, vt quod quis ſibi vult non fieri, alteri non faciat: hoc eſt primum fundamentum iuſtitiæ, qua ſocietas conſeruatur. Ex his ergo manifeſtè patet, quomodo præcepta legis naturalis numero ſint plura, quamuis omnia contineantur ſub illo præcepto vniuerſali: *Bonum eſt ſequendum, & malum vitandum.*

1093 Ex dictis colligo primò: quod non ſolum ſunt de lege naturæ ea quæ ſunt prima, & immediata principia: ſed etiam illa, quę ex primis per euidentem conſequentiam educuntur.

1094 Colligo ſecundò: quod ſicut in concluſionibus ſcientiarum inueniuntur plures gradus, & illæ concluſiones ſunt potiores, quæ priùs accedunt ad ſua principia: ita etiam in præceptis naturalibus, quæ propiùs accedunt ad primum principium, dicuntur magis pertinere ad naturam.

1095 Colligo tertiò: omnes actus virtutum generali ratione in quantum ſunt conformes rectæ rationi, eſse de lege naturæ, quod probat S. Thomas ſupracitatus *art.3.* quia ſunt conformes rectæ rationi, ſed homo naturaliter inclinatur ad operandum ſecundum rationem, quæ eſt eius propria forma, ſicut ignis naturaliter inclinatur ad calefaciendum, ergo omnes actus virtutum generali quadam ratione ſunt homini connaturales. Aduertenter dicimus, generali quadam ratione, in quātum ſunt conformes rationi; Nam vt docet S. Thomas loco citato, ſi actus virtutum conſiderentur in quantum reſpiciunt, particularia obiecta, & continentur in proprijs ſpeciebus non eſt neceſse omnes eſse de lege naturæ, cum plures hac ratione pertineant ad virtutem ex diſpoſitione legis poſitiuæ. Cùm ergo dicimus in concluſione orationem iure naturali vtilem, non loquimur generali ratione ſicut ſe habent actus virtutum: ſed particulari ratione, ſicut pertinent ea, quæ ex primo & vniuerſaliſſimo principio legis naturæ educuntur, eſt enim ex præceptis, quæ immediatiùs ex eodem primo & vniuerſaliſſimo principio oriuntur.

1096 Ceterùm aduertendum eſt: quòd, cùm dicimus orationem eſse de iure naturali, non loquamur de ratione naturali nudè ſumpta, ſed de illa eleuata & illuminata per fidem infuſam. Et ratio eſt, quia ſermo nobis eſt de oratione ſupernaturali; lumen autem naturæ non poteſt dictare huiuſmodi obligationem: Fateor cum S. Thoma 2. 2. *quæſt.*85.*a.*1. quod homo ſuperiori alicui ſubdatur propter defectus, quos in

ipſo experitur, in quibus, & ab illo opem petere & adiuuari poſſit ac dirigi, cum autem ſolus Deus ſuperior ſit, qui poſſit & opem ferre & in proprium finem dirigere, fit, vt ratio naturalis dictet, illum eſſe orandum, & per orationem petendum eſſe auxilium & opem. Cum ratione igitur ſic dictante de agendis dicimus neceſſariam habere connexionem præceptum orandi.

1097 Aduertendum eſt, quod, vt cõſtat ex his quæ dicta ſunt, humana natura ſit quodammodo medium quoddam inter animantia conſilij expertia, & puriſſimas illas mentes ab omni corporis ſecretas ſocietate. Illis ſuperior & perfectior eſt, his autem inferior & minus perfecta. Quoniam illa quidem ſenſibus dumtaxat vtentia nulla prorſus ratione ad intelligentiam & cognitionem progredi queunt hæ verò ſine vllo ſenſuum adminiculo, ac miniſterio ſimpliciſſimis notionibus, quæcumque illis ſubiecta ſunt, comprehendunt. Homines denique poſsunt quidem ad rerum intelligentiam proueci, eò quòd mente & ratione polleant: ſed quoniam immortalis eorum, ſimplex ac cæleſtis animus, mortalis ac terreſtris domicilio corporis eſt concretus: fit, vt ad rerum cognitionem ſine ſenſuum miniſterio minimè poſſit peruenire.

1098 Ex dictis ergo liquidò conſtat noſtræ concluſionis ratio: nam cùm homo duplici conſtet natura, corporea ſcilicet & ſpirituali, nec poſſit ſpiritualia niſi per ſenſibilia intelligere vtriuſq; actibus Deum colere & orare æquum eſt, cùm vtriuſque ſit author. Inſuper cùm non ſit animal ſolitarium, ſed ſociale: expedit, vt ſubmiſſionem & reuerẽtiam, quam Deo defert, alijs oſtendat: hæc autem cùm per vocalem orationem & petitionem fiat, per quam internam exprimit orationem, fit vt vtrumque conueniens ſit: Imo moraliter loquendo non facilè poteſt homo Deũ reuereri & laudare, niſi ſigna aliqua reuerentiæ exhibeat, licèt interdum per ſpiritum poſſit Deũ laudare ſine demonſtratione corporis. Hac de re vidẽdi ſunt Cyrillus *de adora. in ſpirit. & verit.* & Lactantius *lib. 6. diuin. inſtit. c.25. & 44.* Vbi poſt multa de re hac ita concludit: *Verbo ſacrificari oportet Deo, ſi quidem Deus verbum eſt, vt ipſe confeſſus eſt, ſummus ergo colẽdi ritus eſt, ex ore iuſti hominis ad Deum directa laudatio.* Eandem concluſionis partem confirmant Sanctorum teſtimonia ſuperiùs allata, & Oſeæ 14. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum* Vbi Hieronymus; reddituros ſe dicunt labiorum vitulos, & Dei laudes perenni voce cantaturos. Eccleſ. 39. *Confitemini illi in voce labiorum veſtrorum.* (& ad Hebræos 13.) *Offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo*, id eſt, *fructum labiorũ confitentiũ nomini eius.*

1099 Diximus conſultò in concluſione, *ſi debita intentione fiat*, ad excludendam calumniam hæreticorum: non enim oramus voce ſenſibili ad excitandum Deum, vt ipſi fingunt, vel quia putemus ipſum indigere ſignis ſenſibilibus, vt noſtras cogitationes & deſideria cognoſcat: non enim tam humiliter de Deo ſentimus. Oramus ergo voce, vt noſipſos ad deuotionem excitemus, & vt per certa horarum interualla admoneamur, & quantum in hoc deſiderio profecerimus innoteſcat, & denique, ne quando oratio tepere cæperit, frigeſcat. Sic Auguſtin. epiſt. 121. c. 9.

1100 Sed dubitabit aliquis, Vtrùm hic religioſus cultus qui per orationem Deo exibetur, non ſolùm ſit vtilis, ſed etiam ad ſalutem neceſſarius. *Reſpondeo affirmatiuè.* Subſcribo D. Thomæ 2.2.q.83. *art.3. ad* 2. Vbi dicit orationem eſſe in præcepto, & loquitur de præceptò iuris diuini quod fundari non poteſt niſi in hac neceſſitate medij, nam chriſtus Dominus non tradidit poſitiua præcepta, niſi fidei & Sacramentorum: explicuit tamen ea clariùs, quæ

in iure

in iure diuino naturali & in ipſa gratia erant incluſa: oſtendit ergo orationem eſſe præceptam, quia neceſſaria eſt vnde exiſtimat S. Thom. illa verba *Matt. 7. Petite & accipietis* præceptum continere, quod inſinuat illa vocum multiplicatio: & licèt Auguſtinus *libro 2. de ſerm. Domini*, illa exiſtimet idem ſignificare, tamen doctior effectus *lib. 1. Retract. c. 19.* ſententiam correxit, & dixit eſſe exaggerationem. Rurſus Matth. 6. *Sic orabitis patrem veſtrum: Pater noſter &c.* quæ verba non conſilium, ſed præceptum continere, docet Eccleſia dicens: *præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati &cet.* Eandem neceſſitatem docet Auguſtin. *de Eccleſiaſt. dogma. c. 56.* dicens: *Nullum credimus ad ſalutem niſi Deo inuitante venire: nullum inuitatum ſalutem ſuam niſi Deo auxiliante operari: nullum niſi orantem auxilia promereri.* & lib. de natura & grat. cap. 43. *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo admonet facere quid poſſis, & petere quod non poſſis.* Quæ verba probat *Trid. ſeſſ. c. 11.* Vbi petitionem auxilij, ſine quo non poſſunt impleri mandata, eſſe neceſſariam docet, & idem Africanus Doctor *lib. 2. de bono perſeuerant. cap. 16.* dicit: *Deum alia danda non orantibus ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut vſque in finem perſeuerantia.* Ergo ſicut perſeuerantia eſt medium neceſſarium ad ſalutem, ita & oratio. Eandem neceſſitatem agnoſcit Chryſoſtomus *ferm. de Moyſe*, in illa verba *Lucæ (oportet ſemper orare.)* In eadem ſententia eſt Hieronymus *in epiſt. ad Cteſiphontem*, vbi ex eo, quod Pelagius tollit neceſſitatem gratiæ, colligit quod tollat orationem. Sentit ergo Hieronymus eodem modo orationem ad ſalutem eſſe neceſſariam, atque auxilium diuinum, id autem ad ſalutem neceſſarium eſſe, de fide eſt.

1101 Sed quæret aliquis, vtrum neceſſitas hæc oriatur ex ſe & ex intrinſeca ratione orationis, vel ex lege & pacto. Reſpondetur, neceſſitatem iſtam fundari in ipſa natura rei, docet enim ratio naturalis hunc cultum eſſe Deo debitum, quia conſentaneum eſt, vt qui alio indiget, ſe ſaltem poſtulando diſponat. Deus (naturæ & fidei lumine innoteſcit) omnium bonorum naturalium & ſupernaturalium Dominus poteſt hominibus opitulari: ergo niſi amentes ſimus, ab illo ſperanda ſunt, ab illo petenda, quæ fuerint noſtræ ſaluti neceſſaria. Neceſſariam præterea reddit orationem diuina prouidentia, nam licèt Deus potuerit ſua beneficia conferre etiam non orantibus, imò, iuxta probabilem ſententiam, etiam nolentibus, communiter tamen ſine oratione illa non confert, ideò præcepto ſalutari nos admonuit, & diuina inſtitutione formauit, dum voluit quod auderemus dicere: *Pater noſter*. Potuit omnibus conferre diuitias, ſalutem, proſperitatem, permiſit tamen nos laboribus & neceſſitatibus, vt ipſa diſcrimina nos quodammodo cogerent ad illum confugere, eiuſque clementiam implorare.

Conſtat igitur ex dictis, neminem teneri ſub mortifero orare ex vi legis naturæ *Primò*, ſi non occurrat obligatio ſatisfaciendi præcepto, *Secundò, nec* quando occurrit, ſi ſit leuiter obligatorium, *Tertiò*, nec quando occurrit obligatorium grauiter, ſi habeat omnia neceſſaria ad obediendum & obediat ſine graui difficultate. Conſtat tamen, *Quartò*, debere orare & petere à Deo fauorem cùm inſtat præceptum de re graui, & ipſe eſt intentatione graui & in periculo præbendi aſſenſum. Ipſa enim lex quæ præcipit materiam illam circa quam tentatur, præcipit ponere omnia media neceſſaria, vt actus fiat, & ſanè vnum ex medijs neceſſarijs vt actus ille præceptus fiat, oratio eſt.

TEXTVS. Cap. 8.

De Officijs diuinis in noctibus.

1102 Hyemis tempore, id eſt, à Calendis Nouembris vſque ad Paſcha, iuxta conſiderationem rationis, *b* octaua hora noctis ſurgendum eſt, vt modicè amplius de media nocte pauſetur, & iam digeſti ſurgant. *a* Quod verò reſtat poſt vigilias, à fratribus, qui pſalterij, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſeruiatur. A Paſcha autem vſque ad ſupradictas Calendas Nouembris, ſic temperetur hora vigiliarum agenda, vt paruiſſimo interuallo, quo fratres ad neceſſaria naturæ exeant, cuſtodito, mox Matutini, qui incipiente luce agendi ſunt, ſubſequantur.

a Quod vero reſtat) *Hæc verba aliquibus inintelligibilia ſunt, & vt multi iudicant, indigent aut reſtitutione aut correctione. D. Rudiſindus Barlo S. Theol. Doctor, Ordinis Benedictini per Angliam Præſes, Vir doctiſſimus periodum hanc iudicàt egere aut medicina aut correctione. Legit ſic. Quod verò (tempus) reſtat poſt vigilias, à fratribus, niſi pſalterij vel lectionis aliquid indigent, meditationi inſeruiatur. Nempe, vt mihi relatum eſt à fide dignis, qui eum conſuluerunt, delebat illud (qui) & ſubſtituebat (niſi.) Hæc textus alteratio aliquibus plauſibilis fuit, ſed mea ſententia acutè inuenta, non tamen neceſſaria. Velim ſcire qualis ſit hæc mutatio in opinione Authoris, quoniam vel eſt correctio, vel ſaltem reſtitutio. Correctionem in Regulæ textu non admitto, admittam tamen rationabilem reſtitutionem: hæc autem ex collatione exemplarium veterum haberi debet. Doceri velim, in quo antiquo exemplari id legerit reſtitutor. Dicet, ſe neceſſitate ipſa compelli ſic textus tenorem alterare. Nego tamen dari huiuſcemodi neceſſitatem. Et ſanè adquieſceret D. Rudiſindus, ſi vidiſſet mores Benedictino-Ciſtertienſis Ordinis in noſtra Hiſpania. Tempore quod intereſt Laudibus & Primę, licitum eſt ſenioribus ad ſuas cellas reuerti: Nouitij verò & iuniores (tales audiunt qui non habent quinque profeſſionis annos, quia creduntur Pſalterij-lectione indigere, congregati in cubiculo propè Calefactorium præparato (quod Hiſpanicè vocatur. La lamparilla) meditantur Pſalmos, mandatque memoriæ. Iſte iuniorum conuentus, actus communitatis eſt, cui præſidet maioris Miſſæ hebdomadarius, ſine cuius licentia nullus poteſt diſcedere ex illo loco. Cum auditur ſignum præparatorium ante Primas, aduenit Magiſter nouitiorum, qui lectiones eorum recipit, & videt quantum ſinguli memoriæ tradiderint. Ecce ad literam praxi mandatur textus Regulę: ecce ſatis clarè exponitur, literæ rigore conſeruato. Indicitur Iunioribus, Pſalmorum meditationi ſtudeant & diuinum officium curent memoria retinere, vt illi exactiùs ſatisfaciant. Hæc eſt ex pœnalitatibus, quas iuuenes Ciſtertienſes patiuntur moleſtiſſima, aliorum ordinum*

reli-

religioſis incognita: tolerabilis tamen, quia non perpetua, ſed quinquennis. Iſte ſtudendi mos poſt Matutinas antiquiſſimus eſt atque olim in vſu, vt conſtat ex Gileberto Abbate ſermon. 23. in Can.

Errant etiam, qui in expoſitione huius capitis noſtro CraesbecKio ſubſcribentes exiſtimant dici Pſalterij aut lectionum aliquo indigere eum, quem fortè imprudentem vel negligentem Pſalmi alicuius pars in communi ſynaxi præterierit, non enim huic indicit S. Pater omiſſa priuatim ſupplere: ſed Pſalmos & lectiones memoria percipere, vt ex corde (hoc eſt Hiſpan. de coro) iuxta præſcriptum Regulæ ſufficiat recitare. Quod & ipſe CraesbecKius in comment. huius capit. bene annotauit.

b OCTAVA HORA] *Eadem eſt, quæ ſecunda à media nocte nam octo iſtæ horæ numerantur à ſolis occaſu æquinoctiali. At Caſſinenſes ab ea hora qua vadunt cubitum has horas enumerandas ducunt, itaut octaua ipſis non ſit hora noctis ſed ſomni. Dabo verba formalia. nam in huius capitis expoſitione ſic inquiunt.* QVIA DISCRETIO inter potiſſimas virtutes maximè commendatur, propterea arbitramur, ſatis conſuli omni naturæ, ſi octo horæ à fine commeſtionis ſecundæ menſę vſque ad horam matutinam concedantur. At quoniam omnia ferè monaſteria noſtra, & præſertim quæ in ciuitatibus ſita ſunt, maximum habent populi concurſum, cui ſatisfacere quoquo modo tenemur, in diuinorum officiorum & Miſsarum celebratione, atque ob id ſępè non poſſit pro dormitione pulſari hora prima noctis nec exinde ſurgi hora octaua, iuxta Regulam, vt minùs quam poſsumus ab ea recedamus, declarando, ordinamus, vt à fine menſę ſecundę, ſiue cœna ſiue ientaculum ſit, ad minus prędictarum octo horarum ſpatium concedatur, vſque ad matutinam ſinaxim. Ita quod cùm cœnatur, tranſacto ad minùs vnius horæ ſpatio, pulſetur pro dormitione, reſiduumque dictarum horarum ſpatium ſit pro dormitione. Cum verò ieiunatur, à ientaculo, ſi id in ſero fiat, ſurgentes habeant itidem prędictarum octo horarum ſpatium, vſque ad matutinam ſinaxim, ſiuę immediatè, ſiue aliquo interpoſito temporis ſpatio, pro dormitione pulſetur, ſic enim dicemur octaua hora ſurgerę iuxta Regulam. Reliquarum verò horarum diſpoſitio, in arbitrio Prælatorũ ſit, habita tamen ratione locorum, perſonarum & temporum. Sint autem ſoliciti Prælati ac Decani, quod pulſata dormitione fratres per dimidiæ horæ ſpatium ad cellas ſe recipiant, ac dormitum eant, alioquin, legitimo ceſsante impedimento, ſemel & iterum corripiantur, deinde etiam pœna addatur, ſeueriorique correctione ſubdantur.

c MATVTINI) *hora eſt, quæ hodie vocatur laudum, & poſt vigilias decantatur.*

TEXTVS. Cap. 9.

a *Quanti pſalmi dicendi ſunt nocturnis horis;*

1003 Hyemis tempore, præmiſſo in primis verſu, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.* In ſecundo ter dicendum eſt: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit*

lau-

laudem tuam. Cui ſubiungendus eſt tertius pſalmus,& gloria. Poſt hunc nonageſimus quartus, cum Antiphona aut certe decantandus. Inde ſequatur Ambroſianum. Deinde ſex pſalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, dicto verſu, benedicat Abbas. Et ſedentibus omnibus in ſcamnis, legantur viciſſim à Fratribus in codice ſuper *d* analogium tres lectiones: inter quas tria Reſponſoria canantur. Poſt tertiam verò lectionem, qui cantat, dicat *Gloria*. Quam dum incipit Cantor dicere, mox omnes de ſedilibus ſurgant ob honorem, & reuerentiam ſanctæ Trinitatis. Codices *e* autem legantur in vigilijs tam veteris teſtamenti, quàm noui, diuinæ authoritatis: ſed & expoſitiones earum, quæ à nominatiſſimis Doctoribus orthodoxis,& catholicis Patribus factæ ſunt. Poſt has verò tres lectiones cum reſponſorijs ſuis, ſequantur reliqui ſex pſalmi *c* cum *Alleluia* canendi. Poſt hos lectio Apoſtoli ſequatur, *b* ex corde recitanda, & verſus, & ſupplicatio Litaniæ id eſt, Kyrie eleiſon, Et ſic finiantur vigiliæ nocturnæ.

a QVANTI *ponitur pro quot. Ita enim D. Bernardus de præcept. & diſput. Quanti abſque illa peſſima & rebelli voluntate non obediunt? Occaſio vocis acceptioni eſt vernaculum idioma: Italus enim dicet Quanti, Hiſpanus Quantos.*

b EX CORDE. *Hiſpanè de coro o de tabeca, hoc eſt memoriter.*

c CODICIS *nomine intelligimus communiùs manuſcripta & hinc locus ſcrupulo, vtrum in Choro debeamus vti libris typographicis an manuſcriptis. Vidi aliquos in ordine Ciſtertienſi Præſides, qui libros typis mandatos à communitate eliminabat, indicentes, vt Diaconus, Subdiaconus (imò & aliquando ipſe Sacerdos) in Eccleſia, Paſtor & Lector in clauſtro, choro & refectorio vterentur codicibus, hoc eſt, chirographicis. Lex erat ex plurium opinione inutilis, & ex omnium non niſi moleſtiſſima. Antiqui enim Religionis codices vix legi poßunt. Vacillant literę, compendio exotico ſæpe ductus analphabeticus æquiualet multis dictionibus, palleſcit atramentum, membranæ ſunt decretitæ, & idcirco, præcipuè tempore nocturno ſæpe contingit falli Lectores aliàs doctos & lynceos. Indicit D. Benedictus ne in choro fallantur: decernit cap. 45. pœnas pro negligentijs huiuſcemodi; cap. 38. ne legant qui ædificare nequeunt: certè qui malè legit, nequit ædificare, & codices vix vnus bene legit.*

Ex dictis colligo clariſſimè, non præpoſuiße S. Patrem chirographicos libris mandatis typo: quia nec typi tunc temporis cogniti, nec alij in vſu libri erant præter manuſcriptos. Voluiſſe nihilominùs quod opus Dei (ſic officium Diuinum nuncupat) exactè fieret, & nullus in pronuntiatione aut cantu error permitteretur: cumque codices manuſcripti in cauſa ſint, vt Monachi frequentiùs fallantur, & exſtent libri ipſiſſimi mandati typis exactiſſimis, tunc potius legi Benedictinæ ſatisfacies, cùm typographica exemplaria admittens præcluſeris aditum hallucinationibus, in quas frequenter incidunt legentes manuſcripta.

d ANA-

d ANALOGIVM *penultima producta eſt* ἀναλογῖον, *fortè meliùs* ἀναλογεῖον, *Hiſp. el Faciſtol, ſuggeſtum cui liber imponitur, quia* ἀναλογεῖον, *potius verterem Hiſpanè (el Pulpito) ſuggeſtum in quo Prędicatores concionantur, quia* ἀναλογεῖον *à verbo* λέγω *lego dicitur, &* λογεῖον *dicebatur locus in quo Poetæ, Comœdi, & Oratores, & Principes eloquebantur. Vide num.* 114. c. 4.

e ALLELV-I A *de hac voce inferiùs a num.* 1218.

DISPVTATIO LXXII.

Vtrùm ſit licita & laudabilis vocalis laus.

1104 NVlla vnquã extitit in mundo Reſpublica, quæ ſpeciem legitimę adminiſtrationis habuerit primum impoſitum Religionis fundamentum. Plato *in Cratylo* aſſerit, maiorem virtutem religione in Deum, nullam penes mortales inueniri: huncque finem legum propoſitum eſſe debere, vt Reſpublica Dei cultu & vitæ puritate optimum, & pulcherrimum exitum conſequatur. Et *lib. 4. de legib.* vt Rempublicam omnibus numeris abſolutam redderet, eam primò optimis legibus exornandam voluit: ſed cum ipſas authoritate pollere non niſi à Gubernatoribus dimanante cognoſceret, qui Publicæ rei præficerentur, vt poteſtate ita & prudentia præditos eſſe deberet monuit. Hoc addam dictamine gentili maius. Ratus vtrumque (nempe leges habere optimas, & præſides prudentes) eſſe omnino difficile, Dei auxilium ad Reipublicæ conſtitutionem inuocandum concludit: ineptè enim vrbis conditor lapides erigit, qui nondum cor, ante omnia enim Numen colere oportet.

1105 Religionem duo præ ſe ferre docuit Auguſtinus *de vera relig. ca. 1.* vt bene ſciliget de Deo ſentiamus, & rectum ei exhibeamus cultum. Primum ſuis legibus præfixit Thales apud Ciceronem *li. 2. de leg.* vt ſit hoc à principio omnibus perſuaſum, Dominum eſſe omnium rerum ac moderatorem Deũ, & ea quæ geruntur, eius geri iudicio ac numine, eundemque optimè de hominum genere mereri, & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, piorumque ac impiorum habere rationem. Percalluit hanc veritatem Romulus, qui quamuis verum Numen non fuerit aſſecutus, naturę tamen ductu aliquod Numen intelligens, ſimul atque Rex fuit ſalutatus, ſacra quædam inſtituit, deinde verò magiſtratus politicos: & cùm ſacris ac Religione ciuitatem præcipuè contineri exiſtimaret, metuens ne illorum vileſceret dignitas, aut his neglectis, populus profanus efficeretur, magnam eorum curam geſſit, & inter cætera, quæ muneris Regij eſſe voluit, primum fuit ſacra curare & ſacrificia, vt docet Dionyſius Halicarnaſ. libr. 2. Dauid, vt omittam ethnicos, a Deo electus, Regnum ſuum à reſtauratione diuini cultus eſt auſpicatur. Eapropter nos conditos ac in lucem editos diuina teſtatur philoſophia. Deut. 26. *Dominus eligit te hodie, vt ſis ei populus peculiaris,* (vel, vt habent Hebræa, *populus theſauri,*) id eſt, quem vt theſaurum

curet

curet & ſeruet) *ſicut loquutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius: & faciat te excelſiorem cunctis gentibus quas creauit, in laudem, nomen, & gloriam ſuam: vt ſis populus ſanctus Domini Dei tui.* Vbi non in alium finem nos natos, vitæque huius vſa donatos aſſerit, niſi in laudem, nomen & gloriam Dei: & quidem creaturas omnes propter ſemetipſum, Deum creaſſe docet Sapiens. Vnde Proſper *lib. 2. de vacan. gent. c. 1.* cùm ipſas Dei teſtimonium, quod ipſi ſemper deſeruit, neque de illius bonitate & potentia vnquam conticuit, appellaſſet, ſubdidit: *Cælum ergo, mare, terra, & omnia quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſq; conatu proteſtantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maieſtatem ſui loquuntur authoris.* Hinc Philo *libr. de vnit. Dei & duplici templo*, mundum Dei templum appellat, de quo plura S. Scriptura *Pſal. 18. Sap. 13. & Paulus ad Rom. 1.* Quæ cùm ita ſint, non immeritò Lactantius *lib. 3. inſtit.* multis probat Religionem ſolam eſſe quæ hominem à brutis animantibus diſtinguit: Deum enim cognoſcere, cognitum deſiderare, deſideratum quærere, quæſitum inuenire, inuentum amare, amato potiri, ab eoque omnem felicitatis & incolumitatis ſuæ ſpem expectare, vltra hanc vitam & vltimos cineres alteram vitam longè meliorem ſperare, humanę naturæ decus eſt & inſigne.

1106 Sed inter Religionis actus, ea pars, quæ diuinum cultum per orationem vocalem reſpicit, ſemper in Eccleſia Catholica ſeruata eſt, vtpote Deo gratiſſima & accepta, quæ, vt nunquam in ea deficiat, perſonas Eccleſiaſticas in id muneris deputauit, quibus ex officio conuenit Deo gratias rependere & ipſius perpetuas laudes prædicare. Habemus eius rei appoſitiſſimum ſymbolum apud Euangelicum prophetam Iſaiam, nam is cùm *cap. 6.* diuinam domum à ſummo cœlo vſque ad extrema terræ limina pertingentem muſicis Canticis diuitem retuliſſet, ſic ait: *Plena erat domus maieſtate eius, & quæ ſub ipſa erant replebant templum: Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. plena eſt omnis terra gloria eius.* Hoc enim templum, magnum eſſe mundi ſpectaculum, diſertè docet Auguſtinus *5. Confeſ. c. 5.* & Bernardus *ſerm. 18. in Cant.* vt omittamus Platonem & Philonem locis ſupracitatis. Hæc autem domus plena eſt maieſtate Domini, adeò vt tumidi philoſophi diuinitatis præſentiam minimè potuerint ignorare. Vniuerſalis tamen Eccleſia in triumphantem & militantem cęlitùs diſtributa, in ipſius authorem continuas congerit laudes, de illa quidem dicit Propheta: *Seraphim ſtabant ſuper illud*, id eſt, circum vel iuxta illum; id enim ſignificat vox על *al* Conſtat ex Dauidis Pſalmo CXXXVI. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus dum recordaremur Siòn*: neque enim Hebręos ſuper flumina Babylonis, ſed iuxta illa ſediſſe credendum eſt: neque ſuper ollas carnium *Exod. 16.* Cherubim ergo ſtabant iuxta Deum, quibus ſimiles ſunt Religioſi; ſunt etenim Angeli Eccleſiæ militantis, & Deo propinquiores, concelebrant laudes diuinas.

1107 Ad eas olim regius Vates inuitabat dicens, *Pſal. 32. Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.* Illud enim *exultate* non eſt *vtcumque laudare*, ſed cum lætitia magna. Propoſitio autem ב *Beth* accuſatiuum indicat ſicut [*æmulari in malignantibus*] *pſalm. 36.* & [*admirari in doctrina.*] *Marci 6.* Vnde Hieronymus cum Chaldęo, *Laudate iuſti Dominum*, id eſt, *Glorificate illum*, &c. Has diuinas laudes appellat idem propheta, *vitulum nouellum Deo gratiſſimum*, Pſalm. 68. & quas

no-

noſter Vulgatus Oſeæ 14. *Vitulos labiorum* dixit, Septuaginta *fructum labiorum* dixerunt. Et Paulus ad Hebr. 13. *Perpetuam ergo offeramus hoſtiam laudis, id eſt, fructum labiorum confitentium eius*.

1108 Sed inter Eccleſiaſticos miniſtros hæc quotidiana diuinorum officiorum decantatio Religioſis congregationibus maximè familiaris eſt, ac inter eorum ſtudioſa opera ferè primatum tenet; eſt enim præcipuus ſcopus, quò tendit hæc ſpiritualis ſchola atque monaſtica inſtitutio. Ea propter Dionyſius de *Cæleſt. hierarch. cap. 6.* monachos *θεραπευτὰς* appellat propter diuinum cultum, cui addicti ſunt; nam Eccleſię volucres, & Dei præcones eſſe debent. Hinc Bernardus Serm. 11. *Inuenitur, in Eccleſia vox laudis, vt quod in cælis facturi ſumus cum Angelis, hoc iugiter in Dei laude meditemur in terris*. Et Auguſtinus *de doctr. Chriſt. Deus, cùm de illo nihil dignè poſſit dici, admiſit huius vocis obſequium, & verbis noſtris in laudem fuſis gaudere voluit*. Vnde Ethnici, quibus Deus hanc gratiam non fecerat, ſilentio tantùm exiſtimabant cęlicolas laudandos eſſe, quod Harpocratis ſymbolum denotabat. At Eccleſia Spiritu ſancto illuminata, vbi Religiones ſecundùm euangelicum ordinem inſtituit, quas rei ſpiritualis gratia admiſit, eaſdem diuinas laudibus mancipauit; intelligens ſanè hanc eſſe potiſſimam contemplationis functionem. Concentum Eccleſiæ militantis, & ſilentium Gentilium coniunxit aptè Pſaltes Rex carmine: *Te decet hymnus Deus in Sion*. Sed, *Te decet ſilentium*, legunt alij; quia Deo eſt gloriæ à Catholicis coli, ipſi eſt gloriæ à Gentilibus non coli. Gentes aſſerunt ſuos Deos corporeos & calamitatibus ſubditos eſſe. Colat ergo Deum noſtrum, Gentium ſilentium; quia ei competere talia non poſſunt, colat eum Romanæ Eccleſiæ vox, quæ in puritate & veritate dogmatum de Deo prædicat ſinceras laudes.

Hoc rectè perpendens D. Pater Benedictus, quomodo monaſtica congregatio in hoc munere ſe exerceat, per plura capita decernit; & primò *de diuinis officijs in noctibus*. Habet hoc per antonomaſiā diuina laus, vt *operis Dei* vel *officij diuini* nomen ſibi vendicet, eo quòd tota pro cultu Dei ſit inſtituta, vel quia magnum & præexcelſum quid eſt: ſicut enim Gręci ſapientes; vt aliquid magnum & pręclarum ſignificent, *ſacrum* illud appellāt, vt ſacram anchoram, ſacram lineam: ſic ſcriptores ſacri; cùm rem inſignem & præexcelſam ſignificare volunt, diuinam appellationē ſolent adhiberi; ſic Pſalm. 79. dicuntur, *cedri Dei*, id eſt, proceræ & magnæ. Ezech. 1. *Viſio Dei*: Ion. 3. *Ciuitas Dei*, & denique *currus Dei*, *terror Dei*; & alia plura, quę paſſim occurrunt in Sacra Scriptura. Simili ratione D. Pater Benedictus diuinas laudes *Officium diuinum*, & alibi *opus Dei* vocat: tū quia Deum reſpicit, tum etiam quia eſt excellentiſſimum, & nobiliſſimum inter hominum politicas occupationes. Hoc enim nomine vſus eſt Fabianus primus *Epiſ. 1. ad omnes Epiſc.* & *in ca. Dolentes de celebr. miſſ.* & *in Conc. Aquiſgr. 1. tempore Ludou.* 131. dicitur etiam *Eccleſiaſticum officium*. In *Clem. 1. de celebr. miſſ.* quia per Eccleſiam eſt approbatum & traditum, vt conſtat ex *cap. in die, de Cenſ. d. 5.* Item habetur in duobus præcedentibus cap. ex *Concil. Agath. c. 30.* & *Gerund. ca. 10.* Sed nomen *diuinum*, quod illi tribuit D. Pater, excellentius eſt, & ipſius dignitatem magis exprimens; nam licèt omnia, quę ad pietatem ſpectant, poſſint dici opus Dei, laus tamen diuina iure optimo hunc ſibi honorem præſcripſit, eo quòd omnino ad cultum Deum pertineat.

Inquit Pſalmo 6. *per ſingulas noctes lectum meum, & lacrimis mei ſtratum meum rigabo,* quod optimè expendit Caſſiodorus explicas illud Pſalmi 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine,* & Hilarius eo loco, & Hieronymus in epiſt. ad Euſtoch. *Semper ingemina: ſuper lectum meum in noctibus quæſiui quem diligit anima mea, eſto cicada noctium, laua per ſingulas noctes lectum tuum, &c.* Audi & eundem pſalmiſtam Pſalmo 19. *Bonum eſt confiteri Domino & pſallere nomini tuo altiſſime, ad annuntiandum manè miſericordiam tuam per noctem,* vnde Hieronymus: *Chriſtianorum, & monachorum eſt maximè in noctibus peccata ſua cōfiteri.* Et demum Hilarius in Pſalm. 11. *Non vacat totis noctibus ſomno, neque otioſus lecto continetur, ſed ad confitendum Deo non ſolùm nocte, ſed etiam nocte media conſurgit, meminit hoc eſſe tempus, quo primitiæ Aegyptiorum meritiſſima impiæ obſtinationis clade percuſſæ ſunt; hi ergo horis non laxatur in ſomnum, ne cladi Aegypti admiſceatur; hoc noctis tempore, introeunte ſponſo, ſapientes virgines in nuptias cum lampadibus introibunt; vigilat ergo, ne cum ſtultis mereatur excludi: hoc tempore orantibus Paulo & Sylæ catenæ vincula reſoluuntur: non dormit itaque cùm vinctus ſit, neque eum habet totius nocturni temporis ſomnus, neque obliuio officij ſui neque mediæ noctis obripit, ſurgit ad confitendum Deo, &c.* Sed age, concedamus Dauid ſemel tantū media nocte ſurrexiſse, optimè Hieronymus epiſtola citata, quæ incipit, *Multa in orbe monſtra,* quod ſemel factum bonū eſt, non poteſt malum eſse, ſi frequētiùs fiat, aut ſi aliqua culpa vitanda eſt, non ex eo quod ſæpe, ſed ex eo quod aliquando fit, culpa eſt.

DISPVTATIO LXXIV.

De Temporis diſtributione.

1111 *Hyemis tempore,* ait S. Pater, *id eſt, à Kal. Nouemb. vſq; ad Paſcha, iuxta conſuetudinem rationis, octaua hora noctis ſurgendum eſt, vt modicè ampliùs de media nocte pauſetur, & iam digeſti ſurgant.*

1112 Hæc verba D. Patris adeò difficilia ſunt propter diuerſas diei ac noctis computationes, vt qui illas minùs conſiderauerit, in ſenſus longè alienos à mente D. Patris incidat, neceſse ſit. Errat Cardinalis, qui octauam horam ſumendam exiſtimat ſecundùm proportionem ad tempus Kalendarum Nouembris, errant alij, qui Cardinali ſubſcripſerunt. Igitur pro huius rei inteligentia ſupponendū eſt, diem diuerſi modè ab Authoribus computari. Primò diuiditur dies in naturalem & artificialem. Dies naturalis dicitur, qui integro ſolis circuitu perficitur; nam licèt vulgus ſolam ſolis præſentiam ſuper terram, diem appellare conſueuerit, vt ait Plinius *lib. 2. cap. 77.* & Amalarius *de ordine Antiphon. cap. 6.* noctem tamen ſub diei naturalis appellatione cōprehendi docent Iſidorus *lib. 5. Ethymolog. cap. 30.* & *de nat. rerum cap. 1.* Beda *de diuiſion. temp. c. de die.* & *lib. de ratione comput. capit. 3.* & *de rat. temp. c. 3.* & *de temporibus cap. 7.* Anſelmus *lib. 2. de imag. mund. c. 3.* & patet ex illo *Gen. 1. factum eſt veſpere & manè dies vnus.* A termino enim lucis diurnæ dicitur ibidem. *Factumque eſt veſpere,* & à termino nocturnaru tene-

brarum ſubiungitur, *& manè*. Sic Magiſter *in 2. d. 13.* & S. Thomas *1. p. q. 74. a. 3. ad 6.* & Caietanus *3. p. q. 51. a. 4. ad 1.* Vnde Baſilius *homil. 2. Hexam.* explicans prædicta verba, ait: *Vt igitur principium creationis honorem diei adſcriberet, finem prius diei memorat, deinde noctis, quippe quæ ſemper ſequitur ipſum diem.* Idem Ambroſius *lib. 1. Hexam. c. vlt.* quem tranſcripſit Euthym. *lib. 1. in Geneſ. c. 2.* Continet ergo dies naturalis 24. horas æquales, ſiue æquinoctiales, dicunturque æquales, quia ſemper ſunt eiuſdem magnitudinis ſeu durationis: vnde, ſicut dies naturalis continet 360. gradus æquatoris, ita quoque vna hora æqualis complectitur 15. gradus æquatoris; nam ex integra æquatoris reuolutione efficitur dies naturalis. Dicuntur verò æquinoctiales, quia ad vniformem motum æquinoctialis circuli referuntur, & tanta eſt cuiuſlibet horæ duratio, quanta eſſe ſolet horæ, quæ eſt pars duodecima tam diei quam noctis in æquinoctio.

1113 Pri[illegible]um diei variè à varijs admiſſum, [illegible]us *lib. 2. c. 77.* omnium ferè ſententias breuiſſimis verbis complectitur. *Ipſum diem*, ait, *alij aliter obſeruauere. Babilonij inter duos ſolis exortus; Athenienſes inter duos occaſus: Vmbri à meridie in meridiem, vulgus omne à luce ad tenebras: Sacerdotes Romani & qui diem definiuere ciuilem, item Aegyptij & Hyparchus à media nocte in mediam.* Vmbris ſubſcribunt Arabes & quotquot per ephemerides erronibus cæleſtibus leges dixere. Athenienſes didicere ab Hebræis, quibus erat veſpere & manè dies vnus: Aegyptijs ſubſcripſimus Europæi, qui incipimus à media nocte. Ex aſtronomis Hipparcus olim, & à duobus ſæculis Nicolaus Copernicus conſtituerunt diei initium in ſeptẽtrionali meridiano. Iſta de naturali.

1114 Dies verò artificialis computatur ab ortu ſubſtantiæ ſolis ſupra horizontem vſque ad illius occaſum, diuiditur in duodecim horas inæquales, ſiue cõtineat plures æquinoctiales, ſiue pauciores; totum enim illud ſpatium in duodecim horas ſecandum eſt. Inæquales verò dicuntur per comparationem ad horas nocturnas eiuſdem diei, ſiue ad horas alterius diei, vel ad æquinoctiales, quæ diuidunt diem naturalem; tantùm enim in æquinoctio congruunt huiuſcemodi horæ horis æquinoctialibus tam in die quàm in nocte; ſed tamen inter ſe æquales ſunt, vt notat *Ioã. Stofler. in lib. de fabrica & vſu aſtrolabij. p. 2. propoſ. 6.* Clauius ad *c. 3. ſpheræ Ioan. de ſacro boſco p. 2.* & idem *de noctium diſtinct.* Dies enim æſtiuus vbi continet ex horis naturalibus quindecim, & nox nouem, ſi in duodecim horas diſtinguatur, continebit qualibet hora 75. minuta: & ſi nox eiuſdem diei in duodecim horas ſimiliter diuidatur, quælibet illius hora tantùm 45. minuta complectetur, cùm tamen hora diei naturalis ſemper habeat 60. Sic Auguſtinus *de vera Religione c. 43.* Beda *de rat. comput. c. 1.* & *de rat. temp. c. 2.* Rodiginus *lib. 12. lect. antiq. cap. 9.* vbi plures Authores refert in hanc ſententiam, neque eſt incognita in iure *l. 1. ff. de manumiſſ.* Hæc autem diei artificialis diuiſio fundamentum expreſſum habet in S. Scriptura, dixit enim Chriſtus Ioan. 11. *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* quod non niſi de horis inæqualibus & die artificiali poteſt intelligi, vt docent communiter Interpretes; & Ioan. 1. *Hora autem erat quaſi decima*, & cap. 5. *Heri hora ſeptima reliquit eum febris.* & Matt. 20. *Circa vndecimã verò exijt.* Vndè conqueruntur operarij, quod vna tantum hora fecerint, & ſicut illi integrum acceperint denarium. De horis autem diei naturalis, licèt aliqua teſtimonia ſoleant adduci; nullum tamen, quod viderim, ita vrget, quin de horis artificialibus poſſit intelligi.

1115 Nox apud veteres diuidi ſolebat

bat

bat in quatuor partes, æquales quidem inter ſe, maiores verò vel minores iuxta noctium longitudinem vel breuitatem, ſingulæ autem tres horas continebant. Sic Modeſtus de vocabulis rei militaris: *Et quia*, inquit, *impoſſibile videbatur in ſpeculis vigilantes, ſingulos permanere; ideò in quatuor partes ad clepſydram ſunt diuiſæ vigiliæ, vt non ampliùs quàm tribus horis nocturnis neceſſe ſit vigilare.* Idem Vigilius *de re milit. lib. 3. c. 8.* Suidas. Quod adeò certum eſt non ſolùm apud prophanos, ſed etiam eccleſiaſticos Authores, vt probatione non indigeat. Videndi ſunt Cicero *lib. 3. epiſt. epiſt. 7.* Cæſar *lib. 1. de bello Gallico*, & de his loquitur Plinius *lib. 2. c. 29.* Ptolemæus etiam paſſim *in magno ſyntagmate Aſtronomico li. 4. c. 6. & lib. 5. c. 3. & 5.* & *Liuius* frequẽter, item Almãſor inſignis aſtronomus *propoſ. 117.* Auguſtinus ad *c. 5.* *Nũ* & *ſer. 14. de verb. Domini.* Hieron. *epiſt. 139. ad Cyprian.* & ad *Pſalm. 89. ad cap. 14. Matth.* & *35. Iob.* Has noſtri *cuſtodias*, alij *excubias* vocant: *Sed meliùs*, Auguſtinus inquit, *vigiliæ nocturnæ dicũtur.* Item Euthym. *ad Pſal. 129.* Iſidorus *lib. 11. de eccleſiaſt. officijs c. 19.* Has quatuor noctis partes antiqui primam vigiliam, ſecundam, tertiam & quartam appellabant, vt ait Cenſorinus *de die natali c. 23.* Fit mentio primæ vigiliæ Treno 2. *Conſurge in nocte in principio vigiliarum tuarum.* & Liuius lib. 1. decad. 3. *Delige cemenos viros ex omni pedite atque equite, cum quibus ad me vigilia prima venias.* Plinius lib. 2. c. 70. *Canopus in Arabia Nouembri menſe prima vigilia occultus, ſecunda ſe oſtendit.* Secundæ & tertiæ Luc. 12. *Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit.* Et de vtraque Lucanus li. 5.

Tertia iam vigiles commouerat
hora ſecundos.

1116 Quartæ autem, quæ matutina & vltima dicitur, Exod. 14. *Factum eſt in vigilia matutina.* 1. Reg. 11. Matth. 14. Marci 6. Accinit Plinius *lib. 10. cap. 21.* Has noctis partes Chriſtus alijs nominibus diſtinguit Marci 13. *Neſcitis enim quando Dominus, ſero, an media nocte, an galli cantu, an manè.* Vnde Arnobius ad Pſalm. 129. primam cuſtodiam à veſpere incipere ait, ſecundam ad medium noctis attingere, tertiam pullorum tranſire cantum, & denique quartam eſſe vigiliam matutinam, quæ in ortum luminis adimpletur.

1117 Eccleſia ergo Catholica, quæ eſt velut caſtrorum acies ordinata, cui à communi hoſte perpetuæ tenduntur inſidiæ, ac ſimilitudinem militarium excubiarum à Chriſto Domino edocta eccleſiaſticis perſonis excubias agendas inſtituit, maximè in nocte, vt docent Hilarius ad illa verba Pſalmi 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine.* & Ambroſius *lib. 7. in Lucam* ad illa verba: *Quis veſtrum habet amicum, &c. ſi media nocte importunè ad fores amici pulſans pati repulſam videatur, tamen ſi perſeuerauerit pulſans, dabit ille cuius imploratur auxilium, quidquid voluerit.* Idem habet Amalarius *de ord. Antiphon. cap. 4.* Vvaldenſis *de Sacramental. cap. 26.* nam cùm eſſet à Chriſto Domino inſtructa, & exemplis illius erudita, qui non ſemel legitur in oratione pernoctaſſe *Matth. 14. Marci 6. Lucæ 6. & 11.* ſtatuit nocturnas vigilias in laudem Dei à fidelibus celebrandas, tam ob ingruentes tyrannorum timores, quam ob carnis petulantiam & dæmonum infeſtationes coercendas. Omitto Dominum ſæpiſſimè nos ad vigilandum cohortari Matth. 24. 25. & 26. Marc. 13. Luc. 11. & 12. & Sapientiæ 18. *Oportet ſemper orare & non deficere.* vbi notauit Heſich. *orare* eſſe verbum militare; nam in S. Scriptura *orare* & *arma capere* pro eodem ſumuntur. In quam rem expendi poteſt illud Sapientiæ 16. n. 31. *Sed non diu permanſit, ira tua, properans enim homo ſine querela de-*

Ee 2 pre-

precari pro populis (*Græca, propugnauit pro populis*) *proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem*. Et adduci poteſt illud Pſalmi 76. *Nocte contra eum* (ſiue coram eo decertans orationibus) *& non ſum deceptus*. Sed & hoc digniſſimum conſideratione. Vltimum verbum, quod Chriſtus ſuis Apoſtolis ante paſſionem dixit, fuit, *vigilate*: quod autem illis dixit, nobis dictum voluit. *Matth.* 13.

1117 Sed cum horas inæqualeſque (Planetarias æquinoctiales) in hac diſputatione diſtingui audias, quibus fuerit vſus S. Pater, & quibus nos vti debeamus inueſtigas. Reſpondeoque me librum de Horologijs edidiſſe Louanij apud Bouretum anno 1644. & inſcripſiſſe *Solis & Artis adulteria*, & hanc incidentem quæſtionem *part. 1. lemmate XIII.* reſoluiſſe hiſce verbis. [*Nemo* bonus amicus, qui ſuis non prodeſt, nemo Patriæ amans, qui publici boni incurius non prouidet ſuorum vtilitati; ego quidem, ſic hucuſque ſcripſi, vt Patriæ & Ordini ſeruiuerim prout potui; in illius obſequium *Philippum, Reſponſionem Ioannem Bargantinum* (libri ſunt pro Rege noſtro ſcripti) in illius *Commentarium in Reg. & Benedicti, Scholion in eandem, S. Bernardi Triumphos*, & alia *opuſcula* ſimilia publicaui. At nunc occurrit difficultas Monaſtica, quæ tametſi malè torqueat innumeros, ex dictis facillimè reſolui poterit. *Inquiritur*, An horæ, quas computat S. Benedictus pro diuino officio, lectione, labore manuum, refectione, & alijs actibus Communitatis ſint planetariæ, an verò communes & æquinoctiales?

Fuerunt, qui illas reduxerunt ad planetarias, & rem omninò facilem difficilem reddiderunt, aſſerentes primam vna hora poſt verum Solis ortum lectũ iri, Tertiam à momento ortus & meridiei medio; Sextã in ipſo meridie; Nonam atomo meridiei & occaſui media; Veſperas vna hora ante occaſum: & poſt occaſum Completorium. Matutinas vna hora Planetaria poſt mediam noctem, laudes ſub auroram, cum Sol lineam crepuſculinam attingit.

Si hoc verum, nemo bonus Benedictinus, quin excellens aſtronomus: quia horæ hæ ſingulis diebus & locis, ob Solis motum & diuerſam ſphæræ obliquitatem mutantur, & quidem aut deberent exorbitare Monaſtica horologia, aut à Viris Mathematicis regi.

Sed eſto Sciatericis vterentur exactis: vel ſi malis, tempus ab Angelis determinaretur; adhuc hæc Planetaria horarum diſtributio Regulæ Scopo, & Legiſlatoris intento repugnaret. Neminem turbari, neminem grauari, neminem otiari iubet S. Benedictus, & frequenter inculcat talem debere eſſe conuerſationem religioſam, qualem nec inficiat ignauia, nec nimia difficultas officiat: atqui admiſſis horis planetarijs, tepor, torpor, ignauia & ſimul anxietas, oppreſſio & nimia difficultas admittitur: igitur horæ Monaſticæ non ſunt planetariæ & iniquę, ſed æquę omninò, & vt vulgus loquitur, æquinoctiales. Vt minor probetur, ſuppono ſomni legem eſſe ſeueriſſimam & indiſpenſabilem: veſtibus carere potes, ſomno non potes. Suppono etiam in republica benè gubernata tot horas ſomno indulgendas, quot regulariter omnibus ferè ſufficiant, (nam propter vnum aut alterum, non debent leges communes alterari, cum illorum fragilitati aut morbo ſubuenire poſſit rationabilis & prudens diſpenſatio) ſunto ſeptem iuxta illud,

Septem horas dormiſſe ſatis iuueniq; ſeniq;

nam & multos videris, quibus vitam adimas, in octo aut nouem concedas. Quibus poſitis intelligere velim, qui illæſa naturæ regula poſſit obſeruari Monaſtica, in regionibus quibus Polus 60. aut pluribus gradibus ſubrigitur

nam

nam in illis æſtiuæ dies ad XVIII.XX. & etiam XXIII. horas adſcendunt. Quis igitur tantus Arithmeticus, vt ex vna aut altera hora nocturna poſſit extrahere horas XII. officijs & miniſterijs nocturnis deſignatas? aut ſi pauciores ſufficere exiſtimes, inſtitue computum me duce. Si poſt occaſum Solis Completorium canitur, hora abſoluetur: neceſſaria naturæ, mentalis meditatio, conſcientiæ examen, & interioris hominis nocturna compoſitio alteram videntur exigere: ſomno non tam ſeptem, ſed ſex horas indulgeamus: Matutinæ, in catadromo agitetur pſalmodia, tres horas exigunt, laudes vnam: omnia ſimul duodecim aut plures complent, quas ſi in duabus aut tribus inuenire poſſis, magnus Arithmeticus es.

Tenendum igitur horas monaſticas non eſſe Planetarias ſed æquales & æquinoctiales, ita diſpoſitas vt viginti-quatuor totum circulum compleant, & ſexta diurna in meridiem, nocturna incidat in mediam noctem.]

Hucuſq; ego in Opere citato: addo tamen illas æquales horas, quæ debent canonico officio ſeruire, tales fuiſſe, quales ante annos paucos admiſſæ ab illo Authore Hiſpano, qui publicauit librum qui inſcribitur, *el buen Republico*: conſidera lineas ſequentes.

I.II.III.IV.V.VI.VII.VIII.IX.X.XI.XII.
7.8.9.10.11.12.1.2.3.4.5.6.

In prima ſunt horæ æquinoctiales à meridie & media nocte, in ſecunda Eccleſiaſticæ ſeu Planetariæ æquales illis correſpondentes. Vnde ſicut Aequinoctium Eccleſiaſticum diſtinguitur omninò à cæleſti, hoc enim 20. Martij aut fortè alicubi 19. at illud 21. diem conſtanter tenet. Sic etiam ortus ſolis cæleſtis & Eccleſiaſticus diuerſi ſunt, hora illius iuxta eiuſdem Solis varias declinationes, & varias ſphœræ obliquitates alteratur, hic conſtans eſt; hora enim ſexta à media nocte Sol Eccleſiaſticè oritur, & hora ſexta pomeridiana Eccleſiaſticè incidit.

Si horæ Canonicæ ſuis temporibus exactè celebrari deberent, hac poſſent lege gubernari.

Dies	*Ortus* VI. 12.	Prima VII. 1.	VIII 2.	Tert. IX. 3.	X. 4.	XI. 5.	Sexta XII. 6.	I. 7.	Q II. 8.	Non. III. 9.	IV. 10.	Veſp. V. 11.	*Occaſ.* VI. 12.
Nox.	*Occ.* Cõpl. VI. 12.	Q VII. 1.	Q VIII 2.	Q IX. 3.	Q X. 4.	Q XI. 5.	Noc. 1. XII. 6.	I. I. 7.	III. II. 8.	Q III. 9.	Q IV. 10.	Laud. V. 11.	*Ortus* VI. 12.

Hora ſexta æquinoctiali oritur Eccleſiaſticè Sol. ſeptima canenda eſſet Prima, nona Tertia, duodecima eſt meridies, & eſset canenda Sexta, tertia Nona, (ſunt, qui putent horas minores, nempe Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, non debere incipere, ſed finiri horis à nobis deſignatis; contra quos nihil occurrit.) quinta Veſperæ, ſexta occidit Eccleſiaſticè Sol, & eſſet cantandum completorium. Refectio habebatur diebus, quibus non ieiunabatur, poſt ſextas, hoc eſt, hora prima, in diebus ieiunij poſt nonas, hoc eſt, hora quarta, in quadrageſima poſt Veſperas, hoc eſt hora ſexta. Matutinorum Vigilia prima cantabatur ſub mediam noctem hoc eſt hora duodecima, ſecunda prima, tertia ſecunda. Laudes verò hora quinta, pro quiete & ſomno habebant inter Completorium & Nocturna horas quinque, inter hoc & laudes horas dicas. ante nonam horam vnâ quam obſeruatam fuiſſe etiam ante prândium cùm poſt nonas comederetur in Monaſterio Laudēti, narrauit mihi ſæpe

Reuerendiſs. D. Bernardus Campmans laborum in eodem Monaſterio particeps cum eſſet iunior.

Hæc erat antiqua Eccleſiæ diſpoſitio, eam tantiſper alterauit S. Benedictus in Regula. ſed iam vſus præualuit, & horæ aliter diſponuntur, nec vbique eodem modo, quam ob rem cenſeo mores conuentuales antiquos, hoc eſt, præſcriptos, circa cantū & prandium debere in quouis cœnobio conſeruari. (Nota tamē obiter Caſſianenſes in cap. XLVIII. nu. 2. docere horam nonam eſſe in ipſo meridie, vnde habuerint, alij viderint.)

DISPVTATIO LXXV.

Quo tempore agendum ſit officium Nocturno.

1118 Vt propiùs ad rem accedamus, de tempore, quo nocturna laus agenda ſit, dubitatio eſt non modica inter authores. Multi enim affirmant, quod, quando tria nocturna dicebantur, diſtribui ſolebant tribus diſtinctis vigilijs, vt primum in prima vigilia, ſecundum in ſecunda, tertium in tertia diceretur: Laudes verò in quarta iam prope auroram; at quando vnum tantùm Nocturnum dicendum erat, bis tantùm ſurgebatur, ſemel in media nocte ad Nocturnū, & iterum in quarta vigilia ad Laudes: quod videtur innuiſſe Hieronymus *epiſt. 22. ad Euſtoch.* dicens: *Bis & ter in nocte ſurgendum eſt:* cui accinunt Auguſtinus *ſerm. 14. de verb. Dom.* Euthym. ad *Pſalm. 129.* quod propter diuerſa Nocturnorum tempora accipiūt. Guillelmus Durantus *in Rational. diuin. offic. lib. 5. c. 3. n. 3. & 9.* Thomas VVald. *de Sacramental. c. 24. & 28.* Francolinus *de horis Canon. c. 1. n. 14.* & ſæpe repetit id eo libro. Nauarrus *de orat. c. 3. nu. 28.* Durantus *de ritib. lib. 3. c. 5.* Theodorus Peltanus *lib. de trib. bonorum oper. generib. lib. 3. c. 8. §. preces matutinæ & §. multa hic dicit.* Sot. *de Iuſt. & Iur. lib. vlt. q. vlt. art. 1. conſ. 5.* D. Thomas *in primam ad Corinth. 14. lect. 6.* Iſidorus *de diuinis officijs c. 110.* & Amalarius *de eccleſiaſt. offic. c. 7.* Et in eius rei confirmationem adducunt aliqui, quod dicitur *Eſdræ 2. c. 9.* Populum Iſraël adoraſſe Deum quater in die, & quater in nocte.

1119 Nihilominus tamen vnus, quē viderim, Azorius *lib. 10. ſuarum Inſtitut. cap. 2.* ſententiam iſtam in dubium reuocat, & ab antiquis Patribus minimè affirmari dicit, quod Iuniores ab illis dictum referunt: ſed tantùm ab illis diuidi noctem in quatuor militares vigilias vel cuſtodias, vt diximus ſupra; & quod eccleſiaſtici inſtar militarium excubiarum cantare conſueuerint Pſalmos in tres partes diſpertitos, ita vt ſimul cum trinis Pſalmorum partibus trinæ S. Scripturæ Lectiones & trina Reſponſoria recitentur, quæ tamen, quamuis conſequenter decantentur, reſpondeant tribus militaribus vigilijs. Fatetur tamen Laudes ſiue Matutinas à Monachis & aliquibus Clericis à Nocturnis diuidi, & per diuerſa tempora terminari. In quam rem teſtes adducit Amalarium *de ord. antiph. c. 7.* Hugonem de S. Vict. *libr. 1. de Eccleſ. offic. cap. 1. & 9. & in ſpeculo Eccleſ. cap. 3.* Radulphum *in libris de Canon. obſeruat. propoſ. 14.* Si ſincerè loquamur contra Azoriū, aut pro Azorio, verba Hieronymi nil probant; quia non loquitur de oratione publica, ſed de meditatione priuata, ſicut neque Amalarius, qui ſolùm

ſùm neceſſitatem orationis & vigiliæ proponit. Iſidorus poteſt Azorij expoſitioni ſubiacere, poteſt Hugo; non tamen D. Thomas, cuius verba ſunt fortia, clariſſimeque contra Azorium: *Antiquitus*, ait Doctor Angelicus, *dicebantur Nocturna diuiſim ſecundum tres vigilias noctis*; nec ſat illi viſum eſt dicere *diuiſim*, ſed addidit, *nunc autem dicuntur ſimul:* quod ſi loqueretur de diuiſione morali atque ſignificatiua, & non de phyſica; non ſubiungeret, illa nunc ſimul dici. Igitur ſenſit D. Thomas olim, inter Nocturna, temporis interualla fuiſſe, illaque accini ſolita varijs horis. Vvaldenſis etiam clariſſimè eſt in hac ſententia, & adducit quendam Florianum *lib.* 1. *de offic. c. de Matut.* dicentem: *Tunc & vigilias tribus horis diſpertimus, vt non ſolum verbo, ſed & facto tres vigilias prædicemus*. Et ita reuera exiſtimo aliquando hanc conſuetudinem viguiſſe, maximè diebus feſtis: ſed quanto tempore durarit, mihi incompertum eſt; certum eſt tamen tempore Caſſiani, quem paulò poſt quadringēteſimum Domini annum claruiſſe conſtat, moris fuiſſe Laudes in orientis partibus cum ipſis vigilijs pariter conſummari, licet in Galliæ monaſterijs poſt modicum temporis interuallum celebrarentur, vt ipſe docet *lib.* 3. *de inſtitut. monaſt. c.* 4.

1120 Sed poſtquam Nocturna inter ſe & ſimul cum Laudibus recitari cœperunt, dubium eſt de tempore quo recitanda ſunt, de qua re nihil ab Eccleſia certum & diffinitum habemus. Græci Patres communiter exiſtimant media nocte ſurgendum ad nocturnas vigilias: ſic Athanaſius *lib. de virginit. prop. fin.* Baſilius *in reg. fuſ. interrog.* 37. Chryſoſtomus *hom.* 42. *ad popul.* & 26. *in Acta.* quibus ex Latinis accedunt Hilarius *ad Pſal.* 118. Ambroſius *ibid. ſerm.* 8. & *ſerm.* 19. & *lib.* 7. *in Luc.* & Hieronymus *epiſt.* 8. *ad Demetriad. c.* 8. & *epiſt.* 27. *cap.* 10. Eorum præcipua fundamenta ſunt, quod Paulus & Syla in *Actis c.* 16. 25. ea hora laudabant Dominum, & denique authoritas Pſalmi 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*.

1121 Sed licet hæc conſuetudo laudabilis ſit & à pluribus recepta, Nocturna tamen in tertia vigilia recitanda affirmant alij, & conſuetudinem hanc in pluribus Eccleſiis receptam, refert Anton. 3. *p. tract.* 13. *cap.* 4. §. 4. Albertus de Ferrarijs & alij agentes de horis Canonicis: & hanc conſuetudinem Romæ receptam ſignificat Amalarius *in lib. de ord. antiph.* in cuius rei confirmationem adducit illud Dauid: *Præueni in maturitate & clamaui*. & ſubdit: *aut iuxta conſuetudinem noſtræ fragilitatis ſurgamus in gallicinio*. quod de ſecundo gallicinio intelligendum eſſe indicant cætera verba. Vide *Bellarm. Tract. de orat.* Et hæc eſt expreſſa ſententia D. Patris Benedicti in Capite, cùm dicit ſurgendum eſſe hora octaua noctis, vt modicè amplius de media nocte pauſetur. Sequutus eſt noſter D. Pater Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem; periculoſum enim eſt tranſgredi terminos Patrum. Quid autem intelligat D. Pater per mediam noctem, facilè eſt colligere ex his quæ diximus; cùm enim noctem artificialem in duodecim partes iuxta antiquam partitionem diuiſerimus, initiumque ab occaſu æquinoctiali ſumpſerimus, hoc eſt, ab hora ſexta poſt meridiem, octaua hora noctis erit ſecunda poſt mediam noctem; ſeptima enim hora, quæ apud Hiſpanos eſt *la vno*, tota pauſetur, & in octaua ſignorum interuallo facto quaſi horæ dimidiæ alacri animo & corpore, non pigro diuinæ laudis officium incipiendum eſt; & ita hunc textum intellexerunt antiqui Romani, & nos Ciſtertienſes obſeruamus: & iuuat quod dicit Vvaldenſis de Sacramental. ca. 24. nu. 4. *Omnes ſimul cum Laudib. ad vnam ipſorum vigiliam redacti ſunt, cùm pōdus*

Ee 4 *illud*

illud laboris, tot ſcilicet vigiliarum, infirma caro iugiter & continuò ſuſtinere non poſſet: quidam deuoti in prima noctis vigilia totum officium decantant: plurima verò pars Eccleſia, vt Cathedrales tenentes eccleſias, Monachi nigri, & Canonici ad ſecundam mediæ noctis vigiliam ſurgunt. Alij autem vt Monachi albi & cæteri religioſi in tertia noctis vigilia galli cantum obſeruant, clerici denique cum populo per maiores parochiales eccleſias quarta vigilia ranunt de manè, vt euangelica regula, quæ de diuerſis non obſeruatur: ab omnibus ſaltem integrato officio poſſit à ſingulis. Hæc ille. Nocturna, ſi competenti hora eſſent celebranda, deberent poſt mediam noctem in tertia vigilia celebrari: nam tempus pro Matutino ſiue Laudibus celebrandis, eſt manè, vt communiter probant Doctores. Anton. *3. p. tract. 13. c. 4. §. 4.* Nauarr. *in manual. de orat. c. 3. n. 39.* Alcuinus *de diuin. offic. c. de cæna Dom.* & colligitur ex ordine Romano antiquo in Rubrica de officijs diuinis à cœna Domini vſque ad octauas Pentecoſtes. Ergo ſi Laudes continuato cantu ſtatim poſt Nocturna celebrandæ ſint, non alia ratione id poſſe fieri certum eſt, quàm officium nocturnum circa finem tertiæ vigiliæ inchoando; nam cùm in hymnis Nocturnorum frequens noctis mentio habeatur, ſignificeturque in illis, aliquam noctis partem ſomno & refectioni membrorum tributam, trantactam eſſe, & in Laudum hymnis expreſſa fiat mentio de lucis aduentu: tale tempus eligendum eſt, ſi Laudes continuè poſt Nocturna celebrandæ ſunt, vt Nocturna in nocte, & Laudes manè concinantur; quod fiet, ſi Nocturna in tertia vigilia inchoentur. Fateor quidem plures Religioſorum Eccleſias tempus mediæ noctis ad Nocturna retinere, ſcimus & plures Canonicorum ſæcularium eccleſias ſub ſolis ortum officium nocturnum ſolere incipere: verùm ſicut illud diligenti ſtudio adſcribendum, ita hoc temporum fragilitati condonandum putamus; beati autem (Benedictinos intellige) tenuere medium.

1122 Neque obſtant obiecta in contrarium, nam quod de hora Dominicæ reſurrectionis aliqui obijciunt, falſum eſt, cùm Chriſtum manè in aurora ſurrexiſſe communis ſit Latinorum ſententia cum Auguſtino *lib. 4. de Trinit. c. 6.* & multis alijs in locis, & Sholaſticorum cum S. Thoma *3. p. q. 51. art. 4. & q. 42. art. 4. & quæſt. 53. art. 2. ad 3.* & patet ex illo Marci vltimo: *Surgens Ieſus manè prima Sabbathi*, &c. Vnde ſi hoc fundamentum alicuius eſſet momenti, potiùs Nocturna in tertia vigilia dicenda eſſent. Ad alia autem facilè reſponderi poteſt, *medium* intelligendum eſſe, non per æqualem diſtantiam terminorum extremorum, ſed per ſolam intra dictos terminos incluſionem, vt in propoſito declarat Turrecremata *ad c. 6. in fin. diſt. 61.* Idem docet S. Thomas *3. p. q. 51. art. 4. ad 2.* Quod verò de Paulo & Syla dicitur, minùs difficultatis habet, non enim dicitur tantum *media nocte*, ſed *circiter*, quod in tertia vigilia locum habet; idem enim dicit D. Pater Benedictus, *modicè amplius de media nocte pauſetur*; *pauſare* enim pro *quieſcere & ſomnum capere* vſurpat, & præpoſitionem *de* pro *poſt*, vel vt Hiſp. loquitur *diſpues*, in quo perſpicere licet noſtrum Hiſpanicum idioma meritò *Romance* eſſe vocatum, quia phraſes noſtræ reſpondent ſæpe Romano ſermoni iam vitiato & temporum negligentia corrupto, qualis eſt iſta, de qua loquimur; *modicè amplius de media nocte:* hiſpanicè dicerem: *Repoſeſe aſta poco deſpues de media noche*. quæ periodus ad litteram explicat verba noſtri Legiſlatoris. Puritas enim Latini ſermonis vitiata eſt iniuria bellorum, & barbarorum commercio, maximè Gothorum.

1123 Maneat ergo certum cum D. Pater, tertiam vigiliam aptiſsimam eſse ad Nocturna celebranda; octaua autem hora noctis in tertia vigilia eſt, vt à nobis explicatum manet. Illud autem, *Et iam digeſti ſurgant*, quod aliquos imperitos offendit, rectè intelligentibus vtiliter prolatum eſt; Idem enim eſt cum illo quod dixit Hieronymus: *Ad orationem tibi nocte ſurgenti non indigeſtio ructum faciat, ſed inanitas*. Certè Ambroſius ad Pſalmum 118. v. 62. *In nocte cibo feruere corpus, ſomno reſolui mentis vigorem, ſopore laxari, libidinem irrepere, perturbari cor*, aſſerit; Celebre enim eſt illud adagium, quod ex Heraclito exponit Galenus in libro quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, *Anima ſicca ſapientiſſima*, cui conſonat Clemens Alexandr. *lib. 2. Pædagog.* Vbi ſiccam animam iubar ſapientiſsimum & perſpicax eſse docet.

1124 *Quod verò reſtat poſt vigilias*, ait S. Pater, *à fratribus, qui Pſalterij vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſeruiatur*. Non dormire aut in lecto quieſcere iubet, vt aliquibus vſum eſt, ſed meditationi inſeruire. Certè ſponſa ſponſum dilectum quæſiuit, ſed non inuenit; quia ſi credimus, Philoni Carpatio, Anſelmo & alijs, quęſiuit in lectulo voluptatis corporeę, vbi minimè inuenitur dilectus ſponſus, qui in excubijs ſacris & orationibus crebris, non in ſomni tempore, ſed in vigiliarum oratione, & compunctione inuenitur; optimè enim Philo *lib. 2. Allegor.* explicans illud Exodi 33. *Omnis quærens Dominum egrediatur*, ſic ait: *Si quæris Dominum anima, à te ipſa greſſa quęre illum: donec enim manes in molibus corporeis aut mentis opinationibus, non es aptæ ad quærendas res diuinas*: & alter Philo Chriſtianus (Ambroſium dico) lib. de Iſaac & anima cap. 5. *Multi ſunt qui in otio quærunt Chriſtum & non inueniunt*. Manna enim manè colligendum erat. *Exod.* 12. ne calore ſolis difflueret; euigilandum enim eſt in rebus diuinis, & *præuenire oportet ſolem ad Dei benedictionē* Sap. 16. Vbi forſan alluſit Sapiens ad vulgarem opinionem de tempore matutino precibus ac ſacrificijs opportuno. Et quidem Gentiles matutinas ſalutationes Dijs gratiſsimas exiſtimaſse, ſatis indicat Arnob. lib. 7. aduerſ. gent. *Quid ſibi volunt*, inquit, *excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad tibia vocibus? obdormiſcunt enim ſuperi, remeare vt ad vigilias debeant?* Et Sen. epiſt. 96. *Vitemus ſalutationib. matutinis fungi, & foribus aſſidere tēplorū, humana ambitio iſtis officijs capitur, Deum colit qui nouit*. Simili ratione loquitur Apuleius lib. 11. *mileſiæ fabulę* & Ioſephus Scaliger *ad lib. 1. Tibulli eleg. 3.* Cautè Dauid manè Dominum exorabat *Pſ. 5.* & in matutinis meditabatur *Pſal. 62.* & oratione Dominū præueniebat *Pſal. 87.* Huius rationem reddit Chryſoſtomus homil. 26. in Act. *quia tunc purior anima leuiorque ſublimia videt, & aſtrorum choreas profundum ſilentium*, &cet. & inferiùs: *tunc officina ſpiritualis tibi ſeruiat vt reformetur anima*. Alludit Chryſoſtomus ad opifices, qui noctu ad fabrilia opera ſurgunt. Ex quibus arguit optimè Ambroſius *ad Pſ. 118. v. 62.* Si ſtudentes doctrinis ſæcularibus perparum ſomno indulgent, multò magis qui Deū cupiunt cernere, non debent ſomno corporis impediri, niſi quantum ſatis eſt; turpe quidem eſt (vt Clemens Alex. 2. Pedag. 9.) ſomnum non ſecus ac publicanum dimidium vitę tempus nobiſcū diuidere. Legimus Dauid inſtituiſse, vt vniuerſa Leuitaram tribus & Sacerdotes per ſuas vices diu noctuque circa cultum diuini numinis verſarentur. Teſtis eſt *Ioſeph. 7. Antiq. c. 11.* & huc forſan referēdum eſt illud Pſalmi 133. *Qui ſtatis in domo Domini in atrijs domus Dei noſtri, in noctibus*; ſic enim

voces iſtas continuandas docent Hieronymus & alij ex Hebreo. Vnde ſic Chaldęus: *Qui ſtatis in vigilijs domus ſanctuarij Domini, & laudatis per noctes*. Neque improbabile aliqui iudicant, cùm ſacrificium agni Veſpertinum fieret occidente ſole, quod per noctem totam agnum fruſtratim incenderetur Leuit. 6. Hinc Caſſianus lib. 3. inſtit. c. 5. *Nonnulli ignorantes completis matutinis hymnis, rurſus reuertuntur ad ſomnum, quod nō oportet, ne purificationem noſtram ſupplici confeſſione & antelucanū acquiſitam vel emergens quædam redundantia humorū naturalium polluat, vel illuſio corrumpat inimici, vel certè intercidens etiam puri ac ſimplicis ſomni refectio interrumpat ſpiritus noſtri feruorem, ac tepefactos, ſomni torpore, per totum diei ſpatium inertes deinceps ignauoſq; traducat.* & libr. 2. cap. 13. *Nec vlteriùs quiſque poſt purificationem vigiliarum nocturnarum in requiem ſomni iterum reſoluatur, donec ſuperueniente die nocturnę meditationi operatio diuina ſuccedat, ne fortè puritatem noſtram, pſalmis & orationibus acquiſitam, inuidus diabolus quadam ſomni illuſione contaminet*. Ex quo Auguſtinus in regula: *Poſt matutinas orationes ad ſomnū reuerti non liceat*. Sanè Benedictioni ex Laudibus ad Primas non dormiunt, ſed meditantur. Iuniores ſimul, memoriæ mandando Pſalmos, ſeniores ſeorſim & ſingulatim ſuæ priuatæ deuotioni aut neceſſitati ſatisfaciunt. Vide quæ notaui *ſuprà*.

A Paſcha, ſubiungit S. Pater, *vſque ad ſupradictas Kalendas Nouembris, ſic temperetur hora vigilarum agenda, vt paruiſſimo interuallo, quo fratres ad neceſſaria naturæ exeant, cuſtodito, mox matutini, qui incipiēte luce agendi ſunt, ſubſequantur*. Ex his verbis patet manifeſtè, vigilas nocturnas à Laudibus, quas Matutinas vocant, diuiſas eſſe diuiſimque celebrari & terminari ſicut reliquæ horæ canonicæ, & conſequenter octo ſunt horæ canonicæ, quod optimè probat ipſe *cap. 16.* & ſic intelligendi ſunt textus *cap. 1. de Celebrat. miſſ. & cap. presbyter quæſt. 1.* qui ex Regula noſtri Patris ſanctiſſimi tranſcripti ſunt. Hunc horarum numerum eſſe monaſticum, & in vſu apud Religioſos, aſſerit Amalarius *de ord. antiph. cap. 7. in princ.* Radulphus *de Canon. obſeru. propoſ. 14.* vbi notat, ſæculares coniungere vigilias matutinas Laudibus, & vtrumque abuſiuè Matutinas appellare. Et Hugo de S. Vict. *in ſpeculo Eccleſ. cap. 3. & lib. de Eccleſiaſt. officijs cap. 1. & cap. 9. in fin.* Vbi de vigilijs agens, *Hoc officium*, inquit, *ſecundùm vſum monachorum oratione ſicut cætera terminatur, in quo primariam dicuntur ſeruare inſtitutionem; noſtra autem conſuetudo humanæ infirmitati parçens & labori, officio prædicto Laudes matutinas continuat, & oratione vna duo claudit officia*.

In Monaſterijs obſeruantiſſimis ſic ſatisfit & menti D. Benedicti & Monachorum neceſſitatibus. Remanent in ſilentio poſt nocturna ferialia in ſuis ſtallis genuflexi, & qui vult, egreditur ſine licentia; poſt medium horæ quadrantem auditur ſignum, & incohantur Laudes.

DI-

DISPVTATIO LXXVI.

Cur, vnde, à quibus præmittitur canonicis horis ille verſus:

Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.

1126 VNiuerſos mentis compotes ſolitos eſſe inuocare Deum in cuiuſuis vel parui operis principio, dixit Plato *in Timæo.* Ex quo Demoſthenes, *epiſt.* 1. & confirmat Cicero 2. *de legibus* & *orat. in Vatin.* & Homerus *Odyß. lib.* 1.

——— *Qui ſemper ſacra Deorum*
Ante alios fecit, cumulãs altaria donis.

Huius rei contemptum videtur S. Scriptura obſeruaſſe in Cain, vt expendit Ambroſius lib. de Abel & Cain ad illa verb. Gen. 4. *Factum eſt poſt multos dies obtulit Cain de fructibus terræ,* vbi ait: *Duplex culpa, vna quod poſt dies obtulit, altera quod ex fructibus, & non ex primis fructibus. Sacrificium autem & celeritate commendatur & gratia.* Quod ſi gentilium Sapientes, dæmones eos, quos colebant, orare cupientes dixerint:

A Ioue principium nobis, hinc optimus orſus:

multò magis nos veri Dei cultores, tum à Deo incipere, tum in Deum deſinere oportet, quod in iambicis ſuis verſibus demonſtrauit acutè Nazianzenus.

Cuncta auſpiceris, finias cuncta in Deo.

Hic enim ordo tum ſermonis omnis, tum negotij præſtantiſſimus eſt, vt Dei memoria præcedat, ac rurſum eadẽ eorum fine tanquam ſigillum quoddam imponatur; ipſe enim *in Apocal.* 1. dictus eſt *Principium & Finis*: Principium, vt qui ortum nobis dederit: finis autem, vt perfectionis author, & ad quẽ, vt Dionyſius ait, omnia ſe conuertunt, ac deinde vt principalem conſeruatorem & finem appetunt, quod duplici illa littera græci alphabeti (nempe Α & Ω) ſignificauit Ioannes, & optimè explicat Tertullianus de Monogam. cap. 5. & ex illo Iſidorus libr. 1. Etymol. c. 3. *Sic oſtendit,* inquit, *in ſe eſſe & initij decurſum ad finem, & finis recurſum ad initium, vt omnis diſpoſitio in eum deſinat, per quem cœpta eſt.* Machabæos felici & ſecũda ſorte bella geſſiſſe, ſæpe legimus in eorum libris, *manu quidem pugnantes, ſed cordibus orantes,* lib. 2. cap. 15. obſeruaui tamen bis ſuperatos, ſemel ab Antiocho Eupatore lib. 1. c. 6. & iterum ibidẽ c. 8. vbi Iudas interijt: tunc autem Machabæi non dicuntur orationem ante certamen præmiſiſſe; etenim diuini nominis inuocatio, ipſiuſque auxilium robuſtos eos facit, qui priùs languido pauidoq; animo fuera. Quod vnà cum doctrina Apoſtoli 1. *Corinth.* 10. mente recolens D. Pater, omnia in Dei nomine facienda, principiumque totius officij docet ab illius adiutorio ſumendum, dicens: *Hyemis tempore præmiſſa imprimis verſu: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.*

1127 Hoc in Nocturnis proprium eſſe monachorum principium docet Durandus *in rational. diu. offi. lib.* 5. *c.* 2. & antiquos Patres refert Strabo *de rit. Eccleſiaſt. c.* 25. forſan propter do-

ctrinam

ctrinam Abbatis Iſaac, quam adducit Caſſianus *collat.* 10. de qua ſtatim; antiqui enim illi eremi apud Aegyptum incolæ, diſcipulos maximè nouitios, docebant verſiculum iſtum frequenti iteratione, etiam in medijs occupationibus & exercitijs corporalibus ardenti affectu in Deum quaſi ſagittam in ſcopum iacere, vnde *Orationis iaculatoriæ* nomen: nouellis enim tyronibus Dei cõtra aduerſarios auxilio maximè opus eſt. Quod autem in principio vigiliarum præmittendus ſit, non inuenio, niſi apud D. Patrem in hoc loco, ex quo à Carthuſianis & alijs monachis deſumptus eſt. Abbas Iſaac apud Caſſianum loco ſupracitato adeò verſiculum iuſtum extollebat, vt aſſereret ad perpetuam rei memoriam poſſidendã, hanc nobis inſeparabiliter propoſitam eſſe debere formulam pietatis, eò quòd exprimat omnes affectus, atque omni ſtatui, & contra omnes hoſtium incurſus ſatis propriè & conuenienter aptetur, & præ ſe ferat contra diſcrimina vniuerſa inuocationem Dei, piæ humilitatis confeſſionem, exauditionis fiduciam, ſolicitudinis & timoris perpetui vigilantiam, conſiderationem propriæ fragilitatis, confidentiam præſentis ſemperq; adſtantis præſidij, &c. Certè qui ſemper & in omnibus deſiderat adiuuari, fatetur quod non ſolùm in rebus duris & triſtibus, ſed etiam in ſecundis & lętis indigeat adiutore Deo. Et poſt longam per capitalia vitia & pericula inductionem, contra quæ præſentis verſus recitatio plurimum conducit, hortatur vt verſiculum iuſtum in quolibet opere ſeu miniſterio vel in itinere conſtituti concinere non deſinamus, ſed & illum dormientes & reficientes, & in vltimis vitæ neceſſitatibus meditemur; hunc contemplantibus nobis ſomnus irrepat, donec inceſſibili eius exercitatione firmati, etiam per ſoporem eum decantare conſueſcamus, vt expergefactis primùm occurrant, vigilantium cogitationes anticipet vniuerſas, de noſtro ſurgentes cubili curuationibus genuum tradit, atque illinc deinceps ad omne opus actumque deducat, ac omni tempore nos comitetur: hunc meditemur ſecundùm præcepta Legislatoris ſedentes in domo, ambulantes in itinere, dormientes & conſurgentes: hunc ſcribamus in limine & in ianuis cordis noſtri, hunc in parietibus domus noſtræ & penetralibus pectoris collocemus, ita vt hæc adoratione procumbentibus ſit accliuis decantatio, & exinde conſurgentibus atque ad omnes vſus vitæ neceſſarios incedentibus fiat erecta & iugis oratio. Hæc & plura alia Sanctus Abbas, & cap. 11. docet, hoc verſu paupertatem ſpiritus comparari, per quam nos nihil præſidij, nihil virium habere cognoſcentes, de aliena largitate quotidianum poſcamus auxilium.

1128 Abulenſis *ad cap.* 20. *Num.* exiſtimat, quod ex eo, quod Moyſes cùm eleuaretur Arca, dicere ſolebat, *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius*. Num. 35. inualuerit in Eccleſia conſuetudo, vt in principio horarũ canonicarum prēmittatur verſiculus, *Deus in adiutorium meum intende*, quod antea docuerat Amalarius *lib. de eccleſ. offic. cap.* 2. Sed illa verba potiùs deſumpta videntur ex principio *Pſal.* 69. Verùm, quidquid ſit de hac re, illud certum eſt, veteres Eccleſiæ Patres ſemper in neceſſitatibus diuinum hoc auxilium imploraſſe, cuius rei exemplum nobis dare poteſt Abraham, qui, cùm ſolicitus eſſet de quærenda vxore filio ſuo Iſaac, in quo facta fuerat illi repromiſſio de Christo venturo, ſtatim hoc diuinum auxilium ante oculos proponit Geneſ. 24. *Dominus cæli, & terræ, qui eduxit me de domo patris mei, & dixit mihi: Tibi dabo terram hanc, ipſe mittet angelum ſuum tecum, & accipies vxorem filio meo.* Simili ratione Iacob cap. 32. cùm ex Meſopotamia veniret, audiſſetque Eſau, quem inimiciſsimum puta-

putabat quadringentis equitibus ſtipatum ad ſe venire, timuit valdè, nouerat enim eius ferociam, ſæuumq; & ad cædes hominum peruerſum ingenium, ſibique infenſiſſimum ob paternam benedictionem præreptam, & primogenituræ dignitatem ablatam, ac timens valdè ad diuinum præſidium confugit dicens: *Deus Patris mei, &c. Domine qui dixiſti: reuertere in terram tuam, minor ſum cunctis miſerationibus tuis* (hebraicè, *paruus ſum à miſericordijs tuis*, eſt enim Hebræis mos propoſitione מן *Mem*, quæ ſignificat *ab*, poſitiuis adiuncta facere comparationem, neque alia comparatiuorum forma apud eos reperitur: neque enim dicerent, *melior ſum te*, ſed, *bonus præ te*: neque, *minor te*, ſed *paruus præ te*. Sic illud: *multi filij deſertæ*, id eſt, *plures*: & illud, *bonum eſt confidere in Domino*, id eſt, *melius*.] *Erue me de manu fratris mei, quia valde eum timeo*, vbi interlinearis: *Sic orat iuſtus, vt ſpem timore moderetur, & timorem ſpe conſoletur, ſignificans, vt noſtræ & domeſticorum ſaluti ratione conſulamus, & tamen Dei auxilium inuocemus*. Eodem modo Iudith cap. 9. volens populum ſuum ab Aſſyriorum oppreſſione liberare, ad diuinum confugit præſidium, dicens: *Domine Deus Patris mei Symeon, qui dediſti ei gladium in defenſionem alienigenarum; ſubueni, queſo te & reſpice caſtra Aſſyriorum.* Denique Abdias: *Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes miſit*, vbi Septuaginta, quod notauit Hieronymus, non *legatum* ſed *munitionem* legunt, *poſſumus*, inquit, *dicere, quod ipſe legatus noſter ſit, & ipſe munitio.* Et forſan eapropter Propheta Regius dicebat Pſalm. 34. *Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi*, vbi Auguſtinus: *Magnum ſpectaculum eſt, videre Deum armatum pro te*. Cùm igitur orationis tempore ſpirituales nequitiæ maximè infeſtent, diſtrahere ac perdere conentur, vt docet Alcuinus eo loco: meritò Monachi ſtatim in principio vigiliarum, benignitatem liberatoris Dei, ſolitum fauorē, & celerem opem implorant, qui & libenter occurrit: deſiderat enim vocari.

DISPVTATIO LXXII.

Verſus ille: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*, vnde deſumatur, cur a quibus.

1129 GEnebrardus *ad pſalmum* 50. Hebræos inquit ordinaſſe, vt in cuiuſque præcationis principio, verſus *iſte* recitaretur, tum quia commodus ad mentis præparationem impetrandam, tum etiam quia *incipit* ab אדני *Adonai*, quo nomine Abraham *Gen.* 15. primus altiſſimum inuocauit in oratione: Sic enim habetur in libro, cui apud eos titulus ברכות Berachot. Et rectè quidem, *nam ſine diuina ſapientia* (vt ait Gloſſa.) *neque humana mens aliquid cogitare, neque os proferre poteſt*. Sic faciebat D. Eligius *homil.* 1. imitatus Paulũm, qui ad *Eph.* 6. poſtulabat impetrari ſibi aliorum precibus apertionem oris, & à Coloſſenſibus cap. 4. petebat *orari pro ſe, vt ipſi Deus aperiat oſtium ſermonis ad loquendum miſterium Chriſti*, ex hoc loco probat Auguſtinus *libr.* 2. *contra duas epiſtolas Pelag. capit.* 2. nihil operis habere hominem, ſed totum eſſe à Domino, & in eam rem

adducit

adducit illud Prouerb. 16. *Domini eſt gubernare linguam*. Sic etiam intelligit illud, *Pſalm.* 80. *Aperi os tuum & implebo illud*, & eodem Prouerb. lib. c. 8. vbi nos dicimus: *Hauriet ſalutem à Domino*, Septuaginta dixerunt: *Præparatur voluntas à Domino*. Et in hoc loco petit Dauid ſua à Domino labia aperiri, quod explicat Ianſenius *ad. c.* 16. *Prouerb.* quod licèt ſit in poteſtate hominis per gratiam excitatrice præuenti, cogitare piè quid loquatur: tamen id benè loqui valeat, egere nouo auxilio gratiæ, quo Deus linguam gubernet ac moderetur; & eapropter Eſther c. 14. petebat tribui ſermonem compoſitum in ore ſuo in conſpectu leonis: orationi autem maximè inſidiari diabolum, docet Climacus *grad.* 28. Itaque diuinum præſidium eo tempore maximè neceſſarium eſt. Sed quomodo labia ſibi aperiri petit, labijs ipſis iam apertis? fortè quia perfectiùs & diutiùs aperiri ſibi vult? vel potiùs, quia ita promptè exaudit Deus, vt antequam clamemus exaudiat, quod olim dixerat Iſaias cap. 65.? Audiſſe enim Dominum tacitam Moyſis cogitationem, & ea ſe vehementer vrgeri habemus Exod. 32. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos*. Quod eodẽ modo ſignificauit Dauit Pſalmo 9. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua*. Sed reuerà propriè loquendo, deſiderium non eſt oratio, donec accedat annuntiatio per ſermonem, ſaltem internum, vt docet S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *art.* 2. Sed quia à Deo taciti ac mente petimus quod deſideramus, ipſum deſiderium dici ſolet oratio, & in hoc ſenſu D. Pater Bernardus *ſerm.* 73. *in can.* deſiderium vocem appelat & *ſerm.* 6. dixit: *Non expectat Deus verba, ſed ſolis cogitationibus aduocatur*. Sed quia ante orationem anima præparanda eſt, ne ſimus quaſi homines qui tentant Deum, hæc autem præparatio, vt diximus, ab ipſo Deo eſt, optimè Hieronymus in loco: *Præparaſti cor eorum, audiat auris tua*. Alij ex Hebræo: *præparas cor eorum: attendere facis aurem tuam*. Regia & Complut. *præparationi cordis eorum attendit auris tua*. Symacus in accuſatiuo legit, ſed *propoſitum* dixit Caſſiodorus *concupiſcentiam*. Verùm ſiue dicas *deſiderium* ſiuè *concupiſcentiam*, certum eſt, vt ait S. Thomas, illud bonum eſſe ex gratia & præparatione Dei. Et quia oratio eſt veluti oſtium, per quod in anima ingreditur Spiritus Sanctus & vitalis flatus ſanctorum affectuum, ab intimis præcordijs ad cælum mittitur, non ſecus ac externa labia hoſtium ſunt vitalis ac corporeæ reſpirationis, quorum inſtar anima ſeſe aperiens, & gratiæ deſideria ex intimis emittit, & gratiam de cælo cum diuino attrahit ſpiritu, iuxta illud *Pſal.* 118. *Os meum aperui & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam*. Vt igitur oratio perfecta ſit, oratione impetrandum eſt, & propterea non ſemel, ſed ter repetendum hunc verſum: *Domine labia mea, &c.* in principio vigiliarum præcipit D. Pater eique ſubiungendum pſalmum tertium, quem in ſenſu tropologico his aptari, qui pugnam ſuſtinent viſibilium aut inuiſibilium inimicorum, ſententia eſt grauiorum interpretum, nempe Auguſtini, Hieronymi, Euthymii, Remigij, D. Thomæ & aliorum, & in eius fine adiungendum dicit: *gloria Patri*, de quo ſit ſequens controuerſia.

DI-

DISPVTATIO LXXVIII.

De *Gloria*, quæ in pſalmorum atque hymnorum fine dicitur Patri & Filio & Spiritui Sancto.

1130 HAec glorificatio Trinitatis, quæ ab Antiquis *hymnus glorificationis* dicta eſt ſemel cum fidei profeſſione eſt actus Religionis, quo Deum laudamus. Ratione primi profitetur in Deo eſſe trinam hypoſtaſin ſiue perſonarum diſtinctionem contra Sabellium, qui dicebat Deum eſſe patrem, & Filium & Spiritum ſanctum, negabat tamen eſſe diſtincta ſuppoſita, ſed vnum, quòd ratione diuerſorum effectum his nominibus vocaretur, vt referunt Baſilius *epiſt. 64. ad Prudentiores & doctiores Cæſareæ*, & Hilarius *1. de Trinitate*. Hos hunc errorem deteſtamur dicentes, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, quibus verbis inſinuamus perſonarum diſtinctionem, æqualitatemq; earumdem contra Arium profitemur, & earum vnitatem in natura, dum non repetita gloria, ſed vnica tantum tres glorificamus. Quod notat Atanaſius *orat. cont. Sabellij gregales*, & ad illa verba *Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*. Per hoc quod non in nominibus, ſed vnico tantùm nomine poſito dicitur vnitatem eſſentiæ notari, docet Ambroſius *lib. 1. de Spirit. Sanct. c. 14. & li. 2. in Luc. c. 3.* & omnes quos vidi. Hugo ad *pſalm. 65.* dicit, quòd cùm olim *gloria* ter diceretur *Gloria Patri, Gloria Filio, Gloria Spiritui Sancto*, propter Arianos inſtitutum ſit, vt ſemel tantùm dicatur. Nec ſolùm nos hic verſiculus ad hæreticis diſtinguit: ſed inſuper etiam contra Iudæorum & Paganorum errorem Chriſtianam ſignificat veritatem. Vnde Baſilius *lib. 2. contra Eunom.* dogma proprium Chriſtianum diſtinguens à Iudæo & Pagano dicit eſſe articulum Trinitatis; nam vt doctè Damaſcenus *l. 1. de fide c. 7.* Fidem noſtram Trinitatis, eſſe mediam inter Paganorum errores, & falſam fidem quam modò Iudæi habent, aſſerit Iudæi ſ etenim nunc vnum Deum in perſona & natura colunt, Pagani plures Deos in natura & perſonis: at Chriſtiani vnum Deum in natura, pluralitatem in perſonis adorant, & ſic eos à Iudæis & Paganis dogma diſtinguit. Dixi errorem ſeu falſam fidem quam modò Iudæi habent: nam olim ante Chriſti aduentum Iudæi vnum Deum colebant, non exprimendo an eſſet vna perſona vel non, & ita vera fides erat vnius Dei in natura: modo verò vt ſe Chriſtianis opponant, vnum etiam in perſona profitentur, & ſic errant. Contra Hæreticorum ergo & Paganorum errores & indiſtinctionem Iudæorum noſtra laus, quam Deo deferimus, hoc carmine decantatur, vt vnà cum laude appareat qualem Deum laudemus & cuius ſimus profeſſionis.

De ſecundo autem certum eſt, laudis confeſſionem in duobus exprimi, ſcilicet in verbo gloria, & in tribus perſonis quas diſtinctè nominamus. In verbo gloriæ, quia Deum gloria & celebritate dignum enuntiamus: in perſonis verò, quia Filius eſt gloria Patris, & Pater gloria Filij, & idem de Spiritu Sancto dicendum eſt. Vnde Ariani facientes Filium creaturam, & Macedoniani Spiritum Sanctum, Dei gloriam infinitè minuebãt, quod egregiè notauit Ambroſius.

broſius *ſerm. ad pſal.* 118. *verſ.* 1. Alij demum Filium & Spiritum Sanctum vnam perſonam aſſerentes, dicebant: *Gloria Patri & Filio-Spiritui-Sancto*, omittentes poſtremam coniunctionem *&*. Contra quorum errorem extat epiſtola Vigilij ad Eleuthêrium *c.* 2. *illud* autem (inquit) *nouelli indicamus erroris, quod cum in fine pſalmorũ ab omnibus Catholicis ex more dicatur, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, aliqui (ſicut indicas) ſubducta vna ſyllaba, perfectum conantur minuere vocabulum Trinitatis, dicendo: Gloria Patri & Filio-Spiritui-Sancto. Quãuis ergo ipſa nos ratio doceat, quod ſubducta vna ſyllaba perſonã Filij & Spiritus Sancti vnam quodammodo eſſe deſignatur, tamen ad errorem talium conuincendum, ſufficit, quod Dominus Ieſus Chriſtus deſignans in inuocatione Trinitatis credentium debere baptiſma celebrari, dixit: Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Sed cum æqualibus diſtinctionibus Patris & Filij & Spiritus Sancti iuſſerit nominari, conſtat illos omninò à doctrina Domini deuiare, qui aliquid huic confeſſioni voluerunt derogare.*

1131 Secundò aduertendũ eſt communem ſententiam eſſe, Flauianum monachum Antiochenum verſiculũ iſtum compoſuiſſe, vt docent Nicephorus *lib.* 9. *hiſtor. c.* 24. Sozom. *lib.* 3. *c.* 9. Theodoret. *lib.* 2. *c.* 24. Tripart. *lib.* 4. *cap.* 35. idque Flauianum feciſſe iuuante Chryſoſtomo, docet Theodoretus lib. 18. cap. 15. Nam cùm monachi in fine pſalmodiæ confeſſionem de Deo facere conſueuiſſent, cùm multę tunc hæreſes vigerent de Trinitate inter eos nõ conueniebat: vnde quidam eorum dicebant: *Gloria Patri in Filio*, alij, *Gloria Patri per Filium*, alij *Gloria Patri & Spiritu Sancto*: & quia Baſilius his formulis loquendi in glorificatione vtebatur, calumniam paſſus eſt, quaſi hęc ſimul ſtare non poſſent. Contrà Baſilius pluribus probat *in lib. de Spiritu Sancto ad Amphiloch.* hanc particularum varietatem non arguere eſſentiæ diuerſitatem, tum S. Scripturæ authoritate, tum etiam antiquorum Patrum cõſuetudine, qui in glorificatione Sanctiſſimæ Trinitatis vtroque modo dicendi vſi ſunt, ex quibus refert Clementem Roman. & Alexandrin. Irenæum, Dionyſium, Alexand. Africanum, Athenogenem, Gregr. Thaumaturg. Firmilianum, & Meletium Ponticum. Et nequis diceret eiuſmodi veterum morem exoluiſſe, c. 29. latè probat tunc temporis ſic omnibus ferme locis orari ſolitum.

Flauianum non fuiſſe eiuſmodi formulæ glorificationis authorem vel illud oſtẽdit, quod Athanaſius *lib. de virgin.* virgini indicit, vt ſurgens à menſa gratias agat, ter repetens: *Miſerator & miſericors Dominus, eſcam dedit timentibus ſe: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Et ſubdit: *ſerua iſta, & fac glorificationes in menſa, eritque tibi cibus & potus ſanctificatus.* Et Caſſian. *lib.* 2. *de Inſtit. Monaſt. cap.* 27. Significat hunc modum canendi gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis eſſe ex apoſtolica traditione, quod ex liturgia Iacobi confirmari poteſt, vbi ſacerdos ingrediens ad altare primam orationem inchoat dicens: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, Trino & vni.* Ex quo non videtur probandum, quod ſuperiùs dixit Nicephorus, Flauianum Antiochenum authoritate Chryſoſtomi fuiſſe huius glorificationis authorem: niſi fortè dicat vſum accinendi illam in fine pſalmorum à Flauiano incepiſſe quod ipſe indicat *lib.* 9. *cap.* 24. cum Sozomeno *lib.* 3. *c.* 19. Vnde quamuis antiquior fuerit, propter Arianiſmum videtur aucta, & vſus addendi illam in fine pſalmorum Antiochiæ incepit. Flauianus ergo in Monachorum cõuentu conſubſtantialitatem & æqualitatem perſonarum.

rum.

rum profitens, in Pſalmorum fine cantauit publicè *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto:* quod poſtea Catholici Antiochiæ vſurparunt.

1132 Strabo *de rebus Eccleſiaſticis cap.*25. & alij plures à Concilio Nicæno exiſtimant fluxiſſe huiuſmodi glorificationem, quod falſum eſſe optimè probat Baronius *Tract.* 4. Licèt enim fides Sanctiſſimæ Trinitatis, quā hymnus iſte continet, in Concilio Nicæno planè & apertè contineatur, quod indicat Hieronymus *epiſt. ad Damaſ.* quæ extat *Tract.Concil.* Hymnus tamen ipſe minimè ex præſcripto Concilij deſumptus eſt.

1133 Falſum etiam eſt ab Oriente fluxiſſe, vt in fine cuiuſcumque pſalmi *Gloria Patri* caneretur; licèt enim huiuſmodi glorificatio ab exordio naſcē-tis] Eccleſiæ, ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſia à Chriſtianis caneretur nondum tamen vſu receptum erat in Oriente vt caneretur in fine cuiuſque pſalmi ſed in fine hymnorum recens conſcriptorum, vt in Eccleſia Mediolanenſi fecit Ambroſius more Orientalium, vt docet Auguſtinus *9. confeſ. cap.7.* vel in fine Antiphonarum, vt docet Caſſianus quod verò in fine cuiuſque pſalmi dicatur *Gloria Patri*, &cet. Eccleſiæ Antiochenæ peculiaris fuit vſus, quem Occidentales approbarunt; quod vel verba Caſſiani ſatis probant libr. 2. de nocturn. orat. mod. cap. 8. *Illud etiam*, inquit, *in hac prouincia vidimus vt vno cantante, in clauſula pſalmi omnes adſtantes concinant cum clamore, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, nuſquam per omnem Orientem audiuimus, ſed cum omni ſilentio, ab eo qui cantat, finito pſalmo orationem ſuccedere: hac verò glorificatione Trinitatis, tantummodo ſolere antiphonam terminari.* Hæc Caſſianus. Damaſus autem decreuit, vt in tota Eccleſia non in fine pſalmodiæ, ſed in fine cuiuſque pſalmi diceretur, quod hortatu Hieronymi feciſſe conſtat ex epiſtola Hieronymi citata, cuius hæc verba: *Precatur cliens tuus, vt vox iſta pſallentium in ſede tua Romana diu noctuque canat, & in fine pſalmi cuiuslibet ſiue matutinis ſiue veſpertinis horis coniungi præcipiat Apoſtolatus tui ordo; Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen. Iſtud carmen laudis in omni pſalmo coniungi præcipiat, vt fides 318. Epiſcoporum Nicæni Concilij in veſtro ore pari conſortio declaretur.* Et licèt dubitatio ſit de epiſtola iſta, vtrùm ſit Hieronymi, quod aliqui negant: communior tamen ſententia aſſerit, ſic Alcuinus *de diuin. offic. cap. de celebr. miſſarum* Amalarius *libr. 4. de diuin. offic. cap. 19. & 20.* & eſt ſatis probabile, nam huiuſmodi conſuetudinem in Romana Eccleſia Damaſum introduxiſſe anno 370. tempore Valentiniani, docet Platina in eius vita, & ita more ſeruatum fuiſſe conſtat ex epiſtola Vigilij Papæ ad Eleutherium c.2. qui ſedit ferè ducentis annis poſt, Damaſum, & poſt alios centum, meminit huius conſuetudinis in noſtra Hiſpania Concilium *Tolet. 4. ſub Honor. 1.* vbi *cap. 13. & 14.* ſub anathemate decretum eſt, vt huic verſiculo addatur, *Honor Domino*, hoc modo: *Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto*, eò quòd pſalmo 28. dicatur: *Afferte Domino gloriam & honorem*, conſuetudo tamen Romana præualuit, quàm obſeruandam præcipit Concilium Vaſenſe 2. capit. 2.

DISPVTATIO LXXIX
De Antiphonis, & inuitatorio.

1134 SVbiungit Legiſlator Sanctiſſimus. *Poſt hunc* (nēpe pſalmum *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me*) pſalmus XCIV. (is eſt, *Venite exultemus Domino*) *cum Antiphona, aut certè decantandus*. Sanè illud, *aut certè* vtiliter poſuit Benedictus, ad modificandam vel corrigendā antecedentem orationē; quare hoc ſoco, *aut certè*, idem eſt ac *interdum*, id eſt, diebus ſolemnibus, in quibus inchoatur ab eo modulatio ſiue cantus vocis armonicæ, hoc eſt, ab Inuitatorio; Sic enim vocamus eam Antiphonam, qua inuitamur ad diuinas preces, & quaſi mutuò accendimur & inflammamur: quod ideò admonendum duxi, quia Hiſpanus interpres ad hymnum refert hoc verbum contra omnes codices, quod liquit conſulere, nam hymnum vocat Ambroſianum.

1135. *Antiphona*, iuxta proprietatem Grecæ linguæ, vox reciproca eſt, alternatim canentium ordine commutato, vt docent Iſidorus *lib. 6. Ethymol. c. 19.* Alcuinus *de diuin. offic. c. de celebr. Miſſ.* Rabanus *de Inſtit. Cleric. lib. 1. c. 33.* Vnde totus pſalmus quatenus alternatim à duobus choris reciprocè canitur Antiphona dici poteſt, & idē dico de hymno: Sed modò ex appropriatione vocis Antiphona dicitur breuis ſententia, quæ pſalmo præcinendo præmittitur, & communiter contineat aut verſum aliquē eiuſdem pſalmi, aut ſententiam vtilem ad laudem Dei, Virginis, vel Sancti vel ſpiritualem affectū, aut ſimile quid. Inuentam autem docet Amalarius *lib. 3. de Offic. eccleſ. c. 7.* ad ornatum, & vt ſecundùm illius modulationem ſumatur cantus totius pſalmi, & totus chorus illam inter pſallendum imitetur. Conſonat Innocent. III. *lib. 2. myſter. miſſ. c. 18.* Guillelmus Durant. *lib. 5. Rational. c. 2. n. 26.* Rudulph. Tungrenſ. *prop. 12.* Polidorus Virgil. *lib. 6. de inuent. rerum. c. 2.* hunc canendi morem per antiphonas à veteri teſtamento originem habuiſſe dicit, quia Dauid conſtituit ſeptem chorus canentium Domino 2. *Reg. 6.* & Eſdras duos magnos choros *Nehymiæ. 12.* Sed, vt ait Nauarrus *de orat. cap. 12. n. 34.* & ego proprijs oculis vidi in ciuitatibus Germaniæ vbi habere ſynagogas permiſſi, Hebræorum mos non eſt alternatim, ſed confuſè ſimul omnes canere. Præterea ex pluralitate chororum non ſequitur alternatio cantus, ſed poſſunt omnes ſimul canere in diuerſis partibus ſine communicatione, vt fit in longa proceſſione, & vt factum videtur in reductione Arcæ per Dauid, & in Dedicatione templi per Eſdram, & poſſunt conſtitui plures chori in eadem parte, qui ſibi inuicem ſuccedant in cantu. Vnde nihil concludit.

1136 Antiphonarum originem aliqui referunt ad illud *Iſaia 6.* vbi *duo Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* Sic Iſidorus ſuperiùs & Conradus Bruno *lib. 5. de Caremon. c. 2.* Francolinus c. 3. Radulphus *prop. 12.* Sigibertus & alij Apud Grecos primus author Antiphonarum creditur D. Ignatius Ioannis diſcipulus. Is enim, cùm viſio Angelorum Sanctam Trinitatem alterna vice collaudantium fuiſſet obiecta, formam illam Eccleſiæ Antiochenæ tradidit, & ex illa in omnes Orientis eccleſias propagata eſt. Sic Gregorius Patriarcha Alexand. *in vita S. Ioan. Chryſoſt.* Socrat. *l. 6. c. 8.*

Tripart.

Tripart.*lib.*10.*c.*9. Niceph. *lib.*13. *c.* 8. Amalarius ſupra. Strabo *de rebus eccleſ.c.*28. Radulphus Tungrenſ. *de Canon. obſ. prop.* 12. Receptam verò in Oriente. Baſilij tẽpore docet ipſe *epiſt.* 63. *ad Clericos Neocæſar.* Eſt & Antiphonarum mentio ante mille annos in *Conc. Agathen.* cap. 30. Sub antiphonis comprehenditur inuitatorium quod in principio vigiliarum præmitti ſolet, & in hoc ſenſu loquitur D. Pater cùm dicit pſalmũ 94. cum antiphona decãtandum.

DISPVTATIO LXXX.

De Hymnorum vſu & antiquitate.

1137 POſt Inuitatorium, Hymnum Ambroſianum concinimus indicente Regula. cap. 9. Hymni vocantur carmina Ambroſiana, quia in Eccleſia Mediolanenſi tempore Ambroſij decantari cœperunt, ex qua ad Eccleſias occidentales eiuſmodi conſuetudo deriuata eſt. Et quidem Ambroſium plures hymnos conſcripſiſſe, author eſt Auguſtinus 1. *lib. Retract.* 11. *cap.* & Concil. Tolet. 4. c. 12. *A nonnullis,* inquit, *hymni magno ſtudio in laudẽ Dei, Apoſtolorum & Martyrum triũphos compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut ſunt hi, quos beatiſſimi Doctores Hilarius atq; Ambroſius ediderunt.* Et ipſe Ambroſius hymnorum ſuorum meminit Orat. in Axent. de Baſilicis nõ tradend. *Hymnorum meorum,* inquit, *carminibus deceptũ populum ferunt, Ariani ſcilicet.*

Quod ſit hymnus, optimè explicuit Auguſtinus ad pſalm. 72. dicens: *hymni cantus ſunt, laudes Dei continentes.* Idẽ Iſidor. *lib.* 5. *etymolog. cap.* 19. *Hymnus eſt canticum laudantium quod de græco in latinum laus interpretatur, pro eo quod ſit carmen lætitiæ & laudis, propriæ autem hymni ſunt continentes laudem Dei.* Eam enim differentiam inter pſalmos & hymnos cõſtituit Hieronymus relatus à Conrado Bruno *l.* 2. *de Cæremon. ca.* 2. quod hymnis laudem Deo canimus, ipſius fortitudinem, maieſtatem, & mirabilia opera, ac diuina in nos collata beneficia laudibus, qualia ſunt Dauidis illa carmina, quibus præponitur vel poſtponitur *Alleluia:* pſalmis autem quid faciendum, quid omittendum ſit, decantamus. Sed ex vſu Eccleſiæ vox *hymni* accomodata eſt ad ſignificandum carmen eccleſiaſticum non canonicum, ſed in Eccleſia compoſitum, & ab ea receptum ad laudandum Deum in officio eccleſiaſtico. Pſalmi ergo Dauid, maximè qui laudatorij ſunt, hymni dici poſſunt: & de facto dicuntur 2. *Paralip.* 7. Vbi prius dicitur: *Stabant Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid ad laudandum Dominum,* & ſtatim ſubditur: *Hymnos canentes per manus ſuas.* Et 1. Eſdræ. 3. *Statuerunt Leuitæ, vt laudarent Deum per manum Dauid, & concinebant in hymnis & confeſſione Domini.*

Hymnorum antiquitatem in Eccleſia ſatis probat Paulus *ad Epheſ.* 5. *& ad Coloſſ.* 3. Vbi hymnos vt diſtinctos à pſalmis enumerat. Et Philo. *libr. de vit. contempl.* de antiquis Chriſtianis agens, *non ſolum,* ait, *contemplantur, ſed etiam cantica & hymnos in Dei laudem componunt vario metrorum & carminum genere.* Accinit Euſebius *libr.* 2. *hiſt. cap.* 16. Chriſtum poſt ſacram cœnam hymnum dixiſſe, teſtatur *Matth. cap.* 26. & *Marc. cap.* 14. refert & Dionyſius *de diuin. nomin. ca.* 4.

hymnos à beato Hierotheo eſſe compoſitos: & corpus Sacratiſſimæ Virginis cùm hymnis fuiſſe delatum, docet Nicephor. l.2.cap.22.& in Concil. Antiocheno ante annos 1300. damnatus fuit Paulus Samoſatenus, quia pſalmos & hymnos, quos Chriſtiani illius temporis in honorem Chriſti decantabant, vt recentioris memoriæ compoſitos reiecerat, vt conſtat ex epiſtola Epiſcoporum qui huic concilio interfuerant apud Euſeb.l.7.c.24.

Probatur etiam hymnorum vſus *in Concil.Turonenſ. 2. can.* 24. Et author ille vetus, cuius meminit Euſebius *libr.* 5.*hiſt. eccleſiaſt.* c. 17. contra Artemonem, cuius hæreſim Paulus Samoſatenus inſtaurauerat, objicit tot pſalmos, tot hymnos à fratribus fidelibus, antiquitùs præſcriptos, qui Chriſtum Verbũ Dei, verum Deũ eſſe, concentu quodã concelebrant. Videndus eſt Socrates *l.6.c.*8.hiſto. tripart.*l.*10. *c.*8. Auguſt. *lib.*22.*de ciu.c.*8.*&* *ſerm.*55.*de temp.*

DISPVTATIO LXXXI.

De Pſalmis Præcipiuntur cani in Eccleſia: à quo, quando, qui, quomodo.

1138 POſt Ambroſianum ſex pſalmos dicendos ſtatuit cum Antiphona. Dicuntur autem Pſalmi illi tantùm, qui in S. Scriptura continentur ſub libro pſalmorum Dauidis, ſiue ab illo ſint compoſiti, ſiue non; hoc enim ad præſens iſtitutum parum refert. Hos ergo, & præter eos 150. Dauidis, nullòs alios eſſe in Eccleſia decantandos ſtatuit Concilium Bracharenſe primum *can.*30. his verbis: *Extra pſalmos veteris teſtamenti aliquid poeticè in Eccleſia canere vetatur.* Quæ tamen Cõſtitutio interpretanda eſt ex Concilio Laodiceno *can.* 59. Vbi conſtitutum legimus, oporteret plebeios, vel (vt aliqui legunt) priuatos & vulgares aliquos pſalmos regi in Eccleſia, & hanc interpretationem confirmat Matutinus Bracarenſis cap.68. Quod præter aliàs cauſas, forſan ideò factum eſt, quòd olim hæretici ad imitationem Eccleſiæ pſalmos ſuos componere ac cantare conſueuerant. Sic de Alexandro & Valentino Tertullian.*lib.*1.de Hieracc Hæreſiarcha. Epiphan. *hær.*67. & denique de Donatiſtis Auguſtinus *epiſt.* 119. *cap.*18.

1139 De antiquitate verò canendi pſalmos in Eccleſia non eſt cur immoremur: extat enim de hac re locus Pauli 1. ad Corinth. 14. *Cum conuenitis, quiſque veſtrum pſalmum habet* Et ad Epheſ. 5. *Implemini Spiritu Sancto loquentes vobiſmetipſis in Pſal. hymnis, & cãticis.*& ad Coloſſ.3.& ſæpe alibi.

Miratur Chryſoſtomus *homil. 6. de pænit.* quare, præ cæteris veteris nouiq; teſtamenti S. Scripturis, librũ pſalmorum Doctores Chriſtiani omnes ſic adamarint, atque hunc ferè ſolùm verſari voluerint; *Eccleſijs* inquit, *pernoctantibus primus & medius, & nouiſſimus eſt Dauid, diluculo quæruntur hymnorum modulationes, & primus & medius & nouiſſimus eſt Dauid. Si pompæ in funeralibus defunctorum, primus & medius & nouiſſimus eſt, & poſteà in Monaſterij ſancti choris angelicis, primus, & medius & nouiſſimus eſt Dauid. In Cœnobijs Virginum Mariam imitantium primus & medius & nouiſſimus eſt Dauid. In deſertis viri crucifixi colloquẽtes Deo, primus & medius & nouiſſimus eſt Dauid.* Videndi etiam ſunt Dionyſius *de Eccleſiaſtica Hierar-*

Hierarchia c.4. Tertullian. *de velandis virginib.ad fin.& lib.2.de vxor. in fin.* Athanaſ.*apol. de fuga ſua.*Hieronymus, qui ſæpè de hac re loquitur, maximè *epiſt.4. ad Ruſt. & 17. ad Marcell. & in Epitaphio Paulæ c.10.* Auguſt. *libr. Cōfeſsion.c.6.& 7.*Socrates *li.2.hiſtor. c.* 8. Sozomenus *lib.3. c.5.* Theodoret. *lib.2.c.13.* Nicephorus *lib. 9. c.6.* Rufinus *lib.1. hiſtor. c.35.* Gregor. Turonenſis. *libr.1. de hiſt. Franc.* agens de B. Aphrodiſio, & omnes Sancti cōmuniter. Sed inter omnes videndus Caſſianus *lib.2. & 3. de Inſtitut.monaſt.* Vbi totus eſt in recitandis pſalmis, qui,dum horæ canonicæ celebrantur, cantari debent. Fructum autem qui ex eorum lectione prouenit, optimè explicat Baſilius *ad pſalm.1.* Iſidor.*lib.3. de ſumm. bon. cap.7.*

1140 De modo verò, quo antiqui huiuſmodi pſalmos recitare ſolebant, non eadem fuit conſuetudo. Caſſian. *lib.2.de inſtitut.cœnobior.c.5.* 8. 10. & ſeq. refert in Ægypto, & omni Oriente hunc morem viguiſſe, vt vnus in medium cantaturus procederet, cæteri verò ſedilibus humillimis inſidentes, ad vocem pſallentis omni cordis intentione dependerent. Sed reuerà Caſſianus loquitur de ſolo ritu Monachorum illius temporis: nam Socrates *lib. 6.hiſtor. Eccleſiaſt. c.* 8.alternam vice cantandi conſuetudinem B. Ignatio acceptam refert his verbis: *Iam vero dicamus, vnde conſuetudo hymnorum, qui in Eccleſia alternis decātantur, initium cœperit, Ignatius Antiochiæ, quæ eſt in Syria, tertius à Petro Apoſtolo Epiſcopus, qui cum Apoſtolis ipſis multum verſatus eſt, viſionem vidit Angelorū, Sanctam Trinitatē hymnus alterna vice decantantiū, & formam canendi in ea viſione expreſſam Eccleſiæ Antiochenæ tradidit vnde illa traditio in omnibus Eccleſiis recepta eſt.* Idem habet Caſſiodorus *in Tripart. lib.* 10. *cap. 9.* & Niceph.*libr.13. cap.8.*

1141 Neque obſtat, quod Caſſiodorus *lib. 5. hiſtor. tripart. cap. 32.* & Theodoret. *li.2.hiſt.eccl.c.24.* hāc conſuetudinem ad Flauianū & Diodorum Monachos Antiochenos referant, qui floruerunt tempore Conſtantij Imperatoris, & primos, pſallentium choro in duas partes diuiſo, hymnos Dauidicos alternis cantandos tradidiſſe dicāt, quæ ſolennitas primùm Antiochiæ incepta vſque ad vltimas orbis partes peruagata eſt, nam poſſumus dicere Ignatium primùm Eccleſię hunc modum alternatim canendi ſimpliciter tradidiſſe: Flauianum verò & Diodorum eūdem illum modū pſalmis Dauidicis accommodaſſe, quos deinde plures Orientis Eccleſiæ ſecutæ ſunt. Quod ex his, quæ tradit Baſilius *epiſt. 63. ad Clericos Neocæſarienſes*, poſſumus confirmare, vbi dicitur, quod iam in omnibus Eccleſis huiuſmodi obtinuerant, quod populi de nocte conſurgentes, & in Sacris ædibus conuenientes, poſt factam orationem ad pſalmodiam inſtituerentur: & nunc quidem in duas partes diuiſi alternis ſuccinentes canerent nunc verò vni ex ipſis hoc muneris dato, vt quod canendum eſſet prior ordiretur, reliqui ſuccinerent, ac in pſalmodiæ varietate precibuſque interſertis ſubinde, noctem ſuperarent, & addit, hoc pſallendi more vſos fuiſſe tunc Aegyptios, vtramque Lybiam, Thebanos, Palæſtinos, Arabes, Phænicas, Syros, & qui ad Euphratem habitant. Sed illud inſuper addo, in vrbe Conſtantinopolitana primùm hanc alternis canendi hymnos conſuetudinem inter Catholicos introduxiſſe B. Ioānem Chryſoſtomum, vt docent Caſſiodor. *lib.*10. *hiſt.tripart.* Nicephor.*lib.13. c.8.* Sozom. *lib.ſimiliter* 13.*c.*8. Socrates lib. 6. Nam cùm Ariani noctū congregati, & in cœtus diſtributi alternatim hymnos & carmina in ſectæ ſuæ laudem compoſita publicè modularentur, D. Chryſoſtomus veritus ne aliquis ex

Catholicis ſimplicioribus eiuſmodi cātibus ab Eccleſia abduceretur, populum ſuum ad conſimilem canendi modum excitauit: ſed abrogatis ab Imperatore Arianorum cœtibus, fideles perpetuò ita perſeuerauerunt. Hæc de Eccleſia Orientali.

1142 In Occidentali autem Eccleſia plures aſſerũ: B. Damaſum inſtituiſſe, vt in Eccleſia diu noctuque pſalmi alternatim canerentur. Sic Martinus Polonus *in ſupplemento Chronicorum Platinæ*, Onuphius *in vita ipſius*, & habetur *in lectionibus Breuiarij Romani*, Guillelmus Durant. *in Rational. cap. 35. & 36.*

1143 D. Ambroſius hunc cantandi modum, Græcorum exemplum imitatus, Eccleſiæ Latinæ tradidit. Ita Iſidor. *l. 1. de eccleſiaſt. offi. c. 7.* quem ſecutus eſt Rabanus Maurus *lib. 2. de Inſtitut. clericorum. cap. 50.* Radulphus Tungrenſis *de canon. obſeru. prop. 12.* Idem docet Paulinus Nolanus Epiſcopus *in vita S. Ambroſij*. Meminit & huius inſtituti Auguſtinus *lib. 9. Confeſſ. c. 6. & 7.* Vnde quod de B. Damaſo dicitur, intelligendum eſt, non quod ipſe primus modum canendi pſalmos alternatim introduxerit, ſed, cùm eſſet Summus Pontifex, præcepit omnibus Eccleſijs, vt diu noctuque pſalmos canerent, & vt, illo modo à S. Ambroſio primùm in Occidente ad inuento, in pſalmis canendis vterentur: & reuera authores magis B. Damaſo tribuunt factum ipſum, (vt ſcilicet pſalmi diu noctuque in Eccleſijs canerentur) quàm modum vel qualitatem facti: Sic enim Beda *in Martyrolog. 11. Decemb. die*, Vvolfridus Strobo *de rebus Eccleſ. cap. 25. &* Pontificalis *in vita ipſius Damaſi* nulla alternationis facta mentione dicunt: *Hic conſtituit vt pſalmi diu noctuque canerentur per omnes Eccleſias, & hoc præcepit presbyteris, Epiſcopis, ac Monaſterijs.*

DISPVTATIO LXXXII.

De Verſibus, Lectionibus, & Reſponſorijs.

1144 SVbiungit Patriarcha Sanctus: *Dicto verſu, benedicat Abbas, & ſedentibus omnibus in ſcamnis, legãtur vicißim à fratribus in codice ſuper analogium tres lectiones, inter quas tria Reſponſoria canantur.* Tria in his verbis explicanda occurrunt: primo de verſibus agendum eſt, & eorum ratione. Secundò de lectionibus, & tertio de Reſponſorijs.

1144 *b* Ad primum ergo accedentes, *verſus* à vertendo dicitur, vt ſcribit Alcuinis *de diuinis officijs c. de celebrat. Miſſæ*. Amalarius verò *de ord. Antiphon.* dicit verſum eſſe illum cantum per quem reuertitur intentio mentis in aliam intentionem, quaſi quædam compoſitio officialis diſponens mentẽ ſuaui cantilena, diuino affectu ad aliam v. g. de pſalmodia ad lectionem, & in principio cantùs, qui dicitur verſus, vertit ſe chorus: ita *lib. 4. de officijs Eccleſia. cap. 12.* Poſt lectionem per quotidianas noctes illud tempus ad memoriam reducit, quando merces remunerabitur poſt labores præſentis ſæculi. Appellat autem lectionem in hoc loco, quod nos modo dicimus capitulũ. Et quã do li. 45. dicit: Verſus in nocturnali officio præcedit lectionem, in cęteris ſequitur, primo loco intelligit lectiones vt nos modò loquimur; in ſecundo, *Capitu-*

tulum. Idem eodem loco docet. Verſus hoc habent ſingulare, vt excitent corda cantantium ad requirendam faciem Domini in oratione, ideò ſępiſſimè orationem præcedunt. Et poſt hymnos, verſus præcedit Magnificat & Benedictus, quia ſic debemus eſſe vigilantes & intenti ad verba hymnorum memoratorum, vt in oratione.

1144 *c* Frequentiùs verò ſolent huiuſmodi verſiculi ex S. Scriptura deſumi, ſemperque ſunt ab Eccleſia compoſiti vel approbati, & non eſt dubium, quin contineant diuinas laudes, & Eccleſiaſticum officium exornent. Codicē appellat librum, quem vulgò *lectionarium* dicimus; Analogium verò fortè *Analegium* lignum, cui imponitur, & vulgò dicimus *faciſtol* ſiue *atril*; nam Græci ἀναλογεῖον vocant *ſuggeſtū*, vulgò *el pulpito* ἀναλογίζομαι, quod eſt *diſputo* vel *rationem ſubduco*. Poteſt verò lignum prædictum ἀναλόγιον *anologium* dici ab ἀνα, quod eſt *ſuper* & λόγιον, *eloquium* aut *ſermo ſacer*, quaſi locus ex quo declamatur ſermo ſacer. Aliqui malunt legere ἀναλεγεῖον *Analegium* à verbo λέγω, quod eſt *legere*, agit enim P. Sanctiſſimus de ligno, cui ſuperponuntur libri, vt commodius legantur.

1145 Addit deinde *Benedicat Abbas*. Lecturus enim lectionem, poſtulat benedictionem, dicens: *Domine iube benedicere*, vt in *Can. denique, vbi Gloſſa, & in Can. placuit* 77. *diſt.* Quod explicans Petrus Damianus in eo lib. qui ſcribitur *Dominus vobiſcum. cap.* 2. *Lecturus*, inquit, *magnæ humilitatis gratia, non à Sacerdote, ſed ab eo cui Sacerdos iuſſerit, ſe poſtulat benedici dicens: Domine iube benedicere: Sacerdos, vt tantæ humilitatis vicem reddat, non ſubiecto cuique delegat benedicendi officium, non per ſemetipſum benedictionem dare præſumit, ſed potius à Deo, qui ſuper omnia benedictus prorogetur, expoſcit.*

1145 *b* At illud expendendum ſupereſt. Cùm benedictionem poſtulat, non *Dominum* illum vocat, ſed *Domnum*, adimit litteram quandam, vt non plenum ac abſolutum dominium homines habere ſignificet, quod eſt diuinæ naturæ proprietas; ſed moderatum & dimimutum ſicut diſpenſatores Dei. Sic hanc vocem *Domnus* communi labio explicant Benedictini. Imitantur Chriſtianos Maronitas Syros, qui monti Libano conterminam prouinciam incolunt: quorum Archiepiſcopus fuit mihi magiſter ſatis puero Madriti anno 1616. quoniam Libanenſes Catholici Deum vocant מריא Morio, nomine tetragrammato, hoc eſt, *Dominum*. Reliquos autē Dominos vocant רמא *More*, quaſi *Domnos*, vna litera ablata: homines enim dominium non niſi à Deo participamus, cuius imperium eſt integrum, noſtrum verò non niſi limitatū, & vt proprius loquar, diminutum. Beyerlinckius paulo aliter hanc dictionem exponit. Scribit *Dominus Deus* & contractiore labio legit *Domnus*. Ita in theatro verbo *Dominus* §. *Imperatores*. Imitantur Latinos Græci & dicunt non ſolùm Κύριος ſed Κυρὸς, & vt multis placet ſub eodem conceptu. Perez *in ſuis comm.* vbique legit *Domnum*, non *Dominum*; iudicat enim illam litteram à compendioſè ſcribētibus omiſſam eſſe, debere tamen pronuntiari, ac proptereà in hac voce nullum latere Sacramentum. At contra Perezium non ſolùm eſt conſtans ſcriptura, ſed etiam communis vniuerſorum vox. Ideò qui veritati ſtudes, ſubſcribe meæ reſolutioni & lege Oppianum vbi.

Καὶ μεγάλη μεγάλο φυτήσαι Δόμνα Σεβήρω.

Et grandis grandi genuerat Domna Seuero.

Vbi carminis & idiomatis ratio oſtendit debere Δόμνα legi non Δόμινα. Vide Iacobum Merloum Horſtium in Adnotationibus in epiſt. 72. S. Bernardi

& me in Theolo. Morali n. 109. & 110. In lectionibus tamen diurnis, hoc eſt, in Capitulis non petitur benedictio à maiori, vt docet Amalar. Fortunat. *de eccleſ. offic. cap. 3.*

1146 Antiquis mos erat, vt dum Lectio recitaretur, ſederent omnes, vt docet Amalar. *l. 3. de eccl. offic. cap. 11. & lib. 4. c. 3.* Ideò addit D. Pater: *Sedentibus omnibus in ſcamnis.* Vſum autẽ antiquum recitandi lectiones in diuinis officijs, probat Rabanus *l. 2. de inſt. cleric. c. 52.* & addit poſt Iſidorum *l. 1. de eccl. offic. c. 10.* Iudæos ex veteri Patrum inſtitutione, præfinitis diebus, ex lege & Prophetis lectiones recitare ſolitos, quod non obſcurè colligitur ex illo Actor. 13. *Voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt.* Vbi aduertendũ quod non ſolùm legebantur Prophetæ, ſed etiam lex, vt dicitur eodem libro c. 15. Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus qui eum prædicent in Sinagogis, vbi per omne Sabbatum legitur. Sed quia, quæ illæ tradit, adumbrabant per omnia Chriſtum, & quaſi prædicebant, qui fuit præcipuus Prophetarum ſcopus, & ipſe alioqui Propheta fuit: ideò cap. 13. inter Prophetas numeratur.

1147 Sed quid eſt, quod dicit: *per omne Sabbatum?* nunquid ſingulis diebus ad audiendam legem & Prophetas conueniebant Iudæi? certè id videtur colligi ex prædictis locis Actorum, cùm quilibet dies Sabbatum vocetur: exiſtimo tamen diem ſeptimum, qui quietis eſt, Sabbatum appellari. Ratio quæ mouet eſt; quod dicatur *Lucæ* 4. Ieſus ingreſſus Synagogam die Sabbathi: vbi, ſi ſermo eſſet de quolibet, otioſa eſſet illa particularis Sabbathi expreſſio, idq; confirmo ex eo, quod dicit Philo de legation. ad Caium, *Sciebat Tyberius Iudæos habere oratoria, & conuenire in ea maximè ſeptimo quoque die, quandò publicè patriam docentur philoſophiam.* Et Elias in Tysbi principiò ferè hebdomadarum anni legem fuiſſe à Iudæi diſtributam in ſectiones 53. quas vocant מרסות Peraſoth: & denique Ioſephus *lib. 2. con. Apion.* circa medium, *Moyſes*, inquit, *non ſemel legem ſuos audire voluit, ſed in vnaquaque ſeptimana, alia opera relinquentes, ad legem audiendam congregari, eamque perfectè diſcere.* Idem eſt audire legem per omne Sabbatum, ac in vnaquaque ſeptimana, quia Sabbatum pro heptimeri ſeu ſeptimana ſæpiùs vſurpatur, vt colligitur ex verbis peccatoris, qui bis in Sabbato, hoc eſt, in ſeptimana ieiunabat. Fateor, Synagogæ nomine, ſcholam intelligi non rarò, in qua ſingulis diebus philoſophiam Rabbinicam, & Iudaicã Theologiam iuuentus docebatur: ſed loca adducta, de Synagogica Eccleſia, non de Synagogico Muſæo aptè explicantur. Quòd ſi obijcias Germanorum Iudæorum mores, diebus ſingulis ſub veſperum pſalmos cantantium, adhuc nomen ſabbati videbitur non deberi cuicumque diei attribui, ſed ſeptimo, nam aliàs multæ eſſent æquiuocationes, quas debent ſcriptores vitare.

1148 D. Auguſtinus in expoſitione ad primam Ioan. epiſtolam meminit Lectionum, quæ in Eccleſia certis diebus recitari ſolebant, conſtat etiam ex Gregor. VII. *in cap. in omn. de conſecrat. d. 5.* qui allegat vetuſtiorem conſuetudinem, cuius meminit Gelaſius *in cap. Sancta Romana d. 15.* Vbi tradit, has lectiones partim ex S. Scriptura, partim ex homilijs Sanctorum deſumi, & ſimiliter ex eorum geſtis, vt ſtatuit *Concil. Chartag. 3. c. 47.* de qua re latiſſimè Radulphus Tungrenſis *de Canon. obſeru. prop. 10. & 11.* & Hieronymus lectiones per totum anni circulum ex Prophetis & Apoſtolis colligit, in libro qui *Lectionarius vel Comes S. Hieronymi* inſcribitur apud Pameli *tit. 2. Liturgicon.* cuius meminit Microl. *de eccleſ.*

eccleſ.obſeru.cap. 15. Honorius *in gemma animæ lib.* 1. *c.* 8. Berno *de quibuſdam rebus ad offic. Miſſæ. c.* 2.

1148 *b* In Concilio etiam Laodicenſi cap. 17. dicitur, expedire vt pſalmi non dicantur continuè, ſed aliqua lectio ſacra interponatur: Fuit autem in hac re diuerſitas quoad numerum; nam cùm res hæc non ad materiam, ſed formam & ritum orandi pertineat, quæ multùm ex humano pendet arbitrio, magnam varietatem habuit in Eccleſia, vt notarunt Socrates *lib.* 5. *hiſt. c.* 21. & Nicephorus *lib.* 12. *c.* 34. Nam in Concilio Laodicenſi poſt vnumquemque pſalmum lectio interponenda dicitur, ſed vſus aliter obtinuit: & D. Pater Benedictus in hoc capitulo poſt ſex pſalmos, tres lectiones legendas ſtatuit Anaſtaſius Nicænus *q.* 90. ex Maximo monacho, has lectiones ſignificare diuinam voluntatem, in qua oportet omnes eruditi, vt diſcamus ſecundùm illam vitam inſtituere.

1149 In fine lectionis Lector dicit: *Tu autem Domine miſerere noſtri*, quia ſecundum Rupertum *lib.* 1. *de diuin. offic.* neque ipſum bonum officium prædicandi ſine alicuius vel leuis culpæ puluere peragi poteſt. Expedit igitur, vt qui in ipſo diuino officio ſaltem leuiter peccat, non intermittat miſericordiam implorare. Eſt ſanè Ruperti minus rigor, corrigo illud *poteſt*, lego, *ſolet*. Sine culpa leui, officio diuino ſatisfacere poſſumus, & ſæpius facimus, licèt ſoleamus aliquando leuiter delinquere in reuerentia extrinſeca, aut in pronuntiatione: actus enim interni non ex præcepto, ſed ex mero conſilio debent poni. Imò corrigo aliter & lego *ſemper ſolet*, vt inſinuem, legi ſine venialiculpa officium ſolere ſæpiùs, ſed non ſemper & quidem ſufficit vel ſemel peccauiſſe, vt ſemper veniam & miſericordiam petamus.

1150 Finita lectione, reſpondet chorus, *Deo gratias*. Notat benè Rupertus cap. 14. id non ad vltimam Lectoris precem, ſed ad totam lectionem referendum: addit, nos gratias Deo agere, quia doctrinæ ſuæ panem frangere dignatur, ne ſpirituali fame moriamur.

1151 Inter Lectiones tria Reſponſoria ex Regulæ præſcripto cani debent. Hæc ab Italis manaſſe, eoque nomine appellata fuiſſe, quod vni canenti chorus integer reſpondeat, docuit Iſidorus *lib.* 6. *Etymolog. cap.* 19. & Rabanus *lib.* 1. *de offic. eccleſ. cap.* 8. & *lib.* 2. *de inſtitut. Cleric. cap.* 15. Rurſus idem Rabanus *lib.* 1. *de inſtitut. Clericor. c.* 33. Reſponſorium dictum exiſtimat, quod vno deſinente, alter reſpondeat. Sed Alcuinus *de Diuin. offic. cap. de celeb. Miſſæ.* quod à capite repetatur, Reſponſorium dictum ait. Meminit & Reſponſorij Hilarius *ad pſal.* 65. & Greg. Turon. *in hiſt. Frab. lib.* 8. *cap.* 3. Illud tamen addendum ex Amalario *de ordin. Antipho. cap.* 4. Reſponſoria recitari poſt Lectiones, propter diſciplinam eccleſiaſticam, quæ non tantùm auditores legis exoptat, ſed & factores; per Lectiones enim doctrinam; per Reſponſoria verò bona opera exiſtimat ſignificari.

1152 Explicuit deinde D. Pater, vnde petendæ ſint Lectiones, dicens: *Codices autem legantur in vigilijs, tam veteris teſtamenti quàm noui, diuinæ autoritatis: ſed & expoſitiones earum, quæ à nominatiſſimis Doctoribus orthodoxis, & Catholicis Patribus factæ ſunt.* Huic determinationi fauet Gelaſius in *c. Sancta Romana diſt.* 15. Vide ſup. n. 1148.

TEX-

TEXTVS Caput II.

Qualiter Dominicis diebus vigiliæ agantur.

1153 DOminico die [a] temperiùs ſurgatur ad vigilias, in quibus vigilijs teneatur menſura, id eſt, modulatis (vt ſuprà diſpoſuimus) ſex Pſalmis, & Verſu, reſidentibus cunctis diſpoſitè & per ordinem in ſubſelijs, legantur in codice (vt ſuprà diximus) quatuor Lectiones cùm Reſponſorijs ſuis, vbi tantùm in Reſponſorio quarto dicatur à cantante [c] *Gloria*. Quam cum incipit, mox omnes cum reuerentia ſurgant. Poſt quas Lectiones ſequantur ex ordine alij ſex Pſalmi cum Antiphonis, ſicut anteriores, & verſu. Poſt quos iterum legantur aliæ quatuor Lectiones cum Reſponſorijs ſuis, ordine quo ſuprà. Poſt quas iterum dicantur tria Cantica de Prophetis, [b] quæ inſtituerit Abbas: Quæ Cantica [d] cum *Alleluia* pſallantur. Dicto etiam Verſu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor Lectiones de Nouo Teſtamento, ordine quo ſuprà. Poſt quartum autem Reſponſorium incipiat Abbas Hymnum: *Te Deum Laudamus*. Quo perdicto, legat Abbas Lectionem de Euangelio, cum honore & tremore, ſtantibus omnibus. Qua prælecta, reſpondeant omnes, *Amen*. Et ſubſequatur mox Abbas hymnum: *Te decet laus*. Et data benedictione, incipiant matutinos. Qui ordo vigiliarum omni tempore, tam æſtatis, quàm hyemis æqualiter in die Dominico teneatur, niſi fortè (quod abſit) tardiùs ſurgant, & aliquid de Lectionibus breuiandum eſt aut Reſponſorijs; quod tamen caueatur omnino, ne proueniat. Quod ſi contigerit, dignè inde ſatisfaciat Deo in oratorio, per cuius euenerit neglectum.

a Temperius reſtituo *Temporiùs*.

b Quia Abbati commiſit totius Pſalterij ordinationem, conſequenter vult ab eo Cantica deſignari, vt doceamur Breuiarij noſtri legitimas rubricas eſſe Antiſtitis ordinationem. Vide nu. 1298.

c De Gloria *quæ Trinitati dicitur, egi num.* 1130.

d De Allelu-ia *tracto inferiùs, num.* 1218.

Proderit apponere congregationis Germanicæ Definitionem circa materiam quam expono. Vigiliæ, *inquiunt Patres illi*, pulſabuntur diebus ſolennioribus prima poſt mediam noctem hora; Dominicis & feſtis duarum miſſarum ſecunda, & priuatis tertia, vt decentius abſque præcipitatione diuina officia celebrari, & poſt ipſa Religioſi quædam habeant interualla, in quibus ſtudijs, meditationibus, & alijs ſpiritualibus

ſibus exercitijs vacare, vel Miſſas celebrare poſſint. Nihilominùs vbi minor congregatio vel alia occaſio legitima requiret, & præſertim in hyeme Viſitatoris diſcretioni facultas ſuper hoc diſpēſandi relinquitur; non ita tamen vt Religioſis liceat poſt vigilias dormitum redire, ne (quod monet D. R. Bernardus) cum matutino tempore meditari debent, & videre quàm dulcis eſt Dominus, corda & corpora eorum ſomno occupata, expandantur tentationibus aduerſarijs, qui circuit quærens quem deuoret. *Ita in comitis celebra is ann.* 1595.

DISPVTATIO LXXXIII.

De die Dominicæ inſtitutione, nominibus & excellentijs.

1154 DIes Dominica (vt verbis Leonis vtar *epiſt.* 79. *& refertur c. quod die. q.* 75. *& epiſt.* 8. *ad Dioſcor. c.* 1.) tantis diuinarum diſpenſatioum myſterijs conſecrata eſt, vt quidquid à Domino eſt inſigne conſtitutum, in huius diei dignitati ſit geſtū. In hac mundus ſumpſit exordium, *Baſil. homil.* 2. *in exam.* In hac, Hebræi mare Rubrum ſicco pede tranſierunt. *In* 6. *Cæſarienſi refert Beda epiſt. de celebr. Paſchæ.* In hac, per Reſurrectionem Chriſti, & mors interitum & vita introitum ſumpſit. In hac, Apoſtoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Euangelij tubam ſumunt, & inferendū vniuerſo mundo Sacramentum Regenerationis accipiunt. In hac (ſicut B. Ioannes Euang. teſtatur *cap.* 20.) congregatis in vnum diſcipulis, ianuis clauſis, cùm ad eos Dominus introiſſet, inſufflauit, & dixit: *Accipite Spiritum Sāctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* In hac denique, promiſſus Apoſtolis Spiritus Sanctus aduenit. Accedat & Beda venerabiliter *in lib. de offic. c.* 1. de Dominico die loquens: *Apparet,* inquit, *hunc diem etiam in SS. Scripturis eſſe ſolemnem; ipſe eſt enim dies primus ſæculi, in ipſo formata ſunt elementa mundi, in ipſo creati ſunt Angeli, in ipſo quoque à mortuis reſurrexit Dominus, in ipſo de cælis ſuper Apoſtolos deſcendit Spiritus ſanctus, Manna eodem die in eremo primum de cælo data eſt.* Sic Auguſtinus *ſerm.* 151. *de temp.* & probat Origen. *ex Exod.* 16. & idem Beda *lib. de diuiſion. temp. c. de feria* addit, quod in ipſo Die Dominico manifeſtata ſint myſteria Chriſti & Eccleſiæ in Pathmos inſula Ioanni Euāgeliſtæ.

1155 Audiamus Græcos Patres in 6. Synod. general. c. 6. ex additis: *In eo die* (Dominico) *Manna in eremo pluit: in eo naſci dignatus eſt Chriſtus: in eo ſtella Magis refulſit: in eo de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum pauit, in eo baptiſma in Iordane recepit: in eo ipſo pius Redemptor humani generis, ſponte pro ſalute noſtra à mortuis reſurrexit.* Conſonat Sedulius *lib.* 4. *Carm.* dicens:

Cæperat in terra poſt triſtia Sabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A Domino dominante trahit, primuſq; videre

Pro-

Promeruit naſci mundum, atq; reſurgere Chriſtum.

Eapropter *Concil.Trid.ſeſſ.*1.Sacrificium Miſſæ quolibet ſaltem die, in quo Deus lucem condidit, & à mortuis reſurrexit, & Spiritum ſanctum in diſcipulos effudit, peragendum monet, fieriq; debere obſecrationes, poſtulationes & gratiarum actiones præcipit, prout Spiritus ſanctus per Apoſtolum docuit. Vnde non immeritò Ignatius *epiſt. ad Magneſ.* diem Dominicam Reginam & principem omnium dierum nominat. Et Hieronymus *ſer.*34.*de Reſurr.* omnium dierum matrem, quam triplici nomine appellatam apud Antiquos reperio, maximè apud Chryſoſtomum *ſerm.* 5. *de Reſurrect.* Dicitur enim primò *dies Dominica*, propter Chriſti reſurrectionem: vnde Auguſtinus *ſerm.*251.*de tēp. Dominicam ergo diem*, inquit, *Apoſtoli & Apoſtolici viri, ideò religioſa ſolemnitate habendam eſſe ſanxerunt, quia in eo Redemptor noſter à mortuis reſurrexit, quiq; ideo Dominicam appellarunt, vt à terrenis operibus vel mundi illecebris abſtinentes, tantùm diuinis cultibus ſeruiamus.* Quem per omnia tranſcripſit Alcuinus *de diuin.offic.c. de die Sancto.*& Rabanus *de inſtitut. clericor.c.* 42. Hanc diem ſpiritu prophetico ſpectaſſe Dauid, Ignatius Martyr exiſtimat, cùm eos Pſalmos, qui ad reſurectionem & beatitudinem pertinent, *pro octaua* inſcripſit:& in eundem ſenſum explicant Chryſoſtomus & alij illud *Pſal.* 117. *Hæc eſt dies quam fecit Dominus.* Vbi Auguſtinus lib.2. qq. ex vtroque teſtam. q. 95. *Vnum diem fecit, ex quo cæteri curriculum ſortirentur, ac per hoc ipſa die ſurrexit, quam fecit.* Igitur in rei tantæ memoriam, hęc dies, *Dominica* eſt appellata, cuius celebritatem à Chriſto acceptam tradit Iuſtinus *apol.* 2. in honorem verò Dominicæ reſurrectionis obſeruatam fuiſſe ab Apoſtolis docet Ignatius *iam citatus*, Auguſtinus *ſerm.* 241. *de temp.* Baſilius *de Spir.S.c.*27. Origenes *contra Celſum*, Tertullianus *de coron. milit.* & *lib.*2.*ad vxor.*& *in Apolog.c.*16. Hieronymus *contra Vigilant.*& alij plures. Inter Chriſti diſcipulos Theologus (ſic Ioannes per excellentiam dicitur) primus, dici Dominicæ cultum notauit *Apocal.* 1. Eapropter eam in Eccleſia celebrandam ſtatuit non reuolutione anniuerſaria, ſed recurrente prima hebdomadæ die. Optimè *lib.*14. *in Ioan.ſub init.* Rupertus ait: *Hæc eſt verè feſta dies, verè beata dies, nobilitas anni, mēſis decus, arma dierum, pulchritudine huius diei paradiſus refloruit, cælum purpuratum, Angeli candidati, homines exhilarati ſunt.* Fortè meliùs *alma dierum.* Et plura de hac re *lib.* 3. *de diuin.offic.c.*9. Denique *S.Thomas* 1.2.*q.* 103.*a.*3.*ad* 4. Sabbatum, quod ſignificabat primam creationem, mutatum eſſe aſſerit in diem Dominicum, in quo commemoratur noua creatura, inchoata in reſurrectione Chriſti. Dicitur ſecundò, *dies panis.* Et non deſunt qui exiſtiment nomine *panis* quemcumque cibum intelligi iuxta conſuetudinem S. Scripturæ, quam notat Hieronymus 1. *Reg.*2.*& lib.*2.*in Iſaiam.c.*3.& ita *diē panis* dictam Dominicam, propter conuiuia, quæ ſatis religioſè in primitiua Eccleſia maximè his diebus fieri conſueuerant in memoriam eius, quod Chriſtus in vltima cęna fecerat. [de his conuiuijs lege Ioannem Guill. Stuch. *rerum conuiual.fol.*117.*pag.*2.] Conueniebant enim Chriſtiani ſimul, & vnà canebant ſimulq; Sacratiſſimam percipiebant Euchariſtiam, vtramque ſimul menſam iungentes, communem & Sacram:& quidem Apoſtolorum tempore Sacra Synaxis priùs celebrari ſolebat, mox communi menſa omnes excipiebantur, quod tradit Chryſoſtomus *hom.*27.*in* 1.*ad Corinth.*11. his verbis: *Statis diebus menſas faciebant communes, & peracta Synaxi, poſt Sacrorum*

com-

communionem, inibant conuiuium, diuitibus quidem cibos afferentibus pauperibus autem & qui nihil habebant etiam vocatis, & omnibus communiter veſcentibus. Quomodo autem huiuſmodi cœnæ celebratæ fuerint, docet Tertull. *in Apologet. c. 39.* dicens: *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtēdit, vocatur enim ἀγάπη, id quod eſt penes Græcos* dilectio. *Quantiſcumq; ſumptibus cōſtet, lucrū eſt pietatis nomine facere ſumptū, ſiquidē inopes quoque refrigerio iſto iuuamus:* & poſtquā Ethnicorum conuiuia damnauit, ſubdit de Chriſtianorum: *Nihil vtilitatis, nihil immodeſtiæ admittit: non priùs diſcūbitur quàm oratio ad Deum præguſtetur: editur quātū eſurientes capiunt: bibitur quantum pudicis eſt vtile: ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire.* Aptè *diem panis* (is eſt Dominicus) vocauit Tertullianus ἀγάπην, quia ἀγάπη Græcis eſt *dilectio charitas beneuolentia:* vnde ἀγάπας ποιεῖν, *conuiuia pauperibus dare.* Legi in Apparatus regij Lexico. Eadem commendant Cyprianus *lib. 3. ad Quir. c. 3.* Auguſtinus *lib. 20. cont. Fauſt. c. 4. & c. 20.* & alij. Sed cùm temporum iniuria Chriſtiani, non vt debebat, hæc conuiuia celebrarent, communi ſenſu Eccleſiæ factum eſt, quod Sacris menſis communes cibi minimè miſcerentur, vt docet Auguſtinus *epiſt. 118. ad Ianuar.* & Agapę pleniſſimè vetantur in *Concil. Laodic. can. 28. can. oportet. d. 42.* & inſtauratur hæc conſtitutio *in 6. Synod. c. 74. Concil. African. circa tempor. Bonifacij I. cap. 27.* Antiſiodor. *c. 1.* & antè vetuerant Paulus 1. ad Corinth. 11. *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* & infrà, *Si quis eſurierit, domi manducet.* Ex quo factum eſt, vt poſtquam fideles omnes excepiſſent doctrinam, poſt preces, poſt Sacrorum communionem, ſoluta concione, diuites & abundantiores, alimenta & edulia domibus ſuis afferentes, pauperes vocarent, communeſq; facerent menſas, communia prandia & conuiuia. Sed cùm hæc conuiuia ſiue ἀγάπαι non ſolùm diebus Dominicis fieri conſueuiſſent, ratio hæc minimè conuincit, vt propterea *dies panis* ſit appellata maximè cùm conſuetudo illa non diù viguerit in Catholica Eccleſia.

1156 Sed ſi mea coniectura in re antiqua alicuius momenti ſit, exiſtimo nomen hoc ex veteri conſuetudine deriuatum; Chriſtiani enim in principio naſcentis Eccleſiæ omnes, qui Miſſę intererant, poſt pacem acceptam communicari ſolebant; *erant enim perſeuerantes in oratione & communicatione fractionis panis.* Actor. 2. Ex quo Dionyſius *de Eccleſ. Hierarch. capit. 3.* Chriſtianos his verbis inuitari conſuetum aſſerit: *Feſtinate Fratres ad communionem.* Poſteà creſcente fidelium multitudine, & eorum pietate frigeſcente, contracta eſt ad ſolos dies Dominicos communicandi conſuetudo, *can. non iſto. can. quotid. de conſecrat. d. 5.* idque monet Auguſtinus *ad Ianuar. epiſtol. 118. & de eccleſiaſt. dogma. cap. 53.* Quòd cùm in diſſuetudinem abijſſet, ordinatum eſt fidelibus ter in anno communicandum; in Natali Domini, Reſurrectione, & Pentecoſte. Sic Fabianus, vt refert Burchardus *lib. 5. c. 17.* Quod & confirmatum fuit in Concil. Agathenſi *c. 18.* & poſteà inſtauratum à Ludouico Pio apud Angeſinum *lib. 2. cap. 45.* vſu tamen receptum, vt pro communione, quę fieri ſolebat ſingulis diebus Dominicis, daretur panis benedictus; ſic Durantus *lib. 4. Rational. diuin. offic. cap. 35.* & Balſam. *ad can. 2. Synodi Antiochenæ.* Sed huius conſuetudinis antiquior extat memoria; meminit enim

illius.

illius Pius I. qui vixit temporibus Antonini, in decreto quod extat *in codice* 5. *Librorum lib.* 2. *c.* 117. & apud Burchardum *lib.* 5. *c.* 27. & *Iuon. p.* 2. *cap.* 37. vbi dicitur: De oblationibus, quæ offeruntur à populo, vel de panibus quos deferunt fideles ad Eccleſiam, presbyter partes conuenienter inciſas habeat in vaſe nitido, & conuenienti, vt poſt Miſſarum ſolemnia, qui ad cõmunicandum non fuerint diſpoſiti, εὐλογίαν omni die Dominico & feſto exinde accipiant. Meminit & huius conſuetudinis Nazianz. *orat.* 19. & Auguſtinus *epiſt.* 34. & *lib.* 2. *de peccat. merit. & remiſſ.* dicit, his diebus Catechumenis Eulogiam dari conſuetam, Euchariſtiam verò denegari; quod & docuerat *lib.* 1. *eod. tract. c.* 20. Et *ſer.* 215. dicit, oblationes, quæ in altari conſecrantur, offerre & erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicauerit. Idem Paulinus *epiſt.* 1. *ad Secur.* & *epiſt.* 25. *ad Alipium.* & in *Concil. Flor. ſub Eugenio* 4. legimus in ipſiuſmet exordio proxima Dominica quindecim Græcos Sacerdotes Imperatoris iuſſu Miſſam ſolemniter celebraſſe, & panem benedictum per Patriarchæ dexteram more Græcorum accepiſſe. Dicebatur autem huiuſmodi panis εὐλογία, eò quòd conferebatur in Eccleſia & colligebatur, ex quo collecta illa, quæ ad ſubleuandam tenuiorum inopiam fiebat, hoc nomine etiam εὐλογία dicebatur; hanc enim fieri ſolitam die Dominica, ſatis indicat Leo *ſerm.* 2. 3. & 5. *de Collect.* qui nominatim explicat eſſe inſtituta Apoſtolica, & exprimit diem Dominicam. Sed expreſsè Paulus 1. *ad Corinth.* 16. *Per vnam Sabbati vnuſquiſq. veſtrum &c. Vna autẽ Sabbati & prima Sabbati* appellabatur dies, quæ nunc *Dominica* Matth. n. & Marcus, vterq; *c. vlt.* primam Sabbati appellant eam diem, in qua Dominus reſuſcitatus innotuit; Lucas autem *cap. vlt.* & Ioan. *penult.* eam diem *vnam Sabbati.* Hieronymus *contra Vigilant.* Lyranus, Caietanus, Abulenſis, & omnes interpretes tam Græci quàm Latini nullo excepto (quem viderim) per *vnum Sabbati* vel *primam Sabbati* non aliam niſi Dominicam diem intelligunt; eo enim die, huiuſmodi collectæ fieri ſolebant. Vtrumque explicuit Remigius eo locò dicens: *Vnam Sabbati appellat diem Dominicam, quæ apud Iudæos vna Sabbati, vel vna Sabbatorum, vel prima Sabbati vocabatur, quæ nunc ob reuerentiam Dominicæ Reſurrectionis, Dominicus dies appellatur, in quo præcepit omnem plebem conuenire ad Eccleſiam, & congregare eos, prout valuerint, ad opus illorum, qui erant Hieroſolymis.* Erâtq; in Eccleſia gazophilacia, in quibus res oblatæ conderentur, quę Cyprianus *ſerm. de operib. & eleemoſyn.* כרבן *Corbon* Hebraicè, aut potiùs Chaldaicè כרבנא *Corbona* appellat. Paulinus epiſt. 32. *Menſam.* Tertullianus ſuprà, *arcam.* Denique Clemens Romanus *lib.* 4. Conſtit. Apoſtol. *cap.* 8. εὐλογίαν nominauit. Vt igitur ad noſtrum propoſitum redeamus, eapropter *panis* nomine diem Dominicam vocatam exiſtimo, quod omnibus Dominicis panis benedictus populo miniſtraretur.

1157 Denique *Dies lucis* dicitur; eò quòd reſurgente Domino, fugatis tenebris ignorantiæ & peccatorum caligine, vt exclamat Propheta Iſaias cap. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Vnde non immeritò diuinæ ac cæleſtis Reipublicæ, atque immortalis vitæ principium ſtatumque exprimit futuræ reſurrectionis, vt docet Auguſtinus ad Ianuar. his verbis: *Illa enim prima vita, quæ à peregrinatione redeuntibus, & primam ſtolam accipientibus redditur, per vnam Sabbati, quam diem Dominicum dicimus, figuratur.* Dies enim futuri ſæculi, nullos alios dies ſibi ſuccedentes

tes

tes habet, nec ſolis occubitu extinguitur & ideò ille ſolus *vnus* nominandus eſt, vt ſucceſſore carens, finiſque neſcius, nec iam nocte intercitus, ſed perpetuo fulgore coruſcans, neque vnquam occumbentem ſolem habens; ex quo forſan effectum eſt, vt illum quem Mathematici *diem ſolis* appellant, veteres *diẽ lucis* & Dominicum dicant recentiores. Ita Petrus Bung. *de numeror. myſter. n.* 24. & ante eum Ambroſius *ſerm. 61. in Pentecoſt. Quod eam ortus Sol iuſtitiæ Chriſtus illuminet*. Eſt enim Chriſtus lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum, cui à mortuis reſurgenti dies iſte dicatus eſt: & eapropter in eo ſtantes oramus, in ſignum futurę reſurrectionis, quę in corpore Chriſti præmonſtrata eſt, vt docet Tertull. *de Coron. Milit*. Auguſt. ſæpè, Iſidorus, Rabanus *de Inſtit. Cler. c.* 42. *& alij*.

1158 Lætus quidem dies ille, in quo mundo exulantibus tenebris lux oriri viſa, dicente Domino: *Fiat lux*. Lætus, in quo clauſus abyſſi fontibus & cæli cataractis, exſiccata terra, columba ramũ oliuæ virentibus folijs retulit in arcam. Lætus, in quo Deus oblato à Noe ſacrificio reconciliationis, arcum in nubibus conſtituit. Lætus denique, in quo Iſraëlitæ ab Aegyptiaca ſeruitute liberati, mare Rubrum ſicco veſtigio calcarunt, ſolo maris viridem herbam ferente, vt dicat ille,

Proſilit herboſus violento è gurgite campus.

Et ſapiens cap. 19. *Campus germinãs de profundo nimio*. Vnde graminium mare ab herbarum multitudine dicitur. At quid lux illa materialis ad cæleſtem illam & increatam lucem, quæ ex paterna luce procedens in temporis plenitudine mundum illuminare dignata eſt, vt meritò cæleſtes & diuini Spiritus Deo gloriam, hominibus pacem & gaudium magnum nuntiatum miſſi ſint? Quid de Aegyptijs & Pharaone victoria illa habita, ſi comparanda cum ea veniat in qua Chriſtus, ſpoliato inferno, deſtructa morte, deuicto Lucifero, ſpolijs onuſtus ad nos reddit? Vnde hac die cõpleta eſt noſtra ſalus, deletum chirographum affixum cruci, ſublata legis maledictio, ligatus Sathanas & detruſus in barathrum, vt verè *Dies lucis* & *Dies ſolis* poſſit dici; hæc enim dies eſt, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

Eccleſia Catholica huic diei honorem & reuerentiam tribuens, à terrenis operibus & mundi illecebris in ea abſtinendum, & diuino cultui incumbendum præcipit *in 6. Conc. gener. in Concil. Turon. c. 6. Conſtantinopol. 6. cap.* 8. *Chalcedon. c. 40. Laodicenſ. c. 29. Conſtantienſ. c. 6. & Lateranenſ. vlt. ſſ.* 20. Sed audiamus ſummos Eccleſiæ Patres; & primò 1. *lib. 11. Regiſt. epiſt.* 3. Gregorium. *Dominico die*, inquit, *à labore terreno ceſſandum eſt, atque omni modo orationibus inſiſtendum, vt ſi quid negligenter per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Dominicę precibus expietur*. Sed quid ex præceptis Apoſtolorum & eorum Conſtitutionibus *lib. 2. c. 63.* referat Clemens Roman. audiamus; *Dominico*, inquit, *die diligentiùs convenite, laudem Deo laturi, qui per verbum cuncta condidit, & illud ad nos miſit, atque mori permiſit, & à mortuis excitauit*. Similia habet *cap. 20. & lib. 7. c. 36. & c. 24.* & *c. 31.* Qui plura deſiderat, legat Creſpetium *in ſumma Eccleſiæ, verb. Dominicus dies*.

1159 Horum veſtigijs pientiſſimis inhærens noſter Diuinus Legiſlator, peculiari capite Dominicæ diei obſeruationem commendat dicens: *Dominico die temperiùs ſurgatur ad vigilias?* Sanè *temporius* legendum eſt, vt alij codices habent, id eſt *maturiùs, citiùs*; nõ enim idem ſignificant hæc duo, vt voluit Cardinalis: neque reperio primitiuum *temperi*, à quo temperiùs, vt vult Smaragdus, maximè in ea ſignificatio-

ne

ne deducatur; *temperiùs*, enim id videtur ſignificare quod *temperantius*, vt colligitur ex Cicerone lib. 9. epiſt. famil. *Memini te Phar. cœnam narrare: temperiùs fiat: cætera eodem modo.* Cęterùm *temporiùs* id quod *celeriùs* ſignificare, colligitur ex Columella lib. 8. c. 4. *Eſca bis diuidenda, vt manè non protinùs à cubili laxiùs euagentur, & ante crepuſculum propter cibi ſpem tẽporiùs ad officinam redeant.* Ouidius Transformationum 14.

------------ *Modò ſurgis Eoo*
Temporiùs Cælo; modò ſeriùs incidis vndis.

Alias *temporiùs* & *ſeriùs* contraria eſſe docuit Columella *lib. 2. c. 18.* Igitur eo die citiùs ſurgendum eſt ad diuinas laudes, vt quo maiora ſunt beneficia ſuſcepta, eò creſcat & gratiarum actio & vox laudis; ſic intellexit Hugo ad illud Pſalm. 70. *Adijciam ſuper omnem laudem tuam, vt diuino officio & orationi* (inquit) *tempus adijciatur, non detrahatur.* Ea propter Deus cùm *Num.* 28. *n.* 3. ſingulis diebus duplicem agnũ, vnum manè & alterum veſperi ſibi immolari pręcepiſſet, quod *iuge Sacrificium* dicebatur, in Sabbato geminari voluit, & pręter iuge Sacrificium, alios duos agnos propter Sabbatum immolari pręcipit *n.* 9. ſignificans in Sabbato, in quo feriantes à negotijs prophanis abſtinemus, ſacrificijs & diuinorum operum contemplationi vacandum eſſe: quod & ipſa Sabbati conſecratio ſatis indicat, dicitur enim Geneſ. 2. *Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.* quo loco *benedicere* (vt notauit Philo de mundi opificio) *laudare, commendare, & approbare* ſignificat. Quid autem ibi ſignificet *Sanctificare*, optimè explicuit Chryſoſtomus, ſcilicet diuino cultui ſegregare, ſeu dicare, & obſeruandum conſtituere, quaſi Deus ſuo otio honorandum, & pręcepto Sanctum & inuiolabilem ſeruari ſtatuerit; quod expendens Philo de vita Moyſis, *Quis*, inquit, *Sacrum illum diẽ, per ſingulas hebdomadas recurrentem non honorat remiſſione laborum, feriaſq; afferentem Patri-familias cum Domeſticis, non ingenuis tantùm, verùm etiam mancipijs, & iumentis inſuper; nam hic inducias laboris affert omnibus manſuetis animantibus creatis in miniſterium hominum, & à natura addictis eorum ſeruitio: affert etiam arboribus & ſtirpibus omnibus; nec ramum enim, nec frondem, nec folium demere fas eſt, nec fructum quidem ullum decerpere; immunitas enim in vnum diem conceſſa his omnibus, uelut publico præconio interdictũ eſſet, hæc attingere.* Vnde *Exodi* 31. ad obſeruantiam antiquiſſimi pręcepti denuò populus prouocatur, dicente Domino: *Vide vt Sabbatum meum cuſtodiatis.* Vbi expendendum eſt illud *meum.* Certè *Sabbatum meum*, inquit, id eſt, meas ferias & delicias; diem enim, in quo ego ab opificio mundi olim quieueram, vobis volui mecum eſſe communem, vt vel hac ratione meam beatitudinem, quæ in mei ipſius contemplatione conſiſtit, vobis quodammodo impertirer, vt à laborioſis ſæculi curis eo die vacantes diuina opera, iudicia, & conſilia, quę ego mecũ pertractabam, meditemini. Hinc Apud Iudæos, vt ex Philone refert Euſebius *libr.* 8. *de Præparat. cap.* 2. Sacerdos, vel aliquis de ſenioribus per totum Sabbatum vſque ad veſpertinum crepuſculum legem recitabat & exponebat, vt populus contemplationi, & diuinæ ſapientiæ ſtudio vacaret.

1160 Ex his patet, Sabbati ſanctificationem non tantùm in labiorum motu & armonico concentu conſiſtere. Inſtituta eſt recreandi amici cauſa & ob bonum commune, tam corporeum, quàm ſpirituale. Plato de legibus ſecundo, generi humano laboribus varijs fatigato, & doloribus preſſo, ſolẽ-

nia

nia ſacra faſtoſque ad Deorum cultum indixit, vt varietas in ipſiſmet miſerijs delectaret. Aptè quidem vitam ſine feſtiuitatibus, longam eſſe viam ſine diuerſorijs, dicebat Democritus apud Stobæum *ſerm. 13. de Parcit.* in quam rem Tibullus *lib. 2. de agri luſtrat. Elegia 1.*

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator,
Et graue ſuſpenſo vomere ceſſet opus.
Soluite vincla iugis: nunc ad præſepia debent.
Plena coronato ſtare boues capite.
Omnia ſint optata Deo: non audeat vllus
Lanificam penſis impoſuiſſe manũ.

Non tantùm in ſubſidium humanæ infirmitatis laboribus præſiſæ, ſed potiùs diuini amoris ſignum, & dignitatis honorificum teſtimonium fuit, vt terreſtribus ſudoribus intermiſſis, animus ad maiora & cæleſtia conſideranda raperetur, & ſicubi à legum præſcripto aberratum eſſet, retractaret in poſterum cautior. Ea propter D. Pater Dominica die temporiùs ſurgendum monuit, vt creſcente die, creſcant & diuinæ laudes, & beneficiorum recordatio.

DISPVTATIO LXXXIV.

De ſenario numero Pſalmis Dauidicis accommodato.

1161 Addidit Legislator ſanctiſſimus: *In quibus vigilijs teneatur hæc menſura* (id eſt, forma vel ratio, quam aliquando *diſciplinam* vocat) *modulatis, vt ſuprà diſpoſuimus, ſex Pſalmis & dicto verſu, reſidentibus cunctis diſpoſitè & per ordinem in ſubſellijs, legantur in codice, vt ſuprà diximus, quatuor lectiones cum Reſponſorijs ſuis, vbi tantum in Reſponſorio quarto dicatur à cantante Gloria.* Senarij numeri perfectionem eò maximè in ſacris litteris commendatam voluit Auguſtinus *lib. 4. de Trinit.* & *lib. 4. de Geneſ. ad litter.* quod Deus ſex diebus perfecit opera ſua, & die ſexto fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Sed non eò ſolùm ſenarius & ſacer perfectus perhibetur, quod hoc die conditæ ſunt vniuerſæ rerum ſpecies, vt exiſtimauit Guliel. Hamer. ſecutus Gregorium *lib. 35. Moral. c. 20.* Sed etiam ea de cauſa Deus opera ſua perfecit, quod Senarius perfectus eſt & ſacer: itaque, etiamſi iſta non eſſent, ille perfectus eſſet: niſi autem ille perfectus eſſet, iſta ſecundùm eam perfecta non fierent: quod ſatis inſinuauit Hugo de S. Victore *lib. de ſacris legis naturalis & ſcriptæ*, dicens: *Senarius, quia ex partibus ſuis conſtat, ſignum perfectionis eſt: & idcirco voluit Deus ſex diebus complere opera ſua, vt oſtenderet, ſe in his quæ fecerat, nec ſuperuacaneum aliqui poſuiſſe.* Deinceps Anaſtaſius Sinaita *li. 1. Hexam.* & alij notàt Chriſtum Dominum mortem ſubiiſſe anno Mundi 5541. & idcirco aſſerunt paſſum fuiſſe ſexto die ſeculi (hoc eſt poſt annum quinquies-milleſimum) ſexta hora eiuſdem diei (id eſt poſt quinquageſimum annum centenari) ſexta feria vſualis hebdomadæ (nempe die Veneris) hora diei ſexta. Vnde aſſerunt *Senarium* numerum eſſe ex multis titulis Chriſtianum. Mortem Chriſti Domini in eodem anno 5541. conſtituunt Orientis &

Schytiæ Chriſtiani apud I. Keplerum in Ephemeridibus.

Ideò Pythagoricis, Cabaliſtis, & alijs Gentilibus Rabiniſque, nec nó Doctoribus Catholicis Senarius numerus eſt ſacer. Hac idea diues noſter Legiſlator ſanctiſſimus Pſalmos reduxit ad Senarium, vt ſacra ageret numeris ſacris.

1162 De Lectionibus & earum origine & antiquitate, diximus ſuperiùs, conſuetudinemq; ſedendi dum recitantur ex Amalario adduximus, quæ confirmari poterit ex Clemente Romano *lib. 2. Apoſt. Conſtitut. c.* 57. Vbi dicit, presbyteros ex vtroque latere Epiſcopi ſedere conſueuiſſe, idque poſſumus vlteriùs confirmare ex eo, quod dicitur *Act.* 13. de Paulo & Barnaba, quod ingreſſi Synagogam die Sabbatorum ſederunt: poſt lectionem autem legis & Prophetarum, miſerunt Principes Synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite; ſurgens autem Paulus & manu ſilentium indicens doctiſſimam concionem habuit. Ergo quamdiu lectio & prophetia celebrabantur, more maiorum ſedebant. Vnde expendendum illud *ſederunt*, & rurſus poſt lectionem legis & Prophetarum *ſurgens* Paulus, Ex quo Ambroſius *in Lucam*. Hæc traditio Synagogæ eſt, quam nos vult Apoſtolus docere, quia Chriſtianis ſcribit, ex gentibus non ex Iudæis factis, vt ſedentes diſputent ſeniores in cathedris, iuniores in ſubſellijs. In quam rem olim in choro fuiſſe ſubſellia, colligitur etiam ex Athanaſio *epiſt. ad ſolitar. vitam agentes*, vbi dolet Arianos thronum, ſubſellia, menſam ligneam, tabulas Eccleſiæ Alexandrinæ, foras elata combuſſiſſe ante veſtibulum magnæ plateæ, & exclamans concludit, *quis hæc audiens non fleuerit?* Denique hæc ſubſellia in Eccleſia fieri conſueuiſſe, teſtis Iulianus Apoſtata, qui vt refert Sozomenus *lib. 5. c.* 15. & Nicephor. *lib. 14. cap.* 20. cùm inſtituiſſet delubra gentilium tum apparatu tum ordine Religionis Chriſtianæ adornare, in idolorum templis ſubſellia & primarios ſuggeſtus fieri curauit. Ideò autem ad lectiones ſedendum exiſtimat Iſidorus *lib. 1. de eccleſ. offic. c.* 10. quem per omnia tranſcripſit Rabanus Maurus *lib. 2. de inſtitut. Clericor. cap.* 52. quia lectio eſt audientium ædificatio: vnde oportet vt quando pſallitur, pſallatur ab omnibus: cùm oratur, oretur ab omnibus: at cùm lectio legitur, facto ſilentio, æquè audiatur ab omnibus. Vnde & Diaconus clara voce ſilentium indicere ſolebat, vt docet Iſidor. ſuprà, & Ambroſ. præfat. in Pſalmos. *Quantò* (inquit) *laboratur in Eccleſia, vt fiat ſilentium, cùm lectiones leguntur.* Idem ſignificat Auguſtinus *lib. 22. de Ciuit. c.* 8. & meritò quidem: ibi enim paſcitur animus, dum diuinam & incircumſcriptam maieſtatem omnia in ſe continentem audimus, dum illius fortitudinem, qua in manu valida & brachio extento humanum genus redimere dignatus eſt, dum illius in nos collata beneficia & ſtupenda opera mente reuoluimus: hæc autem tranquillum animum & à perturbationibus liberum requirit: vnde Pythagoricum illud, quod Plutarchus Numæ Pompilio adſcribit: *Adoraturi ſedeant:* & illud quod præco clamabat, quando Pontifex captabat auguria, *Hoc age; Vnum age:* ex quo *ſedere* apud Plautum & *conſilium capere* vel potiùs *dare*, pro eodem: dixit enim ſeruus ille apud ipſum: *ſine iuxta aram ſedeam, & dabo meliora conſilia.* In ſacris verò litteris, illi qui Iſabellæ impulſu contra Nabothum teſtimonium falſum dixerunt, ſediſſe dicuntur, forſan ex triſto more, quo ſedentes perhibebant teſtimonium: quo ſignificabatur, illos pacato animo & ſine affectibus munus illud præſtare.

1163 *Subſellia* autem dixit: nam vt author eſt Varro, à ſedendo *ſedes & ſel-*

& ſella dicta ſunt, à quibus *ſubſellia:* ſed de his ſatis Crinitus *lib.* 2. *de honeſt.diſcip.c.*3.& Franciſcus Marius *li.* 5. Beroaldus *in Apuleium lib.* 1. & Iſidorus *de orig.li.*10.*c.*11.

1164 De Reſponſorijs verò, quæ poſt lectiones dicenda, ſimulque de glorificatione Sanctiſſ. Trinitatis, ſatis dictum ſuperiùs. Illud inſuper aduerte, Græcos huic glorificationi addidiſſe, *& nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen*, omittentes, *ſicut erat in principio*, vt Filij æternitatem minimè probarent, quod tradit Strabo *de rebus eccleſiaſt.c.* 25. & quia nos illam ponimus, reprehendunt. Sed in fauorem Latinorum extat Concilium Vaſenſe *can.* 4. vbi dicitur: *Quia verò non ſolum in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem & totam Africam propter hæreticorum aſtutiam, qua Dei Filium non tempus cum Patre feciſſe, ſed à tēpore cæpiſſe blaſphemant, in omnibus clauſulis poſt Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, dicatur etiam, ſicut erat in principio & nūc & ſemper, & in ſæcula ſæculor. Amen. Et nos in vniuerſis eccleſiis noſtris dicendum decreuimus.* Illud denique aduertendum, quod dicit Caſſian.*li.*2.*de Inſtit.cœnob.c.*8. huiuſmodi glorificationem dici ſolere, dum de lætis agitur; at cùm de triſtibus, in Pſalmis omittitur & Reſponſorijs. Ritus eſt antiquiſſimus, & nunc in vſu. In officio defunctorum *gloria* non dicitur, nec in feriis vltimis hebdomadæ pænoſæ. Sed de hac re latè Amalarius *lib.*4.*de Eccleſ.offic.c.*20.& *lib.*1.*c.*12. Rupertus *eod. tit. c.* 2. Alcuinus *feria quarta & cœna Domini*.

1165 Lego in contextu Regulæ. *Poſt quas lectiones ſequentur ex ordine alij ſex Pſalmi cum Antiphonis ſicut anteriores, & verſus; poſt quos iterùm legantur aliæ quatuor lectiones cum Reſponſorijs ſuis, ordine quo ſuprà.* Sicut die Dominico duodecim vult cantari Pſalmos, ſic & alijs diebus per hebdomadam; de qua re fuſiùs inferiùs diſputabo.

DISPVTATIO LXXXV.

De reliquis Matutinorum Partibus.

1166 Poſt octauam lectionem dicenda ſunt ex præſcripto Regulæ tria Cantica deſumpta ex aliquo Propheta, iuxta arbitrium Abbatis. *Canticum*, vt author eſt Euſebius Cæſarienſis, Theologia eſt in rectis dogmatibus poſita, quam anima perfecti viri per ſeipſum meditata Deo conſecrat. Quod aliter diffiniat Hilar. *præfat.in pſal.*25. & aliter Hieronymus *in cap.* 5. *epiſt.ad Epheſ.* Sunt autem Canticorum quatuor genera, quibus fideles vti ſolent, vt notauit D. Pater Bernardus in ſententijs. Vnum eſt victoriæ; tale ſubmerſo Pharaone cum Moyſe Hebræi decantarunt, & Delbora occiſo Syſara & victis inimicis; Alterum exhortationis, quale Hebræi terram promiſſionis intraturi cecinerunt *Exod.*14.& 15. Aliud lætitiæ, ſicut illud quod Anna cantauit propter filii ſuſceptionem *Iud.* 5. & aliud gratitudinis, vt eſt illud quod modulatus eſt Dauid, manu Saulis ereptus 1. *Reg.* Fuit enim antiquis Hebræis conſuetudo, pro perceptis beneficijs Deum laudare, aut gratias rependere periodis metro diſtinctis, quas nos dicimus cantica. Aliqui in teſtamento veteri octo, aliqui decem, alii plura reperiri dicunt, in nouo quinque.

Eſt Canticum Pſalmis antiquius, fuit etenim author illius Moyſes, eiuſque vſus vſque ad tempora Dauid perſeuerauit, qui primus omnium cępit Pſalmos conſcribere. Fateor minimè me potuiſſe percipere differentiam, quam aliqui inter pſalmos, hymnos & cantica conſtituunt: & ipſe Auguſtinus *lib. 9. Confeſſ. c. 6. & 7.* pro eodem accipere videtur *Hymnum* & *Canticum*, cùm dicit, hymnum eſſe laudem Dei cum cantico, vti & Paulus 1. *Corinth.* 14. *Pſalmum* pro omni eo, quod in Dei laudem concini poteſt 2. vero *Paralip.* 7. vocatur hymnus, cum dicitur, *ſtabant Leuitæ in organis carminum Domini*, & paulò poſt, *hymnos Dauid canentes per manus ſuas*. Idem habetur 1. *Eſdræ* 3. De qua re videndi ſunt interpretes *ad Ephe.* 5. maxime Hieronymus & Hilarius, Euthym. & alij in princ. pſalmorum. Iſidor. *lib. 6. de orig. c.* 19. quæ licèt veriſſima ſint, ex Eccleſiæ nihilominus conſuetudine nomen *Canticum* accommodatum eſt, ad ſignificanda particularia cantica, quibus diuinas laudes pro occaſionum varietate celebramus; ea verò quæ modulanda ſunt. Abbatis prudentiæ commendat, vt temporibus & feſtiuitatibus congruentia conſtituat.

De Hymno Ambroſiano.

1167 Hymnus *Te Deum laudamus* ab Ambroſio & Auguſtino compoſitus creditur, vt probatur in proœmio Melliloquij, de quo S. Dacius Mediolanenſis Epiſcopus *in ſuo Chronico lib. 1. c. 10* à B. Ambroſio cunctis fidelibus vrbis adſtantibus & videntibus in nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Auguſtinus baptizatus & confirmatus eſt in quibus fontibus prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis, Hymnum *Te Deum Laudamus* cũctis qui aderant audientibus & videntibus ediderũt, qui ab vniuerſa Catholica Eccleſia vſque hodiè tenetur ac religiosè decantatur. Vide Gregor. *lib. 3. Dialog. capit. 4.* Hunc Hymnum illicò recepit Eccleſia, adeò vt D. Pater Benedictus, qui ſexaginta poſt Auguſtinum vixit annis illius mentionem faciat in hoc capite. Vide Radulphum Tungrenſem *de Canon. obſeruat. pro.* 13.

De Euangelio.

1168. Summam deberi Euangelio reuerentiam vel illud indicat, quod ſit verbum Dei; vnde & honor illi exhibendus eſt & tremor, vt caſto corpore & corde mundo proferatur: Euangelica namque lectio, quæ fons hortorum eſt & puteus aquarum viuentium (*Cantic.* 4.) non aliunde fluit impetu niſi de Libano, id eſt, de corde caſto & ore candido; *Libanus* enim deducitur à radice לבן *laban*, hoc eſt, *candeſcere, dealbari*. Vitiorum autem ſordes dum arctant conſcientiam, os etiam premere neceſſe eſt, ex quo aquæ viuæ minimè cum impeto profluunt. Legat igitur Abbas cum honore, vnde & frons ſignari ſolet, vbi ſedes eſt verecundiæ: legat & cum tremore, recolens ſe in virtutum montem adſcendiſſe iuxta illud Iſaiæ 40. *Supra montem adſcende tu, qui Euangelizas Sion.*

1169 Addit inſuper, *ſtantibus omnibus*: nam, vt docet Clemens Romanus *lib. 2. Conſtit. Apoſt. c.* 61. cùm Euãgelium legitur, omnes Presbyteri, Diaconi, & laici aſſurgere debent cum magno ſilẽtio. Extſtat & in eam ſentẽtiam decretum Anaſtaſij ad omnes Germaniæ & Burgundiæ Epiſcopos, his verbis: *Significatis quoſdam, in Eccleſia quando leguntur Euangelia, ſedere.* & inferiùs, *quod nullatenus deinceps fieri authoritate Apoſtolica mandamus; ſed dum ſancta Euangelia in Eccleſia recitantur, Sacerdotes, & cæteri omnes præſentes, non ſedentes ſed venerabuntur cunui, in conſpectu Sancti Euangelij*

ſtantes.

ſtantes Dominica verba attentè audiat, & ſuppliciter adorent. Can. *Apoſtolica. de Conſecrat. d. 1.* [Nota illud *venerabuntur curui*, vt ſcias ſine cauſa ab hac Eccleſiæ conſtitutione recedere ceremonialia, quę ad *Gloria tibi Domine*, ſignari pectus iubent, inclinari interdicunt.] Quod decretum in hanc rem adducunt Rabanus *de inſtit. Cleric. cap.* 33. Strabo *de Eccleſ. c.* 22. Amalarius *lib. 3. c.* 18. Beda *in Martyrolog. 6. Kal. Maij.* Albert. Magn. *in tract. de miſſ.* Marianus Scot. & Platina *in vit. Anaſtaſii* & alij, & probat conſuetudinem Iſidor. Peleuſiota *lib. 1. epiſt.* 136. & contrarium Alexandrinorum morem in Epiſcopo damnat Sozom. *libr. 9. hiſtor. trip. cap.* 39.

De Particula Amen.

1170 Incongruè aliquibus conſtitutum videtur, vt poſt Euangelicam lectionem reſpondeatur, *Amen*; eò quod non omnibus Euangelij finibus videatur congruere. Quibus vt reſpondeamus, ſupponendum eſt vocem iſtam אמן *Amen* Hebraicam eſſe, cuius non vna, ſed duplex eſt ſignificatio apud Authores, quod notauit mellifluus Pater Bernardus *ſerm. 7. in cœna Domini*. Aliquando enim affirmat, & hanc ſignificationem ſecuti Symachus, Aquila, & Theodotion vertunt πεπιςωμένως, id eſt, *verè & feliciter*. Sic etiam Origenes *tract. 35. in Matth. & in epiſt. ad Roman. cap. vltimo*. Hieronymus *epiſt. 137. ad Marcel. & in c. 1. epiſt. ad Galat.* Iſidorus *lib. 6. orig. c.* 19. Ambroſius *lib. 1. de his qui initiantur myſterijs c.* 9. Germanus *in Theoria rer. Eccleſ.* Auguſtinus varijs in locis. Idque conſtat ex Euangelio, vbi ſæpè Chriſtus aliquid affirmans dicit: *Amen dico vobis*, aut geminando, *Amen Amen dico vobis*, hoc eſt, *Verum enim vero dico vobis*, vel *Reuera*, Hiſpanè *en realidad. de verdad.* vt quod dicitur, verius affirmetur vel quod promittitur, nulla dubitatione vacillet. Aliquando verò vox orantis vel optantis eſt, & eam ſignificationem ſequuntur Septuaginta Interpretes, qui vertunt γενοιτο, id eſt, *fiat*, vel vt *in ſuo Pentaglotto* interpretatur Schindlerus, *Faxit Deus, verum ſit hoc, certò eueniat*. In hoc ſenſu vtitur illa Iulius I. *in reſcript. contra Oriental. pro Athanaſ. c.* 1. Hieronymus *in epiſt. ad Marcel.* & *epiſt.* 134. *ad Sophron.* Iuſtin. Martyr *apolog.* 2. Auguſtinus *epiſt.* 178. & *lib. 2. de doctrin. Chriſt. c. 10. & 11.* & *tract. 4. in Euang. Ioan.* Quod & in veteri Teſtamento factum fuiſſe, quando Moyſes Dei mandata enarrabat, patet *Deuter. 27.* & *Paralip. 16.* qui mos diu permanſit in Eccleſia, vt cùm populus frequens preces & cætera, quæ in Eccleſia recitabantur, audiret, reſponderet, *Amen*, quaſi dicens, *Quod rogas Dominum, hoc & optamus*. Ea-propter Eccleſia hac particula ſolet claudere hymnos & precationes ſuas; vnde Auſonius in Ephemeride:

Conſona, quem celebrant modulati carmina Dauid
Et reſponſoris ferit aera vocibus, Amen.

Ex his patet, quare Apoſtolus *1. ad Corinth.* 14. aſſerat, eum qui peregrinum idioma non percipit, non poſſe precanti, aut benedicenti reſpondere *Amen*; quia neque affirmare neque optare poteſt quis, quod prorſus non intelligit. Sed de hac voce plura Angelus Caninius *de loc. noui Teſtam. cap.* 5. & Pagninus *in theſauro*. Igitur in propoſito, cùm non poſſit finiri Euangelium ſine vna ex his ſignificationibus, non incongruè in fine Euangeliorum reſpondemus, *Amen*, vt nos vel prædicta fideliter credere, vel quæ promittuntur propitia, obtinere velle, optando & orando monſtremus.

De Antiſtrophe Te decet laus.

1171 Voluit nos Diuinus Inſtitutor docere noſtrarum vigiliarum finem, & totius orationis ſcopum; ideò iubet Antiſtrophe *Te decet laus*, qua Trinitati gloriam, hymnum & laudem deferimus, tertium nocturnum claudi. Sic Paulus poſtquam remiſſionis Peccatorum & redemptionis beneficium cõmemorauit 1. *ad Corinth.* 1. in diuinas laudes erumpit dicens: *Regi autem ſæculorum immortali inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorũ, Amẽ.* Nec refert, an hæc verba intelligẽda ſint de Chriſto, vt voluit Cyrillus *lib.* 12. *theſauri c.* 10. dicitur enim de illo *Luc.* 1. quod *regnabit in domo Iacob in æternum*, vt hæc ſententia ad illius diuinitatem mentem erigat: an verò de tota Trinitate, vt Theodoretus & Anſelmus; vel de ſolo Patre, vt voluit Ambroſius. Extat enim Theologorum regula, quod dictio excluſiua addita nominibus eſſentialibus & attributis, non excludat aliquam ex diuinis perſonis. Eſt autem proprium Dei attributum, quod Rex ſæculorum ſit; quod explicans Dionyſius *de diuinis nominibus cap.* 5. 7. & 10. ait, *Ex eo quia eſt, ſæculum eſt, eſſentia & ens, & tempus & generatio, & quod generatur, & quod quomodocumq; ſubſiſtit, & idcircò dicitur Rex ſæculorum, vtpote in quo & circa quem totum eſſe & ens, ſubſiſtensq; verſatur.* Eſt enim Deus principium & quaſi Pater æternitatis, temporum, & ſæculorum; in quo ſenſu ex Arato dixit Paulus Actor. 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Secundò eum vocat immortalem, Græcè ἀφθάρτῳ, id eſt, incorruptibili. Sic legit Syrus, & ſequitur Auguſtinus *lib.* 2. *cont. Fælic. Manich. c.* 7. *& cõtra Adimant. Manichæum c.* 28. Sed reuera idẽ eſt eſſe immortalem & incorruptibilem, nam vt dixit Philo *in libro, quod mundus eſt corruptibilis*, hominum hæc eſt inæqualitas, tum incrementa, tum decrementa in vtramque partem recipientium, ſicut & alias mutationes in contrarium: Deus autem ſemper eſt ſibi par & ſui ſimilis, neque in deterius neque in melius proficiens. Mutatio autem, inquit Anſelmus, mors quædam eſt rei, quæ mutatur & deſinit eſſe quod fuit, & incipit eſſe quod non fuit. *Inuiſibilem* verò dicit, eò quod naturaliter minimè videri poſſit: dicit enim Apoſtolus eiuſdem epiſt. c. 6. *Solus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed neque videri poteſt.* Soli Deo Græcè σοφῷ, id eſt, ſoli Sapienti Deo; ſic legunt Chryſoſtomus & alij Græci, vno excepto Theodor. Etſi enim Deus ſons ſapientiæ, & vt dixit Sap. eccleſiaſt. 1. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt.* Huic ergo ſeculorum Regi, huic immortali, incorruptibili, inuiſibili, ſoli Sapienti Deo debetur honor & gloria, & ad illum omnia referenda ſunt: is enim propter ſemetipſum laude, & gloria dignus eſt: cætera ſiqua ſunt, quia diuinorum munerum aliquã veluti particulam delibarunt: Ergo beatiſſimam Triadem decet Laus & gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Poſſintne Lectiones abbreuiari.

1172 Breuiari lectiones imperat P. Sanctus cùm excitatoris negligẽtia tardiùs ſurgitur. Breuitas hęc lectionum non eſt intelligenda quoad numerum, vt benè notauit Cardinalis, quia ſemper duodecim dicendæ, ſed quoad ſingularum quantitatem. Certè diſplicent aliqui expoſitores, qui aſſerunt non eſſe licitum per Regulam quidpiam ex Lectionibus aut Reſponſorijs ſubticere: ſed ſolùm ea debere breuiari in tali caſu, hoc eſt cantari feſtinanter. Si litteram bene perpendas, non dicit S. Pater in dato caſu feſtinandum, ſed breuiandum aliquid de lectionibus & reſponſorijs.

ſorijs. Hęc breuiari aut ſubticeri non vidi: Lectiones ſępè decurtantur non ex cauſa ſolùm, ſed etiam ex arbitrio prę-ſidis, qui hoc verbo *Tu autem*, lecto-rem admonet, vt lectionem illa periodo abſoluat, pręcipuè cum ſermo aliquis legitur continuus, qui nondum eſt ab Abbate aut de ipſius conſilio à cantore diſtributus in partes.

1173 In officio publico malim multas lectionis clauſulas ex Præſidis indicto ſubticeres, quàm feſtinanti labio periodos pręcipitares. Non eſt contra ſolennitatem homilię breuitas: dedecet autem lectio preceps. Ergo ſi contingat ſeriùs ſurgere, ſollennitas ſit eadem quę alijs diebus, ſed lectiones ita breuientur vt Prima debito tempore incipiatur. *Vide diſp.*101.*art.*12. *nu.* 2338. *concl.*6. *&* 7.

TEXTVS. Cap. 14.

Qualiter in natalitijs Sanctorum vigiliæ agantur.

1174 In Sanctorum verò feſtiuitatibus, vel omnibus ſolemnitatibus, ſicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: excepto quod Pſalmi, aut Antiphonæ, vel Lectiones id ipſum diem pertinentes, dicantur: modus autem ſuprà ſcriptus teneatur.

DISPVTATIO LXXXVI.

De Faſtis eccleſiaſticis.

Vtrùm omnes ſint moraliter æquales dies.

1175 VNum diem omni ali eſſe parem, refert Seneca *epiſt.* 12. Heraclitum dixiſſe, Heſiodumque reprehendit, quod naturam vnam eandemque dierum eſſe ignorauerit, vt notat Plutarchus *in Camil.* Quę licèt vera ſint ſpectata diei natura, tamen eſſe inter dies diſparitatem moralem, & politicam, & diſcrimen iure diuino & humano, ſolùm hęretici negant. Lutherani enim & Caluiniſtę nullum inter illos diſcrimen agnoſcunt ſecundum myſterium & ſignificationem, ſed omnes ęquales eſſe dicunt. Fuit autem hic error Vvaldenſium, quos poſtea ſequuti ſunt Vvicleph & Ioannes Hus relati à Vvaldenſi *tit.* 3. *tit.* 16. *cap.* 14. qui ſuam ſententiam probant ex Paulo *ad Rom.* 14. dicente: *Alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnem diem*, id eſt, alius putat vnum diem eſſe ſanctum, alius prophanum, alius verò putat omnes ęquales eſſe. Et ad Coloſſenſ. 1. *Nemo vos iudicet in cibo aut potu vel parte diei feſti.* Et deniq; Galatas reprehendit c. 4. *Dies obſeruatis & menſes & annos timeo vos, ne fruſtrà laborauerim in vobis.*

(∴)

ARTICVLVS I.

De Gentilium ſolemnitatibus.

1176 Nulla tamen vnquam extitit tam barbara natio, quæ vel verum Deum ratione naturali aſſecuta, vel dæmonum illuſionibus decepta omnigenum deorum ſibi monſtra confinxit, non aliquem illis cultum exteriorem decreuerit, ac feſtos dies quotannis inſtituerit celebrandos, inſtitutoſq; piè ac religioſè obſeruauerit. Conſtat id ex Lactant. *lib.* 1. *diuin. Inſtit. c.* 4. & Eugub. *lib.* 3. *de peren. Philoſ.* Auguſtino *l.* 2. *de Ciuit. c.* 4. & *lib.* 6. *c.* 8. & *l.* 8. *c.* 12. 23. & 24. Et vt à Gentilibus dæmonum illuſione deceptis incipiamus, inter Æthiopes qui antiquiſſimos ſe gloriantur eſſe, & primùm Deos coluiſſe contendunt, quod Diodor. *lib.* 4. probare videtur, quidam ſempiternos Deos poſuerunt; alij mortalis & corruptibilis naturæ participes; eſt enim eorum regio ampliſſima, ac ſubinde varia apud ipſos ſacra, infinitaque portenta poſuere: ſemper tamen honores, & cultus ei præſtandos intellexere.

1177. Aegyptij, apud quos primum Deorum genus extitiſſe volunt, vt tradit Diodor. *lib.* 1. *rer. antiq. c.* 2. & Euſeb. *lib.* 2. *de præparat. euan. c.* 1. duos Deos imprimis coluerunt, Oſiridem poſtea vero magnam aliorum turbam commenti ſunt, adeo vt non ſolum homines, & animalia rationis expertia, ſed olera, & alia pro Dijs habuerint. Ex quo Mercurius in Aſclipio (quem Apuleius in latinum tranſtulit) viſibilia, & contrectabilia ſimulacra, quibus ineſſe quoſdam ſpiritus ſiue ad nocendum, ſiue ad hominum deſideria complenda aſſeruit; quapropter eis diuini honores, & cultus deferebantur, de qua re Aug. 8. *de Ciuit. c.* 23.

1178. Phœnices inſuper plura de Dis, & rerum principio tradiderunt, Dagonaque, & Chamum coluerunt, de quibus plura Sachuniaton Phœnicum lingua conſcripſit, & in græcam tranſtulit Ioſephus Hæbreus, vt placuit Cyril. *lib.* 6. *in Iulian.* ſiue vt alij volunt, Philo. Tradit enim Euſebius *lib.* 2. *de præpar. euang. c.* 3. Athlantides Africanos gloriari à ſe Deorum genus emanaſſe, primoſque Deum coluiſſe Οὐρανὸν idest *Cælum*, quod apud ſe regnaſſe prædicabant, & Deorum omne genus procreaſſe, vt latè Diodorus *lib.* 4. *Bibliot. rer. antiq.* Phryges inſuper Cybelen matrem venerati ſunt: denique Perſæ Iouem, Mitram, ſeu Solem, tellurem, & vêtos coluerunt, vt refert Strab. *l.* 15. Sol *Mitra* dictus, non tamen ab omnibus notus hoc nomine. Statius *l.* 1. *Teb.*

Indignata ſequi torquentem cornua Mitram.

Accinit Mantuanus.

Tunc veteres Diui, Phœbus quem
Perſica Mitram
Lingua vocat.

1179. Fuerunt & apud Græcos ſolemnitates, & feſta plura, & primò *Hecatonbea* à ſolemni ſacrificio Hecatôbe. Sic dicta, quòd in ea centum conſtruerentur aræ, totidemque oues mactarentur, vt author eſt Alexand. ab Alexand. *lib.* 3. *dier. genial. c.* 22. quod ſi hoc ſacrificium ab Imperatore fieri contigiſſet, centum Leones, centumue Aquilæ, aliaue id genus animalia centena. Erant etiam & *Hyacinthia* feſta in honorem Apollinis, ſic dicta ab Hyacintho puero ab eo dilecto, de qua re ſic Ouid. inter alia:

Nec genuiſſe pudet ſparten Hyacinthon, honorq;
Durat in hoc æui, celebrandaq; more priorum
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.

Plynteria etiam celebrantur Athenis in

in honorem Cereris, vt docet Iulius Pollux *lib.* 8. adeoque neceſſarium hoc feſtum Ciuitati putabant, vt nullus Athenienſium etiam ſumma coactus neceſſitate aliquid die illa operari auderet, vt author eſt Xenophon. *li.*1.*rer.græc.* Erat & ſolennitas *Dyamaſtygoſis*, id eſt flagellationis apud Lacedæmonios maximè celebris, in qua ante aram nobiles etiam adoleſcentes flagellis affligebantur, parentibus adhortantibus vt ſeueriùs & durius vapularent: de qua Tertullianus *in Apolog. & in lib. ad martyr.* & Lucianus *in Anacharſi*. Feſtum denique *Apollinis Tymbræi* adeo ſolenne fuit Græcis & Troianis, vt interbellum per inducias ſtatuerint, ne exercitus tum ſacrificio abſtinere cogerentur, vt tradit dictus Cretenſis *lib.* 4. *de bell. Troian.*

1180 Sed iam ad Romanos veniamus, qui ſe veriorem de ſacro exiſtimarũt notitiam adeptos. Cùm enim Numa annum in duodecim menſes diſtribuiſſent, eundem etiam in certa dierum genera diuiſit, ita vt alij eſſent feſti, quos *otioſos* poſſumus dicere, alij profeſti, quos *negotioſos* alij denique Dijs dicati erant, vt Macrob. *l.*1. *Saturnal. c.*16. Vocabantur autem *feſti à ferijs*, vt aliqui volunt, vnde & *feriati* dicti ſunt, vel certè *feſti*, quaſi *feſſi*, quia homines feſſi vel defeſſi reliquorũ dierum operibus ac labore, his refici ac recreari ſolerent. *Profeſti* dicebantur, qui hominibus ad rem priuatam publicamque adminiſtrandam conceſſi erant; ſic dicti quòd procul eſſent à Religione numinis diuini, vt ait Feſtus. *Interciſi* erant deorum hominumque communes, quia quibuſdam eorum horis fas erat, quibuſdam verò nefas erat ius dicere. Erãt & feſta *Parilia* vel *Palilia* nuncupata duodecimo Kalend. Maij, qui Vrbis Romanæ natalis fuit. Erant & *Lupercorum* à poetis ſæpe repetita & 15. Kal. Mar. celebrata, quorum ſuperſtitio diu Romæ viguit, vt author eſt Plutarchus *in Ant. Caraiala* Erant & feſta *Liberalia* 16. Kal. April. in quibus togæ pueris dabantur, de quo Ouid. faſtor. in fine.

Reſtat vt inueniam, quare toga libera detur
Luciferis pueris Candide Bache tuis; &cet.

De his ſæpe Cicero *in epiſt. ad Attic.* dicebanturque *liberalia*, quòd eo die Sacerdotes per totum populum liberi ſederent, & coronati hedera ſacrificarent. Denique vt alia taceam. *Bacchanalia* ſingulis menſibus agi conſueuerant, quæ poſteà ſublata à Poſthumio Conſule propter dedecus; de qua re qui plura deſiderat, legat Macrob. *loco ſuprà cit.* Ioannem Guillel. Stuch. *de ſacrificijs Gentilium*, Girald. & alios, Ex quibus hoc vnum licèt colligere nimirum dies feſtos apud gentiles eos nuncupari, in quibus conſueuere ſacrificia quaſi naturali inſtinctu Dijs offerre, vel in illorum honorem ludos exercere, quæ autem hiſce diebus Sacerdotes fieri prohiberent, quæ permitterent, fuſius enarrat Columell. *de re ruſt.* c.22.

ARTICVLVS II.

De Hebræorum faſtis.

1181 Hebræos iam accedamus, qui falſorum deorum figmenta abhorrentes, verum & vnicum Deum interiori animi cultu pariter & exteriori venerati ſunt. Quod vt ex lege veteri demonſtremus ſupponendum eſt primò apud illos anni computationem quoad res ciuiles à menſe תשרי *Thiſri* correſpondente Septembri noſtro fieri ſolitam: quoad feſtiuitates verò & alia ſacra, à menſe ניסן *Niſan*, qui Martio noſtro reſpondet; vnde priori ſupputatione relicta, de hac ſecũda intelligenda ſunt, quæ dicemus.

1182

1182 Notandũ præterea; apud Hebræos menſium exordium iuxta lunæ incoationem finitionemue computandum, ita vt primus dies inchoationis lunæ ſit primus menſis, atque ita reliqui ſecundùm lunæ mutationem. Quo ſuppoſito, primus cuiuſque menſis dies, feſtiuus fuit apud Iudęos, dicebaturque græcè Νεομηνία *Neomenia* id eſt, *Nouilunium*, ſiue *Noua Luna*: νέος enim *nouum* & μὴν *menſem* ſeu μήνη *Lunam* ſignificat, vnde Νεομηνία idẽ quod *Noua Luna*. in quo decepti ſunt Lyranus *Num*. 8. & Abulenſis ibidem *quęſt*. 9. *& Leuit*. 23. *q*. 5. qui νέος *nouum* & μήνη *defectum* interpretantur. Hoc die non erat ceſſandum ab opere ſeruili, ſed duntaxat ab alijs diuerſus erat quantum ad ſacra, quia in eo offerebantur Domino in holocauſtum duo vituli de armento iuxta inſtitutum *libri Num. cap*. 28. Vbi obiter notanda Iudęorum ſtultitia, qui in ſuo Thalmud. *ord*. 4. *tract*. 6. *diſtin*. 1. Deum aſſerunt hædi ſacrificium præcepiſſe ad expiandum ſcelus à ſe commiſſum, cùm lumen iniuſtè à luna ablatum ſoli attribuit, qua de re acutè Sixtus Senenſis *in ſua Bibliotheca*, & Burgenſis *in ſuo ſerut*. 2. *p. diſt*. 6. *cap*. 8. Fuit autem *Neomeniæ* feſtum inſtitutum in memoriam beneficij diuinæ gubernationis, vt docet S. Thomas 1. 2. *q*. 102. *art*. 4. *ad* 10.

1183 Septimus præterea hebdomadæ dies ſanctificatus erat Domino, ita vt in eo Iudæi neque cibos neque alia neceſſaria alimenta pararent, ſed pridiè paratis veſcerẽtur. Sic enim Lex Exod. 20. *Memento vt diem Sabbati ſanctifices, ſex diebus operaberis, ſeptimo autem die ſabbatum Domini Dei eſt, non facies omne opus in eo*, &c. Ratio inſtitutionis erat memoria beneficij creationis, vt ait S. Thomas ſuperiùs. Sed præter hæc feſta cuicumque menſi communia, erant & aliæ feſtiuitates particulares, tum lege, tum maiorum & ſeniorum decreto ſtatutæ.

1184 In Primo menſe Niſan, qui noſtro Martio reſpondet, erat feſtum פסח Pheſach, id eſt, *tranſitus*, vulgò dicitur *Phaſe* & à nobis *Paſcha*. Conſtat huius feſti inſtitutio ex Leuit. 23. *Menſe primo quarta decima die menſis ad veſperum Phaſe Domini eſt, & quinta decima die menſis huius ſolennitas azimorum Domini eſt, ſeptem diebus azyma comedetis, &c*. Ratio inſtitutionis fuit memoria illius beneficij, cùm Deus occidit primogenitos Aegyptiorum, & Angelus Hebræorum domus non tetigit, earum poſtibus agni occiſi ſanguine ſignatis.

1185 Sed hic obſeruandum, quod quartus decimus dies menſis non erat ſolennis, niſi tantum à veſpera ſecunda, quia in ea agnus immolabatur, vnde poterat vocari Paſcha propter agnum, ſed non feſtum, ideò neque à laboribus vacabatur, ſed totus erat profeſtus, & ita dicitur Marci. 14. *Primo die azymorum quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli, quo vis eamus & paremus tibi, vt manducemus Paſcha? & mittit duos ex diſcipulis, & dicit eis ite in ciuitatem & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, & cet*. Quòd ſi dies ille fuiſſet feſtus, nec diſcipulis parare, nec homini illi lagenam aquæ baiulare in ciuitatem licuiſſet. Solùm igitur poſterior eius veſpera erat ſancta, & dies ille *Paſcha*, non tamen *feſtum Paſchæ*, vt ſuprà diximus, poterat appellari, vnde & Ioannes: *ante diem feſtum Paſchæ*, feſtum ergo azymorum die ſequenti, decimaquinta videlicet incipiebat, durabatque ſeptiduo: duos verò dies ſolennes habebat, in quibus ab omni opere ſeruili ceſſabatur. *Exod*. 12.

1186 Tertio inſuper die tertij menſis סיון *Siuan*, qui noſtro Maio reſpõdet, feſtum erat שבועות *Sabuoth*, id eſt, *hebdomadarum*, quod ſeptem hebdomadis à die primo ſolennitatis azymorum excluſiuè expletis ce-

lebra-

lebrabatur: & græcè Πεντηκοστὴ *Pentecoſtes* ſeu quinquageſimus, videlicet dies, nominatur. Conſtat id ex Leuitici cap. 23. *Numerabitis ergo ab altera die Sabbati in quo obtuliſtis manipulū primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ primæ, id eſt, quinquaginta dies, & ſic offeretis ſacrificium nouum Domino*, & inferiùs, *& vocabitis hunc diem celeberrimum atque ſanctiſſimum omne opus ſeruile non facietis in eo. Legitimum ſempiternū erit in cunctis habitaculis & generationibus veſtris.* Ratio autem inſtitutæ feſtiuitatis ea fuit, vt populus Deo pro lege in tabulis contenta grates referret. Colligitur id ex c. 16. *Deuter.* vbi hac feſtiuitate conſtituta ſubditur, *& recordaberis quoniam ſeruus fueris in Aegypto, cuſtodieſque ac facies quæ tibi præcepta ſunt.*

1187 Septimi menſis תשרי *Thiſri*, qui Septembri correſpōdet, primus dies Iudæis erat maximè ſolennis, appellabaturque ראש השנה Ros-aſana, *Caput* ſiue *principium anni*. Menſis etenim ille, vt diximus, erat anni principiū quoad res politicas & ciuiles, exiſtimaruntque aliqui ex Hebræis eo menſe mundum habuiſſe principium, ſed de hoc alibi. Fuit ergo ea feſtiuitas inſtituta Leuit. 23. *Loquere filijs Iſrael, mēſe ſeptimo prima die menſis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur ſanctum, omne opus ſeruile non facietis in eo.* Ratio inſtitutionis fuit memoria Iſaaci ab immolatione liberati ariete *Gen.* 22. in eius locum ſuccedaneo; ideoque die illa tubis arietinis clangebatur.

1188 Decima eiuſdem menſis feſtiuitas erat יום כפורים *Iom kiphurim*, id eſt, *Dies expiationum aut expurgationum*, vulgò dicta *Sabbatum magnum*: ſic Leuit. 23. *decimo die menſis huius ſeptimi dies expiationum erit celeberrimus & vocabitur ſanctus, affligetiſq; animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino: omne opus non facietis in tempore diei huius, quia dies propitiationis, eſt vt propitietur vobis Dominus Deus veſter. Omnis anima quę afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis.* Ratio inſtitutionis fuit memoria beneficij, quo Deus indulſit idololatrię peccatum in vituli adoratione commiſſum.

1189 In hac expiationis feſtiuitate obſeruandum pro omnibus feſtis interdum præcipi vt abſtineatur ab omni opere: interdum non ſimpliciter ab omni opere ſed ab omni opere ſeruili. Cùm dicitur ſimpliciter *ab omni opere* intelligitur eo die neque ignem incendi, neq; cibos parari poſſe, quod vt in Sabbato, ſic & in hac expiationis feſtiuitate erat ſeruandum; nam dicitur Leuit. 23. *Omne opus non facietis in eo: Sabbatum Domini eſt*, & de hoc feſto *Omne opus nō facietis in tēpore diei huius.* Quo loco ſicut & *Num.* 19. in multis codicibus additur *ſeruile*, ſed abundat, neque eſt in Hebræo aut græco, & inſuper colligitur ex ſequentibus. *Qui operis quidpiam fecerit, delebo eum de populo ſuo.* Cùm de cęteris ſolennitatibus lex agit, additur, *omne opus ſeruile.* Hinc cùm *Deut.* 16. de extremo Azymorum die dicitur, *Non facietis opus*, ſubaudiendū *ſeruile*, quod & antè explicauerat *Leuit.* 23. Ideoq; dicunt 70. Interpretes, *Non facietis omne opus, præter ea quæ fient animæ*, id eſt, *ciborum præparationes*. Quæ verba myſticè ſumpta vtilem cōceptum ſuggerunt; Nullum etenim opus ſolennibus diebus agendum niſi negotium animæ, cùm iuſtum ſit reliquis diebus opera molientem corporea, feſtis ſpiritualia ſolummodo moliri.

1190 Hoc eodem menſe celebrari conſueuerat feſtum סכות *Suchoth*. id eſt *Tabernaculorum*. idque ſeptiduo. Qua de re Leuit. 23. *A quinto decimo die menſis huius erunt feriæ tabernaculorum*

lorum ſeptem diebus Domino. Et poſt pauca feſtiuitatis huius ratio ſubditur, *Vt diſcant poſteri veſtri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cùm educerẽ eos de terra Aegypti. Ego Dominus Deus veſter*. Dicebaturque ſolennitas hæc græcè σκηνοπηγία *Scenopeia*, de qua Ioannes *cap. 7. Erat autem in proximo dies feſtus Iudæorum Scenopegia, &c.* Dies verò feſtiuitatis huius ערבה *Araba*, id eſt, *Salices*, appellabantur: quia Iudæi manibus ramum mytri, ſalicis, palmæ aut citri deferebant, vt docet Ioſeph. *lib. 3. Antiq. c. 10.* & Moyſes Aegypt. *lib. 3. Ductoris dubitant. c. 44.* Neque intelligendum, quod primo tãtum die huiuſmodi ramos geſtarent, in quo deceptus fuit Abulenſis *Leuit. 23. q. 18.* neq; ſeptimo tantùm, vt alij, ſed toto ſeptitudo quod patet ex ipſo textu Leuit. 23. *Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarũ frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro, celebrabitiſque ſolennitatem eius ſeptem diebus per annum*. Cùm verò anteà dixiſſet feſtum Tabernaculorum ſeptem diebus peragendum, modò cùm ramos primo die ſumi præcipit, meritò ne quis putaret eo tantùm die ſumendos, addidit *celebratiſque ſolennitatem eius ſeptem diebus*. Cùm vero dicitur: *Sumetis fructus arboris*, nomine fructuum intelligendi ſunt rami, eiuſcemodi fructuum feraces.

1191 Dies poſt hoc ſeptiduum octauus & huius menſis vigeſimus ſecundus, cæteris erat longè celebrior dicebaturque עצרת Aſereth *Cœtus ſeu congregatio*, de quo Leuit. 23. *Dies quoq; octauus erit celeberrimus atque ſanctiſſimus, & offeretis holocauſtum Domino, eſt enim cœtus atque collectæ, omne opus ſeruile non facietis in eo*. Duplex autem *dies cœtus* apud Iudæos extitit, alter erat ſeptimus azymorum, alteris de quo in propoſito loquimur; & de hoc D. Thomas ſic ait, 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. *Octauo die celebrabatur aliud feſtum, ſcilicet cœtus atque collectæ, in quo colligebantur à populo ea, quæ neceſſaria erant ad expenſas diuini cultus, & ſignificabatur adunatio populi, & pax præſtita in terra promiſſionis*. Idem docent Lyran. *Leuit. 23.* & Abulenſ. *ibid. q. 26.* & 27. quod variè & acriter impugnat Burgenſis *addition. ad illud c. Leu.* primò, quia ſeptimus azymorum dies ſimiliter *dies cœtus* dicebatur, nulla tamen in eo colligebatur pecunia; collectio etenim iſta pecuniarum in vſus templi primo menſis duodecimi die per totam terrã promiſſionis fieri conſueuerat. Probabiliſſimum igitur eſt, *diem cœtus* vocari, quia in eo omnes ſimul tabernaculis relictis conuenirent in templum, gratias Deo ſolẽnibus ſacrificijs relaturi, quòd poſt nimis prolixam quadraginta annorum peregrinationem omnes Tribus in terram promiſſionis tandem adueniſſent incolumes, & optata diu quiete fruerentur. Simili de cauſa dies extremus Azymorum nomine ſimili fuit appellatus; quia nimirum licèt trepidi & feſtinantes Aegypto fuiſſent elapſi, omnes nihilominus ſoſpites in vnum eundemque exercitum conueniſſent. Iuuat inſuper quòd vbi nos dicimus *diem cœtus ſiue collectæ*, ſeptuaginta Interpretes ſemper vtantur nomine ἐξόδιον *exodium*, quod *exitum* vel *finem* ſignificat, & propriè cãticum, quod hiſtriones ſcena exeuntes canebant. Vnde celebrem illam gratiarum actionem, qua cœtus filiorum Iſraël terminabat duas illas Azymorum, & Tabernaculorum feſtiuitates atque è loco ſancto in ſuas vrbes reuertebatur, non immeritò ἐξόδιον appellatur.

1192 Vigeſima quinta noni menſis כסלו *Kiſleu*, qui reſpondet Nouembri, erat feſtum חנכה *Anuca* id eſt, *dedicationis templi*. Poſtquam enim Iudas Macha-

Machabæus inſignem 1. *Machab.* c. 4. contraduces à Rege Antiocho Epiphane in Iudæam miſſos obtinuiſſet victoriam: templum triennio antè ab eodem rege prophanatum, & porcino ſanguine pollutum mundari curauit, & omnia legitima reſtaurari, vt latiùs *cap. ſuprà citato* & à Ioſepho *l.* 12. *Antiq.* c. 11. narratur; atq; in huius rei memoriã feſtiuitatem ſupradictam quotanis per dies octo à poſteris celebrandam inſtituit, quæ græcè ἐγκαίνια dicebatur, vt patet Ioan. 10. 22. *Facta ſunt encænia in Hieroſolymis & hyems erat.*

1193 Deniq, duodecimo menſe אדר *Adar*, qui apud nos Februarius, feſtum פורים *Phurim*, id eſt, *Sortium* celebrabatur. Ratio inſtitutionis exſtat *libri Eſther c.* 9. in memoriam ſcilicet vltionis, qua ſe Mardochæus & Iudæi ſuſpenſo Aman de inimicis vindicarunt. Solùm hic aduertendum, menſes apud Hebræos ſecundum lunæ reuolutionem ſolitos numerari, & quoniam luna 29. diebus & horis 12. curſum ſuum abſoluit, hinc vnus menſis 29. diebus alius 20. conſtabat, atque ita eorum annus 354. dies complectebatur, deficientibus ad rationem anni ſolaris vndecim diebus, vnde vt annum ſuum ſolari æquarent, habuerunt annos aliquot emboliſmicos, quorum nunc ſecundo, nunc tertio menſis decimus tertius addebatur, qui diebus & minutis illis conſtabat, qui ex annis lunaribus redundabant, quo anno ſepties intercalato, intra nouemdecim annorum ſpatium anni Lunares æquabantur ſolaribus in quolibet enim nouemdecim annorum curriculo intercalatio fiebat tertio, ſexto, octauo, vndecimo, decimoquarto, decimo ſeptimo, & decimo nono. Ille ergo menſis additus appellabatur ואדר *Veadar*, & quotieſcumque addebatur, decimo tertio eiuſdem die & ſequenti decimo quarto feſtum *Phurim* & non in *Adar* obſeruabatur.

ARTICVLVS III.

Omnes præcepto diuino feſta colere tenentur.

1194 EX dictis igitur ſatis compertum, plurium feſtorum in Veteri Teſtamento obſeruantiam inſtitutionis fuiſſe diuinæ, & conſtat etiam ex *Deut.* 5. *Exod.* 12. & 30. & *Ezech.* 20. Notãdum nihilominus, præceptum Decalogi de Sabbato ſeruando non ſolum cærimoniale fuiſſe, ſed etiam morale: cærimoniale quidem, quatenus determinabat tempus, quo feriandum erat & diuino cultui vacandum: morale vero, quatenus ſtatuebat, vt homo qui corpore conſtat & anima, aliquo ſaltem tempore ferietur corpore & anima diuinæ laudi, contemplationi & venerationi intus, vt ita videlicet corpus labore fatigatum requie terrena non careat, & ipſa mens ab externis occupationibus libera diuinæ legis meditatione ſeſe reficiat, Deoque debitum cultum cum gratitudine deferat, à quo tot beneficia citra meritum accepit. Ita docet D. Tho. 1. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2. & 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. & Deus ipſe per Regium prophetam inſtigat, dicens: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus.*

1195 Hinc colligo preceptum de feſtorum obſeruatione ea ex parte, qua tẽpus aliquod diuiſio cultui dicat expoſtulat, ad legem non ſolum naturalem, ſed & euangelicam pertinere. Prima pars huius aſſertionis ex eo probatur, quod omnia præcepta moralia ſint etiã legis naturalis, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 1. ex Paulo ad Ro. 2. *Gentes quæ legẽ nõ habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt.* De qua re videndus Soto *li.* 2. *de Iuſtit. & iur. q.* 3. *art.* 1. & Lactant. *lib.* 1. *diuin. inſtit. cap.* 4. & *ſequent.* & alij ſuperius relati, idq; omnia pœnè ex varijs authoribus in principio huius diſputationis adducta cõfirmant.

1196 Probatur ſecũda; quia ſi præcep-

tum hoc ad ius naturale & moralem veteris teſtamẽti legem pertineat, euidenter ſequitur etiam eſſe diuinum euangelicæ legis, cum hæc ea ſolũmodo præcepta contineat, quæ naturalia & moralia ſunt, & quæ diuina Sacramenta concernent, vt docet S. Thomas 1.2.*q.* 108. *art.* 1. & 2. & *quodlib.* 49. & 23. licèt enim cærimonialia, & legalia veteris legis promulgato euangelico ceſſauerint, moralia tamen non abrogata à Chriſto, ſed potiùs confirmata fuerunt, non quidem in virtute veteris legis, ſed legis naturalis & moralis inſtituti: de Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

1197 Ex his vlteriùs colligitur vera Concilij Triburienſis interpretatio, quod *c. licet de ferijs* declarauit, veteris & noui teſtamenti pagina ſeptimum diem humanæ quieti lege ſpeciali fuiſſe deputatum, veteri enim lege, qua cærimonialis erat, determinatè ſeptima dies cultui diuino deputabatur, qua verò lex eadem erat moralis, præcepto, de diei ſeptimæ obſeruatione nil aliud mandabat, niſi indeterminatè aliquod quodcumque tandem tempus deſignari, quo fidelibus ab operum ſeruilium exercitio foret ceſſandum, vt ſe Deo colendo liberiùs impenderent cumque quà moralis, vt ſuprà diximus, ea Lex in euangelicam tranſierit, patet quid Concilium verbis allegatis ſignificatum voluerit. De hac re videndus Burgenſis. 3. *p. ſui ſcrut.*

ARTICVLVS IV.

Determinare feſtos dies, iuris eſt poſitiui.

1198 ID ex antedictis, vt ea conſideranti patet clariſſimè ſequitur; Si enim nec naturalis nec Euangelica lex vllos dies, quibus diuino cultui vacandum ſit, determinatè præſcribat & cæremonialis, cui id competebat, euangelij promulgatione ceſſauerit: conſequens eſt id munus iuri poſitiuo relinqui. Hinc factum, vt dies omnes, quibus religionis cauſa feriamur, iure Põtificio ſint inſtituti, vt inter multos alios probat S. Thom. 2.2.*q.* 112. *art.* 4. Anton. 2. *p. tract.* 9. c. 7. & horum feſtorum fit mentio *Cap. 1. de Conſecrat. d. 3. c. 2. & c. vlt. de ferijs* quibus capitibus probatur, Epiſcopos poſſe in memoriam alicuius martyris & cuiuslibet ab Apoſtolica ſede in ſanctorum numerum relati, diẽ feſtum inſtituere, quod iam inde ab initio Eccleſiæ Epiſcopos ſemper feciſſe probat Thomas Vvaldẽſis *de Sacramental.* cap. 142. & alij, qui noſtris tẽporibus cõtra hęreticos ſcripſerunt, & patet ex Clemente Rom. *l.* 8. *Conſtit. Apoſt.* c. 33. vbi dicit: *In diebus Apoſtolorum vacent: magiſtri .n. veſtri fuerunt ad docendũ vos de Chriſto, vobiſque Spiritum Sanctum dederunt.* —— *In die Stephani protomartyris item vacent, ac reliquis diebus Sanctorum martyrum, qui Chriſtũ ſuæ vitæ antepoſuerunt.* Explicat enim meo iudicio hæc conſtitutio locum Pauli *ad Hebræos* 13. dicens *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum cõuerſationis, imitamini fidem.* Id clariùs patebit, ſi vtriuſq; verba conferamus. Paulus dicit: *Mementote præpoſitorum veſtrorum*, Apoſtolica Cõſtitutio præcipit vacare in diebus Apoſtolorum, quia magiſtri & Præpoſiti noſtri fuerunt, vacare, inquam, vt ſuppetat otium ad eorum memoriã ſtudio diuini cultus & vitæ Apoſtolicæ contemplatione celebrandam. Paulus iterum dicit, *qui vobis loquuti ſunt verbũ Dei*, Apoſtolica Conſtitutio, *veſtri .n. magiſtri fuerunt ad docendum vos de Chriſto.* Paulo denique: *quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.* Apoſtolica Conſtitutio; *Qui Chriſtum vitæ ſuæ antepoſuerunt.* Exitus enim conuerſationis illorũ non

alius

alius fuit, quàm Chriſtum vitæ ſuæ anteponendo, mortẽ ſtrenuè pro eius confeſſione ſubire. Ecce quàm pulchrè & quaſi ad amuſſim Apoſtolus & Apoſtolica Conſtitutio conſonent. Vtrumq; locũ imitatus Ignatius epiſt. ad Antiochenos ait: *Petri & Pauli fuiſtis diſcipuli, ne deperdatis depoſitũ* (*id eſt imitemini illos*) *mementote Eubodij ſanctiſſimi Paſtoris veſtri, qui primus poſt Apoſtolus gubernacula veſtræ eccleſię ſortitus eſt: non ſimus pudori patri, ſimus genuini filij, id eſt proprij non adulterini.* Eodẽ modo loquitur S. Ephrem. lib. 1. de lucta ſpirit. cap. 2. *Obſecro vos fratres imitatores eſtote Patrum, qui ſanctiſſima ſua inſtitutione templũ Dei puriſſimum extiterunt: horum conuerſationem diligite, horum exempla ſectamini: ſuſtinemus fieri imitatores inſtitutionis eorum.* Atq; hanc antiquam Eccleſiæ conſuetudinẽ confirmat, quod Symeon Metaphraſtes in vita Ioannis Apoſtoli, meminerit feſtiuitatis ſtatim poſt eius diſceſſum in illius honorẽ celebratæ, quod etiam de Matthęo Apoſtolo narrat Abdias Babylonicus *lib. 7. de certamine.* Denique his ſimilia conſtat ex Baſilio *in 4. martyres, & in Mamantem martyrem, & pſalmũ* 114. Cypriano *epiſt. 5. ad presbyteros, & Diacon.* Nazianzeno *orat.* 3. Chryſoſtomo *hom. 19. ad populum Antioch.* Cyrillo Alexandr. *l. 9. in Ioan. c. 18.* & omnibus alijs Patribus. Extant & ea de re plura Conciliorum Decreta. Concilium Africanum c. 13. decernit, vt legantur Martyrum paſſiones, cùm eorum anniuerſarij dies recoluntur. Cõcilium Gangrenſe cap. 20. anathemate damnat eos, qui memorias martyrum perturbãt, & miniſteria quæ in eorum baſilicis celebrantur. Similia ſtatuit Concilium Carthaginenſe primum c. 2. Et his clariùs Concilium Agathenſe ſub Cæleſt. I. c. 63. & Nicænum II. quod eſt Generale ſeptimum, & Conſtantinopolitanum II. quod eſt generale quintum, ac plurima alia, quæ longum eſſet recenſere.

1200 Hanc autem feſtorum inſtitutionem docet Iſidorus c. 34. *de eccleſiaſt. officijs.* eò collimare, vt ſanctorum vita in memoriam reuocata ad imitationem nos prouocet, ipſique precibus noſtris ſolicitati nos meritis & orationibus adiuuent. Vnde Hieronymus aduerſus Vigilant. *Dicis,* inquit. *in libello tuo: quod dum viuimus, mutuò orare poſſumus, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio, præſertim cùm martyres vltionem ſui ſanguinis obſecrantes impetrare nequiuerint. Si Apoſtoli & martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti, quantò magis poſt victorias, coronas & triumphos? Vnus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini ſui, & primus martyr in Chriſto perſecutoribus veniã deprecatur, & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus 276. dicit ſibi in naui animas condonatus, & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, ora clauſurus eſt, & pro his qui toto orbe ad ſuum euangelium crediderunt, mutire non poterit?*

1200 b Poteſt hæc doctrina confirmari à ſimili; Etenim ſi Angeli apud Deum intercedant pro nobis, cur non æquè & ſancti maxime cùm illis ſint æquales in gloria, vt aſſerit Chriſtus ipſe *Luc. 30. 36.* Angelos autem pro nobis orare ex *Tobiæ 17. c.* conſtat, vbi Raphael ad Tobiam: *Manifeſto,* inquit, *vobis veritatem, & non abſcondam à vobis occultum ſermonẽ: quando orabas cum lacrymis & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Et Ioannes *Apoc. 5.* vidit *quatuor animalia & 24. Seniores habentes ſinguli cytharas & phialas aureas plenas adoramentorum, quæ ſunt orationes*

nes

nes ſanctorum, & c.8. Vidit Angelum ſtantem ante altare, habentem thuribulum aureũ, & data eſſe illi incenſa multa vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod erat ante thronum Dei. Et *Zachar.* 1. Angelus orat pro populo Iudæorum in captiuitate conſtituto. Atque vt miſſis Angelis ad homines veniamus; Onias ſummus Sacerdos 2. *Macha.* 15. à morte ſua Iudæ Machabæo orans pro populo Iudæorum apparuit, & cum ipſo alius quiſpiã, de quo Onias ad Machabæum: *Hic eſt fratrũ amator & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate, Hieremias Propheta Domini.* Denique Cyprianus epiſt. 1. ad Cornel. *Memores noſtri inuicem ſimus concordes atque vnanimes vtrobiq; pro nobis ſemper oremus, preſſuras & anguſtias mutua charitate releuemus, & ſi quis noſtrum prior diuina dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Dominum noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio.*

1201 Huc etiam facit, quod hoc ipſo quò ſanctis à nobis precibus honorantur, etiam in ipſis honoretur Deus; nam qui martyrem colit, colit & ipſum Deum, qui ei martyrij gratiam conceſſit, vnde Auguſtinus 20. de Ciuit. c. 5. *Dona eius in nobis, nos quoq; ipſos vouemus & reddimus ei. Beneficiorum eius, ſolennitatibus, feſtis, & diebus ſtatutis dicamus ſacramuſq; memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat obliuio, & ſacrificamus hoſtiã humilitatis & laudis in ara cordis igne feruida charitatis.* Rectè itaque veneramur ſanctos, cùm primò in ipſis tantarum virtutum & gratiæ largitorem laudemus Deum, qui eos à nobis procul dubio vult honorari, quos ipſe tãquam amicos maximis honoribus dignatur, vt docet Chriſtus Ioa. 12. *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eũ pater meus.*

ARTICVLVS V.

Sanctorum ſolennitates quæ? Natalitia cur dicta? Expenduntur Pauli Apoſtoli verba contra nos num. 276. obiecta.

1202 IN his ergo ſanctorum ſolennitatibus, quomodo ſint agẽgæ vigiliæ D. Pater diſponit. Verùm quia non omnibus ſanctis ob nimiã eorum multitudinem eſt aſſignata ſolennitas, ideò poſtquam dixit *in ſanctorum verò feſtiuitatibus*, addit *vel omnibus ſolennitatibus*, vt ſignificet ſe nõ de omnibus ſanctorũ feſtis, ſed de præcipuis & ſolennioribus loqui. *In his ergo, ſicut diximus Dominico die agendũ, ita agatur: excepto quod pſalmi aut Antiphonæ, vel lectionis ad ipſum diem pertinentes dicantur: modus autem ſupradictus teneatur.*

1203 Ratio autem, cur D. P. Benedictus & Eccleſia paſſim huiuſmodi ſanctorum feſtiuitates appellat *natalitia*, hæc eſt, quòd per mortem, qua catholicæ Veritati perhibuerunt teſtimonium, aut virtutum ſuarum curſum cõpleuerunt, in meliorem vitam, æternam nempe, fuerint renati, vt de omnibus viua in ſe fide credentibus docet Chriſtus Ioan. 11. *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit viuet.* Vnde & patria cæleſtis *Viuentium regio* eſt appellata.

1204 Iam ad obiectiones reſpondendum, & ad primã ex Paulo *ad Rom.* 14. dico perperam ab hæreticis locum iſtum contra nos adduci: cùm conſtet concedentibus etiam ipſorum aſſeclis Melanchthone, Bucero, *Beza*, ſermonẽ eſſe Apoſtolo de feſtis & ieiunijs Iudæorum, nondum enim Sanctorum feſta & ieiunia Eccleſia Chriſtianis iniunxerat: ita vt iuxta D. Hieronymum ſenſus loci illius ſit: Alius, id eſt, Iudæus iudicat alium pre alio eſſe feſtum ex legis præſcripto, puta Sabbatum, Neòmeniam &c. alius, id eſt Gentilis iudicat omnem

omnem diem eſſe æqualem & æquè ſanctum. ex expoſitio probabilis eſt probabilis eſt propter Hyeronimi authoritatem.

1205 At cùm Paulus in præcedentibus & ſequentibus non de feſtis, ſed de ciborum agat delectu, probabilius videtur debere de cibis explicari. Pro quo ſupponendum, Iudæis quorumdam ciborum perpetuam abſtinentiam fuiſſe præceptam Leuit. 11. vt à carne ſuilla & omni animali, quod ruminat nec vngulam diuidit: aliàs verò, certis diebus ieiunabant, & à cibis quibuſdam abſtinebant, vt in Paſchate à fermentato, & cum voto ligabantur, vino, vuis &c. *Num. 6.* Agens ergo Apoſtolus de hac ſecunda abſtinentia, ait, Iudæus in fide Chriſti adhuc infirmus vno die à certis cibis abſtinet, alijs diebus non item: Gentilis autem iudicat omnem diem eſſe æqualem, & quolibet die omni cibo indifferenter vtitur gaudens euangelij libertate; & vterque benefacit.

1206 Ad ſecundum dico, clariùs conſtare Apoſtolum de Iudæis feſtis & ieiunijs loqui, vt, præter contextum totius epiſtolæ, indicant illa verba; *Neomeniæ & Sabbatorum*, hæc enim Iudaica feſta ſunt, non Chriſtiana. Confirmat etiam quod ſequitur, *quæ ſunt vmbra futurorum: corpus autem Chriſti*. Senſus igitur eſt: *Nemo ergo vos iudicet*, id eſt, *reprehendat* vel *damnet*. Circa quod optimè Auguſtinus *ep. 59.* notat coniunctionem illatiuam, *ergo* ſignificare hæc colligi ex præcedētibus, quibus dixerat nos circumciſos circūciſione nonmanufacta in baptiſmo & fidem ac cōuerſationem noſtram debere eſſe in Chriſto vno, ac proinde non eſſe audiendos Iudaizantes, qui ciborum delectum, & feſta in lege præſcripta, cæteraſq; legis veteris cæremonias Chriſtianis obſeruandas dicebant.

Quare autem dicat *in parte diei feſti* & non, *in die feſto*, non eſt eadem omnium ſententia, exiſtimo ego *in parte* idem eſſe, quod Hiſpanus, diceret *en eſta parte*, id eſt, *in hoc puncto, vel negotio, vel in hac materia*, Eſtque conſueta Pauli locutio; ſic 2. ad Corinth. 11. *Quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte*, id eſt, *in hac materia*. Et c. 4. *Ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte*.

1207 Ad tertium, Ambroſius, Anſelmus & Auguſtinus *epiſt. 119. & in Enchirid. c. 79.* id quod obijcitur de gentilium ſuperſtitione, & diebus fauſtis & infauſtis per Aſtrologiam iudiciariam explicat: ſed idem Auguſtinus *in Comment.* licèt primò hanc explicationem adducat, eam tamen præfert, quæ de feſtis Iudæorum eſt, vt quæ totius epiſtolæ ſcopo magis conueniat, quam ſequuntur Hieronymus, Chryſoſtomus & alii Latini & Græci, vt ſenſus ſit, *Dies obſeruatis* Iudaicos, vt Sabbata, menſes & Nœmenias & ſeptimum menſem (qui ferè totus erat feſtiuus) *& tempora*, ſcilicet veris propter Paſcha, æſtatis propter Pentecoſten, Autumni propter feſtū expiationis, hyemis propter Encænia: *annos* propter ſeptimum remiſſionis, & quinquageſimū Iubilæi, vbi per Synecdochē omnes obſeruantias & ceremonias Iudæorum intelligit: vnde patet contra hæreticos nullo modo his locis Chriſtianorum feſta, ſed Iudæorum ſolummodo, damnari. Feriemur igitur & ceſſemus à labore corporeo, vt diuinis officiis adſiſtamus, Chriſtumque & in eo fidei Chriſtianæ teſtes integerrimos concelebremus. Nec nos moleſtiæ & miſeriæ humanæ conuerſationis diſtrahant, imò, vt ait Philo in Flaccum, *Tunc grauiùs feruntur moleſtiæ, quando per eas non datur feſtos dies celebrare, fruique remiſſione ac animi tranquillitate.*

TEXTVS Cap. 10.

Qualiter æſtatis tempore nocturna laus agatur.

1208 A Paſcha *a* autem vſque ad Calendas Nouembris omnes (vt ſupra dictum eſt) pſalmodiæ quantitas teneatur: Excepto, quod lectiones in codice, propter breuitatem noctium minimè legantur ſed pro ipſis tribus lectionibus vna de veteri Teſtamento memoriter dicatur quam breue reſponſorium ſubſequatur, & reliqua omnia, vt dictum eſt, impleantur, id eſt, vt nunquam *b* minus à duodecim pſalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicantur, exceptis *c* tertio, & *d* nonageſimo quarto pſalmo.

1209 a *Nõnulli de barbariſmo incuant Benedictum dicentem à Paſcha, cùm potiùs videatur dicendum: à Paſchate. Correctio, hæc ex ignorantia mera naſcitur. Paſcha vox Hebræa eſt, nempe* פסח *Hieronymus Paſcha, quod Hebraicè dicitur* פסח *Phaſe, non à paſſione, vt pleríque arbitrantur, ſed à* פסח *Peſach tranſitu denominat, eo quod Exterminator videns ſanguinem in foribus Iſraelitarum, pertranſierit nec percuſſerit eos. Verba autem peregrina liberrimè latinizamus. Reperitur enim & Paſcha, æ apud alios Authores notante A. Calepino qui aſſerit, quoſdam ex recentioribus Genitiuum Paſchatis efferre manifeſto errore, cùm ſola Græca verbalia in μα terminata, à prima perſona τοῦ παρακειμένου παθητικοῦ deriuata in ατος mittant Genitiuum. Ergo meliùs dicitur à Paſcha quàm à Paſchate. Hoc nomen Paſcha vult eſſe indeclinabile capite 8. 10. 15. & 41. & Hebræa nomina non debere declinari, ſentiunt curioſi interpretes, inter quos præcipuus eſt noſter Vulgatus, qui declinat pauciſſima.*

b. *Hoc eſt, vt nunquam pauciores quàm duodecim pſalmi in vigilijs nocturnis dicantur.*

c. *Pſalmus 3. Domine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me?*

d *Pſalmus 94. Venite exultemus Domino.*

DISPVTATIO LXXXVII.

Magni faciendam eſſe notitiam opportuni temporis.

1210 REctè quidem veteres Pittaci ſententiam ſummoperè laudarunt, qui, vt temporis idoneam opportunitatem commendaret, dicebat, γνῶθι καιρὸν, id eſt, *Noſce tempus*, ac ſi diceretur, Noueris diſtinguere ac captare rerum gerendarum rationẽ & opportunitatem. In quam rem Lycurgus apud Plutarchum in Apophthegma. *Rectè eruditi temporis rationem habent*, id eſt, ſtudioſè obſeruant, quid per temporis opportunitatem agendum, omittendumuè ſibi videatur. Hinc Comicus rerum omnium primum eſſe tempus aſſeruit,

ſeruit, eò quòd illius opportunitas in rebus agendis primas partes teneat; & eò forſan referenda eſt Pythagoræ ſententia, qui tempus *Vniuerſi animam* dixit, & primam cauſam, à qua omnibus bonum adeſt, Καιρὸν id eſt, *Opportunitatem*. Inde Stoici, vt docet Cicero *lib.1.offic.* non minimam ſapientiæ partem eam appellabant, quæ rerum & earum, quæ aguntur aut dicuntur loco ſuo collocandarum rationem edoceret; locum autem actionis, opportunitatem temporis eſſe dicebant, cuius ignorantia non mediocrem miſeræ noſtri generis conditioni malorum acceſſionem affert. In quam rem Boetius (vt ad noſtros accedamus) *li.2.de Conſol.met.6.*

Signat tempora proprijs
Aptans officijs Deus.
Nec, quas ipſe coercuit,
Miſceri patitur vices.

Huius ergo temporis & opportunitatis cognitio adeò publicis magiſtratibus neceſſaria eſt, vt ſine ea nullam ſibi felicitatem aut proſperitatem queant comparare. Ideò enim Deus eam prouinciam illis commiſit, & curent, conſeruent, tueantur & foueant opportuna paſcua & ſalutiferos imbres, quibus puſilli gregis fatuitas & debilitas compenſetur. Sunt enim agri colendi, & pecoris paſcendi, curæ ſociæ, *Georg.1.*

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere Mæcenas, vlmiſq; adiungere vites
Conueniat, quæ cura boum qui cultus habendo
Sit pecori &c.

1210 *b* Horum igitur omniũ ergà homines, populũ paſcua, oues, opificia ſua prouidentiam accuratiſſimã & ſuauiſſimam habeant, neceſſe eſt; cuius rei exẽplum appoſitiſſimũ habemus in vigilantiſſimo illo omniũ paſtorum Iacobo *Gen.33.* qui, cùm Eſau frater itineris ſociũ ac comitẽ ſe offerret, reſpõdit, *Noſtri Domine mi quod paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecum, quas ſi plus ambulando fecero laborare, morientur cuncti greges vna die. Præcedat Dominus meus ſeruum ſuum, & ego ſequar paulatim veſtigia eius, ſicut videro paruulos meos poſſe.* Ea propter D. P. Benedictus, æſtatis tempore agrorum labores, & maximè breuitatem noctium conſiderans, in Nocturnis vigilijs vnicam tantùm Lectionem memoriter recitandam conſtituit, cui reſponſorium breue ſubiungitur. *Reliqua tamen omnia*, inquit, *vt dictum eſt, impleantur, id eſt, vt nunquam pauciores, quam XII. pſalmi in vigilijs cantentur, excepto tertio & 94. pſalmo* id eſt, vltra tertium & 94. Quæ omnia ex dictis ſuperior capite ſunt manifeſta.

TEXTVS. Cap.12.

Qualiter matutinorum ſolennitas agatur.

1211 In matutinis Dominico die, in primis dicatur pſalm. *a* ſexageſimus ſextus ſine antiphona *b* indirectum. Poſt quem dicatur *c* quinquageſimus cum alleluya. Poſt quem dicatur *d* centeſimus decimus ſeptimus, & *e* ſexageſimus ſecundus. Inde *f* benedictiones & *g* laudes: *h* lectio de Apocalypſi vna ex corde, reſponſorium, *i* Ambroſianum, verſus, *k* Canticum de Euangelio, *l* litaniæ, & completum eſt.

a *Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis.*

b *Indirectum, hoc eſt vno tono, ſine melodia.*

c *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.*

d *Confitemini Domino, quoniam bonus.*

e *De⁹ De⁹ meus, ad te de luce vigilo.*

f *Benedictiones nominat trium puerorum Canticum, videlicet Benedicite omnia opera Domini Domino.*

g *Laudate Dominum de cælis, Pſal. 148. Cantate Domino canticum nouum, Pſalm. 149. Laudate Dominum in ſanctis eius. Pſalm. 150. Iſti tres Pſalmi recitantur ad laudes diebus ſingulis, à quibus illa hora denominatur, & dicitur Laudes à D. Benedicto.*

h *Lectio, ideſt, Capitulum. Excorde, Hiſpanè de coro, hoc eſt memoriter.*

i *Ambroſianum vocat Hymnum, quoniam Hymnos pleroſque compoſuerat Ambroſius. Vide n. 1037.*

k *Benedictus Dominus Deus Iſrael.*

l *Litaniæ, hoc eſt, Kyrie-eleiſon.*

DISPVTATIO LXXXVIII.

Magni faciendam eſſe notitiam opportuni temporis.

1212 M*Atutinum*, vt ab ipſo nomine ſumā exordiū, *à manè* dictu eſt: *mane* autē non à Dij manibus, vt aliqui dixerunt, ſed potiùs quia in ipſo manat cum ſole dies ab oriente, vt voluit Varro, quaſi mediū inter obſcuras noctis tenebras & claram diei lucem, vocatur. Ita Iſidorus *lib. 5. ethymol.* cap. *31.* & colligitur ex Anſelmo *lib. 2. de imagine mundi c. 4.* vel potiùs Honorio Auguſtodunenſi, cuius librū illum exiſtimat Trithemius *de Script. Eccle.* vel certè, quia officium matutinum fit ſub lucis initium, à ſtella matutina, id eſt, Lucifero, qui oritur inchoāte manè, ſic dictum aſſerit Iſidorus *lib. 6. etymolog. c. vlt.* Vnde, cùm matutinum participet medium vtriuſque extremi, connumerari poteſt inter officium diurnum, vt fit *in c. 1. de Celebr. miſſar.* & *c. presbyter. 91. diſt.* Ideoq; ſic aptè editur in Diurnalibus. Poteſt etiam cenſeri nocturnum: ea enim eſt natura temporis matutini, vt non ſolùm diuerſas, ſed contrarias etiam denominationes admittat, atque adeò dies & nox poſſit dici. Dies quidem, quia dies Artificialis in principio auroræ incipere dicitur, vt docet Ambroſius *li. 1. exam. cap. 9.* Iſidorus *lib. 5. etymol. c. 31.* S. Thomas *in 4. d. 13. quæſt. 1. art. 2.* Richardus *art. 2. quæſt. 3.* & Durandus *art. 2. q. 2.* Nox verò, quia nondū ſubſtantia ſolis ſupra horizontem orta eſt, & eo vſque non ſolùm nox, ſed media nox dici poteſt, vt ex Greg. notat S. Thom. *3. p. q. 51. art. 4. ad 2.* & Caietanus ibidem. Et hac ratione idem S. Doctor ſupracitatus *q. 53. art. 2. ad 3.* & *q. 83. art. 2. ad 4.* cum Auguſtino *lib. 4. de conſenſu Euang.* c. 24. explicat apparentem contradictionem, quæ habetur *Marci 16.* & *Ioan.* 20. nam primo loco dicuntur mulieres veniſſe ad monumentum orto *iam* ſole, cùm tamen in ſecundo dicantur veniſſe cùm adhuc tenebræ eſſent, dicitur enim ſol ortus, ante ortum ſubſtantiæ illius, cum ſcilicet claritas radiorum eius *incipit* apparere. Vbi obiter aduertendum, quod licèt Iſidorus & Anſelmus ſupracitati diſtinguant inter tempus matutinum, & diluculum, communiter tamen tempus Matutinum pro toto eo tempore ac-

cipi

cipi ſoleat, quod interfluit à principio auroræ ad ortum ſubſtantiæ ſolis. Sic Plinius *libro 7.c.53.*& *lib.10.c. 43. &* Hyeronimus ad *Oſeæ* 11. pro eodem accipit ortum auroræ, diluculum, & principium diei, quod dicitur manè inter noctem & ſolis viciniam, imò idem ſupracitatus Iſidorum differentiam conſtituit inter *Galliciniū* & *intempeſtum*, quæ tamen eadem eſſe ſentit Varro *lib. 5.de ling.lat.in prin.* Vide de hac re Aegidium Romanum 2. *p.exam.* cap. 2.& 3.& Vvillelmum *de oper.6.dier. capit.* 12. Amalarium *de ordinat. antiphon.capit.6.*

1213 Secundò aduertendum, quod licèt apud antiquos Patres & in rigore, per orationes matutinas ſolùm intelligamus illas, quæ ſtatim illuceſcente die ſeparatim à nocturnis precibus fiebant, & hodie *Laudes* appellantur, aliquando pro toto compoſito ſumi ſolent. Matutinorum nomine *Laudes* intelligi, patet *ex c.1.de celebr.miſſ.*& *ex c.presbyter. 19. d.* & *in c. id ſemper de conſecr.d.5.& in c.conuenit eadem diſt.* & ita accepiſſe D. Patrem Benedictum, patet *ex ca.8.* vbi dicit *A Paſcha vſque ad Kal. Nouembris ſic temperetur hora vigiliarum agenda, vt paruiſſimo interuallo cuſtodito, mox Matutini, qui incipiente luce agendi ſunt, ſubſequantur.* Et idē habetur c.11.& 16. atque in eodē ſenſu loquitur hoc capite. Secundum, quod ſcilicet pro ſolis aliquando Nocturnis accipiantur, patet ex totius Eccleſiæ Romanæ communi labio. In omnibus breuiarijs, quæ vidi, Nocturna vocantur Matutina, Hiſpanè *Maytines*, quo nomine nunquam Laudes intelligunt. Didicimus ita loqui à Concilio Turonenſi ſecundo circa tempora Pelagij I. vbi c. 19. ſic dicitur: *Ad Matutinum ſaltem duodecim pſalmi expediantur: quia Patrum ſtatuta præceperunt, vt ad duodecimam duodecim pſalmi dicantur cum Alleluia, quod etiam Angelo oſtendēte didicerunt.* Cuius ſtatuti perfecta intelligentia habetur ex Caſſian.*l. 2. de Inſtit. Monach. c. 4.* cuius verba adduximus; ex quibus apparet, quod, quam horam Caſſianus veſpertinam appellat, Concilium appellet duodecimam: & quod Caſſianus Nocturnum, Concilium vocet Matutinū, quę conſuetudo in nocturnis officijs vſque hodie perſeuerat, & cōfirmat Gregorius VII. *in cap. in die de conſecrat. d.5.*

1214 Matutinum tempus ſtatim poſt mediam noctem incipere, ſententia eſt grauiſſimorum Patrum, ſic Greg. Nicænus *orat. 2. de Paſcha.* Euthymius ad illud Matt. 28. *Veſpere autem Sabbati,* vbi ait: *Omne diluculum poſt ſextam noctu horam incipitur, quando primum galli canunt. Idemq; quoque tempus ſcripſit Marcus dicens, & valdè manè vna ſabbatorum veniūt ad monumentū orto iam ſole: valdè manè, principium eſt diluculi: verùm, ſi valdè manè erat, quomodo dixit orto iam ſole? quia tunc propriè ſol oritur, etſi nobis nondum apparet, demoratus adhuc circa profundiſſimas extremasque Orientis partes, & paulatim exurgens: cuius teſtimonium eſt gallicinium: nā galli primi inter omnia animantia ſentientes illius calorem, repentè clamant, eiuſque præſentiam hominibus prænuntiant.* Huculque Euthymius. Et reuera nocturna *Matutinum* vocaui, valdè vſitatum eſt modò; cuius rei eam exiſtimo rationem, quod ea oratio, quæ in aurora fit & nos *Laudes* dicimus, ſpeciale nomen *Laudum* habeat, ſatius autem eſt eas nomine ſpeciali, quam communi appellare: denominationem enim fieri à nomine ſpeciei potiùs quàm à nomine generis, probat Gloſſa *in Rubri. C.de rerum perm.* & Paul. de Caſtro *in Rubric.ff. de verb. oblig.q. 2.* Quare autem *Laudes* appellentur, dixit Hugo de S. Vict. *in ſpecul. eccleſ.c.3.& lib.2.de eccleſ.offic. c. 10.* Theſaur. Sacerd. *3.p. tit. de off.diu.c.38.* quia potiſſimum laudem diuinam ſonat.

Idem docet Durant. *in Rati. li. 5. cap. 4.*

1215 Tertium denique, *Matutini* ſcilicet nomine Nocturna ſimul cum Laudibus comprehendi, magis vſitatum eſt; ſic Hugo de S. Victor. *lib. 2. de eccleſ. offic. c. 2. & 8.* & Author Regulæ Monach. falsò adſcriptæ Hieronymo *cap. 33.* Beda *de meditatione paſſionis Chriſti per ſeptem horas.* Et colligitur ex Concilio Cabilonenſi II. *c. 59.* Sed tunc denominatio à fine ſumitur, vbi totius horæ perfectio & complemẽtum exiſtit, *per text. in l. penult. in fine C. de his, quibus vt indig.* vbi Iuſtinianus; *Nihil etenim actũ eſſe credimus, dum aliquid ſupereſt addendum.* Et eſt Regula Iuris: quandoquè finem ſpectandum eſſe. *L. non intelligitur. §. ſi quis palam. ff. de iur. fiſci. l. fin. Communis præd.* Neq; hæc Matutini denominatio ita abuſiua eſt vt putauit Radulphus de Riuo *de Canon. obſeruat. prop. 14.* Quia Nocturna modò, vt habet Romana cōſuetudo, non concluduntur oratione & *Benedicamus Domino*, aut oratione Dominica, vt cæteræ horæ canonicæ, ſed coniunguntur cum Laudibus ad vnam horam canonicam, quæ appellatur Matutinum conſtituendam; & hanc rationem reddit Hugo de S. Victore; inquirens enim cur Nocturnum officium non terminetur oratione prout aliud quodlibet officium diurnum, reſpondet, in officio nocturno non interuenire ſeparationem, ſed ſimul cum Laudibus perſolui.

1216 Nocturna nihilominus apud Monachos à Laudibus oratione & alijs omnino ſeparantur, quod & ex Regula S. P. Bened. fieri manifeſtũ eſt; ac proptereà apud ipſum, Matutinorũ nomine nō Nocturna, quæ Vigilias ſemper appellat, ſed Laudes intelliguntur, de quibus hoc capite, in quo, poſtquam egit de nocturnis vigilijs, ordinem ſeruandum in reliquis horis decernit.

TEXTVS Ex cap. 12.

1217 In Matutinis Dominico die dicatur Pſalmus ſexageſimus ſextus ſine Antiphona in-directum. Poſt quem dicatur quinquageſimus cum Allelu-ja.

Sanè hæc vox, in-directũm, aduerbiũ eſſe videtur, idem ſignificans quod conſecutiuè & nulla Antiphona interpoſita; quæ expoſitio ex parte colligitur ex cap. 17. vbi vocat Pſalmos directaneos; qui ſine Antiphona vel Inuitatorio recitantur; ſic ergo decantandum dicit. Pſalmum 66. Deus miſereatur noſtri. Poſſunt & hoc modo verba ſancti Patris exponi: Alij Pſalmi obliquè & variè inflexa melodia cantantur; Pſal. 66. indirectũ ἀναρμονικῶς, id eſt, ſine armonica declinatione debet intonari.

Hunc Hilarius Pſalmum breuem, ſed Euangelica prædicatione abſolutum dicit; congruè verò in principio Laudum matutinarum ponitur, vt à Deo miſericordiam & benedictionem poſtulemus, qua ipſum laudare poſſimus; quia, vt dixit Athanaſius Marcellino, priùs eſt Dei benedictio, quæ quaſi pluuia terram noſtræ mentis irrigat, & inde nos quaſi fructum, Deum laudibus & hymnis cumulamus. Sic poſtquam Angelus, qui cum Iacob luctabatur Geneſ. 32. illum benedixit, ſtatim Iacob à benedictione illuminatus dixit: Vide Dominũ facie ad faciem. Vt ergo tenebris faceſcentibus diluculo à Deo illuminemur, pſalmus iſte diuina priùs implorat benedictionem, & mox ſubiungit: Illuminet vultũ ſuũ ſuper nos.

DI-

DISPVTATIO LXXXIX.

Cur Pęnitentialis Pſalmus L. donetur Antiphona *Allelu-Ia*.

1218 HVic Pſalmo *Miſerere mei Deus, Allelu-Ia* additur: quia, licèt vt pænitentialis lamentum contineat, annexum tamen habet interiorem iubilum de remiſſione peccatorum; vnde Hilarius ad Pſalmum *66.* doctrinæ ordine aduertit Prophetam primò diuinam implorare miſericordiam, quia ex copia bonitatis ſuæ miſericordiam in peccatorum remiſſione largitur, & peccatorum remiſſio non probitatis eſt meritum, ſed ſpontaneæ indulgentiæ voluntas, bonitatis diuitijs exuberans. Vnde cùm Propheta in principio huius quinquageſimi Pſalmi diuinam miſericordiam imploraſſet, ſubdidit: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam*; nullum enim gaudium maius conſcientiæ pœnitenti obuenire poteſt, quàm de remiſſione peccatorum. *Aqua frigida* (inquit *Prouer.* 25. Sapiens) *animæ ſitienti; & nuntius bonus de terra longinqua*, ſiue, vt Hebræa, *auditus bonus*; vel vt Græca, *ἀγγελία ἀγαθὴ*, id eſt, *annuntiatio bona*. Lacrimæ enim pœnitentis non ſolûm Deo, ſed & ipſi pœnitenti gratiſſimæ ſunt, vtpote quæ poſt iacturam recuperationem, poſt pugnam victoriam, poſt mortem vitam, poſt famem ſitimque edendi & bibendi voluptatem, & denique poſt maiorem moleſtiam maius adfuerunt gaudium, prout optimè probat Auguſtinus 8. *Confeſs.cap.3.*

1219 Fit autem prædicto loco comparatio inter aquam frigidam reſpectu hominis ſitientis, & nuntium bonum venientem de terra longinqua, vt habent Hebræa & Gręca: vnde & per ſimilitudinis particulam explicanda ſunt; cui ſimile eſt, quod eodem capite legitur: *Sicut frigus niuis in diebus miſſis, ita legatus fidelis ei, qui miſit eum, animam illius requieſcere facit.* Quid gratius tempore ardenti æſtus ardoribus & labore preſſis, quàm glaciei & niuium frigus, quo labor fit facilis, & animus æſtuantium reparatur? ſic nuntiatio bona animam præ deſiderio laborantem, tranquillam & pacatam efficit, vel vt habent Hebræa *animã eius reſtituit*, quaſi iam collapſam & languidam. Phraſis Hebræa eſt, quam Hiſpanè aſſequar fortaſsè meliùs: *Como ſuele la nieue vencer violencias del eſtio; aſi del miſmo modo vencen las buenas nueuas el ſobreſalto, que tenia tiranizado el coraçon. Mueteſe de miedo vna perſona, quando receloſa de vn ſuceſo, ſe deſuela y congoxa; y vna nueua feliz es ſuficiente para voluerla el alma al cuerpo.* Ecce nuncium ſecundum *animam reſtituit*, vt dicebat Hebræus. Quod autem meliùs nũtium audiri poteſt, quàm captiuum in libertatem reſtitui, vinctum diſſolui, exulem in patriam reduci, cæcum viſum recipere, regni denique cœleſtis effici hæredem? Sed in propoſito elegans eſt Auguſtini interpretatio, qui gaudium & lætitiam docet oboriri, dum Deus hominem intùs illuminat, eique intùs illabitur ad benè & fructuosè laudandum; ſic enim corroborat, vt congrua dicturus interno ſapere præſentiat: idque numeratur inter pœnitentię effectus; vnde rectè ſubiungitur: *& exultabunt oſſa humiliata.* Spiritus enim triſtis exiccat oſſa, vt dixit Sapiens *Prouerb.* 17. bonæ

autem fama, vt legunt Hebræa, impinguant oſſa.

1220 Sed quomodo Dauid, qui 2. *Reg. c.* 12. ex ore Nathan audierat trāſlatum peccatum ſuum, modò in futuro dicit: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam*, quaſi remiſſum non fuerit? S. Thomas exiſtimat Prophetam excitare ſeſe ad lætitiam & gaudium ex memoria remiſſionis peccati, quā ex ore Nathan audierat; id enim, quod factum ſcitur, ſolet ex quodam voluntatis affectu & complacentia, vt fiat, peti, ac ſi factum non eſſet. Optimè igitur D. P. hunc Pſalmū cum *Allelu-Ia* canēdum præſcribit, cùm ſit Pſalm. lętiſſimus, qui exuberat amaritudine & lachrymis conuertēdis in iubilū glorię & laudis ęternę.

DISPVTATIO XC.

Tempus matutinum eſſe aptiſſimum diuinis laudibus.

1221 Circa litteram dubiū non eſt, quin Canticum trium puerorum, quod D. Pater *Benedictiones* appellat, & Pſalmi 148. 149. & 150. quos *Laudes* nominat, aptiſſima ad benedicendum Dominum ſint inſtrumenta; ideo Athanaſius Marcellino eos enumerat vt opportunos his, qui Deum laudare velint, & cognoſcere quibus in rebus laudandus ſit, & quibus verbis illius laudes ſint depromendæ. Similiter Apollinarius conuenientiſſimè eiuſmodi cantica in matutinis orationibus aſſerit collocari: quia illis vniuerſa, quę in cælo & quæ in terra ſunt, ad benedicendum & laudandum Deum prouocantur. Pſalmus præterea 117. congruenter Laudibus diei Dominicæ inſeritur, quia agit de reſurrectione Dominica, cuius eo die memoria recolitur; imò eadem de cauſa in Aurora Laudes matutinas Eccleſia celebrat, vt docent Iſidorus *lib.* 1. *de Eccleſ. offic. cap.* 23. Hugo Victorinus *lib.* 2. *eod. tit. cap.* 10. Hiſtoria Scholaſt. *cap.* 135. Rabanus *de inſtitut. Cler. lib.* 2. *cap.* 2. & alij communiter, eſtque ſententia Cypriani *de orat. Domin. in fine*, vbi dicit: *nam & manè orandum eſt, vt Reſurrectio Domini matutina oratione celebretur*; quod ad Apoſtolorum tempora eſſe reuocandum, ſatis indicat Ian. qui *lib.* 10. *epiſt.* 103. & 104. antelucanas horas appellat. Fauet Tertull. *in Apologet. c.* 2. Euſebius. *lib.* 3. *hiſtor. Eccl. cap.* 32. Oroſius *lib.* 7. *c.* 12. Nicephor. *li.* 3. *hiſt. c.* 17. Idem docet Hieronymus Matthæi vltimo ad illā verba: *& valdè manè vnā Sabbatorū*. In hūc ſenſum explicat Auguſt. *epiſt.* 49. *ad Deo grat.* illud Ionæ vlt. *& parauit Dominus vermem in aſcenſu diluculi*, de Chriſto, qui vermis dicitur *Pſal.* 21. & matutinus, quia diluculò reſurrexit: & Euſeb. Emiſſ. *homil.* 8. *de Paſcha* luctam Iacob cum Angelo, quæ in aurora facta eſt, *Geneſ.* 32. & rurſum Auguſt. Dionyſium ſecutus illud Pſalm. 58. *Ego autem cantabo fortitudinē tuam, & exaltabo manè miſericordiam tuā*, de Chriſti reſurrectione, quæ manè contigit poſt mortis veſperā iuxta eundem Prophetam *Pſal.* 29. *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*: vbi Auguſtin. legit, *exultabo miſericordia tua*; cui adſtipulatur Apollinarius, *Manè verò miſericordia lætabor tua*. Eodem modò Hieronym. *ad Hedibiam q.* 3. *&* 6. & Caſſiod. intelligunt illud Pſ. 56. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara, exurgā diluculo*, vel, vt habēt Hebręa, *excitabo aurorā*, qua Chriſtus au-

roram

roră veluti moroſă præuenire vellet, quod reipſa contigiſſe, & ſolem antelucanum erupiſſe, vult Chryſologus *ſer.* 82.

1222 E quib. omnib. colligũt communiter ſãcti, tempus matutinum precibus & ſacrificijs aptiſſimum eſſe; ſicut enim aurora prima pars eſt diei, ita primum curam ſignificat, & primum negotium peragendum, *Magnum* (inquit Athanaſius) *certaminis decus, è lecto ipſo Deo ſiſtere ſeipſum, & præuenire in gratiarum actione ſolem.* Idem probat Chryſoſtomus in Scholijs ad Pſalm. 5. ex illo Sapientiæ c. 16. *quod ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo ſolis radio calefactum tabeſcebat, vt notum omnibus eſſet, quoniam oportet præuenire ſolem ad benedictionẽ tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Argumentum eſt à ſimili; oportebat enim manna colligere ante ſolis ortum, ne illius calore tepefactum liqueſceret: quo Hebræi inſtruebantur, vt colligentes eximium illud agnoſcerent beneficium, ſimulque gratias agerent, alias *ingrati ſpes tanquam hybernalis glacies tabeſceret:* Spes enim ex ingrati animi vitio nata, vana eſt: & fruſtrà ab illo expectat noua, qui nullam pro acceptis gratitudinem rependit. Non ita Iob: *ſed conſurgens, diluculò offerebat holocauſta c.* 1. Vbi eadem res diuerſis vocibus ſignificata magnam diligentiam ac ſolicitudinem ſignificat; ſic tamen, vt de ipſo diluculo & aurora accipi debeat; verbum enim שכם *ſacam*, pro quo noſter *conſurgens* dixit, *manicare* ſignificat, quod iunctum *diluculo* idem eſt, ac *manè diluculo*, vel *valdè manè* שכם *ſeKem* teſte Pagnino ſignificat *cor*: vnde *Sophon.* 3. 9. & *Oſeæ* 6. 10. שכם אחד *ſeKem ehad*, hoc eſt, *vno animo vno corde, eadem ſententia*, ſine quod idem ſonat, *vnanimiter concorditer*. Hinc oritur verbum שכם *ſaKam*, id eſt *animari, cordatum fieri ſententiam ferre*. Certè Iobo eris ſimilis, ſi diluculo וישכם *iſKam*, hoc eſt ſurrexeris; ſi fueris animatus recipiendo in te Chriſtum, qui vera eſt & tranſnaturalis vita; ſi cordatior fias, qui hucuſque excors, indoctus; omnis enim peccator, teſte Doctore Africano, ignorans eſt, & tu hucuſque non niſi peccator miſer fuiſti. tandem Iobo eris iterum ſimilis, ſi conſurgens diluculò contra te ipſum ſententiam feras, & timibet pœnas indicas, vt poſtea ſanctiùs, atque perfectiùs opereris. Hæc erant exercitia Chriſtianorum in primitiua Eccleſia, de quibus non incongruè aliqui exponunt Philonem *lib. de vita contemplat.*

1223 Has ritus congruas circumſtantias ipſimet laudarunt Gentiles, imò ſuo modo executioni mandarunt. Dijs Matutinas ſalutationes eſſe gratiſſimas, docet Herodot. *lib.* 1. *Mag. & Perſ.* iuxta quos in more ſemper fuit primo diluculo Dijs canere, & hymnos ac laudes offerre. Fuit & opinio Apolonij Tyanæi, ſummo diluculo cum Dijs agendum eſſe. vt docet Philoſtrat. *lib.* 1. *c.* 12. In quam rem Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 3. agens de Iſidis ſacerdotibus.

Biſq; die reſoluta comas tibi dicere laudes.

1224 Vbi Scaliger notat ſacerdotes Iſidis prima hora aperire templum & Deam ſalutare ſolitos, & ad horã octauam redire, Deam cõponere templumq; claudere, quod forſan erat ex iugi Moſaico ſacrificio mutuatum *Exodi* 29. De quo *Amos* 4. *Afferte victimas veſtras.* Erat enim Iudæis oratio matutina ac ſacrificiũ, inter ſolẽniora illius diei. Probat autem hanc conſuetudinem Scaliger ex Apuleio. *Mileſiæ fabulæ lib.* 11. vbi dicit: *Rebus iam ritè conſummatis, inchoatæ lucis ſalutationibus religioſi primã nuntiantes horã perſtripũt.* & inferiùs: *illicò Deæ matutinis perfectis ſalutationib. ſummo ſtudio percũctabar ſingulos.* Et rurſus: *ritè apertionis ſolenni celebrato myſterio, ac matutino peracto ſacrificio.* In quã rẽ facetè Ar. *l.* 7

con-

contra Gent. relatus ibidem à Scaligero, explodens ejuſmodi ſacrificia ait: *Quid ſibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? obdormiſcunt enim Superi ----- vt ad vigilias veniant*. Ianum etiam lego cultum apud Gentiles adoratione matutina. Horatius *lib. 2. ſerm.*

Matutine Pater, ſeu Iane libentiùs audis.

Sed ad veterem Eccleſiam reduxit reperio Dauidem contemplantem miſericordiam Dei in matutinis, Pſalmo 5. & 62. Illud verò mirandum, quod dicit Pſalm. 87. *Et ego ad te Domine clamabo, & manè oratio mea præueniet te*. Certè D. Pater Bernardus explicans illud Prou. 8. *Qui manè vigilauerint ad me, inuenient me*, aſſerit orationem noſtram Deum minimè præuenire ſerm. 69. in Cant. *Vides*, inquit, *quomodo de amore ſuo non ſolùm certum te reddat: ſed etiam de ſolicitudine ſua, quam pro te gerit, ſi te ſenſerit ſolicitum ſui: vigilas tu, vigilat & ille. Conſurge in nocte in principio vigiliarum, accelera quantumuis, etiam ipſas anticipa vigilias, inuenies eum, non præuenies. Temerè in tali negotio vel priùs aliquid tibi tribuis vel plus, nam ille te magis amat & antè*. Eapropter Nicephorus, Euthymius, & alij Græci, exiſtimant in verbo προφθάσει præpoſitionem abundare, & legendum eſſe φθάσει πρὸς σε, vt ſenſus ſit, *oratio mea ad te veniet*: Sed noſter Vulgatus *præueniet* dicit, ſignificans noſtram orationem præuenire Deum.

1225 Propterea Ianſenius verbum *præuenire* referendum dicit ad tempus matutinum, non ad Deum, vt ſenſus ſit, *Et matutinum tempus oratio mea præueniet tibi*. Sanè poteſt huic expoſitioni fauere originale Hebræum: quia affixa non ſemper ſunt accuſatiui caſus, ſed ſæpe datiui, vt cùm dicitur לך leca *vade tibi*, meliùs Hiſpanicè *vete*. Exiſtimat quidem, & verè, nullam orationem legitimam eſſe, quàm Spiritus Domini non præuenit.

Sed reuerà verba Pſalmi, *manè oratio mea præueniet te*, iuxta Vulgati Interpretis lectionem, non poſſunt alium ſẽſum gignere, niſi quod oratio ipſum Deum præueniat: & verbum *præueniet* non ad tempus matutinum, ſed ad Deũ referendum eſſe, ſatis indicat pronomen *te*. Sed ex parte Bernardi ſtat Concilium Arauſicanum 2. *cã.* 14. vbi dicitur: *Nullus miſer de quacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia præuenitur, ſicut dicit Pſalmiſta Pſalm. 78. Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, & Pſal. 58. Deus meus miſericordia eius præueniet me*. Reſpondeat itaque ipſe Bernardus, qui rationem dedit dubitandi: in *tractatu de dilig. Deo* ſic Deum alloquitur: *Sed enim in hoc eſt mirum, quod nemo te quærere valet, niſi qui priùs inuenerit: vis igitur inueniri vt quæraris, quæri vt inueniaris: potes quidem quæri & inueniri, non tamen præueniri. Nam etſi dicimus, manè oratio mea præueniet te, non dubitem tamen, quod tepida ſit oratio, quam non præuenerit inſpiratio*. Dicendum eſt ergo cum D. Patre Bernardo, omnem orationem actumque bonum & meritorium, præueniri à Dei auxiliatrice gratia: ipſam tamen orationem præuenire Deum, quatenus ad augmentum gratiæ habitualis diſpoſitio eſt. Hæc veritas clarior euadet, ſi ſupponamus, quod vix poteſt negari: vltimam nempe diſpoſitionem oriri à forma ſubſtantiali.

1226 Antelucanam orationem commendat Ambroſius ſerm. 43. *Cùm diluculò ſurgimus*, ait, *debemus priuſquam procedamus cubiculo, gratias agere Saluatori, & ante omnes actus ſæculi, actus habere pietatis, qui nos quieſcentes & dormientes in lectulis cuſtodiuit; hoc autem vt faciamus, non ſolùm docemur ratione, ſed etiam admonemur exem-*

exemplis, nonne videmus minutiſſimas aues, cum illuceſcentem diem aurora producit, in quibuſdam nidorum cubiculis varia dulcedine perſonare, & id ſtudioſè agere priuſquam procedant, vt creatorem ſuum, quia loqui nō poſſunt, ſuo cantu demulceant, ita vt videatur ſibi deuotiùs gratias agere, quæ dulciùs perſonauit? Et inferiùs, *Si es deuotior imitare luſciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies ſola non ſufficit, nocturna ſpacia peruigili cantilena decurrit.* Videndus idem Ambroſius in illud Pſalmi 118. *Præueni in maturitate & clamaui.* Baſilius *epiſt. 63. ad Cleric. Neocæſar.* Chryſoſt. *homil. 30. in Gen. & 42. ad popul. Antiochen.*

TEXTVS. Cap. 13.

Qualiter priuatis diebus [a] *Matutini agantur.*

1127 Diebus autem priuatis *a* Matutinorum ſolennitas ita agatur, id eſt, *b* ſexageſimus ſextus Pſalmus dicatur ſine Antiphona, ſubtrahendo modicè ſicut Dominica, vt omnes occurrant ad *c* quinquageſimum, qui cum Antiphona dicatur. Poſt quem alij duo Pſalmi dicantur ſecundùm conſuetudinem, id eſt, ſecunda feria, *d* quintus, & *e* trigeſimus quintus. Tertia feria, *f* quadrageſimus ſecundus, & *g* quinquageſimus ſextus. Quarta feria *h* ſexageſimus tertius, & *i* ſexageſimus quartus. Quinta feria, *k* octogeſimus ſeptimus, & *l* octogeſimus nonus. Sexta feria, *m* ſeptuageſimus quintus, & *n* nonageſimus primus. Sabbato autem *o* centeſimus quadrageſimus ſecundus, & *p* canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas *Glorias*. Nam cæteris diebus canticum vnumquodque die ſuo ex Prophetis, ſicut pſallit Eccleſia Romana, dicatur. Poſt hæc ſequantur *q* Laudes, deinde lectio vna Apoſtoli memoriter recitanda, Reſponſorium, *r* Ambroſianum, Verſus, *ſ* canticum de Euangelio, *t* litania, & completum eſt. *u* Planè agenda matutina, vel veſpertina non *x* tranſeat aliquando, niſi in vltimo ordine oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore, propter ſcandalorum ſpinas, quæ oriri ſolent, vt *y* conuenti per ipſius orationis ſponſionem, qua dicunt, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, purgent ſe ab huiuſmodi vitio. *z* Cæteris verò agendis vltima & pars eius orationis dicatur, vt ab omnibus reſpondeatur, *Sed libera nos à malo.*

a *Matutinorum ſolennitas hic à D. Benedicto ea Hora vocatur, quam hodie nominamus Laudes, propter Pſalmos 148. 149. 150. qui ab eodem D. Patre*

tre Laudes appellantur.

b *Is eſt, Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis. Hunc Pſalmum 66. moroſè dicendum S. Benedictus conſtituit (quia ſubtrahi idem eſt omnino quod protrahi) vt omnes occurrant ad quinquageſimum Pſalmum (nempe Miſerere mei Deus) & expreſſius infrà, vbi negligentes, & qui ad hunc Pſalmum non occurrerint ſeorſim & in vltimo loco conſtituendos decernit, vt vel ſic pudore ſuffundantur.*

Sed hinc oritur curioſa difficultas. Vtrùm hodie Pſalmus 66. debeat protrahi atque cantari grauiùs. Si Laudes à Vigilijs ſecernas, reſpondeo affirmatiuè; eſt enim expreſſa Legiſlatoris mens in cauſa rationabili. Si immediatè poſt Vigilias Laudes canantur, finis ſanctionis ceſſat, quia omnes iam ſunt in choro, ac proinde non debent expectari. Ceſſante fine ceſſare legem docent grauiſſimi Doctores (vide num. 50.) Ideo is Pſalmus ſolet in-directùm intonari eadem grauitate & ſyllabarum protenſione, qua Pſalmi reliqui cantantur.

c *Miſerere mei Deus.*

d *Verba mea auribus percipe Domine.*

e *Dixit iniuſtus.*

f *Iudica me Deus & diſcerne cauſam meam.*

g *Miſerere mei Dei, miſerere mei.*

h *Exaudi Deus orationem meam cù deprecor.*

i *Te decet hymnus Deus in Sion.*

k *Domine Deus ſalutis meæ.*

l *Domine refugiū tu factus es nobis.*

m *Notus in Iudæa Deus.*

n *Bonum eſt confiteri Domino.*

o *Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam.*

p *Audite Cæli quæ loquor.*

q *Laudate Dominum de cælis.*

r *Hymnus D. Ambroſii. Splendor Paternæ gloriæ.*

ſ *Benedictus Dominus Deus Iſrael.*

t *Kyrie eleiſon.*

Notat curioſè Cardinalis, hos Pſalmos à D. Patre in Matutinis conſtitutos, eò quòd in ſingulis ponatur manè aut quidpiam ſimile; quo clariſſimè dignoſcitur Pſalmum illum ad horam Matutinam pertinere.

u *Particula Planè idem eſt quod Tamen, verumtamen.*

x *Tranſeat, hoc eſt, peragatur.*

y *Omnia exemplaria, quæ uidi, habent conuenti, ſed quo ſenſu? reſtituo, conuicti. Conuincimur enim inimicis ignoſcere promiſſione illa, quæ veniam diuinitùs promittit ignoſcentibus, & iniurias confratri condonantibus.*

z *Cætera agenda ſunt cæteræ diuini officij partes ſeu horæ, in quibus ſuppreſſa voce dicitur Oratio Dominica.*

& *Vocat vltimam partem, Et ne nos inducas in tentationem, ad quam Chorus reſpondet, Sed libera nos à malo.*

Ignoſcendum inimicis ante Solis occaſum, ſi fortè contingat, aliquas rixas inter religioſos ſuboriri præcepit, cuius legi ſunt commentaria verba Abbatum Germaniæ, quæ ex eorundem Definitionibus deſume. Sic enim anno 1595. decreuerunt.

Cùm per charitatem, quæ inter eos continua eſſe debet, dicantur fratres, fraternam in Domino pacem ſeruent, illis ſit cor vnum & anima vna, vt ſint vnanimes in domo Dei. Quod vt fiat, Seniores iuniores ſuis bonis moribus & exemplis edoceant, eorumque defectus amore Dei & ſalutis eorum cum charitate & modeſtia corripiant; iuniores viciſſim Seniores ſuos reuereantur & honorent, & ſi qui eorum in verbum contentioſum & iniurioſum inciderint, cogantur ante ſolis occaſum inuicem reconciliari; qui ſi recuſauerint, vel poſtmodum verbo tantum & non animo reconciliati apparuerint, ſuſpenſi ſint à diuinis, ac in pane & aqua ieiunent, ſedeantq; omnium vltimi tàm in choro quàm in menſa, donec reconciliati fuerint, aut ſi vltrà duos dies di-

ſtule-

ſtulerint, mittantur in carcerem, in eoque retineantur quouſque reconciliari humiliter petierint: & proteruiæ ſuæ pœnas luant.

DISPVTATIO XCI.

De Pſalmorum numero, Capitulo, Litania & oratione.

1228 EX Legiſlatoris doctrina manifeſtum eſt, Pſalmos duodecim in vigilijs nocturnis decãtandos: hinc forſitan II. Turonenſe Cõcil. poſt eum aliquot annis (& vt ſupputo 30.) celebratum, *cap. 9.* ſic ait: *Ad Matutinum ſaltem duodecim Pſalmi dicantur cum Allelu-Ia, quod etiam Angelo oſtendente didicerunt; Si ad duodecimam duodecim Pſalmi, cur ad Matutinum non item duodecim explicentur? Veſpertinam* autem appellat Conciliũ *duodecimam*, quia duodecima & vltima diei hora debet perſolui. Quod ſatis explicuit Caſſianus *lib. 2. de Conſtitut. monaſt. c. 4.* vbi ſic habet: *Per vniuerſum Aegyptum & Thebaidem duodenarius Pſalmorum numerus, tã in veſpertinis, quam in nocturnis ſolennitatibus cuſtoditur.* qui modus antiquitus obſeruatus, idcirco per tot ſæcula in cunctis illarum prouinciarum monaſteriis intemeratus vſque hodie perdurat, quia non humana inuentione decretus à Senioribus dicitur, ſed cælitùs Angeli miniſterio Patribus declaratus. Et capite ſequenti enarrans, quomodo Angelus in veſpertinis officijs apparens poſtquã duodecimum Pſalmum cum Allelu-Ia decantaſſet, ab vniuerſorum oculis repentè ſubtractus finem officio & cæremoniis impoſuerit, c. demum ſexto ſubiungit: *Exiade venerabilis Patrum Senatus intelligens Angeli magiſterio cõgregationibus Fratrum generalem canonem, non ſine diſpenſatione Domini conſtitutum, decreuit hunc numerum tam in veſpertinis quàm in nocturnis conuenticulis cuſtodiri.* Quod & confirmat textus *ex cap. in die de conſecrat. d. 5.* Vbi Gregorius VII. ait, quod omnibus diebus per annum, exceptis feſtis, duodecim Pſalmi & tres lectiones ad nocturnos ex antiquo more recitentur. Forſitan vt correſpondeant duodecim horis noctis, & per totam noctem Deum orare videamur. Addit inſuper Concilium, quod illi, qui quotidie tres tantummodo Pſalmos & totidem lectiones celebrare deſiderant, non ex Regula Sanctorum Patrum, ſed ex faſtidio & negligentia id facere comprobentur. De *Allelu-Ia* verò, cum quo eiuſmodi ſex Pſalmi ſunt decantandi, ſuo loco dicemus. Concludit Legiſlator;

1229 *Poſt hæc Lectio Apoſtoli ſequatur ex corde recitanda, & verſus, & ſupplicatio Litaniæ (id eſt,* Kyrie eleyſon) *& ſic finiantur Vigiliæ nocturnæ.* Lectionem Apoſtoli appellat, quam nos *Capitulum* vocamus; ſic enim habet Radulphus Tungrenſ. *de Can. obſeruat. prop. 8. In lectionibus tam maioribus quæ in nocturnis vigilijs leguntur, quàm paruulis quæ dicuntur ad alias horas & Capitula appellãtur, laudẽ Dei agimus & pronũtiamus. Et prop. 13. ad uigilias noctis leguntur lectiones magnæ; ita ad Laudes & Veſperas, & ad quinq; paruas horas dicuntur paruæ lectiones, quas Benedictus in ſua Regula appellat Lectiones, communi tamen vſu ſæculari appellantur Capitula.*

Hæc

Hæc illi. De his Capitulis mentio fit in Concil. Agathenſ. *cap. 30. Can. conuenit de conſecrat. d. 5. Et quia conuenit ordinem Eccleſiæ æqualiter ab omnibus cuſtodiri*, & paulò poſt: *Et in concluſione matutinarum vel veſpertinarū, poſt hymnos capitula de Pſalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad veſperam ab Epiſcopo cū benedictione dimittatur.* Vbi videtur de his Capitulis loqui, quamuis modò non dicantur poſt hymnos; nam in Laudibus & Veſperis ante hymnos dicuntur, neque cōmuniter ex Pſalmi ſumuntur, licèt ſemper ex ſacra Scriptura. Has lectiones recitandas eſſe *ex corde* dixit, hoc eſt, *memoriter*, nam *mens* & *cor* frequenter pro memoria vſurpantur, vt apud Virgilium:

---------- Manet alta mente repoſtum
Iudicium Paridis.

1230 Subijciam curioſam & breuem expoſitionem. Audis Hiſpanum, *eſto yo digo muy de coraçon*, hoc eſt, *loquor vt ſentio*. Iubet igitur Pater ſanctiſſimus nos loqui ex corde, ne carpamur à Chriſto, & iudicemur ex illis eſſe contra quos dictum, *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Præcurrat linguam mens, & voces priùs ſint cordis incolæ quàm ex corde proferantur.

1231 Poſt Lectionem & Verſum, ſupplicationem Litaniæ dicendam præcipit D. Pater; Græci autem λιτανείας appellant, quas Latini *Rogationes* ſiue *ſupplicationes*. Vbi obſeruandum ex Strabone *de reb. eccleſ. c. 28.* non ſolùm dici Litaniam illam recitationem, qua Sancti in adiutorium infirmitatis humanæ inuocantur, ſed omnia quæ facimus ſupplicantes. Litania autem Sanctorum nominum poſtea creditur in vſum aſſumpta. Hieronymus ſequutus Euſebium Cæſarienſ. Martyrologium per anni circulum conſcripſit ab Epiſcopis Chromatio & Eliodoro ad hoc requiſitus, quia Theodoſius religioſus Imperator in Concilio Epiſcoporum laudauerat Gregorium Cordubenſem Epiſcopum, quòd quolibet die miſſas exponens martyrum, quorum natalitia occurrebant, nomina plurima commemoraret.

1232 Inter Litanias & exomologeſim diſſidium eſt, quod exomologeſis ex ſola confeſſione peccatorum agatur; talis eſt illa Dauidis oratio *Pſalm. 50. verſ. 1.* Litaniæ verò, vt miſericordiam & fauores in neceſſitatibus à Patre clementiæ poſtulemus. Hinc D. Benedictus exponens quid per *Litaniæ ſupplicationem* intelligat, ſubiungit orationem illam iaculatoriam, quam à Græcis didicimus, viliterq; conſeruamus; videlicet *Kyrie eleyſon.*

1233 Obiter tamen adnotato, nomen *ſupplicationis* quodammodo ex gentilibus retineri, nam vt i apud eos *feriæ legitimæ* erant, ita & *indictæ*; hæ autem, quia paupertas antiqua Romanorum ex collatione ſacrificabat, aut certè de bonis damnatorum: vnde *ſupplicia* dicuntur *ſupplicationes*, quæ fiebant ex ſupplicio: ſacræ enim res de rebus execrandorum fiebant. Vnde perperam Valla *lib. 5. c. 11. Adorare*, inquit, *ab oro, quod eſt ore precor componitur, ſupplicare autem à plico, quod genu poplitemq; aut ceruicem plicamus, cùm à potentiore aliquo magnum quidpiam precamur.* Sed quod ſuperiùs diximus, colligitur ex Sext. Pompeio, Ioſepho Scaligero, & Nonio Marulo verbo. *Supplicium.*

1234 Sed iam ad Litaniam accedamus. Κύριε *Domine*, ἐλέησον, *miſerere*. Χριστὲ ἐλέησον, id eſt, qui vnctus es non oleo viſibili, ſed plenitudine diuinitatis, miſerere. Hanc Litaniam Latini imò & Syri Græcè efferunt, eò quòd quædam Græcè meliùs, quam Latinè ſonent, & vt vnum eius populum eſſe oſtēdamus, & vnum Deum vtrumque populum credere. Hanc rationem adducit Alcuinus de di-

de diuinis officijs: alias adducit Auguſtinus *epiſt. 278. cont. Paſcent.* & Turrecremata *can. Iacob. de Conſecrat. d. 1.*

Hanc precandi formulam aliqui referunt ad tempora Arriani epicteti, idque colligunt ex eius *lib. 2. cap. 7.* ſed eam longè antiquiorem fuiſſe in Eccleſia, conſtat ex liturgis Iacobi & Marci, qui longo temporis interuallo Arrianum præceſſerunt. Exſtat de hac formula Decretum Concilij Valentis ſub Leone I. *canon. 5.* in hæc verba: *Et quia tam in ſede Apoſtolica, quàm etiam per totas Orientis atque Italiæ Prouincias, dulcis & nimis ſalubris conſuetudo intromiſſa eſt, vt Κύριε ἐλέησον frequentiùs cum grandi affectu ac compunctione dicatur, placuit etiam nobis, vt in omnibus Eccleſiis noſtris illa conſuetudo ſancta, & ad Matutinum, & ad Miſſas, & ad Veſperas Deo propitiante intromittatur.* Fauet & Greg. *lib. 6. epiſt. 63.*

1235 Nunquam in hoc opere mentio fit precum earum, quas vulgò *Orationes*, vel *Collectas* vocamus, quibus modò ſinaxis & preces finiri conſueuerunt, ſed omnes abſoluit & terminat Dominica oratio, quam Litaniam appellant. Sunt qui exiſtiment has Collectas comprehendi illis verbis, *Miſſæ ſint*, vel *Miſſa fiāt*: quia Caſſianus Collectas videtur appellare *Miſſas*: ſed vt hoc illis demus, apud D. Benedictum nil aliud valet ille loquendi modus, quā *finiantur* & *terminentur*, vt in hoc cap. & ſeq. Caſſianus *Miſſam* vocat ipſam precem vel ſinaxim, quam dicimus Horam Canonicam. Quis autem eas orationes compoſuerit quas Collectas vocamus, dubium eſt: ſolùm reperio, quod Concilium Francofordienſe Generale ſub Carolo Magno in confutatione hæreſis Helipandi, teſtetur Gregorium authorem, & ad probationem quatuor eiuſdem Gregorij Collectas adducit, duas feria ſecunda & quarta poſt Dominicam Palmarum, tertiam in Aſcenſione Domini, & quartam in feſto S. Crucis ſolitam recitari, reliquas etiam creditur edidiſſe. Cæterum, quicumque author is fuerit, ſtylo, eloquentia atque pietate eſt commendabilis: allicit enim diuina laus mentes pura condita ſuauitate. Lingua mentis eſt index, mentis ergo illibatæ character, pura lingua.

1236 Audiui Hiſpanos aliquos monaſticæ rei peritiſſimos, mihi perſuadere conantes, orationes illas, quas *Collectas* dicimus, fuiſſe etiam in officiis diuinis Benedicti temporibus: imò & S. Patriarcham illarum meminiſſe *cap. 20.* his verbis: *Breuis debet eſſe & pura oratio niſi fortè ex affectu diuinæ gratiæ protendatur. In conuentu tamen omninò breuietur oratio.* Cæterùm inibi Patriarcha ſanctus non agit de oratione publica, ſed tacita, quæ fit in fine Horarum. Hanc iubet omninò breuem eſſe. Obaudiunt Rubricę, quę *Pater* & *Aue* iubent ſuppreſſa voce dici: quibus perlectis, *facto ſigno à Priore* (id eſt, à Præſide) *omnes pariter ſurgunt.*

DISPVTATIO XCII.

De diſcretione temporum. De Pſalmis, qui in Laudibus ſolent decantari.

1237 PRouidentiam, quam Socrates *in Men* negotiorum humanorum ducem appellauit, & *Animæ oculum* Ariſtot. 4. *Ethic.* 5. Poetæ veteres

de Iouis capite exortam non ſine ſale fabulantur. Per hanc omnia circumſpicienda, atque in omnem partem oculi intendendi ſunt, vt monſtremus vitæ magiſtram, & conſiliorum omnium inventricem meritò nominari. Ad rem Sophocles.

-------- *Nihil homini prudentia.*
Contingere melius, aut poteſt magis vtile.

Hanc Ariſtoteles 3. *Polit.* 3. non ſubditorum, ſed eorum qui alijs præſunt propriam eſſe iure optimo aſſeruit. Nā ſi cuilibet de plebe optimum eſt prudenter & cordatè agere; quid Reipublicæ moderatori vtilius, ad quem pertinet exorbitantia ad perpendiculum mēſuramq; reducere, & bene cohærentia in ſuo ſtatu rectè gubernando conſeruare? In hanc rem alibi etiam nautæ ſimilitudinem adducit: & aſſerens prudentiam eſſe principi neceſſariā ad rempublicam adminiſtrandam, *ſicut gubernator* (inquit) *pro ratione ventorum mutat nauigationis ſubſidia, non vno modo nauem dirigens, ſic Reipublica moderator.* Qua ſimilitudine antea vſus fuerat Plato in eo Dialogo qui Πολιτικὸς, ἢ περὶ βασιλείας inſcribitur. Sed Dio Nyſs. *or.* 3. *de Regno* ex ſolis ſimilitudine prudentem colligit Principis gubernationem. Sol enim & facit & diſcernit horas, ac tempora diſtinguit; Si enim ſemper decurreret Auſtralem tropicum, ſemper breuis dies horridam ac triſtem brumā efficeret, perpetuaque glacie tabeſceret: & plantæ frondibus ac fructu orbatæ lugerent. Si verò ſemper altiore curſu tropicum Borealem deſcriberet, ſemper æſtiuus eſſet, vniuerſa ardore nimio exſiccarentur, fructuſq; generari ac nutriri minime poſſent; alio enim tempore arbores floreſcunt, & vernas induunt diuitias: alio eas exuunt, cum folia videlicet & omnem ornatum. Vnde temporis viciſſitudo, & varietas neceſſaria eſt, vt ſuauiſſimum ac pulcherrimum hoc Mundi ſpectaculum ad debitam poſſit perfectionem perduci. Non ſecus in Republica benè ordinata omnia tempus habent, & res ſuo cuique debentur loco & tempori. Reipublicæ ſic decenter & moderatè compoſitæ felicitatem & diuturnitatem adducit Prudentia, vt optimè ille;

Omnia ſuo percepta recreant tempore.

Non minima ſapientiæ pars illa eſt, quam Stoici appellabant *ſcientiam rerum earum, quæ aguntur aut dicuntur, loco ſuo collocandarum.* Actionis locum, tempus & opportunitatem præmeditanda eſſe docuerunt, quòd horum ignorantia non mediocrem generi humano malorum acceſſionem attulerit. Vide Cicer. 1. *de offic.* cui Ouidius conſonat.

Temporibus medicina fauet, data tempore proſunt.
Et data non apto tempore vina nocent.

Herculè ſi omnī tempore foret ieiunandum, deficerent vires: ſi ſemper orandum, humanæ conditionis infirmitas perpetuæ & nunquam intermiſſæ orationi nequaquam ſufficeret. Sit ergo in Republica, maximè Monaſtica, tempus orationi dicatum, ſi & matutinum, prudenter tamen & cum delectu. Diebus potiſſimùm Dominicis, quos ob reuerentiam Dominicæ Reſurrectionis Apoſtoli religioſa ſolennitate ſanctificarunt, à terrenis operibus, mundique illecebris abſtinendum, diuinoq; tantum cultui inſiſtendum eſt. Matutina laus diebus feſtiuis ſolennior ac prolixior eſſe debet quàm priuatis, quibus operi manuum inſudandum. Prudenter ergo D. Pater poſt modum diebus Dominicis matutinas laudes decantandi ſtatutum, hoc iam capite quomodo priuatis diebus ſint agendæ, decernit.

DI-

DISPVTATIO XCIII.

De oratione Dominica.

1238 DIuus Pater conſtituit, vt ſub Matutinorum, & Veſperarum finem ab eo, qui præſidet cōgregationi, Oratio Dominica, *Pater noſter*, alta voce dicatur, quam Auguſt. *ſerm. 126. de tempor.* & Tertull. *in libr. de fuga in perſecut.* Legitimā nuncupant, idemque Auguſt. *ſermon. 129.* Cæleſtem. A Concilio verò Tolet. IV. teſtimoniis Cypriani, Auguſtini, & Hilarii probatur Quotidiana vocari: præcipiturque, vt quia quotidiana eſt, à presbyteris & cæteris clericis quotidie dicatur, imò Clemen. Roman. *libro 7. Conſtitut. Apoſt. cap. 25.* ex traditione Apoſtolorum ter in die à Chriſtianis monet dicendam. Verùm D. P. Benedictus quamuis in fine omniū horarum Canonicarum Dominicam orationem recitari præcipiat, in Laudibus tamen & Veſperis alta voce à Chori Præſide dicendam præſcribit, in cæteris autem horis vltimam ſolùm partem altiùs efferendā, vt ab omnibus reſpondeatur, *ſed libera nos à malo*. Rationem verò, cur eam alta voce efferri velit, aſſignat, *propter ſcandalorum ſpinas, quæ oriri ſolent, vt conuicta per ipſius orationis ſponſionem, qua dicūt,* Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, *purgent ſe ab huiuſmodi vitio.*

Patres communiter debita interpretantur peccata, eſtque communis locutio, quam ſatis declarat Chriſtus *Matth. 6.* vbi id explicans addit, *ſi remiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cæleſtis peccata veſtra.* Et Lucas *cap. 11.* pro ὀφειλήματα debita, poſuit ἁμαρτίας *peccata*. Cur autem peccata, debita appellentur, rationes varias Patres adducunt, ſed quæ meo iudicio in idem redeunt. Venantius Fortunatus, & Tertullianus, vterque de oratione Dominica ait, *Debita peccata dicuntur, quia debentur, & requirenda ſunt.* Ambroſ. *libro 5. de ſacr. cap. 4.* & Auguſt. *ſerm. 28. de verb. Domin.* aſſerens turpibus actionibus nos diaboli debitores conſtitui, *Cautionem,* ait, *noſtram habebat inimicus, ſed Chriſtus eam cruci affixit, & ſuo cruore deleuit.* Et idem *ſermon. 126. de tempor. Debita,* inquit, *peccata intelliguntur, nam debitum contrahitur, quoties aliquis deliquit, quod ſolui vel in hac vita, vel in gehenna neceſſe eſt:* delinquens enim apud Iureconſultos pœnę ſe obligare dicitur, *l. Imperatores. ff. de iure fiſci.*

1239 Peccatorum autem à Deo remiſſionem poſtulamus, quia illi ſoli competit propria hæc authoritate remittere, nec tamen ipſe nos vult iis abſoluere, niſi oratione noſtra ſollicitatus. Explicat id optimè Chryſoſ. Matt. 18. ad illa verba, *Miſertus autem Dominus*, ſic loquens: *Volebat peccata dimittere, tamen non priùs id facere, niſi debitor ſupplicaret, vt donum non modò ſuum, verùm etiam petitionis illius eſſe videretur, quod fecit, vt coronā quoque ſeruus conſequeretur, totum tamen ad Dominum meritò refertur.*

1240 Dubitant aliqui, vtrùm hæc orationis Dominicæ verba ab omnibus poſſint ſincerè pronuntiari. Pelagius negatiuè reſpondet. Ratio ipſius eſt, quod plurimi ſint ſancti & iuſti, qui carent peccatis, quorum proinde veniam & remiſſionem nequeunt poſtulare. Ideo hæc verba & huiuſmodi alia

non veraciter, ſed humiliter dicenda iudicauit. Cæterùm, intelligere nequeo humilitatem veram ſine veracitate. Tędet nos mentitæ humilitatis, cur non & mentientis etiam tædeat? Fulciuntur Pelagiani duobus teſtimonijs, quorum aliud deſumitur ex Cantici, vbi dicitur Sponſæ, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te:* Alterum ex *Ioann. 1. can. c. 5. Omnis qui eſt ex Deo, non peccat.*

1241 Verùm error is damnatus eſt in *Concil. Mileuit. can. 6.* quod Heſſelius Chartaginenſe nominauit, & *can. 7.* dicitur, *Placuit, vt quicumque dixerit, verba ipſa Dominicæ orationis, vbi dicimus,* Dimitte nobis debita noſtra, *ita à Sanctis dici, vt humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema ſit.* Et in Concilio Africano *canon.* 81. 82. & 83. accuratè damnantur, qui dixerint hæc humiliter & non veraciter dici, vel non pro ſeipſis, ſed pro alijs, qui ſunt in populo peccatores. Idem docet Innocentius I. *epiſt. ad Concil. Chartag. quæſt. 25. inter epiſt. ad Innocent.* Et Cæleſtinus 1. *epiſt. 1. ad Episc. Galt.* & eſt communis Patrum ſententia. Auguſtinus latiſſimè *lib. de nat. & grat.* maximè *cap. 36. & à 60. vſque ad 69. & lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ cap. 6. 7. & 13. & c. 36. de perfect. iuſtit. epiſt. 29.* Hieronymus *epiſt. 106. & de bono perſeuerant. c. 8. cont. Iouin. & Matth. 5.* Cyrianus ſuprà. Fulgentius *de fid. ad Pet. & libr. 1. ad Monimum.* Quæ veritas oritur ex communi Theologorum doctrina, quam tradit Concilium Trid. *ſeſſ. 6. c. 11. & can. 13.* neminem tota vita poſſe peccatà etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio; quod colligunt Patres ex illo *Iacob 3. in multis offendimus omnes.* Vbi expendendum verbum offendimus. Non enim dixit, *offenditis*, vt orare dicatur pro aliis peccatoribus de populo. *Prouerb. 24. Septies in die cadit iuſtus. Eccleſiaſ. 7. Non eſt homo, qui non peccet.* & *1. Ioan. c. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Vbi aduertẽdum, quod verbũ πλανάω, pro quo noſter vertit, *ſeduco*, vim maximã habeat; primò enim ſignificat non quomodocunque fallere, ſed alicui ſimplici ſe magnum aliquid eſſe ſuadere. Sic *Hierem. 20. n. 7. Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum.* Clariùs. Me hanc prouinciam recuſantem, illi adminiſtrandæ idoneum fore dixiſti; quod ſi vt iſti falsò quærũtur, ego ſum ſeductus, tu me ſeduxiſti, cùm non mea ſponte hoc munus obiecrim, ſed te fuerim vocantem ſequutus. Et Pſeudo Apoſtoli teſte Paulo *ad Ro. 16.* exurgent, *qui per dulces ſermones, & benedictiones ſeducent corda innocentium.* Vbi Anſelmus, *inſidioſa & blãda adulatione eorum peccata alleuiant, & tanquam ſanctos benedicunt.* Et explicans illud Pauli *ad Rom. 7. n. 11. Peccatum per mãdatum occaſione accepta, ſeduxit me,* inquit: *Etiamſi quid homo fecerit ſecundum iuſſa legis, ſi vult ſibi tribuere & non Deo, ſuperbiendo plus peccat.* Significat ſecundò, non vtcumque, ſed adulando & blandè alliciendo decipere. Sic notauit Anſelmus ad locum Pauli *ad Rom. 8. & Iob. 31. n. 27. Et lętatum eſt in abſcondito cor meum.* Septuaginta interpretes, *ſeductum*; Ribera *Oſeæ 2. Lactatum.* Cùm igitur hæc falſa perſuatio ex ſuperbia & amore ſui oriatur, meritò Ioannes verbo illo vtitur, quod vtrumq; ſignificat. Denique Hieronymus explicans illud; *Oſeæ 7. factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor,* notat cęteras aues etiam cũ vitæ periculo pullos ſuos protegere; at *Sola,* inquit, *columba ablatos pullos ſuos non dolet, non quærit, non ſentit: & ideo huic comparatur Ephraim, quòd ſe vaſtatam non ſentiat, ſed negligens ſuæ ſalutis tutam exiſtimet, huiuſmodi gẽtem odit Dominus (Apocal. 3.) incipiam te euomere de ore meo, quia dicis, Diues ſum & nullius egeo; & neſcis*

quia

quia miſer es & miſerabile, cæcus, & claudus. .

1242 Ad Pelagij fundamenta reſpõdeo, illa ſponſi verba expoſita fuiſſe à Paulo *ad Epheſ* 5. quem non debuerat temerè deſerere Pelagius. Conſultò Apoſtolus non dixit Eccleſiam eſſe glorioſam, & reipſa non habere maculam, aut rugam; ſed Chriſtum ſeipſum tradidiſſe pro Eccleſia, vt ſanctificaret illam, & lauacro aquæ in verbo vitæ mundaret. Eò enim potiſſimùm ſpectauit Chriſtus, vt Eccleſia eam ſanctitatem retineret, & Chriſto ſponſo ſiſteretur penitùs innocens & immaculata.

1243 Reſpondetur ſecundo, Paulum ibi minimè fuiſſe locutum de Eccleſia militante, ſed triumphante, de qua cõſequenter ille ex Canticis locus, & non de priori intelligendus eſt. Sic Auguſtin. *de peccatorum merit. & remiſſ. cap.* 5. Hieronymus *Hierem.* 31. Bernar. *ſer.* 3. *de feſtiuit. omnium Sanctor.* & alij. Sed Clemens Rom. *lib.* 2. *Conſtitu.* Apoſt. c. 61. Chryſoſtomus & Theophil. in eum locum, & Concil. Tolet. IV. *c.* 1. intelligunt de Eccleſia militante, & ad argumentum reſpondent, Eccleſiam verè dici abſque macula & ruga reſpectu fidei, & doctrinæ, quæ eò refertur, vt omnem penitùs maculam à fidelium animis abſtergat; & quia baptiſmus, qui aditus eſt ad Eccleſiam, omnem penitùs labẽ abſtergit: ac denique quia plures continet iuſtos, qui illam gratiæ cæleſtis pulchritudine exornant.

1244 Ad ſecundum reſpõdetur cum Auguſtino *libr. de perfect. iuſt. contra Celeſt. c.* 18. quod qui nati ſunt ex Deo, & in Chriſto manent, non peccant; ſcil. quatenus ex illo ſunt & in illo manent; ſecùs autem, ſecundũ quod de homine illo nati ſunt, per quẽ peccatũ intrauit, quia ſine illius infirmitate non ſunt: & ex infirmitate naturæ oriri peccata, docet ibidem Auguſtinus. Vnde Apoſtoli verba his æquiualent: *Qui ex Deo eſt, non peccat, qua ſemen Dei manet in illo.*

1245 Circa ſecundam eiuſdem orationis partem, ſcilicet, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* aduertẽdum eſt, quod particula ſicut poteſt eſſe nota ſimilitudinis, & ſic petimus à Deo, vt eo modo, quo nos iniurias remittimus his, à quibus læſi ſumus, ita & ipſe nobis peccata remittat. Poteſt ẽt eſſe conditionalis, & hoc ſenſu videtur à Chriſto expoſita Matth. 6. *cap.* cùm ſtatim ſubiungit, *ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis Pater cæleſtis delicta veſtra: Si autem non dimiſeritis hominibus, neque Pater cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Agnouit hoc Cyrillus Hieroſol. *Catecheſi* 5. dicens: *Cum Deo igitur pacta inimus, quandò petimus remitti nobis peccata, ſicut et nos proximis debita remittimus.* Et paulò inferiùs, *exigua, leuia, & facilia ad remittendũ ſunt noſtra in proximum peccata: quæ verò fiunt à nobis contra Deum, ea ſunt maxima, ac ſola indigentia benignitate.*

1246 Sed dubitant aliqui, an is, qui in peccato obduratus eſt, & in actuali odio inimici, poſſit verè & ex animo orationem iſtam dicere, videtur enim virtute moneri, ne quis remiſſionẽ ſuorum delictorum poſtulet, niſi priùs inimicorum ſuorum iniurias remittat. Inſuper dubitatur, vtrùm qui iniurias remittit, exiſtens tamen in peccato mortali, impetret hac ratione delictorum ſuorum veniam.

1247 In hac re breuiter aliquibus prõpoſitionibus reſpõdeo, id enim ex profeſſo diſputare, pertinet ad materiam de gratia, charitate, & pœnitentia. Sic ergo

Prima Propoſitio; Loquendo de remiſſione iniuriæ, quæ eſt in præcepto, *nulla peccata remittuntur, niſi illa præcedat.* Patet, quia cum complacentia peccati non ſtat animæ iuſtificatio, qui autem [illegible] vult implere præceptum de ini[illegible]nittendis, in peccato exiſtit.

1248 Obijcies, ergo qui ſic orat verè peccat, orans contra Chriſti intentionē, & ponens voluntarium obicem remiſſioni. Abulenſis *Matth.6. q.116.* refert quoſdam dicentes, eos peccare mortaliter, qui ita orant, alii dicunt eos debere omittere clauſulam illam *ſicut & nos dimittimus, &c.* Et Caſſianus *collat.9. c.22.* refert aliquos ſic facere conſueuiſſe, quorum meminit Chryſoſtomus *ho. 14. in Matth. in opere imperfecto*. Alii denique exiſtimant, totā orationem eſſe recitandam, ne mutiletur precandi forma à Chriſto inſtituta.

Reſpondetur tamen diſtinguendo, nam vel obſtinatus in peccato, & in eo permanens, poſtulat ſibi remitti peccatum non obſtante illa indiſpoſitione, & perſeuerando in illa, & tunc inuerecundè & præſumptuosè orat, & cōtra Chriſti intentionem, ac proinde grauiter peccat, at verò ſi oret animo petendi à Deo diſpoſitionem vt emolliat cor ſuū, bene orat, habet enim aliquod deſiderium diſponendi ſe ad remiſſionem peccati.

1249 Sed vrges: qui ſic orat mentitur, cùm non remittat iniurias, quas tamen ſe remiſiſſe dicit, Reſpondetur, illum minimè mentiri, non enim dicit, *ſicut ego dimitto*, ſed *ſicut nos dimittimus*, quod ad Eccleſiam referendū docet S. Thomas *2.2. q.83. a.16. ad 3.* Aliqui, licèt ad priuatam perſonam referant, orantem illum non mentiri dicūt, quia illis verbis non exprimit actum, ſed debitum, ac ſi diceret: *Dimitte nobis peccata noſtra, ſicut & nos dimittere debemus debitoribus noſtris.* Sed qui non videat expoſitionem hanc eſſe cōtra mentem Inſtitutoris? Hac oratione, teſte Patriarcha noſtro, conuincimur ignoſcere inimicis, ergo in ea non agitur de debito, ſed de actu, quia is eſt liber, illud neceſſarium; Si enim de debito ageretur, nullo modo conuinceret. Ideo aſſero illum, qui odio fratrem perſequitur, nec deſiderat miteſcere, toties ferre contra ſe ſententiam, quoties recitat hanc orationem. Mentiri autem dici non debet, non enim aſſerit ſe fratri remiſiſſe, ſed ſibi ita remitti à Deo poſtulat, vt à ſe fuerat remiſſum fratri.

1250 Secunda Propoſitio. *Remiſſio iniuriarum facta proximis non infert infallibilem remiſſionem peccatorum.* Hæc eſt contra aliquos hæreticos, quos ſuppreſſo nomine refert Auguſtinus *21. de Ciuit. c.22.* & 27. qui dicūt ſolam remiſſionem iniuriarum ſufficere ad abolēda omnia peccata per orationem Dominicam, qua petimus à Deo talem remiſſionem nobis quotidie indulgeri, ſicut Oratio Dominica quotidie recitatur, dum tamen nos proximis dimiſerimus iniurias ex corde. Concluſio noſtra eſt manifeſta, nam de fide eſt, peccata non remitti ſine pœnitentia, ſed remiſſio iniuriarum non eſt pœnitentia, ergo non habet vim remittendi peccata.

1251 Sed obiiciunt, quod eodem verborum tenore quo Chriſtus Matth. 6. dixit, *ſi non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra*, etiam dixerit, *ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, et pater veſter cæleſtis dimittet vobis delicta veſtra.* Sed ad retentionem iniuriarum ſequitur infallibiter non remiſſio criminum, ut diximus in prima Propoſitione, ergo ècontra ad remiſſionem iniuriarum ſequitur infallibiter remiſſio peccatorum.

1252 Pro reſolutione huius difficultatis ſupponendum eſſe regulam S. Scripturæ, Locutiones negatiuas abſolutè, & ſine exceptione vlla eſſe intelligendas; affirmitiuas verò ſub conditione implicita, niſi aliundè ſit obex. Vtriuſq; exemplum habemus Marci vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Prior promiſſio affirmatiua eſt, & tamen certum eſt multos creden-

credentes & baptizatos damnari. Intelligenda eſt ergo, ſi non deſint alia neceſſaria. Simili ratione intelligendum eſt illud *Eccleſiaſt. 29. Eleemoſyna extinguit peccatum.* & illud Ioannis: *Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Secunda verò, quia negatiua eſt, abſolutè & ſine conditione debet intelligi. Ex his patet, quid ad obiectionem dicendum, negamus enim paritatem rationis, vt patet ex dictis. Confirmatur hæc doctrina ex phyſicis. *Hæc propoſitio eſt vera: Albedo non poteſt eſſe ſine corpore:* inde autem non ſequitur, quotieſcumque corpus datur, detur etiam albedo. Ergo ſimiliter ex eo quod Deus non remittat peccata illi, qui non remittit proximo, infallibiliter recipere veniam à Deo. Ignoſcere enim proximo eſt neceſſaria diſpoſitio, præter quã requiritur pœnitentia, dolor, rectum propoſitum, & ſi fieri poſſit ſatisfactio.

1253 Vrget aliquis: videtur quod nihil peculiare tribuamus remiſſioni iniuriarum, ſimili enim ratione dici poſſet, niſi à furto vel fornicatione abſtineatis, &c. Reſpondeo quod non remittere fratribus iniurias, ſecum afferat peculiarem repugnantiam & ſpecialem obicem ad impetrandum à Deo remiſſionem peccatorum: contra verò remittere fratribus offenſas, ſpecialem habet congruentiam ad mouendam diuinam voluntatem, vt ignoſcat excitando in nobis veræ contritionis motum. Hanc concluſionem quoad primam partem docent Nyſſenus *lib. de orat.* & Leo Magnus *ſerm. de martyr. in fin.* Auguſt. *in Enchirid. c. 73.* poſtquã negatiuam propoſitionem Matthæi protulit, ſubdit; *Ad tam magnum tonitru, qui non expergiſcitur, non dormit ſed mortuus eſt: & tamen mortuos ſuſcitare potens eſt ille:* Sed ſufficiat pro hac re Eccleſiaſticus, qui *cap. 28.* ait: *Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? iſpe cùm caro ſit reſeruat iram & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius? Memorare nouiſſimorum & deſine inimicari.* Secunda verò pars probatur; quia qui ex amore Dei remittit offenſas ſibi illatas, potenter flectit diuinam benignitatẽ, vt ſibi remittat ſcelera commiſſa; non enim illa patietur in miſerendo ab homine ſe ſuperari. Vnde Chriſtus Luc. 6. dicit: *Dimitte & dimittemini.* Et *Eccleſiaſt. 28. Relinque proximo tuo nocẽti te, & tũc deprecãti tibi peccata ſoluentur.* Pro his omnibus videndus eſt Abbas Iſaac apud Caſſian. *collat. 9.* Vrgentur ergo hac precandi formula, qui imparati ſunt ad ignoſcendum; Vnde ſapienter D. Pater Benedictus Dominicam orationem omnibus audientibus dicendam ſtatuit, *propter ſcandalorum ſpinas*, id eſt, lites & contentiones, quæ ſuut ſcandalorum cauſa ſolentque inter fratres oriri, & pacem ac continuam charitatem interrũpere. Dicitur autem in Laudibus quę ſunt principium diei, ne aliqua vitiorum radix vſque ad ſolis occaſum permaneat: veſperè autem ne pernoctans vitium diuino conſpectui ingratos Religioſos reddat; ſed conuicti per ipſius orationis ſponſionem ſeu conditionem adiunctam, ab huiuſmodi vitio purgentur. Simili modo loquutus eſt Cyprianus *de orat. Dom. Certa nos* (inquit) *ſponſione & conditione conſtringens, vt ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quod, & ipſi debitoribus noſtris dimittimus &c.* Et Cyrillus Hieroſolym. *Catecheſ. 5.* qui his verbis nos pacta cum Deo inire aſſerit. Auguſtinus *de verb. Domin. Vide quid dicas,* ait: *ſi dimiſeris, bene conuenis vt dimittatur tibi: ſi non dimittis, quomodo eum conuenis?* Hæc de Dominica oratione notaſſe ſufficiat.

TEXTVS. Cap. 15.

Quibus temporibus Allelu-Ia dicatur.

1254 A Sancto a Paſcha vſque ad Pentecoſten, ſine intermiſſione dicatur Allelu-Ia, tam in pſalmis, quàm in Reſponſorijs. A Pentecoſte autem vſque ad caput Quadrageſimæ omnibus noctibus cum ſex poſterioribus Pſalmis tantum ad Nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadrageſimam Cantica, Matutina, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque cum Allelu-Ia dicantur, Veſpera verò cum antiphona. Reſponſoria verò numquam dicantur cum Allelu-Ia, niſi à Paſcha a vſque ad Pentecoſten.

a *Vide ea quæ dixi in commentario Capitis 10. nota. a*

b *Feria quarta cinerum vocatur Caput Ieiunij, ſeu Caput Quadrageſimæ, hæc autem non incipit ante primã Dominicam. Hoc caput doctrinam cæremonialem, non ſubſtantialem continet, fortè olim Romanæ Eccleſiæ conſonam, iam omnino diſſonam. Nec reos iudico, qui textus huius diſpoſitionem alterarunt, vt conſonaret Eccleſiæ vniuerſalis Rubricis: nam videretur diſſonantia valde ſenſibilis, ſi Benedictini Allelu-Ia concinerent, dum ab huius vocis lætitia reliqui Catholici abſtinerent. Idcirco iudico Benedictinos in ciuitatibus degentes, præcipuè in prouincijs hæreſi laborantibus, poſſe imò & debere ſequi Romanas Rubricas, ne ſcandalo ſint indoctioribus: cæterum qui in eremo habitant, poſſunt Solennitatum Euangelia, Orationes, Allelu-Ia, Euangelium ſecundum Miſſę legere aut omittere iuxta antiquam Ordinis diſpoſitionem. Ratio eſt: quia in eremo ceſſat concurſus populi, ac propterea ſcandali quæcumque ratio, Vide num. 1255.*

Nota quod vbi ſunt leges aut conſuetudines legitimæ debent ſanctè ſeruari.

DISPVTATIO LXCIV.

De huius vocis הללויה Allelu-Ia ſignificatione, & vſu in officio Monaſtico.

1255 ALlelu-Ia vox hebræa eſt, nõ græca, vt exiſtimauit Beda relatus à Durant. *lib. 2. de ritib. c. 20.* Hebræi cum leni aſpiratione הללו--יה *Halleluia* legunt, ſed Græci ad aſpirationis molliendam aſperitatem Αλλη-λοῦ Ια & eos imitati Latini *Allelu-Ia* proferunt. Quam vocem primo vſurpatam legimus à Dauide, ſed ſolenniter decantatam primò ab Aggæo iuxta vaticinium Tobiæ c. 13. docet Epiphanius *de vit. proph.* in *Aggæo.* Hanc autem vocem Eccleſiam retinuiſſe docet Auguſt. *epiſt.* 178. *in controuerſ. habita cum Paſcent. Arriano. Sciendum* (inquit, *eſt,* Amen & Allelu-Ia, *quod nec Latino, nec barbaro licèt in ſuam linguam transferre, hebræo cunctas gentes vocabulo decantare.* Huius rei rationem reddit Hieronymus *epiſt.* 137. *ad*

Mar-

Marcell. cur ſcilicet Eccleſia hanc vocem retinere voluerit, ſicut & nonnullas alias, vt *Amen, Oſanna, Abba, Maranatha, Racha, Ephod*, & his ſimilia; videlicet, ne Eccleſia primùm ex Iudæis congregata omnia ad credentium ſcandalum innouaret: poſtea verò non potuiſſe dicit, ſemel ſuſcepta verba mutare. Auguſtin. *libr.* 2. *de doctr. Chriſtian. cap.* 11. ſic ait: *Hebræa verba non interpretata ſæpè inuenias in libris, ſicut eſt,* Amen, Allelu-Ia, Racha *&* Oſanna, *& ſi quæ ſunt alia, quorum partim propter ſanctiorem authoritatem, quamuis interpretari potuiſſent, ſeruata eſt antiquitas, ſicut eſt* Amen *&* Allelu-ia: *partim verò in aliam linguam transferri non potuiſſe dicuntur, ſicut alia duo quæ poſuimus.* Auguſtinum ſequitur Iſidorus *lib.* 6. *etymol. cap.* 19. & *de diuin. offic. cap.* 13. Denique Remigius *de celebrat. miſſ.* addit, quod id Angeli cantare auditi ſunt *Apocal.* 19. Adde, quod vox iſta vim importat cuiuſdam ineffabilis lætitiæ, ac propemodum vires humanas excedētis propter notionem verbi הלל *halal*, quod nō tam verbi atque nominis rationem habet, quam interiectionis; Vnde D. Thomas poſt Gloſſam *ad cap.* 19. *Apocal.* vocem iſtam *laudem* ſignificare dicit, aut potiùs *ineffabilitatem ipſius laudis*, quod & textus Apocalypſis ſignificare videtur, cùm poſt vocem *Allelu-Ia* ſubijcit, *laus & gloria & virtus Deo noſtro &c.* Ex quo prouenit, quòd alia lingua ſatis exprimi non poſsit. Sed ad aliqualem huius vocis intelligentiam ſupponendum eſt, Cardinalem Turrecrematam plures huius nominis referre etymologias & ſignificationes ex Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino & Beda, quæ neque in prædictis Patribus reperiuntur, neque illis dignas iudico. Idem Germanus Altiſiodorenſis *in Theodoria rei eccleſ.* Communis notatio eſt הללויה *Allelu-Ia* nomen eſſe compoſitum ex הללו *hallelu*, *laudate*, & יה *Ia Dominum*. Sic Theodoretus *ad pſalm.* 146. Auguſtin. *tractat.* 8. *in epiſt. Ioann.* & *ſerm.* 15. *de temp.* & *in pſalm.* 105. & 148. Ambroſius *ad pſal.* 118. & Iſidorus *lib.* 1. *de eccleſiaſt. offic. cap.* 13. Hieronymus *epiſt.* 136. יה *Ia* recenſet inter decem DEI nomina, & dicit illius ſolius eſſe nomen & extremam ſyllabam in *Hallelu-Ia*, non tamen explicat, quid valeat illic, ſed *lib.* 8. *in cap.* 26. *Iſaiæ* dicit, ſignificare *inuiſibilem*. Hebræi verò ſignificare *Deum creatorem mundi*, quibus cōſentit Vatablus, ſed addit Rabbi-Salomon ſignificare *eundem & timendum*, quaſi hac voce moneamur ita Deum laudare, vt ſimul timere & reuereri debeamus.

1256 Hoc ſuppoſito D. Pater Benedictus ſic ait: *A Sancto Paſcha vſque ad Pentecoſten ſine intermiſſione dicatur* Allelu-Ia *tam in pſalmis quàm in Reſponſorijs; à Pentecoſte autem vſque ad caput Quadrageſimæ omnibus noctibus cum ſex poſterioribus pſalmis tantum ad Nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadrageſimam Cantica. Matutini, Prima, tertia, Sexta, & nona cum* Allelu-Ia *dicantur, Veſpera verò cum antiphonis.* Sozomenus *lib.* 7. *hiſt. eccleſ. cap.* 19. *lib.* 9. *hiſtor. tripart. & cap.* 39. & Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 34. Dicunt Romanos ſemel tantùm ſingulis annis prima Paſchalis Feſtiuitatis die *Allelu-Ia* canere conſueuiſſe. Hieronymus in principio libri aduerſus Vigilantium, illum redarguit, quia affirmabat *Allelu-Ia* nunquam in Paſchate cantari in regionibus Africanis: ſed Auguſtinus *epiſt.* 86. *ad Caſulanum*, in Eccleſia omnibus 50. diebus poſt Paſcha vſque ad Pentecoſten *Allelu-Ia* decantari dicit. & *epiſt.* 119. *ad Ianuar. cap.* 15. vſu receptū aſſerit omnibus diebus Dominicis *Allelu-Ia* ad altare canere. & *ca.* 17. *Vt autem* (inquit) Allelu-Ia *per illos ſolos dies* 50. *in Eccleſia cantetur non vſquequaque obſeruatur, nam & in alijs diebus variè cantatur alibi, ipſis autem*

diebus vbique. Sed magis ad noſtrum inſtitutum Iſidorus *lib. 1. de eccleſ. offic. cap. 13.* ait: *Non omni tempore, ſed tantùm Dominicis diebus, & quinquaginta poſt Domini reſurrectionem Allelu-Ia cantatur pro ſignificatione futuræ reſurrectionis ac lætitiæ: verùm apud nos ſecundum antiquam Hiſpaniarum traditionem præter dies ieiuniorum & Quadrageſimæ omni tempore canitur Allelu-Ia; ſcriptum eſt enim, Semper laus eius in ore meo.* Quibus conſonat. D. Pater, qui omni Dominica extra Quadrageſimam Cantica, Matutinum, Primam &c. cum *Allelu-Ia* dici iubet; præmiſerat autem paulò antè, *à Pentecoſte vſq; ad caput Quadrageſimæ.* Caput Quadrageſimæ dies cinerum eſt: vnde in libris ãtiquis pro Septuageſima, Sexageſima & quinquageſima antiphonæ ſunt *Allelu-Ia.* Prohibet Concilium Toletanum IV. in Quadrageſima & diebus ieiunij *Allelu-Ia* cantari, cuius rationem reddit, quòd non ſit tempus gaudij, ſed mæroris, quod latè proſequitur Auguſtinus. Mellifluus Abbas *ſermone 1. de Septuageſ.* Iuo Carnotenſis *ſerm. de ſacris.* Iuniorum obſeruantia Quadrageſimæ adiunxit tres hebdomadas, quæ cùm ſint pœnitentiæ & mæroris iuxta conſtitutionem Concilij Toletani, carere debent *Allelu-Ia.* Sunt dies aliquot ieiunij celebres in profeſtis alliquarum ſolennitatum, in quibus cãtatur *Allelu-Ia* vt ſecuturæ ſolennitatis feſtiua lætitia, quam *Allelu-Ia*, tum cantatum prænuntiat, ieiunij luctus temperetur. Cæterum hæc Conc. Tolet. ſanctio non eſt ab omnib. admiſſa, quia adhuc hodie Benedictinorum Cænobia plurima, in Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima cãtant in horis Alleluia.

DISPVTATIO XCV.

Cur ieiunij tempore non cantetur Allelu-Ia.

1257 SEd dubitauit aliquis, cùm vox *Allelu-Ia* ſignificet *Laudate Dominum*, & ab ea laude nunquam ceſſandum ſit: cur intra Septuageſimam & ieiunij tempora intermittatur, maximè cùm à tempore Septuageſimæ Eccleſia ſingulis diebus in diuinis officijs canat, *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*, quod nihil aliud eſt, quàm *Allelu-Ia.*

1258 Huic difficultati reſpondit Cornelius Ianſſenius *In concor. cap. 110.* ſed reuera non ſoluit. Alij reſpondere conantur ex Auguſtino *ad pſal. 106.* vbi dicit, *Certis quidem diebus cantamus* Allelu-Ia, *ſed omni die cogitamus*, quibus ſignificat Auguſtinus diuinam laudem etſi non in ore carnis, in ore tamen cordis debere eſſe. Sed hoc non eneruat difficultatem, cur enim ore carnis quibusdam diebus canitur, ſecus verò aliis? Ex dictis ſuperiùs non eſt difficile reſpondere. Diximus enim vocem iſtam vim quandam gaudii & exultationis ſuprà laudem ſignificare; vnde Moyſes *Leuit. 19.* חלולים *Halulim* vocauit *fructus laudabiles Domino*, pro quibus cum inſigni gaudio laudandus erat. Fauet & quod dicitur *pſalm. 146. Laudate Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus*, id eſt, *iocundus & lætus.* Imò tantam quandoque lætitiam hoc verbum importat, vt de inſaniente dicatur, ſicut de Dauid Reg. 21. n. 13, & *in eccleſiaſt. c. 2. n. 2.* dicitur Ri-

ſum

ſum reputaui errorem Hebræa הלל Halal *riſui dixi, inſanis*, vel *inſanire facis*. Eccleſia ergo diebus mœroris & pœnitentiæ, Deum voce communi laudat: diebus verò exultationis, voce exultationis & lætitiæ, quæ gratiſſima laus eſt & perfectiſſimi affectus in Deum explicatio.

1259 Aliam rationem adducit Amalarius Fortunatus lib. 4. c. 2. quod latina lingua, cum humilior ſit quam hebræa, admoneamur nos debere informari ad humiliorem conuerſationem plùs Quadrageſimæ tempore, quàm alio. Latè Auguſtinus: *Propter hæc duo tempora*, inquit, *vnum quod nunc eſt in tentationibus & tribulationibus huius vitæ, alterum quod tunc erit in ſecuritate & exultatione perpetua inſtituta etiam nobis eſt celebratio duorum temporum ante Paſcha & poſt Paſcha: illud quod eſt ante Paſcha ſignificat tribulationem in qua modo ſumus: quod verò nunc agimus poſt Paſcha, ſignificat beatitudinem in qua poſtea erimus. Ante Paſcha ergo quod celebramus, hoc & agimus: poſt Paſcha autem quod celebramus, ſignificamus quod nondum tenemus, propterea illud tempus in ieiunijs & orationibus exercemus, hoc verò tempus relaxatum ieiunijs in laudibus agimus: hoc eſt enim Allelu-Ia, quod cantamus, quod Latinè interpretatur vt noſtis, Laudate Dominum.*

1259 b. Meminit huius vocis Dionyſius Areopagita *lib. eccleſ. Hierar. c. 4. p. 3. ad finem* ſic: *Porrò ſacrum diuinitùs inſpiratorum Prophetarum melos, aiunt, qui hebraica norunt, laudem Dei ſignificare, ſiue* Laudate Dominum. Et Iuſtinus Mar. *q. 50. ad ortodoxos Allelu-Ia & Oſanna* exponit: *Nos Deum (inquit) collaudantes vtimur voce* Oſanna *&* Allelu-Ia: Allelu-Ia *autem idem eſt, quod* Collaudato Concine, Oſanna *verò* Magnitudo Excellens.

1259 c. Dicit autem D. Pater tempore Paſchali ſine intermiſſione cantandum *Allelu-Ia*, quia in omnibus pſalmis, verſibus, antiphonis & Reſponſoriis vult *Allelu-Ia* dici, eo quòd illo tempore figurentur dies ſempiternæ lætitiæ in quibus ſine intermiſſione lætandum erit. Deniq; concludit D. Pater, *Reſponſoria verò nunquam dicantur cum* Allelu-Ia *niſi à Paſcha vſq; ad Pentecoſten*. Quibus, quia manifeſta ſunt, nihil addendum putamus.

1259. d. Sed aduertendum, quod tria tempora diſtinguat D. Pater, alterum in quo ſemper dicendum eſt *Allelu-Ia*, ſcilicet à Paſchate vſque ad Pentecoſten ob lætitiam Dominicæ Reſurrectionis & ſpem noſtræ futuræ, Inſuper in memoriam reducit laudem Domini, & electorum lætitiam, in qua non oportet aliquid ſiniſtrum ſonare ſed totum dextrum & gaudio plenum, quale eſt in futura vita. Docuit hoc Rupertus *lib. 2. de diuin. offic. c. 35.* dicens, *Quoniam* (Allelu-Ia *futuræ beatitudinis quaſi proprium eſt vocabolom, inde eo tempore magis frequentatur quo reſurgens Dominus eiuſdem beatitudinis ſpem nobis propinauit.*

1260 Secundum tempus eſt à capite ieiunii vſque ad Paſcha, in quo *Allelu-Ia* minimè cantatur. Teleſphorus enim nonus poſt B. Petrum in ſede Romana, conſtituit, vt per ſeptem hebdomadas abſtinentia ſeruetur, quod adhuc multi obſeruant. Hoc autem tempus quinquageſimam appellarunt, quia ex eo die quinquaginta ſunt vſque ad ſanctam reſurrectionem. Poſt modum Melchiades Papa natione Afer, trigèſimus quartus poſt ſanctum Petrum, conſtituit, ne quis præſumeret prima vel quinta feria ieiunare: prima propter Domini reſurrectionem, quinta, quia in ea cœnauit Dominus cum diſcipulis ſuis, & in ea adſcendit in cœlum. Tunc autem placuit fidelibus, octo hebdomadas conſecrare ieiunio, à quibus ſingulis ſi primam & quintam feriam de abſtinentia ſubtrahas, vt Melchiades inſtituit,

quadra-

quadraginta tantum dies remanent abſtinentiæ ad imitationem Chriſti Domini. Placuit autem primam Dominicam *Sexageſimam* nominare, non propter Sexagenarium dierum numerum, ſed propter vſum loquutionis, quo ſequentem hebdomadam *Quinquageſimam*, & alteram *quadrageſimam* dicimus: *Septuageſimam autē ideo celebrari cœptam*, inquit Albinus de diuinis officijs, *vt dierum decimas Deo redderemus, & nihilominus primam & quintam feriam & Sabbatum poſſemus à ieiuniore laxare* (primam & quintam propter rationem ſuprà dictam) *Sabbatum verò, quia eo die requieuit Dominus in ſepulchro*. Hæc Albinus. Sed reuera Eccleſia Catholica in Septuageſima ab officijs Eccleſiaſticis remouet *Allelu-Ia*, tunc enim noſtrum exilium ac primi parentis ruinam incipit recolere, vt per illos dies peregrinationem præſentis vitæ, & ærumnas ad memoriam reuocantes, ieiunijs & orationibus ad patriam redire ſtudeamus. Merito ergo his diebus, qui luctui & pænitentiæ dicati ſunt, *Allelu-Ia* quæ vox lętitiæ eſt, remouetur, & Eccleſia triſtitiæ ac doloris cantus recitat dicens. *Circumdederunt me genitus mortis, dolores inferni circumdederunt me*. Sumpta ſunt autem hæc verba ex *pſal*. 17. & exiſtimat Bonauentura ea dici in perſona patrum, qui annis ſeptuaginta fuerunt in captiuitate Babylonica qua & noſtra captiuitas myſticè deſignatur. Sed ea D. Petrus Act. 2. de Chriſto interpretatur dicens, *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat, tenere illum ab eo*. Sed quidquid ſit de ſenſu literali, cum Eccleſia primi hominis formationem, reatum, exilium ac mortis debitum ab hoc die repræſentare incipiat, mihi dubium non eſt, verba, hæc ſaltem in ſenſu accommodatitio de illo ab Eccleſia decantari. Exiſtimo autem hoc loco dolores mortis & dolores inferni idem eſſe, eo quod ante Chriſti reſurrectionem omnes qui moriebantur ad infernum deſcenderent, licèt non ad eandem inferni partē, ideoq; pro eodē accipiebant *mori & ad infernū deſcendere*. Significat autem grauiſſimos & periculoſiſſimos dolores, quales patiuntur, quibus imminet ex mundo ad locum mortuorum diſceſſus, qui infernus eſt. Chaldæus explicat de doloribus parturientis, quibus S. Scriptura grauiſſimos dolores conſueuit comparare propter mortis periculum illis adnexum, & fauet Græcum nomen ὠδῖνες, ὠδῖνος, ἡ. vt explicant Nicephorus ibi & Baſilius ad *pſalm*. 114. Meritò ergo D. Pater his diebus pænitentię & luctus *Allelu-Ia* remouendum docet.

1261 Tertium tempus vſque ad caput Quadrageſimæ, in quo *omnibus noctibus cum ſex poſterioribus pſalmis tantum ad Nocturnos dicatur* ALLELVIA. Gaudia enim vitę pręſentis breuiſſima sūt, lachrymę labores, miſerię & ęrumnæ plurimæ, adeo vt nullus ſit ita felix, cui moriendi potius quam viuendi ſpecies ſæpè non animo ſubeat, ſic enim calamitates & miſeriæ vitam perturbant, vt cùm breuis ſit, adeo longa pluribus videatur, vt mors optatiſsimum refugium calamitoſę vitę iudicetur.

1261 *b* In libro illo, quo Deus cibauit Prophetam *Ezechiel*. 2. *ſcripta erāt lamentationes, & carmen & væ*. Vbi Hyeronimus, Dyoniſius, Hugo & aliqui ex Hæbræis, per *Carmen* non triſte aliquid, ſed lætum intelligunt, ſed illud ſemel, & inter lamentationes & Væ collocatur rurſus lætitia in ſingulari (*carmen*) *lamentationes* autem & *væ* in numero multitudinis, vt humanam vitam ab omni ferè lætitiæ genere alienam, miſerijs & calamitatibus refertam ſignificaret.

1261 *c* Huius rei aptiſsimum exemplum habemus in patientiſsimo propheta Iob, cui, ſi diuitias ſpectes, *fuit poſſeſſio ſeptem millium ouium & trium camelorum*, quibus adiunge: *quingenta quoque iuga boum, & quingentæ aſinæ*. Si ſeruorum numerum, *familia*

lia multa nimis. Si magnitudinem *erat vir ille magnus inter omnes Orientales*. Si amorem &, fraternam filiorum charitatem; *ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos vnusquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent & biberent cum eis*: eſt enim ſuauis inter fratres concordes amor, vt dixit Menander. Sed ecce inconſtantiam mundi. *Cùm in orbem tranſiſſent dies conuiuij*, quid factum? proſperitas in aduerſitatem, diuitiæ in ſummam inopiam, familia & comitatus in ſolitudinem, nobilitas & magnificentia domus in vile ſterquilinium, ſalus in infirmitatem, conuiuia denique in mortuorum exequias conuertuntur. *Verſa eſt in luctum cythara mea, & organum meum in voces flentium* dixit ille c. 30. & olim Amos 8. *Dies feſti veſtri conuertentur in lamentationem & luctum*, cuius ſententiæ meminit Tobias c. 2. *cum eſſet dies feſtus Domini, & eſſet prandium bonum in domo illius*. Sed quid mutatio hæc? Sunt mundi gaudia, quę hoc ſolo, quòd mundi ſunt, in lacrymas, & lamenta tranſeunt, quod ſignificant verba ipſa, *Cumque in orbem tranſiſſent* verbum נקף Iacaph, *girare & circumdare* ſignificat, vt citiſsimè gaudia tranſiſſe intelligamus. In quam rem Richardus de S. Vict. *ſuper cãt. p. 2. c. 20. Cũ mundi gaudia fundamentum ſuum & baſim habeant in rebus mutabilibus & infirmis, hinc quidem fit, vt firmitatem nullam in ſe contineant & ſtabilitatem*. Quod ſapienter conſiderans Salomon *Eccleſiaſt*. 2. dicebat, *riſum reputaui errorem, & gaudio dixi quid fruſtra deciperis*? id eſt, riſum ab errore oriri iudicaui, & ei inſaniam ſuam obieci: ſed & letitię dixi, quorſum falleris? græcè, περιφοϱὰν, quam vocem Hieronymus *Circumlationem* explicat; eius autem qui in eodem loco vehementer circumfertur, oculi hallucinantur, & mens quodammodo turbatur & ſtupet: quod illis accidit, qui tot huius vitæ miſerijs ac calamitatibus exagitari rident; ſtupor enim incredibilis eorum animos opprimit, vt mala non videant. Aliqui coniungunt cum inſania; inſanientis enim eſt in miſerijs ridere & gaudio geſtire cùm gaudium ipſum innumeris ſit mixtum miſerijs, & fucata boni ſpes ſenſibus humanis blanditur, cùm interim humano animo vis maxima malorum impendeat & ſpes ipſa momento temporis euaneſcat. Vnde non immeritò aliqui Hebræi legunt hoc loco: *Riſui dixi miſtum* vt ſignificetur gaudium in hoc mundo purum non eſſe, ſed miſtum, & dilutum, ſicut olim de Iudæis dixerat Iſaias c. 1. *Vinum tuum mixtum eſt aqua*. Hoc ſignificauit Propheta Rex *pſalm*. 125. dicens: *in conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati*. vbi particula ſimilitudinis ſecundum Hieronymum ibi & *ad cap. 30. Iſai*. gaudij imperfectionem & conſolationis ſimilitudinem importat. Idem Hilarius eo loco. Sed lectio. Hieronymi magis ad propoſitum, *facti ſumus ſicut ſomniantes*, ſolent enim qui vehementi aliqua cupiditate affecti ſunt votorum ſuorum ſe compotes per ſomnium viſere & veluti ſentire, mox tamen euigilantes, vana deprehendunt, quæ ſe dormientes poſsidere ſomniarunt. Talia ſunt gaudia huius mundi, quæ dum poſſeſſa exiſtimantur, citiſsimè euaneſcunt. *Auget autem miſerias & calamitates huius vitæ*. ait Dion. Carthuſ. *quod cùm mortalium alios meliores, alios peiores ſtatus vitæ arbitremur, videmus pleroſq; in meliori ſtatu dolere, in deteriori gaudere*. Cuius rationem reddit Plato in Dialogo cui epigraphè Ἀλκιβιάδης dicens: *Honorata illa inprimis Reipublica cura, per quantas rapitur anxietates, quæ tametſi gaudia habeat, inflammationis in modum trepida ſemper eſt, atque ſtimulis repleta: repulſas patitur acerbas & millies morte peiores, nam quis poſſet eſſe beatus vulgi viuens arbitrio, tametſi faueatur ei & plaudatur*? Conſonat Chryſoſto-

ſtomus *hom.* 18. *ad pop. Antioch.* dicens: *Et ſi ad ipſummet regnum adſcendamus, in illo quoque viuentem multis circumuentum moleſtijs inueniemus, & tanto plures triſtitiæ neceſſitates habentem, quantò maiori quoque rerum faſtu circumdatus eſt.* Vt meritò Artabanus dixerit, quod ſi ſua ſinguli homines mala in medium conferrent, alterum altero commutaturi, inſpectis aliorum calamitatibus & miſerijs, libenter vnusquiſque ſibi ruſus acciperet, quas priùs attulerat.

Ex quibus infert Chryſoſtomus loco ſupracitato; *Cùm igitur nec regnum vitam ſine triſtitia reddere poſſit, quid aliud hoc præſtare poterit?* Itaque ſi gaudium & lætitia præſentis vitæ breuis eſt, & marceſcit celerrimè, breue etiam ſit *lætitiæ* canticum, hancque mundialis lætitiæ breuitatem myſterijs grauida exprimat deuotio enarmonica Benedictinæ religionis, prolixa duodecim Pſalmorum periodo breue ſubiungens Allelu-Ia.

T E X T V S Cap. 16.

Qualiter diuina opera per diem agantur.

1262 Vt ait Propheta: *b Septies in die laudẽ dixi tibi.* Qui ſeptenarius ſacratus numerus à **nobis ſic im**plebitur: Si Matutinæ, Primę, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, Completorijque tempore noſtræ ſeruitutis officia perſoluamus: quia de his horis dicit *b* Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi.* Nam de nocturnis vigilijs idem ipſe Propheta ait: *c Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Ergo his temporibus referamus laudes Creatori noſtro ſuper iudicia iuſtitiæ ſuæ, id eſt, *a* Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, Completorio, & nocte ſurgamus ad confitendum ei.

a *Ecce, octo Horas diſtinctè D. Benedictus enumerat. Matutina illa eſt, quæ Laudes dicitur. Hanc aliqui credunt eſſe vigiliarum partem, ſed ſatis clare eam à Vigilijs diſcernit.*

b *Dauid Pſalmo* 118. *verſu* 164.

c *Pſalmo* 118. *verſu* 62. *Aſſonant aliàs teſtimonia quibus vti ſolent interpretes. Media nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Matth.* 25. 6. *Apud Marcum* (13. 35.) *ait Chriſtus Dominus, Vigilate ergo: neſcitis enim quando Dominus domus veniat, ſerò an media nocte, an gallicantu, an manè, ne cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Inſtantiæ factæ media nocte aſſerunt ut etiam efficaciſſima Luc.* 11. 5. *Legitur quoque Actorum* 11. 25. *miraculoſa hiſtoria, Lucæ doctrinam confirmans Media autem nocte Paulus, & Silas orantes, laudabant Deũ, & audiebant eos, qui in cuſtodia erant. Subitò verò terræmotus factus eſt magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris, & ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & vniuerſorum vincula ſoluta ſunt. His teſtimonijs roboratur illorum deuotio, qui media nocte ſurgunt ad laudandum Deum. Nunc qualiter res Diuina interdiu ſit peragenda, ex noſtri Patris doctrina declarandum eſt.*

DISPVTATIO XCVI.

De Officij diurni antiquitate & ſolemnitate.

1263 VValdenſis & Vvicleffiſtæ inconſtantes hæretici Horas diuini officii condemnârunt, negaruntque Eccleſiaſticã diſcernendi tẽporis authoritatem, tum quia contẽplantes Dei immutabilitatem aſſeruerunt illum orationibus moueri non poſſe: tum quia conſulentes conuerſationi libertitiæ, pro arbitrio aut orare aut ceſſare voluerunt. Contra hos itaque Horarum Canonicarum vſum in veteri ac noua Eccleſia diu & conſtanter viguiſſe demonſtrabo.

1264 Et primò quidem certum eſt in Lege veteri fuiſſe miniſtros ex Leuitarum familijs conſtitutos, qui diuinis laudibus in templo decantandis intenderent, vt patet 1. *Paral.* 6. 9. & 25. quibus *cap.* 23. præcipitur ſtare manè ad confitendum & canendum Domino, & ſimiliter ad veſperam. Item pſalm. 54. *Veſperè & manè & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. Sunt & teſtimonia ex pſal.* 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam. Præuenerunt oculi mei ad te diluculò. & Septies in die laudem dixi tibi.* Ex quibus D. Pater hoc capite numerum Horarum Canonicarum cõuenienter collegit. Daniel cap. 6. *Ingreſſus domum ſuam & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Hieruſalem tribus tẽporibus in die flectebat genua ſua & adorabat, confitebaturq; coram Domino Deo ſuo.* Et paulo poſt, *Tribus temporibus per diẽ orabat obſecratione ſua.* quem locum Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Iſidorus & alii explicant de tertia, ſexta, & nona Horis Canonicis. Iudæos obſeruaſſe Horas matutinas, colligitur ex variis locis. Primam quidem, quia 1. *Paralip. c.* 23. præcipitur Leuitis ſtare manè in templo ad confitendum Domino. Vnde etiam Propheta *pſal.* 87. *Manè oratio mea præueniet te. & pſal.* 5. *Manè exaudies vocem meam.* De Sexta verò habemus. Act. 10. vbi de Petro dicitur, quod *adſcendit ad ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam. De Nona, ibi c.* 3. *Petrus & Ioannes adſcendebãt in templum ad Horam orationis nonam,* ſiue ut habent Græca, *ad illam Horam orationis, quæ erat nona.* Erant igitur & aliæ orationis Horæ præter Nonam. Et *cap.* 16. *Paulus & Sylas media nocte orantes laudabant Deum.* Solet etiã adduci locus ex *lib.* 2. *Eſdræ c.* 9. vbi dicitur, quod *quater in die & quater in nocte confitebantur & adorabant Dominum Deum ſuum.* Illũ allegat Amalarius *lib.* 4. *de eccl. offic. c.* 3. Archidiac. *in c. Presbyter.* 91. *diſt.* Guillelmus Durant. *in rational. lib.* 5. *c.* 1. *n.* 2. Ex quo colligunt octonarium numerum in templo vſitatum, ſecuti Ven. Bedam, qui *lib.* 5. *Expoſit. allegor. in Eſdram cap.* 28. addit particulam in nocte, quæ tamen non eſt in textu; qui ſic ſe habet: *Et conſurrexerunt ad ſtandum, & legerũt in volumine legis Dei ſui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum ſuum.* Vbi nulla mentio de quadripartita oratione noctis, ſed ſolum quod quater ſtabant in templo ad legendum, & quater ſimiliter orabant, per diem tamen. Horas denique canonicas fuiſſe perpetuò in vſu docẽt communiter Doctores & Patres. Tertullianus *in Apolog.* Baſilius *in Reg. fuſior. diſp.* 37. *& epiſt.* 1. *ad Gregorium Nazianzenum.* Cyprianus *de orat. Dom.* Hilarius *ad pſalm.* 118. Ambroſius *ibid. & in Luc. li.* 7. Chryſoſto-

mus

mus homil. 26. *in Acta. & orat.* 4. & 42. *ad pop.* Auguſtinus ſæpè, & maximè *ad pſal.* 32. Hieronymus *epiſt.* 7. Caſſianus *li.* 2. *inſtit.* & alij communiter, quos breuitatis cauſa omittimus.

Et ne huius conſuetudinis deſint exépla, ex veteri Sanctorum hiſtoria vnum alterumve adducam. Philo Iudæus *in libr. de vita contempl.* agens de monachis Alexandr. diſcipulis B. Marci Euangeliſtæ, *Quotidie*, ait, *bis precari ſolent, mane ac ſub veſperam, oriente ſole petentes diem verè felicem, vtque mentes eorum cœleſti repleantur lumine: occidente verò, vt anima exonerata ſenſibus, in tota mole rerum ſenſibilium veritatem inveſtiget: mediũ verò matutini veſpertinique temporis totũ meditationi tribuunt.* Et paulò poſt, *Itaque non ſolùm contemplantur, ſed etiam Cantica hymnoſque in Dei laudem componunt.* Idem tradit Sozomenus *l.* 6. *hiſt. c.* 33. & 34. qui hanc fuiſſe generalem apud omnes monachos diſciplinam teſtatur. Refert inſuper Ado Treuirenſ. *ſub* 5. *Idus Ianuar. in vit. Iuliani & Baſiliſſæ*, quod cùm multitudo Sacerdotum & Eccleſiæ Chriſti miniſtrorum igne conſumpta eſſet ſub Diocletiano & Maximiano, hora tertia, ſexta & nona pſallentium chori fuerint auditi, qui etiam matutinos & veſpertinos hymnos cecinere. Et 10. *Kal. Auguſti* narrat S. Apollinarem D. Petri diſcipulum apud Rauennam Presbyteros, Diaconos & Clericos ordinaſſe, quibus cum die noctuque pſalmos decantaret.

DISPVTATIO XCVII.

Vtrùm in Primitiua Eccleſia Prima & Completorium fuerint Horæ Canonicæ.

1265. HAnc quæſtionem ſpecialiter expendẽdam ſuſcipio, quòd ſpecialis in ea ſit difficultas & controuerſia. Francolinus parti negatiuæ adhæret *capit.* 19. *de Horis canon.* vbi cùm quinque, videlicet, Nocturnas vigilias, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperámque in ipſo Eccleſiæ initio Canonicas fuiſſe aſſeruiſſet, Primam ac Completorium poſtea demum dicit introducta fuiſſe, occaſionem præbente tam quorumdam Epiſcoporum ſtatuto, quo Clerus & populus veſperè ac manè varias vnà cum oratione Dominica & ſymbolo preces perſoluere iubebantur: quàm ipſa S. Scriptura, quæ plerumque cùm meminit orationis faciendæ, *veſpere & mane* coniungit. Et in hanc ſententiam adducit Guillel. Durant. *in rational. libr.* 5. *c.* 2. Vvaldenſ. *tit.* 3. *de Sacrament. cap.* 21. Radulphum de Riuo *de Canon. obſeruat. prop.* 14. & Vvolfrid. *de reb. eccl. c.* 25. *in princ.* Idem docet Marcell. *c.* 21. *nu.* 12. & *c.* 14. *num.* 9. & *c.* 16. *n.* 20. qui ait tempore D. Hieronymi Primam nequidem cognitam fuiſſe, quinimò Caſſiani tempore tantummodo inſtitutam *c.* 14. *nu.* 13. & re verà Caſſianus *l.* 3. *de inſtit. cœnob. c.* 4. id expreſsè affirmat: ait enim: *Sciendum tamen eſt, hanc Matutinam, quæ nunc obſeruatur in occiduis vel maximè regionibus, Canonicam functionem noſtro tempore, in noſtro quoque monaſterio, Betlehem ſcilicet primitùs inſtitutam vbi Dominus noſter Ieſus Chriſtus natus ex Virgine humana infantiæ ſuſcipere incrementa dignatus eſt &c.* Loqui autem illum de Prima, patet ex ipſo contextu; poſtquam enim *ſupra* 3. *c.* egiſſet

de

de Matutina poſt Vigilias nocturnas ante ſolis ortum celebrari ſolita, in qua decantatur *pſal.62. Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, quam *Laudes* dicimus, *in dicto cap.4.* de altera Matutina ſermonem inſtituit, quam ſuo tempore dicit primitùs ad inuentam, ac ſtatim à ſolis ortu cum tribus pſalmis, ceu Tertia, Sexta &c. decantari. Ex quo patet, Caſſianum nullam aliam Horam intelligere potuiſſe niſi eam, quam *Primã* vocamus, qua in re errauit Iſidorus *l. 2. de eccleſ. offi. c. 23.* qui hic per *Matutinam Laudes* intelligit. Hoc Caſſiani teſtimonium manifeſtum eſt, nec vero ſimiliter credi poteſt deceptum fuiſſe in eo, quod ait ſe viuente in monaſterio ſuo hunc morem fuiſse introductum, cùm vt teſtis oculatus teſtimonium reddat, & ei fidem adhibet Iſidorus ſupracitatus, atque hanc illius ſententiam recipit Aquiſgranenſe Concilium I. *cap. 129.* Potuit verò in hoc decipi Caſſianus, quod morem hunc nullibi priùs quàm in monaſterio ſuo exiſtimet viguiſſe. Et certè res dubia eſt, licet enim Scriptura ſacra & Patres frequenter meminerint orationis, quæ manè ſeu in aurora facienda eſt: quia tamen Laudes ſimiliter ſub auroram & manè dicuntur, & dies artificialis (vt latiùs *diſput.* 74. ediſſeruimus) dupliciter poſſit accipi, ab Auroræ initio, videlicet, aut à ſolis ortu ſupra horizontem, ita vt priore modo *mane* ſit in ipſo crepuſculo, poſteriore in ipſo ſolis ortu; ideo difficulter diſcernitur an de *Prima* vel *Laudibus* loquantur.

Probabiliùs tamen iudico Primam diu ante tempora Caſſiani fuiſse inſtitutam, imò ab Apoſtolis in Eccleſia Romana obſeruatam. Poteſt id ex doctrina Patrum probari. Et primò ex Clemente Romano, qui *lib. 8. Conſtit. Apoſt. c. 34.* ſic ait: *Precationes facite mane, Tertia hora, ac Sexta & Nona & Veſpere atque ad gallicantum. Mane gratias agentes, quod illuminarit nos nocte ſublata & reddito die.* Verùm ad hunc locum reſpondet Marcellus *c. 14.* per *Mane* Laudes matutinas, per *gallicantum* nocturnas precationes intelligendas, adducitque in eius rei confirmationem Chryſoſtomum, qui *ſer. cui tit. Quod diſpenſatio rerum per te ipſum exequenda eſt, & homil. 59. ad popul. Antioch. & in epiſt. 1. ad Timoth. c. 5. hom. 14.* de monachorum moribus agẽs, eiſdem pœnè verbis ponit ad galliciniũ non matutinas Laudes, ſed preces nocturnas; Ergo apud Clementem Rom. *gallicinium* orationem nocturnam, *oratio* verò *matutina* Laudes & non Primã eo tempore incognitam ſignificat.

1266 Sed, quidquid ſit de gallicantu, Clementem Romanum per *Mane* intellexiſſe *Primam horam* ſatis colligitur ex verbis ſubiunctis: *Mane gratias agẽtes, quod illuminarit nos nocte ſublata, & reddito die*, quæ ratio magis propriè Primæ accommodatur, quàm Laudibus, quæ plerumque abſoluebantur ante diem perfectam, adeo vt paſſim plurimi vſque in ſolis ortum ſe ad quietem reciperent. Sic Cenſorinus *de die natali c. 27. Mane* inquit, *dicitur, cùm lux videtur ſolis*. Et Nonius Marcel. *Manum* inquit, *vnde* Mane, *dicitur* Clarum. Ex quo Paulus à Feſto citatus. Manare Solem *ſolebant antiqui dicere, cum ſolis orientis radij, ſplendorem facere cœpiſſent, atque ideo primum diei tempus*, Mane *dictum*. Beda autem de *diuiſionibus tẽp.* & Anſel. *l. 2. de imag. mundi c. 3. Manè* ab ortu ſolis interpretantur, quod poſſumus confirmare ex verbis Chriſti *Matt. 13. Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus domus veniet, ſero, an media nocte, an gallicãtu, an manè.* Vbi diſtinguendo mediam noctem à gallicantu, & *manè* ab vtroque, procul dubio tempus Nocturnorũ, Laudum ac Primæ diſtingui indicauit. Et in eodem ſenſu Clementem accepiſſe vocem *Mane*, credendum eſt. Solent adduci in eius rei confirmationem

plura

non veraciter, ſed humiliter dicenda iudicauit. Cæterùm, intelligere nequeo humilitatem veram ſine veracitate. Tędet nos mentitæ humilitatis, cur non & mentientis etiam tædeat? Fulciuntur Pelagiani duobus teſtimonijs, quorum aliud deſumitur ex Cantici, vbi dicitur Sponſæ, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te:* Alterum ex *Ioann. 1. can. c. 5. Omnis qui eſt ex Deo, non peccat.*

1241 Verùm error is damnatus eſt in *Concil. Mileuit. can. 6;* quod Heſſelius Chartaginenſe nominauit, & *can. 7.* dicitur, *Placuit, vt quicumque dixerit, verba ipſa Dominicæ orationis, vbi dicimus,* Dimitte nobis debita noſtra, *ita à Sanctis dici, vt humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema ſit.* Et in Concilio Africano *canon.* 81. 82. & 83. accuratè damnantur, qui dixerint hæc humiliter & non veraciter dici, vel non pro ſeipſis, ſed pro alijs, qui ſunt in populo peccatores. Idem docet Innocentius I. *epiſt. ad Concil. Chartag. quæſt. 25. inter epiſt. ad Innocent.* Et Cæleſtinus *1. epiſt. 1. ad Epiſc. Gall.* & eſt communis Patrum ſententia. Auguſtinus latiſſimè *lib. de nat. & grat.* maximè *cap. 36. & à 60. vſque ad 69. & lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 6. 7. & 13. & c. 36. de perfect. iuſtit. epiſt. 29.* Hieronymus *epiſt. 106. & de bono perſeuerant. c. 8. cont. Iouin. & Matth. 5.* Cyrianus ſuprà. Fulgentius *de fid. ad Pet. & libr. 1. ad Monimum.* Quæ veritas oritur ex communi Theologorum doctrina, quam tradit Concilium Trid. *ſeſſ. 6. c. 11. & can. 13.* neminem tota vita poſſe peccata etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio; quod colligunt Patres ex illo *Iacob 3. in multis offendimus omnes.* Vbi expendendum verbum offendimus. Non enim dixit, *offenditis*, vt orare dicatur pro aliis peccatoribus de populo. *Prouerb. 24. Septies in die cadit iuſtus. Eccleſiaſ. 7. Non eſt homo, qui non peccet. & 1. Ioan. c. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Vbi aduertēdum, quod verbū πλανάω, pro quo noſter vertit, *ſeduco*, vim maximā habeat; primò enim ſignificat non quomodocunque fallere, ſed alicui ſimplici ſe magnum aliquid eſſe ſuadere. Sic *Hierem. 20. n. 7. Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum.* Clariùs. Me hanc prouinciam recuſantem, illi adminiſtrandæ idoneum fore dixiſti; quod ſi vt illi falsò quærūtur, ego ſum ſeductus, tu me ſeduxiſti, cùm non mea ſponte hoc munus obierim, ſed te fuerim vocantem ſequutus. Et Pſeudo Apoſtoli teſte Paulo *ad Ro. 16.* exurgent, *qui per dulces ſermones, & benedictiones ſeducent corda innocentium.* Vbi Anſelmus, *inſidioſa & blāda adulatione eorum peccata alleuiant, & tanquam ſanctos benedicunt.* Et explicans illud Pauli *ad Rom. 7. n. 11. Peccatum per mādatum occaſione accepta, ſeduxit me,* inquit: *Etiamſi quid homo fecerit ſecundum iuſſa legis, ſi vult ſibi tribuere & non Deo, ſuperbiendo plus peccat.* Significat ſecundò, non vtcumque, ſed adulando & blandè alliciendo decipere. Sic notauit Anſelmus ad locum Pauli *ad Rom. 8. & Iob. 31. n. 27. Et lętatum eſt in abſcondito cor meum.* Septuaginta interpretes, *ſeductum*; Ribera *Oſeæ 2. Lactatum.* Cùm igitur hæc falſa perſuaſio ex ſuperbia & amore ſui oriatur, meritò Ioannes verbo illo vtitur, quod vtrumq; ſignificat. Denique Hieronymus explicans illud; *Oſeæ 7. factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor,* notat cęteras aues etiam cū vitæ periculo pullos ſuos protegere; at *Sola,* inquit, *columba ablatos pullos ſuos non dolet, non quærit, non ſentit: & ideo huic comparatur Ephraim, quòd ſe vaſtatam non ſentiat, ſed negligens ſuæ ſalutis tutam exiſtimet, huiuſmodi gētem odit Dominus (Apocal. 3.) incipiam te euomere de ore meo, quia dicis, Diues ſum & nullius egeo; & neſcis*

quia

quia miſer es & miſerabile, cæcus, & claudus.

1242 Ad Pelagij fundamenta reſpõdeo, illa ſponſi verba expoſita fuiſſe à Paulo *ad Epheſ* 5. quem non debuerat temerè deſerere Pelagius. Conſultò Apoſtolus non dixit Eccleſiam eſſe glorioſam, & reipſa non habere maculam, aut rugam; ſed Chriſtum ſeipſum tradidiſſe pro Eccleſia, vt ſanctificaret illam, & lauacro aquæ in verbo vitæ mundaret. Eò enim potiſſimùm ſpectauit Chriſtus, vt Eccleſia eam ſanctitatem retineret, & Chriſto ſponſo ſiſteretur penitùs innocens & immaculata.

1243 Reſpondetur ſecundo, Paulum ibi minimè fuiſſe locutum de Eccleſia militante, ſed triumphante, de qua cõſequenter ille ex Canticis locus, & non de priori intelligendus eſt. Sic Auguſtin. *de peccatorum merit. & remiſſ. cap.* 5. Hieronymus *Hierem.* 31. Bernar. *ſer.* 3. *de feſtiuit. omnium Sanctor.* & alij. Sed Clemens Rom. *lib.* 2. *Conſtitu.* Apoſt. c. 61. Chryſoſtomus & Theophil. in eum locum, & Concil. Tolet. IV. *c.* 1. intelligunt de Eccleſia militante, & ad argumentum reſpondent, Eccleſiam verè dici abſque macula & ruga reſpectu fidei, & doctrinæ, quæ eò refertur, vt omnem penitùs maculam à fidelium animis abſtergat; & quia baptiſmus, qui aditus eſt ad Eccleſiam, omnem penitùs labẽ abſtergit: ac denique quia plures continet iuſtos, qui illam gratiæ cæleſtis pulchritudine exornant.

1244 Ad ſecundum reſpõdetur cum Auguſtino *libr. de perfect. iuſt. contra Celeſt. c.* 18. quod qui nati ſunt ex Deo, & in Chriſto manent, non peccant; ſcil. quatenus ex illo ſunt & in illo manent; ſecùs autem, ſecundũ quod de homine illo nati ſunt, per quẽ peccatũ intrauit, quia ſine illius infirmitate non ſunt: & ex infirmitate naturæ oriri peccata, docet ibidem Auguſtinus. Vnde Apoſtoli verba his æquiualent: *Qui ex Deo eſt, non peccat, quia ſemen Dei manet in illo.*

1245 Circa ſecundam eiuſdem orationis partem, ſcilicet, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. aduertẽdum eſt, quod particula ſicut poteſt eſſe nota ſimilitudinis, & ſic petimus à Deo, vt eo modo, quo nos iniurias remittimus his, à quibus læſi ſumus, ita & ipſe nobis peccata remittat. Poteſt & eſſe conditionalis, & hoc ſenſu videtur à Chriſto expoſita Matth. 6. *cap.* cùm ſtatim ſubiungit, *ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis Pater cæleſtis delicta veſtra: Si autem non dimiſeritis hominibus, neque Pater cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Agnouit hoc Cyrillus Hieroſol. *Catecheſi* 5. dicens: *Cum Deo igitur pacta inimus, quandò petimus remitti nobis peccata, ſicut et nos proximis debita remittimus.* Et paulò inferiùs, *exigua, leuia, & facilia ad remittendũ ſunt noſtra in proximum peccata: quæ verò ſiunt à nobis contra Deum, ea ſunt maxima, ac ſola indigentia benignitate.*

1246 Sed dubitant aliqui, an is, qui in peccato obduratus eſt, & in actuali odio inimici, poſſit verè & ex animo orationem iſtam dicere, videtur enim virtute moneri, ne quis remiſſionẽ ſuorum delictorum poſtulet, niſi priùs inimicorum ſuorum iniurias remittat. Inſuper dubitatur, vtrùm qui iniurias remittit, exiſtens tamen in peccato mortali, impetret hac ratione delictorum ſuorum veniam.

1247 In hac re breuiter aliquibus propoſitionibus reſpõdeo, id enim ex profeſſo diſputare, pertinet ad materiam de gratia, charitate, & pœnitentia. Sit ergo

Prima Propoſitio; Loquendo de remiſſione iniuriæ, quæ eſt in præcepto, *nulla peccata remittuntur, niſi illa præcedat.* Patet, quia cum complacentia peccati non ſtat animæ iuſtificatio, qui autem [illegible] vult implere præceptum de ini[illegible] [illegible]mittendis, in peccato exiſtit.

1248 Obijcies, ergo qui ſic orat verè peccat, orans contra Chriſti intentionē, & ponens voluntarium obicem remiſſioni. Abulenſis *Matth.6. q.116.* refert quoſdam dicentes, eos peccare mortaliter, qui ita orant, alii dicunt eos debere omittere clauſulam illam *ſicut & nos dimittimus, &c.* Et Caſſianus *collat.9. c.22.* refert aliquos ſic facere conſueuiſſe, quorum meminit Chryſoſtomus *ho.* 14. *in Matth. in opere imperfecto*. Alii denique exiſtimant, totā orationem eſſe recitandam, ne mutiletur precandi forma à Chriſto inſtituta.

Reſpondetur tamen diſtinguendo, nam vel obſtinatus in peccato, & in eo permanens, poſtulat ſibi remitti peccatum non obſtante illa indiſpoſitione, & perſeuerando in illa, & tunc inuerecundè & præſumptuosè orat, & cōtra Chriſti intentionem, ac proinde grauiter peccat, at verò ſi oret animo petendi à Deo diſpoſitionem vt emolliat cor ſuū, bene orat, habet enim aliquod deſiderium diſponendi ſe ad remiſſionem peccati.

1249 Sed vrges: qui ſic orat mentitur, cùm non remittat iniurias, quas tamen ſe remiſiſſe dicit, Reſpondetur, illum minimè mentiri, non enim dicit, *ſicut ego dimitto*, ſed *ſicut nos dimittimus*, quod ad Eccleſiam referendū docet S. Thomas 2.2. *q.83. a.16. ad 3.* Aliqui, licèt ad priuatam perſonam referant, orantem illum non mentiri dicūt, quia illis verbis non exprīmit actum, ſed debitum, ac ſi diceret: *Dimitte nobis peccata noſtra, ſicut & nos dimittere debemus debitoribus noſtris.* Sed qui non videat expoſitionem hanc eſſe cōtra mentem Inſtitutoris? Hac oratione, teſte Patriarcha noſtro, conuincimur ignoſcere inimicis, ergo in ea non agitur de debito, ſed de actu, quia is eſt liber, illud neceſſarium; Si enim de debito ageretur, nullo modo conuinceret. Ideo aſſero illum, qui odio fratrem perſequitur, nec deſiderat miteſcere, toties ferre contra ſe ſententiam, quoties recitat hanc orationem. Mentiri autem dici non debet, non enim aſſerit ſe fratri remiſiſſe, ſed ſibi ita remitti à Deo poſtulat, vt à ſe fuerat remiſſum fratri.

1250 Secunda Propoſitio. *Remiſſio iniuriarum facta proximis non infert infallibilem remiſſionem peccatorum.* Hæc eſt contra aliquos hæreticos, quos ſuppreſſo nomine refert Auguſtinus 21. *de Ciuit. c.22.* & 27. qui dicūt ſolam remiſſionem iniuriarum ſufficere ad abolēda omnia peccata per orationem Dominicam, qua petimus à Deo talem remiſſionem nobis quotidie indulgeri, ſicut Oratio Dominica quotidie recitatur, dum tamen nos proximis dimiſerimus iniurias ex corde. Concluſio noſtra eſt manifeſta, nam de fide eſt, peccata non remitti ſine pœnitentia, ſed remiſſio iniuriarum non eſt pœnitentia, ergo non habet vim remittendi peccata.

1251 Sed obiiciunt, quod eodem verborum tenore quo Chriſtus Matth. 6. dixit, *ſi non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra*, etiam dixerit, *ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, et pater veſter cæleſtis dimittet vobis delicta veſtra.* Sed ad retentionem iniuriarum ſequitur infallibiter non remiſſio criminum, ut diximus in prima Propoſitione, ergo ècontra ad remiſſionem iniuriarum ſequitur infallibiter remiſſio peccatorum.

1252 Pro reſolutione huius difficultatis ſupponendum eſſe regulam S. Scripturæ, Locutiones negatiuas abſolutè, & ſine exceptione vlla eſſe intelligendas; affirmitiuas verò ſub conditione implicita, niſi aliundè ſit obex. Vtriuſq; exemplum habemus Marci vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Prior promiſſio affirmatiua eſt, & tamen certum eſt multos creden-

credentes & baptizatos damnari. Intelligenda eſt ergo, ſi non deſint alia neceſſaria. Simili ratione intelligendum eſt illud *Eccleſiaſt. 29. Eleemoſyna extinguit peccatum.* & illud Ioannis: *Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Secunda verò, quia negatiua eſt, abſolutè & ſine conditione debet intelligi. Ex his patet, quid ad obiectionem dicendum, negamus enim paritatem rationis, vt patet ex dictis. Confirmatur hæc doctrina ex phyſicis. *Hæc propoſitio eſt vera: Albedo non poteſt eſſe ſine corpore:* inde autem non ſequitur, quotieſcumque corpus datur, detur etiam albedo. Ergo ſimiliter ex eo quod Deus non remittat peccata illi, qui non remittit proximo, infallibiter recipere veniam à Deo. Ignoſcere enim proximo eſt neceſſaria diſpoſitio, præter quã requiritur pœnitentia, dolor, rectum propoſitum, & ſi fieri poſſit ſatisfactio.

1253 Vrget aliquis: videtur quod nihil peculiare tribuamus remiſſioni iniuriarum, ſimili enim ratione dici poſſet, niſi à furto vel fornicatione abſtineatis, &c. Reſpondeo quod non remittere fratribus iniurias, ſecum afferat peculiarem repugnantiam & ſpecialem obicem ad impetrandum à Deo remiſſionem peccatorum: contra verò remittere fratribus offenſas, ſpecialem habet congruentiam ad mouendam diuinam voluntatem, vt ignoſcat excitando in nobis veræ contritionis motum. Hanc concluſiooem quoad primam partem docent Nyſſenus *lib. de orat.* & Leo Magnus *ſerm. de martyr. in fin.* Auguſt. *in Enchirid. c. 73.* poſtquã negatiuam propoſitionem Matthæi protulit, ſubdit; *Ad tam magnum tonitru, qui non expergiſcitur, non dormit ſed mortuus eſt: & tamen mortuos ſuſcitare potens eſt ille:* Sed ſufficiat pro hac re Eccleſiaſticus, qui *cap. 28.* ait: *Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? ipſe cùm caro ſit reſeruat iram & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius? Memorare nouiſſimorum & deſine inimicari.* Secunda verò pars probatur; quia qui ex amore Dei remittit offenſas ſibi illatas, potenter flectit diuinam benignitatẽ, vt ſibi remittat ſcelera commiſſa; non enim illa patietur in miſerendo ab homine ſe ſuperari. Vnde Chriſtus Luc. 6. dicit: *Dimitte & dimittemini.* Et *Eccleſiaſt. 28. Relinque proximo tuo nocẽti te, & tũc deprecãti tibi peccata ſoluentur.* Pro his omnibus videndus eſt Abbas Iſaac apud Caſſian. *collat. 9.* Vrgentur ergo hac precandi formula, qui imparati ſunt ad ignoſcendum; Vnde ſapienter D. Pater Benedictus Dominicam orationem omnibus audientibus dicendam ſtatuit, *propter ſcandalorum ſpinas*, id eſt, lites & contentiones, quæ ſunt ſcandalorum cauſa ſolentque inter fratres oriri, & pacem ac continuam charitatem interrũpere. Dicitur autem in Laudibus quę ſunt principium diei, ne aliqua vitiorum radix vſque ad ſolis occaſum permaneat: veſperè autem ne pernoctans vitium diuino conſpectui ingratos Religioſos reddat; ſed conuicti per ipſius orationis ſponſionem ſeu conditionem adiunctam, ab huiuſmodi vitio purgentur. Simili modo loquutus eſt Cyprianus *de orat. Dom. Certa nos* (inquit) *ſponſione & conditione conſtringens, vt ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quod, & ipſi debitoribus noſtris dimittimus &c.* Et Cyrillus Hieroſolym. *Catecheſ. 5.* qui his verbis nos pacta cum Deo inire aſſerit. Auguſtinus *de verb. Domin. Vide quid dicas*, ait: *ſi dimiſeris, bene conuenis vt dimittatur tibi: ſi non dimiſtis, quomodo eum conuenis?* Hæc de Dominica oratione notaſſe ſufficiat.

TEXTVS. Cap. 15.

Quibus temporibus Allelu-Ia dicatur.

1254 A Sancto [a] Paſcha vſque ad Pentecoſten, ſine intermiſſione dicatur Allelu-Ia, tam in pſalmis, quàm in Reſponſorijs. A Pentecoſte autem vſque ad caput Quadrageſimæ omnibus noctibus cum ſex poſterioribus Pſalmis tantum ad Nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadrageſimam Cantica, Matutina, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque cum Allelu-Ia dicantur, Veſpera verò cum antiphona. Reſponſoria verò numquam dicantur cum Allelu-Ia, niſi à Paſcha [a] vſque ad Pentecoſten.

a *Vide ea quæ dixi in commentario Capitis 10. nota. a*

b *Feria quarta cinerum vocatur Caput Ieiunij, ſeu Caput Quadrageſimæ, hæc autem non incipit ante primã Dominicam. Hoc caput doctrinam ceremonialem, non ſubſtantialem continet, fortè olim Romanæ Eccleſiæ conſonam, iam omnino diſſonam. Nec reos indico, qui textus huius diſpoſitionem alterarunt, vt conſonaret Eccleſiæ vniuerſalis Rubricis: nam videretur diſſonantia valde ſenſibilis, ſi Benedictini Allelu-Ia concinerent, dum ab huius vocis lætitia reliqui Catholici abſtinerent. Idcirco indico Benedictinos in ciuitatibus degentes, præcipuè in prouincijs hæreſi laborantibus, poſſe imò & debere ſequi Romanas Rubricas, ne ſcandalo ſint indoctioribus: cæterum qui in eremo habitant, poſſunt Solennitatum Euangelia, Orationes, Allelu-Ia, Euangelium ſecundum Miſſę legere aut omittere iuxta antiquam Ordinis diſpoſitionem. Ratio eſt: quia in eremo ceſſat concurſus populi, ac propterea ſcandali quæcumque ratio, Vide num. 1255.*

Nota quod vbi ſunt leges aut conſuetudines legitimæ debent ſanctè ſeruari.

DISPVTATIO LXCIV.

De huius vocis הללויה Allelu-Ia ſignificatione, & vſu in officio Monaſtico.

1255 ALlelu-Ia vox hebræa eſt, nõ græca, vt exiſtimauit Beda relatus à Durant. *lib. 2. de ritib. c. 20.* Hebræi cum leni aſpiratione הללו-יה *Halleluia* legunt, ſed Græci ad aſpirationis molliendam aſperitatem Ἀλλη-λοῦ Ἰα & eos imitati Latini *Allelu-Ia* proferunt. Quam vocem primo vſurpatam legimus à Dauide, ſed ſolenniter decantatam primò ab Aggæo iuxta vaticinium Tobiæ c. 13. docet Epiphanius *de vit. proph.* in *Aggæo*. Hanc autem vocem Eccleſiam retinuiſſe docet Auguſt. *epiſt. 178. in controuerſ. habita cum Paſcent. Arriano. Sciendum* (inquit, *eſt*, Amen & Allelu-Ia, *quod nec Latino, nec barbaro licèt in ſuam linguam transferre, hebræo cunctas gentes vocabulo decantare.* Huius rei rationem reddit Hieronymus *epiſt. 137. ad*

Mar-

Marcell. cur ſcilicet Eccleſia hanc vocem retinere voluerit, ſicut & nonnullas alias, vt *Amen, Oſanna, Abba, Maranatha, Racha, Ephod*, & his ſimilia; videlicet, ne Eccleſia primùm ex Iudæis congregata omnia ad credentium ſcandalum innouaret: poſtea verò non potuiſſe dicit, ſemel ſuſcepta verba mutare. Auguſtin. *libr. 2. de doctr. Chriſtian. cap.* 11. ſic ait: *Hebræa verba non interpretata ſæpè inuenias in libris, ſicut eſt,* Amen, Allelu-Ia, Racha *&* Oſanna, & *ſi qua ſunt alia, quorum partim propter ſanctiorem authoritatem, quamuis interpretari potuiſſent, ſeruata eſt antiquitas, ſicut eſt* Amen *&* Allelu-ia: *partim verò in aliam linguam transferri non potuiſſe dicuntur, ſicut alia duo quæ poſuimus*. Auguſtinum ſequitur Iſidorus *lib. 6. etymol. cap. 19.* & *de diuin. offic. cap.* 13. Denique Remigius *de celebrat. miſſ.* addit, quod id Angeli cantare audiri ſunt *Apocal.* 19. Adde, quod vox iſta vim importat cuiuſdam ineffabilis lætitiæ, ac propemodum vires humanas excedētis propter notionem verbi חלל *halal*, quod nō tam verbi atque nominis rationem habet, quam interiectionis; Vnde D. Thomas poſt Gloſſam *ad cap. 19. Apocal.* vocem iſtam *laudem* ſignificare dicit, aut potiùs *ineffabilitatem ipſius laudis*, quod & textus Apocalypſis ſignificare videtur, cùm poſt vocem *Allelu-Ia* ſubijcit, *laus & gloria & virtus Deo noſtro &c.* Ex quo prouenit, quòd alia lingua ſatis exprimi non poſsit. Sed ad aliqualem huius vocis intelligentiam ſupponendum eſt, Cardinalem Turrecrematam plures huius nominis referre etymologias & ſignificationes ex Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino & Beda, quæ neque in prædictis Patribus reperiuntur, neque illis dignas iudico. Idem Germanus Altiſiodorenſis *in Theodoria rei eccleſ.* Communis notatio eſt חללויה *Allelu-Ia* nomen eſſe compoſitum ex חללו *hallelu*, *laudate*, & יה *Ia Dominum*. Sic Theodoretus *ad pſalm.* 146. Auguſtin. *tractat. 8. in epiſt. Ioann.* & *ſerm. 15. de temp.* & *in pſalm.* 105. & 148. Ambroſius *ad pſal.* 118. & Iſidorus *lib. 1. de eccleſiaſt. offic. cap.* 13. Hieronymus *epiſt.* 136. יה *Ia* recenſet inter decem DEI nomina, & dicit illius ſolius eſſe nomen & extremam ſyllabam in *Hallelu-Ia*, non tamen explicat, quid valeat illic, ſed *lib. 8. in cap. 26. Iſaia* dicit, ſignificare *inuiſibilem*. Hebræi verò ſignificare *Deum creatorem mundi*, quibus cōſentit Vatablus, ſed addit Rabbi-Salomon ſignificare *eundem & timendum*, quaſi hac voce moneamur ita Deum laudare, vt ſimul timere & reuereri debeamus.

1256 Hoc ſuppoſito D. Pater Benedictus ſic ait: *A Sancto Paſcha vſque ad Pentecoſten ſine intermiſſione dicatur* Allelu-Ia *tam in pſalmis quàm in Reſponſorijs; à Pentecoſte autem vſque ad caput Quadrageſimæ omnibus noctibus cum ſex poſterioribus pſalmis tantum ad Nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadrageſimam Cantica. Matutini, Prima, tertia, Sexta, & nona cum* Allelu-Ia *dicantur, Veſpera verò cum antiphonis.* Sozomenus *lib. 7. hiſt. eccleſ. cap. 19. lib. 9. hiſtor. tripart. & cap.* 39. & Nicephorus *lib. 12. cap.* 34. Dicunt Romanos ſemel tantùm ſingulis annis prima Paſchalis feſtiuitatis die *Allelu-Ia* canere conſueuiſſe. Hieronymus in principio libri aduerſus Vigilantium, illum redarguit, quia affirmabat *Allelu-Ia* nunquam in Paſchate cantari in regionibus Africanis: ſed Auguſtinus *epiſt. 86. ad Caſulanum*, in Eccleſia omnibus 50. diebus poſt Paſcha vſque ad Pentecoſten *Allelu-Ia* decantari dicit. & *epiſt. 119. ad Ianuar. cap.* 15. vſu receptū aſſerit omnibus diebus Dominicis *Allelu-Ia* ad altare canere. & *ca.* 17. *Vt autem* (inquit) Allelu-Ia *per illos ſolos dies 50. in Eccleſia cantetur non vſquequaque obſeruatur, nam & in alijs diebus variè cantatur alibi, ipſis autem*

ſum reputaui errorem Hebræa הלל Halal *riſui dixi, inſanis*, vel *inſanire facis*. Eccleſia ergo diebus mæroris & pœnitentiæ, Deum voce communi laudat: diebus verò exultationis, voce exultationis & lætitiæ, quæ gratiſſima laus eſt & perfectiſſimi affectus in Deum explicatio.

1259 Aliam rationem adducit Amalarius Fortunatus lib. 4. c. 2. quod latina lingua, cum humilior ſit quam hebræa, admoneamur nos debere informari ad humiliorem conuerſationem plùs Quadrageſimæ tempore, quàm alio. Latè Auguſtinus: *Propter hæc duo tempora*, inquit, *vnum quod nunc eſt intentationibus & tribulationibus huius vitæ, alterum quod tunc erit in ſecuritate & exultatione perpetua inſtituta etiam nobis eſt celebratio duorum temporum ante Paſcha & poſt Paſcha: illud quod eſt ante Paſcha ſignificat tribulationem in qua modo ſumus: quod verò nunc agimus poſt Paſcha, ſignificat beatitudinem in qua poſtea erimus. Ante Paſcha ergo quod celebramus, hoc & agimus: poſt Paſcha autem quod celebramus, ſignificamus quod nondum tenemus, propterea illud tempus in ieiunijs & orationibus exercemus, hoc verò tempus relaxatum ieiunijs in laudibus agimus: hoc eſt enim Allelu-Ia, quod cantamus, quod Latinè interpretatur vt noſtis, Laudate Dominum*.

1259 b. Meminit huius vocis Dionyſius Areopagita *lib. eccleſ. Hierar. c. 4. p. 3. ad finem* ſic: *Porrò ſacrum diuinitùs inſpiratorum Prophetarum melos, aiunt, qui hebraica norunt, laudem Dei ſignificare, ſiue* Laudate Dominum. Et Iuſtinus Mar. *q. 50. ad ortodoxos Allelu-Ia & Oſanna* exponit: *Nos Deum* (inquit) *collaudantes vtimur voce* Oſanna & Allelu-Ia: Allelu-Ia *autem idem eſt, quod* Collaudato Concine, Oſanna *verò* Magnitudo Excellens.

1259 c. Dicit autem D. Pater tempore Paſchali ſine intermiſſione cantandum *Allelu-Ia*, quia in omnibus pſalmis, verſibus, antiphonis & Reſponſoriis vult *Allelu-Ia* dici, eo quòd illo tempore figurentur dies ſempiternæ lætitiæ in quibus ſine intermiſſione lætandum erit. *Deniq;* concludit D. Pater, *Reſponſoria verò nunquam dicantur cum* Allelu-Ia *niſi à Paſcha vſq; ad Pentecoſten*. Quibus. quia manifeſta ſunt, nihil addendum putamus.

1259. d. Sed aduertendum, quod tria tempora diſtinguat D. Pater, alterum in quo ſemper dicendum eſt *Allelu-Ia*, ſcilicet à Paſchate vſque ad Pentecoſten ob lætitiam Dominicæ Reſurrectionis & ſpem noſtræ futuræ, Inſuper in memoriam reducit laudem Domini, & electorum lætitiam, in qua non oportet aliquid ſiniſtrum ſonare ſed totum dextrum & gaudio plenum, quale eſt in futura vita. Docuit hoc Rupertus *lib. 2. de diuin. offic. c. 35.* dicens, *Quoniam* (Allelu-Ia *futuræ beatitudinis quaſi proprium eſt vocabolom, inde eo tempore magis frequentatur quo reſurgens Dominus eiuſdem beatitudinis ſpem nobis propinauit*.

1260 Secundum tempus eſt à capite ieiunii vſque ad Paſcha, in quo *Allelu-Ia* minimè cantatur. Teleſphorus enim nonus poſt B. Petrum in ſede Romana, conſtituit, vt per ſeptem hebdomadas abſtinentia ſeruetur, quod adhuc multi obſeruant. Hoc autem tempus quinquageſimam appellarunt, quia ex eo die quinquaginta ſunt vſque ad ſanctam reſurrectionem. Poſt modum Melchiades Papa natione Afer, trigèſimus quartus poſt ſanctum Petrum, conſtituit, ne quis præſumeret prima vel quinta feria ieiunare: prima propter Domini reſurrectionem, quinta, quia in ea cœnauit Dominus cum diſcipulis ſuis, & in ea adſcendit in cœlum. Tunc autem placuit fidelibus, octo hebdomadas conſecrare ieiunio, à quibus ſingulis ſi primam & quintam feriam de abſtinentia ſubtrahas, vt Melchiades inſtituit,

quadra-

quadraginta tantum dies remanent abſtinentiæ ad imitationem Chriſti Domini. Placuit autem primam Dominicam *Sexageſimam* nominare, non propter Sexagenarium dierum numerum, ſed propter vſum loquutionis, quo ſequentem hebdomadam *Quinquageſimam*, & alteram *quadrageſimam* dicimus: *Septuageſimam autē ideo celebrari cœpram*, inquit Albinus de diuinis officijs, *vt dierum decimas Deo redderemus, & nihilominus primam & quintam feriam & Sabbatum poſſemus à ieiuniore laxare* (primam & quintam propter rationem ſuprà dictam) *Sabbatum verò, quia eo die requieuit Dominus in ſepulchro*. Hæc Albinus. Sed reuera Eccleſia Catholica in Septuageſima ab officijs Eccleſiaſticis remouet *Allelu-Ia*, tunc enim noſtium exilium ac primi parentis ruinam incipit recolere, vt per illos dies peregrinationem præſentis vitæ, & ærumnas ad memoriam reuocantes, ieiunijs & orationibus ad patriam redire ſtudeamus. Merito ergo his diebus, qui luctui & pænitentiæ dicati ſunt, *Allelu-Ia* quæ vox lętitiæ eſt, remouetur, & Eccleſia triſtitiæ ac doloris cantus recitat dicens. *Circumdederunt me genitus mortis, dolores inferni circumdederunt me*. Sumpta ſunt autem hæc verba ex *pſal*. 17. & exiſtimat Bonauentura ea dici in perſona patrum, qui annis ſeptuaginta fuerunt in captiuitate Babylonica qua & noſtra captiuitas myſticè deſignatur. Sed ea D. Petrus Act. 2. de Chriſto interpretatur dicens, *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat, tenere illum ab eo*. Sed quidquid ſit de ſenſu literali, cum Eccleſia primi hominis formationem, reatum, exilium ac mortis debitum ab hoc die repræſentare incipiat, mihi dubium non eſt, verba, hæc ſaltem in ſenſu accommodatitio de illo ab Eccleſia decantari. Exiſtimo autem hoc loco dolores mortis & dolores inferni idem eſſe, eo quod ante Chriſti reſurrectionem omnes qui moriebantur ad infernum deſcenderent, licèt non ad eandem inferni partē, ideoq; pro eodē accipiebant *mori & ad infernū deſcendere*. Significat autem grauiſſimos & periculoſiſſimos dolores, quales patiuntur, quibus imminet ex mundo ad locum mortuorum diſceſſus; qui infernus eſt. Chaldæus explicat de doloribus parturientis; quibus S. Scriptura grauiſſimos dolores conſueuit comparare propter mortis periculum illis adnexum, & fauet Græcum nomen ὠδῖνες, ἤ. vt explicant Nicephorus ibi & Baſilius ad *pſalm*. 114. Meritò ergo D. Pater his diebus pænitentię & luctus *Allelu-Ia* remouendum docet.

1261 Tertium tempus vſque ad caput Quadrageſimæ, in quo *omnibus noctibus cum ſex poſterioribus pſalmis tantum ad Nocturnos dicatur* ALLELVIA. Gaudia enim vitę præſentis breuiſſima sūt, lachrymę labores, miſerię & ærumnæ plurimæ, adeo vt nullus ſit ita felix, cui moriendi potius quam viuendi ſpecies ſæpè non animo ſubeat, ſic enim calamitates & miſeriæ vitam perturbant, vt cùm breuis ſit, adeo longa pluribus videatur, vt mors optatiſſimum refugium calamitoſę vitę iudicetur.

1261 *b* In libro illo, quo Deus cibauit Prophetam *Ezechiel*. 2. *ſcriptæ erāt lamentationes, & carmen & væ*. Vbi Hyeronimus, Dyoniſius, Hugo & aliqui ex Hæbræis, per *Carmen* non triſte aliquid, ſed lætum intelligunt, ſed illud ſemel, & inter lamentationes & Væ collocatur rurſus lætitia in ſingulari (*carmen*) *lamentationes* autem & *væ* in numero multitudinis, vt humanam vitam ab omni ferè lætitiæ genere alienam, miſerijs & calamitatibus refertam ſignificaret.

1261 *c* Huius rei aptiſſimum exemplum habemus in patientiſſimo propheta Iob, cui, ſi diuitias ſpectes, *fuit poſſeſſio ſeptem millium ouium & trium camelorum*, quibus adiunge: *quingenta quoque iuga boum, & quingentæ aſinæ*. Si ſeruorum numerum, *familia*

lia multa nimis. Si magnitudinem *erat vir ille magnus inter omnes Orientales*. Si amorem &, fraternam filiorum charitatem; *ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos vnusquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent & biberent cum eis*: eſt enim ſuauis inter fratres concordes amor, vt dixit Menander. Sed ecce inconſtantiam mundi. *Cùm in orbem tranſiſſent dies conuiuij*, quid factum? proſperitas in aduerſitatem, diuitiæ in ſummam inopiam, familia & comitatus in ſolitudinem, nobilitas & magnificentia domus in vile ſterquilinium, ſalus in infirmitatem, conuiuia denique in mortuorum exequias conuertuntur. *Verſa eſt in luctum cythara mea, & organum meum in voces flentium* dixit ille c. 30. & olim Amos 8. *Dies feſti veſtri conuertentur in lamentationem & luctum*, cuius ſententiæ meminit Tobias c. 2. *cum eſſet dies feſtus Domini, & eſſet prandium bonum in domo illius*. Sed quid mutatio hæc? Sunt mundi gaudia, quę hoc ſolo, quòd mundi ſunt, in lacrymas, & lamenta tranſeunt, quod ſignificant verba ipſa, *Cumque in orbem tranſiſſent* verbum נקף Iacaph, *girare & circumdare* ſignificat, vt citiſsimè gaudia tranſiſſe intelligamus. In quam rem Richardus de S. Vict. *ſuper cãt. p. 2. c. 20. Cũ mundi gaudia fundamentum ſuum & baſim habeant in rebus mutabilibus & infirmis, hinc quidem fit, vt firmitatem nullam in ſe contineant & ſtabilitatem*. Quod ſapienter conſiderans Salomon *Eccleſiaſt*. 2. dicebat, *riſum reputaui errorem, & gaudio dixi quid fruſtra deciperis?* id eſt, riſum ab errore oriri iudicaui, & ei inſaniam ſuam obieci: ſed & letiriç dixi, quorſum falleris? græcè, περιφορὰν, quam vocem Hieronymus *Circumlationem* explicat; eius autem qui in eodem loco vehementer circumfertur, oculi hallucinantur, & mens quodammodo turbatur & ſtupet: quod illis accidit, qui tot huius vitæ miſerijs ac calamitatibus exagitari rident; ſtupor enim incredibilis eorum animos opprimit, vt mala non videant. Aliqui coniungunt cum inſania; inſanientis enim eſt in miſerijs ridere & gaudio geſtire cùm gaudium ipſum innumeris ſit mixtum miſerijs, & fucata boni ſpes ſenſibus humanis blanditur, cùm interim humano animo vis maxima malorum impendeat, & ſpes ipſa momento temporis euaneſcat. Vnde non immerito aliqui Hebræi legunt hoc loco, *Riſui dixi miſtum* vt ſignificetur gaudium in hoc mundo purum non eſſe, ſed miſtum, & dilutum, ſicut olim de Iudæis dixerat Iſaias c. 1. *Vinum tuum mixtum eſt aqua*. Hoc ſignificauit Propheta Rex *pſalm*. 125. dicens: *in conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati*. vbi particula ſimilitudinis ſecundum Hieronymum ibi & *ad cap. 30. Iſai*. gaudij imperfectionem & conſolationis ſimilitudinem importat. Idem Hilarius eo loco. Sed lectio. Hieronymi magis ad propoſitum, *facti ſumus ſicut ſomniantes*, ſolent enim qui vehementi aliqua cupiditate affecti ſunt votorum ſuorum ſe compotes per ſomnium viſere & veluti ſentire, mox tamen euigilantes, vana deprehendunt, quæ ſe dormientes poſsidere ſomniarunt. Talia ſunt gaudia huius mundi, quæ dum poſſeſſa exiſtimantur, citiſsimè euaneſcunt. *Auget autem miſerias & calamitates huius vitæ*. ait Dion. Carthuſ. *quod cùm mortalium alios meliores, alios peiores ſtatus vitæ arbitremur, videmus pleroſq; in meliori ſtatu dolere, in deteriori gaudere*. Cuius rationem reddit Plato in Dialogo cui epigraphè Ἀλκιβιάδης dicens: *Honorata illa inprimis Reipublicæ cura, per quantas rapitur anxietates, quæ tametſi gaudia habeat, inflammationis in modum trepida ſemper eſt, atque ſtimulis repleta: repulſas patitur acerbas & millies morte peiores, nam quis poſſet eſſe beatus vulgi viuens arbitrio, tametſi faueatur ei & plaudatur?* Conſonat Chryſo-

ſto-

ſtomus *hom.* 18. *ad pop. Antioch.* dicens: *Et ſi ad ipſummet regnum adſcendamus, in illo quoque viuentem multis circumuentum moleſtijs inueniemus, & tantò plures triſtitiæ neceſſitates habentem, quantò maiori quoque rerum faſtu circumdatus eſt.* Vt meritò Artabanus dixerit, quod ſi ſua ſinguli homines mala in medium conferrent, alterum alterò commutaturi, inſpectis aliorum calamitatibus & miſerijs, libenter vnusquiſque ſibi rurſus acciperet, quas priùs attulerat.

Ex quibus infert Chryſoſtomus loco ſupracitato; *Cùm igitur nec regnum vitam ſine triſtitia reddere poſſit, quid aliud hoc præſtare poterit?* Itaque ſi gaudium & lætitia præſentis vitæ breuis eſt, & marceſcit celerrimè, breue etiam ſit *lætitiæ* canticum, hancque mundialis lætitiæ breuitatem myſterijs grauida exprimat deuotio enarmonica Benedictinæ religionis, prolixa duodecim Pſalmorum periodo breue ſubiungens Allelu-Ia.

TEXTVS Cap. 16.

Qualiter diuina opera per diem agantur.

1262 Vt ait Propheta: *b Septies in die laudẽ dixi tibi.* Qui ſeptenarius ſacratus numerus à nobis ſic implebitur: Si Matutinæ, Primę, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, Completorijque tempore noſtræ ſeruitutis officia perſoluamus: quia de his horis dicit *b* Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi.* Nam de nocturnis vigilijs idem ipſe Propheta ait: *c Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Ergo his temporibus referamus laudes Creatori noſtro ſuper iudica iuſtitiæ ſuæ, id eſt, *a* Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, Completorio, & nocte ſurgamus ad confitendum ei.

a *Ecce, octo Horas distinctè D. Benedictus enumerat. Matutina illa eſt, quæ Laudes dicitur. Hanc aliqui credunt eſſe vigiliarum partem, ſed ſatis clare eam à Vigilijs diſcernit.*

b *Dauid Pſalmo* 118. *verſu* 164.

c *Pſalmo* 118. *verſu* 62. *Aſſonant alia teſtimonia quibus vti ſolent interpretes. Media nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Matth.* 25. 6. *Apud Marcum* (13. 35.) *ait Chriſtus Dominus, Vigilate ergo: neſcitis enim quando Dominus domus veniat, ſerò an media nocte, an gallicantu, an manè, ne cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Inſtantiæ factæ media nocte aſſeruntur etiam efficaciſſima Luc.* 11. 5. *Legitur quoque Actorum* 11. 25. *miraculoſa hiſtoria, Lucæ doctrinam confirmans Media autem nocte Paulus, & Silas orantes, laudabant Deũ, & audiebant eos, qui in cuſtodia erant. Subitò verò terræmotus factus eſt magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris, & ſtatim apertæ ſunt omnia oſtia, & vniuerſorum vincula ſoluta ſunt. His teſtimonijs roboratur illorum deuotio, qui media nocte ſurgunt ad laudandum Deum. Nunc qualiter res Diuina interdiu ſit peragenda, ex noſtri Patris doctrina declarandum eſt.*

DIS-

DISPVTATIO XCVI.

De Officij diurni antiquitate & ſolemnitate.

1263 VValdenſis & Vvicleffiſtæ inconſtantes hæretici Horas diuini officii condemnarunt, negaruntque Eccleſiaſticã diſcernendi tẽporis authoritatem, tum quia contẽplantes Dei immutabilitatem aſſeruerunt illum orationibus moueri non poſſe: tum quia conſulentes conuerſationi libertinæ pro arbitrio aut orare aut ceſſare voluerunt. Contra hos itaque Horarum Canonicarum vſum in veteri ac noua Eccleſia diu & conſtanter viguiſſe demonſtrabo.

1264 Et primò quidem certum eſt in Lege veteri fuiſſe miniſtros ex Leuitarum familijs conſtitutos, qui diuinis laudibus in templo decantandis intenderent, vt patet 1. *Paral.6.9.& 25.* quibus *cap.* 23. præcipitur ſtare manè ad confitendum & canendum Domino, & ſimiliter ad veſperam. Item pſalm. 54. *Veſperè & manè & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. Sunt & teſtimonia ex pſal.* 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam. Præuenerunt oculi mei ad te diluculò. & Septies in die laudem dixi tibi.* Ex quibus D. Pater hoc capite numerum Horarum Canonicarum cõuenienter collegit. Daniel cap. 6. *Ingreſſus domum ſuam & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Hieruſalem tribus tẽporibus in die flectebat genua ſua & adorabat, confitebaturq; coram Domino Deo ſuo.* Et paulo poſt, *Tribus temporibus per diẽ orabat obſecratione ſua.* quem locum Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Iſidorus & alii explicant de tertia, ſexta, & nona Horis Canonicis. Iudæos obſeruaſſe Horas matutinas, colligitur ex variis locis. Primam quidem, quia 1. *Paralip. c.* 23. præcipitur Leuitis ſtare manè in templo ad confitendum Domino. Vnde etiam Propheta *pſal.* 87. *Manè oratio mea præueniet te. & pſal.* 5. *Manè exaudies vocem meam.* De Sexta verò habemus. Act. 10. vbi de Petro dicitur, quod *adſcendit ad ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam. De Nona, ibi. c. 3. Petrus & Ioannes adſcendebãt in templum ad Horam orationis nonam,* ſiue ut habent Græca, *ad illam Horam orationis, quæ erat nona.* Erant igitur & aliæ orationis Horæ præter Nonam. Et *cap.* 16. *Paulus & Sylas media nocte orantes laudabant Deum.* Solet etiã adduci locus ex *lib. 2. Eſdræ c. 9.* vbi dicitur, quod *quater in die & quater in nocte confitebantur & adorabant Dominum Deum ſuum.* Illũ allegat Amalarius *lib. 4. de eccl. offic. c. 3.* Archidiac. *in c. Presbyter. 91. diſt.* Guillelmus Durant. *in rational. lib. 5. c. 1. n. 2.* Ex quo colligunt octonarium numerum in templo viitatum, ſecuti Ven. Bedam, qui *lib. 3. Expoſit. allegor. in Eſdram cap.* 28. addit particulam in nocte, quæ tamen non eſt in textu; qui ſic ſe habet: *Et conſurrexerunt ad ſtandum, & legerũt in volumine legis Dei ſui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum ſuum.* Vbi nulla mentio de quadripartita oratione noctis, ſed ſolum quod quater ſtabant in templo ad legendum, & quater ſimiliter orabant, per diem tamen. Horas denique canonicas fuiſſe perpetuò in vſu docẽt communiter Doctores & Patres. Tertullianus *in Apolog.* Baſilius *in Reg. fuſior. diſp. 37. & epiſt. 1. ad Gregorium Nazianzenum.* Cyprianus *de orat. Dom.* Hilarius *ad pſalm.* 118. Ambroſius *ibid. & in Luc. li. 7.* Chryſoſtomus

mus *homil.* 26. *in Acta.* & *orat.* 4. & 42. *ad pop.* Auguſtinus ſæpè, & maximè *ad pſal.* 32. Hieronymus *epiſt.* 7. Caſſianus *li.* 2. *inſtit.* & alij communiter, quos breuitatis cauſa omittimus.

Et ne huius conſuetudinis deſint exẽpla, ex veteri Sanctorum hiſtoria vnum alterumve adducam. Philo Iudæus *in libr. de vita contempl.* agens de monachis Alexandr. diſcipulis B. Marci Euangeliſtæ, *Quotidie,* ait, *bis precari ſolent, mane ac ſub veſperam, oriente ſole petentes diem verè felicem, vtque mentes eorum cœleſti repleantur lumine: occidente verò, vt anima exonerata ſenſibus, in tota mole rerum ſenſibilium veritatem inveſtiget: mediũ verò matutini veſpertinique temporis totũ meditationi tribuunt.* Et paulò poſt, *Itaque non ſolùm contemplantur, ſed etiam Cantica hymnoſque in Dei laudem componunt.* Idem tradit Sozomenus *l.* 6. *hiſt. c.* 33. & 34. qui hanc fuiſſe generalem apud omnes monachos diſciplinam teſtatur. Refert inſuper Ado Treuirenſ. *ſub* 5. *Idus Ianuar. in vit. Iuliani & Baſiliſsę*, quod cùm multitudo Sacerdotum & Eccleſię Chriſti miniſtrorum igne conſumpta eſſet ſub Diocletiano & Maximiano, hora tertia, ſexta & nona pſallentium chori fuerint auditi, qui etiam matutinos & veſpertinos hymnos cecinere. Et 10. *Kal. Auguſti* narrat S. Apollinarem D. Petri diſcipulum apud Rauennam Presbyteros, Diaconos & Clericos ordinaſſe, quibus cum die noctuque pſalmos decantaret.

DISPVTATIO XCVII.

Vtrùm in Primitiua Eccleſia Prima & Completorium fuerint Horæ Canonicæ.

1265. HAnc quæſtionem ſpecialiter expendẽdam ſuſcipio, quòd ſpecialis in ea ſit difficultas & controuerſia. Francolinus parti negatiuæ adhęret *capit.* 19. *de Horis canon.* vbi cùm quinque, videlicet, Nocturnas vigilias, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperamque in ipſo Eccleſiæ initio Canonicas fuiſſe aſſeruiſſet, Primam ac Completorium poſtea demum dicit introducta fuiſſe, occaſionem præbente tam quorumdam Epiſcoporum ſtatuto, quo Clerus & populus veſperè ac manè varias vnà cum oratione Dominica & ſymbolo preces perſoluere iubebantur: quàm ipſa S. Scriptura, quæ plerumque cùm meminit orationis faciendæ, *veſpere* & *mane* coniungit. Et in hanc ſententiam adducit Guillel. Durant. *in rational. libr.* 5. *c.* 2. Vvaldenſ. *tit.* 3. *de Sacrament. cap.* 21. Radulphum de Riuo *de Canon. obſeruat. prop.* 14. & Vvolfrid. *de reb. eccl. c.* 25. *in princ.* Idem docet Marcell. *c.* 21. *nu.* 12. & *c.* 14. *num.* 9. & *c.* 16. *n.* 20. qui ait tempore D. Hieronymi Primam nequidem cognitam fuiſſe, quinimò Caſſiani tempore tantummodo inſtitutam *c.* 14. *nu.* 13. & reverà Caſſianus *l.* 3. *de inſtit. cœnob. c.* 4. id expreſsè affirmat: ait enim: *Sciendum tamen eſt, hanc Matutinam, quæ nunc obſeruatur in occiduis vel maxime regionibus, Canonicam functionem noſtro tempore, in noſtro quoque monaſterio, Betlehem ſcilicet primitùs inſtitutam vbi Dominus noſter Ieſus Chriſtus natus ex Virgine humana infantiæ ſuſcipere incrementa dignatus eſt &c.* Loqui autem illum de Prima, patet ex ipſo contextu; poſtquam enim *ſupra* 3. *c.* egiſſet

de

de Matutina poſt Vigilias nocturnas ante ſolis ortum celebrari ſolita, in qua decantatur *pſal.62. Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, quam Laudes dicimus, *in dicto cap.4.* de altera Matutina ſermonem inſtituit, quam ſuo tempore dicit primitùs ad inuentam, ac ſtatim à ſolis ortu cum tribus pſalmis, ceu Tertia, Sexta &c. decantari. Ex quo patet, Caſſianum nullam aliam Horam intelligere potuiſſe niſi eam, quam *Primã* vocamus, qua in re errauit Iſidorus *l.2. de eccleſ. offi.c.23.* qui hic per *Matutinam Laudes* intelligit. Hoc Caſſiani teſtimonium manifeſtum eſt, nec vero ſimiliter credi poteſt deceptum fuiſſe in eo, quod ait ſe viuente in monaſterio ſuo hunc morem fuiſse introductum, cùm vt teſtis oculatus teſtimonium reddat, & ei fidem adhibet Iſidorus ſupracitatus, atque hanc illius ſententiam recipit Aquiſgranenſe Concilium *I. cap. 129.* Potuit verò in hoc decipi Caſſianus, quod morem hunc nullibi priùs quàm in monaſterio ſuo exiſtimet viguiſſe. Et certè res dubia eſt, licet enim Scriptura ſacra & Patres frequenter meminerint orationis, quæ manè ſeu in aurora facienda eſt: quia tamen Laudes ſimiliter ſub auroram & manè dicuntur, & dies artificialis (vt latiùs *diſput. 74.* ediſſeruimus) dupliciter poſſit accipi, ab Auroræ initio, videlicet, aut à ſolis ortu ſupra horizontem, ita vt priore modo *mane* ſit in ipſo crepuſculo, poſteriore in ipſo ſolis ortu: ideo difficulter diſcernitur an de *Prima* vel *Laudibus* loquantur.

Probabiliùs tamen iudico Primam diu ante tempora Caſſiani fuiſse inſtitutam, imò ab Apoſtolis in Eccleſia Romana obſeruatam. Poteſt id ex doctrina Patrum probari. Et primò ex Clemente Romano, qui *lib. 8. Conſtit. Apoſt.c.34.* ſic ait: *Precationes facite mane, Tertia hora, ac Sexta & Nona & Veſpere atque ad gallicantum. Mane gratias agentes, quod illuminarit nos nocte ſublata, & reddito die.* Verùm ad hunc locum reſpondet Marcellus *c.14.* per *Mane* Laudes matutinas, per *gallicantum* nocturnas precationes intelligendas, adducitque in eius rei confirmationem Chryſoſtomum, qui *ſer. cui tit. Quod diſpenſatio rerum per te ipſum exequenda eſt, & homil. 59. ad popul. Antioch. & in epiſt.1. ad Timoth.c.5. hom.14.* de monachorum moribus agẽs, eiſdem pœnè verbis ponit ad galliciniũ non matutinas Laudes, ſed preces nocturnas; Ergo apud Clementem Rom. *gallicinium* orationem nocturnam, *oratio* verò *matutina* Laudes & non Primã eo tempore incognitam ſignificat.

1266 Sed, quidquid ſit de gallicantu, Clementem Romanum per *Mane* intellexiſse *Primam horam* ſatis colligitur ex verbis ſubiunctis: *Mane gratias agẽtes, quod illuminarit nos nocte ſublata, & reddito die*, quæ ratio magis propriè Primæ accommodatur, quàm Laudibus, quæ plerumque abſoluebantur ante diem perfectam, adeo vt paſſim plurimi vſque in ſolis ortum ſe ad quietem reciperent. Sic Cenſorinus *de die natali c.27. Mane* inquit, *dicitur, cùm lux videtur ſolis*. Et Nonius Marcel. *Manum* inquit, *vnde* Mane, *dicitur* Clarum. Ex quo Paulus à Feſto citatus. Manare Solem *ſolebant antiqui dicere, cum ſolis orientis radij, ſplendorem facere cœpiſſent, atque ideo primum diei tempus*, Mane dictum. Beda autem *de diuiſionibus tẽp.* & Anſel. *l.2. de imag. mundi c.3.* Manè ab ortu ſolis interpretantur, quod poſſumus confirmare ex verbis Chriſti *Matt.13. Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus domus veniet, ſero, an media nocte, an gallicãtu, an manè.* Vbi diſtinguendo mediam noctem à gallicantu, & *manè* ab vtroque, procul dubio tempus Nocturnorũ, Laudum ac Primæ diſtingui indicauit. Et in eodem ſenſu Clementem accepiſſe vocem *Mane*, credendum eſt. Solent adduci in eius rei confirmationem plura

plura

plura loca ex Græcis Patribus quæ facilem admittunt explicationem: habet autem vim locus ex Baſilio *in Reg. fuſ. diſp. capit.* 37. Vbi agens de precibus, quæ in Conuentibus certis horis ſolenniter præſcriptæ erant, primo loco ponit Matutinum, per quod ipſum intellexiſse *primam horam*, quæ exacta nocte dicitur, patet primò ex verbis ſubiunctis, *quia poſt primam optimè inchoantur actiones diei*; quod de Laudibus minimè poteſt intelligi: poſt illas enim ad quietem plures redibant. Deinde, quia ſtatim enumerat cæteras horas diei, & poſtea agit de tempore mediæ noctis ad orationem, ac tandem ſubiungit, *poſt ante vertendum diluculum eſt, & ad orationem vrgendum*. Vbi ſermonem eſse de Laudibus, quæ ante ortum diei dicebantur, dubium non eſt. Solent etiam adduci teſtimonia ex Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino.

1267 Cùm autem Marcellus dicit Clementem Romanum per *gallicantum* intellexiſse *vigilias nocturnas*, inclemens eſt ipſi Clementi, qui rationem ſubdit, *quod ea hora nuntiet aduentum diei ad facienda opera lucis*, quod propriè conuenit extremæ parti noctis, quæ luci proxima eſt, in qua Laudes dici conſueuerunt.

1268 Pro huius rei maiori intelligentia aduertendum eſt, duplicem eſse galli cantum in nocte. Vnus auditur ſtatim poſt ſextam horam (hoc eſt poſt mediam noctem) de quo loquitur Iſidorus *lib.* 5 *etymol. c.* 30. & Concil. Saliguſtadienſe cap. 4. Alter & celebrior, quique magis propriè dicitur *Gallicinium*, fit poſt decimam noctis horam, in quarta vigilia, vt colligitur ex Virgilio *in prin. Moreti*, cùm dicit:

Iam nox hybernas bis quinque peregerat horas,
Excubitorque diem cantu prædixerat ales,

& ex Martial. *lib. vlt. Epigram.*

Surgite, iam pueris vendit ientacula piſtor,
Chriſtatæque ſonant vndique lucis aues.

Clarius ex Plinio, qui *li.* 10. *natural. hiſtor. c.* 21. loquens de gallis, ait: *Cum ſole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas, laboremque reuocant: nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu.* Idem docet Ambroſius *l.* 5. *Hexam. c.* 24. Rupertus *lib.* 1 *de diuin. offic. cap.* 10. & innuit Iuuenalis *Satyr.* 9. dicens:

Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi,
Proximus ante diem caupo ſciet.

Ex quibus manifeſtè patet Marcellum vim inferre Clementi, dum gallicantum nocturnas preces interpretatur.

1269 Confirmatur: quia de *Prima* verificantur Clementis verba, quæ falſa eſsent, ſi ageret de Laude matutina. Expendamus illa exactiùs, & videamus qualiter à praxi exponantur. *Precationes facite Manè, Tertia hora, & Sexta & Nona, & Veſperi, & ad gallicantū. Manè gratias agentes quod illuminarit nos nocte ſublata atque reddito die.* An non precationes facimus nocte ſublata, & reddito die, cùm dicimus:

Iam lucis orto ſydere
Deum precemur ſupplices,
Vt in diurnis actibus
Nos ſeruet à nocentibus?

Certè hæc precatio non ad Laudes pertinet, ſed ad Primas Laudes canuntur non nocte ſublata, & reddito die, non ſydere lucis exorto, ſed paulò antè.

1270 Maneat ergo inconcuſsa hæc ſententia, quæ aſserit Horam Primam Apoſtolorum tempore fuiſse inſtitutam.

DE COMPLETORIO.

1271 De Completorio ſolùm poteſt eſse difficultas: ſed eadem probabilitate poſsumus aſserere eius inſtitutionem

eſſe antiquiſsimam, licet .n. apud Clementem Romanum nulla illius mentio reperiatur, illius tamen meminit Clem. Alexandrinus, qui *li. 2. Pædag. c. 4.* ait: *Poſtremo antequam ſomnus inuadat, pium & ſanctum eſt gratias agere, vt qui eius benignitatem & gratiam fuerimus conſecuti, ita cum diuino quodã afflatus, nos ad ſomnum conferamus: & confiteri ei in canticis labiorum.* Idem indicauit Baſil. *in Reg. fuſ. diſp. interrog. 37.* dicens *Completo verò iam die, gratiarum actio ſuccedat, &c.* Vbi manifeſtè loquitur de Veſperis, quæ completo die, in vltima illius parte dici ſolent, & ſtatim ſubiungit: *Tunc autem primis ſe iam noctis intendentibus tenebris, ſequitur petito, vt quies, quam ſumus capturi, inofenſa & ab omni perturbatione & vitio libera ſit, qua etiam hora recitare debet nonageſimus pſalmus, Qui habitat in adiutorio altiſſimi.* Agit ergo Baſilius de hac Hora. Ei conſonat totius Eccleſiæ vſus, nam diebus feſtiuis in Completorio dicitur:

Precamur ſancte Domine
Defende nos in hac nocte,
* * *
Ne grauis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſubripiat,
Nec caro illi conſentiens
Nos tibi reos ſtatuat.

& diebus priuatis ſimiliter:

Procul recedant ſomnia,
Et noctium phantaſmata,
Hoſtemque noſtrum comprime
Ne polluantur corpora.

1272 Ergo oratio quam Baſilius indicit, illa eſt, quæ nuncupatur *Completorium.* Indicauit idipſum Ambroſius *lib. 5. Hexam.* c. 12. vbi ex cantu auium ſub noctis initio, colligit non eſſe concludendum die ſine pſalmorum cantu. Et *lib. 3. de virg.* inter alia orandi tempora ponit *horam incenſi* pro Veſperis, & *cùm pergimus cubitum* pro Completorio. Cyprianus *lib. de orat.* enumeratis alijs orationis horis, ſubdit: *recedente item ſole ac diſcedente neceſſariò rurſus orandum eſt*, vbi de Veſperis & Completorio vtroque verbo loquutus eſt, nam de nocturnis precibus poſtea loquitur. Denique Iſidorus *lib. de offic. eccleſ.* cap. 21. & D. Pater Benedictus hoc capite. Quibus omnibus exiſtimo illius antiquitatem abundè eſſe probatam.

DISPVTATIO XCVIII.

An Primæ canendæ ſunt poſt ſolis ortum; nempe hora prima.

1273 VTrùm *Prima* ſit hora diurna an nocturna, valde difficile eſt definire propter plures Canoniſtas, qui *in c. 1. de celebr. Miſſar.* Primam & Completorium ſimul cum Matutinis ad nocturnas horas pertinere dicunt. Sic Hoſtienſis, Ioan. Andreas. Anton. de Butrio, Panormitanus & alij, quibus ſubſcripſit Roſella *verb. Hora Canon.* §. 13. quorum præcipua fundamenta ſunt; Primùm, propoſita Chriſti parabola *Matt.* 20. Vbi dicitur Paterfamilias operarios conduxiſſe primo manè, deinde hora tertia, ſexta, &cet. quo loco per *primum manè* nõ niſi prima hora Canonica intelligi poteſt, quę Tertiam Horam immediatè præcedit, & ita intellexerunt Hugo de S. Vict. ſupracitatus, & Amalarius *lib. 4. de eccleſ. offic. c. 2.* Hieronymus *epiſt. 146. ad*

Damaſ.& *lib.2.cont.Iouin.prope finem* Ambroſius *lib.7.in Luc.c.15.* Auguſtinus *ſerm.59.de verb.Dom.* & Origenes *tract.10.in Matth.*

1274 Patet, quia prima Hora canonica multis collocanda videtur in prima hora diei artificialis à qua denomitatur: dies autem artificialis incipit manè, hoc eſt, à ſolis ortu, vt placet multis, vel, vt alij malunt, ab ipſomet crepuſculo ante ortum ſolis, vt indicat *Varro lib.3.de lingua Latina*, Idem colligitur ex illo Ioan. 20. *Vna autem Sabbathi Maria Magdalena venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.* Idem colligitur ex Hieronymo ſi forſan illius ſit Commentarius ſecundus *ad Pſal. 119.* vbi agens de Prima Hora Canonica, dicit eam primo manè dicendam eſſe.

1275 Nihilominus probabilius iudico Primam hora integrâ poſt ſolis æquinoctialis ortum celebrandam eſſe, quod ſatis indicat Clemens Romanus *lib.8.Conſtitut.Apoſt. c.34.* qui poſtquam dixit: *Precationes facite manè, tertia &c.* dicit paulò infra: *Manè, quoniam illuminauit nos Dominus expulſa nocte, & inductio die.* Et Caſſianus *lib.3.de inſtit.cœnob.c.4.* agens de hac Hora, quã dicit ſuo tempore in monaſterio Betlehem inuentam, & celebrari inſtitutam, cantandam eſſe aſſerit poſt ſolis ortum cum tribus pſalmis. Idem docet Rabanus *lib. 2. de inſtitut. cleric.c.3.* Amalarius *de ord. Antiph. c. 6.* inquit: *Officium primum diei inchoamus ab ortu ſolis.* Et Hugo de S.Vict. *in ſpec.eccleſ. c.3.* dicit, Horæ Primę officium celebramus, quam mulieribus venientibus orto iam ſole ad monumentum, Angeli annuntiauerunt Chriſtum reſurrexiſſe. Et probatur: quia Prima Hora canonica à prima diei artificialis hora denominanda eſt; ſed prima diei artificialis hora eſt poſt ſolis ortum; ergo. Minor, in qua eſt difficultas, probatur primò; quia Horæ canonicæ diurnæ omnes vniuocè & eodem modo denominari debent, ſcilicet Prima à prima, Tertia à tertia, &c. Sed ſi Prima denominaretur à prima hora diei, quæ eſt ante ortum ſolis, non vniuocè cum alijs, ſed æquiuocè diceretur: ergo Minorem probo; quia aliæ Horæ non ſic denominantur; alias enim Meridies non eſſet in Sexta, contra omnia iura & omnium Doctorum ſententiam. Præterea, Horam Matutinam, quam nos Laudes appellamus, D. Pater Benedictus capite ſuperiori inter diurnas Horas enumerauit, quòd & fecit Hugo de S. Vict. *lib.2.de eccleſ.offic.c.1.* & Caſſian. *lib. 3.de inſtit. cænob. cap. 3.* Sed Laudes in aurora recitantur, & non multò ante ortum ſolis finiuntur: ergo Prima, quæ poſt Laudes aliquo temporis ſpatio interpoſito celebratur, non niſi poſt ſolis ortum ponenda eſt.

1276 Diurnum officium ab ea hora incipiendum alicui videretur, qua Paterfamilias operarios in vineam ſuam conduxit, quam eſſe Eccleſiam docet Hugo Victorinus *lib.2.de officio eccl. cap.1.* tempus autem quo eos conduxit fuit ante ſolis ortum, nempe primo manè.

Reſpondeo, illud *primo mane* in parabola operariorum *Matt.20.cap.* non ſignificare Primam, ſed potiùs Laudes Matutinas, vt expreſsè docet Caſſian. ſupracitatus. Pro quo ſupponendum eſt, Patremfamilias exiſſe quidem primo manè ad conducendam operarios, tamen ipſos non primo manè cœpiſse operari in vinea, ſed priùs conuentionem factam & in vineã miſſos fuiſſe, ac ſtatim prima hora diei & ortus ſolis laborare cæpiſse, quare rectè à Patribus dici poſsunt prima hora vocati, id eſt, in primam horam.

1277 Ad ſecundum Reſp. concedendo Primam Horam conſtituendam in principio diei artificialis, vt ſuperiùs diximus, negamus tamen diem artificialem

lem

lem ante ortum ſolis habere principiũ, vnde Cenſorinus *de die natal.c.27. Mane* (inquit) *dicitur, cùm videtur lux ſolis*. Idem Nonius. Marcell. & Paulus apud Feſtum, *mane à manare ſolis*. Et ita interpretatur Beda *de diuiſion.temp. cap.de die.* & Anſelmus *lib.2. de imag. mund.cap.3.*

Sed quia locus *Ioan.* 20. difficultatem habet, aduertendum eſt, quod cùm manè nihil aliud ſit, quàm diei artificialis principium, dies artificialis dupliciter ſumi poſſit. Vno modo ab initio auroræ, & ſic accipit D. Thom. *in 4. diſt.13.q.1.ar.2. quæſtiunc.4.* Richardus & alij poſt Iſidorum *lib.5. etymol. c.31.* Ambroſ.*l.1.Hexam.cap.9.* Si dies à crepuſculina exordium ſumat dicendum eſt cum Mario *cap.vlt.* valdè manè illas viragines ad monumentum deueniſse, nempe orto iam ſole non ab horizonte, ſed à crepuſculina, nempe cùm adhuc, vt Ioannes aſserit, eſsent tenebræ, & lux dubia. Ita Doctor Angelicus *3.par.q.53.art.2. ad 3.* & *q.83. c.2. ad 4.* poſt Auguſtinum *lib. de conſenſ. euang. c.24.* Hinc patet facili negotio conciliari poſse ſcriptores, qui primam videntur iam ad diurnum, iam ad nocturnum officium reducere; quoniam illud tempus quod ſequitur ortum æquinoctialem ſub quod incipi debet hæc hora, in æſtate diurnum, at in hyeme nocturnum eſt.

1278 In celebratione Tertiæ, Sextæ & Nonæ tres pſalmos dicendos ſtatuit D. Pater non ſub vno *Gloria*; quia etſi vna eademque ſit gloria Patris & Filij & Spiritus Sancti, ſingulis tamen repetitionibus exponenda eſt. Rationem adducit Hugo *lib.2.de eccleſ.offic.cap.1.* Ne propter pſalmos qui de veteri teſtamento ſunt, officium noſtrum ad nouum teſtamentum non putetur pertinere.

Cur verò tres pſalmi dicantur in Prima, Tertia, Sexta, & Nona, quidue indicent, vide de hoc Durantum *in Rationali*. Cætera, quæ hoc capite continentur, ex ſupradictis manifeſta ſunt.

TEXTVS. Cap.17.

Quanti pſalmi per eaſdem Horas dicendi ſint.

1279 Iam de Nocturnis, vel Matutinis digeſſimus ordinem pſalmodiæ, nunc de ſequentibus horis videamus. Prima hora dicantur tres pſalmi ſigillatim, & non ſub vna *Gloria*, Hymnus eiuſdem horæ poſt verſum *Deus in adiutorium meum intende*, antequam Pſalmi incipiantur. Poſt expletionem trium pſalmorum recitetur *a* Lectio vna, verſus, Kyrie eleiſon, et *b* miſſæ ſint. *c* Tertia verò, Sexta, et Nona, item eodem ordine celebretur, Oratio, verſus, hymni earumdem horarum, terni pſalmi, lectio, verſus, Kyrie eleiſon, et miſſæ ſint.

Si maior *d* congregatio fuerit, cum antiphonis, ſi verò minor, in directum pſallantur. Veſpertina autem *e* ſynaxis, quatuor pſalmis cum antiphonis terminetur: poſt quos pſalmos *f* lectio recitanda eſt, inde reſponſorium, *g* Ambroſianum verſus, *h* Canticum de Euangelio, litania, et oratio Dominica, *i* et fiant miſſæ. Completorium autem

trium pſalmorum dictione terminetur. Qui pſalmi directanei ſine antiphona dicendi ſunt, poſt quos [g]Hymnus eiuſdem horæ, [h] lectio vna, verſus, Kyrie eleiſon, & benedictio, & [i] miſſæ fiant.

a *Diximus ſuperius, Capitulum vocari lectionem à D. Benedicto, cuius rei rationem reddit Hugo de S. Victore.*

b *Miſſæ ſunt Orationes illæ quas in fine dicimus ante Benedicamus Domino.*

c *De myſtica horarum ſignificatione videatur Clemens Romanus li. 8. Conſt. Apoſtol. cap. 3. & ibidem Turrianus, & alij authores dum agunt de horis canonicis.*

Iure optimo Gregorius D. Patris Regulam diſcretione præcipuam appellat, cuius rei argumentum præ manibus habemus. Congregationis commoditati prouidens, ne nimio labore grauetur, decernit vt quæ magna iudicatur, cum antiphonis canat: quæ parua, canat in-directum. Quid ſit in-directum canere, iam diximus, nempe pſallere directè dicimur, cùm in eadem linea ſine aliqua inflexione tenoris modulamur.

e *Sed quæ Congregatio debet parua cenſeri? Hiſpani Ciſtertienſes lege cõmuni indicunt Religioſis habitantibus in paruis Monaſterijs, vt cum antiphonis & melodia cantent, cùm fuerint ſex in choro. Quod ſi in aliquo Monaſterio contingat plures quàm quinque comparere non poſſe, pſalmi intonẽtur in-directùm, vt præcipitur in Sancta Regula. Ratio eſt: quia bini & bini amœbæos alternare vix poſſunt: quod autem phyſicè vix eſt poſſibile, impoſſibile moraliter cenſendum eſt. Quod ſi Doctores Hiſpani ſic ſentiunt, temerarius ſim ſi aſſeram hoc non eſſe probabile. Aliqui paruam communitatem eam nominant, quæ conſtat duodecim Religioſi. Colligitur ex Scriptura 37. quam appendicis part. 1. exhibet Reynerus liber de Apoſtolatu Benedictinorum in Anglia, in cuius fine dicitur Beatus Dunſtanus pro duodecim Monachis Cœnobiorum ædificaſſe. Accinũt noſtri Ordinis Ciſtertienſis ſtatuta, quorũ (diſt. 3. diff. c. 1.) authoritate cautũ eſt, ne ad fundationẽ noui Monaſterij paucioris quàm duodecim Religioſi cũ Abbate qui eſſet dicimus tertius, mittatur. Hinc conſtat, noſtrũ Craesbeckiũ male adduxiſſe hãc definitionẽ ad probandũ duodecim Monachorũ cõgregationem eſſe magnam, ſi .n. non debeant eſſe pauciores quàm duodecim ſubditi, minima cõgregatio ſaltẽ deberet habere duodecim: igitur quæ paucioribus quàm duodecim Religioſis conſtat, non venit dicenda Parua congregatio, ſed Inadæquata congregatio, hoc eſt, talis cõmunitas quæ non habeat ſufficientem præcisè numerũ, vt ſatisfaciat domeſticis obligationibus. Vbi .n. ſunt duodecim Monachi, vix quinq; poſſunt diuinis officijs intereſſe ex officio. Abbas, Præceptor, Oeconomus, Oſtiarius, Diſpenſator, Magiſter hoſpitũ, Lector, debent frequentiùs ſe ab Eccleſia abſentare, & aliquãdo Sacriſtã duo vel tres debent cantare Miſſam ſummã: ſi vnus ægrotet, alter illi adſiſtat neceſſariũ eſt: igitur ex duodenario numero vix ſupererit vnus vel alter qui poſſit perpetuò diuinis officijs intereſſe, ergo vix ſemper quinque. Dicendum igitur eſt, congregationem cenſendam paruam, quandiu non habet ſex actualiter cantantes in choro, licèt in Monaſterio ſint plures quam duodecim, ſi alij ſint aut morbo impediti, aut regularibus negotijs occupati.*

e *Synaxis, Græce* Σύναξις ἀπὸ τοῦ συνάγειν *quod eſt congregare. Ergo Synaxis erit Conuentus, congregatio, & quilibet cõmunitatis actus poterit* σύναξις *nominari.*

f *Lectio, hodie audit Capitulum.*

g *Ambroſianum, id eſt Hymnus ſeu Carmen D. Ambroſii.*

h *Can-*

h *Canticum de Euangelio eſt illud carmen Marianum, quod incipit Magnificat Anima mea Dominum.*

i *Miſſæ ſunt collecta illa vltima officij, nempe oratio correſpondens diei, & ſi quæ tunc fiebant Confeſſorum aut Martyrum commemorationes.*

TEXTVS Cap. 18.

Quo ordine pſalmi dicendi ſint.

1280 In primis ſemper diurnis horis dicatur verſus *a Deus in adiutorium meum intende, & Gloria.* Inde Hymnus vniuſcuiuſque horæ. Deinde prima Hora Dominica dicenda quatuor Capitula *b* pſalmi centeſimi octaui decimi. Reliquis verò horis, id eſt, Tertia, Sexta, & Nona, terna Capitula ſupradicti pſalmi centeſimi octaui decimi dicantur. Ad Primam autem ſecundæ feriæ dicantur tres pſalmi, id eſt, primus, ſecundus, & ſextus, & ita per ſingulos dies ad primam, vſque ad Dominicam dicantur per ordinem terni pſalmi vſque ad nonum decimum pſalmum: ita ſanè, vt *c* nonus pſalmus, *c* & ſeptimus decimus diuidantur in binas *Glorias*, et ſic fiat, vt ad vigilias Dominica ſemper à vigeſimo incipiatur. Ad Tertiam verò, Sextam, et Nonam ſecundæ feriæ nouem Capitula, quæ reſidua ſunt de centeſimo octauo decimo pſalmo, ipſa terna per eaſdem horas dicantur. Expenſo igitur pſalmo centeſimo octauo decimo duobus diebus, id eſt, Dominica, et ſecunda feria, tertia feria iam ad Tertiam, Sextam, vel Nonam pſallantur *d* terni pſalmi à centeſimo nono decimo vſque ad centeſimum vigeſimum ſeptimum, id eſt, pſalmi nouem. Quinque pſalmi ſemper vſque ad Dominicam per eaſdem horas itidem repetantur: hymnorum nihilominus, lectionum, vel verſuum diſpoſitione vniformi cunctis diebus ſeruata: & ita ſcilicet, vt ſemper Dominica à centeſimo octauo decimo incipiatur. Veſpera autem quotidie quatuor pſalmorum modulatione canatur. Qui pſalmi incipiantur à centeſimo nono, vſque centeſimum quadrageſimum ſeptimum, *e* exceptis his qui in diuerſis horis ex eis ſequeſtrantur, id eſt, à centeſimo decimo ſeptimo, vſque ad centeſimcm vigeſimum ſeptimum, & centeſimo trigeſimo tertio, & centeſimo quadrageſimo ſecundo. Reliqui omnes in Veſpera dicendi ſunt. Et quia minùs veniunt tres pſalmi, ideò diuidendi ſunt, qui in numero ſupradicto fortiores inueniuntur, id eſt, centeſimus trigeſimus octauus, & cen-

& centeſimus quadrageſimus tertius, & centeſimus quadrageſimus quartus. Centeſimus verò ſextus decimus, quia paruus eſt, cum centeſimo quintodecimo coniungatur. Digeſto ergo ordine pſalmorum veſpertinorum, reliqua, id eſt, lectiones, reſponſoria, hymni, verſus, vel cantica, ſicut ſuprà taxauimus, impleantur. Ad Completorium verò quotidie ijdem pſalmi repetantur, id eſt, quartus, nonageſimus, & centeſimus trigeſimus tertius. Diſpoſito ordine pſalmodiæ diurnæ, reliqui omnes pſalmi, qui ſuperſunt, æqualiter diuidantur in ſeptem noctium vigilias, partiendo ſcilicet qui inter eos prolixiores ſunt pſalmi: & duodecim per vnamquamque conſtituantur noctem. Hoc præcipuè *f* commonentes, vt ſi cui fortè hæc diſtributio pſalmorum diſplicuerit, ordinet ſi meliùs aliter iudicauerit: dum omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada Pſalterium ex integro numero centum quinquaginta pſalmorum pſallatur, & Dominico die ſemper à capite repetatur ad vigilias. Quia nimis iners deuotionis ſuæ ſeruitium oſtendunt Monachi, qui minus Pſalterio cum Canticis conſuetudinarijs per ſeptimanæ circulum pſallunt, cùm legamus, Sanctos Patres noſtros vno die ſtreauè impleuiſſe, quod nos tepidi vtinam ſeptimana integra perſoluamus.

a *De hoc verſu plurima diximus ſuperiùs n. 1026. & multa Caſſian. collat. 10. c. 19. vbi inter alia: Qui iugiter ſuũ inuocat protectorem, ait, certus eſt ſemper eſſe præſentem. Nec mirum, Deum parentem benigniſſimum inuocanti adeſſe auxiliatorem, ſuorum enim voces ſic accipit Deus, vt vota eorum irrita cadere non ſinat, ſed eadem impleat prout velle petentium labia videntur. Voluntate labiorum eius non fraudaſti eũ, dixit Dauid pſal. 20. & poſt hæc verba ſubiungit, Selah, vt non ſatis pro dignitate miremur diuinam munificentiam: non enim clamare opus eſt, vt emiſſa vota percipiat, nam 1. Reg. 1. tantummodo (Annæ) orantis labia mouebantur, & vox penitùs non audiebatur. Iudith præterea cap. 13. Cum labiorum motu in ſilentio orat. Iſai. 20. In tribulatione murmuris, ex Hebræo, incantationis, eſt enim oratio veluti quædam incãtatio diuina, ſed de hoc plura aliàs. Addit Caſſi. habet inſidiarum formidinem, confitetur enim ſe non poſſe ſine ſui defenſoris auxilio liberari, & inferiùs: huius verſiculi oratio, in aduerſis vt eruamur, in proſperis vt ſeruemur, ne excidamur, inceſſabili iugitate fundenda eſt, & plura alia, quæ longum eſſet recenſere.*

b *Capitula appellat D. Pater Ogdoaſtica Pſalmi 98. qui incipit, Beati immaculati in via. Pro quo aduerte, Dauidem ſeptem pſalmos compoſuiſſe præmiſſis dictionibus ordine alphabetico vel ſingulis hemiſtichijs, vt pſal. 24. 110. & 111. vel ſingulis verſibus vt pſ. 33. 36. & 144. quomodo componitur Metropædia. Samuelis Prouerb. 31. ab illis verbis, Mulierem fortem &c. vel ſingulis Ogdoaſtichis vt pſalm. 118. de quo ſermo eſt D. Patri Benedicto. Vnũ ergo Ogdoaſtichum, quem à reliquis diui-*

diuidit Alphabeti littera ſiue elementum, Capitulum vocat: & tantum ad hunc ordinem oſtendendum præfiguntur Hebraica Alphabeti elementa in prædictis locis & lamentationibus Hieremiæ, vt optimè D. Thomas, Iſidorus & alij notauerunt.

c Pſalmus nonus quem D. Pater præcipit diuidi, apud Hebræos diuiſus eſt, non tamen ſicut à nobis: illi enim pſalmum decimum incipiunt ab illo verſu. Vt quid Domine receſſiſti longe &c. nos autem diuiſionem incipimus ab illo: Exurge Domine, non confortetur homo. Pſalmus autem decimus ſeptimus, qui à nobis diuiditur à verſu vigeſimo ſexto, Cum ſancto ſanctus eris, apud illos integer eſt vſq; ad verſũ 51.

d Hi nouem pſalmi ex illis 15. ſunt, qui vocantur Cantica aliàs Carmina aſcenſionum. Quia licet vox latina gradus & græca Ἀναβ.θμος ſeu Αναβασμὸς tam aſcenſum quàm deſcenſum ſignificet, vnde Ἀναβαθμοὶ apud Dionem Coc. ſunt Gemoniæ, illæ ſcilicet ſcalæ ſeu gradus Romæ ex quibus damnati præcipites deturbabantur; vox tamen Hebræa הכעלח Ammaloth à radice עלה Ala ſignificat Aſcenſum. Theodoretus hos pſalmos ad reditum Hebræorum ex captiuitate Babylonica pertinere exiſtimat. Nam cùm Palæſtina montoſa ſit, ad eam è Babylone aſcendebatur. Vnde dicitur Eſdræ lib. 1. c. 7. In primo die menſis primi cœpit aſcendere de Babylone. Alij probabilius exiſtimant hos pſalmos compoſitos fuiſſe, vt canerentur in aſcenſione quindecim graduũ templi, tot enim gradus fuiſſe in illo docet Hieronymus hoc loco. & in c. 5. Micheæ. & in 1. epiſt. ad Galat. Auguſtinus in pſal. vlt. Lyranus. & alij. Sed, quidquid ſit ea de re, ſi myſticum ſenſum ſpectemus, exiſtimo aſcenſiones iſtas ſymbolum fuiſſe aſcenſionis electorum, qui de virtute in virtutem adſcendunt, donec videant Deum Deorum in Sion, iuxta id pſal. 83. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Sic Nazianzenus orat. 28. & Elias Cret. ibid. à n. 19. Vt nouos ſubinde progreſſus faciens, velut Iſaac magnus tandem fiat, de virtute ad virtutem ambulans, & Cantica graduum canens atq; aſcenſiones in corde ſuo ponens. Congrue autem eiuſmodi pſalmi ad Tertiam, Sextam & Nonam à D. Patre deputati ſunt, vt ſint Eccleſiaſticis perſonis veluti recordatio ſuæ deſtinationis, quam Abbas Moyſes apud Caſſianum collat. 1. c. 4. cordis puritatem, quæ in virtutum culmine ſita eſt, eſſe aſſeruit. Pſalmi Graduales præter Horas Canonicas ſolent legi in pluribus Communitatibus; dubitas, an peccarent qui omitterent? Reſpondebo inferiùs lib. 10. q. 1474.

e Excipit D. Pater à Veſpertinis Horis pſal. 133. Ecce nunc benedicite Dominũ &c. quia ad Completoriũ magis pertinere videbatur propter eius doctrinam, & maxime illius verſiculi tertij. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta. Pſal. verò 142. iã antea pro Laudibus Sabbathi deſtinauerat.

f Ex his verbis licet humilitatẽ maximam D. Patris aduertere, quippe qui pſalmorũ diſtributionem non ſolùm in iudicantis arbitrio poſuerit, ſed addiderit: hoc præcipue commonentes, vt vel diſcipulus facile intelligat, quàm parum ſibi & ſuæ induſtriæ vel ingenio confidat. At quis audeat tanti Patris ordinem & diſpoſitionem infringere, & non potiùs eam firmiter ſeruare? Secundò expendendum, quod omnibus modis addendum dicit, vt omni hebdomada pſalterium ex integro pſallatur, cuius & rationem reddit.

Petis: vtrum ſine aliquo ſcrupulo poſſit Benedictinus quicumque Abbas, ordinem & numerum Pſalmorum alterare, & vtrum idipſum poſſit in officio priuato aliquis Religioſus. Libro ſequenti ſatisfaciam, diſp. 99. per totam.

TEXTVS Cap. 19.

De diſciplina pſallendi.

1281 Vbique credimus diuinam eſſe præſentiam, & oculos Domini in omni loco ſpeculari bonos & malos. Maximè tamen hoc ſine aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus diuinum aſſiſtimus: Ideo ſemper memores ſimus, quod ait Propheta: *Seruite Domino in timore.* Et iterum: *Pſallite ſapienter.* Et, *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Ergo conſideremus qualiter oporteat nos in conſpectu diuinitatis, & Angelorum eſſe, & ſic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.

TEXTVS Cap. 20.

De reuerentia orationis.

1282 Si cum hominibus potentibus volumus aliqua ſuggerere, non præſumimus niſi cum humilitate, & reuerentia: quantò magis Domino Deo vniuerſorum cum omni humilitate, & puritatis deuotione ſupplicandum eſt? Et non in multiloquio, ſed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum nos exaudiri ſciamus. Et ideo breuis debet eſſe, et pura oratio, niſi fortè ex affectu inſpirationis diuinæ gratiæ protendatur. In Conuentu tamen omnino breuietur oratio, et facto ſigno à Priore, omnes pariter ſurgant.

Diſciplina vox eccleſiaſtica eſt, aptā in omni vita rationem agendi ſignificans, quamq; bene viuendi & bonorum morum obſeruationem ex Valerio cap. de re milit. atq; Suetonio in Cæſar. poſſumus explicare. Eſt enim propriè eruditio, quàm à magiſtro diſcipulus accipit, denominaturq; à diſcendo, ac inuoluit reſpectum ad docentem, & prout in illo eſt, dicitur doctrina. Sed quia ex duplici parte conſtamus (inquit Baſilius de Conſtit. cap. 4.) duplex quoque virtutum ſtudium eſſe debet, idque cum ſtrenuitate tum corporis tum animæ, vtq; animus præſtat corpori, ſic cultus iſte interioris hominis, cultui exterioris antecellit. Vnde Richardus de S. Vict. ad cap. 2. Cant. illum perfectæ virtutis eſſe dicit, qui virtute ſpiritus voluntatis carnis & voluntates cordis potenter reprimit, iuxta doctrinam Pauli ad Eph. 1. non enim vir, ſed viri idolū eſt, qui extrinſecùs tantùm gerit hominis figuram ementita ſpecie decipiens, ſimilis Phariſæis hypocritis, de quibus Chriſtus Mat. 23. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui mūdatis quod deforis eſt calicis & paropſidis, intùs autē pleni eſtis rapina & immūditia, de quibus plura ibidem & Luc. 11. Vnde Hu-

go

go Victorinus de præparat. ad contemplat. c. 32. diſciplinam corporis abſque diſciplina cordis inutilem eſſe aſſeruit, id eſt, inſtitutionem ac eruditionẽ externam, adde & mortificationem ſine interna diſciplina inutilem eſſe: in hac enim priùs exerceri oportet, vt vtramque ſanitatem corporis, & animæ nanciſcamur. Via enim vitæ caſtigatio eſt diſciplinæ, dixit Sapiens Prouerb. 6. n. 23. Hebraicè, via vitarũ c. 4. n. 13. Tene diſciplinam ne dimittas eam: cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua. Vbi expendendum eſt verbum tene, Hebraicè חזק *Azaq, quod roborare & fortificare ſignificat & in Kal firmã apprehenſionem vel retentionem cum apprehẽſione. Exempla ſunt, Gen. 47. num. 13. Oppreſſerat fames terram. 2. Reg. 14. n. 5. Cum roboraſſet ſe regnum in manu eius. Iudic. 19. nu. 5. Apprehendit vir concubinam ſuam Iob. 18. Roborabit contra eum ſitientem, id eſt, cupientem rapere, & fraudare, id eſt, latronem vel comatum, id eſt, fortem & latronem. In quibus locis eſt verbum iſtud & alibi ſepe. Vnde hoc loco non ſignificat, vtcumque apprehendere diſciplinam, ſed tenaciter, & fortiter, ne caſſo robore deficiat, vnde Bainus: Robuſtus eſt, in diſciplina & ne langueſcas, quia ipſa eſt vita tua, Hebraicè, vitæ tuæ animæ ſcilicet & corporis, ſpiritualis, & corporalis, temporalis & æterna. Docet enim Caſſianus li. 1. collat. 7. Exteriorem diſciplinam interioris eſſe inſtrumentum, hac enim finis & ſcopus eſt: illa autem corporis medium & ſagitta. Igitur ieiunia (inquit) vigiliæ, & nuditas &c. nõ perfectionis inſtrumenta ſunt, quia non in ipſis conſiſtit diſciplinæ illius finis, ſed per illa peruenitur ad finem. Vtraque tamen, extrinſeca & intrinſeca, Dei dono amica ſunt, vt dixit Socrates in Phedro. Ex quo optimè Theophylactus ad cap. 12. epiſt. ad Hebr. diſciplinam Gymnaſium appellat, quod Chriſtianos quaſi athletas exerceat, firmet, roboret ac perficiat. Cùm Ergo Diuus P. Benedictus extrinſecam Horarum canonicarum diſciplinam per plura capita propoſuiſſet, hoc capite intrinſecam pſallendi diſciplinam proponit, dicens: Vbique credimus diuinam eſſe præſentiam, & oculos Domini in omni loco ſpeculari bonos & malos, quæ verba exponemus Diſputatione ſubſequenti.*

TEXTVS Cap. 43.

De his qui ad opus Dei tardè occurrerint.

1283 Ad horam diuini officij, mox vt auditum fuerit ſignũ, relictis omnibus (quælibet fuerint in manibus) ſumma cum feſtinatione curratur, *a* cum grauitate tamen, vt *c* non ſcurrilitas inueniat fomitẽ. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod ſi quis ad nocturnas vigilias poſt Gloriam pſalmi *b* nonageſimi quarti (quem propter hoc omnino protrahendo, & moroſè volumus dici) occurrerit, non ſtet in ordine ſuo in choro ſed vltimis omniũ ſtet; aut in loco, quẽ talibus negligentibus ſeorſum conſtituerit Abbas: vt videatur ab ipſo, vel ab

omni-

omnibus, vſque dum completo opere Dei, publica ſatisfactione pæniteat. Ideo autem eos in vltimo, aut ſeorſum iudicauimus debere ſtare, vt viſi ab omnibus, vel pro ipſa verecundia ſua emendentur. Nam ſi foris remaneant, erit fortè talis, qui ſe, aut recollocet, & dormiat, aut certè ſedeat foris, vel fabulis vacet, ne detur occaſio maligno: ſed ingrediatur intùs, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis qui ad opus Dei poſt verſum & Gloriam primi pſalmi, qui poſt verſum dicitur, occurrerit, lege, qua ſuperiùs diximus, in vltimo ſtet loco: nec præſumat ſociari choro pſallentium vſque ad ſatisfactionem, niſi fortè Abbas licentiam dederit permiſſione ſua; ita tamen vt ſatisfaciat reus ex hoc.

a *Nota quanti fecerit modeſtiam D. Benedictus. Modeſtè & tempeſtiuè ad chorum venias, quod ſi vtrumque ſimul nequeas præſtat tardiùs modeſtus tamen chorum adeas, quàm citiùs immodeſtus.*

b *Nempe, Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro. Protrahi debetis Pſalmus, hoc eſt ſolenniùs & grauiùs cantari, vt omnes ſaltem ante illius finem conueniant, ac ſimul Hymnum concinant, Nocturnoſque incipiant.*

c *Aptiùs legeres, Vt ſcurilitas non inueniat fomitem, ſed non-ſcurilitas cõſtanter retinẽt antiqua manuſcripta.*

T E X T V S Cap. 47.

De ſignificanda hora operis Dei.

1284 Nuncianda *a* hora operis Dei die noctuque ſit cura Abbati, aut ipſe nunciet, aut tali ſolicito Fratri iniuugat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur: pſalmos autem, vel antiphonas poſt Abbatem ordine ſuo, quibus iuſſum fuerit, imponant. Cantare autem, & legere non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & grauitate ac tremore faciat, et cui iuſſerit Abbas.

a *Hic video Interpretes hallucinari. Nunciare horam non eſt pulſare campanas, vt exiſtimant aliqui: ſed præſcribere tempora Diuino officio. Quibuſnã horis ſingula debeãt fieri Abbas enuntiet, aut committat hanc curam ſeniori alicui prudenti & ſolicito, qui ita omnia diſponat vt competentibus horis compleantur.*

Sæpe vidi temporum determinationem ab Antiſtite ſolo decerni, nonnunquam eam committi aut primo Cantori, aut Suppriori, nunquam alicui qui non eſſet magnæ in choro authoritatis. Sanè Cantor videtur melius poſſe horas indicere, vtpote qui tenetur ex officio noſſe quantitatem temporis duplicibus, ſemiduplicibus feſtiuitatibus debitam

ac proportionatam. Confuſio enim in horis Canonicis determinandis luitur temporis magno diſpendio. verbi gratia, in Quadrageſima hora duodecima ingrediuntur Monachi refectorium, inter Nonam & Veſperam fluere debet quadrantis interuallum, quod vt fiat, temporius inchoandæ ſunt Tertiæ die ſolenniori, quàm ſimplici: & pro qualitate officij mutanda eſt temporis diſtributio.

Ex indicto Abbatis, aut illius cui curam hanc commiſerit, Frater Horologiarius & pulſabit campanas, & excitabit Religioſos quos cõtinget requieſcere: Horologij & campanarum cura iniungitur robuſto aut Choriſtæ aut Cõuerſo, nunquam pueris, quibus nec vires ſufficientes ſunt vt maiora cymbala moueant, nec conſtantia animi vt nocturno tempore in locis ſolitarijs eſſe poſſint, & inter ſepulchra imperterriti tranſire. In maioribus cœnobijs labor ille diuiditur, & alius noctu alius interdiu pulſat cymbala, ne dum alij otiantur, alij grauentur nimis.

TEXTVS Cap. 45.

De his qui falluntur in oratorio.

1285 Si quis, dum pronuntiat pſalmum, aut reſponſorium, aut antiphonam, vel lectionem *a* fallitur, niſi per ſatisfactionem ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori *b* vindictæ ſubiaceat; quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes *c* vero pro tali culpa vapulent.

a *In oratorio illi dicitur, qui dictionem pro dictione pronuntiat, mutans indictum ordinem, & diſpoſitionem. Fallitur etiam, qui in accentu labitur. Petis, vtrum dicatur ille falli, qui in cantu erat. Vtrumque vidi à viris doctis propugnari. Præualet tamen in Hiſpania opinio negans. Ideo in Obſeruantia Ciſtercienſi ſi quis errat in litera, petit veniam, vt dicitur, hoc eſt, coram omnibus ſe humiliando iuxta ordinis cæremonias ſatisfacit: ille autem qui in ſolo cantu errat, non petit in choro veniam, ſed in Capitulo Antiſtitis prudentiæ ſubiacet. Prudentiæ inquam, dum enim quis non errat ex negligentia ſed ex ignorantia, docendus eſt, non corrigendus. Eſſe autem plurimos, qui etiam adhibita ſumma diligentia non poſſunt exactè vocis ſuæ meriti melodiam, experientia quotidiana comprobat, & frequentiſſima exempla confirmant fruſtra etenim labor adiungitur, cùm natura non fauet.*

b *Vindicta ſumitur pro pœna.*

c *Vapulent, ſed quomodo? Decentia poſtulat, vt in tergo aliter faciunt, non Religioſi, ſed Magiſtri ſæculares. Quid ſi adhuc reus maneat incorrigibilis.*

Incorrigibilis Nouitius non debet magnis ſupplicijs coerceri ſed dimitti. Eum expelli oportet, qui etiam in leuibus cum proteruitatis aut contumaciæ nota peccat, vel eſt alijs ſcandalo. *Vide numer. 478.*

TEX-

TEXTVS Cap. 50.

De Fratribus qui longè ab oratorio laborant, aut in via ſunt.

1286 Fratres qui omnino longè *a* ſunt in labore, et non poſſunt occurrere hora competenti in oratorium, et Abbas hoc perpendit, quia ita eſt, agant ibidem opus Dei vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ: ſed, vt poſſunt, agant *c* ſibi, at ſeruitutis penſum non negligant reddere.

a *Iter agentes & laborantes coniungit S. Pater, eiſque indicit vt Diuini officij obligationi ſatisfaciant; non quidem tam exactè ac ſi in cœnobio eſſent, ſed vt poſſunt. Hac potentia non eſt intelligenda phyſica, ſed moralis. Sanè non phyſica, quoniam ſi de illa Benedictus ageret, non diceret ſibi agant vt poſſunt, Hiſpanè, Hagan de manera: quæ puedan cumplir con eſta obligacion. potentia enim phyſica non dependet ab humana diligentia. Agit igitur D. P. de potentia morali., ac ſi Hiſpanicè diceret, Los que eſtubieren en camino no dexen de cumplir con ſuo officio, por lo menos recenle como pudieren, hoc eſt, quà hora, quà connexione & præciſione moraliter loquendo poſſint. Illa moraliter fieri nequeunt ab iter agẽte, quæ eſſent graui impedimẽto itinere determinato. Idcirco adhuc ex hypoteſi quod particulares Monachi teneantur Diuini officij horas ſtatis temporibus recitare, cenſeo iter-agentes ad hoc non teneri, ſed ſatisfacere ſi eas legant manè aut veſperi, aliàs enim non poſſent iter agere. Multi exiſtimant determinationem temporis obligare legentes non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari, & ideo exiſtimant peccare venialiter omnes illos, qui ſine cauſa lectionem differunt poſt meridiem: nihilominus certum cenſeo nec venialiter illos peccare, vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio poteſt eſſe, legem autem non dabis, vi cuius obligemur in lectiona priuata legere Primam tali hora, & Completorium tali, omnes enim quæ adduci poſſunt, aptiùs de officio publico & communi quam de priuato intelliguntur. Quinimò Regula ipſa Benedictinos operantes & iter-agentes ab obligatione hac abſoluit, dummodo intra ſpatium diei politici perſoluant horas tempore quo poſſunt. Nomine operantium & laborantium intelligendi illi ſunt qui ex commiſſione Abbatis ſtudent, excipiunt confeſſiones, prædicant, aut ſimile quid operantur. Vide quæ diximus numer. 1412.*

b *Genua flecti præcipit, quod non pertinet ad eſſentiam diuini officij, ſed eſt ſolemnitatis circumſtantia: vnde quicumque Religioſus, qui Prælato iubente in virtute ſanctæ obedientiæ genibus flexis officium legere, legerit alio modo, peccabit venialiter. Ratio eſt, quia præcepto legendi ſatisfacit quoad modum, non enim peccabit grauiter, ſed leuiter, qui defecerit in circumſtantia aut modo accidentali.*

c *Fortè legendum eſt. Qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ, ſed, vt poſſunt, agant ibi. Si admittas hanc lectionem, quæ contextui congruentior eſt, clarior ſententia ſanctiſſimi noſtri Patris euadet.*

Si hoc caput intelligẽdũ veniat de omnibus Religioſis tã promotis ad maiores

ordines quam non promotis, aſſerendum eſt poſſe Antiſtitem præcipere ſingulis lectionem priuatam. Cæterum mira ſunt Eugenij IV. verba in Priuilegio conceſſo Ciſtertienſibus anno 1437. in quo exponuntur multa dubia circa Regulam D. Benedicti: & num. 14. aſſeritur de Officio priuatim legendo à Conuerſis, & nondum promotis ad maiores ordines nihil in Sancta Regula exprimi. *Hoc cur debeat non admitti, non video: ſi adſeratur, addendum eſt Antiſtitem officium priuatum non poſſe propter ſe præcipere Conuerſis, nec Monachis qui non ſunt in ſacris Dicendum autem eſt ſententiam Pontificis Eugenij IV. ſaltem eſſe probabilem, licet contraria ſit probabilior, erant enim pauciſſimi ſacerdotes tempore D. Benedicti, & cenſes illa quæ de Monachis dicuntur debere de vniuerſis intelligi.*

TEXTVS Cap. 42.

Vt poſt Completorium nemo loquatur.

1287 Omni tempore ſilentio debent ſtudere Monachi, maximè tamen nocturnis horis. Et ideò omni tempore ſiue ieiunij, ſiue prandij; ſi tempus fuerit prandij, mox vt ſurrexerint à cœna, ſedeant omnes in vno loco, & legant vnus collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliud quod ædificet audientes, non autem Heptateuchum, aut Regum. Quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc Scripturam audire, alijs verò horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerit, dicta Veſperà, paruo interuallo, mox accedant ad lectionem collationum, vt diximus, & lectis quatuor, aut quinque folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus, per hanc moram lectionis, ſi quis fortè in aſſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in vnum congregati compleant. Et exeuntes à Completorio, nulla ſit licentia denuò cuiquam loqui aliquid. Quod ſi inuentus fuerit quiſquam præuaricari hanc taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ ſubiaceat: excepto, ſi neceſſitas hoſpitum ſuperuenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid dixerit. Quod tamen & ipſum cum ſumma grauitate & moderatione honeſtiſſimè fiat.

En Pythagoricam Vniuerſitatem. Omni tempore Benedictum habeamus Præceptorem. Eſto acroaſis, Omni tempore debent ſtudere Monachi, cui tamen facultati? ſilentio. Theologiam in choro profitentur, extra hunc ſilentio vaccent: expedit enim quod labia quæ Deum celebrant, verba inutilia & ſcurrilia non effuciant, imò nec ſancta proferant, niſi horis lege publica determinatis.

Connectit cum Diuinis officijs ſilentium Diuus Pater, quæ videntur eſſe omnino contraria, coincidunt tamen, ſi exa-

ſi exactè perpendantur. Meminerat verſus Dauidici Te decet hymnus Deus in Sion, vbi non pauci nec indocti legunt, Te decet ſilentium Deus in Sion. quoniam apud Deum ſilentium & encomiũ ſunt ſymbola. Tanti facit Deus Religioſum ex Regulæ indicto tacentem in cubili, quàm enarmonicè canentem in choro. Nam qui Deum ſilentium regulare deuouet, offert illi ſacrificium longè gratiſſimum.

Si quæras tempus ſilentij poſt Completorium incipientis, qualiter, & quandiu obliget Religioſos, remittam te ad num. 715. vbi id expoſui.

TEXTVS Cap. 6.

De Taciturnitate.

2288 Faciamus quod ait Propheta: *Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam: obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Hic oſtendit Propheta, ſi à bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri: quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari? Ergo quamuis de bonis & ſanctis ad ædificationem eloquijs, perfectis diſcipulis propter taciturnitatis grauitatem rara loquendi concedatur licentia: quia ſcriptum eſt: *In multiloquio non effugies peccatum.* Et alibi *Mors, & vita in manibus linguæ.* Nam loqui & docere Magiſtrum condecet, tacere & audire diſcipulo conuenit. Et ideo ſi qua requirenda ſunt; à Priore, cum omni humilitate, & ſubiectione reuerentiæ requirantur. Scurrilitates verò, vel verba otioſa, & riſum mouentia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium diſcipulum os aperire non permittimus.

Taciturnitatem Diuinæ laudi adiunxi, quoniam benè tacere, Deum Opt. Max. laudare eſt, Diuinitatis enim infinita Maieſtas ſilentio deuoto commendatur. Aptè Dauid pſalmo 64. Te decet, ait, hymnus Deus in Sion. legunt alij. Te decet ſilentium. Hoc carmen expoſui numero 118. addam Dauidis menti nouam lucem, & textui nouum commentarium. Silentium legunt aliqui, vbi alii Hymnus, quoniam qui bene ſilet, bene canit. Bene ſilet, qui ſine cauſa legitima non loquitur.

Tempore ſilentij garrire, contra legem eſt, qui facit, reus eſt pœnæ, non culpæ, quoniam leges regulares moraliter obligare non poſſunt, niſi accedente morali præcepto Abbatis. De ſilentio quà præcepto egi numero 715. vbi aliqua notatu digna.

LIBER

LIBER DECIMVS.

De moralibus obligationibus, ſed quibus tenentur DD. Benedictini Diuina officia recitare.

SECTIO I.

De Officio Benedictino publico.

1289 *EXaminauimus hucuſque diuini officij hiſtoricas difficultates, ex quarum deciſione textus Regulæ euaſit euidentior & clarior: ſupereſt, reſoluamus illa moralia dubia, quæ ex illis oriri poſſunt. De hac materia Viri doctiſſimi diſputauere, ſed iuxta Canones communes, quorum reſolutiones ſæpe nobis non proſunt, quibus ſunt Canones particulares, vnde præcipuè reſolutiones dependent. Agam de Officio Diuino ſecundum ſe, non quà ab Abbate præcepto; nam de huiuſmodi Abbatis ſanctione diſputaui num. 702.*

DISPVTATIO IC.

Quid ſit officium Canonicum Benedictinum publicum.

1290 CAnonicum officium eſt certus ordo Pſalmorum, Antiphonarum, Verſuum, & orationũ octo horas formaliter aut virtualiter conſtituens, à Romana Eccleſia tacitè aut expreſsè approbatus. Expreſsè approbatur, cùm diplomate ſuo Pontifex in officij vſum diſertè conſentit: tacitè verò, cùm longo temporis decurſu officium legitur, nec Pontifice nec Cardinalium congregatione, quæ præeſt ritibus, contradicente.

1291 Fuerunt olim aliqua Religiorum officia tacitè ſolùm approbata, ſeu tolerata, imò vt conſtat ex Pij V. diplomate conceſſo anno 1568. *etiam in prouincias paulatim irrepſerat praua illa conſuetudo, vt Epiſcopi in Eccleſijs quæ ab initio communiter cum cæteris veteri Romano more Horas Canonicas dicere ac pſallere conſueuiſſent priuatum ſibi quiſque Breuiarium conficerent, & illam communionem vni Deo vna & eadem formula preces, & laudes adhibendi, diſſimillimo inter ſe ac pœne cuiuſque Epiſcopatus proprio Officio diſcerperent.* Eccleſia autem omnia illa Officia, quæ vel ab ipſa pri-

ma inſtitutione non fuerãt expreſsè approbata, vel ſaltem conſuetudine laudabili annum 1368. recepta, dato diplomate reprobauit. Quo non obſtante, adhuc plurima Breuiaria vſus retinuit, quæ paulatim obſoleſcunt.

1292 Olim legebatur in Anglia Sariſberium Officium quod ſuadente Infante Ferrando Ioannis I. filio à Luſitanis etiã receptum perdurauit ad mortem Regis Emanuelis, cuius filius Alfonſus S. R. E. Cardinalis, Abbas Alcobatiæ Ordinis Ciſtercienſis, primus Officium Romanum in Regnum illud inuexit. *Vide meum* Philippum *in proæmio libri 5. num. 3. pag. 165.* In alijs Hiſpaniarum regnis Maurorum tyrannide ſubactis vulgare erat Officium Meſarabicum (Semiarabicum Latinus diceret) ſcriptum dialecto Hiſpano-arabica, quæ tum temporis erat apud noſtrates ſola in vſu. Erat autem Hiſpano-arabica dialectus, tertia lingua Caſtellanam & Africanam commiſcens, vtraque ditior, non tamen eloquentior; nimia enim labii barbari aſperitas dulcorem Heſperij nullatenus aſſequebatur. Hoc officium in linguam latinam translatum per multos annos in noſtris Prouincijs perdurauit.

1293 In præſentiarum pauciora ſunt Diuina Officia; Breuiaria enim plurima exoleuerunt. Antiquiora illa erant valde incorrecta, & hoc in cauſa, vt Romanum ab omnibus ferè fuerit admiſſum. Ordo Benedictinus literis & ſanctitate clarus Officium correctius conſeruauit, & nondum Romanum admiſit.

ARTICVLVS I.

De Pſalmis.

QVos, & quot Pſalmos requirat eſſentialiter forma Benedictini Officij, decernent concluſiones ſubſequentes.

Prima *ſtando Regulæ rigori, & abſtrahendo à decretis omnibus recentioribus, ſi qua ſunt, quæ illam limitant & remittunt. Sufficiẽs eſt publico Benedictino officio, quod coaleſcat ex centum quinquaginta Pſalmis per hebdomadam ordine determinato, ita vt Pſalmorum periodus in Matutinis diei Dominicæ iterum incipiatur.*

Secunda *Nullus Pſalmorum ordo Officio Benedictino publico eſt eſſentialis.*

Tertia. *Nulla feria, nulla hora Benedictini Offi. ij. publici poſtulat Pſalmorum numerum determinatum.*

Omnia hæc Aſſerta expreſſa ſunt in Regulæ capite 18. diſpoſuerat Pſalmorum ordinem D. Pater ſumma cum diligentia, & illicò ſubiunxit: *Hoc præcipuè commonentes, vt ſi cui fortè hæc diſtributio Pſalmorum diſplicuerit, ordinet ſi melius aliter iudicauerit, dum omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada Pſalterium ex integro, numero cẽtum-quinquaginta Pſalmorũ pſallatur, vt Dominico die ſemper à capite repetatur ad vigilias.* Mentẽ ſuam penitiùs explicet, & rationem expendens, *Minis iners, inquit, deuotionis ſuæ ſeruitium oſtendunt Monachi, qui minùs Pſalterio cum Canticis conſuetudinarijs per ſeptimanæ circulum pſallunt; cum legemus ſanctos Patres noſtros vno die ſtrenuè impleuiſſe, quod nos tepidi vtinam ſeptimana integra perſoluamus.*

Hinc conſtat, Pſalmorum ordinem à D. Benedicto diſpoſitum, nec eſſentialem eſſe, nec requiſitum neceſſariò vt officium ſit Benedictinum. Idq; ipſemet euidẽter inſinuat hiſce verbis, *Præcipuè commonentes*, quę verba ſunt digniſſima ponderatione. Admonet nos non leuiter ſed præcipuè, vt ſeruemus Pſalmorum ordinem à ſe deſcriptum; admonet etiam illum, cui digeſtio hæc diſplicuerit, vt pro arbitrio Pſalmos ordinet, dummodo centum quinquaginta

ginta in hebdomada quacumque legat. Vt alterutrum facias Magiſter noſter admonet, hoc vltimum tamen *præcipue.* Nec ſolùm permittit vt aliter Pſalmodiā diſponas, ſed mauult ſequaris ordinem à te quàm à ſe ſtatutum, altè nimirum percallebat Vir prudens, hunc vel illum ordinem in Pſalmodia ex natura rei nec ad deuotionem exigi, nec ad ſolennitatem.

Quarta. *Spatio Hebdomadæ nullus Pſalmus neceſſariò eſt repetendus in Officio publico Benedictino.* Patet; quia etſi nullus Pſalmus relegatur, ſpatio hebdomadæ legentur centum quinquaginta Pſalmi, quod vnicum deſiderat noſter Lycurgus.

1294 Dices; primum Aſſertum videri nimis rigidum, & à Regulæ contextu alienum, nam agens de Pſalterio, *Nos tepidi*, ait, *utinam ſeptimana integra perſoluamus?* Notas illud *Vtinam*, quod conſulentis potiùs, quàm abſolutè diſponentis eſt: nullus enim abſolutè præcipiens dicit, *Vtinam facias hoc*, ſed *Præcipio tibi, facias hoc*. Ergo nec indicitur DD. Benedictinis, vt Pſalterium integrum in hebdomada legant, ſed conſulitur. Ac proinde D. Benedictus deſiderat vt Officium ſui Ordinis Pſalmos centum & quinquaginta complectantur, non tamen abſolutè diffinit. Quod ſi aliquis verba illa ſuperiora obijciat. *Omnimodis attendatur, vt omni hebdomada Pſalterium ex integro, numero cētum quinquaginta Pſalmorum pſallatur*, reſpondes verbis poſterioribus poſſe limitari anteriora, non autem è conuerſo, ac propterea ex illo *Vtinam* quod in fine additur, conſtare Benedictini officium poſſe hebdomada integra habere pauciores adhuc quàm centum & quinquaginta Pſalmos.

1295 Tibi ego. Aſſerui officium publicum iuxta Rubricas Benedictinæ Regulæ eſſe illud, quod ſaltem in hebdomada complectitur cētum & quinquaginta Pſalmos diſpoſitos quomodocūque: hunc numerum eſſentialiter requiri non dixi; non enim quod Benedictus deſiderat in officio Diuino, eſſentialiter credo requiri, ſed quod verbis claris indicit: conſulit. n. quicumque Legislator meliora, decernit neceſſaria; ergo Pſalmorum numerus, qui à Regula non decernitur, non eſt neceſſariò requiſitus. Nihilominus textum Regulæ relegens probabilius iudico requiri eſſentialiter centum & quinquaginta Pſalmos in hebdomada, vt officium ſit iuxta mentem D. Benedicti: non enim ipſe permitteret Monachos ſuos eſſe nimis inertes, quales in illius opinione ſunt qui ſaltem hebdomada integra Deo Pſalterium integrum non perſoluunt, vnde dicit, *Nimis iners diuotionis ſuæ ſeruitiū oſtendunt Monachi, qui minùs Pſalterio cum Canticis conſuetudinarÿs per ſeptimanæ circulum pſallunt.* Illud *Vtinam* quod expendiſti, probabiliùs aliter poſſumus interpretari. Non condit Benedictus officij diuini Rubricas cùm ait, *Quod nos tepidi vtinam ſeptimana integra perſoluamus:* ſed eas priùs abſolutè condiderat, ac poſtea deſiderium inſinuat, quo accuratè eas cupit obſeruari.

1296 Stante illæſa officij Benedictini eſſentia, hebdomada pauciores quàm centum & quinquaginta Pſalmos complecti non poteſt, & idcirco Rubricæ quę pauciores Pſalmos per hebdomadæ circulū diſtribuunt, nō ſunt Benedictinę ac proinde quidquid à talibus diſponitur, officium Benedictinū dici nō poteſt.

Conſulit inſtanter (hoc ſignificat illud *Commonentes præcipue*) D. Pater illi, cui diſplicuerit communis ordo, vt pro ſua prudentia diſponat aliter. ſed an Abbati, an cuilibet Religioſo?

Publici officij diſpoſitio ex mente noſtri Legislatoris ad vnam & ſolum Antiſtitem ſpectat Abbas vnicus, & in Prioratibus abſolutis ac nulli Abbati ſubditis Præpoſitus poteſt ordinem Pſalmorum alterare, eſſet enim con-

fuſio ſumma, ſi vnuſquiſque Religioſus pro libitu poſſet ordinem ſtatutum inuertere. Pſalmorum ordinem à Prælato diſpoſitum, nec Prior, nec Præpoſitus inuertere ſine eiuſdem licentia expreſſa aut interpretatiua præſumat.

ARTICVLVS II.

De Canticis.

1297 PRæter Pſalmos etiam Cantica diebus ſingulis officium publicum Benedictinum eſſentialiter requirit, quæ c.18. conſuetudinaria dicuntur, quia quotidie concini conſueuerũt, & canticorum quidem, quæ duodecim lectionum diebus modulanda ſunt, numerum determinat, eorumdem qualitatem Antiſtitis arbitrio determinandam relinquẽs. Agens enim de tertio nocturno c.11. *Dicantur*, tria, *Cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas*. Itaque Abbatis eſt, pro publici officii tertio nocturno Cantica determinare.

De Canticis ad Laudes dicendis ni fortè illa verba, quæ pro ordine & numero Pſalmorum attuliſmus ob rationis paritatem etiam ad Cantica volueris extendere, aliter eſt ſentiendum, nam cap. 12. eorum determinationem nequaquã Abbatis committens arbitrio indicit abſolutè vt diebus ſolennibus (hoc eſt, XII. lectionum) dicatur trium puerorum Canticum. Sabbato aſſignat Deuteronomicum, *Audite cæli, quæ loquor* cuius loco pro aliis diebus ſumentur Cantica ex Breuiario Romano, ita cap. 13. vbi & vult Laudum horam ſemper terminari Cantico Zachariæ *Benedictus Dominus Deus Iſrael* Capite 17. iubet vt diebus ſingulis Veſperæ Mariano Cantico claudantur. Simeonis illud, quod ab aliquibus in fine Completorii legitur, non indicitur à Benedicto, ac propterea illæſa officii Benedictini eſſentia poſſet id expungi.

ARTICVLVS III.

Officij Benedictini publici Rubricæ iuxta mentem ſanctiſſimi Legiſlatoris.

1298 DIebus Dominicis & omnibus Sanctorum feſtis Officium Diuinum ad Vigilias.

Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, &c.

Hymnus, quem deſignarit Abbas.

In primo nocturno. Pſalmi quos, & quot decreuerit Abbas Poſt quos dicetur Verſus, Benedictio, & quatuor Lectiones cum ſuis Reſponſoriis; illæ & hæc qualia & quanta determinauerit Antiſtes.

In ſecundo nocturno. Dicentur ſimiliter Pſalmi quot & quos determinarit Abbas: ſequetur Benedictio: legenturq. aliæ quatuor Lectiones cum ſuis Reſponſoriis ad arbitrium Abbatis.

In tertio nocturno. Cantica tria, quæ inſtituerit Abbas, Verſus, Benedictio, quatuor Lectiones in nouum teſtamentum (puta ex Commentario Euangelico alicuius Patris) & Reſponſoria totidẽ ex Antiſtitis diſpoſitione. *Hymnus. Te Deum laudamus.* Euangelium. Hymnus *Te decet laus* Collecta poſt Euangelium videtur ex deuotione adiuncta.

In vigilijs ferialibus duo nocturni hoc modo diſpoſiti.

Deus in adiutorium, &c. Hymnus ad Abbatis arbitrium.

In primo nocturno. Pſalmi quos, & quot voluerit Abbas Verſus & Benedictio. A Kal. Nouembris ad Paſcha tres Lectiones cum tribus Reſponſoriis, reliquo tempore vna breuis cum ſuo Reſponſorio ad Antiſtitis placitum.

In ſecundo nocturno. Pſalmi, qui & quot placuerint Abbati. Antiph. *Alleluia*, Capitulum, & *Kyrie eleiſon.*

Laudum hora, *Matutinorum*, dicitur à D. Benedictino, & ex præſcripto Regulæ has habet conſtitutiuas partes.

Deus

Deus in adiutorium,&c. Pſalmorum numerus & qualitas ex Abbatis arbitrio. Diebus duodecim Lectionũ, Canticum, *Benedicite omnia opera Domini Domino*. Feria ſecunda, tertia, quarta, quinta, & ſexta Canticum vt in Breuiario Romano. Sabbatho Canticum Deuteronomii. *Audite cæli, quæ loquor*. Capitulum indeterminatè, vt plurimum ex Apocalypſi Aliquis Hymnus, Verſus, Canticum Euãgelicum. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, & Kyrie eleiſon. Pater noſter*. clara voce.

Ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonã.

Deus in adiutorium,&c. Hymnus aliquis. Pſalmi quos & quot Abbas decreuerit. Capitulum aliquod. Verſus. *Kyrie eleiſ. Pater noſter*,& aliqua Collecta. Omnes iſtæ horæ minores ſunt ſimiles.

Pretioſa non fuit inſtitutum à D. Benedicto: ideo ſtando Regulę dicendum eſt ex deuotione, non ex morali obligatione legi.

Pro Veſperis diſponitur officium ſic:

Deus in adiutorium.&c. Pſalmi quos iuſſerit Abbas. Hymnus, Verſus, Canticum (ſemper eſt Marianum) *Kyrie eleiſon. Pater noſter*. integrum clara voce.

Ad Completorium.

Deus in adiutorium,&c. Pſalmi aliquot quos determinauerit Abbas. In hac hora non iubet Pater Sanctus dici quidquam præter Pſalmos, in quorum diſpoſitione debet aduertere prudens Antiſtes, vt Pſalterium ſaltem integrum legatur in hebdomada.

Hinc conſtat, quanti fecerit Benedictus ordinarium Antiſtitem, quandoquidem non dubitauerit ei committere totius ferè Diuini officii abſolutiſſimam diſpoſitionem.

ARTICVLVS IV.

De Rubricis Breuiarij impreſſi.

1299 Omnes Benedictinorum Congregationes ſequuntur in ſalmodia ordinem à Regula præſcriptum legũt diebus ſingulis Verſus, Antiphonas, Hymnos, & Collectas deſignatas in Rubricis Breuiarij impreſſi Illa; quæ arbitraria reliquit Pater Sanctus, iam Breuiarij communes Rubricæ determinarunt. Quæris, vtrum, non obſtante Breuiarij diſpoſitione, poſſit quicumque Abbas aliter officium publicum ordinare.

Breuiarii Rubricæ non ſunt dogmata fidei, à quibus nulla ex cauſa liceat recedere; ſunt autem diſpoſitiones practicæ procedentes aliàs ab habente, aliàs à non habente legitimam authoritatem: imò, ſtantibus iiſdem Rubricis, & ſumma varietas reſolutionum, procedens tũ ex ipſarum contrarietate, tum ex diuerſis legentium apprehẽſionibus. Quibus etiam incommodis Rubricæ Romanæ ſunt obnoxiæ, licèt accuratiùs compoſitæ, vt conſtabit ex *Directoriorum* collatione.

Cæterùm communes Diuini officii Rubricas contingit multifariã inuerti, & alterari. *Primò*, ſi in choro cantetur ex Breuiario proprio officium alteriùs diei, vel ſanè aliud officium quãm debere: puta, ſi die S. Petri caneretur cõmune Apoſtolorum. *Secundò*, ſi Benedictinus canat officium alius congregationis, vt ſi Ciſtertienſis aliqua Cõmunitas Cluniacenſe legat, aut Moliſmenſis chorus Ciſtertienſe. *Tertiò*, ſi Benedictinorum aliquod Monaſterium canat officium Romanum. *Quartò*, ſi officium alterius Ordinis. *Quintò*, ſi Pſalmos, Antiphonas, &c. ex propria diſpoſitione, iuxta ea, quæ ſupra diximus.

1300 *Reſpondeo ad Primum*. Communitas, quæ ſine cauſa & licentia violat Rubricas legitimas, mutando non quidem Breuiarium, ſed officium diei, hoc eſt, legendo aliud officium ſui Breuiarii peccat venialiter. Ratio eſt, quia ſatisfacit obligationi quoad ſubſtantiã, & deficit quoadmodum. Conſultò dixi ſine cauſa: quia cum cauſa laudabiliter poterit mutare officium. Sic in aliquibus Sanctorum ſolennitatibus, vidi ab

habentibus officium proprium legi cõmune, quoties libri officia propria continentes erant peiori charactere cõſcripti ſeu malè ordinati, melius .n. eſt, magnificè & deuotè communerecitare, quã proprium vacillanti labio & hæſitante lingua proferre, Dixi ſine licentia, quia de licentia Abbatis (niſi eius poteſtas ab Eccleſia limitata fuiſſe probetur) poteſt officium duodecim lectionum mutari, cùm talia officia in nulla re differant, quæ non ſit commiſſa ipſius arbitrio. Pro feriali reperio Laudum determinata Cantica, quæ ideo non poterunt ab Abbate mutari; alia ſunt mutabilia, vt ex Regulæ contextu conſtat: Ergo Communitas, quæ cùm Abbatis licentia die Sabbati feriali legit duodecim Lectionum officium, vel feriale alterius diei, dummodo recitet Deuteronomij Canticum, non peccat venialiter. Patet: quia nihil mutat, quod non poſſit mutari Antiſtitis diſpenſatione.

Ad ſecundum eodem modo reſpondeo. Quia ſi in Ciſtertio officium Cluniacenſe ſine licentia legeretur, verè Diuinum officium legeretur, quamuis non quale deberet: ergo illa Communitas nõ eſſet rea officii Diuini, ſed taleitatis. Delinqueret igitur in circumſtantia aut modo, non in præcepti ſubſtantia; nec peccaret venialiter ſi impetraret licentiam.

Ad tertium iudico omnibus & ſingulis permiſſum Romanam Eccleſiam imitari, tum quia hoc melius eſt, quam ab illa differre, tum quia idipſum Summi Pontifices deſiderarunt: vnde reor, ſublato ſcandalo, & reliquis inconuenientiaus, Communitatem qualemcunque ſine particulari licentia poſſe vti Breuiario Romano.

1301 Verùm dicet aliquis, vſum Breuiarii Romani interdictum eſſe Communitatibus, quæ habuerunt proprium à ducentis annis, idque conſtare ex priuilegio impreſſo in limine eiuſdem Breuiarii Romani.

Reſpondeo, Romanum Pontificem Paulum IV. maximè deſideraſſe vt tota Eccleſia eſſet labii vnius & ſermonum eorumdem. In quem finem incepit Breuiarium reſtituere, quod ante dicm ſublatus non perfecit. Poſt eum Pius V. correxit, reſtituit, publicauit. In allegato priuilegio iubet vt omnes tam in officio communi quam in particulari vtantur Breuiario correcto & reſtituto. Poſtmodum agens de Benedictinis, & alijs, qui habebant Breuiaria plus, quã à ducentis annis, ſubiungit: *Illis tamen inueteratum illud ius dicendi, & pſallendi ſuum officium, non adimimus: ſic eiſdem, ſi fortè hoc noſtrum, quod modò peruulgatum eſt, magis placeat, dummodo Epiſcopus, & vniuerſum Capitulum in eo conſentiant vt id in choro dicere & pſallere poſſint, permittimus.* Vbi nullum reperitur præceptum interdicens Communitatibus exemptis admiſſionem officii Romani. Eccleſiæ Cathedrales ex conſenſu Epiſcopi, & Capituli poſſunt vti Romano. Monachales exemptæ Epiſcopo ſubiectæ non ſunt, & conſentiente Capitulo poſſunt legere officium Romanum. Capitulum, cuius conſenſum poſtulat Pius V. eſt Capitulum Eccleſiæ Romanum officiũ recepturæ, non ergo Generale, ſed conuentuale. Si Abbas non contradicat, cẽſetur concedere licentiam tacitam, & præbere aſſenſum interpretatiuè. Scio tamen poſſe Conuentuale à Generali lege obſtringi, quam ſi accepet ordo debebit omninò obedire.

Quid ſi Abbas contradicat? Poteritne Communitas etiam tunc admittere officium Romanum? Ita credo. Nam in tali caſu Abbas iniuſtè contradiceret. Communitati enim permittitur à Pio V. uſus Romani Epiſcopo & Capitulo conſenſum præbente. Eccleſiæ exemptæ non indigent conſenſu Epiſcopi: ergo ſolùm remanet conſenſus Capituli requirẽdus, quia Pontifex Abbatis non meminit.

1302. Dices, Epiſcopi nomine intelligẽdum eſſe Epiſcopum vel Abbatẽ,

vnumquemque in ſua Eccleſia: vnde ſicut Eccleſia Cathedralis non poteſt admittere Romanum Breuiarium ſine conſenſu Epiſcopi, ſic nec Monaſtica ſine conſenſu Abbatis.

Reſpondeo tamen, voces debere ſumi in rationali ſignificatione, nullus autem audiuit Abbates dici Epiſcopos; ergo Epiſcopi nomine non ſunt intelligendi. Ergo ſi Communitas aliqua Benedictina velit recipere Officium Romanum, Abbas non poteſt contradicere. Excipe Congregationes illas, in quibus Monachi nequeunt congregari validè inconſultis ſuis Superioribus, quia non conſtituunt Capitulum Monachi congregati inualidè. Excipe illas etiam: quarum Antiſtites poſt annum 1568. hoc Communitatis ius pontificis fauore limitarunt.

Ad quartum. Cuiuſcumque Religionis officium, eſt officium Diuinum, & ideo ſi Auguſtiniana Communitas cantaret Ciſtertienſe, non peccaret mortaliter, ſed venialiter. Rationem clariſſimè explicaui in reſponſione ad primum & ſecundum.

Ad quintum. Ex hypotheſi quod Benedictinæ Communitates teneantur grauiter ad Officium Diuinum, dico eã quæ ſine legitima licentia canit Pſalmos & Antiphonas pro arbitrio, ſequens methodum articulo tertio deſcriptam, peccare mortaliter. Ratio eſt: quia non ſatisfacit Diuino officio. Minorem probo. Diuinum officium Benedictinum conſtat illis omnibus partibus, quas decreuit noſter Legislator, quatum aliàs determinauit, vt art. 3. vidimus, aliàs commiſit Abbatis ſolius iudicio determinandas. Pſalmi igitur determinati ab Abbate, ſunt pars Diuini officij, qui autem à Communitate, aut ab alio quocumque decernuntur, non conſtituunt officium Canonicum Benedictinum. Ergo non eſt officium Diuinum illud, in quo determinantur à Cõmunitate ſine Abbatis licentia illa, quæ Regula vult determinari à ſolo Abbate. Hinc eſt, quod Communitas ſine Abbatis licentia, tacita vel expreſſa, non poſſit Pſalmos, aut Cantica mutare, nec breuiare Lectiones aut Reſponſoria, hoc enim Abbati vni conceditur, non corpori ſed capiti.

1303 Addo tamẽ quemcumque chori Monaſtici præſidem ex commiſſione Abbatis, cuius authoritas non ſit contracta aut diminuta, poſſe mutare Pſalmos, Cantica tertij nocturni, & facere illa omnia, quæ Regula committit diſcretioni Abbatis: Illa enim omnia Abbas cenſendus eſt facere, quæ per ſuos miniſtros voluntariè determinat, & facit.

1304 Si qua Communitas legat Horas iuxta Breuiarium Fráciſci Quignonij S. R. E. Cardinalis, aut iuxta alius Breuiarii formam ab Eccleſia aboliti, non ſatisfacit; Ratio eſt: quia non legit officium Diuinum: Breuiaria enim reprobata à Pontifice officium Canonicum non continent. Poterit tamen contingere per accidens, quod talis Communitas ſatisfaciat, puta ſi legat in Breuiario Quignoniano officium, quod etiam in alio Breuiario ab Eccleſia approbato reperitur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Abbatum authoritas mutandi, diminuendi, alterandi Pſalmos, Cantica Lectiones, Reſponſoria, &c. poſſit limitari.

1305 NVllus præter Pontificem, nec Generalis Abbas, nec Capitulum Generale aut Prouinciale poteſt modificare, aut limitare authoritatem, quam Regula Abbati concedit. Ratio eſt, quia Abbas Cluniacenſis, verbi gratia, promiſit ſuis Superioribus obedientiam ſecundum Regulam D. Benedicti, non contra Regulam: ergo non poteſt illi iniungi ne faciat, quæ Regula

permittit : nam tale Superiorum mandatum eſſet expreſsè contra Regulam.

1306 Dices : poſſe Generalem per accidens limitare Abbatis authoritatem Regularem, nempe limitando ipſam Regulam : Generali enim ſui Ordinis videtur commiſiſſe Benedictus ſuę Regulæ expoſitionem, modificationem, mutationem.

Reſpondeo. Generalis Benedictini Ordinis, ſi talis daretur, & Congregationum quarumcumq; primarij & communes Antiſtites nō ſuperſunt ſed ſubſunt Regulæ, ideoque nihil poſſunt in ea innouare aut limitare. Regula ſubeſt Pontificis approbationi, cumque vota ſolennia nequeant fieri iuxta Regulam non approbatam, hinc eſt, quod nullus poſſit ſolenniter profiteri obedientiam iuxta articulum non approbatum, nec poſſit excludere articulum ſemel approbatum. Poteſt Pontifex ex Regula Benedictina expungere quaſcumque clauſulas poteſt & addere: illud tamen quod remaneret, & non aliud, eſſet Regula Benedictina.

Cæterùm, ex mutatione Regulæ ſequeretur Abbatem authoritatem aut iuriſdictionem limitari: illa enim mutatio profeſſuros reſpiceret, non profeſſos: hi enim politici ſunt obedire ſecundùm Regulam quà approbatam, non quà approbandam.

1307 Altiùs id explico. Mitigatum eſt caput 36. & 39. Regulæ quoad quadrupedum interdictionem, comedimus licitè carnes ter in hebdomada, & alicubi quater. Si voluerit Pontifex reſtituere Regulæ expunctas clauſulas: poterit, & hæc non permittet carnes Religioſis: ſed quibus? ſanè profeſſuris, non nobis qui profeſſi ſumus obedientiam ſecundùm Regulam D. Benedicti prout ſeruabatur tempore noſtræ profeſſionis, quando carnium interdictio ad illam non permittebat: ſupponitur enim expuncta legitimam Pontificis authoritate.

Sic ſimiliter. Si Romanus Pontifex reprobet illum Regulæ articulum, in quo conceditur Abbatibus Pſalmorum mutatio, determinatio Canticorū, &c. reprobatio huiuſcemodi reſpiciet profeſſuros Monachos, ſed non profeſſos: nam ad id quod non promiſerunt, nequeunt obligari, ipſi autem ita promiſerunt obedire ſecundùm Regulam, vt ſimul promiſerint obedire non quomodocumque ſecundùm Regulam, ſed ſecundum Regulam eis permittentem mutare Pſalmos, Antiphona, Cantica, &c. de licentia Abbatis.

1308 Poteſt Pontifex concedere alicui ſeu Abbati, ſeu Generali Capitulo authoritatem iubendi Abbatibus, ne à communibus Rubricis Breuiarij diſcedant. Si priuilegium tale (fortè nondum conceſſum eſt) conderetur, reſpiceret ſolùm profeſſuros. In tali caſu Abbas, qui profeſſus eſſet poſt priuilegij huiuſmodi acceptationem in Monaſterio, vbi ſimiliter omnes vota emiſiſſent poſt eandem acceptationem, deberet obedire Capitulo mutationem communium Rubricarum prohibenti, & ſi illas mutaret, peccaret quidem iuxta quantitatis materiam, mutaret tamen validè, ſi iuxta *art.* 5. nam præcepta non tollunt internam poteſtatem. Indicitur tibi ne occidas hominem: ſi inobediens fueris, illicitè quidem, ſed vere occides: ſic in caſu poſito, Abbas ille illicitè quidem, ſed verè & validè Rubricas Officij mutaret. At diceremus tunc Abbatem rubrica mutare inualidè, cum illud Pontificium Diploma, non ſolùm declararet peccare contra obedientiam illum Antiſtitem, ſed & nullius eſſe roboris aut valoris diſpoſitionem Pſalmorum quam inſtitueret: quia in tali illa caſu non eſſet officium ab Eccleſia approbatum.

1309 Poteſt & Sūmus Pontifex cōcedere Cōgregationis Comitij aut qualicumque Antiſtiti facultatem priuandi Abbatis pro arbitrio, poteſtate conceſ-

ſa illis,

ſa illis à Regula ad mutandum aut alterandum Pſalmos, Cantica, &c. Hoc tamen priuilegium ſolùm profeſſuros reſpiceret, non verò iam profeſſos. Monachorum emittentium vota poſt hoc priuilegium profeſſio exponi poſſet his verbis: *Promitto obedientiã ſecundùm Regulam concedentem mihi poteſtatẽ mutandi Pſalmodium, Cantica, &c. de licentia mei Abbatis, quoties ipſe non prohibetur à ſuis Superioribus concedere talem licentiam*. Hoc Pontificem facere poſſe conſtat, quia Regula in quantũ approbata ſubeſt placito Summi Pontificis: poteſt ipſe approbare & reprobare articulos, cùm voluerit aut iudicarit neceſſarium. Non poſſe nouo priuilegio olim profeſſos obligare, probatur. Nam cogi nequeunt vltra terminos ſuæ profeſſionis: nouas autem obſeruantias non ſunt profeſſi.

1310 Petis. Vtrùm poſſit caſſare Pontifex articulos Regulę ſemel à Romana Sede approbatos. Videretur quòd non: quæ enim ſemel fuerunt bona, ſemper remanent bona: atqui non eſſẽt approbata, ſi bona non eſſent: ergo nequeunt ſemel approbata ceſſari aut reprobari: nam tantùm reprobari dicuntur quæ ſunt mala.

Reſpondeo, poſſe Pontificem caſſare & reprobare pro placito articulos politicos cuiuſcumque Regulæ. Nec contrarium conuincitur ratione expoſita. Nam diſtinguenda eſt maior, & in ſenſu abſoluto concedenda, in relatiuo neganda. Quæ ſemel fuerunt bona ſecundùm ſe, ſemper ſecundùm ſe erunt bona, quæ tamen olim fuerunt bona Petro, mutato tempore & circumſtantijs, poſſunt illi eſſe mala, & poterunt à Summo Pontifice ceſſari & reprobari. Præterea, bonæ etiam conſtitutiones poſſunt ceſſari validè, quia earum confirmatio & perennitas à perennitate fauoris & conceſſionis Pontificis dependent.

ARTICVLVS VI.

Sit ne hæc Abbatum Authoritas de facto limitata.

1311 Reperio in Breuiario Ciſtercienſi priuilegium Domini Archi-Abbatis (ſic Dominũ Ciſtercienſem nomino, non quòd ſit communis immediatus, ſed quia eſt Abbas primi Monaſterij, vnde & reliqua mediatè aut immediatè profluxerunt) quo cautum eſt ne quis in poſterum typographus aut Breuiaria imprimat aut vẽdat ſine bibliopolæ illius cõſenſu, quem ipſe in priuilegio deſignauit. Hoc priuilegium eſt merè politicum, non contra Religioſos, ſed contra ſæculares, atque ideò inniti debet authoritati Regis Galliæ. Idcirco.

1312 *Si Abbas Ciſtertij talem authoritatem impetrauerit à Rege Galliæ, poterit id iubere*. Patet; quia Rex poteſt facere, & delegare cuicumque in ſuis regnis ſimilem poteſtatem: *In ſuis regnis* dixero, vt ſciamus in alienis (puta in Hiſpania, Germania, Belgio) vbi Rex Galliæ nihil poteſt diſponere, eius delegatum, quà talem, nullam authoritatem obtinere: vnde noſtri bibliopolæ, non obſtante quocumque Abbatis Generalis decreto, poterunt imprimere & diuendere talia exemplaria.

1313 Dubito, vtrùm Ciſtertij Abbas habuerit priuilegiũ à Rege Chriſtianiſſimo mandandi typis libros omnes Monaſticos. Tale priuilegium eſſe conceſſum Generali Capitulo, aut Domino Ciſtercienſi, videtur ſuadere diploma quo Catholicus Rex concedit Ciſtercienſibus, vt poſſint ſuos libros Monaſticos imprimere: interdicitque ne quis ſine eorum licentia, aut imprimere, aut impreſſos alibi audeat inferre in Hiſpaniam: vnde verò ſimile videri poſſet, eos etiam hanc, aut ſimilem aliquam gratiam à Chriſtianiſſimo Rege impetraſſe.

1314 Deſtruit attamen hanc coniecturam, priuilegium illud, quod libris præpoſuit typographus, quo interdicitur, ne quis ante decennium illos imprimat ſine permiſſu Sebaſtiani Cramoiſii bibliopolæ Pariſienſis de Ciſtertienſi Ordine bene meriti. Huiuſmodi enim priuilegium non exhiberetur ad impreſſoris petitionem, ſi eſſet conceſſum Ordini cum clauſula perennitatis. Verùm hanc controuerſiam miſſam facientes, ad alia magis vtilia deſcendamus.

1315 In Breuiarijs vltimis reperio hoc diploma Domini Petri Niuellii. *Nos F. Petrus Niuellus Sacræ Theologiæ in facultate Pariſiēſi Doctor, Abbas Ciſtercij, Regis Chriſtianiſſimi in ſupremo Burgundiæ Senatu Conſiliarius, & vniuerſi Ordinis Ciſtertienſis Caput ac Superior Generalis, eiuſdemque Capituli Generalis plenaria fungens poteſtate —— prout noſtra paterna & Capituli Generalis qua plenaria fungimur authoritate, præſentium ſerie —— mādamus—— in virtute ſalutaris obediētiæ vniuerſis & ſingulis noſtri Ordinis Ciſtertienſis chariſſimis noſtris in Chriſto fratribus Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, & alijs vtriuſq. ſexûs perſonis Regularibus, quatenus nullis alijs (puta libris) —— uti præſumant; vt quod antiquiſſimo Eugenij III. decreto S. Patres noſtri de Officijs & rituum vniformitate hactenus ſanxerunt, faciliùs & exactiùs quàm antea ab omnibus inuiolabiliter valeat obſeruari.*

1316 In hoc diplomate multa obſeruanda veniunt, quæ latiùs deberent expendi; perſtringam illa ſumma cum breuitate. *Primò* cùm ſibi arrogat D. Niuellius Capitis & Superioris Generalis titulos, notandum eſt *Capitis* nomine nihil aliud intelligi, quàm primi Monaſterii Abbatem; quòd ſi nomine *Capitis* aliud præſumat, abutitur, & titulo & authoritate. Superius Generalis dici poteſt, non tamen immediatè: nam Ciſtertii Monaſterio immediatè præeſt, quatuor primarijs & paucis alijs mediatè, alijs verò remotè. Scio aliquibus Viris Magnis diſplicuiſſe nomen *Generalis mediati*, inter quos vnus ex Primoribus ad Reuerendiſſimū D. Euſſersthalenſem ante aliquot annos ſic ſcripſit. *Sciat ex D. Caramuel, nullius ſe poſſe indignationem incurrere ſi abſtineat à nomine Generalis mediati, quia dum non debere Generalem nominari contendimus, non volumus tāto vero opponi, & tamen diſtinctionem illam mediati & immediati pauci intelligunt*. Sed ijs non obſtantibus ſicut falſum eſt eum eſſe omnium Generalē immediatum, eſſe Aabatem mediatum Generalem manifeſtum eſt; tametſi videatur hic titulus cautè dari, ne per abuſum in immediati Patris ſignificationem torqueatur.

Fungi ſe plenaria Capituli Generalis authoritate veteres Ciſtertij Abbates non dixerunt, nec in eorundem viſitationibus aut decretis ſimilem titulum reperias. Illa ſe fungi D. Niuellius affirmat: & ſi hoc verum, ſuperflua eſſent generalia Comitia, ſi eorum authoritas penes vnum hominem particularem remaneret: fruſtra Abbates confluerent, & congregarentur, ſi vir priuatus plenariè omnia, quæ Capitulum, præſtare poſſet. Committit aliquando Capitulum Abbati Ciſtertienſi negotia aliqua, & delegat limitatiſſimam authoritatem, nempe circa occurrentia, quæ in futurum Capitulum differri non poſſunt: authoritatem autem plenariam nec delegauit hucuſque, nec poterit, vt perſuadebo aptiore loco. At quis cæcus non videat Breuiarij editionem in ſequens Capitulum Generale differri poſſe? *Mandamus*, inquit, *vniuerſis*, cæterùm ſolùm Abbatibus, ſuis filijs, poteſt quidquam præcipere. nihil Abbatibus nepotibus, extra cœnobium Ciſtertienſe nihil Monachis particularibus. Libri regulares ab Abbate ordi-

ordinatio determinari debent, cuius authoritatem ſolus Pontifex, non tamen aliter quam Pontificis decreto Ciſtertienſis Dominus, aut Generale Capitulum poteſt limitare, vt *articul.* 5. demonſtraui. Hoc bene percalluit D. Niuellius, ac ideò meminit decreti Eugenij III. quod reperies apud Henriquez *pag.* 52. conceſſum anno 1152. ad petitionem Ciſtertienſium. vbi *num.* 5. ſic ait.: *Eaſdem penitùs obſeruantias, eandem cantum, & eoſdem libros, qui ad Officium Eccleſiaſticum pertinent, per vniuerſas Eccleſias veſtri Ordinis teneatis.* Hic ego iuxta dicta antecedenti articulo aſſero, poſſe limitare Abbatis ordinarij authoritatẽ illũ, cui Pontifex talẽ poteſtatem commiſerit. Domino autem Ciſtertienſi aut Capitulo conceſſum non video, nec hoc poteſt colligi ex Pontificis verbis, qui ſi quid limitat, ipſe limitat, & non committit alij limitandum. *Primò* iubet Eugenius omnibus Monaſterijs vt habeant eaſdem obſeruantias, puta eadem ieiunia, & mortificationes. Vult libros eſſe eoſdem, & eundem cantum; ſtantibus tamen eiſdem libris die Dominica canitur officium quod non canitur feria ſecunda; cur ergo ſtantibus eiſdem libris & cantu non poterit Abbas Pſalmos alterare, mutare Cantica, breuiare Lectiones, & Reſponſoria, & id genus alia præſtare? *Secundò*, non valet Eugenius Regulam mitigare aut mutare, ſed confirmare eius rigorem, & expoſitionem literariam, conſtat ex his verbis: *In omnibus Monaſterijs —— B. Benedicti Regula perpetuis temporibus obſeruetur, & in lectionem ipſius nullus Ordinis veſtri Profeſſor, præter ſimplicem & communem intelligentiam, quemlibet alium ſenſum inducat.* Ergo non eſt cenſendus limitaſſe Abbatum potentiam, quam ipſa Regula concedit. Cantica mutari à Prælatis vidi, Pſalmos alterari non vidi, poſſunt tamen, licèt non ſit in vſu, niſi clara interdictio oſtendatur. nam Priuilegia, quæ nõ præiudicant alteri, nequeunt per non vſum amitti. Ita Suarius *l.* 8. *cap.* 34. *numero* 17. Felinus *c. cùm acceſſiſſent. de præſcript. numer.* 26. & 27. Reginaldus, & alij.

Hæc de Congregatione Ciſtertienſi ſint dicta, de alijs analogicè philoſophare: nec credas Abbatis ordinarij authoritatem erga te limitari, quouſque ad expreſsè conſtet ex litteris Summi Pontificis ante profeſſionem tuam publicatis. Scio eſſe aliquas Congregationes erga quas Generalia Comitia ſummam authoritatem habent: alias, erga quas nullam; ſcio dari monaſteria Summo Pontifici immediatè ſubiecta, quibus omnino profui. Ius regulæ generale exponendo, quod ſinguli Doctores poſſunt iuxta leges ſpeciales contrahere, ſi in ſingulari debeant de hac ipſa materia iudicare.

Non tamen grauabor adiungere illuſtrium aliquot Virorum de hac materia conſultorum opinio. Cardinalis Turriſcremata exponens Cap. XVIII. Regulæ Benedictinæ, ſic inquit, *Hæc vltima verba* (*nimirùm* Hoc præcipuè commonentes, vt ſi fortè hæc diſtributio Pſalmorum diſplicuerit, ordinet ſi meliùs aliter iudicauerit) *ſiue cauſa humilitatis ſiuè conceſſionis S. Pater Benedictus dixerit*, (non igitur conceſſionis cauſâ eſſe dicta) *tutiùs eſt ſeruare ordinem datum per eum.* [Nota bene, ſi tutiùs ergo tutum eſt facere cõtrarium; non enim vnum eſſet tutius, nî & alterum etiam eſſet tutum.] *Nullus planè Abbas vel Monachus illam ſibi præſumptionem debet aſſumere vt aliter diſponat ordinem pſalmodiæ, quàm ipſius S. Viri diſcretionis ſtudio & laboribus exſtitit ordinatum.* Sed qui licentia ſibi regulariter conceſſa vtitur, & pſalmos ordinat vt melius iudicat, non diſponit aliter ordinem pſalmodiæ, ſed facit, quod à S. Viro diſcretionis ſtudio exſtitit ordinatum. prudens enim

c iim erat S. Pater, nec ipſi erat ordo pſalmorum tanti, vt vellet ad talem in particulari lege regulari obligare. Conſonat Cardinali Smaragdus, nam in eiuſdem capitis expoſitione ſic inquit; *Hanc autem Pſalmorum diſtributionem, non totum officium B. Benedictus in iudicantis poſuit arbitrio.* [Nota bene. Ergo ſenſit Smaragdus poſſe Abbatem numerum & ordinem pſalmorum mutare.] *hoc præcipuè commonens, vt qui vult hanc pſalmorum diſtributionem ſecundum ſuam tenere diſpoſitionem, teneat; qui autem aliter meliùs iudicauerit, illam* (nempe, quam ſibi inuenerit) *tenens, iſtam,* (nempe, à D. Benedicto poſitam) *ſine culpa dimittat. Nos autem hortamur* (aliud eſt hortari aliud iubere) *eum, qui ſecundum hanc promiſit ſe viuere Regulam, in quantum valet firmiter teneat, & conſeruet eam, & confidens de Dei miſericordia, credat quia cuſtodientibus eam patebunt regna cæleſtia.* Sed qui pſalmos mutat, ſicut Regula ſancta concedit, viuit equidem ſicut promiſit.

Hanc vult doctrinam Bertels non eſſe tenendam abſolutè, ſed cum aliqua limitatione: ſic enim Cap. 18. exponit. *Quod autem Benedictus ait, Hoc præcipuè commonentes, &c. cum reſtrictione intelligenda ſunt; nec enim omnibus id cõmittitur, vt pro ſuo nutu quiſque diſtributionem pſalmorum ordinet, puta Prioribus, Decanis, aut alijs Officiatis: imò nec ſuadere Abbatibus, niſi ijs, qui exemptionis priuilegio gaudent; ſed tutius eſt ſeruare Ordinem datum per Benedictum Patrem, nam præſumptioni, & vanæ-gloriæ adſcriberetur Abbati illi, qui aliter diſponeret ordinem pſalmodiæ, quàm ipſius S. Viri diſcretionis ſtudio & laboribus exiſtat ordinatum.* Ergo Bertels ſuadere id vult Abbatibus, qui exẽptione gaudent. poſſunt igitur. Nota illud *tutiùs* & reliqua quæ ſequuntur, exſcripta enim ſunt ex Cardinalis Commentario, & fauent ſuperiori ſententiæ: non enim aut gloriæ vanæ aut præſumptionis argui poteſt, qui facit, quod ſibi à Regula ſancta permittitur. [Alia occurrunt, aut in citatis periodis ponderanda, aut ex alijs authoribus exſcribenda; ſed miſſa facio, quod breuitati ſtudens putem dicta ſufficere.]

DISPVTATIO C.

Qui & ſub quo onere teneantur publico officio Diuino ſatisfacere.

1317 DIco primò. *Monachi omnes (ſi verè in ſacris ſint ſiue nõ) tenentur officia diuina tam parua quam canonica in choro communi, hora communi recitare; nec abeſſe poſſunt ſine licentia Superioris.* Nomine Monachorũ intelligo etiam Abbates, Præpoſitos, & Communitatis Adminiſtros, de quibus Germana Ciſtercienſium Congregatio anno 1595. tulit hanc prudentiſſimam legem. *Abbates & Officiarij, niſi legitimo impedimento detenti, quotidie præcipuis diuini officij horis interſint; diebus verò Dominicis & feſtiuis eiſdem horis, tam diurnis, quàm nocturnis, nunquam deſint, meminerintque illius Hieremiæ quo pronunciatur. Maledictus qui facit opus Dei negligenter.*

Quo iure? iure Regulæ, ac propterea ſub nullo peccato, ſed ſolùm in exteriori foro. Idcirco qui deficit non eſt cenſendus

ſendus alicuius vel leuis culpæ reus, ſed ſubijciendus pœnæ corporeæ & regulari. Vide quæ de obligationibus Regulæ *diſput.7.* expoſui. De Monialibus eodem modo debes philoſophari.

Hic obiter notandum, Canonicos & reliquos Clericos alicui Eccleſiæ deputatos potiùs teneri ad officium commune quàm Monachos Benedictinos. Id colligo primò ex ſtipendio quod ratione officij datur Clericis, non autem Monachis; vnde apparet initus fuiſſe contractus inter Clericos & Eccleſiam. Secundò, ex pœna vtriuſque, dum ſe abſentant, iniuncta. Nam *cap.9. Si quis Presbyter. diſt. 9.* iubetur Clericus *à clero deponi, qui ad quotidianum officium pſallendi matutinis & veſpertis horis*(hoc eſt, *antemeridianis & poſtmeridianis) non conuenerit*. Monachus autem negligens tam rigidæ ſententiæ non ſubiacet: vnde probabiliter poſſunt cenſeri culpæ inæquales quibus imponuntur tã inæquales pœnitentiæ. Lairuelz *in Optica Regular. ſpeculo 59. inſtruct. 11.* & Landemeter *in comment. Reg. B. Auguſt. cap.2.§. Dico tertiò,* aſſerunt, eum qui ſemel aut iterum ſe abſentant à communi officio, peccare tantùm venialiter, ſubſcribentes Caietano *verb. Horæ can.* addunt tamen eum peccare mortaliter, qui per modum vnius proponit ſe notabili tempore ab officio abſentare ſine cauſa legitimâ. Sed vtrumq; improbabile eſt, & ne diſcedam ab Ordine Præmonſtratenſi, de quo loquuntur expreſſiùs iſti authores, probo eos nec leuiter nec grauiter teneri; quia lex quæ eis indicit lectionem eſt merè pœnalis, vt admittit Landmeter iam citatus, qui dicit primò, hanc legem habere vim Statuti. Statuta autem Præmonſtratenſium in conſcientia non obligant declarante id Generali Capitulo, vt conſtat ex Epiſtola Statutis præfixa, & communi Norbertinorum opinione. Ex hypotheſi quod ſanctio hæc merè pœnalis ſit, obligat in exteriori foro, & non inducit intrinſecam obligationem.

Arguit Landmeter. Abſentare ſe à choro ſine cauſa longo tempore (puta anno integro) eſt materia grauis; ergo eſt peccatum graue.

Reſpondeo ex doctrina eiuſdem diſtinguendo antecedens. Eſt materia grauis moraliter obligatoria, nego: non obligatoria, concedo: Ratio eſt; quia non quæcumque materia grauis eſt materia peccati mortalis, ſed quæ eſt grauis & moraliter obligatoria. Explicator. Seculares non frequentant chorum, quod graue eſt; interim non peccant: quia non habent obligationem frequentandi. Ergo Præmonſtratenſes, qui teſte Landmetro quaſi ex Statuto, hoc eſt, pœnaliter, tenentur choro adſiſtere, rei erunt pœnæ Regularis ſi ſe abſentent ſine cauſa legitima, non tamen vel leuiter delinquent.

Secundò. *Qui in choro ex officio ſunt occupati quærendis Antiphonis aut Pſalmis, organis aut alijs inſtrumentis pulſandis, ſi ex recitatione ſequatur(vt frequẽtiùs ſequi neceſſarium eſt) minùs aptè talia exhiberi, non tenentur cantare elata voce, nec ſubmiſſa legere, ſed tenentur adhibere omnem diligentiam, vt præparent cantanda quæ canentium oculis debitis temporibus exponant; vel vt inſtrumenta ſua præparẽt ad excellentiùs ludendum.* Ratio eſt manifeſtiſſima; quia perſonale officium in Religione potiùs obligat quàm commune: ergo quando vtrique non poteſt ſatisfieri, ſatisfaciendum eſt maiori obligationi: ergo ſi cantans non poſſis quærere Antiphonas, ſubtice & illas quære; præſtat enim vt te tacente habeat Communitas omnia debitis temporibus expoſita, quàm te cantante libris legitimè expoſitis careat. Vrgentior eſt ratio pro ludente inſtrumentis armonicis; qui, vt bene muneri ſatisfaciat, totus requiritur, & vix poterit ſimul recitare literam, & ludere artificiosè. Quod ſi poſſis

vtrum-

vtrumque ſimul præſtare, faciat. Huc videntur reſpexiſſe Patres noſtri anno 1595. in Prouincialibus Comitiis, quæ celebrauerunt in Bauaria Edmundo à Cruce Præſide, vbi inter alia hanc definitionem ſtatuerunt. *In choro nullus priuatim dicat officium ſuum, aut aliud quippiam legat, ne ſuas canendi partes ipſi choro debitas ſubtrahat: & alios canentes offendat ac turbet, ſed ſi quis vrgente cauſa diuinum officium in choro proſequi non poſſit, petita & accepta Præſidis licentia egrediatur, & officium ſuum orando perſoluat.*

Tertiò. *Illi ſunt exempti à cantu, etiam in ipſo choro, qui præmeditantur dicenda vt meliùs dicant, etiamſi anteà habuerint copiam temporis ad præmeditandum*. Ratio eſt; quia ſi illud tempus huic præmeditationi deſtinatum perdiderint, errarunt: & errarent iterum ſi ſe periculo æquiuocationum exponerent legentes non præmeditata: conducit enim ad ſplendorem Diuini officii, quòd nullus in cantu, nullus in pronunciatione labatur. Cenſeo laude dignos iuniores, qui dum chorus alter canit, ſequentem verſum meditantur, vt meliùs pſallant. Similiter Lectionem, Reſponſorium, aut Verſum cantaturum laudo, ſi omiſſis aliquibus verſibus ſe diſponat vt ſine linguæ lapſu cantet.

Quartò. *Illi etiam, qui in ipſo choro ſunt, ſi ex aliqua cauſa diſtent à confratribus, ita vt modeſtè vox coniungi nequeat (plerumque nimis diſtat à Communitate Organiſta: qui folles eleuat, qui miniſtrat altari, & qui cymbala pulſat) pro illo tempore non ſolùm non tenentur cantare, ſed potiùs tenentur non cantare*. Patet, quia ſi canerent, officerent modeſtiæ & authoritati regulari; quis enim non videat canente conuentu eſſe indecens quod à longè vociferetur alius?

1318 Rogas, quid facturi ſint in ſimilibus caſibus promoti ad ordines maiores? Reſpondeo, eos duplici iure ad Diuinum officium teneri, nempe ratione ordinum, & Religionis. Vt ordinum obligationi ſatisfaciant, ſufficit vt ſubmiſſè recitent, quod ſi non poſſint, *obligationes publicas non intermittant*, quia hæ pro tunc ſunt maximæ: noſcent tamen defectus, vt omnia reſumant: pro quibus ſi hęc determinatè ſcire nequeãt, legant vnum aut alium Pſalmum ad æquiualentem quantitatem.

1319 Rogas, vtrùm taliter omiſſa, moraliter teneantur reſumere promoti ad ſacra? hoc eſt, vtrùm tales peccent, ſi non relegant ea, quæ omiſerunt vt eidẽ officio Diuino & publico meliùs ſatiſfacerent? Reſpondeo laudandos qui relegant, & non arguendos eſſe qui omittant; poſſunt enim ab obligatione repetendi verſus illos omiſſos abſolui, modo illos non ex malitia aut ex cauſa priuata omiſerint, ſed ex publica neceſſitate. Ita Laymanus *in tract. moral. libr. 4. tr. cap. 5. n. 6.* Syluester *verb. hora q. 7.* Lairuelz *in Optica Regul. ſpec. 59. inſtruct. 14.* Molfeſius *in ſum. tr. 5. c. 1. n. 21.* Azorius *p. 1. lib. 10. c. 13. q. 10.* Naldus *verb. Officium diuin. n. 7.* Aragon. *in 2. 2. q. 83. art. 12.* Reginaldus *tomo 1. lib. 8. cap. 12. n. 188.* Villalobos *in ſummæ to. 1. tract. 24. dub. 16. num. 14.* Ioãnes de la Cruz *in directio conſcientiæ p. 15. ar. 3. precept. 3. dub. 7. concluſ. 1.* Raphael de la Torre *in 2. 2. tom. 1. contr. diſput. 7. nu. 12.* & nouiſſimè Diana *tra. de horis can. reſolut. 13.* Ratio eſt clara & efficax: quia non poteſt intelligi Petrum bene cantaſſe totas Veſperas in choro communi, & non ſatisfeciſſe ordinum obligationi; cantauit autem bene totas Veſperas, ex. grat. cùm fuit in choro illa hora, & nihil omiſit quod deberet facere, nihil fecit quod deberet non facere. Nihil omiſit quod deberet facere Organiſta ſi luſit debitè; vel iunior ſi miſſus eſt quęſitum libros communitati neceſſarios.

Citatus Seruatius Lairuelz aſſerit cũ

qui

qui exiguo tempore (puta duorum vel trium Pſalmorum) Sacramentalem confeſſionem excipit, non teneri illos Pſalmos reſumere. Fallitur tamen; nam audire confeſſionem non eſt publico officio ſeruire; vnde, qui pulſantem campanas, ludentem organo, portantem libros, cantanda exhibentem, à lectione, ſi aliter choro publico ſeruire nequeat, abſolui ab obligatione reſumendi; confitentem & audientem non abſoluo, quia neutrum eſt miniſterium officij Diuini, ſed res omnino accidentaria.

Quintò. *Prælati Regulares ratione officij tenentur præbere bonum exemplum Religoſis choro adſiſtere, & actibus communitatis*. Occupationum titulo coguntur ſæpe choro abeſſe; nihilominus qui ſemper non poſſunt choro adſiſtere, tenentur ita negotia domeſtica diſponere, vt poſſint aliquas horas frequentare, non tamen tenentur ſub peccato graui, niſi fortè ex eorum negligentia & ignauia ſcandalum magnum ſequatur. Ita Raphael de la Torre 2.2. *tom.* 1. *contr.* 10. *diſp.* 1. *num.* 10. Diana *de hor. can. reſol.* 14. & 38. Vbi obiter notandum eſt, peccatum illud non conſiſtere in abſentia à choro, quæ nec leuiter peccaminoſa eſt, ſed in ſcandalo quod datur: vnde videndum omnino eſt quale ſcandalum detur & quantum.

Sextò. *Si aliquis Monachus (niſi fortè immineat inde dedecus, & ignominia) abſit ab actibus communitatis ſine licentia & ſine cauſa, non peccat venialiter*. Patet, quia ſolùm in foro exteriori tenetur communitatis actus frequentare, iuxta ea quæ ſæpiuſculè dixi: Eſſet tamen pœnis coercendus, & in genere exteriore obligandus.

DVBIVM INCIDENS.

1319 b. Quæritur, Quem obſtringat hæc obligatio recitandi in choro? An omnes in particulari? & ſi non, An omnes in communi? & quid ſit omnes in communi obligare?

Primus dicendi modus eſt aliquorum, qui exiſtimant omnes exiſtentes in choro, dum Officium perſoluitur, obligari ſub mortali ad attentionem, & ad cæteras circumſtantias, quæ in officio diuino maiori obligant. Quæ ſententia ſupponit primò ſingulos obligari ad attentionem in officio priuato, ſecundò communitatem non ſolum debere legere officium in communi, ſed etiam attendere in communi. Et hæc ſententia ſequentibus rationibus probari ſolet.

Prima, Quia cum pronuntiandi & attendendi præceptum chorum obliget, ex conſequenti manifeſtum videtur: quòd omnes etiam exiſtentes in choro obligare debeat. Nam cum certum ſit, quòd non obligat chorum in abſtracto, & vniuerſali: fatendum erit, obligare membra & partes chori, quales ſunt ibi exiſtentes. *Sed hæc ratio* non vrget, quia ſicut bene intelligimus omnes ſimul vnius Monaſterij Benedictini Religioſos habere dominium in communi cum tamen nullus illud habeat in particulari: benè poſſumus intelligere eoſdem habere obligationem recitandi in communi, quin hæc obligatio obſtringat aliquem in particulari. Accedit quod hic dicendi modus ſupponat ſingulos in particulari habere obligationem attendendi, quam nos ſemper negamus.

Secunda, Quia ſi non obligaret ſingulos, ſæpe contingeret, vt officium diuinum in choro abſque attentione & intentione celebraretur: & ſic idem eſſet, ac ſi non perſolueretur. Antec. patet; Quia ea eſt hominum conditio, vt in his, in quibus arctè non obligantur, facilè deficiant: & ſic fieri poſſet, omnes non attendere. *Sed non vrgeor*, quia etiam in donationibus requiritur intentio donandi, nec inquiritur cùm Communitas aliquid donat vel vendit, an ſinguli intentionem habeant.

Sed & occurrunt rationes fortes, quæ huius modi dicendi inſufficientiam, pro-

probant. *Primò* enim, ſi agamus de officio Mariano; cùm omnes in particulari ab hac conditione à Sede Apoſtolica excepti ſint; aurum videtur, eo ipſo quo choro aſſiſtant, eos tam ſtrictè & arctè obligare: quia iam eſſent melioris conditionis non aſſiſtẽtes choro, neque officium Virginis recitantes, cum ab his periculis, & laqueis liberentur.

Secundò agendo de Canonico, Quia per hanc ſententiam à choro viri timorati & præcipuè ſcrupuloſi arcerentur. Et prætereà laquei conſcientijs inijciendi non ſunt, dum ſalua veritate ac Dei honore fieri poteſt.

Secundus modus dicendi eſſe poteſt, officium obligare in choro totã Communitatem, neminem verò in particulari: illi enim, qui ad maiores ordines promoti ſunt, tenentur ad perſonalem lectionem alio titulo. Vnde ſi priuatim legant, poterunt in choro eſſe nec tamen cantare aut recitare. Hæc ſententia vt nos inſtruat ſubiungit, præceptum legendi officij impoſitũ Communitatibus eſſe ſimile multiplicationis præcepto Geneſ. 1. homini impoſito; nimirùm, *Creſcite & multiplicamini*, iuxta cuius intelligentiam D. Thomas 2.2.q.152. *art.*2. ad primum cenſet, aſſerit, hoc præceptum Domini non obligaſſe omnes & ſingulos homines, ſed tantum ipſam multitudinem. Vbi diſtinguit inter debitum & obligationem præceptorum: quòd aliud eſt debitum non à ſingulis, ſed à tota multitudine adimplendum, & tunc non quilibet de multitudine tenetur: aliud verò, quod à ſingulis impleri debet. Eodem modo videtur philoſophandum eſſe in præſenti, nempè, quod illud præceptum, vt officium in choro perſoluatur, non obligat ſingulos, ſed tantum totam communitatem, neminem verò in particulari.

Sed obiicies: Quia prædictum præceptum, *Creſcite, &c.* licèt neminem determinatè obliget, obligat tamen indeterminatè omnes, ita, vt tempore neceſſitatis tenerẽtur illud homines adimplere. Igitur ſimili modo, ſaltem tempore, quo pauci choro aſſiſtunt, omnes ad attentionem tenebuntur: aliàs periculum eſſet, vt officium diuinum in choro ſine attentione celebraretur.

Huic obiectioni P. Thomas à Ieſu *in expoſitione Regularum part. 3. dub. 4. pag.*103. reſpondet, [Quod licèt verum ſit illud præceptum obligare ſingulos tempore neceſſitatis, vt bona & maior pars Theologorum fatetur, quia illud omnes ex vi ſua, licet non determinatè, obligat tamen indeterminatè: tamen præceptum recitandi Officium B. Mariæ neminem Religioſum vtentẽ Breuiario Romano (& eodem modo philoſopharis de Canonico, ſi putes Iuniores non promotos ad ordines maiores, non teneri *illud legere in particulari*) determinatè aut indeterminatè in particulari obligat ſub mortali: imò expreſsè voluit Pius V. ſingulos ab hac obligatione eximere: & ideò tempore etiam neceſſitatis non obligantur ſub mortali ad attentionẽ ſed ſatis eſt quod obligentur ſub incurſione culpæ venialis ad eam attentionem, quæ ex natura rei annexa eſt officio diuino.] Huius inſufficientiam ſolutionis cognoſcens addit ſecundã idem Author, & ait, [Quòd tempore neceſſitatis obliget exiſtentes in choro, vt illud perſoluatur, non verò obligat attentionem: quod eſt dicere, quod hoc præceptum, vt officium huiuſmodi fiat in choro obligat totam communitatem aſſiſtentem, vt recitet illud; non tamen obligat ſingulos in particulari, ſicut præceptum, *Creſcite, &c.* At ſi ita pauci adeſſent choro, vt ſine illis commodè non poſſet recitari, tunc tenerentur illi omnes ad recitandum, licet non ad attentionem, ſub culpa mortali. Et hæc ſecunda illi ſolutio videtur eſſe melior & aptior.

Sed neutra ad rem. Prima enim *male ſup-*

le ſupponit dari attendendi præceptum quod ſingulos mortaliter obliget in officio priuato; nam ſolùm dari legendi obligationem inferiùs oſtenſurus ſum. *Male addit* Communitatem ad attentionem teneri ſub veniali. quoniam Communitatis obligationes ſi non ſint ſtrictiores vt multi exiſtimant, ſunt æquales obligationibus priuatis. Ergo ſi lectionis priuatæ non aliter ſatisfit quam legendo & attendendo, ſic etiam ſatisfiet communi, & ſi ab hac attentionem ſine morali abſtuleris, cur non potiùs ab oratione priuata? Vnde ſi Communitas tenetur legere officium Marianum aut Canonicum, omnia illa debet ponere, quæ ſunt neceſſaria vt veram orationem emittat, quod ſi ipſa ſine attentione legens verè orat, verè etiam aliquis orabit priuatim tametſi intrinſeca attentione careat.

Secunda non eſt melior prima. Quia vel tam requiritur ad orationem attentio, quàm pronuntiatio, vel non. Si dicas ſecundum, mihi ſubſcribis: ſi primum, vbi pauci fuerint in choro non ſolùm ad pronunciandum ſed ad attendendum ſinguli tenebuntur. Sit igitur Vera Obiectionis Solutio, omnes tempore neceſſitatis, nimirùm quando valde pauci in choro ſunt teneri facere, quę faciunt in priuata lectione, qui priuatim tenentur. vnde ſi iſti teneantur legere & attendere, etiam illos in caſu teneri: quod ſi iſti ſatisfaciant legendo & non attendendo, etiam illos ſimiliter ſatisfacturos.

Quod ſi quis adhuc vrgeat, quod Pius V. licet in particulari omnes ab hac obligatione abſoluat, loqui tamen ibi videtur de illis, qui particulariter extra chorum recitant, non verò de eis, qui choro aſſiſtunt. Et quòd authores, qui iuniores à lectione eximunt, intelligendi ſunt non de communi ſed priuata.

Reſpondendum eſt, abſolutè ablatam fuiſſe à Pio V. omnibus in particulari prædictam obligationem, vt ex ipſa Bulla patet: & ſolùm conſtat voluiſſe hoc concedere ſine præiudicio earũ Eccleſiarum, in quibus prædictum officiũ dici conſueuerat. Et ſic dicendum eſt, per illa verba noluiſſe Summum Pontificem ſingulos in choro noua lege obſtringere ſed relinquere vt anteà. Vnde concludimus officium diuinum in communi cum tanta eſſe reuerentia legendũ quanta in particulari, adeoque omnia illa quæ quis tenetur ponere in priuata lectione, eſſe à Communitate ponenda. Iunior, qui choro intereſt, ſi non tenetur in particulari, poterit licitè eſſe diſtractus, aut non omnia legere, ſupponens omnia ſuppleri ab alijs; quod ſi legere priuatim teneatur, iterum poterit licitè attentionem & lectionem omittere in choro, cum intentione reſumendi extra chorum. Et de Officio Mariano eodem omnino modo philoſopheris. At vbi pauci in choro ſunt, debet vnuſquiſque ſuam partem legere, (& deberet attendere, ſi attentio obligaret in lectione priuata) quia aliàs nec chorus ipſe ſatisfaceret.

Obijcies iterum. Si Papa relinquit Congregationibus antiquum morem & conſuetudinem ab eis in choro ſeruatam: ergo in illis Congregationibus, in quibus antea officium Virginis ſingulos chori obligabat, etiam nunc, cùm retinenda ſit eadem conſuetudo, eodem modo obligabit.

Reſpondeo, duas fuiſſe legendi Mariani officij obligationes, alteram legendi in communi, alteram in particulari. Hanc fuiſſe à Pontifice ablatam, relictam alteram in priſtino vigore & rigore. Addo, quod ſi Pontifex Religioſis concederet ne legerent in particulari, eodem ipſos modo, quo nunc, manſuros obligatos ad lectionem officij Canonici in communi.

Tertius dicendi modus docet, quod illa obligatio recitandi officium in choro nec comprehendat ſingulos, vt primus modus aſſerebat; nec Communitatem,

tem, vt præcedens affirmabat: ſed tantum ipſum Prælatum. Pro quo oportet notare, Pręceptum verbi gratia recitandi officium diuinum, triplici via poſse obligare Communitatem. Primò ita, vt ſingulos comprehendat & obliget. Secundò, vt obliget tantum Prælatum ipſum, non ſolùm vt recitet ipſe ſicut & alij, ſed etiam vt faciat Officium diuinum publicè in choro ſiue Eccleſia recitari: quo ſenſu verè poteſt dici, quod obligatio perſoluendi publicè officium in choro ſpectet ad Prælatum. Tertiò poteſt præceptum Communitatem non pro ſingulis, ſed tantum pro tota Communitate obligare, vt ſupra in ſecundo modo dicendi aſſerebamus: in quo ſenſu dicere poſsumus, Communitatem iam exiſtentem, in choro teneri ad canendum vel recitandum publicè Officium, licèt nemo in particulari teneatur cum alijs recitare aut canere.

Sed hic modus ſuſtineri non poteſt, quoniam ſi Prælato præcipiente Officium in choro dici, nemo obediret, ſed omnes legerent priuatim; eſset verum primò omnes ſatisfeciſse obligationi legendi priuatim: Secundò Communitatem non ſatisfeciſse obligationi legendi in communi; tertiò Abbatem non peccauiſse, quia ponitur feciſse quod potuit, ſed illos religioſos peccaſse; qui in cauſa ne officium publicè legeretur, non ſolùm in genere obedientiæ, ſed etiam in genere officij diuini, illis enim & non Prælato imputabitur illa diuini officij omiſſio, vt num. 1324. confirmatur.

DISPVTATIO CI.

De obligationibus Communitatis.

1320 COmmunitates teneri ſub peccato graui legere Diuinum officium aſserunt authores cōmuniter; nullum legi qui aſſerat contrarium, nullum qui hanc obligationem demōſtret. Videatur Suarius *lib. 4. de Horis canonicis, cap. 10.* Ne igitur ſingularis videar, ſupponam ex communi ſententia non poſse Communitatem aliquam Benedictinam omittere officium Diuinum ſine culpa mortali. Ex hac hypotheſi naſcuntur reſolutiones ſubſequentes.

CONCLVSIO.

Eodem modo iudicanda eſt Communitas in officio publico, quo Sacerdos in officio priuato. Patet, quia ſicut tenetur Sacerdos ſub culpa graui Diuino officio ſatisfacere, ita etiam ſupponitur ſub graui onere Communitatem obligari. Hinc conſtat materiæ paruitatem, quæ ſufficit ad excuſandum à mortifero Sacerdotem, debere etiam Communitatem excuſare. Ita Bonacina *de hor. can. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 1. num. 3.* Diana *ibid. reſol. 51.*

1321 Ex hac concluſione vniuerſali procedunt appendices, quas reperi apud doctos Authores.

Prima *Communitas, quæ ſine cauſa legitima recitat Horas extra tempus præſcriptum, non peccat mortaliter.* Ita Bonacina *tract. de horis can. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 3. num. 7.* Gauantius *in comm. rubr. Miſſal. tom. 2. ſect. 1. cap. 5. & 6. num. 9.* Valentia *tom. 3. diſp. 6. quæſt. 2. punct. 20.* qui intelligendi ſunt ſublato graui ſcandalo; quia ſi hoc ſit graue, non poterit excuſari à mortali: verùm vix tale in ſimili, materia iudico poſse dari. Nulla Communitas cenſenda eſt ſine cauſa alteraſse officij tempora, quæ

propter

propter honeſtam recreationem hora vna vel altera officium differt aut anteponit. Recreatio enim honeſta actus etiam regularis eſt, & cùm ferrei non ſint Monachi, neceſſarius, vt meliùs alijs obligationibus ſatisfacere poſſint, quod quidem apud ſanctiſſimos Monacos in vſu eſt.

Secunda. *Communitas, quæ inuertit ordinem officij, modò totum legat ad quod tenetur illa die, non peccat mortaliter.* Ita Bonacina & Gauantius *vbi ſuprà, cap.5. tit.8.n.3.* Diana *reſol.16.*

In reliquis omnibus rebus de Communitate ipſa vt de ſingulis philoſofator.

DE OFFICIIS PARVIS.

1322 Meritò quis dubitet, qui teneatur Communitas legere Officium B. Mariæ & officium defunctorum: An ſub eodem onere quo ſinguli particulares, an ſub maiori.

Piùs V. in diplomate conceſſo Ciſtercienſibus Hiſpanis anno 1568. non eſt auſus definire an Communitas ad hæc officia ex inſtituto, an ex conſuetudine teneretur & ideò diſiunctiuè loquitur concedens centum indulgentiæ dies quoties priuatim aut publicè Officium B. Mariæ iuxta ordinis inſtitutum ſeu conſuetudinem legeretur: quoties verò Officium Defunctorum, aut pœnitentiales Pſalmi, dies indulgentiæ quinquaginta. Coniungit Pius V. paruis officijs ſeptem Pſalmos, & lectioni publicæ priuatam. Illo igitur tempore æquè dubium erat apud Ciſtercienſes, vtrùm Communitas teneretur legere hæc parua officia, ac vtrùm teneretur Monachus particularis. Credebant itaque æquè obligari Communitatem legere officia parua in communi, ac Religioſum particularem in communi, aut ſaltem in particulari. Et vlteriùs eodem modo ſe credebant ad officiorum paruorum, quoad ſeptem Pſalmorum lectione obligari. His præmiſſis Cõcluſiones ſequẽtes proderũt dubio declarãdo.

I. *Communitas non tenetur legere officia parua iure Regulæ.* Patet. Nam in noſtra Regula nihil decernitur de officijs paruis; hæc enim pluſquã quingentis annis poſt inſtitutionem Regulæ fuerunt admiſſa. Deuotiſſimus B. Mariæ fuit melliſluus Bernardus, ſed ſuo tempore nec officium Marianum, nec defunctorum in Clara-valle legebatur.

II. *Non datur inſtitutum Ordinis indicens huiuſcemodi officia.* Probatur. Nullum eſt in Regula ſtatutum tale, nullum in charta Charitatis, nullum in aliquo vetuſto autographo: ergo. Vel ſi dari talem legem quis aſſerit, nobis illam oſtendit.

III. *Communitas tenetur legere officia parua iure conſuetudinis.* Conſtat ex Pij V. citato priuilegio, vbi ſemel & iterum aſſeritur Ciſtercienſes teneri aut ex inſtituto Ordinis, aut ex conſuetudine: atqui non ex inſtituto: ergo ex conſuetudine. Minor conſtat ex *reſol.* 2.

1323 Supereſt examinandum, qualiter hæc conſuetudo obliget. Huius difficultatis reſolutio declarari nequit ex obligatione priuata: poteſt enim Communitas introducere morem recitandi cum animo obligandi non ſe, ſed ſingulos: poteſt inſuper è contrario eundem introducere cum animo obligandi ſe ad lectionem communem, & non ſingulos ad particularem. Poteſt etiam in talis conſuetudinis introductione eſſe, Communitatis animis obligandi ſe & ſingulos: & poteſt eſse nec obligandi ſe, nec ſingulos. Ergo antequam reſolui poſſit qualiter Communitas aliqua obligetur ad parua officia, deberet innoteſcere qualiter hæc conſuetudo fuerit introducta, & in Religione perennauerit.

Seniores aliquos in Hiſpania conſului, qui abſolutè aſſerebant ſe conſuetudinis huius exordium ignorare, ſcire tamen eam non excedere quadringentos

Mm annos.

annos. Aliqui in Belgio aſſerunt ſe à maioribus audiuiſſe, conſuetudinē recitandi officia parua hoc modo introductam eſſe. Inceperunt Monaſteria diteſcere, & Monachi promoueri ad ordines maiores, ac ſimul ruſtica exercitia ceſſare: ne igitur Monachi vacantes à labore manuum torpeſcerent otio, decretum eſt vt minora officia recitarent. Alij aſſerunt parua hec officia non fuiſſe in vſu apud Benedictinos antequā veſcerentur carnibus, ſed in locum abſtinentiæ regularis introducta eſſe: plurimi enim à carnibus abſtinere non poterant, & omnes hæc officia poterant recitare. Idcirco, addunt, Pontifices Summos abſtinentiam à carnibus in parua officia commutaſſe. Hoc tamen mihi videtur improbabile: extant enim innumera Pontificum diplomata carnes Monachis indulgentia, nec in vllo dicitur, auitam abſtinentiam in aliquam lectionem commutari, quod non dici non poſſet, ſi Pontifices non diſpenſaſſent in abſtinentia à carnibus, ſed eam in alicuius officii lectionem commutaſſent.

Sanè ſi pro manuum labore parua officia Maiores noſtri ſuſtinuerint, ſequitur hæc non obligare ad culpam, & propterea ſine venialis ſcrupulo poſſe omitti. Ratio eſt: quia ſi quotidianus manuum labor commutatus fuerit in lectionem huius officii duplicis, lectio hæc grauiùs obligare non debet quàm antea manuum labor Communitatem totam obligabat: atqui ille non obligabat in foro interiori, vt omnibus conſtat: ergo nec lectio duplicis parui officij, quæ in locum laboris ſubrogatur. Patet conſequentia: quia aliàs non benediceretur manuum labor fuiſſe in parua officia commutatus.

Ecce, aliqui hanc originem paruis officiis tribuunt, alij qualis ea fuerit aſſerunt ſe neſcire, nullus noſtrum vidit quo animo hæc officia maiores noſtri legere inceperint: ergo probabiliùs eſt Communitates Ciſtertienſes non teneri in foro interiori hæc officia recitare. Probo conſequentiam: quia certum non eſt hanc conſuetudinem eſſe introductam ab habentibus animum ſe obligandi ſub peccato mortali: igitur aut probabile eſt, aut dubium. Si probabile, contrariam etiam eſt probabile, vt ex ſe patet: imò contrarium eſt probabilius, quia aliqui ſunt qui aſserant pro manuum labore hæc officia fuiſse ſubſtituta, & nemo qui aſserat ſibi conſtare, hanc conſuetudinem fuiſse introductam vt legem moralem & grauem. Si dubium ſit, ergo ſtandum eſt pro libertate: nam teſte Suario *lib. 7. de legib. cap. 15. n. 13.* & Diana *tract. de legibus reſolut.* 30. cùm dubitatur, vtrùm conſuetudo introducta ſit ex intentione ſe obligandi grauiter, an ex deuotione, prę ſumendum eſt talem conſuetudinem eſse ex mera deuotione natam.

Videtur fauere huic reſolutioni Generale Capitulum celebratum Ciſtercij anno 1618. quod definit officia parua non obligare ſub mortali. Communiter id de lectione priuata intelligimus, ſed definitionis litera generica eſt, & æquè publicæ ac priuatæ lectioni poteſt appropriari.

Si in aliquo Monaſterio hæc parua officia habuerint congruam fundationem: puta, ſi datus fuerit Communitati cenſus vel fundus aliquis ſub onere legendi officia parua remanebit illa Communitas obligata ex vi contractus, non verò vniuerſa Religio.

Quis peccet quando peccat Communitas.

1324 Ea quæ à principio huius libri noni aſſeruimus in cauſa ſunt, vt prudenter inquiramus, quiſnam peccet cùm dicitur peccare Communitas: ſicut .n. decreta Communitatis nullius ſunt Religioſi in particulari, ſed omnium in communi: ſic ſimiliter Communitatis culpæ videntur committi ab omnibus

in com-

in communi, & à nemine in particulari. Cumque à Deo in particulari & non in communi iudicandus ſis, cenſes Communitatis crimina nec ad te, nec ad alium quempiam ſpectare.

Reſpondeo primò, Communitatis culpas imputari Capiti nempe Abbati, qui ſciens & volens tales negligentias permittit illi, inquam, qui exorbitantias tolerat, quas poteſt reformare.

Si negligentiæ tales inſcio aut inuito Abbate committantur, imputabiles illi aut illis ſunt, qui in cauſa vt eæ perpetrentur.

Simili ſententiæ ſubiacent qui perſuaſione, adſiſtentia, fauore, authoritate ſimilibus culpis cooperantur.

Verbi cauſa. Sit veniale peccatum canere matutinas poſt ſolis ortum; ſi iubeat Abbas id fieri culpa hęc imputabitur ipſimet Abbati; quod ſi Prior aut alius iubeat, & iubēti & Abbati aut alijs id permittentibus imputabitur, non verò Religioſo particulari, qui chorum adire paratus eſt, quandocumque datur ſignum; non enim permittere dicitur, qui impedire non poteſt. De culpa etiā veniali illum arguerem, qui Communitatem debet excitare, ſi propria authoritate ex ſufficienti aduertentia Religioſos excitaret tantummodo poſt ortum ſolis. Tali negligentiæ imponi debet pœna ex præſcripto Regulæ *capite* 11. Similiter leuis culpæ Superiorem reum agerem, qui imprudenter tales negligentias impunitas relinqueret. Conſultò *imprudenter* dixi; quia politica prudentia poſtulat vt ſuperior multorum ignorantiam & inaduertentiam ſimulet, nec ſtatim omnia corrigat, quæ ſciuiſse dignoſcitur; nam erga ingenuos ipſamet negligentiæ condonatio efficaciſſimum eſt remedium.

Quo loco teneatur Communitas Canonicum Officium recitare.

1325 Horæ Canonicæ publicæ dici debent in Eccleſia. Colligitur ex *Clement.* 1. *de celebr. Miſſ.* Ita inter alios Caietanus *in ſumm. verb. Horæ. cap.* 5. Tomas Sanchez *Conſil. lib.* 7. *c.* 2. *dubio* 44. Sotus *li.* 10. *de iuſt. q.* 5. *ar.* 4. *ſub finem*. Sine priuilegio nullus alius locus eſt aptus. Ita idem. Hinc ſequitur peccare grauiter Communitatem, quę in ſua Eccleſia Officium Canonicum non legit, licet id in Capitulo aut in alio loco ſimili perſoluat: nam extra Eccleſiam huic obligationi ſatisfacere non poteſt.

1325 *b* Hinc radius frequentiſſimæ difficultati. Hæreticorum tyrannidi ſubiacent ſepe Religioſorum monaſteria, & Benedictina præcipuè, quæ cùm ſita ſint extra mœnia faciliùs occupantur. Prælatus & Religioſi ſimul confugiunt ad tutiora loca, & cùm plerumque habeant domos refugij, in quibus quietè & pacificè degunt quamdiu graſſantur inimici: Petitur an teneantur ibidem officio Diuino ſatisfacere?

Reſpondeo ex dictis negatiuè: nam officium fieri debet in Eccleſia, & non alibi; atqui, cùm Communitas ad aſylum confugit, non poteſt officium legere in ſua Eccleſia: ergo libera eſt ab obligatione illud recitandi.

1325 *c* Maior difficultas eſt de obligationibus alijs, quæ non reſpiciunt locum, ſed ipſammet Communitatem. Ad Pſalmos Pœnitentiales, Graduales, abſtinentias, & ieiunia eodem modo tenetur Communitas extra Monaſterium, ac intra; niſi fortè extra Monaſterium excuſetur ratione grauaminum, quæ in Monaſterio non occurrunt. Patet; quia hæ obligationes Congregationem reſpiciunt independenter à loco. Ideò Communitas cùm recreationis gratia vadit ruſticatum die ieiunij monaſtici, eodem modo à carnibus in ſylua ac in Monaſterio abſtinere tenetur.

1325 *d* Difficile tamen eſt exponere, quando extra Monaſterium cenſeantur degere Religioſi per modum Communitatis: non enim ſemper illic eſt

Communitas, vbi ſunt plures particulares. Dico igitur *primò* ſunt per modum Congregationis Religioſi, dum egrediuntur ſimul ad campos regularis recreationis cauſa; nam egreſſus ille eſt actus Cõmunitatis. *Secundò*, cùm congregantur extra Monaſterium electuri Abbatem, vel res communes tractaturi, vt approbaturi Nouitios, bona alienaturi, vel facturi aliquid quod ſine Communitatis nequeat fieri decreto. *Tertiò*, cenſeo nõ componere corpus commune congregatos *per accidens*, puta, ſi alter veniat ad domum refugij viſurus Prælatum, alter daturus rationem, & computum, alter petiturus licentiam aut tractaturus negotia priuata & perſonalia &c. *Quartò*, adnoto non poſſe extra Monaſterium Religioſos congregari *per ſe*, ſi in Monaſterio Communitas ipſa remaneat. *Quintò*; Religioſos extra Monaſterium congregatos *per accidens* non teneri ad onera Communitatis.

De Ordine Ciſtertienſi.

1325 e Reſolutiones iſtæ viderentur alicui non habere locum in Ordine noſtro Ciſtertienſi, cui Vrbanus Papa V. anno 1363. conceſſit Priuilegium ſubſequens.

VRbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monaſterij Ciſtertienſis Cabilonenſis Diœceſis, ceteriſque Abbatibus, & Conuentibus Ciſtertienſis Ordinis vbilibet conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sacræ veſtræ Religionis in quà deuotum Deo redditis famulatum, promeretur honeſtas, vt petitionibus veſtris, in his præſertim, quæ ad conſolationem animarum veſtrarum cedere valeant, fauorabiliter annuamus. Cùm itaque (ſicut exhibita Nobis pro parte veſtra petitio continebat) frequenter contingat, quòd vos propter guerrarũ diſcrimina, quæ in Monaſteriorum veſtrorum partibus frequenter ingruunt, tutè reſidere in ipſis Monaſterijs non valentes, ad caſtra & fortalitia ipſis Monaſterijs veſtris vicina recurrere, & in eis ad tempus morari oportet. Nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt liceat vobis in ſingulis caſtris & fortalitijs ipſis in locis tamen ad hoc congruis & honeſtis, erigere altare portatile, ſuper quo, quandiu ibidem occaſione prædicta moram traxeritis, ſinguli veſtrum qui fuerint in ſacerdotio conſtituti, Miſſas & alia diuina officia etiam alta voce celebrare, cũ debita reuerentia & honore (iure Parochialium Eccleſiarum, & cuiuslibet alterius ſemper ſaluo) liberè valeatis, deuotioni veſtræ authoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auinioni V. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ex hoc priuilegio colligitur non licuiſſe aliàs in grangijs aut refugijs ſatisfacere officio publico & ſolenni, quia ſi licuiſſet fruſtra hoc diploma peteretur & concederetur.

1325 f Simile fuit Dunenſi Monaſterio conceſſum, quod quia breue, vtiliter ſubiungi poterit.

ALexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Abbati & Conuentui Monaſterij de Dunis Ciſtertienſis Ordinis. Morinenſis diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtræ precibus inclinati authoritate vobis præſentium indulgemus, vt in Ciuitatib. Villis, Grãgijs, & Domib. veſtris liceat vobis cũ fami-

familijs veſtris Diuina officia celebrare, ſine iuris præiudicio alieni. Nulli ergo hominum, &c.

Eſt conceſſum ab Alexandro IV. vt cõſtat ex Bullario minori Monaſterij folio 21.

Vt literam bene percalleas adnotato eſſe licitum cuicumq; homini legere aut cantare horas Canonicas in quacumque aula, ſi hoc fiat ex mera deuotione, non verò ſi fiat ad ſatisfaciendum legi indicenti Communitatibus vt in Eccleſijs Canonicas horas perſoluant; ergo hoc priuilegio conceditur Dunenſibus, vt legendo Canonicum officium in Ciuitate, Villa, Grangia, aut Refugio ſatisfaciant legi præcipienti vt officium legatur in Eccleſia: Patet, quia aliàs eſſet nullius valoris hoc priuilegium.

Ex vi iſtius Diplomatis poteſt Conuentus Dunenſis, cùm recreationis gratia ad aliquam grangiam aut domum ſuam ſitã extra Monaſterium diuertit, ibi perſoluere horas Canonicas per modum Communitatis, quin teneatur horas ſic lectas iterũ in Eccleſia repetere.

1326 g Hinc dubio locus. Si Dunenſes bellorum cauſa propriam Eccleſiam ad tempus dererent, & habitarẽt in refugio, aut aliqua grangia, ſeu villa ſibi ſubdita; tenerẽturne moraliter perſoluere Diuinum officium? Videretur quod ſic, quia dicta *n.* 1325.*b.* limitantur diplomate hoc ſpeciali: nam Communitas illa debet perſoluere horas ſuas, vbi poſſit præcepto Eccleſię ſatisfacere; atqui etiã extra ſuã Eccleſiã in refugio, villa, aut grangia poteſt: ergo & tenetur. Minor conſtat ex fauore Alexandri.

Reſpondeo nihilominus Conuentum Dunenſem non teneri perſoluere Horas Canonicas extra ſuam Eccleſiam: poſſe tamen. Ex potentia malè infertur obligatio, quoniam illa potentia naſcitur ex priuilegio & fauore, cui cedere poteſt Conuentus, quoniam fauores nunquam conceduntur in vitis. Ergo cum ſemel Communitas ſuo Priuilegio ceſſerit, non poterit canonicè legendi præcepto extra ſuam Eccleſiam ſatisfacere, ad quam ſi redire non poſſit ratione belli vt ſupponitur, non tenebitur per modum Communitatis recitare.

1325 *b* Præterea; diſpenſatione aut commutatione vti poſſumus, ſed non tenemur: & eſſe ea deſinit, cum obligatio principalis. Commutat tibi Sũmus Pontifex ſingula ieiunia in eleemoſynam quatuor florenorum. Si ieiunes non teneberis hanc ſummam elargiri, & ea die qua hanc tribuas pauperibus à ieiunio abſolueris. Incidis in graue morbum, non teneris ieiunare, quoniam non potes: an teneberis dare determinatam eleemoſynam? potes ſanè, ſed non teneris, quia in illam commutatum eſt ieiunium quod aliàs obligarẽt. Ergo ſimiliter: in officium legendum extra Eccleſiam commutatum eſt officium legendũ in Eccleſia, ergo tenetur Communitas Dunenſis in Eccleſia vel ſaltim extra Eccleſiam legere, quoties legere in ipſa Eccleſia poſſet, aliàs non: ratio eſt eadem, quia actionis impoſſibilis ac propterea non obligatoriæ non datur obligatoria commutatio.

DVBIVM INCIDENS.

1325 *i.* In Monaſterio A erant viginti Religioſi &, defuncto Prælato, de alterius creatione agebatur. Quindecim habebant vocem actiuam in futura electione, quinque non. Decernitur electio facienda Bruxellæ vrgente legitimã cauſa (ſufficiens eſt tempore belli periculum imminens Regis Commiſſarijs, ſiue Monaſterium ſitum ſit prope inimicos, puta, in patria quam nominant *contributionis*) vocales Religioſi eò ſe conferunt, remanent in Monaſterio non-vocales. Quæritur, an teneantur non-vocales Canonicas horas perſoluere, & Monaſticis obligationibus ſatisfacere.

Videri poſſet alicui ꝙ ſic: quia nõ ſo-

 lùm

Iìm quinque, ſed & tres poſſunt facere Communitatem : ergo remanet Communitas in Monaſterio : ergo debet ſatisfacere ſuis obligationibus.

Iudico nihilominus ex hypotheſi quod habeant vocem electiuã, & quod ille electionis conuentus ſit actus Cõmunitatis, improbabile eſſe, pro eo tẽpore illos teneri ad lectionem publicam: quia nullum Monaſterium habet duas Communitates, vt ex ſe patet: Monaſterium enim non eſt duo corpora, ſed vnum: ergo vel hoc remanſit in Monaſterio vel iuit Bruxellam. Si primum dicatur, debet conſequenter dici reliquos non poſſe Bruxellæ Prælatum eligere, cùm is debeat eligi à corpore Cõmunitatis, quæ aſſeritur Bruxellæ non eſſe. Si ſecundum dicatur: ergo in Monaſterio non remanſit Communitas, ſed quinque perſonæ priuatæ; ergò ſicut illi quinque nec poſſunt Abbatem eligere, nec radicalia bona vendere, ſic nec poſſunt officio Diuino ſatisfacere: Ergo ſi in choro legant, ſatisfaciunt priuatæ non verò publicæ obligationi. ¶ Conſtat ex dictis quid reſpondendum ſit ad rationem dubitandi.

Locutus ſum ex ſuppoſitione, & quidem olim ego putabam, Religioſorum ſuffragia in Belgio habere robur aliquod. Cæterùm experientia propria inſtruor dignitates ibi contra ſpem Religioſorum ſolere conferri, adeoque ne arguam Reipublicæ Primores, dicam eò res deueniſſe, vt Religioſi vix vocem conſultiuam habeant (iure an iniuria alij examinent) nec eſſe illos per modum Communitatis Bruxellæ, cum voces ſuas dant, quia cùm ipſæ electiuæ non ſint, non ſunt dicendi Abbatem ſuum eligere, ſed &c.

DVBIVM ALIVD.

1325 k In Monaſterio N. octo Religioſi in choro ſuperiori legerunt Veſperas, alijs octo in inferiori recitantibus Completorium. Petitur, an duas Horas perſoluerint. Videri poſſet alicui quod ſic: quia vterque chorus eſt locatus Diuino officio deſtinatus.

Reſpondeo negatiuè. Quia in eodem monaſterio non dantur duæ Communitates. Ergo ſi Communitas cantet Veſperas, quicumque alibi congregantur, non component corpus Communitatis.

DVBIVM III.

1325 l Dum cantarentur Veſperæ conuocauit Abbas Religioſos omnes Vocales in Capitulum, tractaturos negotia, quorum reſolutio non poterat haberi ſine conſenſu ſuæ Communitatis. Fit in Capitulo contractus aliquis: Petitur an ſit validus.

Reſpondeo in illo Monaſterio non dari duas Communitates, ſed vnam. Ergo aut hæc erat in Choro aut in Capitulo. Si in Choro, contractus fuit nullus: ſi in Capitulo, Veſperarum lectio fuit priuata, & tenebitur Communitas iterum Veſperas legere, vt obligationi ſatisfaciat, [Concedo tamen poſſe totam Communitatem vni vel pluribus concedere procuratorium ineundi contractus reales non verò cantandi, aut ieiunandi: quoniam hæc obligatio characterica & perſonalis alteri delegari non poteſt.]

1325 m Sed petes, vbi in hoc caſu erat Communitas, in choro an in Capitulo? Si ad vtrumq; locum non clanculò ſed more ſolito, nempe publicè fuerint conuocati: qui priùs fuerunt congregati, conſtituerunt Communitatem, nec alibi alius Communitatis actus poterit inſtitui priuſquam iſte deſierit.

DVBIVM IV.

1325 i Conuentus die Iouis poſt prandium Regularis recreationis cauſa per modum Communitatis excurrit ad campos, Abbas interim domi remanens,

&c.

& aliqui Seniores Veſperas cecinerunt. Petitur an reuerſa Communitas teneatur iterum Veſperas cantare.

Reſpondeo, Regularem recreationem eſſe verè actum Communitatis, & verè tunc temporis Communitatem in ſyluis fuiſſe, non in Monaſterio, & illos qui cum Abbate cecinerunt Veſperas, fuiſſe plures per modum plurium, ac ideò priuatum Officium & non commune recitaſſe. Reuerſa igitur Communitas legat iterum Veſperas, & hoc bene perpendant Antiſtites: quia hæc difficultas occurrit ſæpe, & contrariam ſententiam vix cenſeo probabilem. Abbas igitur, qui voluerit domi cantare Veſperas, non mittat ſuos per modum communitatis ſed per modum plurium: hoc enim ſine inconuenienti fiet, duobus modis: vel ſi nemo cogatur petere remanendi licentiam, vel ſingulis nominatim egredi iubeatur. Sed hoc ipſum lector conſideret: quia ratio hæc non ſtat tanti, vt contra communem & præſcriptum Monaſteriorum vſum teneamur operari, quia contraria opinio tametſi à ratione non videatur probabilis, eſt ab authoritate & conſuetudine plauſibilis, atque defendi poteſt.

DVBIVM V.

1325 k Petis, quod ſufficiant in choro, in refectorio, in manuum labore, vt dicatur Communitas.

Reſpondet Carolus Macignus. *tract. de Horis Canonicis cap. 56. num.* 24. & Diana *p.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 31. quatuor Canonicos ſufficere ad chorum communem conſtituendum; qui tenebuntur pariformiter de Religioſis loqui: credo tamen tot requiri ad Communitatem, quot ad Collegium: ad hoc autem requiruntur tres in omnium opinione. Aliqui cenſent duos ſufficere, quibus non auſim ſubſcribere. *Dices*, in tali caſu debere neceſſariò choros ita diuidi vt alter duos, alter vnum Religioſum contineat: vnum autem non poſſe chorum efficere probas, quia vnus non poteſt cõſtituere communitatem. *Reſpondeo*. falſum eſſe in tali caſu debere vnum & duos pſalmodiã alternare, quia ſi darentur Petrus Ioannes & Franciſcus, poſſent Petro & Ioanni cantantibus, Ioannes & Franciſcus reſpondere, Præterea, eſto verũ id ipſum quod obijcitur, & dicito, In verſibus, lectionibus, & collectis quot cantant? An non præcinenti omnes reſpondent? ergo non eſt contra eccleſiaſticos mores vni cantanti reliquos reſpondere. Præterea eſto nequeat vnus ſolus in choro canere: eſto nõ poſſit Petro & Ioanni Ioannes & Franciſcus reſpondere, quæ omnia probabiliter dici non poſſunt, cur non cantabunt aut legent omnes ſimul omiſſa chororum diſtinctione, quæ eſt ſolennitati accidentaria & deficere poteſt.

DVBIVM VI.

1325 l Quæris, an Nouitij faciant corpus Communitatis: nempe, an tres vel plures Nouitij non clàm ſed publicè ſigno regulari conuocati, poſſint in choro communi Diuino officio ſatisfacere.

Reſpondent nonnulli affirmatiuè, eò, quòd in fauorabilibus ſemper Nouitij cenſeantur Religioſi: negatiuè alij, quòd nondum incorporati ſint. Sed de hoc vberius alio loco.

Quo loco legendum ſit Officium priuatum.

1326 Analogia materiæ poſtulat vt de priuatæ lectionis loco, antequam de ipſamet lectione, diſputemus. Suppono dari obligationem recitandi priuatim, & ex hac hypotheſi.

Dico, omnem locum eſſe aptum recitationi priuatæ. Ita Sotus *libr.* 10. *de iuſt. quæſt.* 5. *art.* 4. *ſub finem*, Thomas Sanchez *Conſiliorum lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 44. Sed hic vltimus cùm *n.* 2. locum valde

indecentem excipiat, & mox *num.* 4. loca ſecreta non excludat, etiam dum venter exoneratur, deberet exponere, quid nomine *loci indecentis* intelligat. Probatur aſſertio: quia nulla lex aliquem locum determinat pro officio priuato.

Dum cibus egeritur poteſt quis ſine veniali culpa Canonicas Horas recitare. Ita Nauarrus *cap. quando c.* 5. *art.* 8. Ioſephus Angles *in florib. quæſt. Theol. mater. de orat. fol.* 329. Sanchez *vbi ſupra*, & alij, contra Sotum, quem ſuperiùs citaui, aſſerentem non poſſe in ſecreto loco officium legi ſine aliqua culpa. Probatur. Quia in illo loco poteſt quis præſtare omnia requiſita; poteſt enim habere attentionem & deuotionem extrinſecam, & bene pronuntiare: ergo & ſatisfacere, nam bene ſatisfacit, qui ponit omnia requiſita. Nec ille locus poteſt eſſe cauſa non ſatisfaciendi; quia ibi Petrus aliis præceptis maioris momenti ſatisfacit, ergo & obligationi legendi. Conſequentia eſt clara; nõ enim maior ratio eſt vnius quàm alterius. Minorem probo. Quia in illo loco concomitanter ſatisfacit Stabilitati, Caſtitati, Paupertati, &c. voluntate habituali: & quod fortius & efficacius eſt, etiam operatione actuali ſatisfacit Decalogo indicenti omnes actiones neceſſarias ad ſuſtentationem indiuidui; tum etiam Regulari ſtatuto indicenti modum ſatisfaciendi huiuſcemodi neceſſitatibus. Ergo ſecretus locus non eſt indecens ad legendum priuatim. Dari leges publicas de locis ſecretis, certum eſt; ciuiles occurrunt aliquando, Regulares frequentiùs. In Regulæ P. Benedicti cap. 8. *A Paſcha autem vſque ad ſupradictis Kalendas Septembris ſic temperetur hora Vigiliarum agenda, vt paruiſſimo interuallo, quo Fratres ad neceſſaria naturæ exeant, cuſtodito, mox Matutini, qui incipiente luce agendi ſunt, ſubſequantur.* In libro vſuum Ciſtercienſium cap. 72. §. de Dormitorio. *Intrantes autem domum neceſſariam quantùm poſſunt abſcondant vultus in capucijs ſuis, & ita aſſideant manicis ante ſe plicatis, & cuculla ad pedes dimiſſa, &c.*

An Communitas teneatur cantare Horas Canonicas.

1327 *Cantare* ille dicitur qui pſallit in tono conuenienti Antiphonis ſecundùm punctorum variationem regulariter determinatam. *Cantus* diuiditur in enarmonicum & Gregorianum. Canunt ſecundùm normam Gregorianam, qui ſine diminutione interuallorum præcinenti vniſonant, aut æquiſonant: canunt verò enarmonicè qui conſonant in diuerſis diſtantijs. Hiſpani Enarmonicum *Canto de organo* dicunt, & Gregorianum *Cantollano*.

Ille *indirectum legit*, qui in eodem puncto cantat; qui canendi modus ab Hiſpanis vocatur *Entonar*, Intonare.

Tandem ille *legit ſimpliciter*, qui eadem voce qua communiter loquimur, nempe voce cui nulla poſſit aut conſonare aut diſſonare.

Petitur, qui debeat Communitas Officium Canonicum perſoluere, legendo, cantando, an intonando. Conſultò de Communitate ſolùm dubito; quia particulares ſatisfaciunt cùm ſimpliciter legunt, nec tenentur priuatim cantare aut intonare. Ad quæſtionis huius deciſionem manuducent ſubſequentes reſolutiones.

Prima. *Standum eſt Religionis & Monaſterij cõſuetudini.* Religionis quidem: nam Diſcalceati Canonicas Horas intonant; ſimiliter fit in aliquibus paruis Monaſterijs aliorum Ordinum.

Secunda. *Nulla Communitas Religioſa tenetur Horas armonicè perſoluere.* Patet; quia ſufficit ſequi diſpoſitionem Gregorianam. Hic cantus inarmonicus multum diſplicuit Caſſinenſibus, à quibus proſcribitur in expoſitione Capitis XIX. hac lege ſeueriſſima.

Probi-

Prohibemus, inquiunt, *fieri organa in poſterum de nouo in Monaſterijs noſtræ Congregationis, abſque permiſſione Capituli Generalis. Si qua tamẽ ſunt Monaſteria, quæ ea habuerint, nõ niſi in feſtis duplicibus, quæ obſeruantur in diuerſis monaſterijs, & ciuitatibus, pulſentur: & hoc per alios quàm fratres noſtros, quibus interdicimus, tam prælatorum organorum quàm aliorũ muſicorum inſtrumentorum pulſationem: imò etiam eis inhibemus, vt nec addiſcere, nec alios doceri poſſint. Et idem de cantu figurato intelligimus, videlicet neque ipſi addiſcere neque alios docere, neq; extra chorum eo vti poſſint, ſine licentia Superioris, ſub pœna de qua ſupra: quoniam ex huiuſmodi vana leuitate plurimos labi vidimus, in ſuarum perniciem animarum. In choro autem alijs diebus à præſcripta hebdomada ſancta, cantum figuratum penitus inhibemus*. Sed an in iure hæc omnia conſtituta alij viderint.

Non omnino abſunt à Caſſinenſibus Germani, qui in ſtatutis latis Cæſareæ in Prouincialibus Comitijs anno 1626. hæc habent. *In diuinis officijs & celebratione miſſæ, Organorum & Muſicæ (quam inter Miſſarum ac Veſperarum ſolemnia tantum, & ad ſalue Regina, itemque ad TE DEVM LAVDAMVS, in quinq; ſummis feſtiuitatibus, in nulla verò diuini officij hora toleramus,) ſit moderatus vſus, caueaturque ne illi aliquid quod leuitatem vel laſciuiam redoleat, miſceatur*.

Tertia. *Benedictina communitas, quę parua eſt, non tenetur cantare; debet tamen intonare ſeu indirectum legere; & peccabit venialiter, ſi ſimpliciter legat abſque rationabili cauſa*.

Quarta *Magna Cõmunitas Benedictina tenetur canere; peccabitque venialiter ſi cantum ſine cauſa intermittat; poteſt tamen vti alterutro, nempe Armoniaco ſeu Gregoriano*.

Probantur hæ duæ Reſolutiones vltimæ: Quia Prælatus tenetur curare ne in ſuo Monaſterio aliquid agatur contra Regulam: contra Regulam autem eſſet, ſi magna Communitas cantum omitteret, & ſi parua officium ſimpliciter legeret: peccaret igitur Prælatus qui huic non ſatisfaceret obligationi. Peccaret quidem ſed non mortaliter; quia cantus non eſt res præcepta, ſed rei præceptæ circumſtantia; nam Communitas magna quæ Horas non caneret, ſed legeret, peccaret venialiter.

Huius venialis culpæ non ſunt reæ Communitates illæ, quæ ex rationabili cauſa cantum aut tonum omittunt. Semel in Monaſterio maximo correptus fui morbo, qui ita graſſabatur vt nec famulo. Parceret. PP. Ieſuitæ ſubmiſerunt nobis aliquot famulos, quibus ſexta die ſimiliter morbo correptis debuerunt alij miniſtrare: Patres Franciſcani aliquos Conuerſos, qui Deo auſpice incolumes ægrotis ſumma cum laude ſeruiuerunt. Interim Horæ canonicæ nequidem intonabantur; iubebantur duo vel tres ſimpliciter legere, & fortè qui priuatim vix tenerentur. Nemo tamen de negligentia Communitatem illam arguit; quia ad impoſſibile nemo tenetur.

Præter morbum etiam ſtudia excuſant. Collegia noſtra magna ſunt: Horas nec canunt, nec intonant, ſed ſimpliciter legunt, vt ſtudioſi meliùs poſſint literis Diuinis vel etiã humanis vacare.

Actuales occupationes etiam excuſant. Puta, ſi die ſolenni Prima, Sexta, & Nona intonaretur, vt Tertia & Miſſa fierent magnificentiùs.

Quinta. *Nulla magna Communitas intuitu diſciplinæ ſeuerioris & ſublimioris perfectionis poteſt cantu Gregoriano intermiſſo Canonicas Horas intonare*. Patet; quia cantus indicitur ex decreto Regulæ, cui ſatisfacere meliùs eſt, quàm non ſatisfacere.

Hæc Concluſio ponitur contra nonnullos reformationis ſtudioſos, qui & ipſi

ipſi reformatione egerent, nam & indiſcretione laborant. Carnes proſcribendas ingeminant, & laudo, modò cum ipſis etiam piſces pretioſi, & extraordinarijs aromatibus conditi proſcribantur. At cantum Gregorianum. cur? ſic cecinerunt Patres noſtri ante S. Gregorij tẽpora, tametſi ab illo nomine habeat: nec debet reformationis titulo intermitti, illi enim reformatiſſimi ſunt, qui meliùs ſatisfaciunt à vitis legibus; ideoque nec eſſet reformata Capucinorum Communitas, ſi cantum Gregorianum admitteret; nec Benedictina, ſi omitteret; nam vtraque diuerſis obſtringitur legibus, quibus laudabiliùs faciet ſatis.

Huc reſpiciebat Nicolaus Poucherat, Ciſtertii Abbas, qui anno 1615. viſitãs ſanctiſſimum Specioſæ-vallis Monaſterium tulit hanc legem: *Diuinum Officium diurnum pariter, & nocturnum quotidie integrè deuotè & attẽtè, non præcipitanter, curſim, & oſcitanter, nec etiam è contrario nimia cum protractione: ſed diſtinctè clarè cum intermedijs pauſis & punctis non incipiendo verſum ante finem alterius decantetur, & norma pſallendi à S. P. N. Bernardo præſcripta accuratè obſeruetur.*

Sed inquiris, quænam ſit iſta pſallendi norma à D. Bernardo tradita?

Reſpondeo è traditione iam ſcripta conſtare S. Patrem canendi legem ſuis Claræ vallenſibus indixiſſe, Deo & Angelis gratam, quæ ad hos terminos reduci poterit. *Pſalmodiam non nimium protrahamus, ſed rotundè, & viua voce cantemus Metrum, & finem Verſus ſimul intonemus, & ſimul dimittamus. Punctum nullus teneat, ſed ſtatim dimittat. Poſt metrum, bonam pauſam faciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præſumat, aut poſt alios pneuma trahere, vel punctum tenere. Simul cantemus, ſimul pauſemus ſemper auſcultando. Quicunque incipit Antiphonam, aut Pſalmũ, aut Hymnum, aut Reſponſ. aut Alleluia, vnam, aut duas partes ſolus tractim dicat, alijs tacentibus: & ab eo loco quo ille dimittit, alij incipiant, non repetentes quod ille iam dixit. Similiter teneatur dum Cantor incipit Antiphonas, Alleluia, & Reſponſoria. Hoc vbique ſeruetur, ne alter redicat quod iam ab altero dictum eſt: dum Hymnum, Alleluia, & Reſponſoria cantamus, in clauſulis aliquantulum expectamus. Maximè tamen in Feſtiuis diebus. Deinde ſuper Cantica vos moneo fratres chariſſimi purè ſemper, ac ſtrenuè diuinis ſemper intereſſe laudibus. Strenuè quidem, vt ſicut reuerenter, ita & alacriter Domino aſſiſtatis: non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis, & remiſſis vocibus muliebre quiddam, & balba de nare ſonantes, ſed virili (vt dignum eſt) & ſonitus & affectu voces ſancti Spiritus depromentes. Purè verò, vt nil aliud dum pſallitis cogitetis. Antiquum etiam Ordinis Statutum ita dicit. Viros decet virili voce cantare, & non more fœmineo tinnulis, vel (vt vulgo dicitur) falſis vocibus veluti hiſtrionicam imitari laſciuiam, Et ideo conſtituimus mediocritatem ſeruari in cantu: vt & grauitatem redoleat, & deuotio conſeruetur.*

Quod tempus ſit ſingulis Horis Canonicis determinatum. Temporis Mathematici & Ciuilis, Certi & Probabilis diſtinctio valde neceſſaria.

1328 Nulla Congregatio eſt, quæ non habeat rituum & vſuum librum, tempora Horis Canonicis prędeſtinantem. Legislator noſtri Sãctiſſimus Horis prædeterminat tempora in Regula cap. 8. Vigiliarum Horam determinat his verbis: *Hyemis tempore id eſt à Kalendis Nouemb. vſq; ad Paſcha, iuxta conſi-*

conſiderationem rationis hora octaua noctis ſurgendum eſt, vt modicè ampliùs de media nocte pauſetur. & c. 11. *Dominico die temperiùs ſurgatur ad vigilias*. Laudes cantari debent cùm dies clareſcit, Cap. 8. *Mox Matutini* (ſic *Laudes* Benedictus nominat) *qui incipiente luce agendi ſunt, incipiantur, &cet.* [Videtur ſequi horologia Menſis Martij]

Stantibus eiuſdem legibus ſumma eſt praxis varietas propter Horologiorum varietatem. Petis quando dicendum ſit eſſe verè horam determinatam. Hæc quæſtio licèt de ſingulis horis excitetur, frequentiùs de duodecima nocturna, ventilatur, videlicet quando dicenda ſit eſſe hora noctis duodecima. Hæc doctrina non ſolùm Communitati proderit, ſed ſingulis etiam priuatim. Nam die Sabbathi à media nocte poſſunt carnes comedi, & Horæ diurnæ diei dominicæ validè recitari. Ante hanc horam officium perſoluiſſe teneris.

Dico igitur Primò. *Nullum Horologium eſt infallibile, ideo nulli neceſſariò eſt ſtandum*. Demonſtrat ipſamet experientia; eſt enim ita difficile horam exactè adſequi, præcipuè noctu, vt Tycho Brahæus Coriphæus Aſtronomiæ ceſſerit fatis antequam modum inueniret quo horas nocturnas metiretur exactè. Nec rotis, nec calybi, nec tritæ arenæ, nec calcinato plumbo, nec exſtillato viuo-argento pepercit, interim intentum non obtinuit. Lege *Progymnaſmatum li. 1. c. 2. §. Quin & ego. pag. 149.* & miraberis ſummam diſcernendi nocturni temporis difficultatem.

Secundò. *Omnia Horologia habent vim opinionis probabilis, niſi ita exorbitent, vt eorum error clarè & euidenter cognoſcatur*. Hinc conſtat neminem deberi ſequi hoc potiùs quàm aliud; nã in merè probabilibus eſt licita quæcumque pars. Ex hac Reſolutione ſequitur poſſe carnes comedi die Iouis vſque ad noctis duodecimam, ſequendo tardius Horologium: poſſe comedi à nocte, quæ Sabbatho & Dominicæ intereſt, ſequendo velocius. Interſtitiũ temporis, quod ab Horologio primo ad vltimum interijcitur, commune eſt; quia probabiliter ad antecedentem, & æquè probabiliter ad ſequentem diem reduci poteſt. Nec ego primus, qui horologia Philoſophorum probabilibus ſententijs adſcribo; lego in Claud. .i. Cæſaris Apocolocyntoſi, quæ nomine L. Annæi Senecæ circũfertur, (n. 3 r.) *Horam non poſſum tibi certam dicere, faciliùs inter Philoſophos, quàm inter horologia conueniet*; vnde non poſſum ſine admiratione legere Iuniorum aliquot reſolutiones, qui horologij fidem neceſſariò adhibendam ſupponunt. Ne poſſet Rhenanus in commentario huius libelli, qui vt exaggeraret Philoſophorum diſcordiam; quaſi argumentum ſumeret ab impoſſibili, ne diceres

Nam priùs incipient turres vitare columbæ.
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.

hoc enim videretur poeticum & alienum à Critici ſeueritate, enumeratis varijs iiſque repugnantibus Philoſophorum opinionibus, ſubiunxit; *Proinde neutiquam abſurdum erit ſi iocum Senecæ vertimus, vt dicamus. Faciliùs inter horologia conuenire, quam inter Philoſophos*. Supponebat igitur Rhenanus eſſe humanitus impoſſibile ad vniformem concordiam horologia reducere.

Tertiò. *Horologia accurata horæ quadrante à veritate ſepiùs deuiant*. Imò dum actualiter hęc ſcribo in noſtrò Dunenſi Monaſterio ſito intra mœnia Ciuitatis Brugenſis, experior tribus quadrantibus aliquod Horologia, quæ bene regulata dicuntur, ab alijs diſſidere: ergo temerarius non erit, qui cenſuerit Vrbis Horologia, quæ à ſtolidis ſepiùs diriguntur, integro quadrante exorbitare. Ideo quadrante horæ ante-

quam ſonet duodecima, incipit dies ſequens probabiliter; & æquè probabiliter antecedens dies finitur quadrante poſtquam ſonuerit hora. Qui in pago aut in eremo fuerit, vbi ſolùm eſt vnum Horologium bene regulatum, probabiliter poteſt credere illud pluſquã horę quadrante à veritate exorbitare.

Hæc dixi de hora phyſica prout cõmuniter cognoſci poteſt, cuius exactus computus vix Viro in Aſtronomia doctiſſimo ſolet contingere. Quid ſi Petrus haberet horologium exquiſitiſſimũ mediæ noctis tempus præcisè indicens? Reſpondeo, adhuc in tali caſu tempus non debere mathematicè & metaphyſicè, ſed ciuiliter ac moraliter accipi.

Dies notabiliter incepiſſe dicitur, cum eius octaua pars effluxit, nempè poſt mediam noctem hora tertia. Dies leuiter eſt inchoata cum harum trium horarum effluxit quaſi octaua pars, nẽpè hora o. min. 22. ſec. 30. Non puto præcepta Politica, ſiue Eccleſiaſtica illa ſint, ſiuè ſæcularia, tàm exactè poſſe tempus decernere, vt reus ſit qui ſublatis aliis inconuenientibus, opus præceptum differat vno quadrante; quia aliàs Eccleſia rebus faciendis Mathematica tempora indiceret, non moralia; quod eſt contra vniuerſorum opinionem.

Hæc vltima Concluſio meo Bandeio, tametſi optimo amico diſplicuit; cauſam Horologiorum animoſiùs ſuſcepit; ſed & feruorem ipſius ego ſequentibus litteris remiſi.

Moris eſt apud Iuriſperitos, vt ſi ingenium doctrinamque velint oſtendere cauſæ periclitanti & tantum non iniuſtæ faueant; aura enim ſecunda & ſedato oceano vel imperitus nauta pinum dirigit, ſed qui confligentibus ventis, & procelloſis fluctibus tumultuantibus poteſt, non niſi expertiſſimus eſt; adeoque iuſtam cauſam & notam defendere ille poteſt, qui Iuſtiniani volumina viderit licèt non aperuerit; at ignotam & iniuſtè ſimillimam deducere, explanare, probare, & tandem reddere victricẽ nullus niſi doctiſſimus. Dolenti capiti opem remediumque feret quælibet anus, at laboranti ardore ſanguinis & febri pertinaci, ille ſolus qui altè calleat regulas & fundamenta medicinæ. Ergo & Tu mi Leander, ab ingenio laudaberis, quòd cauſæ Horologiorum deſperatę imo, & perditæ volueris tanto conatu & niſi opitulari, & iam iam mandandam obliuioni defendere. Bene gubernata Horologia dixi horæ quadrante exorbitare & captioſus in verbis, ingenioſus in circulis, me obſides, te torques, me exerces. *Si bene gubernata inquis, quiexorbitant? & ſi exorbitant, qui bene gubernata vocantur?* Et reſpondeo, me bene gubernari illa dicere, quę minùs malè, quòd ſi omnia male gubernari aſſeras, conſentiam illicò, & ceſſabit diſſenſionis occaſio. At, vt video, plus campanis in clauſtro, quàm in vniuerſitate defertur. Verùm illis quid debes? An illarum ideò patronum agis, quòd ſub mediam noctem ſomnum tuum frangant, lecto amoueant, & choro ſiſtant? an quòd tota die tua interrumpant ſtudia, & à litteris abſtrahant? Sanè tibi illæ doctrinam inuident, nec dignæ, quæ tua doctrina protegantur. Sed non adquieſcis; detraxi illius honorem, & vt reſtituam coagis. O diligens Horologiorũ aduocate timeo ne honoris illa prætenſa reſtitutio, futura ſit maioris confuſionis occaſio. Campanas igitur, iam clientes tuas conſoleris; ne ægrè ferant argui de quadrantis horæ exorbitantia: ſuadeas; ne in cauſa ſit ipſa vexatio, vt ille quadrans creſcat, & mediam horam pertingat aut excedat.

Sed vt video, actor es nimis pertinax, & reſpõdere omnino debeo, & meæ sẽtentiæ rationes & momenta producere.

Suppono igitur primò, Horologia Tychonica fuiſſe optima, quæ haberi potuerunt. Vix fuit mechanicæ Aſtronomiæ

nomiæ dedititiſſimus, qui nullis vnquam pepercit expenſis, vt inſtrumenta perfectiſſima haberet, & quidem Automata haberi debere inter pręcipua manifeſtum eſt.

Suppono ſecundò Ioannem Keplerum trium Cæſarum Mathematicum & Tychonis pro tempore alumnum, & amicum, in horarum doctrina doctiorem vniuerſis illis cuſtodibus, qui in turribus habitant, & ciuica horologia regunt.

Has duas poſitiones ego aut negari, aut in dubium verti non patiar; ſunt enim nimis claræ & conſpicuæ. Sed arguam ſic. Tychonica horologia fuerunt præſtantiora omnibus ciuicis; Ioannes Kepplerus omnibus ſacriſtis & Cuſtodibus doctior & diligentior: atqui horologia Tychonica recta à I. Kepplero, ciuica ab eo correcta pluſquàm horæ quadrante ſæpe, imò & aliquando tribus aut circiter exorbitant. Ergo ſine campanarum iniuria dici poteſt, Horologia, quæ bene gubernata dicuntur, intra quadrantis horæ terminos excedendo deficiendo luxari. Probaturus minorem aliquas eiuſdem I. Keppleri obſeruationes producam, in quibus ipſe Horologia cum cęlis, campanas cum ſtellis comparauit.

Anno 1598. die 21. Februari ſtylo nouo, mane contigit eclipſis Lunæ, quam obſeruauit Kepplerus Gratij, & deſcripſit his verbis (Opticæ pag. 368.) *Quo tempore tintinnabulum Vrbis ſonabat horam tertiam, diſtabat ſpica à vertice grad. 56. 40. quadrante ligneo ſpithamali. Hæc Spicæ altitudo adderet horæ vrbis minuta* 24. [attende bene. Horæ quadrans 15. minutis conficitur, & hic horologium, propter inſtantẽ eclipſin, vt ſolet, accuratiùs directũ, 24. min. hoc eſt quaſi media hora exorbitat.] *Hora ergo vrbis* 4. 30. (hoc eſt cæleſti 4. 54.) *nondum interuoſcere potui defectum: ſed potuit fieri propter nubes, vt tunc inceperit, Nam minùs duobus quadrantibus poſt, Luna nondum ex dimidio obſcurata, planè erecta ſtetit. Paulò poſt quintam* (vrbicam, hoc eſt cæleſtem 5. 24.) *dimidiæ diametrus cefecit, Luna iam inclinata. Paulò ante ſextam* (vrbicam, hoc eſt re vera cœleſt. 6. 20.) *tenuiſſimo cum lumine ſe poſt nubes ſubduxit, adeò vt videretur adbuc decreſcere, & Lumen omne perditura. Caderet ergo initium paulò ante quintã; vltima phaſis circiter 20. minutis poſt ſextam. Et fuit id circa medium. Nam Vvandesburgi* (vbi tunc agebat Tycho) *obſeruata eſt non penitus deficere. Referunt autem Tychonici mediũ huius Eclypſeos* (Principis obſeruatione adiuuante calculos, nam finis ſub terria fuit) *ad horam 6. 5. Huennæ.*

Anno 1601 die 9. Decembris veſpere obſeruauit I. Kepplerus aliam Lunæ eclipſin, & *vtebamur* (inquit) *horologio Tychonico. Initium curſus fortuitum erat. Adhibuimus & quadrantes magnos, notandis appulſibus ſiderum in meridiem. Locus Solis fuit in 17. 48. Sagittary.* Ergo cum horologium illud inducerẽ horam 5. 51. erant in meridiano Marchab, & Scheath Pegaſi; vnde hora eruitur 5. 38. diſcrimine ab Automato quaſi minutorũ 13. Rurſum cùm idem horologium indicaret horã 8. 51. erat in meridiano lucida Ariatis, quod horam veram dedit 8. 38. rurſum ecce minutis 13. diſcrepantibus: ita Automati momenta componitur cum cælo. [An non horæ quadrante hic à cœlo Tychonicum Horologium deuiat? ſanè ſi 13. min. à 15. min. diſtinguas nimis exactus es; & illud nimis omnino exorbitans, & ſi Tychonicum & à doctiſſimo Aſtronomo directum.] Igitur hora Authomati 5. 35. hoc eſt, cęleſti 5. 22. notatur merum initium. Automato 6. 56. hoc eſt, reuera 6. 43. Circulus per contra vergebat in cornu Tauri & Capellam. Aberat ergo adhuc à Medio quaſi minutis 10. horaris. [Iterũ cęli &

Horo-

Horologij eſt 13. min. diſcrimen.] Automato 7. 7. hoc eſt, hora 6. 53. vt ipſemet Kepplerus exprimit [ecce iam 14. min. differentiam; an multum iam diſtat à quadrante ſiue minutis 15.?] Incedebat circulus hic medio loco inter humeros Erichthonij verſus polarem. Ergo Medium circiter. Rectè: iam enim medium, vel peragebatur, vel certè peractum erat.

Pragæ; idem Ioannes Kepplerus anno 1602. die 4. Iunij veſpere obſeruauit finem Eclipticos in hunc modum. Horologium (inquit) Tychonicum ad manus erat, minuta & ſecunda indicans. Illud, vtcumque initio rurſus capto, accomodatam ad Solis occidentis altitudinem graduum 4. 40. Erat ergo vera hora 7. 24. [horam 7. 58. reponit Gotefridus Vvendelinus ex calculo. vbi videris in hora etiam ſolari non conuenire Aſtronomos, eſſeque inter Kepplerum Vvendelinumque, viros doctiſſimos, differentiam minut. 34. quæ videtur intollerabilis omnino.] Occaſus Solis per calculum, vt etiam ex proportionali argumentatione Altitudinis annotatæ priùs: Luna orta eſt in craſſis nubibus. Hora 8. 43. Primò viſum luminis Lunæ veſtigium, Hora 8. 54. de rotunda circumferentia Lunæ ſextans aberat. Hora 9. 0. Nondum omnis defierat. Hora 9. 2. viſa circumferentia, ſed pallida. Defierat ſanè vno minuto poſt, Hora ſcil. 9. 3. Calculus Tychonicus exhibuit finem hora 9. 19. idque per horarium, Aequationem temporis Semidiametros Lunæ & vmbræ, differentiam meridianorum Pragę & Huennæ, à Tychone conſtitutum: quę mutari poſſunt, ſalua Hypotheſi, ipſos articulos oppoſitionum repræſentante. Hæc ille, oratione, vt apparet, deſperationis pleniſſima: quod hiatu tam immani, videat diſcrepare Tychonis calculum à cœlo.

Pragæ, Kepplerus horologio Tyconico rurſus eſt vſus anno 1603. die 24. Maij veſp. quod cum indicaret horam 9. 12. 30. Arcturus erat in Meridiano: vnde vera hora colligitur 9. 54. ferè: ita Tychonicis momentis addit identidem minuta 42. [hoc eſt, quaſi tres horæ quadrantes non niſi 45. min. complectuntur.] Sic enim & Automato 10. 42. ex culminatione capitis Serpentis horâ aſſignat 11. 24. (iterum differentia min. 24.) & quoniam ſtellæ iſtæ ſatis altæ attolluntur in verticem: audeo illis fidere. Igitur automato 10. 10. hoc eſt, hora 10. 52. (addit iterum 42. min.) vibratio Lunæ (inquit ipſe Kepplerus) in meis oculis, perſpicillis ſemotis frangebatur. Si ergo tunc frangebatur Luna, profectò id fuit initium: confirmaturque ex eo, quod Automato 10. 42. Culminante capite Serpentis, hoc eſt, hora cæleſti 11. 24. iam deerant quinque digiti. (Ecce iterum examinata, & reperta eadem 42. min. differentia.) Cæperat ergo deliquium ſaltem ante min. 30. vt minimum: omninò ex hora 10. 54. Rurſum Automato 10. 51. h. e. (addendo illa 42.) hora 11. 33. deficiebat dimidium: & Automato 11. 9. ſeu hora 11. 51. aberat dimidium circumferentiæ: digiti nempè, ſuprà 7. 15. de abfuturis totis octo: (Nam & pag. 217. Opticorum Paralipomenon clarè affirmat viſam marginem partis obſcuratæ, quamuis plures tertia parte teſtaret, id eſt, pluſquam digiti 4. adhuc lucerent. Dixerunt ergo ſpectatores obſcurę partis circulum anguſtiorem, planè ſit relatum in horam 10. 52. vel 54. & medium ad horam 12. 17. vel 18. pertineat: ſic docentibus calculis, ſic dictantibus circa id momentum Phaſibus.

Sed & anno 1603. die 18. Nouembr. veſpere Ioann. Kepplerus ſcribit cępiſſe eclipſin Pragæ 10. min. poſtquam culminaſſet dexter humerus Aquarij. Cùm iam ante mediam horam lumen palleſcens, in illa parte notaretur: cumq; Sol fuerit in gr. 25. 55. Scorpij, hora arguitur 6. 21. Recognouit hanc ipſam Keppl-

Keppleri obſeruationem Vvendelinus, & ait *Reuera fuit 6. 30. ſi dimenſis obſeruatio mea fuit legitima: & eſt Kepplero ſolemne anticipare initia, aut certè in ſtella peccatum eſt, quæ alia fuerit*. (ergo Kepplerus Vvendelinuſque in hora, quam ab ipſomet hauſerunt, differunt 9. minut. hoc eſt, horæ medio quadrante.)

Anno etiam 1617. die Auguſti 16. ſub veſperum Lincij Ioann. Kepplerus inuenit plus dodrante in vmbra, cum iam per vrbem ſonnuiſſet ſeptima, h. e. (correcto horologio per Azimutum & altitudinem Lunæ) eſſet hora cæleſtis 7. 14. [Vbi noto illud *iam ſonuiſſet*, ergo iam ante. da vel vnum minutum, ſi plura non velis, & à 14. aufer & habebis 13. ſed illud *iam* apud Vvendelinum tria minuta cōplectitur, ait enim.] Quoniā ergo iam modico ante ſonuerat ſeptima, fuerit ſanè momentum vrbicum 7. 3. ita horiſonio addenda fuerint minuta 11. vel (prout ipſemet Kepplerus concipit) 10. circiter: vt proin dodrans ipſiſſimus defecerit hora vrbica 7. 0. cæleſti 7. 10. Emicuit rurſum hora vrbica 9. 0. cum recepiſſet quadrantem lucis, hoc eſt hora cæleſti 9. 10. Medium ergo fuit hora vrbica 8. 0. quæ fuit cæleſtis 8. 10. ad ſummū. Iam verò horiſonio 9. 15. id eſt, 9. 25. lucebat dimidium circuli, minus dimidio diametri. Horiſonio 9. 30. hoc eſt hora cęleſti 9. 40. lucebat dodrans. Denique autem horiſonio 9. 45. hoc eſt 9. 55. erat adhuc quadrans digiti in vmbra: ac paulò poſt viſa eſt integra, hora cæleſti 9. 56. Apparet hinc Hercium inter & Lincium media eſſe minuta horaria 39. ad ſummum: quod planè cum ſuperiori obſeruatione congruit; quæ Leodium Lincio dedit occidentalius minutis 37. Eſt enim Hercium occidentalius Leodio minutis 2. 15. ſatis accuſatè definitis. [Ecce perpetua eſt 10. min. differentia inter Horologium, & Cælum.]

Colligamus igitur temporum exorbitantias, eruditiſſime Leander, & videamus bona fide, quanto labore & cura 1. Kepplerus errores oſtenderit Horologiorum. Igitur digneris attendere. Anno enim 1598. exorbitatio Horologi Vrbici 24. minutorum fuit; Anno 1601. Horologij Tyconici error minutorum 13. imò etiam 14. Anno 1602. differentia temporis inter Kepplerum Vvendelinumque ad 34. min. excurrit: & anno 1603. ad 9. Anno 1603. inter Horologium Tychonicum & Cęlum erat diſcrimen 42. minutorum. Et tandem Anno 1617. ciuitatis Horologia 11. min. defecerunt. Minimus error 9. minutorum fuit, maximus 42. differentia 33. eius dimidium 16. 30. quæ ſi addas minori extremo habebis 25. Igitur ex hac obſeruationum diſcutione colligitur *Horologia præſtantiſſima ſi à viris mathematicis regantur, ſolere exorbitare per 25. minuta, vel plura*. Ergo ciuicis Horologijs quæ decrepita, aeri & cęli inclementiis expoſita, & ab ſtupidis recta, nemo erit iniurius, ſi maiores exorbitantias tribuat. An iam illis errorem luxationemque 30. minutorum adfingeres? ſic puto. Sed nec hoc deſidero, vel extorqueo; maneant 17. ſaltem, & vera mea illa Concluſio, quam voluiſti impugnare, ſupponaturque *Ciuitatum publica Horologia, tametſi accurata & bene gubernata credantur, luxari hinc inde horæ quadrante, nec ſolere horas diſtinguere perfectiùs*. Maneas etiam & Tu, vt tuis ſcrupulis occaſionem præbeas veritatem altiùs examinandi, & tuo Angelicæ ingenio Ordinem & Patriam illuſtres, & valetudine, fortiore quàm nunc, fruaris, quod opto, multis annis. Louanii. 3. Non. Iannuar. 1643.

DI-

SECTIO II.

De Officio Diuino priuato.

Communes obligationes expoſui; ſupereſt iam expendere particulares; quia vtræque viciſſim ſibi proſunt ad intelligentiam penitiorem. Ita comparatur tota Communitas ad officium publicum, vt particularis (ſi teneatur legere) ad priuatum. Hæc veritas obſidetur multis difficultatibus, quæ breuiter perſtringi debent.

DISPVTATIO CII.

An Sacerdotes teneantur ſub mortifero Horas Diuinas recitare.

PRIMA SENTENTIA.

1329 Doctores aliqui, teſte Seruatio de Lairuelz *in Optica Regularium, ſpeculo* 58. *inſtruct.* 1. *pag. mihi* 207. aſſerunt Eccleſiaſticas leges eſſe merè pænales, nec mortaliter obligare, niſi expreſsè aſſeratur ſanctionem aliquam moralem eſſe. Hanc opinionem citatus Seruatius cenſet eſſe probabilem; nam contrariam, cui ſubſcribit, vocat probabiliorem.

Sanè ſi ea probabilis eſſet, teneremur aſſerere non peccare eos, qui non ſolùm ſemel aut iterum, ſed etiam ſemper omitterent Diuinum Officium: præterea eos non peccare, qui nunquam audirent Miſſam, nunquam ieiunarent, ſemper carnes comederent: & tandem quinque illa præcepta Eccleſię, quę moralia paſſim audiunt, eſſent merè pœnalia, nec quampiam intrinſecè obligarent.

Vidi anno 1638. quempiam hęreſeos nota inuri, quòd ſubſcriberet huic opinioni. Sanè inciderat in manus ſeueri & imperiti Iudicis, qui neſciebat diſtinguere inter lepram & lepram. *Primò* igitur dicendum eſt, hanc aſſertionem non eſſe contra fidem, in cuis dogmatibus non reperitur Sacerdotes peccare grauiter, ſi ſemper Canonicas Horas omittant: niſi fortè hæc conſuetudo in contemptum tranſeat, aut ſcandalum magnum inducat. *Secundò* hanc eſſe improbabilem Seruatius de Lairuelz non dicit: vtrùm talis ſit, iudicent alij.

SECVNDA SENTENTIA.

1330 P. Gordonius, & ante eum Ricardus, Angelus, & Gerſon, quorum meminit Leſſius, & Lairuelz *iam citatus* condemnant cõſuetudinem omittendi officium, non verò vnius aut alterius diei negligẽtiam, Hanc à fortiori probabilem debet cenſere Lairuelz, imò aſſerit eam poſſe defendi tanquam benigniorem & conformiorem Iuri antiquo *Diſtinct.* 91. *&* 92.

Vt huius opinionis fundamenta percalleas, adnotato *Primò*, poſſe Eccleſiam iubere Petro vt quotidie legat, ita vno ſolo præcepto lectiones totius vitæ comprehendat. (Eodem modo de ieiunio, Miſſa audienda, &c. philoſophare.) *Secundò* Poteſt indicere vt ſingulis diebus legat; ſtatuens videlicet, aut plura præcepta formalia, aut ſaltem vnũ quod virtute ſit multiplex ac multis æqui valeat. *Si vnũ* tãtùm & ſimplex præcep-

præceptum eſt legendi Horas, complectitur materiam ſatis magnam, nempe lectiones totius vitæ. Hæc politicè cenſetur eſſe decem annorum, ſi in miſerijs conſtitutus quis ſit; quindecim, ſi in proſperitate. Ergo ſi lectio decem aut plurium annorum cadat ſub vnum præceptum, qui omitteret integro anno ſuum Officium, non omitteret partem magnam reſpectu totius præcepti operis, quia vnum reſpectu decem aut plurium non eſt materia magna; in toto enim non admitto partem relatiuè grauem & notabilem, quæ ſit octante minor. *Non aliter*, ſi Petrus Deo promitteret ſe lecturum eſſe millies Pœnitentiales Pſalmos ſucceſſiuis diebus, non eliceret mille vota, ſed vnum ſimplex, cuius materia Pſalmos illos millies complecteretur; Peccaret ergo leuiter, ſi tribus menſibus hanc lectionem omitteret, quia nonaginta dies non ſunt octaua pars mille dierum. *Sic etiam*, ſi quis voueret abſtinentiam à carnibus, tota vita abſtinere deberet, & peccaret grauiter ſi illis veſceretur octaua vitæ parte, leuiter ſi nona vel decima. Hinc eſt quod aliqui cenſeant Dominos Benedictinos non peccare mortaliter ſi aliquando edant carnes, peccare tamen mortiferè ſi ex conſuetudine, hoc eſt, ſi eas edant octaua vitæ parte; putant enim eos teneri abſtinentiam voto ſimplici reſpiciente vitam integram per modum obiecti adæquati.

Poſſe dari præceptum quod per modum vnius complectatur lectionem totius vitæ, certum eſt: An de facto detur meritò quis poteſt inquirere. Alij aliter, ego reſpondeo negatiuè. Adde tamen etiam illo præcepto poſito dari poſſe res relatiuè leues, quæ abſolutè ſint graues, vt patet in materia furti, nam tametſi reſpectu primogeniti Regis mille ſcuta videantur eſſe materia leuis reſpectiuè, abſolutè ſunt materia magna: vnde ſimiliter officium diuinum vnius ſeptimanæ tametſi reſpectu lectionis totius vitæ parua res ſit, ſecundum ſe conſideratum res notabilis eſt, nam totum Pſalterium complectitur: quod materiam eſſe leuem, quis dicet? vide *num.* 1461.

TERTIA SENTENTIA.

1331 Contrahunt vel à nonnulli authores, & aſſerunt Canonicum officium annuum eſſe, hoc eſt, dari præcepta quorum ſingula complectantur officia totius anni per modum vnius. Ergo ex eorum ſententia qui omittet lectionem Horarum diebus 46. in anno, peccabit mortaliter; venialiter qui paucioribus. Ratio eſt: quia 46. dies pluſquam octaua pars anni ſunt. 45. autem minus octaua parte.

Hanc ſententiam probat & Breuiarij diſpoſitio & communes Rubricæ; quia in Breuiario continetur illud quod præcipitur legi, atqui continetur Officium totius anni: ergo officium annuum ab Eccleſia præcipitur. Ergo qui ſpacio vnius anni totum Breuiarium legerit, puta, ſi vltimo menſe reſumat omiſſas ferias, Eccleſiaſtico præcepto faciet ſatis, ita vt nec venialiter ſit peccaturus.

QVARTA SENTENTIA.

1332 Aliquis cenſere poſſet menſtruam eſſe Diuini officii obligationem ita vt totius menſis lectio cadat ſub vnum præceptum; nec deficeret veræ ſimilis ratio propugnaturo hanc opinionem. Quia Breuiarii diſpoſitio Lunam reſpicit, vt patet in Mobilibus feſtis, quæ à Martij plenilunio dependent: ergo motus Lunæ metitur periodum Canonicâ Diuini officij, Atqui Lunæ motus menſtruus: ergo & menſtrua officii Canonici obligatio.

Iuxta hunc dicendi modum deberemus aſſerere, eum non peccare venialiter qui viginti aut pluribus diebus non

legeret, dummodo omiſſa ante menſis Lunaris exitum reſumeret.

Deberemus etiam aſſerere, non eſſe peccatum mortale omittere officium Diuinum bis aut ter in menſe; mortiferam tamen eſſe omittendi conſuetudinem; vt, ſi quis pluries Horas omitteret quàm tribus diebus.

Huc poſſunt reuocari Angelus, Richardus, & Petrus Arragonius, quod inferiùs citabo. Quia admittentes poſſe Sacerdotes ſine mortali crimine duobus aut tribus diebus officium omittere, non autem pluribus, aſſerere tenentur materiam præceptam maiorem eſſe lectione dierum viginti quatuor, minorem lectione dierum triginta: ergo mēſtruam. Patet, quia *quatuor* eſt pars notabilis numeri *triginta*, & *tres* pars leuis eſt numeri *viginti quinque* aut maioris: ſuppono ſemper octauam partem eſſe minimam materiam magnam: minimam quidem, quia ea minor, magna eſſe non poteſt.

SENTENTIA QVINTA.

1333 Officium Canonicum eſſe hebdomadale ſentiunt alij, & probant ratione ſpecialiſſima. Nam officium Diuinum conſiſtit in Pſalterij canonica diſtributione, atqui hæc eſt hebdomadica: ergo. Minorem probant. Quia in Breuiario tam Romano quàm Monaſtico Pſalmi omnes hebdomadis periodo leguntur.

Si agamus de Benedictino Officio hæc ratio fortis eſt, quia roboratur verbis noſtri Legiſlatoris, qui capite ſuæ Regulæ decimo octauo ſic ait: *Hoc præcipuè commonentes, vt ſi cui fortè hæc diſtributio pſalmorum diſplicuerit, ordinet ſi melius aliter iudicauerit: dū omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada pſalterium ex integro numero centū quinquaginta pſalmorū pſallatur.* Hactenus Pater ſanctiſſimus. Ecce hebdomadicum officium inſtituit, diuidendum in ferias ad Antiſtitis placitum. Et mox ſe explicans, *Nimis iners*, ait, *deuotionis ſuæ ſeruitium oſtendunt Monachi, qui minus pſalterio cū canticis conſuetudinarijs per ſeptimanæ circulum pſallunt*, & poſtea: *quod nos tepidi vtinā ſeptimana integra perſoluamus*. Hęc verba alta mente concipiens quinta hæc ſententia, affirmat obligationem Diuini officij Benedictini non eſſe quotidianam, ſed hebdomadalem: tenerique Dominos Benedictinos ſpatio hebdomadis legere ſeptem ferias, & in quacumque octo Horas.

Qui huic ſententiæ ſubſcriberet, deberet dicere has ſeptem ferias non eſſe phyſicas, ſed morales, ac repræſentatiua, & earum diſtinctionem non pertinere ad eſſentiam Benedictini officij: Ratio eſt; quia ſicut in officio quotidiano ſufficit ſpatio vigintiquatuor horarum omnes Horas ſimul vel ſucceſſiuè legere: ſic ſimiliter ſi officium eſſet hebdomadicum, ſufficeret omnes ferias legere ſimul aut ſucceſſiuè, dummodò totum officium ante hebdomadis ſequentis initium abſolueretur.

Deberet inſuper aſſerere non peccare mortaliter eum, qui duobus aut tribus diebus non legeret, imò nec eum qui ſex, ſi Sabbato officium totius hebdomadis perſolueret. Ratio eſt clariſſima: nam officium quotidianum poteſt licitè legi hora vltima: ergo ſi id eſſet hebdomadicum, poſſet legi die vltima: vel da diſparitatem. Forte huc reſpiciebant *verbo Horæ canon.* §. 10. Ricardus apud eundem Angelum, & Petrus Aragonius *quæſt.* 83. *artic.* 11. & alii, qui aſſerunt non peccare mortaliter Choriſtas Religioſos, qui bis aut ter officium ſuum nec publicè nec particulariter legunt. nam ſi loquantur ex hypotheſi, quod illi Religioſi ſint Benedictini, etiā promoti ad ordines, reſumpturi tamen ferias illas omiſſas ante Sabbati finem, ſequuntur hanc ſententiam. Si autem agant hi authores de his qui bis, aut ter

omit-

omittunt ſuas Horas non reſumpturi ante finem hebdomadæ: propugnant opinionem quartam, quam nuperrimè expoſui.

Ille qui hebdomadici officii omitteret vnam feriam, (hoc eſt, nec die currente nec alio totius hebdomadis, eam legeret) peccaret mortaliter. Patet; quia vna feria eſset ſeptima pars diuini officii, & ſeptima pars eſt materia grauis: qui verò omitteret tres vel quatuor Horas vnius feriæ, & alias ferias recitaret exactè, non peccaret mortaliter; quia illæ Horę non eſsent octaua officii pars, & ex noſtra hypotheſi quidquid octaua parte minus, eſt materia leuis. Huic opinioni videtur ſubſcripſiſſe Roſella (quem citat Lairuelz *pag.* 205.) qui non putat eſſe peccatum graue omiſſionem, quæ non ſit totius officij Diuini.

SEXTA SENTENTIA.

1324 Multi aſſerunt omnes Sacerdotes teneri ſub peccato graui quotidie legere officium Diuinum. Præceptum enim licèt materialiter & phyſicè ſit vnum, moraliter & virtute eſt multiplex, & æquiualet multis, quorum ſingula pro ſingulis diebus eſſent lata. Rationes, quæ pro prioribus afferuntur, non probant modò, ſed demonſtrant potuiſſe Eccleſiam & Horas Diuinas indicere ſub pœna, & pręcipere per modum vnius obiecti Officium Canonicũ annorum plurium, iuxta vnum vel alium modum ſentiendi: cæterùm dari talia præcepta hunc de facto non probant aduerſarij, & ex mera potentia id malè inferunt; quia ex hac ad actum eſt inepta conſequentia.

Sacerdotes tam ſeculares quàm religioſos teneri ad officium Diuinum conſtat ex capite 9. *Si quis Presbyter. de celebratione Miſſarum.* & ex cap. *Dolẽtes. eodem titul.* & *capit. Final. diſt.* 92. Has ſanctiones debere intelligi de officio quotidiano, patet ex eodem cap. *Si quis Presbyter.* vbi depoſitione condemnatur, *qui ad quotidianum officium pſallẽdi nõ conuenerit.* Quę verba cùm ferè omnes eodem modo intelligant, in exoticum ſenſum retorqueri non poſſunt.

Inſtas, Canonici Officii obligationem eſſe merè pœnalem; quia in Concilio Lateranenſi celebrato ſub Leone Decimo decernitur, Clericum beneficiatum lectionem officii ſine cauſa omittentem, non poſſe recipere fructus ſui beneficii pro eodem tempore, ſed teneri eos pauperibus erogare. Hæc lex, ne obſoleta diceretur, confirmata fuit à Pio V. in Bulla cuius meminerunt Binsfeldius Treuirenſis Suffraganeus *in Enchiridio, part.* 4. *capit.* 12. *concl.* 2. & Lairuelz *in Optica Regularis ſpeculo* 58. *inſtruct.* 1. *pag.* 206. eiuſdem Bullæ copiam publicauit Nauarrus *in Manual. cap.* 25. *num.* 122. Et ex his legibus Decretiſque Pontificum hoc modo argumentaris.

Illa eſt Lex merè pœnalis; quæ pœnam exprimit. Lex indicens officii Canonici lectionem pœnam exprimit, vt patet ex dictis: ergo eſt merè pœnalis.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Tantùm Legem merè pœnalem pœnam exprimere, nego: pœnam exprimi tam à Lege merè pœnali quàm à mixta concedo. Progredior concedendo minorem & negando conſequentiam. Quia Lex, de qua agimus, mixta eſt, nempe moralis & pœnalis ſimul.

1335 Huic ſententiæ tenentur ſubſcribere omnes illi, qui afferunt omittere totius diei officium eſse ſimplex peccatum mortale: eò quòd detur præceptum, quod diurnum officium reſpicit per modum vnius. Ita Portel *in dubijs regularium verbo. Horæ Canonicæ.* Nauarrus *cap.* 7. *nu.* 6. *de oratione.* Flaminius Pariſienſis *de reſign. Benef. l.* 1. *q.* 9. *nu.* 8. Reginaldus *tom.* 2. *l.* 18. *c.* 11. *ſect.* 3. *num.* 145. Molfeſius *in ſumma tom.* 1.

tract. 15. *n.* 9. Ortizius *in ſumm. c.* 3. *nu.* 71. Vaſquez *opuſc. de benef. cap.* 4. §. 1. *dub.* 5. *n.* 71. Suarez *de religione tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 25. *n.* 28. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 2. *punct.* 10. Azorius *part.* 1. *li.* 10. *c.* 7. *q.* 4. Graffius *part.* 1. *lib.* 2. *c.* 51. *n.* 14. Sà *verbo. Horæ n.* 14. Vega *in ſumm. p.* 1. *c.* 128. *caſu* 3. Rodriguez *in ſumm. tom.* 1. *c.* 140. *nu.* 16. Petrus Ledeſma *in ſumm. tra.* 9. *c.* 4. *concluſ.* 14. *diff.* 1. & alij quos breuitatis gratia tranſeat.

Hinc ſequitur neminem teneri exprimere in confeſſione quas Horas omiſerit, ſed ſolùm dicere ſe omiſiſſe officii notabilem partem. Ratio eſt, quia circumſtantię aggrauantes non ſunt neceſſariò in confeſſione explicandæ. Ita Diana *de Horis Canonicis reſ.* 9. ſubſcribens innumeris authoribus.

SEPTIMA SENTENTIA.

1336 Tandem plurimi cenſent officium Diuinum eſſe horarium: hoc eſt, Horas ſingulas cadere ſub diſtinctum præceptum, peccareque mortaliter illum, qui vnam Horam omiſerit, & committere octo peccata mortalia qui omiſerit officium totius diei. Sunt authores ſatis illuſtres, qui hanc ſententiam propugnant, præcipuos recenſebo. Eam tuetur Leonardus Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. *num.* 53. quem ſequitur Tabiena *verbo Hor. quæſt.* 18. Tuſcus *de viſitat. libr.* 1. *cap.* 20. *num.* 19. Eandem ſententiam videtur tenuiſſe Toletus *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 1.

RESOLVTIO.

1337 Suppono primò dari legem moralem de legendis Horis Canonicis, hoc ſuppoſito quæritur quæ materia ſit obiectum præceptum ab hac lege; nempe. Vtrùm detur ſimplex ſanctio quæ reſpiciat totam hominis vitam. An verò dentur tot ſanctiones quot anni; An tot quot menſes, aut dies. An tandem diſtinctis Horis diſtincta præcepta correſpondeant. Cognito legis obiecto dicendum eſt materiam, quæ illud excedit, eſſe nouum peccatum, leue tamen ſi exceſſus ille leuis ſit, graue ſi grauis ſit. Addendum eam, quæ ex natura ſua non ſit grauis, & tamen minor octaua parte illius, eſſe materiam leuem, & eam quæ minor illius ſexageſima quarta parte, eſſe materiã nullam. Verbi gratia, ſi Canonicum officium eſſet annum, vt tertia ſententia aſſerit, diceremus eum peccare mortaliter, qui omitteret officium totius anni: diceremus etiam committere duo peccata mortifera, qui omitteret ſeſquianni aut biennii Horas: peccare venialiter, qui vno menſe non legeret, & ne venialiter quidem qui quatuor aut quinque diebus à Canonica lectione abſtineret. niſi fortè aliqua ex his omiſſionibus eſſet materiæ tantæ, quæ abſolutè ſufficeret ad peccatum mortale. Et ſi inquiras. Quanta illa debeat eſſe; nimirum qua minor non ſit magna, reſpondeo hanc difficultatem eſſe obſcuram, & grauem, reſolui tamen *num.* 1461.

1338 His poſitis cenſeo præferendam eſſe ſextam ſententiam, dicendumque obligationem legendi diariam eſſe, & committere tantùm vnum peccatũ mortale qui omittit integri diei officium. Hoc probant rationes & teſtimonia plurima, quæ reduci poſſunt ad illa quæ expendi, cùm expoſui ſextam opinionem.

Prima ſententia an probabilis ſit, eſto aliorum iudicium, quia ei ego non auderem ſubſcribere.

Reliquæ opiniones conueniunt in hoc quod aſſerant dari legem moralem Horas Diuinas indicentem: differunt in deſignanda materiæ præceptæ quantitate.

Secunda ſententia cognoſcit præceptum quod reſpiciat, & complectatur lectiones totius vitæ: aſſerit, ſed non probat.

Tertia

Tertia Rubricas reſpicit, hæ tamen non ſimplex ſed virtualiter multiplex præceptum reſpiciunt, & ſunt inuentæ, vt doceamur qui poſſimus ſatisfacere legendi præceptis, quæ ſibi toto anno ſuccedunt. Hinc ad tertiæ ſententiæ fundamentum: In Breuiario continetur illud quod præcipitur legi, diſtinguo, Illud quod præcipitur multis præceptis, vel ſaltem vno quod virtualiter ſit multiplex, concedo; illud, quod vno & ſimplici præcepto, nego, & conceſſa minori ſimiliter nego conſequentiam.

Quarta opinio innititur leui fundamento: Luna enim non quælibet ſed Martia faſtos mobiles & Paſcha determinat, non Diuini officij quantitatem.

Quinta videretur plauſibilis, ni in communem Eccleſiæ praxim impingeret: ſed etiam condemnando, quoniam conſuetudo eſt optima legum interpres, & quidem illa apud DD. Benedictinos obtinuit, vt ſingulis diebus legant, & non aliter; nec potui reperire in hiſtorijs antiquis radium aliquem, vnde poſſem probabiliter colligere olim fuiſſe vel vnum, qui hanc quintam opinionem tenuerit, adeoque me conſulente ne ſis tu primus.

Sextam elegi; *Septima* non reſpondeo, quia innititur Doctorum teſtimonio potiùs, quàm rationi efficaci. Hanc ſeptimam ſententiam debellant illa quæ dicam *num.* 1451. quia præcepta de legendo officio Diuino ſunt grauia, & vix talia eſſent ſi Horæ ſingulę caderent ſub diſtinctum præceptum.

1339 *Obijcis primò* ex Leſſio ibi citato. Singulæ Horæ ſunt diuerſę orationes & diſtincta officia, atqui ad ſingula obligamur ſub peccato mortali: ergo ſingularum omiſſio erit diſtinctum peccatum mortale.

Reſpondeo negando maiorem; quia Horæ non ſunt diuerſæ orationes præceptæ, ſed præceptæ orationis Canonicæ, quæ vna & ſimplex eſt, variæ partes. Vna eſt enim oratio, quæ præcipitur, nempe Diurna, compoſita octo diuerſis Horis. Vel ſi mordicùs tuæ adhuc ſententiæ inſiſtas, dicam ex tua ſequi ſententia ſingulos etiam pſalmos eſſe diuerſas orationes, imò & ſingulos verſus, quod prudenter teneri non poteſt.

1340 *Obijcis ſecundò*. In actu omittendi totum officium ſunt virtualiter octo omiſſiones volitæ, ergo ſunt octo peccata mortalia.

Nego antecedens, quia eſt vnica & totalis omiſſio, & omiſſio vnius Horæ, eſt pars moralis integræ & completæ omiſſionis.

Suarius *de Relig. tom. 2. lib. 4. ca. 25. numer. 19.* cenſet plures Horas omittere eſſe circumſtantiam aggrauantem neceſſariò in confeſſione aperiendam, ſed non adquieſco, credo enim debere ſolum explicari illas, quæ differunt morali ſpecie.

DISPVTATIO CII.

Qui teneantur priuatim legere Officium Diuinum ratione Religionis.

PRobauimus diſput. præcedenti omnes Sacerdotes (his Subdiaconos & Diaconos adnumerat opinio communiſſima) teneri ratione ſacerdotalis Ordinis ad lectionem Officij etiam priuatam. Supereſt examinemus an præter hos etiam reliqui religioſi priuatim legere teneantur.

ARTICVLVS I.

De Conuerſis & Nouitijs.

1341 Conuerſi Ciſtertienſes non tenentur recitare Canonicum officium nec priuatim nec publicè. Patet; quia nec ſunt choro mancipati, nec vouerunt Deo priuatam aliquam lectionem: quod ſi detur Religio in qua Conuerſi voueant aliquas preces legere, tenebuntur ad illas ratione quarti voti, alias non; quia finis profeſſionis ipſorum non eſt contemplari aut legere, ſed operari, miniſtrare & ſeruire. Ita Sotus & Syluester *verbo. Horæ Canon. numer.* 3. quos citat & ſequitur Lairuelz *in Opticæ ſpeculo* 58. *Inſtruct.* 5. Capitulum noſtrum Generale celebratū anno 1618. declarauit Horas Conuerſorum non inducere obligationem grauem: addidit tamen reum eſſe leuis culpæ, qui omiſerit. Hoc ſecundum multa debet ſupponere, vt rationabiliter poſſint defendi. Eſſet enim verum ex hypotheſi, quòd dari poſſint ſanctiones leuiter obligantes etiam vbi materia eſt grauis; & quod conuerſis poſſit indici moraliter Horarum lectio. Verùm cùm certum ſit illos vi profeſſionis ſuę non teneri lectioni, ſed labori, cumque probabilius oppoſito non poſſe dari obligationem leuem vbi materia eſt grauis, obligationis enim moralitas ſumitur à præcepto, & grauitas à ſola materiæ magnitudine, dicendum eſt ne venialiter quidem delinquere Conuerſum cùm non recitat ſuas Horas quotidianas: quod clarè conuincunt rationes, quas in principio expendi.

1342 Nouitios à fortiori abſoluo ab onere officii legendi, & quoad hoc ſubſcribo Soto, Sylueſtro, & Seruatio de Lairuelz iam citatis. Ratio eſt, quia ſicut de facto nondum ſunt Religioſi, ſed erunt, ſic etiam nondum tenentur ad communitatis onera, ſed tenebuntur; ergo quouſque vota emiſerint, non ſunt ſubiiciendi obligationi Horas Canonicas legendi.

Confirmatur vtraque reſolutio, nempe nec Conuerſos nec Nouitios teneri moraliter ad lectionem Horarum, quia potiori iure tenentur iam profeſſi; atqui hi non tenentur ſub culpa; ergo nec reliqui. Minor conſtabit ex dicendis articulo ſequenti.

Aliqui putant Conuerſos teneri ſaltem ad alias preces & orationes recitādas, quæ communiter dici ſolent iuxta mores & ſtatuta Religionis: ſed nec hoc verum iudico, quia ſolùm tenentur orare vt reliqui Chriſtiani, profeſſio enim eos miniſterio & manuum operi mancipat, non orationi.

ARTICVLVS II.

De Monialibus, & de Religioſis nondum prouectis ad maiores ordines.

1343 Svppono non dari præceptum Antiſtitis Officium Diuinum indicentis, quia Officii omiſſio, ſi ſit contra Abbatis imperium, apud DD. Benedictinos eſt mortaliter peccaminoſa. Omnes enim Moniales & Religioſi Choriſtæ licèt nondum ad Ordines promoti tenentur ſub peccato graui legere Canonicum Officium, cùm illud indixerit Abbas, iuxta ea quæ ediſſerui ſuperiùs à *numer.* 702. cùm de Diuino Officio, ſed qua præcepto diſputaui.

Ex hypotheſi quòd Abbas illis non indixerit Canonici officij recitationem, eos *Prima ſententia* ad priuatam lectionem obligat quoties non ſatisfecerint publicæ. Ita Arragon. 2. 2. *qu.* 85. Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 6. *q.* 1. Bellochius *in praxi de caſ. reſeru. part.* 2. *qu.* 15. *n.* 8. Conradus *in Reſp. caſ. conſc. p.* 1. *q.* 240. Diana *de horis can. reſolut.* 1. Emanuel Sà *verb. horæ can.* 1. Gauantus *comment. in rubr. Miſſalis to.* 2. *ſect.* 1.

*c.4.n.*10.Graffius *dec.p.1.lib.2.c.50.n.6.* Gabriel *in 4.d.15.q.8.art.2.* Ioannes de la Cruz *in direct.conſc.part.3.præcept.3. art.3.dub.4.concl.*1. Leſſius *lib.2. c.37.* Layman *in Theol.mor.lib.4.tract.1.c.4.n.2.* Macignus *tract.de hor.can.c.13.nu.*28. Malderus *in 22.tract.10.c.2. dub.3.* Nauarrus *c.25.nu.97.* Paludanus *in 4.diſt.15.q.5.art.1.* Pottel *in dub.reg. verb.Horæ can.nu.*3. Rodriquez *tom.2. q.10.art.*8. Sotus *lib.10.q.5.art.3.* Toletus *lib.2.c.2.*

Omnes hi authores in grauitate obligationis conueniunt, differunt tamen in hoc, quod Leſſius & nonnulli alij iudicent poſſe Prælatos diſpenſare, quod alij negant.

1344 *Secunda ſententia* aſſerit non peccare mortaliter Religioſum qui bis terue omittit officium Diuinum, modò id nec ex conſuetudine nec ex contemptu faciat. Ita Angelus *verbo Horæ canonic.§.10.* Richardus ab ipſomet Angelo citatus, Petrus Arragonius *qu.83. art.11.* quibus à fortiori ſubſcribere debet Hieronymus Rodriquez ſtatim citandus, quibus & ipſe ſubſcribo licèt cum benigniore latitudine, vt ſtatim videbimus. Diſplicet tamen, quod ab his authoribus additur, nempe peccare illos venialiter, quibus aut ter Horarum lectionem intermittunt, peccare mortaliter ſi ſæpiùs faciant. Diſplicet inquam, quia Officium Diuinum materia grauis eſt, & ideò nequit obligare ſub leui: prout oſtendi *numer.* 42. Non placet iterum, quia quod ſemel fit ſine peccato graui, ſi ſæpiùs repetatur eo modo quo priùs, non erit culpa grauis: ergo ſi ſemel poteſt omitti Officium Diuinum ſine mortali culpa, cur non poterit ſingulis diebus eo modo omitti quo eſt omiſſum prima die? ergo in tali caſu omitteretur quotidie ſine culpa mortali.

1345 Dices. Poteſt Petrus bis aut ter auferre aſſem vnum à proximo inuito ſine culpa graui, non tamen id poterit facere centies. Ergo ſimiliter licèt poſſit bis aut ter Diuinum officium omittere ſine culpa graui, peccabit mortiferè ſi centies faciat.

Reſpondeo hanc inſtantiam fundari in natura reſtitutionis, quæ hic locum non habet. Non poteſt Petrus centies aſſem auferre ab inuito, quia tenetur ad reſtitutionem, & centum aſſes poſſunt eſſe materia grauis, quam reſtituendi obligatio reſpicit. Verùm alia ratio eſt quoad officium Diuinum, non enim teneris cras legere, quæ hodie omiſiſti, ergo officij materia ex multiplicatione non creſcit, nec coaleſcit in vnum, non enim reſultat vna omiſſio centum officiorum, ſed remanent centum omiſſiones diſparatæ.

1346 Maneat igitur integrum iuniores non teneri ad officium Diuinum, aut ita quotidie teneri, vt ſi ſemel omittant, etiam grauiter peccent. Huic aſſerto lucem dabunt ſubiectæ concluſiones.

RESOLVTIO I.

Iuniores ſi tenentur legere priuatim, grauiter tenentur. Patet conſequentia, quia materia eſt magna, & in magna intelligi non poteſt leuis culpa. Eſſe materiam magnam conſtat, quia aliàs nec Sacerdotes grauiter obligarentur.

RESOLVTIO II.

Si tenentur legere priuatim, debent quotidie legere; & ſi ſemel omittant, peccabunt mortaliter. Conſtat ex his quæ diximus.

RESOLVTIO III.

Si tenentur, aliquo titulo tenentur. Patet; quia omiſſio Diuini officij aut eſt mala ex ſe, aut quia interdicta. Primum dici non poteſt, inde enim ſequeretur omnes ſeculares & quotquot offi-

cium Diuinum non recitant peccare mortaliter, quod eſt abſurdum. Quod ſi ſecundum dixeris, oſtende legem indicentem iunioribus vt Canonicum officium legant.

1347 Leſſius *lib.2.cap.37.dub.9.nu. 49.* aſſerit Religioſos non initiatos ſacris teneri ad lectionem Horarum, difficile tamen eſſe diffinire quo titulo obligentur. *Difficultas eſt*, ait, *quo iure teneantur.* Ergo ſine difficultate aſſeritur eos habere grauem obligationem, & difficultas tota in eo conſiſtit, vt ſciatur titulus vnde profluat grauis illa obligatio. Sanè imprudens forem, ſi aſſererem obligationem ratam ex iure incognito. Si difficile eſt cognoſcere quo iure illi teneantur priuatim recitare, herculè difficilius erit cognoſcere vtrùm teneantur: cognitio enim obligationis procedit ex certiſſima, & euidenti cognitione iuris aut facti, hoc eſt, legis aut conſuetudinis. Lex debet euidenter cognoſci: quia ſi hæc eſſet tantùm probabilis, obligatio, quæ ex illa dimanaret, probabiliter negari poſſet. Quæramus ergo titulum, qui Monachos obligat: eum bene examinemus, vt poſteà ex eo in notitiam obligationis deueniamus: Apoſtolo enim(*Roman.4.15.*) teſte, vbi non eſt lex (formalis aut virtualis) præuaricatio eſſe non poteſt; quia vt bene ait Villalobos in ſummæ tom.1.tract.24.dub.9. num.8. *A mi ſe me haze riguroſo condenar à nadie à pecado mortal no ſiende el derecho muy claro.* Hoc eſt, *Me iudice ſummus eſt rigor condemnare quempiam de peccato mortali, vbi ius non fuerit valde clarum.* Ecce, & bene conſidera, vt peccati grauis aliquem arguas, non ſufficit lex dubia; quia fauores ſunt ampliandi, & libertas eſt fauor. Nec etiam ſufficit probabilis lex: nam ſi ius ſit tantũ probabile, probabiliter poterit reus excuſari. Opus eſt vt ius ſit valde clarum. hoc eſt tam euidens, vt non poſſit probabilem exceptionem pati.

RESOLVTIO IV.

1348 *Iuniores non tenentur ſub culpa legere priuatim, ratione profeſſionis.* Eſt contra Hieronymum Rodriguez *in comp.quæſt.regul.98. num.5.* Probatur ſatis claré: quia ratione ſuæ profeſſionis deputantur officio publico non priuato: Choriſtæ igitur (ipſa nomenclatura præ ſe fert) tantùm debent in choro ſatisfacere officio Diuino: ergo illud priuatim legere non tenentur ratione profeſſionis. Vel, ſi quis aliter ſenſerit, rationem afferat, cur teneatur ex vi profeſſionis legere priuatim, qui choro non interfuit, non verò priuatim operari, qui non interfuit communi manuum labori: nec priuatim comedere aut ludere, qui ſe à refectione & recreatione communi abſentauit. Certè neminem in hoc caſu teneri priuatim laborare, comedere, aut ludere manifeſtius eſt, quàm vt debeat probari: ergo ea, quæ monachus in communi non fecit, reſumere non tenetur in particulari: ac proinde, qui in choro communi officium non legerit, non tenebitur legere priuatim.

RESOLVTIO V.

1349 *Choriſtæ Benedictini iuniores non tenentur ſub culpa legere priuatim, iure Regulæ.* Patet; quia licèt Regula *c.50.* indicat priuatam lectionem, hæc ſanctio fortaſſis non obligat iuniores; & vt obliget, ipſa ſicut, & omnes aliæ regulares non obligat in interiori foro, iuxta ea, quæ diximus *lib.1. diſp. 7.* In Regula noſtra non dantur moralia præcepta, ſed ſolummodò præceptibilia: idcirco iunior Benedictinus teneretur priuatim legere & quidē ſub graui culpa ſi accederet præceptum Abbatis. Ita ſuperiùs *n.703.*

Conſulto illud fortaſſis poſui, reperio enim Eugenij IV. Diploma cuius memini *num.1286.* quod debet curioſus

Theo-

Theologus attentè legere. Verba ſunt hæc nu. 14. *Item quòd Capitulum Prouinciale poſſit ordinare, quomodo dicāt Officium Fratres Conuerſi, & Monachi, qui non ſunt in ſacris (puta, concedimus) cum de vtriſque (nota bene) nihil in dicta Regula (S. Benedicti) exprimatur.* Quæ quidem verba fortiſſima ſunt, nec video quomodo poſſint aliter elidi quam arguendo de ignorātia Pontificem, qui Diploma cōceſſit, Abbates omnes, qui acceptarunt: quod, an velis vel poſſis facere, tu videris.

RESOLVTIO VI.

1350 *Non obligantur ſuſtentationis.* In hoc differunt Religioſi à Canonicis. Hi recipiunt ſtipendia vt choro interſint, Religioſi non item. Religioſo dantur neceſſaria, non quia legit, ſed quia eſt filiusfamilias cui dari debent alimenta, imò, quia profeſsus eſt ſolennem paupertatem, quam ſeruare non poterit ſi præciſè neceſſaria non ſubminiſtrentur. Imò multi ſe iudicant melioris conditionis cum ſubſunt tyranno, quàm cùm patri. Nam cùm Abbas negat neceſsaria, paupertatis votum mitiùs obligat; nullus enim potuit vouere carentiam veſtis aut alimenti neceſsarij.

Tædet me legere, & audire aliquos de Religioſis minùs ingenuè diſputantes, & legendi obligationem eruentes ex precio alimentorum. Hoc ſi foret verùm, ſatis vili pretio, & miſero prçmio Monachi ſummum onus ſuſciperent, oſtendant tamen, obſecro, aduerſarij, in quo archiuio viderint talem Monaſterii, & Fundatoris conuentionem: & quouſque hanc oſtendant, non tenemur adquieſcere.

1350 b. Vt id meliùs percalleas duo mihi ſunt oſtendenda, Primum Fundatores non dediſse fundos aut reditus cū illo onere, ſecundum noſtra monaſteria vix habere aliquos Fundatores.

Vt primum oſtendam, ſuppono eleemoſynam ſecundum ſe Deo gratam, & poſſe dari cum obligatione orandi, & ſine illa. Sine illa quidem ſæpe, nam cum occurrenti mendico ſtipem donas, non oneras obligatione legendi roſarium pro te, aut alia ſimili. Cum ita traditur eleemoſyna vt recipiens ad aliquid præſtandum teneatur (aliquibus de ſimonia eſt ſuſpecta, non mihi) debet claris verbis, & conditionibus tradi, ita vt ille, qui recipit, ſciat ſe illam recipere non gratis, ſed cum onere: hoc eſt, clariùs loquendo, ſe non recipere eleemoſynam, ſed ſtipendium. Hanc ergo claritatem debet eruere ex Fundatorum donationibus, qui voluerit illam obligationem propugnare. Vt eruerit; Fundatores non erexerunt Monaſteria, vt officium legeretur priuatim ſed publicè, ergo non vt commendarentur Deo priuatim ſed publicè. ergo ex fundatione male omnino ſuadebitur obligatio priuata. ¶ Hinc patet vigere apud Benedictinos inter alias virtutes maximè gratitudinem: ſemper orant, ſemper celebrant pro Fundatoribus & Benefactoribus, tametſi non teneantur ex contractu, ſed ſolummodò titulo decentiæ, quç non poteſt obligare mortaliter.

1350 c. Vt ſecundum oſtendam, initia noſtrorum Cœnobiorum proponam; & monſtrabo creuiſse illa Religioſorum diligentia. Monaſterium Dunenſe ante viginti annos erat readificandum Brugis, quod & aliqui impedire volebant titulo fundationis, & Reuerendiſ. D. Bernardus Campmans generosè conceſſit, vt vnuſquiſque caperet, quæ dederat, nec quidpiam ab aliquo mortali captum: nam illa, tametſi opulenta communitas, labore, & bonis religioſorum paulatim accreuit, ita vt Fundatorem vix habeat. Antuerpiæ S. Saluatoris Cœnobium fundatur à Petro Pot, viro ſancto: at iam Hollandi bona illa poſſident, & Religioſi victi-

victitant ex bonis hæreditate aut induſtria adquiſitis. Quod ipſum de Speciosa valle & alijs multis, quæ cognoſco, poſſem certò affirmare.

RESOLVTIO VII.

1351 *Nullo præcepto iuris communis aut particularis ad onus tale obligātur.* Patet: quia contrariæ ſententiæ aſſertores hac via non procedunt; ſciunt enim nullum ſe poſſe aſſignare. Sola igitur conſuetudo remanet, ex qua hac obligatio ſit declaranda.

Caietanus dubitat, an de facto ſit talis conſuetudo, item Medina Complutenſis *codice de orat. tract.6.* Armilla *verb. horæ can.* Alfonſus de Caſtro *lib.3. de leg. pœn. cap.8.* Vega *in ſumm. tom.1. cap.127. c.7.* Villalobos *in ſumma tomo 1. tract. 24. dub.9.* Raphael de la Torre *in 2. 2. concluſ.6. diſput.2. n.11.* & apud eum viri docti & pii.

1352 Ego verè de alijs Religionibus iudicare non poſſum, nec qualis apud eas ſit hæc conſuetudo declarare; video viros doctiſſimos conſultos de iure Ciſtercienſi miſerè aberrare: quia externi nec mores noſtros nec leges ſufficienter nouerunt; idcircò ne cæcus de coloribus diſputem, de aliarum Religionum ſtatutis & obligationibus libenter dubito, magiſtrum non ago libenter. Ergo quidquid ſit de alijs Ordinibus, in Ciſtercienſi, cuius plurima vidi monaſteria, & cum Monachis Regionum diuerſarum egi, atque de hac conſuetudine ſæpiuſculè conſului, reperio conſtātem atque perennem eſſe; quia vix tres vel quatuor in ampliſſimo ordine audiui, qui de ea re dubitarent. Ideo intrepidè affirmo apud Ciſtercienſes eſſe conſtantem conſuetudinem priuatim legendi.

1353 Si aliarum Religionum iuniores non habeant conſtantem legendi conſuetudinem, erunt melioris conditionis quàm Ciſtercienſes: ſi habeant, ſuberunt eidem reſolutioni.

1354 Suppoſita nihilominus antiqua & conſtanti conſuetudine, adhuc remanet quæſtio. Vtrùm hæc obliget ſub culpa graui: non enim quæuis auita cōſuetudo habet vim legis, ſed ſolum illa, quæ legitimè & non per errorem eſt introducta; nam, prout optimè notat citatus Villalobos, vt conſuetudo obliget, debet introduci non per ignorantiam à credentibus ſe eſſe obligatos, ſed à cognoſcentibus ſe non eſſe obligatos, potentibus & volētibus ſe obligare grauiter. Vtrùm Choriſtæ veteres tali animo recitauerint extra chorum, Deus ſcit, nos neſcimus, ac proindè qualiter introducta ſit hæc conſuetudo, ignoramus. Sit igitur

RESOLVTIO VIII.

Conſuetudo hæc non obligat ſub culpa graui. Probo illam exemplo; nam videtur prioribus illis ſæculis ſolere officium extra chorum omitti, nam B. Bertramus (hiſtoriam ad longum recenſet Chryſoſtomus Henriquez in Monologio 4. Iulij) erat grangiarius, & die Aſſumptionis Dominæ *petijt licentiam* vt ſuam grangiam adiret, ne lectiones in choro, quæ aliquam continebant doctrinam ſibi ingratam, audiret. ergo ipſe non erat extra chorum recitaturus. Patet conſequentia. Quoniam, ſi eſſet recitaturus, non conſequeretur intentum, priuatim enim omnia illa legeret, quæ in choro noluerat audire.

Si dicas B. Bertramum non omiſiſſe officium ſed mutaſſe, dices quod probare nō poteris. omiſiſſe enim ex hiſtoria conſtat: vtrùm aliud ſubſtituerit nō conſtat. Manet igitur illam legendi priuatim conſuetudinem ita fuiſse receptam, vt ea non obſtante potuerit ſanctus iſte Grangiarius omittere lectiones aut fortè officium ſine culpa, aut ſaltem ſine mortali.

Confirmatio ipſiſſimam Reſolutionem

dem ratione efficaciſſima, qua vtitur ipſe Villalobos: nempe. Ad introducẽdam conſuetudinem, quæ habeat vim legis, neceſsaria eſt in introductoribus authoritas: atqui pueris, imberbibus, & fœminis nullus dedit talem authoritatem: ergo vix poſsunt introducere conſuetudinem, quæ habeat vim legis.

1355 Hanc rationem roborat & confirmat alia, ſed pro Religioſis Ciſtertienſis Ordinis tantummodò. Maiori pollebant authoritate, maiori iudicio, diuturniore experientia Seniores noſtri, quàm iuniores; atqui conſuetudo, quæ ab ipſis introducta eſt de recitandis officijs B. Virginis & Defunctorum, non habet vim legis grauiter obligantis, vt Capitulum Generale diffiniuit anno 1618. ergo nec conſuetudo recitandi priuatim.

1356 Expendio vlterius. Conſuetudo recitandi officia parua nõ habet vim legis moralis grauiter obligantis: ergo vel quia introducta eſt per errorem, vel quia introducta eſt à non habentibus animum ſe grauiter obligandi.

Si primum dicas, occurro ſtatim. Magis obnoxii ſunt errori & ignorantię pueri & mulieres, quàm docti & ſenes; atqui ſecundùm te conſtat Seniores, aliàs doctos & in regulari re bene verſatos, conſuetudinem legendi officia parua per errorem introduxiſſe & continuaſſe; ergò à fortiori dicendum eſt imberbes pueros, & mulieres per errorem introduxiſſe conſuetudinem recitandi priuatim: legebant igitur extra communitatem abſque animo ſe obligandi, ſed credentes ſe iam eſſe obligatos.

1357 *Si ſecundum dicas*, etiam fauebis meæ reſolutioni. Superiorum exemplum componit mores inferiorum. vnde de ſæcularibus Poeta neſcio quis, *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, & de religioſis etiam alter; *Præſidis exemplo Monachus componitur omnis*. Præſumendum igitur non eſt in monaſterijs noſtris fuiſſe mores irregulares, maximè priſco illo tempore, quod in recentiorum opinione fuit aureum. Ergo nihil agebant iuniores, niſi quod communis Monaſterii regula, & Maiorum hortabantur exempla; ſic enim *Capite 7. Gradu 8.* diſponitur. Atqui Maiores & Seniores introducebant coſuetudinem legendi officia parua ſine animo obligandi ſe grauiter: ergo iuniores fuerũt Seniores ſuos imitati; ac proinde introduxerunt conſuetudinem legendi priuatim ſine animo obligandi ſe ad peccatum graue.

1358 Probo reſolutionem efficaciùs. Cùm non ſciamus certò qualiter introducta ſit hæc conſuetudo, ſupereſt vt in hac materia aut philoſophemur probabiliter, aut ſaltem dubitemus: ſi philoſophamur probabiliter, iuniores ab omni morali obligatione abſoluentur, quia ad hoc mera probabilitas ſufficit. Si verò dubitamus, etiam debent abſolui: quia ſecundùm Suarium *libr. 7. de legibus, cap. 15. numer. 13.* Ludouicum Maeratium *tom. 1. in ſumm. D. Thom. tract. de legibus diſput. 15. lect. 2. num. 3.* & Dianam *tract. de leg. reſolut. 30.* & iterum *part. 4. tract. 3. reſol. 58.* dum ambigitur an conſuetudo introducta ſit animo ſe obligandi, an ex mera deuotione, præſumendum eſt non eſſe obligatoriam.

Maneat igitur liquidum Religioſos iuniores Ordinis Benedictini nondum ſacris initiatos non teneri ad lectionem priuatam: quibus Ordinum aliorum iuniores adiunge, qui non vi expreſſę legis, ſed conſuetudine ad talem lectionem obligari dicuntur.

1358 b. Hanc ſententiam tuetur Alfonſus de Caſtro *libro 1. de legib. pæn. cap. 8.* quam ſine aliqua limitatione probabilem iudicat Vega *in ſummæ tom. 1. cap. 128. caſ. 7.* & Hieronymus Rodriguez *in compend. quæſt. regul. reſolut. 98. numer. 5.* Seruatius Lairuelz *in Optica regul. ſpeculo 58. inſtruct. 4.* inſinuat Villalobos: non enim poteſt no-

bis

bis non ſubſcribere, qui docet oppoſitam ſententiam eſſe rigidam, & habere authores, qui Choriſtas de culpa graui arguant ex iure, quod non eſt valde clarum.

1358. c. Nota tamen obiter Seruarium Lairuelz *in Catechiſmo* hanc opinionem retractaſſe. Sed ſi bene expendas, palinodia illa nullius eſt roboris, quia violenter reſilit, vt conſtat bene ſpeculanti. Aſſeruerat *in Optica citato loco* dari apud DD. Præmonſtratenſes immemorialem conſuetudinem non legendi antequam ad maiores ordines promouerentur: ergo aut non debet negare ſe vidiſſe hanc conſuetudinem, aut debet dicere ſe loquutum contra mentem; quod non ſolùm docto & religioſo, ſed etiam ingenuo homine eſt indignum.

RESOLVTIO IX.

1358 d. *Monialis, aut iunior Religioſus, cui Abbas in virtute obedientiæ præceperit legere officium Canonicum, ſi id omittat, aut notabilem eius partem, peccabit mortaliter.* Patet ex his, quæ dixi ſuperiùs *nu.* 703. omittere dicitur, qui nec legit publicè nec priuatum.

DVBIVM I.

1359 e. Poſtulas, an contra noſtram Reſolutionem militet Definitio Patrum illorum Ciſtertienſium, Germanicæ Congregationis Antiſtitum, qui anno 1595. Comitia in Bauaria celebrarunt. pronuntiaruntque ſequentem legem.

Quilibet Religioſus Ordinis noſtri ex Regula & ipſius Ordinis præceptis, tum etiam requirentibus piorum fundatorum eleemoſynis quibus ſuſtentatur, ac ratione ordinum quibus eſt inſignitus, ad quotidianam illam diuini officij perſolutionem tenetur: proinde quando in choro vel extra ipſum fuerit, ſedulò caueat, ne quid de eo omittat, quod integrè Deo, Eccleſiæ & Monaſterij benefactoribus de iure debet. Qui enim accipit beneficium, præſtare tenetur officium.

1358 f. Reſpondeo hæc verba debere exponi diſiunctiuè, & ſi ſic exponantur non militant contra noſtram ſententiam: quod ſi, vt copulatiuè intelligantur, adhuc velis, non contendam. Dicam illos in ſuo ſenſu prudenter abundaſſe, eorumque ſententiam non aſſeri à me eſſe improbabilem, adeoque prudentiſſimè in tabulas potuiſſe redigi & legibus ferendis ſeruire.

DVBIVM II.

1358 g. Inquiris, Quid debeamus reſpondere Caſſinenſibus, qui in expoſitione Capitis XVIII. ſic inquiunt. *Pater noſter ſanctiſſimus Benedictus, nullum ex Monachis excipit à Diuino officio dicẽdo, Ideoque ordinamus, quod quilibet Monachus profeſſus officium dicat, etiamſi non ſit in ſacris.*

Reſpondeo me *num.* 1349. oſtendiſſe fuiſſe Eugenium IV. in ea ſententia, quæ docet S. Patrem nihil *inſtituiſſe* circa iuniorum lectionem, & quidquid ſit de hac Eugenij ſententia illo capite XVIII. hanc materiam à Legislatore non tangi certum eſt. vnde dico D. Benedictum neminem excipere à Diuino officio ſolenni & publico, adeoque etiam iuniores hoc ſtatuto Caſſinenſium obſtringi, quia Regula non obſtringebantur. Vel ſunto obſtricti regulariter. nihil contra noſtram reſolutionẽ: quia regularia non obſtringunt conſcientias, vt ſæpiſſimè probatum eſt.

DVBIVM III.

1359 Fratri N. conceſſit Abbas licentiam *primò* vt ſemper omitteret officium Marianum, & Defunctorum: *ſecundò* vt diebus ferialibus omittere officium.

officium Canonicum: *Petitur*. Vtrùm teneatur legere diebus feſtiuis. Videtur quod ſic: Quia exceptio firmat regulam in contrarium; ergo qui diſpenſat ne legat diebus ferialibus, videtur iubere vt reliquis legat.

Reſpondeo tamen primò Abbatem illum potuiſſe diſpēſare in officijs paruis: obligant enim ſolùm in foro exteriori, vt diſput. ſeq. explicabitur. *Addo ſecundò* potuiſſe diſpenſare in officio Canonico etiam ex hypotheſi, quod Religioſi iuniores teneantur grauiter. Cæterùm ex diſpenſatione in vna re malè infertur præceptum reliquarum. An qui concedit licentiam vt te abſentes à Veſperis, cenſendus eſt tibi ſub obedientia indicere vt Completorio interſis? Minimè, quoniam cùm diſpenſatur in aliquo, iuris quoad hoc ceſſat obligatio, reliquis in priſtino ſtatu remanentibus. Ergo Prælatus, qui diſpenſat vt iunior non legat ferialibus diebus, non eſt cenſendus præcipere vt legat feſtis, ſed obligationem hauc relinquere in priſtino ſtatu.

DISPVTATIO CIV.

Vtrùm officij Beatiſſimæ V.M. & Defunctorum priuata lectio DD. Ciſtertienſes obliget ſub peccato mortali.

1360 MVlti aſſeruerunt, plures dubitarunt, ſed iam ſcrupulus eſt ſublatus declaratione Generalis Capituli celebrati Ciſtertij anno 1618. vbi Ciſtercienſes Abbates vnanimi conſenſu diffinierunt non obligare ſub mortali.

Conuenerunt in hoc Capitulo Viri doctiſſimi & grauiſſimi tot, tanti, vt vix aliàs Generale Capitulum à tam illuſtribus Patribus credatur celebratum.

Hæc Capituli Generalis declaratio doctiſſima vix cognoſcitur in Hiſpania: nec miror, quia inter Hiſpaniæ, & Galliæ Religioſos nulla eſt communicatio: ideò plerique Hiſpani declarationem hanc ignorant, licèt ab aliquibus annis ſic data.

1361 Verùm hanc Generalis Capituli reſolutionem adoriri, quis poſſet hoc argumento. Vel Capitulum definiuit ſpeculatiuè particulares non teneri priuatim legere hæc officia; vel conceſſit practicè, vt (quidquid ſit de præterito) in poſterum non obligarentur. Neutrum potuit facere: ergo. ¶ Quod non potuerit nos abſoluere à recitandi onere, ſatis clarè probatur. Quia nos aliàs obligatos vel abſolueret authoritate propria vel Pontificio priuilegio: illa non ſufficit, hoc non habet, ergo huiuſcemodi conceſſio eſt nulla. Quod authoritate propria Capitulum non poſſit diſpenſare in Officio Diuino ſi ſubſit obligatio (ſi hæc deficit, diſpenſatione non eſt opus) inde colligo, quod nunquam præſumet diſpenſare in Canonico, vt omnibus notum. Ergo ſi Canonici, & Mariani officij æqualis eſſet obligatio, poſſet æquè diſpenſare in vtroque, atqui in vtroque non poteſt: ergo in neutro. Quod autem priuilegium non habeat, cuius virtute ab Officiorum paruorum Lectione abſoluat, certiſſimum eſt: quia licèt particularium Antiſtitum priuilegia ſecreta eſſe ſoleant, priuilegia Generalis Capituli latere non poſſunt. Oſtendunt aliqui diploma conceſſum à Iulio II. Anno 1437. in quo committitur Abbati Generali, & Capitulo omnia alterare, inuertere & modificare

exce-

exceptis ſubſtantialibus Regulæ, & ex illo ſic argumentantur. Officium B.Mariæ & Defunctorum non ſolùm ad ſubſtantialia Regulæ non pertinent, ſed neque ad ipſam Regulam: ergo in dictis officijs poteſt Generalis & Capitulum validè diſpenſare. Verùm hec ratio non vrget, quia diploma illud Pontificium non eſt conceſſum Comitijs Generalibus, quæ aguntur Ciſtertij, ſed Prouincialibus, quæ ab Abbatibus Hiſpanis nunc in Monaſterio de Palaçuelos prope Valleſoletum celebrantur. Vel eſto conceſſum ſit vtrique Capitulo (multi enim contenduut, quæ conceduntur vni membro, toti eſse corpori conceſſa) nondum reperiam potuiſſe Capitulum Generale diſpenſare, nam Pontifex hoc Priuilegium conceſſit iſtis verbis. *Vt dicti Religioſi eo quietiùs, & liberiùs feruori deuotionis, & ſanctæ cõtemplationi intendere valeant, volumus ac ipſis motu & auctoritate ſimilibus concedimus, quod Abbas Deformator dictæ Obſeruantiæ pro tempore exiſtens, & Prouinciale Capitulum huiuſmodi, ſaluis ipſius Ordinis Ciſtertienſis Regulæ ſubſtantialibus, quæcumque circa Regulam & Obſeruantiam prædictam occurrentia, ambiguitates obſcuritates, & dubia declarandi, dilucidandi, interpretandi, & diſpenſandi plenam...., & liberam authoritate apoſtolica habeant fucultatem, & etiam poteſtatē.* Igitur ex Pontificis mente, non poteſt in contemplatione, ſed in alijs in ordine ad contemplationem diſpenſari. cùm ergo contemplationis nomine Diuinũ officium intelligendum ſit (agitur enim de contemplatione externa, & vocali, nam de occultis Eccleſia non iudicat,) qui in Mariano, quod etiam Diuinum eſt, poſſit Generale diſpenſare Capitulum non penetro. Et noto obiter illud Iulii Diploma dici conceſſum anno 1437. ſed hunc errorem eſſe deſumptũ à Chryſoſtomo Henriquez, qui ſic, *Priuilegium XVII. conceſſum Iulio Papa II. anno* 1437. cum tamen diploma ipſum claudatur his verbis, *Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ* 1506.

1362 Reſpondeo tamen breuiter, Capitulum Generale celebratum Ciſtertij nõ habere authoritatem ordinariam aut delegatam à Pontifice, cuius virtute poſſit Monachos abſoluere ab obligatione recitandi: eapropter aſsero decretum Generalis Capituli anno 1618. promulgatum, non fuiſſe diſpenſationem practicam, ſed ſpeculatiuam diffinitionem. Non cõcedit Capitulum vt non recitent priuatim parua officia Monachi aliàs obligati: ſed declarat nũquam fuiſse ſub graui culpa obligatos ad ea recitanda. Vt hanc declarationem penitùs intelligas aſserta ſubſequentia expendito.

Primum. *Aliud eſt propoſitionem eſſe certam, aliud eſſe probabilem.* Patet: quia in veritate & certitudine nulla eſt mutatio: in probabilitate eſt continua. Opiniones multæ, quæ olim iudicabantur temerariæ, euaſerunt iam probabiles; & exoleuerunt plurimæ, quæ olim probabiles erant.

Secundum. *Homo non tenetur ſequi verum, ſed probabile.* Conſtat ex dictis *diſp.* 6.

Tertium. *Generalis Capituli declaratio non habet certitudinem & infallibilitatem.* Patet: quia eius declaratio non eſt diffinitio Pontificia, ſed prudentum virorum reſolutio, determinantium rem quæ aliter ſe poteſt habere, ac forſan aliter ſe habet.

Quartum. *Hæc declaratio habet maximam probabilitatem.* Quis enim negare poterit, ducentorum aut plurium Antiſtitum authoritatem eſse magni momenti? omnes fuerunt ſenes, plures doctiſſimi, nonnulli ad Lauream Doctoralem promoti: ergo ſufficiunt ad probabilem opinionem faciendam. Hic rurſus obiter notandum: communem eſſe omnium ſententiam, nunquam fuiſ-

ſe congregatos Ciſtertij Viros tã graues & doctos quàm anno illo 1618. nec vnquam in noſtro Generali Capitulo tam graui negotia fuiſse determinata. Hoc dixi, ne quis crederet Patres in hac reſolutione leuiter proceſſiſse.

Quintum. *Probabilior eſt hæc pars, quàm contraria.* Demonſtratur. Dubitabant vniuerſi, vtrùm teneremur ad hæc officia ſub mortali: nullus opinabatur, quia nullus agebatur ratione, ſed mero dubio. Si qua apparebat obligatio, erat ex conſuetudine. Petimus qualiter hæc fuerit introducta. Non debebat hoc ab exteris aut peregrinis peti aut inquiri, quid enim hi ſciunt de noſtris moribus, præcipuè antiquis? Petendum igitur erat à noſtris Religioſis: nec à iunioribus, ſed à Maioribus, & Senibus. Prudenter ergo proceſſit Ordo, cùm Maiores & Seniores Antiſtites conſuluit Comitia celebrantes. Conſulti Abbates, qualiter hæc conſuetudo introducta eſset, Reſpondent non obligare ſub mortali, hoc eſt, hanc conſuetudinem proceſſiſse à mera deuotione. Reſolutio igitur Generalis Capituli probabilior eſt contraria, vtpotè facta à doctioribus & dignioribus viris.

Sextum. *Impoſſibile eſt, quòd hæc ſententia aliquando ſit probabilior contraria.* Licet euidentiſſimè. Nam in his quæ pendent à traditione, antiquiores maiorem habent authoritatem quàm recentiores: hi enim aut nihil ſciunt, aut ſi quid ſciunt, à maioribus acceperunt. Atqui maiores noſtri in Capitulo congregati declararunt, quomodo hęc conſuetudo fuerit introducta, & deinde perennauerit, contrarium non vidimus: illis ergo credere debemus, quia huius conſuetudinis origini propinquiores fuerunt. Quiſquis igitur contra Seniorum noſtrorum declarationem aliquid in hac materia aſseruerit, cenſendus eſt temerarius.

Septimum. *Hæc declaratio non ſolũ eſt probabilior contraria, ſed & habet aliquod genus euidentiæ ſeu certitudinis moralis.* Probatur. Eſt mihi moraliter certum exſtare etiamnum illam Græciæ metropolim, quæ Conſtantinopolis vocatur, ſed vnde mihi talis certitudo? non aliunde, quàm quòd cùm varijs egerim, qui illam ſe vidiſse aſserent, & nullum audierim, qui ſe diceret ſcire, dirutam eſse. Sit ſimiliter mihi moraliter certum eſse dico, hanc conſuetudinem priuatim recitandi parua officia fuiſse introductam à non habentibus animum ſe obligandi grauiter; quia Seniores, & Maiores noſtri, quibus hæc veritas meliùs potuit eſse nota, id anno 1618. vnanimi conſenſu affirmarunt, neminem vidi qui aſserat ſe contrarium ſcire. Hanc certitudinem confirmat Ciſtertienſis Ordinis ſolicitudo, quę acta Capituli ſemper à Catholica Sede fecit confirmari. Confirmatio autem Pontificis non poteſt non addere ſecuritatem.

NOTA.

1363. Ex hac declaratione conſtat Maiores noſtros noluiſse introducere conſuetudinem, qua obligarentur legere parua hæc officia ſub peccato mortali; voluiſse tamen ſe obligare ſub veniali. Sed hæc vltima voluntas eſt inefficax; quia etſi voluerit, non potuerunt, cùm non ſit poſſibilis obligatio leuis, vbi materia eſt grauis. Vide *num.* 42. *num.* 96. & *numer.* 799. Marianum autem officium & Defunctorum grauem materiam continent, vt ex ſe patet. Eſt igitur liquidum hæc duo officia nedum ſub leui culpa Dominos Ciſtertienſes obligare.

1363 b. *Petis*, Vtrùm hæc declaratio faueat etiam Hiſpanis, qui credunt ſe non eſse ſubditos Generali Capitulo, vt ſunt alii noſtri Ordinis Religioſi.

Reſpondeo, id non obſtare, quo minùs illis hæc declaratio proſit: quia hæc non eſt diſpenſatio practica, ſed ſpeculatiua Reſolutio ſeniorum & docto-

rum

ſum Abbatum : & hæc ſubditis & non ſubditis fauet: Hiſpani enim non introduxerunt nouam conſuetudinem , ſed continuarunt antiquam, quæ in Ordine erat ante Reformationem : hanc ergo declarant Patres fuiſſe introductam à non habentibus animum obligandi ſe ſub mortali .

D. MANRIQVI

De officio Mariano ſententia.

1364 Multa Deo debet quicumque homo: plura tamen, qui excellentiſſimos Magiſtros ſortitur; & quoniã ego ſummos, ſumma debeo. In Mathematicis habui D. Laurentium Caramuel, cuius Ephemerides cum commendatione leguntur; eiuſque in mea Bibliotheca manuſcripta conſeruo multa opera ſub hoc diſticho:

Hunc Natura Patrem , dedit hunc fortuna Magiſtrum, Primo mihi multum, plura ſecunda dedit .

In linguarum inſtitutione Illuſtriſſimum Ioannem Eſronitam, Maronitam natione , Montis-Libani Archiepiſcopum; virum omninò Magnum: oppreſſum tamen æmulorum potentia in cauſa montis Granatenſis, quem Sanctum nominant, cuius laminas fuit interpretatus , putabatque non eſſe ſanctarum reliquiarum indices, ſed cuiuſpiam Mahometani ibi ſepulti pugillares . [Rem alij examinent, aut examinauerint: ego enim ſub illud tempus puellus non poteram mihi perſuadere Arabicam linguam ab illo , qui illam cum applauſu docebat, ignorari; ſcirique ab aliquibus, qui vix Hiſpanè auderent , & nihilominus volebant zelo indiſcreto illa oſſa in altaria prouidere .] Habui in Theologicis Profeſſorem, nomine , & ſcientia Angelum, nobilitate Manriquũ, Ordinis noſtri apud Hiſpanos, Generalem, tunc Theologiæ Moralis, poſteà Scholaſticæ Primarium Lectorem, iam Pacis-Iuliæ Epiſcopum , ingenio fortiſſimum , ab infantia in arena litteraria inſtitutum, cuius florido ſtylo cathedræ & ſuggeſta multum debent. Hunc amo, veneror , & quia ipſi debeo quid theologicè audeam , videret ingratus , ſi in hoc loco doctrinam eiuſdem non proponerem, cum noſtra contraria videatur.

Ipſe igitur Annalium Ciſtercienſium Tom. I. anno MCIII. Cap. III. ſic inquit.

1364 b. SVpereſt de Officio B. Virginis, quod hac eadem occaſione temporeque , à noſtris Patribus admiſſum , ſunt, qui exiſtiment : quaſi notæ perennis ſeruitutis , perenni etiam obſequium reſponderet ; & qui ſe habitu Mariæ matris mancipia profitebantur, exhiberent obſequio . Nos in hac re duo certa comperimus ; alterum eſt, ipſius penſi antiquitas, ab Ordinis initio perſoluendi ; [*imò ſub initium fuit interdictum , & vix poſt ducentos annos ab exordio Ciſtertij in choro permiſſum.*] alterum, nunquam interrupta continuatio, ad nos vſque *producta* : neque inter varios cæterarum rerum caſus , occaſuſque imminuta , [Anno 1542. *fuit diminuta lectio in Hiſpania.*] aut deficiens, ſed ſemper creſcens . Vtrumque breuiter in hoc Capite explicabimus; poſteriùs in ſequẽtibus etiam inueniemus.

1364 c. Officium paruum B. Mariæ Virginis ante natum Ciſtercio, præueniensque , inde nobis fatendum eſſe apparet , quod in Concilio Claromontano, ſub Vrbano II. celebrato , tribus ante Ciſtercium exortum annis, præceptum *tam ſæcularibus laicis, quàm clericis* legimus, *vt hora de B. Maria Virgine dicantur , & eius officium diebus Sabbatorum ſolenniter celebretur. (Hoc vltimum iubet Concilium; nec verbum habet de Virginis horis quotidianis.)*

Horæ

Horæ, inquam, B. Mariæ ab Eremitis inſtitutionis B. Petri Damiani ante quadraginta annos frequentari ſolitæ, & tunc etiam ad clericos extenſæ, vt ad anno Chriſti 1095. Cardinalis Baronius adnotauit. [*ſed male.*] Idque fauoris ipſius adipiſcendi, pro expeditione Hieroſolymitana, quæ, ipſo Vrbano adnitente, parabatur. Porrò eaſdem B. Mariæ horas complures Monachos ſtatim admiſiſſe, diebus ſingulis deuotè recitandas, compertum eſt quòd Carthuſianis, tunc recens inſtitutis, & adhuc de perſeuerantia dubitantibus, ipſe etiã Petrus Apoſtolorum Princeps intimauerat, cæleſti ad eos reſponſo in hunc tenorem. *Perplexi eſtis, fratres, vtrũ hoc in loco permanere, vel ex eo excedere debeatis. Sed ego dico vobis verbis omnipotentis Dei, beatiſſimã Dei Genetricem Virginem perpetuò vos in hoc deſerto loco conſeruaturam, ſi in eius honorem quotidie legere volitis preces eius horarias.* Hæc ſanctus Petrus ad Patres Carthuſianos. Nec dubium, monitos oraculo cæleſti, admiſiſſe conſilium, cui ſuam poſteà deberent confirmationem.

1364 d. Eaſdem horas receptas à Cluniacenſibus, eorumdem ſtatuta non multò poſt ſub B. Petro Mauritio Abbate edita ſatis clarè demonſtrent, quæ ſic habent in Bibliotheca Clunia. ſtatut. 68. *Statutum eſt, vt ſicut ex conſuetudine aliæ horæ ſanctiſſimæ Virginis Matris Domini in Eccleſia infirmorũ, quæ in honorem illius conſecrata eſt, [ergo nec in choro, nec à communitate] quotidie decantantur, & eiuſdem ibi Completorium cantaretur. [non ergo anteà integræ.]* Si autem Petri Venerabilis temporibus hæc conſuetudo inter eos iam inualuerat, conſequitur ante aliquos annos introductam, ab ipſo, vt minimum celebrato Concilio, habuiſſe initium. Denique Monaſterio Tagumenſi eædem horæ admiſſæ, ſed mox omiſſæ, minabantur exitium, niſi reſumptæ pacem retuliſſent. Quod B. Petrus Damianus, qui eius reſumptionis auctor extitit, teſtatur, dum ita ait apud Baronium anno 1069. *Verùm (ne Lectorẽ diutiùs protraham) fratres illi hæc, quæ dixerã (nempè eos pati propter omiſſum officium B. Virginis) non dubijs erumpentibus ſignis, vera probantes, in arcto ſiti: tandem ad eos redeunt, pauimẽto ſe humiliter ſternunt, ac percepta pœnitentia, nunquã ſe de cætero neglecturos ſolita Dei Geuetricis præconia, vnanimiter pollicentur. Mox itaque (vt fatear) ita poſt coruſcationes, atque tonitrua, tandem cæli ſerenitas rediijt, vt nunc uſque hodie fratres iucũda pacis otio perfruantur.* Hactenus Cardinalis P. Damianus. *inferiùs Dubio V. habebis hiſtoriam, & Cenſuram.* Ex quibus omnibus non obſcurè colligas, Marianum Officium ſub his temporibus inter Monachos frequenti vſu receptum.

1364 e. Quamuis autem nobis compertum non ſit, à Moliſmenſibus etiam recitari: non tamen credimus in Eccleſia B. Virginis, à Beato Roberto in eius honorem erecta, rectaque per ſanctos Monachos, atque ipſi ſummos addictos, inhabitata, minus aliquid in eius obſequium fieri, aut renui penſum cunctis imperatum, cunctis impoſitum, quod alij multò minùs deuinctis non detrectabant. Probabiliter ergo coniectamur, officium Virginis ante Ciſtertium natum, in Moliſmo recitari inceptum, per Patres noſtros, atque inde traductam conſuetudinem non ſecus ac Eccleſiarum cunctarum, ſub nomine Mariæ dedicationem. Vnde etiam fit, vt Ciſtercienſi Ordini ante natum officium ſine ipſo aliquamdiu, ſed Ordo ſine Mariæ Officio nunquam fuerit. Crediderim tamen ab hoc anno, vt minimum, nouo veſtium accepto beneficio, acceptatum de nouo continuatumq; deuotiùs à noſtris Patribus. *Omnia hæc aliter: Roberti enim zelus vniuerſa ad mores D. Benedicti reſtituit*

& Marianum officium proſcripſit cum nouis nonnullis obſeruantijs.

Porrò quanto feruore ſemel admiſſumr & quàm ſine vlla prorſus interruptione ad noſtra vſque tempora, vbique & ſemper recitatum fuerit, non aliter manifeſtiùs demonſtrabimus, quã ſi deducta ſæculorum currentium ſerie, oſtendamus per ſingula, non vllum ab hoc penſo fuiſse immune. Certè B. Patris noſtri Bernardi tempore; adeòque ab ipſo Ordinis initio recitari conſuetum à cunctis Monachis habemus in Exordio magno expreſsum. Inde enim beatus Chriſtianus, ſociuſque, cùm Ciſtertium ſub Rainardo Patre pergerent, & competenti hora (quæ erat illorum Sanctorum obſeruantia) Sextam ſimul alternis decantaſsent, ſtatim eo penſo perſoluto, ſeparati ad inuicem, *cur ſeparati ab inuicem, niſi quia ſimul legere non permittebantur*. Sextam de Domina noſtra recitarũt. Exordij verba, quo maior dictis fides, in medium proferam lib. 1. cap. 40. *Cùm verò die quadam iter agerent* (ſcilicet Sanctus Chriſtianus, & ſocius eius) *& ſecundum æſtimationem temporis, regularem Sextam horam ſimul dixiſſent, retraxit ſe Monachus, qui cum Viro Dei ibat, vt horam de Domina noſtra ſecretò ſinguli per ſe pſallerent*. Non ergo dubium ſub Rainardo Patre huius enim mandato Chriſtianus aduentabat Ciſtertium, qui immediatè Stephano ſucceſſit, & B. Patre Bernardo coæuus fuit, officium Virginis Ciſtercienſibus in vſu, nec à Sanctioribus tantum recitandum, ſed ab omnibus [*ita tamen priuatim, & extra chorum, vt nec duo ſimul illud legere permitterentur*.] Nec enim Monachus ſocius retraxit ſe, vt Chriſtianus horam de Domina noſtra ſolus pſalleret, ſed vt vterque, ſeu quod plus aliquid ſonat, etiam vt ſinguli, quaſi ea eſset ſingulorum obligatio per totum Ordinem. Ad idem ſeculum pertinere noſcitur teſtimonium Cæſarij de Canonico illo Leodienſi, cui per oraculum olim ad Bernardum, per Bernardum ad Ordinem conuerſo, poſt S. Patrem ad Superos tranſlatum, dum ſub Goſeuino Ciſtertij quinto Abbate. *Alnæ* propè Leodium Priorem ageret, apud Cæſ. lib. 1. Dialog. c. 6. *Cum vnus Monachorum de confeſſione ſignum faceret, illeque ſextam de Domina noſtra nempe ex priuata deuotione pſalleret, innuit ei vt modicum expectaret, &c.* Cùm, inquam, Sextam Dominæ noſtræ pſalleret, quam interrumpere, nedum non recitare, profanum duxit. Nec multò poſt intra idem tamen ſæculum, anno ſcilicet 1194. gliſcente deuotione in eãdem Virginem, ſtatutum lego Cęſ. ibidem, *quod horæ B. Mariæ, quæ hactenus à ſingulis ſeorſim recitabantur igitur anteà non recitabantur in communi in infirmitorio dicerentur omni tempore; Ergo nondum in choro & in Eccleſia*, quod ad Cluniacenſium Patrum imitationem à noſtris factum probat ſtatutum ipſorum, de quo ſuprà.

1364 f. Secundo ſeculo penſum continuatum, idem ipſe Cęſarius planè cõuincit, qui libros dialogorum euulgauit vigeſimo ſecundo illius anno, *in* quibus eiuſdem officij frequens mentio, item tunc in *infirmaria* cantari ſoliti; [*non ergo in choro*] non tamen ideo à ſingulis omiſſis, ſi forte ei intereſse minus poterant. Vnde illud celebre de Monacho Hiſpano qui *in obſequio B. Virginis ita feruens & deuotus, ita in horis eius decantandis moroſus, & intentus erat, ut non ſolum in ſingulis verſibus, ſed etiam in ſingulis verbis memoriam ipſius haberet, & ſic horam horæ maximo labore continuaret*. Ita Cęſarius lib. 7. c. 51. de ſancto illo Monacho, quẽ non fruſtrauit affectus in Matrem Virginem. Nam idem ibid. *Cùm annos decẽ & ſeptem fuiſſet in Ordine* (proſequitur idem Auctor eodem loco) *grauiter infirmatus eſt, & miniſtrabat ei ſocius ſuus de licentia Prioris. Sciens autem*

cum

tum ſanctum Virum, & in ſeruitio Dei Genetricis deuotiſſimum, vt aliquid ſibi diceret ad ædificationem intuitu mutuæ charitatis flagitauit. Cui, cùm ille nihil negare poſſet, nec vellet, reſpondit: Heri Domina noſtra viſitauit me, & quia die ſeptimo ad Dominum fuerat migraturus prædixit. Hactenus in Sancto illo Cæſarius, quædam alia adijciens cautè legenda, quæ tamen ipſa in diſcipulo inueniuntur inter miracula, atque fauores Matris Virginis. [*Sunt tamen ipſa talia, vt ex illis colligere quis poſſit, priuatam officij Mariani lectionem fuiſſe ſub illud tempus valde raram.*

1364 g. Eodem ſæculo, nec multis elapſis annis, Chriſti nimirum 1237. inter alia in Capitulo ſtatuta, duæ promulgatæ leguntur diffinitiones, ex quibus conſtat continuatio eiuſdem penſi. Altera, qua Beati Patris Bernardi commemoratio diebus ſingulis ad horas Marianas iubetur fieri. Altera, qua ipſæ horæ permittuntur extra Conuẽtum ſimul recitari, etiam poſt diuinum Officium abſolutum, atque en verba prioris ſtatuti in diffinitionibus eiuſdem anni. *Commemoratio Beati Bernardi fiat ad horas Beatæ Mariæ ad Veſperas, & Laudes, & in Litania nominetur.* Poſterioris verò in diffinit. eiuſ. anni, hæc quæ ſequũtur. *Abbatibus, & Monachis extra terminos* [*puto, Monaſterij*] *conſtitutis, ſi Conuentus defuerit,* [*non igitur, ſi adfuerit*] *& eis, qui circa defunctum vigilant, liceat ſimul cantare horas de ſancta Maria.* [ergo nec intra Monaſterij terminos, nec extra præſente conuentu licebat duos ſimul horas Marianas.] Hec anno Chriſti 1237. ſed & poſt hunc decem & ſeptem elapſis annis, Chriſti nimirum 1254. commemoratio S. Patris Roberti iniuncta cunctis continuationem Mariani Officij etiam conuincit, anno 1254. *Pro reuerentia (inquit) beati Roberti Domus Ciſtertienſis, & Ordinis primi Inſtitutoris, ordinat Capitulum generale, vt in ſingulis ipſius Ordinis domibus, poſt Beatum Bernardum in Litania nominetur, & in Laudibus & Veſperis Beatæ Virginis Mariæ priuatim de eo fiat cõmemoratio priuatim, non ergo publicè, & in communi.*

1364 h. Sæculum tertium teſtimonia alia commendant, præcipiente Capitulo anno 1307. *quod quotieſcumque officium diuinum canitur in conuentu, poſt commemorationem quotidianam B. Mariæ, ad Veſperas, & ad Laudes de beato Benedicto & Bernardo commemorationes alij ſubſequantur: tamen de B. Roberto ad horas B. Mariæ ſpecialiter debet fieri commemoratio conſueta.* Ergo tranſlatis Benedicto atque Bernardo, ad diuinum Officium, ſolus Robertus in Mariano relictus eſt, anno Domini 1307. in quo & vſque ad hunc diem perſeuerat. Tam longè autem abfuit ſæculum iſtud ab imminuendis aut omittendis Mariæ horis, vt potius anno 1318. ſingulis commemorationem eius addiderit, quæ hactenus recepta communi vſu; idque verbis affectum ſpirantibus, atque in affectu pietatem, & deuotionem. Anno 1338. *Cum Beatiſſima Dei Genetricis Maria, omni laude digniſſima à nobis, quorum eſt aduocatrix ſpecialiſſima, ſemper & vbique debeat congruis laudibus venerari, ſtatuit & ordinat Capitulũ Generale, quod poſt horas conſultas ipſius Virginis glorioſæ* [hic iam incipio videre conſuetudinem legendi illas] *dicatur ab omnibus perſonis ordinis Antiphona, Miſſus eſt Angelus Gabriel, Verſus, Aue Maria, Collecta, Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, etc. & poſt Collectã dicatur, Dulce nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & beatiſſimæ Matris eius ſit benedictum in ſæcula ſæculorũ. Amen.* Nec illud etiam omittendum cenſeo, quod Radulphus Riuius Tungrenſis Eccleſiæ Decanus, ad Canonicos Vvindeshẽſes, annos eius ſæculi octuageſimo

octauo, plus minuſue, vt teſtatur Pamelius in præf. ſuæ copilat. in fin. reliquit ſcriptum. Dum.n. eos de diuinis officijs ſeriò inſtrueret, ac ritus ceremoniaſque doceret, cùm primùm ad Marianum officium venit, nihil aliud docendos exiſtimauit, quàm quod Ciſtercienſes, & Carthuſienſes Monachos velut Magiſtros & anteſignanos imitarentur. Lib. de can. obſeruant. propoſit. 15. ad finẽ. *Ad horas*, inquit, *B. M. obſeruandæ sũt proſtrationes, & cæremoniæ, quarum vſum loca veſtra congruè recipere poſſunt à Carthuſienſibus, & Ciſtercienſibus.* Hæc tertio ſæculo in alijs deficiẽte, ſed in obſequijs Virginis Mariæ, & eius recitandis horis planè perferuido.

1364 i. Sed illuſtriora, & grauiora adhuc in quarto, decuius initijs, medijſque Pontifices, de nouiſſimis habemus idoneas teſtes, ipſas ſingularium domũ viſitationes, quæ hodieque in multis perſeuerant. Eugenius IV. Hiſpanis præ alijs fauens (quod olim cunctis Capitulum Ciſtertij) anno 1437. ſingulis congregationis noſtræ Abbatibus, vitæ vocis oraculo conceſſit, tom. 1. priuil. 10. n. 18. nempè, *quod quilibet Abbas poſſit diſpenſare cum ſuis Monachis, vt cum non aſſiſtunt choro, vel etiam cùm ſint extra Monaſterium, poſſint licitè poſt Completoriũ dicere ſimul horæ beatæ Virginis.* Quin Sixtus IV. Officium Marianum diuino penè adęquat, dum anno 1475. vel Abbatijs in commendam commiſſis præcipit tom. 1. priuil. 103. n. 3. *Sollicitè & debitè in eiſdẽ Monaſterijs & locis commendatis, diuinum Officium tam in horis Canonicis, quàm beatæ Mariæ, moroſè, deuotè, & integrè, eiuſdem Ordinis ceremonijs ſeruatis, competentibus & debitis horis perſoluere, &c.* Ita Pontifices. [*Neutrum ego priuilegium apud Chryſoſtomum Henriquez reperio.*] Aſt cenſorũ Ordinis, & inter alios Petri de Ceccio Claręuallis Abbatis, qui Innocẽtij VIII. commiſſione, & totius Ciſtercienſis Capituli auctoritate, anno M.CDXCI. viſitauit. Hiſpaniam: duo hodie (fortaſſis etiam plura) perſeuerant mandata: alterum in Monaſterio Nucalenſi Aſtoricenſis Diœceſis; in Regno Legionenſi alterum in monaſterio Sanctæ Columbæ: illo virorum, hoc ſanctimonialium; vtroque filio domus Moiserolæ, de quibus infra. Prioris mandati exemplar in tabula Nucalenſi ſic ſe habet. In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ad noſtræ & totius Chriſtianæ Religionis ædificationem. *Nos Frater Petrus Abbas Claræuallis Ciſtertiẽſis Ordinis in Diœceſi Lingonenſi, per expreſſum mandatum SS. Domini noſtri Summi Pontificis & plenariam Capituli Generalis noſtri Ciſtertienſis Ordinis auctoritatem,* [Plenaria igitur Capituli authoritas illi competit cui illud committit, non Ciſtercienſi Abbati neceſſario] *perſonaliter viſitantes & reformantes deuotum Monaſterium B. M. de Nucalibus, etc. pro eiuſdem loci, & perſonarum in vtroque regimine proſperiori ſucceſſu, ea quæ ſequuntur, ſtatuẽda decreuimus. In primis cum operi Dei, ſecundum noſtri Legiſlatoris doctrinã, nihil ſit præponendũ, huius loci perſonis regulares omnes diuinis mãcipatas obſequijs, benignè in Domino hortamur & monemus, vt in ipſo ſeruitio diuino peragẽdo, ſeſe deuotas, feruentes, cõpoſitas & diſciplinatas exhibeãt; diebus ſingulis omnes & ſingulas horas, tã diurnas quàm nocturnas, & tàm de B. M. quàm de tempore, ac defunctis horis competentibus integraliter perſoluẽdo. Horas videlicet ipſas de B. M. recitãdo cum bona & cõpetenti pauſa in medio, & in fine verſuum pſalmodiæ, in virtute ſalutaris obedientiæ ſtatuẽtes, vt horæ ipſæ de B. Maria nullo vnquam die quantumcumque ſolenni intermittantur. Quas horas de cætero incipiant, quemadmodum eis monſtrauimus, &c.* Nam latè proſequitur ceremonias, & circumſtantias, quibus idẽ officiũ celebran-

brandum. Sanctimonialibus verò ſanctę Columbæ ſimile pręceptum reliquit ſub hoc tenore. In tab. ſanctæ Columbæ. *Inbibemus autē, vt de cætero quocūque die quantumcunque ſolenni, intermittātur horæ de B. M. ſed ſemper in choro* [nihil de officio priuatim legendo extra chorū] *coniunctim* [in lege coniunctioni] *cum horis diei dicantur.* Et poſt pauca. *Maximè autē horæ beatæ Mariæ Virginis paulò moroſiùs de cætero dicantur, & reuerentiùs incipiantur.* Hactenus cenſoria lima Claræuallis Petri, nulla occaſione intermiſſionem admittens Mariani penſi, non ſolùm ſigillatim, *vbi vel verbum de penſo ſoluendo ſigillatim?* verùm in choro, & ab omnibus ſimus perſoluendi.

1364 K. Sæculum quintum, quo proximus noſtro, eo patentius, continuati Mariani officij penſum pandit, & in ipſo recolendæ, & verè ſanctæ memoriæ Pius V. priuilegio conceſſo Hiſpaniæ Monachis, quod cunctis alijs per orbem fidem facit. Indulget namque pœnam centum dierum, quo deuotius adimpleant, quæ aliàs faciunt, atque ex inſtituto, ſeu conſuetudine, non tantum propria, ſed communi totius Ordinis, facere tenentur ſub his verbis to. 3. priuil. 9. n. 1. *Cupientes nihilominus, vt dilecti filij, & dilectæ in Chriſto filiæ, reformati Monachi, & Moniales, aliæque vtriuſque ſexus perſonæ regularis obſeruantiæ regnorum Hiſpaniarū Ordinis Ciſtertienſis, qui vt accepimus, erga beatam Virginem ſingularē gerunt deuotionis affectum, vltra ſeptem horas canonicas Dominici officij, ſecundū formam dictis Ciſtertienſis, eo feruentiùs ac maiori cum deuotione, & fructu B. M. Virginis, & defunctorum Officia,* (hic deſunt aliqua, quæ conuincunt Manriquum) *iuxta Ordinis inſtitutum ſeu conſuetudinem recitent, quo ex hoc cæleſtis dono gratis conſpexerint ſe vberius refectos: de Omnipotētis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorū eius auctoritate confiſi, eiſdem Monachis & Monialibus toties, quoties iuxta inſtitutum, ſeu conſuetudinē dicti Ordinis B. M. Virginis officium.* (hic iterum aliqua omiſſa, ſine quibus ratio vrget, cum quibus vrgetur) *tam in choro, quā extra chorum recitauerint, pro qualibet vice centū dies de eis iniunctis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentijs, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium miſericorditer in Domino relaxamus.* Hæc Pius V. in lib. actor. cap. obſeruant. repetens & inculcans Marianum officium, non vtcunq; ſed ex proprio inſtituto, aut conſuetudine in Ciſtertienſi familia recitari. *nēpe ſub eadē omnino obligatione, qua ſeptem Pſalmi vt ſtatim videbimus.* Nec tacendum, quod hoc eodem ſæculo, anno ſcilicet 1572. eodem officio in Hiſpania paululùm imminuto, mutatoque, quippè omiſſo in diebus B. Virginis, in reliquis, breuiata pſalmodia tertiæ, ſextæ & nonæ, per meditationes, vt duobus partita diebus recitaretur: [*cur ergo ſuperiùs §. 1. dictum, nunquam fuiſſe Marianam lectionem imminutam?*] reformator, quo agente id factum eſt, per immaturam mortem de medio raptus, [*multi ſancti ante diem ſublati ſunt*] & ſtallum eius in choro perculſum fulmine, [*etiam ſancti fulmine perculſi legūtur.*] diuinam iram vindicem nuntiarunt. Certè occaſionem dederunt timoratis, vt nouitate abiecta laxiori, ad antiquum recitandi morem, quaſi moniti à Deo reuerterentur.

1364 l. Demùm hoc ipſo, quo nunc degimus, ſæculo, cùm Breuiarium monaſticum prodijſſet, pro omnibus ſingulìſque Congregationibus, quæ B. Patrem Benedictum Magiſtrum habent, nec deeſſent, qui opinarentur Monachos Ciſtertienſes, eo admiſſo ab Officio Deiparæ immunes, ſolis Canonicis horis ſatisfacere: Gregorius XV. quæſitus, declarauit. Extat in archiu. S. Ma. de Palazuelos. *Quod ordinis* præ-

prædicti Religioſi, ſiue vtantur Breuiario Romano, ſiue monaſtico Benedictino, iuſſu felicis recordationis Pauli Papæ V. Prædeceſſoris noſtri reformato, ab obligatione, quàm habent ex antiquiſſima ipſius Congregationis conſuetudine recitandi quotidie officium paruum B. Mariæ ſemper Virginis, ac diebus ferialibus officium Defunctorum, nequaquam liberi cenſeantur, &c. Datum Romæ apud ſanctam Mariam maiorem ſub annulo Piſcatoris, die decima octaua Octob. 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Hæc Gregorius XV. ante quindennium, quo nihil potuit expreſſius declarari. [*At illi aliquid fortè expreſſius requirebant: non enim ſententiam mutarunt, vt dicemus.*]

1364 m. Ergo ſiue ab accepta veſte candida, [*non hoc*] ſiue, quod præfero, etiam ante Ciſtertium, Moliſini cæperit, [*nec hoc*] ex tunc vſque ad hanc noſtram tempeſtatem, non vnquam, ſine Mariano penſo Ciſtertium fuit. Neque id lege aut ſtatuto aliquo cautum; [*notetur hoc bene: vt mera deuotio potiùs inferatur, quàm conſuetudo habens vim legis*] nam quæ adduximus, ſupponunt, non præcipiunt; ſed receptum perpetua conſuetudine, vel Claramontenſis Concilij, atque præcepti in ipſo lati acceptatione: [*falſum præceptum, ficta acceptati.*] quod ſummè velim eos animaduertere (extraneos tantum alloquor neque enim vlli dubium inter noſtrates) qui dum Monialium confeſſiones audiunt, ambigunt de huius officij obligatione. [*& meritò: nam illa ne ad canonicum quidem tenentur.*] Quod ex ſola ignorantia hiſtoriæ. [nam doctrinæ, *addo ſoli; hiſtoria enim ſine doctrina nihil doctrina ſine hiſtoria*] cur credã?) oriri poteſt, [*ſed hiſtorias & rationes videbimus*] ſiue enim ea conſuetudine introducta ſit, rationabili in filijs, & ſpecialibus addictis, quis negabit? Vltra quingentos annos [*ducentos aut treſentos puto, ſed ex mera deuotione*] cõtinuata, nec quaſi ex voluntaria deuotione (vt Pſalmi Pœnitentiales in ſextis ferijs [*imò ſic, vt diploma allegatum, & ab Amanuenſe Manriqueo corruptum demonſtrabit.* [ſed ex debito] *nullo quidem*] Ordinis, (quod communis conſenſus antiquorum, atque indulta Pontificum [*nullus, nulla, nullibi*] affirmant) tàm religiosè à cunctis perſoluto, vt nec diuidere horas à Canonicis, nec ſimul recitare poſſe putarent, ſine Capituli, aut Romani Pontificis diſpenſatione, [*vbi pœnale aut leuis lex eſt, aut putatur, diſpenſatio prudenter peritur & conceditur.*] aut nulla prorſus conſuetudo erit, quæ vim legis obtineat, ad obligandum, aut hæc obtinet. [*ſed cur hæc tam vniuerſaliter dicta?*] Si verò non ex ſola conſuetudine, ſed ex præcepto Claramontenſis Concilij à noſtris acceptato, [*quod non eſt, non acceptatur, & illud concilium Mariani officij quotidie recitandi non meminit*] habuit originem, nullus de obligatione dubitabit, qui benè ſenſerit de Eccleſiæ poteſtate. Ego hæc omittere piaculum duxiſſem, nec cenſui alibi opportuniùs inſerenda.

Hucuſque ille. *Eius textum breuibus notu, parentheſi quadrata, nimirum [ ] clauſis, & diuerſo expreſſis charactere interrupi. Nunc, quæ breuiſſimè notata, paulo liberiùs, & vberiùs tractabo.*

EIVSDEM SENTENTIAE Cenſuræ.

1364 n. Hæc omnia noſter Angelus, ſed minùs clementer, quàm Angelus, qui licèt in multis diſpliceat, in hoc placet, quod Moralem illam Generalis Capituli definitionem non citet, cuius aliquam ipſe habuiſſe notitiam exiſtimo, tametſi authenticam non fuiſſe putarit. nam D. Martinus Guttierrez ab illo Romam miſſus, & poſt eum in Reformationis Generalem creatus, hanc mihi & alijs tradidit, & D. Angelo Mãriquo

riquo potiùs debuit. Nos igitur, quibus liquido conſtat Definitionem verã eſſe, ſcrupulus ſupereſſe non poteſt, ſed ſtandum omnino dictis num. 1362. In materia enim facti plus deferendum eſt integro Ordinis Ciſtercienſis Capitulo, quàm vni peculiari Doctori, licèt magno; cùm & ipſe expreſsè doceat in hac materia hiſtoriæ potiùs, quàm rationi eſſe ſtandum. nam, ſic inſit. *Quod* (nimirum erroris periculum aut præcipitium) *ex ſola ignorantia hiſtoriæ (nã rationi cur credam?) oriri poteſt.* Exiſtimo ſuam illum ſententiam attemperaturum, cum primum in Capituli Generalis incidat definitionem.

Nos igitur debere poni primò, *Non poſſe in dubium verti, quòd Generalis definitio Capituli futura ſit æternùm probabilior*, aſſerimus, & ſecundò, *Examinabimus Angelici viri doctrinã*, & reſoluemus, *An quæ aliàs euidenter falſa non eſt, ita probetur, vt poſſit probabiliter vera vocari.* Quod nullo alio modo conſequemur commodiùs, quàm ſi ſingulas periodos oppoſitæ ſententiæ percurramus, ſuperaddamuſque quidquid dignum obſeruatione occurrat.

Ad Articulum. Supereſt.

1364 o. In paragrapho B. qui primus eſt, tria Aſſerta reperio, quæ puto omnino falſa. Primum, *Officium paruum B. Virginis, quod hac eadem occaſione temporeque à noſtris Patribus admiſſum, ſunt qui exiſtiment, quaſi notã perennis ſeruitutis.* Secundum, *Certum eſt, huius penſi ſoluendi antiquitatem computari ab ipſo initio Ordinis.* Tertium. *Certum eſt nunquam interruptam continuationem, ſed ad nos vſque productam, neque inter varios caſus cæterarum rerum caſus, occaſuſque imminutam, ſed auctam.* Sanè

Aſſerum illud Primum, ſi ſuperſtites Manriqui diſcipulos aut amicos concernat, fortè eſt verum; quacumque enim Magiſter ſentit, ſentiunt aliqui; qui illum ſequuntur; fateor tamen nullum audiuiſſe legiſſe, qui conſentiat, putoque illos debuiſſe in margine à Manriquo adſcribi, ſi eſſent aliqui. Sed quoniam hæc non multum referunt, veniamus ad

Aſſertum Secundum, quod ille putat certò verum, & ego certò falſum. Extat enim inter vulgata Petri Abailardi Opera Epiſtola, quæ quoniam me iuuat, hoc dilucidat punctum, & multa interſerit, quæ antiquis Ciſtercienſium moribus dignoſcendis vtilia, debuit apponi impræſentiarum: at quia longa erat, & præter hanc ipſam difficultatem alias adiungit, debuit in loco aptiore collocari. Ex ea nunc ſupponam tempore D. Bernardi Officiũ Marianum non legi; eamque in fine libri ponam & notis competentibus elucidabo. Vide *nu.* 1765. vbi ponitur contextus Abailardi.

1364 p. Aſſertum Tertium non vrgeo: ſcio tamen ante nonnullos annos apud Hiſpanos Ciſtercienſes diſpoſitum, vt in B. Virginis ſolennitatibus omitterentur eius Horæ, & aliàs ad tertiam ſextam nonamque in Officio Mariano pſalmi diſcerentur die Dominica & Lunæ, quæ in Canonico die Martis, & item in Mariano die Martis, Iouis, & Sabbati, quæ in Canonico die Dominica: & tandem in Mariano die Mercurij, & Veneris, quæ die Lunæ in Canonico, & legi ſatyricum carmen à Gallo, vt putamus, Poeta Ciſtercienſi compoſitum, Hiſpanos, quod B. Virginis fimbrias (ſic loquitur) decircinauerimus, eloquenter incuſans. E quibus infero contra noſtrum Manriquum fuiſſe Marianæ deuotionis Officium iam minutum, iam auctum. Quod, tametſi hic negauerit, articulo *ſæculum quintum*, concedit.

Ad Articulum. Officium.

In Articulo ſequenti, docet Manriquus, Quartò, *Marianas horas quaſi annis quadraginta ante Ciſtertium incæpiſſe.* Quintò, *in Claromontana Synodo, tribus ante Ciſtertij exordium annis, præceptum, vt legerentur.* Sextò, *fuiſſe extenſas ad Clericos.*

Quartum, non ita verum, ſed Manriquo ipſi fauebit quod hic addam: Obligationem ipſe ab antiquitate deducit, & exiſtimat ſub annum nongenteſimum ſexageſimum, quaſi quadraginta ante Ciſtertium annis natam: & quidem multò ipſa antiquior, & ſi fauet antiquitas, ratio Manriqui adhuc reddetur fortior ex dicendis. Libro enim, qui *Cæremoniale Benedictinum* dicitur, in quo præter cæremonias chori, laudabiles Monaſteriorum Germaniæ conſuetudines & conſtitutiones deſcribuntur (impreſſ. Dilingæ 1641.) *part.* 1. *cap.* 6. §. 17. qui de Officio B. Mariæ quotidie dicendo eſt, ſic lego. *Officij B. Mariæ Virginis inſtitutionem nõnulli ad Gregorium VII. Pont. Max. plures ad Vrbanum II.* (his ſubſcripſit Manriquus) *referunt. Verùm conſtat aliundè multò ante Vrbani Pontificatum in Monaſterijs fuiſſe vſitatum: prҿſertim cum legamus Gregorium III. & Zachariam Sũmos Pontifices, qui vixere ante annum 752. præcepiſſe Caſinenſi Congregationi, vt omni tempore vnà cũ officio Diuino recitarent & Officiũ B. V. Id inſtitutum poſteris tẽporibus ferè obliteratum per B. Petrum Damianum Cardinalẽ & Epiſcopũ Oſtienſem in vſum reuocari cæpit Greg. VII. Pontifice Maximo ac demũ ab Vrbano II. Pont. Max. in Claromontenſi Concilio decretum, vt ſacris initiati omnes, ad ſacrum cultum Deiparæ Virgini exhibendum quotidie penſum perſoluant horarium.* Hanc tamen auctam antiquitatem non ſufficere, vt aliqua obligatio eſſe moralis oſtentatur, ex infra dicendis patebit.

Quintum videtur, nonnihil remitti à Cæremoniali Congregationis Germanicæ: quod enim Manriquus *præceptum* fuiſſe dicit, id Patres Benedictini aſſerunt fuiſſe *decretum*, vt conſtat ex verbis, quæ ablegaui. Et quidem inter *Præcipere & Decernere* magnam ſæpè differentiam inuenimus, ſed ne ſit logomachiæ excuſabili locus, litterã Concilij producamus. *Mandatum eſſe omnibus Chriſtianis, vt diebus ſingulis Sabbati officium B. Virginis recitarent.* Ita habet Franciſcus Belleforeſtius libro 4. Ann. Francicorum ex ſcripto codice Abbatiæ S. Dionyſij. Quæ P. Serarius Ieſuita latinè reddidit (gallicè .n. fuerant) & Baronius addidit ad ann. 1095. num. 33. & quidem de Mariano officio in toto illo Concilio nil aliud. Videat igitur verax & Chriſtianus Lector, qua fide Cæſar Baronius hoc Mandatũ expoſuerit his verbis: *Petrus, qui ſicut Author fuit, vt in Monaſterio ſuo Officium Dei Genitricis dicendum aſſumeretur, ita ex eodem fonte emanaſſe dignoſcitur, vt illud ipſum toto Chriſtiano orbe Occidentalis Eccleſiæ non à Monachis tantùm & Clericis, ſed etiam à Laicis, viris atque mulieribus, quotidianis penſi, perſoluatur, monente Vrbano Papa, vt ſuo loco dicemus.* Ecce Vrbanus Papa teſte Mãriquo præcipit, teſtibus Patribus Benedictinis *decernit*, teſte Baro. ad ann. 1056. n. 6. *monet.* cum tamen in textu mandaſſe legatur. Ecce à Baronio quotidiana penſa, quæ in ipſo textu ſabbatina. Vnde ſincerè iudico nihil de paruo officio, quod apud Germanos Curſus dicitur, & cum Canonico legi ſolet, in Cõcilio illo ſuo Vrbano inſtitutum, ſed de Canonico, quod etiã hodie ſabbatinis diebus in B. Virginis honorem ſolet legi, fuiſſe actum, mandatumq; vt ab vniuerſis tam laicis quàm Clericis, diebus Sabbati, ob inſtantem neceſſitatem legeretur. Ceſſauit neceſſitas illa, adeoque & obligatio, nemo .n. prudens dicet hodie ſæculares moraliter teneri

ad Marianum officium ſabbatinis diebus recitandum ; cum tamen lex ille æque illis ac Clericis fuerit impoſita.

Sed quid dicemus de Manriquio? Nimis illum Baronio,quem frequenter , & fæliciter aliàs corrigit , in hac materia confidiſſe, eſt enim hominũ miſeria, vt quæ fauent, ſine examine; quæ obuersãtur, vix poſt examen admittimus. Subſcripſit Baronio Manriquus , adeoque lapſus vbi Cardinalis errauit.

Sextum Aſſertum extenſionẽ ad Clericos ponebat . ſed iam hanc ipſam extenſionem non tangam , quia textum Concilij vidimus , conſpeximuſque ibi de penſo Mariano quotidie ſoluendo nõ agi. Relego illud *Clericos*,nam apud Baron. hæc vox & ſententia ad ann. 1056. num.6.& ad 1095.n.51.& video Patres Benedictinos congregationis Germanicę Baronio ſimiliter nimis fidentes errauiſſe,quod in ipſis minùs mirũ eſt . Sed moto etiam eoſdem *Clericorum* vocabulo;ſacris initiator intellexiſſe , vt docerent nos obiter,quod poterit nonnunquã prodeſſe,nomen *Clerici* in fauorabilibus etiam prima cenſura inſignitos ; at in odioſis,nunquam iſtos , rarò ad gradus promotos , frequentiùs in ſacris conſtitutos ſignificare. Relege verba cęremonialis, quæ produxi.

1364 q. Obijcis ex dictis,omnes Benedictinos ad officium Marianum quotidie recitandum teneri. Et probas,quoniam vt ex Cæremonialis citatis periodis euidenter colligitur,quotidiana eius lectio Caſſinenſi Congregationi à Gregorio III. & etiam Zacharia præcepta fuit. Et hac veritate ſuppoſita ſic arguis. (Mõs Caſſinus Ordinis Benedictini caput,nomine totius Ordinis citari,& nominari ſolet ; ergo quidquid iniunctum aut conceſſum Caſſinenſibus , reliquis cenſeri debet iniunctum aut conceſſum. Aut Pontifices illis quotidianam lectionem iniunxerunt ; ergo & omnibus Benedictinis:ergo & Ciſtercienſibus , qui non minùs ſunt Benedictini, quàm alii. Ergo nos , omneſque alii , grauiter ad hoc penſũ tenemur, materia enim grauia eſt,& legitimũ pręceptum ſupponitur.)

Reſpondeo illationem illam, quę loco maioris ponitur, vacillare. Caſſinenſes enim vnam conſtituunt Congregationem diſtinctam à reliquis , non ſecus ac Cluniacenſes,aut Ciſtercienſes, vnde omnia illa,quæ aſſumuntur, & inferuntur,liberrimè negari debent. Vt minori reſpondeam,dico illos Summos Pontifices potuiſſe præcepiſſe ſub pœna , imò probabiliter ſub culpa leui, & etiam ſub graui,& hoc dico conſiderando legem ; quia conſiderando materiam video potuiſſe condemnaſſe ſingulas omiſſiones, aut non ſingulas ſed ſolam omittendi conſuetudinem ; & conuertendo oculos ad perſonas , quibus præceptum ponitur, aduerto imponi potuiſſe toti & ſoli communitati, nec tamen ſingulis in particulari . Quid igitur elici poterit etiam contra ipſos Caſſinenſes, quos ſpecialiter lex ipſa concernit in materia tam dubia cui non aliunde lux , quàm ex diplomatis contextu. At vbi illud? Caſſinenſis eſt Angelus Maria Cherubinus , & quidem omnes Bullas,quas potuit,collegit, & ſi hæc exſtaret , illum effugere non poſſet , & tamen illam in eius Bullatio non reperio . Hæc omnia prudentiſſimè conſideraſſe videntur Patres Benedictini Germanicæ Cõgregationis,qui poſtquam meminerunt Gregorii & Zachariæ præcepti Caſſinenſium Congregationi impoſiti p.1.c.6.§.17. ſic inquiũt. *Id*(Marianum officium) *communi conſenſu ſuſceptum obſeruatum diu fuit. Et adhuc viget conſenſus ille,eſtque cõmunis ferè*(multi ergo ſentiunt contra;nam ſi pauci,eſset omnino communi , nam poteſt eſse communis contra quam ſit communior.) *opinio piorum Religioſorum, qui non facilè , nec ſine aliquo*(non igitur grauis peccati)*ſcrupulo ac moleſtia patiuntur ſibi hoc Officium quotidianum excidere , niſi valdè impeditis : quod ſignum eſt alicuius obligationis*

tioris ex communi ſenſu, & conſcientia receptæ. [ſi alicuius tantum, ſanè pœnalis, aut venialis, non tamen mortalis.] *Quapropter hæc attentius conſiderantes, & ſeriò perpendentes nonnulli cordatiores ac religioſiores Monachorum Præfecti, quorumdam præceſſorũ ſuorum vel aliorum Monaſteriorum, non ferendam hac in parte negligentiam, aut conniuentiam meritò dolent, auerſanturque, & qua poſſunt, emendare ſatagunt; qui hæc & huiuſmodi Officia olim à ſuis anteceſſoribus piè ac Religioſè inſtituta, & tam longo vſu, & cõſuetudine roborata, & ſtabilita, & in ſuis Eccleſiis ac Monaſterijs ſtudioſè, & ſtrictè obſeruata, paulatim exoleſcere, negligi, relaxari, ac domum penitùs oboleri, magno cultus & honores diuini diſpendio, ac ſalutis ſuæ, ſuorumque diſcrimine, nec non ſuorum monaſteriorum tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus detrimento permiſere.* [& quidem meritò hanc negligentiam à grè ferunt, quia etiam leges pœnales, & quæ ex mera deuotione fiunt, debent manuteneri.]

Obiicies etiam Carthuſianorum mores, quos noſter Manriquus ſub finem huius articuli producit. Et reſpondeo laudando potiùs, quàm examinando, qui ipſi teneantur non quæro, nos illorum tamen legibus ſuppono non obſtringi.

Ad Articulum, Eaſdem Horas.

1364. r. Duo hic addit Manriquus; Septimum *Marianum officium legi ex conſuetudine apud Cluniacenſes ſub Petro*, hoc eſt, tempore D. Bernardi. Octauum, *in Tagumenſi Monaſterio etiam lectum.*

Septimum aſſertum, non videtur multùm fauere poſſe intento, nam ex eodem teſtimonio duo conſtant, primum, horas Marianas in choro non ſolere legi, minus ergo extra chorum; ſecundum, nec in infirmorum Eccleſia integras; quoniam ante Petrum illectum completorium, & fortè nec tunc horæ nocturnæ lectæ. Vt conjector, ægrotos, aut etiam valetudinarios Venerabilis Pater à canonico officio liberabat, & ne abſolutè otioſi eſſent, Marianum iniungebat, aut conſulendo, aut commutando, aliàs enim, cur ægroti potiùs, quàm ſani hoc debuerint officium recitare non video.

Octauum Aſſertum nihil vrget: Tagumenſes enim penſum Marianum præceptum contempſerunt; quod ex eiſdem libris, quos citat Manriquus, oſtendam. Et quidem nemo ignorat aliud eſſe officium non præceptum omittere, aliud omittere præceptum. Hoc vltimum faciebant Religioſi illis quorum S. Petrus Damianus meminit. de quibus nec plura impræſentiarum, quoniam inferiùs, vberius multò, eandem ſumus materiam reſumpturi, *dub. 5. n. 1364. oo.*

Ad Articulum. Quamuis autem.

1364 s. Progreditur Manriquus, & prioribus duo Aſſerta adiungit Nonum, *Probabile eſſe à B. Roberto Marianas horas recitatas Moliſmi.* Decimum, *Ciſtertij poſt nouum veſtium acceptum beneficium deuotius continuatum*: Et quidem.

Nonum eſſe falſum clariſſimè ſuperiùs oſtendimus: Roberti enim pietas, & humilitas omnia illa proſcripſit, quæ non fuerant à S. Benedicto inſtituta: Relege dicta à *num. 1364. n.* vbi pono & expono Epiſtolam Petri Abailardi.

Decimum etiam falſitatis ibidem obſeruatæ conuincunt: quoniam D. Bernardi tempore, poſt mutationem veſtiũ annis aliquot, horæ Marianæ nec legebantur Claræ valle, nec in alijs noſtræ Religionis Monaſteriis Omnia *n. 1364. n.* iam vidimus.

Ad

Ad Articulum. Porrò.

1364 t. Ponit Manrique Vndecimò, *Marianas horas ab exordio Ciſtertij admiſſas, ſine vlla prorſus interruptione ad noſtra tempora continuatas*. Et contra ego, quid à Maioribus meis audierim oſtendam, & hæc vera eſſe teſtimonijs à Manrique citatis demonſtrabo.

Dico igitur, Primò *apud Ciſtertienſes cautum ne in choro horæ Marianæ legerentur, & quia Communitatis noui mores à particularium communione ſuboriri contingit, præceptum, ne duo ſimul illas recitarent*. Secundò, *ſingulis priuatim, & ſine ſocio illas recitandi poteſtatem relictam. imò, & à multis deuotè lectas, ſed priuatim*. Tertiò, *tandem Cluniacenſium ritu, vt in infirmitorio à valetudinarijs* (fortè qui non poterant Canonicas, aut iure diſpenſationis non debebant) *legerentur in iunctũ*.

Primum probant illa Exordij Ciſtercienſis verba. *Cùm verò die quadam iter agerent, & ſecundnm æſtimationem temporis regularem* (hoc eſt, Canonicam) *ſextam horam ſimul dixiſſent, ſubſtraxit ſe Monachus, qui cum viro Dei ibat, vt horam de Domina noſtra ſecretò ſinguli per ſe pſallerent.* Cur ſubſtracti ſeparatique? Cur ſecretò? cur ſinguli per ſe? cur non politicè, & vterque ſimul? cœcus ſim, ſi non videam, illas horas non potuiſſe publicè, & ſimul legi. aliàs enim qui ſimul ſextam canonicam legerant, etiam legiſſent ſextam de Beata. Confirmat hoc Capituli Generalis definitio anni 1234. quæ ſic habet. *Abbatibus, & Monachis extra terminos* (puto, Monaſterij) *conſtitutis, ſi conuentus defuerit* (non ergo ſi adfuerit) *& eis qui circa defunctum vigilant, liceat ſimul cantare horas de ſancta Maria*. (ergo ante hanc diſpenſationem non licebat) Hoc teſtimonio vtitur Manriquus, §. *Eodem ſeculo*, ſed contra ſe omninò militante.

Secundum, eadem, quæ citaui, & illa quæ ex Cæſario adducit.

Tertium confirmat Statum illud anno 1194. ab Ordine Ciſtercienſi latum, cuius etiam Cæſarius ibi citatus meminit.

Ad Articulum, Secundo ſæculo.

1364 u. Addit Duodecimò Hiſpanum illum Monachum horas Marianas recitaſſe. Cur non? At deberet probare illas in choro, & non ex deuotione mera ſed ex obligatione legiſſe. Sed illa, quæ cautè legenda dicit, & omittit, adiungam. *Quia præcunctis mortalibus*, ait Angelorum Imperatrix, *mihi intenſiùs ſeruiuiſti, & ego tibi faciam quod nondum alicui feci, collumque meum brachijs ſuis ſtringens dedit mihi oſculum.* Regulari homini oſculum regulare dari oportuit, & hoc brachijs datur non ore. Vide Caſſinenſes, qui *Oculi* nomine amplexum intelligunt, vt noto *num.* 1654. *e.* nec cautè legam Virgineo amplexu fuiſſe mortalem honoratum. Sed ad rem venio, & priora verba vrgeo. Monachus iſte Hiſpanus ſuam erga Deiparam deuotionem non aliter legitur oſtendiſſe, quàm horas Marianas priuatim recitando, ergo vix alij illas priuatim recitabant: aliàs enim, cur præ cunctis mortalibus B. Virgini dicendus eſſet ſeruiuiſſe, ſi non faceret, quod alii non facerent? Si non in ſubſtantia diſcrimen, ſed in modo conſtitutas, nihil reponam, quoniam ex affectu & non ex hiſtoria loqueris.

Ad Articulum, Eodem ſæculo.

1364 x. Nihil eſt omnino, quod vrgeat. Commemorationes B. Mariæ, Roberti, & Bernardi, tunc inceperint, aut non, non diſquirimus: de quotidiano enim Mariano penſo diſputamus: & exiſtimo non obſcurè colligi fuiſſe interdictum ante, aliàs enim Generale Capitulum

tulum non iam *Monachus*, ſed *Monachis præcipitur*, diceret. Sed hoc iam paulò antè exactiuè.

Ad articulum. Sæculum tertium.

1364 y. Sub id tempus, hoc eſt quaſi ducentis à Ciſtertio erecto annis Marianas horas cepiſſe à Communitate legi exiſtimo ſed ex deuotione, & ſine animo ſe obligandi grauiter, vt Generale Ciſtertienſe Capitulum anno 1618. declarauit. Vnde teſtimonia quæ citat Manriquus lectionem probant; religioſorum animum ſe grauiter obligandi non probant.

Ad Articulum, Sed illuſtriora.

1364 z. Huic vlteriùs non eſt agendum cum Manriquo de conſuetudine ipſa legendi horas Marianas, de obligatione connexa. Grauem eſſe reſoluit, & hanc probat Eugenii IV. teſtimonio, qui horas illas legi poſſe poſt Completorium omnes ſimul concedit. Si inferatur. Ergo datur grauis obligatio quoad ſubſtantiam, ſiquidem ſine diſpenſatione Apoſtolica non potuerunt licitè alterari quoad modum. Reſpondebo, homines ſolere diſpenſationem petere à legibus etiam pœnalibus, & à moralibus, quibus putant ſe leuiter obſtrictos. Cùque Ordo putaret ſe aut pœnaliter, aut moraliter leuiter ad penſum iſtud obligatum, patuit prudenter illam diſpenſationem petere & impetrare.

Hanc eamdem grauitatem confirmat Sixti IV. præcepto, lato anno 1475. Reſpondeo tamen Sixtum agere clariſſimè de choro, & communitate non tamen in particulari.

Noto obiter vtrumque Priuilegium deſiderari in editione Antuerpenſi, quam exornauit Chryſoſtomus Henriquez anno 1630.

Eamdem confirmat tertiò verbis Claræuallenſis Abbatis in quibus, *Semper in choro coniunctim cum horis diei dicantur*, lego. *Extra chorum dicantur*, non lego. Ergo hæc & ſimilia teſtimonia non probant debere penſum Marianum recitari extra chorum.

Ad Articulum, Sæculum quintum.

1364 aa. Hucuſque ne verbum videramus de conſuetudine legendi priuatim illas horas; & exiſtimo pauca poſſe reperiri ab alijs, quæ Manriquum fugerint, aut horum teſtimonia; concludendum eſſe diſcurſum illum debilem, non ratione Authoris & formæ, ſed materiæ; multa enim fortiſſimè dicturus erat, ſed materiam non habuit. Ad quintum ego ſeculum cum Manriquo deuenio, Pium V. audio, exclamoque ſæpe ob amanuenſium negligentias homines magnos incuſari. Si quis errorem illum, quem demonſtraturus ſum, Manriquo adtribuat, me ſentiet aduerſarium; falli enim potuit, ſed decipere noluit. nam iuſſit periodos exſcribi, quas adiungeret, recepit infideliter iuſſit periodos exſcribi, quas adiungeret, recepit infideliter exſcriptas, adeoque contra Pontificis illas mentem & veritatem explicauit. Pium V. apud Manriquum iam audieritis, apud me igitur ſecundò audiatis, repono enim verba iuxta tomum Priuilegiorum editorum Antuerpiæ, in quo hoc eſt trigeſimum ſextum, & aſſeritur anno 1578. conceſſum. Verba igitur Pontificis, quæ corrupit Amanuenſis Manriqui ſunt hæc. *Cupientes nihilominùs, vt dilecti filij & dilectæ in Chriſto filiæ, Reformator, Monachi & Moniales, aliique vtriuſque ſexus perſonæ Regularis obſeruantiæ Regnorum Hiſpaniarum, tàm reformati quàm reformandi Ordinis Ciſtertienſis, qui, vt accepimus erga B. Virginem ſingularem gerunt deuotionis affectum, vltra ſeptem horas Canonicas officij Dominici ſecundùm formam dicti Ordinis Ciſtertienſis, cò feruentiùs ac maiori cum deuotione, &*

fructus

fructus B. Mariæ Virginis, & Defunctorum officia, ac ſeptem Pſalmos pœnitentiales huiuſmodi iuxta Ordinis inſtitutum, ſeu conſuetudinem huiuſmodi recitẽt, quò ex hoc cæleſtis dono gratiæ conſpexerint ſeueriùs refectos, de omnipotẽtis Dei miſericordia, ac B. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confici, eiſdem, & pro tempore exiſtentibus Reformatori, Monachus & Monialibus, ac alijs vtriuſq; ſexus perſonis dictę Regularis Obſeruãtię Regnorum Hiſpaniarũ tàm reformatis quã reformandis Ordinis Ciſterciẽſis huiuſmodi, ac illorũ ſingulis toties quoties iuxta inſtitutum ſeu conſuetudinẽ dicti eorum Ordinis B. Mariæ Virginis ac defunctorum Officia, nec non ſeptem Pſalmos pœnitentiales huiuſmodi, tàm diſtinctiuè quàm copulatiuè, & tàm in Choro quã extra chorum recitauerint, toties quoad B. Mariæ videlicet, & pro qualibet vice, qua illud per eos, & eorũ ſingulos etiam quotidie recitabitur, centum dies; quo verò ad Defunctorum officia, & ſeptem Pſalmos pœnitentiales huiuſmodi, ſimiliter pro qualibet vice in illis ſcilicet diebus, quos dictus Ordo ſtatuit, quinquaginta dies de eis iniunctis, aut aliàs quomodolibet debitis pęnitentijs, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium miſericorditer in Domino relaxamus.

1364 bb. Ecce Summus ille Pontifex, non ſolùm de Mariano officio, ſed etiam de defunctorum horis, & Pſalmis pęnitentialibus agit. Ad hæc Religioſos Ciſtercienſes tria obſtringi ex conſuetudine aut ſtatuto ſupponi ac definit, vt doceat: ſi ex conſuetudine, non ex ſeueriore quàm quæ ſtatuti vires habeat, ſi ex ſtatuto, non aliter quàm per conſuetudinẽ introducto. & nemo ignorat ſtatuta debiliora eſſe Regulis, cumque noſtra pœnaliter purè, (aut fortè venialiter, quod non admitto) obliget, manet ſtatuta leniùs quàm venialiter & pœnaliter obligatura; nempe ſub pœna leui.

Præterea. Cùm Pontifex eodem omnino modo de Mariano officio, quo de mortuorum horis, quo de Pſalmis pœnitentialibus philoſophetur (ad omnia enim indiſcriminatim dicit nos aut ex conſuetudine aut ex ſtatuto teneri) conſequens eſt, vt huius Diplomatis virtute tam teneamur Pſalmos pœnitentiales, quàm penſum Marianum perſoluere. Atqui ad Pœnitentiales non obligamur venialiter: ergo nec ad Marianum penſum. Maior controuerti non poteſt, minor à Manriquo admittitur, qui Articulo vltimo ait, *Quaſi ex voluntaria deuotione, vt Pſalmi pœnitentiales in ſextis ferijs*, ergo & eſt cõſequentia admittenda dicendumque Marianas horas ex deuotione voluntarie à multis annis decantari.

1364 cc. Nec omittam liberę dicere, quid ſentio de Generale illo, qui ſedit anno 1572. cuius morte immatura abrepti ſtallum fulmine perculſum eſt; quid de Manriquo. Dico hunc vltimum meritò confugere ad miracula, hæc enim valde vtilia ad firmandos articulos, qui rationibus probari non poſſunt. tunc enim homo ad ſacra, & aſylum confugit, cum aliter ſeruari nequit. Conſtat igitur Virum hunc Magnum, tametſi ſumma erga Virginem deuotione præuentum, non fuiſſe ita cœcum, vt ignoraret poſitas rationes eſſe debiles, debereque miraculo cæleſti confirmari. Dico illum primum ante diem obijſſe, ſicut alios; quos miſericorditer Deus abſtulit, ne malitia illorum mutaret intellectus, aut animas fictio deciperet: multos enim ſanctos in iuuentute abreptos legimus. Nec fulmen illud, ipſius ſtallum tangens, nos lædit; cùm virorum ſanctiſſimorum non bona ſolùm, ſed & perſonas aliquando fulminibus ictas legamus. Quoniam ſi mores ſine fide conſideremus, reperiemus in antiquis Ethnicorum hiſtoriis, quas Poetæ corruperunt, Aeſculapium, medicinæ inuentorem, adeo-

adeoque de genere humano benemeritũ, alioſque cætos fulmine; ſi mores orthodoxa fide animatos, etiam Chriſtianos multos actos fulmine obijſse, & tamen non ſine ſanctitatis opinione. Coloniæ ſub Ludouico Imperatore anno Domini 857. orta ſumma tempeſtas vniuerſos turbauit; pauci tamen confugerunt ad templum imploraturi Dei miſericordiam. Armatur Diuinæ iuſtitiæ arcus, fulmen exploditur. ſed in quos? non in illos, qui licitabuntur in foro, ſed in illos qui orabant in Eccleſia, terret omnes, proſternit ſex, & tres interiuit, aſſerente Sigeberto Auentino 4. Annalium. & eius Continuatore referente, Clericus quidam in Leodienſi templo ad imaginem Chriſti preces faciens fulmine ictus interiit. Vnde iudico fulmina habere ſuas ſecretas, iam naturales, iam ſupranaturales cauſas, nec ex illis aliquod forte argumentum deduci.

Sed eſto fulminis illius impetus non fuerit fortuitus, hoc eſt, iuxta regulas naturæ ordinarias, non fuerit virtutis indicium, & errauerint veteres qui cæleſti authoratos oraculo credebant illos, quorum ſepulchra fulmine fuiſsent tacta: fuerit indicium pœnæ. Reus ille fuerit, aut cuius culpa? crederem ob negligentiam aliquam culpabilem commiſsam in regimine Ordinis potiùs punitum, quàm ſub iuſto Deo ob actionem aut bonam, aut fortè indifferentem, mulctari. nam diſpenſationes ipſæ, ſi ex cauſa fiant, bonæ ſunt, præcipuè ſi concernant actiones bonas, quæ omitti poſsunt ſine cauſa, quale eſt Marianum officium, & omnia illa quæ ex deuotione in conſuetudinem tranſierunt, & nunc cum laude continuantur.

Ad Articulum, Demum hoc ipſo.

1364 dd. Producit poſteà Gregorii XV. declarationem, qua definit Ciſtertienſes Monachos lectione Monaſtici Breuiarii non liberari ab obligatione legendi B. Mariæ officium quotidie, & Defunctorum horas ſingulis diebus ferialibus. Sed Magni hominis pace hæc declaratio Pontificia non vrget. Non dicimus nos habere obligationem, penſi Mariani perſoluendi, & tamen Monaſtici Breuiarii lectione liberari, quia de hoc ſtatim. Non dicimus nos nullam omnino habere obligationem, quoniam omnes pœnalem admittimus, & multi ſatis probabiliter venialem, ſubſcribentes Generalis Capituli definitioni, quam ſæpiùs adlegare opus fuit. Dicimus ex Gregoriana illa declaratione vt plurimum colligi, obligationem legendi horas Marianas non fuiſse Monaſtici Officii permiſſione ſublatam, non tamen colligi fuiſse de nouo impoſitam vel auctam. ſed manere ac ſi Breuiarium Monaſticum non fuiſset editum. Ergo tranſire iubetur, academico more, Gregorii authoritas, quæ poſitam quæſtionem non tangit.

Ad Articulum, Ergo.

1364 ee. Meſsem iam vltimo paragrapho colligit Vir doctiſſimus, quem ſequar, vt capiam ſpicas deciduas, putatque ſuperiùs poſita ita eſse clara, vt poſſint Ectheſes ſubſequentes inferri.

Ectheſis I. *Probabile eſt, quòd ab accepta veſte candida, ſed probabilius, quòd ante Ciſtertij exordium, etiam Moliſmi, noſtri Maiores, penſi Mariani perpetuò ſoluendi obligationem admiſerunt.* At nos Marianum officium eſse ſub illud tempus Moliſmi, & Ciſtertii interdictum vidimus ſub initium, vbi dedimus epiſtolam Petri Abailardi.

Ectheſis II. *Probabile eſt conſuetudinem hanc legendi quotidie horas Marians habere vim legis, fundarique in præcepti lati in Claromontenſi Concilio acceptatione.* Et negamus. Improbabile enim eſt poſitiuè, quod Claromontenſe Concilium quotidianum penſum iniunxerit, quia littera docet contra-

rium

rium vt vidimus *num.* 1364. *p.* mandat enim vt diebus ſabbatinis legatur. Et improbabile ibi voce *Mandamus* præceptum perpetuum intelligi, quoniam illa lex imponitur viris etiam & fęminis ſæcularibus, ergo, ſiquidem laici hodie nõ tenentur has horas recitare, lex illa ſi in perpetuum, non niſi conſultiua fuit, & ſi præceptiua, fuit ad tempus, vt & preces aliæ, quæ ob cauſam introducuntur, & intermittuntur ceſſante. Nam tunc expeditio Hieroſolymitana exornabatur, cuius non erat felicitas æternis ſuffragijs impetranda. Improbabile eſt etiam negatiuè, nos admiſiſſe illius Cõcilij legem, non enim reperitur hiſtoria (nam doctrinæ cur credam? vt ait Manriquus) ex qua id poſſit deduci probabiliter. Ratio enim, qua vtitur Mãriquus, circularis omnino eſt. Obligationem enim grauem probabiliter ab illo Concilij præcepto vult eruere. nullus enim, vt ait, de obligatione dubitabit, qui bene ſenſerit de Eccleſia. Cùm tamen eiuſdem pręcepti acceptationem ex graui illa obligatione deducat, quæ aliter grauis eſſe non poſſet.

Ecthesis III. *Moniales tenentur grauiter ad Virginis Marianum curſum.* Rotundè nego. Puto enim *primò*, non eſſe hanc neceſſariam conſequentiã [Religioſi tenentur, ergo & Religioſæ] poſſet enim dari conſuetudo, quæ vigeret inter illos, & non cognoſceretur inter illas: poſſent, & ipſæ præſcripſiſſe contra aliquam legem, aut impetraſſe diſpenſationem, quin illi aut præſcripſiſſe venirent neceſſariò dicendi. Puto *ſecundò* ipſas ſub mortifero, ne quidem ad canonicas horas teneri. quod clariſſimè probo *nu.* 1355. vnde noſtri potiùs monendi venirent, quàm extranei, qui hanc quæſtionem frequentiùs in medium relinquunt.

Ecthesis IV. *In conſuetudinis viribus examinandus, veritatis notitia ex ſola cognitione hiſtoriæ (nam doctrinæ cur credam?) oriri poteſt.* Puto ſimul ab hiſtoria, & doctrinâ; quod ipſe negare non vult. A doctrina habemus, *Primò*, quòd non omnis conſuetudo aut actuum interrupta frequentia conſcientias obliget.

Secundò, quod ſola conſuetudo illa conſcientias ſtringat, quæ habet vim legis: non cuiuſcumque, ſed moralis. Poſſunt enim, & ſolent dari conſuetudines, quæ habeant vim legis merè pœnalis.

Tertiò, requiri vt conſuetudo in legem virtualem tranſeat (hoc eſt habere vim legis) vt præter continuationem actuum, introducta ſit à ſcientibus ſe non eſſe obligatos, & potentibus, & volentibus ſe obligare. Quæ enim introducuntur per errorem, aut ex deuotione, aut à non potentibus ſe obſtringere, aut à potentibus nolentibus tamen, obligatoriæ non ſunt.

Quartò, quòd in dubio, ſtandum eſt pro poſſeſſione libertatis, quæ eſt ante conſuetudinem dubiam, credendumque eſſe ex deuotione introductam, nec obligationem inducere. In his omnibus doctrinæ credendum, ſic enim teneo doctus à grauiſſimis Viris, quos hic in Comment. diſputatione præcedenti, & in Theologia Morali tractans. An contra Decalogum præſcribere poſſit conſuetudo: nimirum num.... Hucuſque à doctrina conductus, poterit hiſtoria comite factum examinare, vt fecimus.

Ecthesis V. *Quotidiana Mariani officij lectio nulla fuit lege aut ſtatuto præcepta (nam quæ adduximus,* ita Manriquus, *ſupponunt, non præcipiunt) ſed receptã perpetua conſuetudine.* Primam partem libenter audimus, ſecundam non omnino negamus. quia licet nõ ſit tam antiqua perſoluendi penſum cõſuetudo, vt conjectatur, ſatis antiqua, vt ſuperiùs oſtendi.

Ecthesis VI. *Pſalmos pænitentiales legendi conſuetudo antiquiſſima eſt, continuata tamen ex voluntaria deuotione.* Vera omnino.

Ecthesis

Impoſſibile enim illud vbi prudẽtis Superioris authoritas, adeoque pluſquam impoſſibile vbi totius Religionis interuenit. Vide quæ in mea ego ad hanc rem morali Theologia reſolui agens de conſcientia dubia, num.....

DVBIVM I.

Ex doctrina præmiſsa oriuntur dubia aliqua, quæ egent expoſitione.

1364 gg. Sit Primum. Vtrùm hæc Capituli Generalis declaratio faueat Religioſis Ciſtercienſibus Obſeruantiæ in Hiſpania; Et ratio dubitandi eſt, quia ſe illi credunt exemptos à Iuriſdictione Generalis Capituli, nec volunt ab ipſo dependere.

Reſpondi olim, cum primo hunc librum ederem, hoc ipſo non ſtante, hanc illis declarationem prodeſse; quoniam ipſa non eſt diſpenſatio practica, ſed ſpeculatiua definitio ſeniorum & doctiorum Abbatum, quæ tam ſubditis, quàm non ſubditis fauet. Hiſpani enim, vt tunc mihi probabiliter videbatur, non introduxerunt nouam conſuetudinem, ſed continuarunt antiquam, quæ erat in ordine ante reformationem, quam quidem conſuetudinem declararunt Patres illius Generalis Capituli (hoc eſt, totus Ordo) non eſse introductam ab habentibus animum obligandi ſub mortali. At iam examinata Reſolutione D. Manriqui, ſtatuo illos non introduxiſse nouos mores aut conſuetudines in hac materia, adeóque veteros illos, illas, in quibus Ordo non reperit grauem obligationem, obſeruare.

Scio eſse communem apud illos ſententiam, quæ affirmat B. Virginis Defunctorum horas grauiter obligare; ſed an vera, ipſi viderint. Nullibi doctiores Theologos habet noſter Ordo, ſed nec inter ipſos aliquis, qui poſſit componi cum Manriquo, quia tamen in hac materia ſummam erga Virginem deuotionem oſtendit, nihil probat. Res mihi videtur clariſſima, an errem in re tam examinata, an errent ipſi, viderint eruditi Lectores.

Petis etiam, Vtrùm Germanicæ Cõgregationis Religioſi teneantur legere priuatim Officium B. Virginis Mariæ? Ratio dubitandi eſt, quoniam in ſtatutis latis Cæſareæ in Comitijs Prouincialibus anno 1626. hæc verba legimus, *Et illas ipſas horas B. Mariæ Virginis, & Defunctorum Officium, qui ſuas preces extra chorum recitant, omittere ſedulò caueant, ſcientes ſe hoc Deo, dilectiſſimæ eius Matri, Ordinis noſtri Patronæ & Protetrici, atque bin factoribus ſuis de iure debere. Qui enim accipit beneficium, præſtare tenetur Officium.*

Reſpondeo teneri Germanos iure ſtatuti, hoc eſt, pœnaliter: non enim ipſi maiorem ſtatutis vim tribuunt, *vide nu. 760. c.* Nec debent reduci ad limam vltima illa verba. *Qui enim accepit beneficium, præſtare tenetur Officium.* Primò, quoniam Legiſlatorum eſt præcipere, non probare; hoc enim ſecundum ob nimiam Secretariorum eruditionem nonnunquam irrepit, qui ſimpliciter præcepta exornando difficiliora & obſcuriora reddunt. Secundò, quoniam ſi illa ratio manutenenda ſit, exponi congruè poteſt; ſumma enim beneficia à Beatiſſima Virg. Maria recepimus, & qui illis fruimur præſtare tenemur officium gratitudinis, aut ingrati cenſeri; Non enim ab hominibus beneficium aliquod accepiſse nos conſtat ſub obligatione Mariani officij recitandi. Quòd ſi in aliquo Monaſterio aliqua dotatio particularis ſit, erit examinanda, nec dicenda religioſos aliter quã in choro obligare, quouſque contrarium apertiſſimè liqueat.

DVBIVM II.

1363 hh. Inquirit P. Thoma à Ieſu in expoſitione Regularum cap. ſeptimo

part. 3. dubio 4. An poſt Breuiarii Romani vſum in Ordine dici debeat Officium B. Virginis ſicut antea conſueuerat? Et quia eſt quæſtio omni Religioni communis volui deciſionē adiungere.

Sic inquit ipſe. [Hęc difficultas expeditam & facilem habet reſolutionem, nam Pius V. in Bulla, quam circa Breuiarij Romani Officium edidit, in primis licet ademerit omnibus recipientibus Breuiarium Romanum obligationem recitandi in particulari Officium B. Virginis: hoc tamen ita fieri voluit, vt in illis congregationibus, in quibus antea in choro prædictum Officium perſoluebatur, adhuc hæc laudabilis conſuetudo permaneret; vt patet ex illis verbis; *Hoc autem concedimus ſine præiudicio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus Officium B. Mariæ Virginis in choro dici conſueuerat, ita, vt in ipſis ſeruetur ipſa laudabilis conſuetudo celebrandi more ſolito*. Hæc Pius V. ſatiſque colligitur ex prædictis verbis contra Nauarrum, qui Miſcellan. 70. de oratione cenſet, olim fuiſſe iuris communis præceptum recitandi Officium B. Mariæ: nam Pius V. ſolùm hanc conſuetudinem vocat, ac proinde in iure de tali præcepto non conſtat, licèt iure particulari Religionum aut Congregationum eſſet de hoc præceptum. Et certè in noſtra Religione dum Carmelitanum retineremus, Officium B. Virginis non aliter, ac modo Officium Romanum, Religioſos omnes tam in particulari, quàm in communi obligabat.] Hucuſque Pater Thomas.

DVBIVM III.

1364 ii. Aliqua diximus ſuperiùs de Breuiario Monaſtico, nimirùm *num.* 1364. *dd.* illa in memoriam reuocas, & inquiris. An Benedictini & Ciſtercienſes vtentes illo, ab obligatione (pœnali aut veniali, quæcumque illa ſit, conſtat enim grauem & mortaliter obligatoriam non eſſe) legendi horas Marianas liberentur?

Stat pro negatiua parte Gregorij XV. declaratio, quam D. Manriquus ad an. 1103. cap. 3. produxit; & nos ex ipſo ſuperiùs *n.* 1364. *l.*

Stat pro affirmatiua D. Ludouicus Bernaldus de Quiros, S. Theologię Doctor eximius, Cathedraticus ſacræ Scripturæ Primarius, Ciſtercienſis Ordinis Generalis emeritus, qui Salmanticæ non obſtante illa Pontificis declaratione publicè, & laudabiliter Monaſtico Breuiario (noſtro grauius ideſt) vtebatur, vt ab illa penſum Marianū ſoluendi obligatione eſſet liber. Nec ignoramus ſemel in Generali Capitulo fuiſſe Theſes impreſſas, in quibus id licitè fieri negabatur, & tamen ſuppreſſas, & hac expuncta opinione recuſas, & ſtatuta die defenſas. Nec credibile pium & ſanctum ſenem mutauiſſe Breuiariū, & faciliore relicto recepiſſe moleſtius, ni putaſſet hac ſe via ab illo onere exemptum; nec credibile hanc opinionem improbabilem viſam & tamen in ipſo & eiuſdem amicis ſine reprehenſione publica, aut priuata obloquutione à viris ſanctis toleratam. Huic enim optimo ſeni diſcipulus & amicus valde ſpecialis *fui*, nec vnquam audiui, quòd eum aliquis ob penſi Mariani omiſſionem & Breuiarij mutationem carperet.

1364 KK. Sed legibus & non exemptis tractandum inſtas, & reſpondeo, in rebus moralibus ſanctorum hominum exempla eſſe leges, & addo in priuilegijs Apoſtolicis multa eſſe examinanda, quæ non omnibus in ſingulis nota. Fortè ſciebat D. Ludouicus illud non eſſe authenticum, ſed à ſuis inimicis confictum, ſed cur hoc credam? inimicos non habuit, omnibus in honore & amore. Fortè ſciebat eſſe diploma ſubreptitium, quod potiùs putem; aut ſi ex certa ſcientia promanans, & hoc verum exiſtimo, religioſos in choro concernere, non verò lecturos priuatim.

Hanc

Hanc vltimam ſpeculationem firmabo inſtantia à Benedictinis deſumpta. Ipſi in Cæremonialis Congregationis Germanicæ part. 1. cap. 6. §. 17. aſſerunt, *Gregorium III. & Zachariam Summos Pontifices, qui vixere ante annum 752. præcepiſſe Caſſinenſi Congregationi, vt omni tempore vnà cum Officio diuino recitarent, & officium B. Virginis.* Addunt ex S. Petro Damiano Monachos olim diuinitus afflictos ob Officii Mariani omiſſionem, ſubdunt, *non debere videri mirum ſanctiſſimum & ſapientiſſimum Pontificem Pium V. huius, vt opinor, exempli conſideratione permotum, tam prouidè ac ſolicitè ſanxiſſe, ne hæc ſancta & laudabilis conſuetudo in Eccleſiis & monaſterijs, vbi antiquitùs obtinuerat, prætextu Officij Romani, negligeretur, aut omitteretur. Præterea Vrbanus VIII. de conſilio SS. Rituum Congregationis 2. Ian. 1727. decreuit, etiam mutato proprio Breuiario, & Romano acceptato, adhuc eos teneri ad quotidianam Officij B. Virginis recitationem, qui antea ex conſuetudine tenerentur. Igitur quam vis iuxta Rubricam Romanam, quam ſalua Regula S. Benedicti, in noſtris Horis, diuiniſque Officijs ſequimur, complures dies excipiantur, quibus Officium B. Mariæ V. tutò omitti poteſt, tamẽ maximus Chriſto Domino in Matre ſua honor exhibetur, eiuſq; apud Filiũ interpellatio plurimùm poteſt nec non præſenti auxilio cultoribus ſuis in neceſſitate adeſt: idcircò ad conciliandũ nobis magnæ Patronæ huius fauorẽ, & vt illud, quod alibi circa Regulæ rigorẽ pro temporum ratione remittimus, (cùm non ignoremus illud olim nonnullis monaſterijs in diſpenſatione circa comeſtionem carnium à Sũmo Pontifice iniunctum fuiſſe) quodammodo compenſemus, ſtatuimus vt dictũ Officium, exceptis Vigilia Natiuitatis Domini, & triduo vltimo maioris hebdomadę, ac Sabbatis, quando fit Officium de B. Maria V. quotidie à noſtris Monachis recitetur, ita vt quibus diebus à rubrica Romana Officium B. V. remittitur, dicatur à Sacerdotibus priuatim pro opportunitate, à Iunioribus ſimul congregatis in Capitulo, vel alio loco aut Oratorio à Superiore deputato. Quãdò verò rubrica Romana Officium hoc præcipit dicendũ, recitetur ab omnibus in Choro.*

In quibus hæc omnino obſeruanda. *Primum*, Pontifices illos Gregorium II. Zachariam, Vrbanum II. Gregorium VII. Pium V. Vrbanum VIII. ita induci, vt priores omnibus Officium Marianum iniunxerint, duo poſteriores declarauerint etiam mutato Breuiario præter Romanas rubricas ad quotidianam lectionem vniuerſos teneri. *Secundum*, hanc vltimam obligationem ita admitti, & exponi, vt non ſingulos ſed communitatem, nec tamen hanc in choro, ſed vbi ipſa maluerit concernat. *Tertium*, Benedictinos dicere ſe tuta conſcientia in hac materia ſequi rubricas Romanas poſſe, Relege illa verba; *Quamuis iuxta rubricam Romanam, ... complures dies excipiantur, quibus Officium B. Mariæ tutò omitti poteſt, &c.* Et ex his tribus obſeruatis inferendum Gregorij XV. diploma ſimiliter intelligendum. Quibus poſitis argumentor ſic. Monaſticum Romani Officij priuilegia participat, atqui ęquè de vtroque declararunt Pontifices non liberare ab obligatione legendi horas B. Mariæ: ergo eodem omnino modo de vtroque philoſophandum eſt. At qui vtuntur Monaſtico (Benedictini Germani, & alii) tutò omittere poſſunt priuatim vbi Romanæ rubricæ permittunt: ergo & alij. Aut etiam è conuerſo, ſi placeat.

DVBIVM IV.

1364 II. Inquiris, An rimari poſſimus cauſam ob quam introductum eſt penſum Marianum? Cauſam perennem inquiris, quoniam cauſa ad tempus ſuborta, non videretur poſſe manuteneri obli-

gationem (pœnalis aut venialis ſit ipſa) perennantem. Vnde patet quod ad Vrbanum II. reduci non debeat, quoniam expeditio illa, quæ parabatur cōtra Mahometanos, ad tempus fuit.

Prima ſententia aſſerit laborem manuum in Marianam lectionem commutatam; incæperunt enim Monaſteria Monachorum induſtria & Dei munificentia diteſcere, nec labor agreſtis erat opus; adeoque ne torperent otio Religioſi, admiſſa parua Officia, tanquam manuum labor. [Si probaretur hæc ſententia, eſſet plauſibilis, nam benignius eſt hora legere, quàm tota die in campo laborare.]

Secunda carnium antiquam abſtinentiam in lectionem minorum Horarum (ſic Officia B. Virginis & Defunctorum dicimus) commutatam. Sed quis prudens commutationem illam peteret? quis oblatam admitteret? pro vna carnis particula raro danda tantam obligationem admittere, graue, & indecens.

Tertia generaliùs loquitur, docetque nos illa omnia, in quibus à Regulæ antiquo rigore deficimus, horum Officiorum quotidiana lectione compenſare. Et hanc videntur habere Germani Patres Benedictini, vt conſtat ex eorundē verbis, quæ Dubio præcedēte citaui.

Quarta meram deuotionem cognoſcit, &, vt exiſtimo, omnino eſt vera.

Si hanc vltimam ſequamur ſententiam res manifeſta eſt, & obligatio decentiam potiùs reſpicit, & vniformitatem quàm mores, adeoque extrinſecus potiùs, quàm intrinſecus. *Si primam*, dicemus tam ſeuerè obſtringi iam Monachos ad legere Marianum Officium, quàm olim ad manuum laborem in cāpo cumque iam obſoletur labor moralem obligationem non induxerit, nec illam hodie fore à precibus Marianis inducendam in campo. addemus Communitates, quæ veterem illum rigorem reſtituant, non habere obligationem horas minores recitandi. *Si ſecunda* placeat, qui die lunæ carnes comedet, & qui die dominica Marianas horas intermittet, æquè peccabunt. adeoque neque venialiter, abſtinemus enim à carnibus iure Regulæ, quæ forum interius non tangit. Et iuxta iſtum dicendi modum reformata illa monaſteria, quæ à carnibus abſtinent, non tenebantur recitare horas prauas. Erat *tertia ſententia* duarum præcedentium connexio, & ideo nihil occurrit ſpeciale.

1364 mm. At tu eruditionis gratia vis ſecundam ſupponi, & inquiris, An Religioſi diebus illis, quibus à carnibus abſtinent, perſoluere penſum teneantur? Et vt neges duas rationes proponis.

Prima eſt. Tota obligatio naſcitur ex commutatione, & carnes comedendi licentia: atqui diebus Veneris (vt dies Lunæ, Mercurij, & Sabbati omittam, de quibus pariformiter philoſophandum) nulla commutatione, nulla diſpenſatione, nulla licentia fruimur: ergo nec tenemur ad commutationis grauamen.

Secunda. Quia Communitas abſtemia, quæ carnibus non veſcitur, paulò ante dicebatur ab hac *legendi obligatione* libera: ergo, quæ *illis* veſcitur erit et iā libera pro diebus, quibus abſtinet, cùm non ſit diſparitatis ratio; nam ſicut abſtinentia perpetua proſcribit lectionem perpetuò, ita hebdomadalis abſtinentia proſcribet per hebdomadam.

Reſpondeo tamen ſtando ſecundæ ſententiæ, illos, qui cedunt iure comedendi carnes, non teneri recitare hæc officia; teneri illos, qui vna aut altera die aut hebdomada abſtinent iure illo reſeruato. commutatio enim ita fuit facta, vt Monachi adquirerent comedendi carnes tertiò in hebdomada licentiam, & incurrerent obligationem horas Marianas quotidie recitandi. bene enim ſtat vt iuſtè alterna ſeruitus in quotidianam aliam duplo leniorem cōmutetur;

tetur;

tetur; vt ſi Petrus teneretur feria ſecunda, quarta, & ſexta Eccleſiam leuca diſtantem viſitare, & adquireret diſpenſationem, vt alteram quadrante diſſitam quotidie inuiſeret. non poſſet quidem Petrus dicere die dominica, Ego hodie non fruor diſpenſatione, non habebam obligationem viſitandi diebus dominicis Eccleſiam leuca diſſitam, ergo nec incurro obligationem viſitandi diſſitam per quadrantem. quia vnius diei onus in dies duos à diſpenſatione diuiditur. Ergo ſimiliter dicendum eſſet licentiam comedendi ſemel carnes concedi ſub onere legendi multis diebus virgineas illas horas, aut etiam pro defunctis orandi. [Sed quis eſſet ita carnis amaſius, vt vellet terni officij lectione tota vita torqueri intuitu comedendi carnem? generoſiùs de noſtris Maioribus ſentio. Multa apud ipſos deuotio obtinuit, quæ caro non potuit.] Hinc patet quid reſpondendum ſit ad poſitas rationes dubitandi.

DVBIVM V.

1364 nn. Hanc etiam materiam concernit quæſtio, quæ non paucos Abbates timoratos exercuit, & inquirit, An ſtudioſi debeant authoritate Superiorum ab officio diuino, ſi in ſacris non ſint: aut à Mariano ſaltem, ſi ad ordines maiores promoti, ratione ſtudiorum liberari?

Prima ſententia eſt ſeueriſſima, docetque trium Officiorum lectionem iuxta Breuiarij rubricas debere ſtudioſis iniungi in virtute Sanctæ Obedientiæ, vt qui aliàs illa, aut ſaltem Officia minora omittere ſine mortali poſſent, perſoluere ſub mortali teneantur. Sic enim coercendam putat iuuenum negligentiam, quam ebibunt, cùm ſiccis Philoſophiæ ſpeculationibus vacant. quoniam areſcit animus apud Ariſtotelem, & indiget multis precibus, vt deuotus permaneat. Hæc ſententia aliquot Doctorum Duacenorum fuit, quos D. Adrianus Cancillier Dunenſium Abbas cōſuluit, quam ipſa obſeruandam putauit poſtmodum illorum reſponſione perterritus, definierunt enim *Maledictum ſtudium, propter quod omittitur Officium diuinum*. Et quidem, ſi agatur de officio grauiter obligatorio & indiſpenſabili, ſuſtinebo ſeueritatem opinionis; at ſi non iam de indiſpenſ bili, ſed de illo, quod ſubeſt prudentis Superioris conſilio, cur cum diſpenſatione ſine maledictione omitti non poſſit, non video. Sunt aliqui qui minoris pretio putant ſe animas emiſſe, quā Chriſtus, & ideò ſe ſanctiſſimè loqui, cùm cruces, quas fugiunt, humeris alienis imponunt. Malunt ſeueri videri quàm veri, & contradictionem euidentem admittunt, ne careant occaſione torquendi. Vel dicito, quid aliud eſt, *Maledictus, qui diſpenſat, cùm diſpenſare poteſt*, quàm, *Superior non poteſt diſpenſare, cum poteſt*? Hic autem terminorum contradictio certiſſima & clariſſima eſt.

Secunda ſententia huic oppoſita docet Studioſos, vt meliùs dare operam ſcientijs poſſint debere à regulari legendi horas obligatione liberari, nec facilè ad ordines maiores promoueri antequam curſum Theologicum abſoluerint ne ratione ordinum nouam incurrant legendi obligationem. Videtur exemplo Societatis firmari, in qua omnium ſententia non tenētur legere canonicas horas non promoti, nec ſolent ante finem Theologiæ promoueri.

Tertia eſt media, nec vult Studioſis aliquam diſpenſationem concedere, nec lectionem moraliter præcipere, ſed eos in communi iure relinquere, ac ſi non eſſent ſtudioſi; diſponens vt ſtudiorum ratione non teneantur ad lectionem grauiùs (& hoc contra primam) nec leuiùs (& hoc contra ſecundam opinionem.)

Hanc tenent Patres Benedictini Germani,

mani, qui in Ceremonialis ſui Part. 1. c. 6. §. 17. qui ſecundam ſententiam impugnant hiſce verbis.

3. *Porrò quam vanus, & inanis apud pleroſque fuerit prætextus ille, qui minuendis aut relaxandis id genus officijs, & inſtitutus obtendi ſolet, quo ſcilicet ſtudijs, lectionibus, alijſque vtilioribus exercitijs ſpiritualibus aut corporalibus liberiùs, & impenſiùs vacent Religioſi, docuit rei euentus, & probata ſatis ſuperque experientia, vbi ſublatis illis, nihilo magis ac anteà vigere ſtudia, aliaque eiuſmodi exercitia frequentari cernũtur; ſed otio ſubinde, vanis colloquijs, ac rebus futilibus (ne quid dicam grauius) bonas horas malè perdi, quæ ſanctis, & ſtatis Officijs, ac precibus olim ſalubriter impendebãtur: vt illud omittam quod non minùs doctè, quàm piè monent.* Dominicus à Soto *de Iuſt. l. 6. q. 5. art. 3. & poſt eum* Nauarrus, *lib. de Orat. cap. 11. Officio diuino perſoluendo nullatenus impediri, quin potiùs promoueri, ac feliciùs, & iucundiùs expediri ſiue ſtudia ſiue alia quacumq; exercitia Clericorum, & Monachorũ, quod ſuo ſe experimento probaſſe teſtantur.*

Narrat B. Petrus Damianus *libr. 6. Epiſt. 32. quomodo monaſterium diuinitùs afflictum fuerit ob intermiſſum B. Virg. Officium; eodemque tandem reſtituto calamitas depulſa ſit: ex quo perpendant quorum intereſt, quanto ſuo diſcrimine & damno Monachi illi Officiũ Deiparæ Virginis nuncupatim triennio duntaxat apud ſe receptũ & ſeruatum exploſerint: vt hoc facto Chriſti Matrẽ, & Matrem veræ pacis à ſuo monaſterio abieciſſe dicantur: ac per hoc nemo miretur ſanctiſſimum & ſapiẽtiſſimum Pontificem Pium V. huius, vt opinor, exempli conſideratione permotum, tam prouidè ac ſollicitè ſanxiſſe, nec hæc ſancta, & laudabilis conſuetudo in Eccleſiis aut Monaſterijs vbi antiquitus obtinuerat, prætextu Officij Romani negligeretur aut omitteretur (ecce nec præceptũ additur, nec diſpenſatio conceditur) Præterea Vrbanus VIII. de conſilio SS. Rituum Congregationis 2. Iann. 1627. decreuit, etiam mutato proprio Breuiario & Romano acceptato adhuc teneri ad quotidianam Officij B. Virginis recitationem, qui ante ex conſuetudine venerabantur* (nimirum, teneri vt antea, quia Vrbanus nec obligationem intendit, nec remittit.

1364 00. Tota hæc opinio ſubſtruitur illa hiſtoria, quam B. Petrus Damianus recenſet, quæ quoniam multis fuit errandi occaſio, & digna eſt quæ ſciatur, hi addendam cenſui.

Epiſtola quæ citatur eſt trigeſima ſecunda libri tertii, quæ inſcribitur, *Ad fratres præcepti tranſgreſſores*, vt benè aduertit Baronius ad ann. 1056. nu. 4. ex qua hæc propoſito videntur conducere.

Dicam & aliud quod in præfato contigit Monaſterio Gamugenſe. Statutum erat, atque iam per triennium ferè ſeruatum, vt cùm horis Canonicis quotidie B. Mariæ ſemper Virg. officia dicerẽtur. Erat autem quidam inter eos Gozo, habitu monachus, reprobæ quidem vitæ, ſed dicatis & aculeatæ facũdiæ. Hic cepit conqueri, ſatis ſuperq; ſufficere, quod ſanctus præcepit Benedictus, non ę adinuentionis pondus debere ſuperponi, nec nos eſſe antiquis Patribus ſanctiores, qui videlicet hęc ſuperſtitioſa & ſuperuacua iudicantes, pſallendi nobis metã, omnemque viuendi regulam præfixerunt. Quid plura? contra Reginam præliari viſus eſt, & confecit. Ad hoc nimirum fratres verſuta machinatione pellexit, vt ſolitas B. Mariæ laudes vlteriùs non offerrent. Sed ò diuinum iudicium à noſtræ prauitatis intuitu non dormitans. Mox enim aduerſus præfatum Monaſterium tot aduerſitatũ grãdines, tot vndique bellorum atque cõflictuum exortæ ſunt tempeſtates, vt ipſis quoque Monachis minaces gladij necis exitum intentarent. Fiunt vndique deprędationes, vndique rapinę, conflagrã-

tur

tur cũ ſegetibus areæ familiares, ac ſerui ſancti loci crudeliter trucidantur, & non iã imago mortis, ſed ipſa mors graſſatur, adeò, vt tæderet iam monachos viuere, dum nequaquam poßent in procinctu certaminis amicum quieti ſuæ profeſſionis officium cuſtodire.

Non paruis expenſis ad Teutonum partes Imperator expetitur, pragmaticæ Sanctiones cum titulis aduehuntur. Sed tandem eſt in omnibus quippe ſtudijs non fructus, ſed labor ſuperuacuus. Vnde cum ego petitione Fratrum ſæpè pulſarer, quatenus ſequeſter accederem, & ſi poßibile eſſet, pacis inter eos fœdera cõtinuarem, hac rogantibus voce reſpondi: Chriſtus, inquam, *eſt pax noſtra, de quo etiam de Virgine recens nato angelitus dictũ eſt: Gloria in excelſis Deo & in terra pax. Quia ergo Matrem veræ pietatis de ſuo Monaſterio proiecerunt; dignum eſt, vt inquietis calamitatum tribulationumque procellis atque turbinibus agitentur: Verùm (ne Lectorem diutiùs protraham) fratres illi hæc quæ dixeram, non dubijs erumpentibus ſignis vera probantes, in arcto ſiti, tandem ad cor redeunt, pauimento ſe humiliter ſternunt, ac percepta pœnitentia, nunquam ſe de cætero neglecturos ſolita Dei Genitricis præconia, vnanimiter pollicẽtur. Mox, itaq, (vt fatear) ita poſt coruſcationes atque tonitrua tãdem cæli ſerenitas redijt, vt nũc vſque hodie Fratres iucundæ pacis otio perfruantur, & de ſcyllea voragine ſe delatos ad portũ gubernante filio Virginis gratulentur. Impletum eſt ergo quod per Prophetam dicitur: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus.*

Lego, relego, & caſum totum, prout narratur, admiror. An præſtat nihil ex deuotione facere, quàm ſemel inceptum omittere? minimè. Quoniam, quæ ex deuotione facimus, libera omnino ſunt, laudabiliter fient, & poterunt ſine culpa intermitti. Si hæc vera, & tam vera vt in controuerſiam probabilem reduci nõ poſſint, cur cauſaretur B. Virgo, quòd horæ ipſius à Benedictinis omitterentur, quas ipſi nullo iure tenebantur perſoluere? Exiſtimo non potuiſſe aut à B. Dei Genitrice deſeri, aut à Virginis filio Deo puniri, ſi ex ſola deuotione tribus annis ſolutum, Marianũ officium omiſiſſent. At ex pęna ipſa diuinitus illata obligationem legendi infero, & in omiſſione tranſgreſſionem contemplor. Sed cuius legis? An purè pœnalis? Minimè. Pęnales enim Religionum leges, ad pœnitentiam regularem obligant, eſsetque iniuſtus, qui ſupra regularem infligeret, &, vt certum eſt, Gamugenſes luebant ſummas, nec multò minores excidio. An erat lex moralis leuis, obligans ſub veniali? Non admittam. Tum quia mihi non videtur ſatis benè fundari illa ſententia, quæ ſuperiorem docet poſſe ſub leui culpa materiam etiam magnam præcipere, tum quia veniales culpæ, quibus nemo caret, non ita cœlum diuinæ miſericordiæ excitant, vt procellæ, & tempeſtates ſuboriantur. Videre igitur videor illorum hominum obligationem grauem, & contemptam. Grauem? ſed quo iure? Conſuetudinis? minimè. Tribus enim annis talis conſuetudo non pręſcribitur. Tenendum igitur eſt; aut habuiſſe Mariani penſi perſoluendi præceptum obligans ſub mortifero, aut ſi leue aut veniale, ita contempſiſſe, vt contemptus ratione tranſgreſſio redderetur mortalis, [conſultò poſui illud *ita*, quia non quicumque contemptus in materia leui grauis eſt, ſed qui ita leuem vilipendit vt paratus ſit ſimiliter pendere grauem [aut tandem, & hoc congruentis litterę, arguendos de pręcepti grauitate & contemptu. Huic veritati demonſtrandę aliqua, quę intercipiam, conducent.

Primò Epiſtolæ titulus, *Ad fratres præcepti tranſgreſſores.* qui aut ipſi Gamugenſes ſunt, aut quod ego credo alij, qui non potuerunt bene cum Gamugen-

ſibus componi, ni & iſti etiam eſſent tranſgreſſores præcepti.

Secundò, illud *ſtatutum erat*, non iam deuotionem, ſed obligationem inſinuat; & ſi cum titulo Epiſtolæ vox æquiuoca (etiam præcepta moralia grauia, ſolēt ſtatuta vocari) componi debeat, ſtatuta fuerat Mariani officii lectio lege graui.

Tertiò, illa periodus, *Nos non ſumus ſanctiores antiquis noſtris Patribus, qui videlicet hæc* (nempe Mariana officia) *ſuperſtitioſa, & ſuperuacanea indicarunt*, à Gozone aſſeritur, & à Gamugēſibus admittitur, & tamen hæretica, & Patribus iniuria eſt. Hæreticum enim & impium Marianas preces arguere de ſuperſtitione; hæreticum illas ſuperuacaneas & inutiles credere, & hos intolerabiles errores Patribus antiquis adfingere, iniurium & omninò crudele.

Quartò, illa S. Petri Damiani verba. *Matrem veræ pietatis de ſuo monaſterio proiecerunt.* Videntur inſinuare contemptum, proiecerūt .n. ſi eius interceſſionē inutilem, aut eius cultum ſuperſtitioſum aut ſuperuacaneum iudicarunt, aut fortè, ſi grauem, & ſub mortali legendi conditionem admiſerunt, admiſſam reiecerunt: non tamen ſi ex mera deuotione incepta noluerunt cōtinuare.

Quintò, illud quod ſequitur, *Dignum eſt, vt inquietis calamitatum tribulationumque procellis atque turbinibus agitentur*, grauem culpam inſinuat: grauis enim erat culpa in Deum, ob quam Deus miſeros illos dignè mulctabat grauiſſima illa pœna.

Sextò noto illud *Pollicentur*, & non tam nouum votum, quàm prioris renouationem ſubaudio.

Hæc cum veroſimilia ſint, ita debemus B. Virginis deuotionem defendere, vt nec illam crudelem nec ingratam fingamus. Læſi eſt honoris potentiſſima vindex, nec honos læditur cùm hodie omittitur, quod heri ex deuotione in eius honorem canebatur. Vnde ſtatuo ſecundam ſententiam, vera aut falſa ipſa ſit, malè hac Gamugenſium hiſtoriâ fundari.

1364 pp. Sentio igitur tertiam eſſe defendendam ſententiam, præcipuè in locis vbi Ordo collegia prudenter inſtituta non habet; ſi enim, qui ad ſtudia mittuntur non legerent ſuas preces, quid facerent? Volo mihi in hac materia credi, omnes qui extra collegia habitant, ſæculares aut religioſi ipſi, vix ſtudent. adeoque pecunia, quæ ſic impenditur, prodigitur, non enim adquiruntur ſciētiæ, & virtus tenera periclitatur. Sed nec collegia ſtatim approbo, ſi nomen ædificij ſit, non gymnaſii. Non eſt collegium prudenter inſtitutum, vbi pulchritudo ædificij admirationem, non verò authoritatem doctrina conciliat Profeſſorum. nec illud, vbi ſtudioſo viſitare & viſitari, manere, excurrere, tacere, loqui, hos vel illos authores legere, aut ſimilia quęcumque libertatis indicia permittuntur, ſed vbi ſub ferula coercetur iuuenilis audacia, nec hora libera conceditur, quæ non ſit alicui exercitio præſcripta. Somno, menſæ, colloquia, debent eſſe horæ competentes, & ſufficientes ſtatutæ, ſi congruentes meditationi matutinæ, miſſæ audiendæ aut legendæ, ternò legendo Officia, & examini conſcientiæ addantur, manebunt horæ decem, quas qui bene impenderit in litteris, in doctiſſimum virum euadet. Quòd ſi aliquis vltra illas ſtudere voluerit (rarus ille) ne horas ſomni decercinet (naturalia enim naturæ negari non poſſunt) permitti poterit prudenter nonnihil à colloquio & recreatione communi, & nō nihil à regulari legendi obligatione ſubſtrahere. Vnde verbo omnia colligens, reſoluo *generalē nec debere nec prudēter poſſe diſpēſationē concedi, poſſe particularem, ſi ſacra ſcientiarum fames illam videatur poſtulare.*

NOTA.

Omnia hæc, quę hucuſque, clarè probant

bant poſſe Marianas horas ſine peccato à Ciſtercienſibus omitti, at eſſe omittendas non probant. non ſuadent, non tolerant. Oportet quidem aut ſummas tribulationes pati, aut Deiparæ Virginis patrocinio foueri, *nam quemadmodum continua reſpiratio* (verba do Germani Conſtantinopolitani Patriarchæ) *non ſolùm eſt ſignum vitæ, ſed etiam cauſa, ſic ſanctiſſimum Mariæ nomen, quod in Dei ſeruorum ore aſſiduè verſatur, ſimul eſt argumentum, quod ſit vera vita*. Sanè per trecentos, plus minus annos hæc legendi deuotio continuata poſtulat, vt in poſterum feruentiùs continuetur, non alicuius obligationis intuitu, ſed meræ deuotionis affectu. Sanctiſſimam Redemptoris matrem amat meus Manriquus, amo & ego. ille habere vnde illam orare quotidie teneantur deſiderat, ego vndè velim. Laudandus affectus in vtroque, vt opinor, in vtroque ſinceritas. Manriquus obligationem adſtruxit, qui a ita ſenſit, ſi contrarium ſentiret etiam contrarium diceret. Ego ſimiliter obligationem illam nego, quia bene illam probari non video, ſi viderem, aſſererem. Sequor totius Ordinis Ciſtercienſis decretum, quod habere probabilioris opinionis virtutem, nemo mihi negauerit, conceſſuro aliàs, praſcindendo ab hoc Capituli Generalis Oraculo. D. Manriqui ſententiam eſſe ſummè probabilem, ratione Authoris, quo Maiorem in Europa non videro, ratione Aſſeclarum, qui videntur eſſe omnes Ciſtercienſes Hiſpani, ratione argumentorum, quæ tametſi ſolutionem habeant, non tamen ſemper quæ impugnari non poſſit.

DISPVTATIO CV.

Vtrùm *Pretioſa* & clauſtralis lectio ſub culpa graui legi debeat.

1365 PRetioſa vocatur ille Communitatis actus, in quo poſt lectionem Martyrologii ſuccinitur verſus Pſalmi 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*. Nonnulli crediderunt eos peccare mortaliter, qui illud omitterent: & his rationibus videntur conuincere intentum.

Prima. Eſt materia ſufficiens ad peccatum graue: ergo peccabit mortiferè qui illud omittet. Antecedens probatur. Eſt maius Prima vel Tertia, atqui hæc continent materiam grauem, ergo & *Pretioſa*.

Secunda. Vel *Pretioſa* eſt Hora diſtincta ab alijs, vel eſt complementum *Primæ*: Si primum dicatur, infertur rectè, qui omittit *Pretioſa*, omittit integram Horam, ergo peccat mortaliter: patet conſequentia, quia omittere Horã integram eſt peccatum graue. Si ſecundum, ergo ille qui omiſerit *Pretioſa*, omiſit maiorem partem *Primæ*, ergo etiam peccauit mortaliter, non ſecùs ac ille qui omiſerit Nocturnum integrum in Matutinis, aut in Completorio omnes Pſalmos.

Tertia. Hæc Hora eſt inſtituta in anniuerſariam memoriam, & venerationem Sanctorum, in Defunctorum leuamen, atqui ſi quis illam omittat, priuat Sanctos anniuerſario honore, & animas fidelium refrigerio: ergo peccat mortaliter. Patet conſequentia, quia Beatorum cultus, & purgantium animarum ſuffragia non debent paruipendi. Ergò omiſſio huius *Pretioſa* eſt culpabilis, & cum non ſit materia leuis, erit grauiter peccaminoſa.

His tamen non obſtantibus opinio

hæc

hæc meo iudicio improbabilis eſt ; & quæſtio debet hoc modo reſolui.

CONCLVSIO I.

Pretioſa *non eſt hora officij Diuini*. Patet ; quia iuxta omnium ſententiam non ſunt plures Horæ Canonicæ quàm octo, imò iuxta aliquos, pauciores; atqui ſi Pretioſa eſſet Hora ab alijs diſtincta, non tantùm eſſent octo, ſed nouem: ergo dicendum eſt, non conſtituere Horam Canonicam. Confirmatur, aut potiùs demonſtratur. Diuus Benedictus per plura capita ſuæ Regulę canonicas Horas enumerat, præſcribit, explicat; atqui non meminit huius Pretioſa; ergo non eſt Hora canonica. Imò quicquid id ſit, inuentum fuit longo tempore poſt D. Benedictum.

CONCLVSIO II.

Pretioſa *non eſt pari alicuius Horæ canonicæ*. Hę duæ Concluſiones diruunt rationem ſecundo loco oppoſitam. Probatur hæc ſecunda. Quia ſi eſſet pars & complementum alicuius Horæ, maximè Primæ; non huius: nullius ergo. Minorem probo. Si eſſet pars Primæ, nunquam laudabiliter ſepararetur ab ipſa prima, atqui ſępè legitur poſt Sextam aut Nonam, Miſſa etiam matutinali nonnunquam interpoſita; ergo non eſt pars nec complementum Horæ Primæ.

CONCLVSIO III.

Non eſt pars Diuini officij. Probatur Primò, Quia Canonicum officium cōponitur immediatè octo Horis, & mediatè Horarum partibus: atqui *Pretioſa* nec eſt Hora Canonica, nec pars Horæ: ergo nec mediatè nec immediatè componit officium Diuinum.

Secundò, Omnes diuini Officij partes enumerantur ſufficienter in Regula, ſed in ea nulla fit mentio huius *Pretioſa*: ergo.

Tertiò, & hæc ratio eſt valde efficax. Communitas debet legere Officium diuinum in Choro & in Eccleſia: ſed legere debet Pretioſa in Capitulo, non autem in Choro; ergo illud non pertinet ad diuinum Officium. Probo antecedens; quia ſi aliquando *Pretioſa* extra Capitulum legitur, id non ex lege, ſed ex indulgentia aut remiſſione aliqua contingit.

CONCLVSIO IV.

Communitas tenetur legere Pretioſa *iure conſuetudinis, eodem modo ac Officium B. Mariæ, Pſalmos pœnitētiales, etc.* Vide itaque quæ de his ſuperiùs diximus, & ilthinc intelliges, qualiter Communitas ad *Pretioſa* obligetur.

CONCLVSIO V.

Particulares Ordinis Benedictini Religioſi non tenentur legere Pretioſa *in officio priuato*. Probatur, quia non tenentur iure Regulæ, vt ex ſe patet: non iure conſuetudinis, quia, vt oſtendi *num.* 1234. Beatæ Mariæ Officium, Horæ pro Defunctis, Pſalmi Pœnitentiales introducti ſunt à nolentibus ſe obligare grauiter, & non potentibus ſe obligare leuiter, quia materia erat magna. Non obligat iure alicuius conſtitutionis; quia nulla datur, quæ expreſſis verbis Martyrologij & *Pretioſa* lectionem indicat priuatim recitanti. Sacerdotes teneantur iure Ordinum inferiùs explicabo.

Dixi ad *Pretioſa* Benedictinos non teneri iure Regulæ, quia ipſum non fuit à Sancto Benedicto inſtitutum, ſed ab officio Romano translatum. Conſono Caſſinenſibus, qui exponentes Caput XVII. ſic inquiunt. *Secundum antiquam noſtram conſuetudinem, dicta Prima, immediatè proceſſionaliter exeun-*

xeundo de Eccleſia, commemorationẽ facimus de Fratribus defunctis, Familiaribus, & Benefactoribus noſtris, cum Pſalmo; De profundis, & oratione, Deus veniæ largitor, & pergimus ad Capitulum vbi pronunciantur in Martyrologio feſta Sanctorum occurrentium, & dicitur Pretioſa, more Romanæ curiæ. Vltimò legitur vna lectio regulæ, & datur benedictio more Romanæ Curiæ, & audiuntur culpæ, præterquam in Dominicis diebus, vel feſtis de præcepto Eccleſiæ, aut de conſuetudine Ciuitatum, in quibus legitur principium Euangelij, cum aliqua particula homiliæ. In Dominicis diebus infra octauas, legitur de homilia feſti, & non Dominicæ.

Argumentis ſatis.

1365 b. Supereſt vt contrariæ partis rationibus & argumentis ſatisfaciam.

Ad primam reſpondeo, prætermiſſo antecedenti negando conſequentiam: quia non ſufficit ſola materia magna ad peccatum mortale, ſed præter eam obligatio requiritur. Patet in exemplo. Hodie, verbi cauſa, non legiſti Pſalterium, quod quidem materia magna eſt, nec tamen deliquiſti moraliter; quia ad illius lectionem non tenebaris. Sic ſimiliter, lectio huius *Pretioſa* aſſeritur magna materia, eſto. ergo, qui omittet peccabit mortaliter? diſtinguo conſequens, ſi habeat obligationem illud legendi, concedo, ſin aliter, nego. Probent igitur aduerſarij, ad lectionem huius *Pretioſa* illos teneri, qui priuatim recitant, & conuincent omittentes mortaliter peccare.

Ad ſecundam nego vtramque illius dilemmatis partem, quia, vt conſtat ex concluſione prima & ſecunda, Pretioſa nec eſt Hora Canonica, nec horæ pars. Plura ibi ſubiunguntur, aut falſa aut dubia, nec illa examino, quoniam deſtructo fundamento reliqua corruere neceſſe eſt.

Ad tertiam. Dico malè vocari Horam, quia reuera non eſt, vt ex prima, & ſecunda concluſione conſtat; & idcirco aſſero primum antecedens eſſe de ſubiecto non ſupponenti, ac propterea nec Propoſitionem eſſe, ſed meram verborum colliſionem.

Neque plus vrget inſtitutionis ratio ibidem adducta, videlicet, quod *Martyrologij, & huius pretioſa recitatio inſtituta ſit in Sanctorum anniuerſariam memoriam & venerationem, & in defunctorum leuamen.* Reſpondeo enim cum diſtinctione: Eſt inſtituta ex mera deuotione, concedo; ex animo obligādi, nego. *Atqui ſi quis omittat hanc Horam, priuat Sanctos anniuerſario honore, & animas fidelium refrigerio.* Phyſicè tranſeat, moraliter nego. quia non quæcumque carentia, ſed illa, quæ eſt actus debiti, conſtituit priuationem moralem. Sic in opinione illorum, qui admittunt puram omiſſionem, dicitur carentia actus tranſire in priuationem cùm primùm incipit eſſe carentia actus debiti. Ideoque loquendo moraliter, Beatus Franciſcus hoc die, qui eius memoriæ recolendæ non eſt aſſignatus, nō cenſetur priuari honore ſolenni (licèt à nemine vllus ei exhibeatur,) quia non eſt ei debitus: ſecùs vero ſi id quarta Octobris contingeret, tunc enim ſolennis ei cultus debetur ex præcepto Eccleſiæ. Vlteriùs, ſi in arguentis lexico *parui pendere* ſit idem quod *contemnere*, concedo Sanctorum commemorationẽ, & ſuffragia animarum non debere parui pendi; graue enim peccatum eſſet tales orationes omittere, ſi fieret ex contemptu. Si verò *parui pendere* idem ſit, quod omittere. Reſpondeo illa poſſe *parui pendi*, hoc eſt, omitti. quotieſcumque nulla fuerit obligatio hanc omiſſionem interdicens: ſed quia *paruī pendere* potiùs videtur ſignificare contemptum quàm omiſſionem, ideo abſorpto probationis admiſſo nego conſequentiam: non enim dicendus eſt San-

ctos

ctos contemnere, qui in eorum honorem orationes non recitat, quas ſola deuotio proponit, & non indicit obligatio.

Hæc dicta ſint de iunioribus Benedictinis etiam ſi ponatur eos teneri mortaliter ad Officium diuinum, quod ſuperiùs negaui. *n.* 1355.

Si de Sacerdotibus aut alijs ad maiores Ordines promatis ſit ſermo, neſcio an exſurgat noua quæſtio, an ſufficiat præcedentis deciſio. Puto enim apud Romanos Pretioſa non eſſe Officij Canonici partem, & oſtendo, quoniam ab ipſis nec feria quinta nec ſexta hebdomadis maioris legitur, cùm tamen in eiſdem totum officium diuinum legatur; Sanè ſi nō ſit Diuini officij pars, non video cur debeamus dicere illam moraliter eſſe obligatorum.

De lectione Clauſtrali.

1365 c. Completorio quotidie lectio præmittitur, quæ dicitur *clauſtralis*, eò quod in clauſtro legatur. Quæritur an hæc obliget in conſcientia.

Reſpondeo Communitatem ad eam obligari vt ad reliquos Regulares actus priuatim neminem. *Primò*, quia illa lectio per totam Hiſpaniam fit in lingua vernacula, & tamen officij Diuini partes ſunt latinæ. Lectio igitur illa non eſt pars officij Diuini. Pręterea, non eſt in vſu vt qui abfuit, eam repetat; ergo non tenetur. Patet conſequentia, quia conſuetudinis vis deſinit per non vſum: vnde, ſi fuit conſuetudo obligans iam deſijt: ſi non (& hoc eſt certum) nunquam obligatio ſubfuit.

Maior eſt difficultas de lectione illa priuata, quæ incipit Fratres: *ſobrij eſtote.* & præmittitur officio priuato. Hãc tamen non eſſe partem officii Diuini probo. Sacerdotes Ciſtercienſes in Hiſpania, qui interſunt lectioni clauſtrali, nunquam hanc legunt, & nihilominus ſe cenſent integrè ſatisfeciſſe ſuæ obligationi; atqui lectio illa in lingua vernacula non eſt pars officij Diuini, ergo neque lectio alia. Ratio eſt, quia nemo ſatisfacere poteſt officio Diuino, legendo id quod non eſt officium Diuinum. Accedit, quod apud Romanos feria quinta & ſexta hebdomadæ ſanctæ omittatur, cum tamen eiſdem diebus legatur totum officium Diuinum.

QVAESTIO INCIDENS.

Inquiris, An Completorium pertineat ad diem conſequentem, an ad antecedentem?

Reſpondeo pro die antecedente ſtare communem totius Eccleſiæ ſententiam, ita enim inſtructi ſumus, vt illud ad diem antecedentem pertinere putemus, & eſſe diei vltimam horam: at pro die ſequente ſtat Antonius Ricciardus Brixianus in Commentarijs ſuis ſymbolicis in quibus verbo Hora 56. ſic inquit. *Completorium pertinet ad diem ſequentem*, citatque Michaelem Timotheum in Diuin. offic. *quæſt.6.tract.8.* quorum ſententiam eſſe probabilem, præter ordinarios Cenſores, etiam ſanctum Inquiſitionis Tribunal iudicauit, quoniã ſub libri initium hanc Typographi admonitionem lego, *Optime lector, ne mireris, ſi in opere tanto, & tam vario offendes nonnullos errores, quos nobis quoad fieri potuit vigilantibus cauere penè impoſſibile fuit; ſunt tamen eiuſmodi, quos facillimè, & cognoſcas & emendes. Inuenies etiã* (nota bene) *ſenſus aliquos aliqua ex parte mutilos, non certè Authoris incuria, ſed ſacri Officij ita procurante diligentia.* Vnde puto hoc poſſe ratiocinium formari. Sacrę Inquiſitionis tribunal illum librum examinauit, & quæ ſibi diſplicuerunt correxit, ita vt ſæpè mutilas & laceras ſententias reliquerit: at hãc reliquit; iudicauit igitur ipſam probabilem. Cæterùm an talis ipſa verè ſit, alijs iudicãdum relinquo; ego enim non libenter à communi diſcederem.

Et

Et quoniam Antonij Ricciardi meminero, author eſſem, vt omnes illum Concionatores compararent; eſt enim liber ſufficiens, qui materiam miniſtret omni materiæ, & argumento: quod omittendum non duxi, nec alibi oportuniùs moneri poſſe iudicaui.

DISPVTATIO CVI.

An ſatisfaciat Sacerdos, qui ſub Miſſa, quam celebrat, legis Horas.

HIc caſus eſt frequens & dignus reſolutione, vt clarius procedatur, exemplum, propono. Petrus cantat Miſſam maiorem, & dum chorus ſolenniter Kyrie-eleiſon & Allelu-Ia, Subdiaconus Epiſtolam, & Euangelium Diaconus caneret, legit aliquas canonicas Horas, (puta, Tertiam, Sextam, Nonam) petitur, Vtrùm eas Horas tali loco, & tempore legerit validè & licitè.

Dico primò, Petrum dum chorus aut miniſtri canunt, non teneri tacere: ſed poſſe orare vocaliter, & aliqua pia recitare, vt excitet extrinſecam deuotionem in Deum. Probatur. Quia communiter (communiter dico, quia vix aliquando non fit) Sacerdos ſeu ſecularis ſeu religioſus, dum ſedet cum miniſtris ante Euangelium, garrit de rebus quibuſcumque vt faceret quis in aliis occaſionibus, & temporibus, & à nemine arguitur, vel ſi à me aut aliquo priuato notetur, ſaltem vix corrigitur à Superioribus. Ergo ſignum eſt quod non ſubſit tanta obligatio ibidem tacendi; aliàs enim ſimilis actio non tranſiret impunè. Accedit, quòd noſtro tempore Pontifex N. vt viderunt innumeri, fere tota miſſa garriret, quod tametſi bonum dici non debeat, ipſius exemplum ſufficit, ne ex natura rei grauiter eſſe malum dicatur. Conſultò dixi *ex natura rei*, quia Eccleſiaſtico de externa attentione præcepto, aut ille non tenebatur, aut non grauiter.

1365 d. Præterea, licet indifferentia eo tempore tractari nequeant, quo iure interdictum eſt agere de pijs, & conducentibus ad ſalutem; quod ſi miniſterio ſacrifico conducat venerabilis ſilentij grauitas, ſequetur eſſe indecens illic loqui miniſtris, non tamen loqui Deo. Ergo in ſimilibus interuallis poterit orare vocaliter. Si hoc poſſit, cur non legere ſuas Horas, cùm orationes canonicæ ſint meliores quàm priuatæ particularibus quibuſcumque compoſitæ? qui officium recitat, vtitur labio totius Eccleſiæ; qui Ludouici Granatenſis vel alterius orationes, vtitur labio viri particularis.... Aptiores ergo, & Deo gratiores ſunt orationes canonicæ quibuſcûque priuatis. Quod ſi hæ orationes Deo placeant, cur non ſatisfacient obligationi legendi? non enim à loco aut tempore redduntur inualidæ; nam lex legendi Horas ſolùm præcipit canonicum officium legere: quod ſi quis fecerit, non potuit non ſatisfacere ſuæ obligationi.

Obijcis Concilii Prouincialis Mediolanenſis VI. [Prou. 1. part. 2. tit. de vita, & honeſt. pag. 8. vel iuxta editionem anni 1599. parte 1. concil. 6. pag. 307. a.] decretum. Ibi enim. *Clericus, qui Miſſæ ſacrificio miniſtrat, dum eam functionẽ obit, ne preces horarias, ne vel aliud quidquam de libro alioue officio recitet, ſed toto intimæ pietatis ſtudio adminiſterium attentus ſit, quod tunc piè, & religioſè exſequi debet.*

Re-

r. Reſpondeo eſſe Eccleſiæ peculiaris decretum, quod extra diœceſim Mediolanenſem non obſtringit: ex eo tamen colligitur, melius omnino eſſe intermiſſa rei diuinæ vni, & ſoli vacare, & poſteà penſum noſtrum perſoluere; quod nemo negat. Obiter tamen noto ſæcularibus, qui hæc myſteria non ita capiunt, conſulendum, vt aliquid in Eccleſia legant, roſarium ſaltem, dum Miſſæ Officia celebrantur: aliàs enim multum tempus perderent à Deo diſtracti, quod etiam in eodem libro præcipitur.

DISPVTATIO CVII.

Quomodo debeat Monachus cum ſocio recitare.

1365 c. ALiquirem facilem & certam iterum reduxerunt in dubium. Dico igitur non eſſe neceſſarium quod Antiphonæ & Reſponſoria ſimul ab vtroque dicantur, ſufficit quod ab alterutro. Recitationem Lectionum non debent alternare; alteruter eas legat, vrbanitas tamen poſtulat, quod Verſus, Antiphonæ, Collectæ, Lectiones, & ſimilia à iuniore dicantur. Reſponſorij prima pars à ſeniore dicitur, Verſus à iuniore, & rurſum à ſeniore Repetitio. Ita Villalobos *in ſumm. to. 1. tract. 24. dub. 11. num. 4.* Senior poteſt etiam dicere in fine cuiuslibet horę Verſus illos, quos Abbas in fine officij Canonici & Mariani; nempe, *Fidelium Defunctorum, etc. & Dulce nomen, etc.* item ad Laudes, & Veſperas clara voce Orationem Dominicam: cùm .n. hæc in officio publico ad chori Præſidem ſpectent, erga ſeniorem inurbanus eſſet iunior ſocius, ſi eorum ſibi recitationem arrogaret; iubente tamen ſeniore citra inurbanitatis notam id facere poterit. Communitatem paruam ad legendas Antiphonas D. Benedictus non obligat, conſtat expreſsè ex Regulæ *c.* 17. ergò à fortiori à legendis Antiphonis abſoluit duos vel tres, qui priuatim officium legunt. vſus tamen obtinuit, vt etiam in priuata lectione omnes Antiphonas legamus neſcio tamen an ipſe poſſit contra Regulam obligare moraliter.

1366. Pſallimus alternis vocibus ex conſuetudine, imitantes Angelos, qui ſępè auditi amœbea reboantes. In quiri poteſt; Vtrũ ſufficiat alternare Pſalmos, ita vt alter primum & tertium, ſecundum & quartum legat alter. Reſpondeo negatiuè, quoniam non eſt in vſu.

Petis: Vtrùm quis poſſit alternare hemiſtichia, hoc eſt ſemiuerſus. Reſpondeo ita quidem legi Pſalmum 135. feria 4. ad Veſperas, cuius verſuũ principia legit Iunior, & ſenior verſus omnes concludit epodo, *Quoniam in æternum miſericordia eius:* ſed id in lectione priuata, in qua nullus alius Pſalmus ita diuiditur. Pſalmus, *Venite exultemus* à ſolo Inuitatorio ſæpius dicitur, choro competentem epodon ad ſingulos verſus reſumente. Cæterùm reliquorum omnium Pſalmorum verſus leguntur alternatim.

Obiter hic notandum pro officio publico, me in monaſterio quodam maximo vidiſſe in ſolennibus Vigiliæ Paſchalis Veſperis choro vnum Verſum præcinente duos ab organo ſuccini, ita iubente Abbate Viro doctiſſimo propter

pter hoſpites maioris notæ: ne officium in horam (iam enim ob ſolennem eiuſdem prolixitatem ſerum erat) nimis intempeſtam protraheretur. Abbas iſte fuit Riuus D. Martinus Guttierrez, ſed quia ſemel tantùm id fecit, neſcio an poſſit in conſequentiam trahi.

DVBIVM I.

1366 b. Inquiris, Vtrùm, qui recitat cum habente priuilegium vtẽdi Breuiario breuiori, vel legendi ante tempus (ſuppoſito quod detur lex determinans tempora pro officio priuato) ſuæ obligationi ſatisfaciat?

Reſpondeo affirmatiuè cum Portelio *in dubijs reg. verb. Horæ canon. num.* 8. Henriquez *lib. 7. cap.* 30. *num.* 4. Ratio eſt manifeſtiſſima, quia quidquid alteri relatiuo conceditur, neceſſariò conceditur correlatiuo. Correlatiua .n. ſunt ſimul cognitione. Non poteſt permitti excommunicato vt loquatur tibi, quin & tibi vt audias excommunicatum: ergo

1366 c. Confirmatur. Non eſt intelligibile, quod duo debitè recitent vnum Officium Diuinum, & vno ſatisfaciente alter non ſatisfaciat. Probatur. Si Petrus & Paulus legant ſimul, non erit verum dicere, quòd Petrus legerit totum officium Diuinum, quia ſupponitur legiſſe cum ſocio, & qui legit cum ſocio, non recitat totum, ſed ſolummodo dimidiam partem. nec erit verum dicere, quod Paulus totum officium legerit ob eandem cauſam. Ergo nec Petrus nec Paulus, ſed illa communitas, quæ coaleſcit ex vtroque totum officiũ legit. Hinc ſic. Ergo vel dicta communitas legit officium ſibi conueniens, vel non, ſi legit officium ſibi conueniens, ſatisfecit debitè, ergo neuter peccauit venialiter. Si legit officium Diuinum ſed ſibi non conueniens, ſatisfecit, quoad ſubſtantiam, & quoad modum deliquit, ergo & peccauit venialiter. Ergo vterque peccauit venialiter, quia ſupponimus eodem conſilio conueniſſe, vt legerent Horas, & vtrumque æquè potuiſſe hanc actionem impedire. Quis autem non videat eſſe abſurdum aſſerere illum peccare venialiter, qui attentè, & deuotè totũ officium legit? quis ignoret ſocij obligationes alteri comparari per accidens? Manet igitur neutrum peccauiſſe venialiter.

1366. d. Confirmatur. Si recitans cum habente diſpenſationem vtendi Breuiario breuiori, non ſatisfacit, ergo nec recitans cum blæſo, & balbutienti ac ſemiproferente verba ſatisfaciet, hoc nemo admittet, ergo nec illud ex quo deducitur. Conſequentiæ bonitas conſtat, quia blæſus habet diſpenſationem omittendi magnam officij partem non ſolùm à natura, ſed etiam ab Eccleſia, cuius præcepta ſunt prudentia, & cuiuslibet capacitati accommodata: imprudens enim eſſet Pontifex, qui balbutienti indiceret exactam omniũ verborum prolationem. [Nota tamen nomine Breuiarij breuioris intelligere verè officium Canonicum, non verò orationes aliquas, in quas illud dicatur commutari. Vide quæ dicturus ſum dubio ſequenti.]

Hinc conſtat ſęcularem Clericum & Religioſum, aut duos Religioſos diuerſorum Ordinũ ſine venialis culpę ſcrupulo poſſe ſimul recitare iuxta Rubricas alterutrius Breuiarii.

DVBIVM II.

1367. Obiici poteſt contra reſolutionem prę cedentem inſtantia hęc certè non contemnenda. Argumentum, quod nimium probat, nihil probat, atqui rationes poſitę nimium probant, ergo nihil probant. *Probatur minor.* Cõfeſſarii Ordinis S. Hieronymi, qui tota die aut maiori eius parte audierint pœnitentes, nec non Theologię Profeſſores, qui multis horis quotidie vacant lite-

tis, ex Pontificio priuilegio ſatisfacere poſſunt obligationi legendi Officium, ſi recitent cum Prælati licentia ſepties *Pater* & *Aue*, & ſemel *Symbolum*. Atqui ſi eſſet vera ſuperior reſolutio, quicumque cum talibus recitaret, etiam ſatisfaceret, ergo reſolutio eſt falſa. Non ſatisfaceret autem officio Diuino illorum Confeſſariorum ſocios, licet cum illis legant, ita probatur; quia illud priuilegium conceditur prudenter in leuamen Confeſſarii aut Lectoris ſummo labore afflicti, quæ ratio locum non habet in ſocio, vt ex ſe patet, ergo nec ad illum debet priuilegium illud extendi.

1368 *Probatur ſecundò eadem minor*. Aegroti, cùm nimis anguntur in officii lectione, petere poſſunt à ſuis Prælatis, vt obligationem Horarum contrahant ad minorem quantitatem. Sit itaque, exempli gratia, Antonius æger, & ex diſpenſatione legitima ſatisfaciat recitando vnicum *Aue Maria*. An propterea etiam ſocius, qui cum eo legerit, ſatisfaciet? Hoc nimium eſt, vt concedatur, tale tamen vt deſtruat reſolutionem poſitam, ſi negetur.

1369 Reſpondeo nihilominus breuiter. Aliud eſt inſtituere nouum officium Canonicum breuius, quod Petro liceat recitare, aliud eſt abſoluere Petrum ab obligatione recitandi. Non inſtituit Pontifex pro Confeſſariis, & Profeſſoribus Hieronymianis, ſi inſtituit, officium Canonicum nouum, ex ſymbolo, ſeptem orationibus Dominicis, & totidem Salutationibus Angelicis compoſitum, ſed eos abſoluit ab obligatione recitandi officii, ſub hoc onere tamen quod ſymbolum & ſepties *Pater* & *Aue* legant. Eodem modo de laborante febribus philoſophare. Illud *Aue Maria*, quod tenetur legere, non eſt officium Diuinum. Conſultò illud *ſi inſtituit*, poſuit, quoniam memini me idolim vere in vno Authore legiſſe, at nec nomen retineo, nec apud alios, quos euoluo, reperio.

1370 a. Inſtas vlteriùs. In *dictis* caſibus S. Theologiæ Lector Hieronymianus legens ſemel Symbolum, & ſepties *Pater* & *Aue*, ſatisfecit obligationi officii Diuini, ergo legit officium Diuinum, ergo Symbolum, & ſeptem illa *Pater* & *Aue* erant officium Diuinum, ſupponitur enim nihil aliud legere. Satisfeciſſe obligationi recitandi Diuinum officium probas; quia non peccauit, peccaſſet tamen, ſi illi obligationi quæ grauis eſt, non ſatisfeciſſet. Et eodem prorſus modo de ægroto ratiocinaris.

1370 b. Huic inſtantiæ ex dictis ſatisfacio, negando S. Theologiæ Lectorem Hieronymianum, qui legerit ſemel Symbolum & ſepties *Pater & Aue* ſatisfeciſſe obligationi recitandi Diuinum officium: & admitto eum non peccaſſe, ac propoſitionem illam, *Peccaſſet tamen ſi recitandi obligationi, quæ grauis eſt, non ſatisfeciſſet*. diſtinguo. Si maneret talis obligatio, concedo, ſi tolleretur, nego. Sanè ille Theologiæ Lector non ſatisfacit Diuino officio, & nihilominus non peccat, quia recitando ſymbolum, & ſepties *Pater* & *Aue*, obtinet diſpenſationem Pontificiam, qua abſoluitur ab obligatione officii Diuini recitandi. Nec aliter de ægroto loquendum, petit diſpenſationem ab Antiſtite, iubet is vt leuat vnicum *Aue Maria*, hoc eſt, concedit diſpenſationem ex hypotheſi, quod legat vnum *Aue Maria*. Aeger ſemel legens Angelicam Salutationem, non ſatisfacit *Diuino* officio, quia Mariana ſalutatio non eſt officium Diuinum, lectione tamen huius Salutationis lucratur diſpenſationis efficaciam, qua conceditur, vt officium Diuinum legere non teneatur.

Hinc conſtat ſocium, qui legit cum tali Theologiæ Profeſſore, aut ægroto, non

non ſatisfacere Diuino officio; quoniam nec Profeſſor; nec æger illi ſatisfaciunt; non enim legunt, vt diximus, Diuinum Officium, ſed orationes aliquas ad modum conditionis requiſitas, vt abſoluantur ab obligatione Canonicum officium legendi.

DVBIVM III.

1371 Petrus vir grauis, & magnæ authoritatis ſocium habet quicum recitet Horas canonicas, nempe famulum vel inferiorem, vel talem ſaltem cui nec teneatur nec debeat ſubſcribere. Die feriali Petrus vult legere de Sancto, ſocius tenetur ex officio ipſi ſeruire, & cum eo legere? Petitur, verùm in tali caſu ſocius mutando officium peccet venialiter.

Reſpondeo negatiuè. Quia vel Petrus habet cauſam rationabilem, vel non. Si Petrus ex cauſa rationabili, & graui mutauit officium, non peccauit venialiter, iuxta ea quæ ſuperiùs diximus, ac propterea nec peccauit ſocius, qui fruitur ſenioris priuilegio, vt nuper oſtendimus.

1371 *b* Maior eſſet difficultas, ſi Petrus peccaret venialiter, hoc eſt, mutaret officium ſine cauſa. Reſpondeo; etiam in tali caſu ſocium ne venialiter quidem peccare; poteſt enim piè & prudenter credere Petrum non mutare officij rubricas ſine grauibus motiuis & cauſis.

Quid ſi ſocius euidenter ſciret Petrum non habere cauſam rationabilem, ſed ex mera ignauia aut negligentia alterare rubricas, nempe, vt breuiùs abſoluat & faciliùs ſubſtantiæ præcepti ſatisfaciat? Conſultò *euidenter* dixi; quia ſi tantùm probabiliter ſciret, etiam probabiliter ſciret contrarium.

Reſpondeo in dato caſu Petrum peccare venialiter, ſocium tamen poſſe ſine ſcrupulo peccati venialis procedere. Patet; quia ſocius habet cauſam rationabilem vt officium mutet, quam ſupponitur non habuiſſe Petrus. Probatur. Quia ſocius aſſeritur teneri legere cum Petro, & non habere authoritatem decernendi quid debeat legi; ergo volens nolens debuit Horas legere à Petro determinatas, ac proinde cauſam rationabilem habuit vt à rubricis diſcederet.

DISPVTATIO CVIII.

Examinantur difficultates aliquot, quæ reſpiciunt quemlbet in paticulari.

1372 Officium publicum entitatiuè nō diſtinguitur ab officio priuato, ſed mera ſolennitate; idcirco quidquid Abbas, aut ille penes quem eſt Rubricas Canonicas indicere diſpoſuerit in officio cōmuni, id ipſum tenetur exſequi quicumque Religioſus in officio priuato. Verbi cauſa, Si in feſto Martyris iuſſerit Abbas cantari in tertio Nocturno canticum Deuteronomicum, quilibet illis ſubditus tenetur canticum illud diuidere in tres ſectiones, & legere etiam priuatim: Ratio eſt, quia legeret iuxta Breuiaria impreſſa, legeret contra inſtitutum Regulæ, quæ iubet, non vt ſequatur illas Rubricas, ſed vt obediat ſuo Prælato etiam Cantica mutanti. Proinde, qui ſine licentia tacita vel expreſſa Abbatis obſeruans Breuiarij rubricas, recitauerit aliter quam Communitas, legit quidem Diuinum

officium,non tamen vt debebat,& ideo peccauit venialiter. Conſultò addidi *ſine licentia tacita*, quoniam videntur prudentes Antiſtites tacitè concedere particularibus, vt priuatim ſequantur rubricas impreſſi Breuiarij; eſſet enim difficile examinare diebus ſingulis quid actum ſit in Communitate.

1372 *b* Poteſt Prętereà vnuſquiſque in lectione priuata abbreuiare lectiones; nam in vſu eſt eas breuiare in choro, & quidquid licet in officio publico, licet in priuato.

Qui priuatim legit, poteſt omittere omnes Antiphonas; quia concedit id Regula Communitatibus paruis, & à fortiori priuatim legenribus. [At hoc non eſt in vſu. An vſus obtinuiſſe, & præſcripſiſſe dicendus? An & induxiſſe legem moralem? non occurrit ratio fortis vt credam.]

Non poteſt mutare Pſalmos authoritate priuata. Ni fortè verba illa cap. 18. *Hoc præcipuè commonentes; vt ſicuti fortè hæc diſtributio Pſalmorum diſplicuerit, ordinet ſi meliùs aliter iudicauerit*, dirigantur ad Abbatem in officio publico, & in priuato ad quemlibet priuatum.

Ex commiſſione Abbatis (nempe illius cuius regularis authoritas limitata non ſit) poterit mutare, inuertere, determinare Pſalmos, Hymnos, Cantica, &c. dummodo ſequatur rubricas à D. Benedicto determinatas, quas *diſput.* 102. *art.* 3. expoſui.

ARTICVLVS I.

De attentione requiſita in Diuinis Officijs.

1373 Semper mihi viſa fuit improbabilis illorum opinio, qui aſſerunt verè attentionem requiri, ſufficere tamen virtualem. Ratio eſt. Quia attētio intrinſeca indirectè præcipi non poteſt cùm vox & attentio intrinſeca non ſint connexæ neceſſariò: illud autem indirectè præcipitur (vt ſuprà diximus) quod neceſſariò rei illi connectitur, quæ præcipitur directè. Ergo attentio intrinſeca vel non præcipitur, vel præcipitur directè; ergo eodem modo præcipitur atque pronuntiatio; atqui non ſufficit pronuntiatio virtualis, ergo nec attentio. Ergo iſtam attentionem virtualem eliminare neceſſe eſt, & aſſerere formalem actu'lemque directè & neceſſariò requiri, vel nullam.

Legit has lineas doctiſſimus Dominus Antoninus Diana, & me admonuit per litteras, ſibi nimiùm rigidam ſententiam videri, imò & iniuriam ſanctiſſimis & ſapientiſſimis Viris, qui tenuerunt illam eamdem, quam arguo de improbabilitate. Reſpōdi optimo amico eſſe duas opiniones circa authoritatem Eccleſiæ, quarum altera docet poſſe ab illa actus purè internos indici, negat altera: vtramque probabilem, tum ob rationes graues, tum ob authores, quos ipſemet Diana collegit. Stando ſecundæ ſententiæ aſſerui eſſe improbabile quod aliqua attentio exigatur directè ab Eccleſia, hoc .n. ipſum deſtrueret hypotheſin. aſſerui ſecundò eſſe neceſſarium quod exigatur indirectè attentio illa quæ ſufficiat ad pronuntiandum; & tertiò nullam aliam probabiliter requiri poſſe. At ſtando primæ, dixi potuiſſe Eccleſiam internam attentionem præcipere directè, & tunc ita obligandos nos ad attentionem vt ad pronuntiationem. cum autem improbabile ſit ſufficere pronuntiationē virtualem, iudicaui etiam improbabile attentionem virtualem ſufficere. Addiunxi hæc mihi eſſe omnino clara, nec putare aliquem boni nominis authorē habere opinionem contrariam. Qui enim dicunt attentionē actualem aut virtualem ſufficere & alterutram requiri non loquuntur in altera ex noſtris hypotheſibus; nam prima ex præmiſſis aſſerebat legem Eccleſiæ poſſe exprimi his verbis, *Iubeo, vt legatis actu extrinſecè,*

ſecè, & attendatis actu intrinſecè, Secunda, iſtis, *Iubeo vt legatis actu extrinſecè, & attendatis actu ſimiliter extrinſecè*; at illorum opinio, cùm neutra lege componi & conſiſtere poteſt; vt enim eſſet vera, debuit Eccleſia hanc ſanctionem tuliſſe, nimirùm, *Iubeo actualem extrinſecam lectionem officij, & intrinſecam attentionem actualem aut virtualem.* & illam diſiunctionē *vel*, qui probabiliter ſuaderi queat, non video. quamobrem, ſi rationes ſpectem, manet illa opinio improbabilis: ſi authores, dico non eſſe euidens, cui nā ipſi hypotheſi inſtiterint, adeoq; nullos contra nos militare. quod ſi aliqui, ſalua illorum authoritate dicam nulla ratione forti adeò nec probabili illam virtualem ab ipſis attentionem protrudi; quòd ſi errare videar, doceat obſecro, quænam ſit illa fortis ratio, à qua attentio illa virtualis habet, quod probabiliter defendi poſſit multos enim hucuſque libros vidimus, ſed in illis nondum illam vidimus.

1373 *b* Sed his miſſis, ſto ſecundæ illi ſententiæ, illamque Concluſionibus nonnullis illuſtro.

Concluſio I. *Requirirur attētio extrinſeca*. Propterea dico, quòd ſi Petrus ludat alcis; ita vt non attendat ad ludum, ſed ad Deum, & interim recitet cum maxima deuotione, non ſatisfaciat præcepto & ſuę obligationi; quia in c. *Dolentes de celebrat. Miſſarum*, præcipitur, Officium Diuinū celebretur ſtudioſè pariter ac deuotè; ſed non præcipit Eccleſia deuotionem intrinſecam: ergo extrinſecam & actio illa Petri eſt extrinſeca diſtractio. Minorem ſequenti Concluſione probabo.

1374 Rogas: Vtrum qui deambulat, qui veſtitur, habeat attentionem extrinſecam. Reſpondeo effirmatiuè; quia tales actiones prudentium iudicio, experientiis probato, fiunt ex conſuetudine, & non requiruntur attentionem. Secùs verò, qui pingit flores ſerit, componit, & ſimilia.

Concluſio II. *intrinſeca attentio non poteſt directè præcipi ab Eccleſia.* Ratio eſt, quia nemo poteſt præcipere, quod non poteſt punire: non poteſt punire traſgreſſores, ſi non poſſit iudicare: nec iudicare poteſt, quod non poteſt cognoſcere. Atqui Eccleſia non poteſt cognoſcere actus internos, ergo nec poterit præcipere. Hinc ortum habuit illud axioma veriſſimum affirmans *de occultis Eccleſiam nulla ratione iudicare*. Vide *diſput*.4. vbi de legum authoritate in operationes internas diſputo. Hinc cōſtant, quod licèt aliquis voluntariè diſtraheretur, imò licèt cum obiecto peccaminoſo (puta, ſi moroſè delectaretur de re illicita) adimpleret præceptum & contra obligationem Diuini officij non peccaret mortaliter. *Contra hanc obligationem* dixi; quia ſi diſtractio illa aliàs eſſet peccaminoſa, ſuam etiam malitiam conſeruaret, non augeret. Ideò qui contemplans ideam amaſiæ officium recitat, peccat contra ſextum decalogi præceptum, & nullo modo cōtra Diuini Officij obligationē.

1375 Prætereà; apud omnes Oratio diuiditur in Vocalem, & Mentalem; atqui rationes differentiales non ſunt cōmunes, ergo Oratio Vocalis non requirit aliquam attentionem mentalem, quia aliàs à Mētali nullatenus diſtingueretur. Patet cōſequentia, quia mentalis oratio poteſt fieri omnino ſine voce: oratio autem quæ voce & mente componitur, non vocalis purè, ſed mixta eſt.

Nec ſufficit dicere, quod attentio interior indirectè præcipiatur; quia indirectè ſolùm poteſt exigi (nota hoc bene, nam à multis etiam doctis confunditur) quę eſt præcisè neceſſaria ratione operis exterioris, hoc eſt, ratione pronuntiationis, & quando eſt neceſſaria: ſed quando quis recitat cum ſocio, vel in choro, nulla ad pronuntiationem eſt præcipuè neceſſaria; ergo nulla nedum indirectè exigitur in tali caſu.

Probatur minor. Illa eſt præciſè neceſſaria, ſine qua pronuntiatio non poteſt poni; ergo quando ponitur pronuntiatio, certum eſt attentionem neceſſariam eſſe poſitam: atqui quando quis recitat cum ſocio, vel in choro, certum eſt eum omnia iuxta morem & conſuetudinem eſſe recitaturum: ergo non debet ponere particularem attentionem: cùm verò ſolus legit, ſatis eſt eam adhibeat, quæ ſufficiens vt omnia proferat, & adimpleat obligationem debitè proferendi.

1376 Dices illam authoritatem ex c. *Dolentes*, quam explicuimus de deuotione exteriori, intelligendam eſſe de interiori, & ita Gloſſa explicari. Reſpondeo, quod licèt per impoſſibile interna præciperetur, non teneremur obedire, quia Legiſlator excederet limites ſuæ iuriſdictionis. hæc enim, vt probauimus *diſp.*4. non extenditur ad interiora: ſed nullo modo Legiſlator, vt conſtat ex contextu, attentionem intrinſecam præcepit. Quod Gloſſa explicet de attentione interna nil refert; quia eſt exponenda de præciſè neceſſaria, quando eſt neceſſaria, vt paulò antè dixi; quod ſi Gloſſographus agat de alia attentione, dicimus non eſſe aſſequutum animam textus, nec litteræ rigorem explicaſſe. ipſe eſt vnicus author, & non impedit, quo minùs alij aliter gloſſare poſſint, & explicare.

1377 Addes: In eodem capite præcipitur verus actus Orationis: atqui externus ſine interno non eſt vera Oratio: ergo præcipitur internus.

Reſpondeo diſtinguendo Maiorem. Præcipitur verus actus orationis, externæ concedo, internæ nego. Atqui actus externus ſine interno non eſt vera Oratio, diſtinguo, mentalis? concedo; vocalis? nego. Ergo præcipitur internus. nego conſequentiam, ¶. Probas minorem. Oratio Eccleſiaſtica eſt collocutio cum Deo, ergo requiritur actum internum. Diſtinguo antecedens, Eſt collocutio interna, nego; externa, cócedo; ac proinde nego conſequentiã.

1378 Licèt hæ rationes ad probandam concluſionem ſufficiant, quia tamen non omnes comprehendunt rationum efficaciam, & pondus, placuit eamdem ſententiam authoritate roborare. Eam reperio apud Angelum *verb. Hor. num.*17. Antonin. 3.*p. tit.*13. *c.*4. §. 8. Aegidium Koninck *de ſacr. in* 3.*p.q.*83. *art.*6.*n.*291. Durandum *in* 4. *q.*15. 12. Dianam *tr. de Horis can. reſol.* 2. Henriquez *lib.*9. *cap.*25.*n.*5. Ioannem Valerum *in differentijs vtriuſq; fori verb. Horæ canon. diff.* 1. Layman. *in Theol. morali li.*4.*tract.*1.*c.*5.*n.*10. Medinam *codice de Orat. q.* 14. Paludanum *in* 4. *diſt.*15.*q.*5.*art.*2. *concl.*4. Victorellum *in ſumm. Toleti lib.*2. *cap.* 13. Quibus probabiliter ſubſcribit Baſæus *in Floribus pag.*353. *m. p.* vbi etiam me citat.

1379 Petes, quinam dicantur habere attentionem extrinſecam.

Reſpondeo eos, qui nihil extrinſecum faciunt, quod ſit incompatibile cum attentione. Qui inter recitandum Horas lauat manus, ſe veſtit aut exuit, deambulat, iter, agit, aut facit alia quæ ex conſuetudine ſolent fieri & non indigent attentione & aduertentia aliqua, dicitur habere attentionẽ extrinſecam.

Ita Sotus *lib.*10. *de iuſt. & iure. q.* 5. *art.*4. Lairuelz *in Opticæ Regul. ſpec.* 59. *inſtr.* 3. Qui verò pecunias aut alia numerat, confabulatur, ludit, vel aliquid extrinſecũ operatur quod ſine attentione præſtari non poſſit, aſſeritur eſſe diſtractus extrinſecè ac ideo nõ ſatisfacit.

1379 *b* Quid ſi careat attentione extrinſeca ex inaduertentia? Dico. probabile eſſe eum nec peccare, nec teneri repetere ſic lecta, ſed verum non eſſe. Probabile quidem, quia aſſeritur à Gregorio de Valent. 2.2. *diſp.*6.*q.*2. *punct.* 10. Nauarro *in Manual. cap.*25.*n.*197. & Lairuelz *in Opticæ ſpec.* 59. *inſtr.*5. Nõ eſſe verũ, quia eodẽ modo tenetur quis attendere extrinſecè, quo legere; atqui ſi-

ex.

ex inaduertentia lectionem omiſerit, tenetur legere omiſſa cùm primùm aduerterit; ergo ſi inculpabiliter & inuoluntariò fuerit diſtractus extrinſecè, tenebitur ea repetere quę legerit ſine attentione extrinſeca.

1379 *c* Dices Eccleſiaſtica lege duo iuberi; nempe, & lectionem & attentionem extrinſecam: ergo qui legerit ſine attentione extrinſeca, non tenebitur legere iterum quæ iam legerat, ſed tenebitur ponere attentionem illam quam omiſerat; puta, vel conſiderando mentaliter ſuas Horas, vel ſeruando decentiam extrinſecam tempore competenti.

Reſpondeo, non dari duas ſanctiones Eccleſiaſticas, quarum vna indicat lectionem, & altera attentionem extrinſecam; attentio enim & lectio cadunt ſub vnam & ipſiſſimam obligationem. Si præcepta eſſent diuerſa, ſufficeret ſeorſim lectionem & attentionem præſtare; debent autem ſimul coniungi; quia præcipitur oratio vocalis, non vt ſic, ſed quà attenta & deuota: & ideò eſſentialiter attentio requiritur, vt huic obligationi ſatisfiat. Poteſt id exemplo phyſico confirmari. Cùm parietem album intueris, reſpicis parietē *vt quod*, albedinem *vt quo*; ſublato colore nec *vt quod*, nec *vt quo* paries reſpici poteſt. Similiter, oratio vocalis *vt quod* & deuotio externa *vt quo* ſatisfaciunt præcepto. Sublata deuotione extrinſeca remanet oratio, quæ nec *vt quod* nec *vt quo* ſatisfacit; quoniam quà indeuota non præcipitur, & quà non præcepta pręcepto ſatisfacere non poteſt.

1379 *d* Lairuel *in Opticæ Reg. ſpeculo* 57. *inſtr.* 8. aſſerit præſtare ſilere quàm indeuotè & ſine reuerentia recitare. Sed indiget expoſitione. Præſtat tacere, quàm legere cum irreuerentia; meliùs tamen eſt legere ſine reuerentià quàm omnino non legere: ſæpe autem quis legit ſine reuerentia quin cum irreuerentia legat.

1379 *e* Hæc doctrina præcepto de audienda Miſſa etiam debet applicari, quia dummodo quis habeat attentionem extrinſecam, hoc eſt, non fabuletur, non rideat, huic præcepto ſatis faciet. Ita Aegidius *num.297. vbi ſuprà.* Laymanus *vbi ſuprà tract.7. cap.3. n.2.* & omnes conſequenter debent eodem modo de Miſſa, ac de Horis Canonicis philoſophari.

1379 *f* Rogas. An Petrus, qui conſtitutus in latere altaris, aut retro illud, aut certè tergus eidem obuertens, recitat aliquas orationes dum ſacrum audit, ſatisfaciat nec ne? Reſpondeo, non eſſe difficultatem in recitatione, quia hæc non impedit deuotionem extrinſecam, ſed difficultas ſolùm eſt in ſitu, & loco. Ideò dico, quòd in Hiſpania, vbi omnes ſacrum audituri ſemper ſunt ante altare, is qui tali modo, & tali in loco eſſet, iudicaretur non audire Miſſam; in Belgio verò, & Gallia, cōſuetudo contraria præualet, cumque ibidem in vſu ſit tali loco & ſitu audire Miſſam, talis iuxta mores Belgii habebit præſentiam moralem; ideoque quod condemnarem in Hiſpano, non auderem condemnare in Belgio: quia præſentia moralis pendet ex vſu Patriæ, prudentumque æſtimatione.

1379 *g* Nec prætermittendùm quod aliqui, licèt concedant attentionem extrinſecam ad ſatisfaciendum Eccleſiaſtico præcepto ſufficere, aſſerant nihilominus inſufficientem eam eſſe ad meritum. Verùm hæc aſſertio planè improbabilis eſt, cum includat contradictionem euidentem; quicumque enim qui conſtitutus in gratia legi morali ſatisfacit, citra controuerſiam meretur; atqui ille, qui cum ſola attentione extrinſeca legit Horas ſatisfacit ex illorum & mea ſententia præcepto morali de legendo officio: ergo citra controuerſiam meretur ſi in gratia ſit conſtitutus.

ARTICVLVS II.

De Pronuntiatione.

1380 Diximus pronũtiationem ſolam ſufficere ad ſatisfactionem præcepti; iam inquirendum qualis eſſe debeat iſta pronuntiatio.

Reſpondeo ſufficere, quod is qui Horas recitat, eas voce, & ore proferat, ſiue à ſe ipſo, aut ab alio audiatur, ſiue non. Ratio eſt, quia non eſt præceptum de auditione ſed de prolatione; ergò ſi prolatio ponatur ſecluſa auditione, nihil fit contra præceptum. Quid opus eſt multiplicare obligationes non præceptas, cùm ſit ſatis difficile ſatisfacere præceptis? Agamus igitur quod lex iubet, & quãdo non præcepta omittimus, non credamus nos in peccatum labi; ideoque cùm lex Eccleſiaſtica ſolam lectionem Horarum, & non auditionem præcipiat, non eſt aſſerendum eam ad ſatisfaciendum requiri. Hæc eſt ſententia Azorij *parte* 1. *lib.* 10. *cap.* 11. *quæſt.* 4. quam etiam probabilem putat Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 3. *numer.* 117.

1381 Dices. Quando aliquis recitat ſolus, neceſſarium eſt vt ſeipſum poſsit audire, quia vox debet eſſe audibilis: ergo ſaltem ab ipſo orante. Ita Suarez.

Reſpondeo. Contrariæ opinionis aſſertores ſecunda cõſequentia cogi nobiſcum ſentire: non negamus requiri in recitatione vocem, imò eam vnicè neceſſariam aſſerimus: ſed quæcumq; vox eſt audibilis, licèt de facto non audiatur; nam in hoc quod eſt *audire de facto*, non conſiſtit vocis eſsentia; dummodo ſit vox, qualiſcumque illa ſit, eſt audibilis & ſufficiens vt obligationi ſatisfaciat. Quod vox de facto audiatur vel non, eſt per accidens; vel ex impedimento medij, vel ex læſione ſenſus; & hoc non cadit ſub præceptum.

1382 *b* Rogas, quid requiratur vt ſit vox. Reſpondeo, linguam & labia moueri; anhelitus enim neceſsariò ſequitur. Ratio eſt, quia vox nihil aliud eſt quam reſpiratio fracta certo modo per labia, & linguam; atqui non poſsũt labia, & lingua moueri, quin frangatur reſpiratio; ergo nec moueri poterũt, quin ſit vox. Quomodocumque igitur articulent, eſt vox, ergo & pronuntiatio audibilis, ac proinde præcepto ſatisfaciens.

1382 Ex argumento Suarij conſtat illum nobiſcum ſentire *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *cap.* 7. *num.* 6. Hancque quæſtionem non eſse moralem, ſed merè phycam, vnicè quærentem, in quo conſiſtat vox, quia ſi re verâ hæc datur, eſt neceſsarium quod ſit audibilis, non ſolùm à recitante, ſed & à quibuſcumque: & ſi de facto non audiatur, id ex diſtantia aut alio impedimento prouenit, & ideò in communi opinione ſi audibilis eſt, ſatisfacit præcepto: in mea, & authorum quos citaui, omnis vox eſt audibilis. Citat me & ſequitur P. Baſæus in ſuorum Florum *pag.* 353. *c.* ſed videnda ſunt etiã priuilegia, quia poſſumus horas meditari ſine vocis concurſu, vt proprio loco declarabo.

ARTICVLVS III.

De integritate Pronuntiationis, quoad ſyllabas, & dictionis.

1383 Egimus de pronũtiationis eſſentia, quæ vnicè præcipitur; & ſi hæc vnicè cum extrinſeca reuerentia ponatur, nullum erit peccatum veniale; ſi integraliter non ponatur, peccatum erit iuxta quantitatem omiſsæ prolationis. Cùm autem hæc omiſſio multifariàm poſſit accidere, multifariàm venit examinanda.

I. Concluſio. *Qui ita profert officium, vt ſolet communiter quando loquitur, licèt ſyncopas faciat, & abſcindat ſyllabas non peccat venialiter.*

Proba-

Probatur. Quia qui ex natura ſua eſt blæſus,vel minùs in pronuntiatione expeditus, non poteſt obligari ad impoſſibile, ſed ad lectionem humano modo & moraliter poſſibili faciendam.

II. Concluſio. *Qui cum notabili abſciſſione ſyllabarum ita profert verba, vt tamen retineant ſuam ſignificationem, adimpleuit præceptum quoad ſubſtantiam, & ſolùm peccauit in aliquo accidenti, ac ideo vt plurimùm venialiter.*

III. Concluſio. *Quòd ſi tali ſyllabarum abſciſſione notabiliter ſenſus verborum inuertatur, illa verba iudicanda ſunt quaſi non pronuntiata.* Ratio eſt; quia ſignificatio eſt forma orationis vocalis,& pronuntiatio materia: atqui illæ voces habebunt ſemimateriam, aliam vel nullam formam: ergo continget mutatio in alia re ſubſtantiali; vnde iuſta quantitatem abſciſſarum dictionum debebit ille iudicari.

1384 Dixi, Verba malè prolata, ſi ſignificatio non remaneat, eſſe quaſi non pronuntiata; non verò,eſſe moraliter non pronuntiata, vt perperàm aſſeruerunt alij quia maius peccatum committit, qui omittit officium,quàm qui notabiliter ſyllabas abſcindendo recitat: ergo dicendum non eſt officium diuinum moraliter à tali non eſſe lectum, ſed eſſe quaſi non lectum, hoc eſt, defectuosè recitatum, ideoque teneri illud repetere.

1385 Sed inſtabis hinc inferendo: Ergo qui notabiliter abſcindendo ſoluit penſum ſuum, licet integrum penſum non ſoluerit, aliquid ſoluit; ſi .n. aliquid non ſoluiſſet,æquales eſſet peccatum omittentis, & malè recitantis; atqui quod ſemel eſt ſolutum, non debet iterum ſolui: ergo talis non tenebitur ad repetitionem totius officij Diuini, ſed ad repetitionem partis. Ad cuius ergo?

Reſpondeo, eſſe cõſultiùs omnia repetere; nam repetere præcisè omiſſa eſſet impoſſibile, cùm ſæpè ſint conſonantes ſine vocalibus,& ij repetitus adhuc non reperitur ſignificatio quæ defuerat, quæ tamen neceſſaria eſt; per accidens itaque tenebitur omnia repetere, quia in ſemiuocibus omiſſis non poteſt conſiſtere ſignificatio.

1386 Exemplo familiari difficultas hæc euadet clarior. Iniungitur Petro ſternere lectum pro ægroto, qui vt iuſſa adimpleat, componit puluinaria, coopertoria ſuperponit, ſed obliuiſcitur ſindonum: debet eas addere, nam aliàs lectus non erit compoſitus: ſed quomodo id faciet? ſuperponet? minimè; quia locus ille ſindonibus non cõuenit. quid ergo? interponat ſi potuerit, & ſufficiet; quod ſi nequiuerit interijcere, iterum à principio lectum componat. ¶ Similiter, ſemiuerba pronuntiaſti? interpone complementa, ſi poſſis,& ſufficit; verùm cùm oratio ſit ens ſucceſſiuum, & iam illæ partes euanuerint, nulla vi humana poterunt illis complementa adiungi, & ideò neceſſarium erit iterum relegere: quòd ſi ad præteritum habeas potentiam, & poſſis omiſſa adiungere ſemiprolatis, ſufficiet: ſed hæc potentia in communi ſententia nulli, in mea Deo conceditur, prætereà nemini.

IV. Concluſio. *Si abſcindens ſyllabas ſatisfaciat, etiam qui cum eo recitat ſatisfacit.* Poſt quiſquiam abſorbere ſyllabas ſine peccato, aut cum veniali iuxta primam,atq; ſecundam concluſionem; & in hoc caſu aſſero ipſius ſocium ſimiliter dijudicandum eſſe.

Sequor in his omnibus præuiam rationem & æquitatem; aſſeclas habeo Filliucium *tom.2.tract.23.cap.7.num.242.* Azorium *p.1.lib.10.cap.4.q.11.* Villalobos *in ſumm.to.1.tract.24.dub.10. num.7.* & alios.

V. Concluſio. *Nemo tenetur auſcultare ſocium, ſed ſui quiſque verſus correcte legere, & non incipere antequam alter defierit.* Ratio eſt manifeſta.

ta. Nullum eſt præceptum de auſcultatione; atqui vbi non eſt lex, nulla eſt obligatio: ergo nemo tenetur auſcultare ſocium, ſed ſolùm expectare. Quòd ſi non expectet, peccabit mortaliter, aut venialiter iuxta materiæ quantitatem. Hoc vltimum (nimirum quod debeat expectare) placet omnibus, & præcipuè Baſæo, qui in ſuorum Florum pag.352. f hunc locum adlegat & adprobat.

DISPVTATIO CIX.

De mutatione Officij.

1387 Quæritur, an liceat officium mutare, id eſt, vtrùm quando legi debet officium de Dominica, poſſit aliquis legere de Sancto, Feria, aut è conuerſo.

Reſpondeo *quod licèt quiſpiam debita opera quærat officium totius Breuiarij breuiſſimum, & ſemper illud recitet; illum adimplere præceptũ quoad ſubſtantiam, & deficere quoad modum, ac proinde peccare venialiter, non mortaliter.*

1388 Ita docent expreſsè Azorius *p. 1. l. 10. cap. 10. q. 2.* Armilla *verbo Hora can. n. 7.* Binsfeldius *in Enchir. Theol. p. 4. c. 9. concluſ. 7.* Caietanus *verbo Hora cap. 2.* Filliucius *tom. 2. tract. 23. cap. 7. nu. 227.* Laymanus *lib. 4. tract. 1. c. 5. n. 4.* Leſſius *de iuſt. l. 2. cap. 37. dub. 12. n. 77.* Medina *de oratione q. 10. d. 10.* Medina *in ſumma lib. 1. cap. 14. §. 11.* Rodriguez *in ſumm. tom. 3. c. 195. num. 3.* Seruatius de Lairuelz *in optica ſpeculo 59. pag. 214. inſtruct. 12.* Syluester *verb. Horæ nu. 15.* Sotus *libr. 1. q. 5. n. 4.* Valentia *tom. 3. diſp. 6. q. 2. punct. 10.* Vega *in ſum. tom. 1. cap. 528. caſ. 17.* Zerola *in praxi Episc. p. 1. verb. Hora n. 6.* & alij. Hanc opinionem ſaltem probabilem (contrariam probabiliorem iudicat) aſſerit P. Baſæus *in ſuorum florum pag. 351. g.* vbi me citat & iſtum Commentarij locum.

Omnes iſti Authores indefinitè loquuntur, at Antoninus Diana ſemel Reſurrectionis officium excipit, cùm priùs etiam vniuerſaliter fuiſſet loquutus. An conſequenter; an rationabiliter, tu videris. Interim Epiſtolas meas morales & inter ipſas, quæ de hac materia ſcriptæ, legas.

Probatur: nam de ſubſtantia præcepti tantùm eſt quòd horæ perſoluantur, quod autem ſint de Sancto vel de Feria ſolùm pertinet ad Breuiarij rubricas, & officij modum accidentalem: ergo qui omnes Horas legit, cuiuſcunque officii illæ ſint, implet præceptum, quoad ſubſtantiam, & ſi mutet officium, ſolùm eſt differentia quoad modum, ac proinde peccatum veniale.

Rogas: vtrùm ſi id aliquis faciat non vt breuiùs recitet, ſed propter deuotionem, ſit ab hoc veniali peccato liber, ita vt in mutatione officii neque venialiter delinquat.

Reſpondeo negatiuè, quia nulla laudabilis deuotio, imò nulla deuotio contra obedientiam, & mutatio officii, licèt venialis, obedientiæ præuaricatio eſt. Hæc reſolutio eſt contra citatum Lairuelz, qui aſſerit mutare officium ex deuotione non eſſe peccatum veniale, cui ne ſubſcribas.

1389 Mutatio officij fiet ſine peccato apud DD. Benedictinos, ſi cum licentia Abbatis; quoniam Breuiarij Benedictini rubricæ, ſicut & aliæ monaſticæ conſtitutiones, non à Generali Capitulo, non ab Abbate Ciſtercienſi,

ſed

ſed ab Ordinario & immediato Antiſtite dependent. Fallet hęc regula vbi Abbas perdiderit illam authoritatem quam conceſſerat Regula.

Si Capitulum iuſtè & validè præcipiat alicui Abbate ne in Monaſterio ſuo rubricas Breuiarij alteret, & ipſe nihilominus eas mutet, peccabit venialiter; quia in re leui temerat legem, quæ ſupponitur iuſta; cæterùm Monachi omnes illius Monaſterij tenebuntur legere non iuxta Breuiarij Rubricas, ſed iuxta diſpoſitionem proprij Abbatis. Ratio eſt, quia licèt in tali caſu Rubricas Abbas illicitè alterat tamen validè, & Religioſi illius monaſterij non ſunt Domino Ciſtertienſi aut Generalibus Comitijs immediatè ſubditi, ſed Ordinario Abbati, & is ratione officij poteſt validè rubricas alterare.

1390 Conſultò dixi, *Si Capitulum iuſtè & validè præcipiat*; multi enim prudenter dubitant, vtrùm tale præceptum iuſtè & validè poſſit imponi; Generale enim Capitulum hucuſque apud nos vix habet immediatam aliquam authoritatem; & quilibet Abbas eſt ſui cœnobij Prelatus immediatè abſolutus, & eius Religioſi pendent à Generali Capitulo tantùm mediatè, hoc eſt, mediante ſuo Ordinario, & Ordinarij ſui Patre, & fortè multis alijs.

1390 *b* Quod ſi Generale Capitulum non ſolum habeat ab Eccleſia authoritatem inhibendi Abbatibus ne rubricas communes alterent, ſed etiam priuandi eos poteſtate alterandi, dicendum eſt Abbatem ab eo tali poteſtate priuatum inualidè rubricas mutare aut alterare.

Abbas cuius authoritas quoad hoc limitata non eſt, cùm priuatim recitat, poteſt ſibi Rubricas determinare. Patet; ſicut enim poteſt alijs Breuiarii diſpoſitionem indicere, ita & ſibi, quia & ipſe eſt pars Communitatis.

1391 Non poteſt cenſeri alterare officij Diuini circumſtantias ſine licentia implicita qui alterat ex cauſa ſaltem rationabili & mediocri; puta, ſi iter agẽs legat officium quod ſcit memoriter, pro alio quod non nouit memoriter, aut etiam ſi ſtudioſus, Lector, Concionator Oeconomus, & alij qui magnas habent occupationes, legat officium breuius pro longiori, vt meliùs obligationibus alijs ſatisfaciant.

1391 *b* Cauſa mediocris etiam excuſat Religioſos alios non Benedictinos, quia licèt Superiorem ſuorum licentia non ſit ſufficiens vt Breuiarij Rubricas ſine veniali culpa alterent, ſufficiens tamen eſt cauſa mediocris. Quoniam ſicut cauſa grauis (talis eſt morbus, aut ſumma occupatio nata ex obligatione naturali, quæ ſemper eſt maior poſitiua, &c.) efficit, vt poſſis ſine veniali culpa Diuinum officium quoad ſubſtantiam omittere; ſic ſimiliter cauſa mediocriter grauis (hanc vocant non vrgentem ſed rationabilem) efficiet vt ſine peccato veniali poſſis omittere aliquid quod in Diuino officio eſt leue, vel in quantitate, verbi gratia, vnum aut alterum Pſalmum: vel in qualitate, vt ordinem aut diſpoſitionem Rubricarum.

Vtrùm Benedictinus recitans Officium Romanum ſatisfaciat.

1391 *c* In primis Certum eſt, apud DD. Benedictinos ſine autoritate Conuentualis Capituli (quidquid ſit de alijs Religionibus) non poſſe in choro legi horas diuinas iuxta formam, diſpoſitionemque Romanam, ſed difficultas in eo verſari videtur, An cum conuentualis Capituli licentia poſſint? Poſſe certum eſt, niſi poteſtas regularis lege valida ſuprema fuerit limitata. Vnde in ſingulis Congregationibus lege Superiorum Antiſtitum examnandæ ſunt, & in ipſis quid de hac materia reſoluatur.

1392 Extra Chorũ ſine peccato graui

ui poſse omnes vti Breuiario Romano docuerunt Portelius *in dubijs reg. verb, Horæ can. num.* 9. Rodriguez *in ſumm. tom.* 3. *c.* 195. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 12. *numer.* 74. Emanuel Sà *verb. Horæ num.* 6. & poſt eos Diana *ibid. reſol.* 10. Sed hi authores aſserunt id non poſse fieri citra culpam leuem.

Nihilominus adſerendum iudico *Dominos Benedictinos ſine culpa leui poſſe vti Breuiario Romano, imò ſæpiuſculè melius recitare, quando ſequuntur formam Pij V. quàm dum ſancti Benedicti diſpoſitionem.*

Ratio eſt, quia vel ſunt promoti ad Subdiaconatum, vel non: ſi non, neceſſarium eſt inquirere vtrùm teneantur ad officium diuinum priuatim recitandum (*vide Art.* 3.) Si non tenentur ad lectionem priuatam, quocumque Breuiario vtantur æquè facient ſuprà debitum. Si verò ad priuatam recitationem teneantur; ſub peccato mortali teneri neceſsarium eſt, non ſub veniali; & vt ſic, meliùs adimplebunt obligationem ſuam recitando Ciſtercienſe officium, quàm Romanum, atque ideò legentes Romanum, iuxta opinionem probabilem peccabunt venialiter, quia illa eſt quędam mutatio accidentalis, nec quidpiam contrarij ſtatuit Pius V. Quod ſi tacitè videtur ille Pontifex ſingulis extra chorum concedere vſum Breuiarij, vt putat Diana *de Hor. can. reſolut.* 10. & alij à me conſulti in hac difficultate, non improbabiliter dici poſset, nec peccare venialiter; quia id cum licentia tacita poſset fieri ſine vllo peccato.

1393 Si loquamur de promotis ad Ordines maiores, Subdiaconis, videlicet, Diaconis, & Sacerdotibus: affirmo hos meliùs ſatisfacere legentes Officium in Breuiario Romano, quàm Benedictino. Probatur. Tales duplici titulo tenentur ad lectionem Officij, titulo Monachiſmi ad Benedictinum, titulo Sacerdotij ad Romanum. Sufficit alterutri titulo ſatiſfacere per ſe, vt alteri ſatisfiat per accidens; nullus enim tenetur duo Officia Diuina recitare. Vlteriùs. Ergo Benedictinus in ſacris conſtitutus tunc meliùs ſatisfaciet, quando per ſe maiori & per accidēs minori obligationi faciet ſatis: ergo quando leget Officium Romanum. Probatur cōſequentia: quia obligatio moralis orta ex profeſsione ad Horas priuatim legendas vel eſt nulla, vel ſi eſt aliqua, ſolùm à piis aſserta, & nuſquam veriſimili ratione confirmata, & vt plurimùm dubia: de obligatione ad Officium Diuinum ex Sacerdotio (idem ſemper dico de Subdiaconatu, aut Diaconatu) nullus in præſentiarum ambigit; ergo hæc obligatio eſt certior, euidentior, & maior.

Sed dicet aliquis; licèt quis ob Sacerdotium Romanū per ſe teneatur ad officium Romanum, ob Sacerdotium tamen Benedictinum tenebitur primariò & per ſe ad officium iuxta rubricas Benedictinas. ¶ Hanc Sacerdotij diſtinctionem non intelligo, nec cognoſco Benedictinos Sacerdotes diſtinctos à Romanis: quia Sacerdoti æquè accidētalis eſt Monachiſmus, ac corpori hic locus. Et proinde obligationes Sacerdotij non veniunt ex Monachiſmo diffiniendæ, cùm Sacerdotium ſit omnino diſtinctum à Monachatu: & vbicumq; is reperitur infert obligationes ſuas independēter à Sacerdotio; & e conuerſo.

Nota hic obiter Benedictinos Caſſinenſes in triduo ante paſcha dicere officium ſecundum curiam Romanam, prout ipſe habent in ſuis conſtitutionibus ad Cap. XIII. Regulę S. Benedicti.

Vtrùm liceat vti Breuiario alterius Religionis.

1394 Religiones aliquot Breuiarijs vtuntur peculiaribus, quæ forma & rubricis plurimùm differunt. Inquiritur, exempli gratia, An poſſit Carmelitanus vti Breuiario Ciſtercienſi ſine culpa.

Re-

Reſpondeo Carmelitano iniunctam eſſe lectionem Officij Canonici Carmelitani. Hoc præceptum reſpicit officium Diuinum tanquam obiectum eſſentiale, *Carmelitani* verò circumſtantiam, vt modum appendicem. Ergo dicendũ eſt illum ſatisfeciſſe quoad præcepti ſubſtantiam, non verò quoad modum, ac propterea non peccaſſe mortaliter ſed venialiter. Confirmant hanc reſolutionem ea quę ſæpè attigimus, præcipuè *num.* 1387.

Vtrùm Ciſtertienſes, cæleſtini, & reliqui vti Breuiario Monaſtico poſſint, aut debeant.

1395 Anno 1612. prodijt Breuiarium Monaſticum Pauli V. Pont. Max. authoritate recognitum, pro omnibus ſub Regula ſanctiſſimi Patris Benedictini militantibus. Petitur vtrùm non ſolùm Monaſteria, ſed etiam perſonæ ſingulæ vti poſſint hoc Breuiario.

Reſpondeo affirmatiuè. Demonſtro ex Pauli V. diplomate impreſſo in limine Breuiarij. Ibi paulò antè finem. *Cæterum vt prædicti Religioſi ad Breuiarium & Libros Chorales, vt præfertur, reformatos vnanimiter recipiendo eò alacriùs inducantur, quò ſpiritualibus etiam donis ſe magis refectos eſſe compererint, etiã prouidere volentes: Omnibus & ſingulis prædictis Religioſis, vt Breuiarium huiuſmodi ſic reformatum recitando, eadẽ priuilegia, gratias, & indulgentias, ac peccatorum remiſſiones conſequantur, quæ fel. record. Pius Papa V. prædeceſſor noſter recitantibus Breuiarium Romanũ conceſſit authoritate & tenore prædictis indulgemus.* Ecce omnibus & ſingulis hoc Breuiarium conceditur: poteſt igitur eo vti quilibet in officio priuato. Hoc vtebatur Salmanticæ noſter Reuerendiſſimus P.M.D. Ludouicus Bernardo de Quiros Ciſtercienſium Vicarius Generalis, & in facultate Scripturaria Primarius Cathedraticus, alij item Viri docti & pij: ergo ſcrupulo culpæ venialis nullus locus.

Monaſtico Breuiario omnes & ſinguli Benedictini poſſunt vti, nulli tenẽtur; quia, vt liquet ex tenore diplomatis, Paulus V. nõ iubet, ſed indulget; fauor autẽ fieri nequit recuſanti & inuito.

1396 Dices: hoc Breuiarium Summus Pontif. non indulſit, ſed indixit; & probas ex Epiſtola Abbatum & Generaliũ Præſidentium eidem præfixa, quæ incipit. *Cùm primùm accepimus per Procuratores Generales totius noſtri Ordinis Romæ, de Sanctiſſimi Domini noſtri mandato effectum eſſe, vt omniũ Congregationum, quæ ſub Regula Sanctiſſimi P. N. Benedicti Deo famulantur, vnicus ſit Deum in Canonico Officio laudandi modus.* Ecce inquies, *de mandato* dicunt: ergo Summus Pontifex mandauerat.

Certè ſi Abbates illi vſum Monaſtici Breuiarij exiſtimant indictum à Paulo diplomate citato, aut illud non legerunt, aut certè non intellexerunt: aliam fortè habuerunt inſtructionem ſecretam, de qua certiores reddi vniuerſos non foret inutile.

Suppoſito nihilominus, quod Paulus V. indixiſſet nobis hoc Breuiarium, adhuc non teneremur eo vti. Ratio eſt, quia Pontificiæ leges non obligant quando nõ acceptantur. *Probaui n.*48.

Sed quid de illis dicendum, qui illud acceptauerunt; tenenturnè ſemper eo vti? poteruntnè de ſuorum Antiſtitum licentia rubricas alterare? *Reſpondeo* affirmatiuè. Quia, vt conſtat ex eadem Abbatum & Præſidum Generaliũ Epiſtola, ſi quid Paulus iubeat, iubet *ſalua Regula Sanctiſſimi noſtri Inſtitutoris.* Atqui Regula concedit omnibus Prælatis poſſe mutare rubricas, *oſtẽdi num.* 1298. ergo etiam admiſſo Monaſtico poterit Abbas Pſalmos, Cantica, lectiones, &c. iuxta præſcriptum Regulæ inuertere, alterare mutare. Pater, quia ſi

hoc

hoc non poſſet Antiſtes non remaneret ſalua & illæſa Regula noſtri Legislatoris, quam vult illæſam Pontifex ſeruari.

1397 Breuiario Monaſtico eædem gratiæ, quæ Romano, conceſſæ ſunt. Ideò etiam ex hypotheſi, quòd particulares teneantur Officia parua recitare, ſi Monaſtico Breuiario vtantur, erunt immunes ab hac obligatione. Qui verò ex deuotione leget officia parua, lucrabitur centum dies indulgentiæ: qui ſeptem Pſalmos, quinquaginta.

An Præmonſtratenſes poſſint vti Breuiario alieno ſine culpa mortali.

1398 Dominos Præmonſtratenſes non poſſe vti alieno Breuiario ſine morali culpa, probant aliqui ex Decreto D. Petri Goſſetij Abbatis Generalis (exſtat in Epiſtola, quæ data fuit anno 1621. & præfigitur initio Breuiarij) vbi reperio hæc verba. *Decernentes ex tunc prout nunc eos qui officium Diuinum quotidie recitandi præcepto ſeu iure ſeu conſuetudine ſeu alio quouis modo in ordine tenentur, huiuſmodi dumtaxat Breuiarij vſu & obſeruatione ſatisfacere poſſe.* Ex quibus verbis argumentatur ſic. Qui tenentur legere Officium Diuinum apud Præmonſtratenſes, ſi vtantur alio Breuiario, non ſatisfaciunt, vt conſtat ex Decreti verbis: ergo peccant mortaliter. Patet, quia mortale peccatum eſt, non ſatisfacere obligationi recitandi.

Sed non obſtante hoc D. Goſſetij decreto aſſero *primò* Præmonſtratenſes ad ordines maiores prouectos poſſe ſine culpa veniali vti Breuiario Romano in priuata lectione: iuxta ea quæ dixi in huius Articuli initio.

Addo *ſecundò*; eos qui in dicto ordine tenentur moraliter Canonicas Horas recitare, non poſſe vti Breuiario alterius Religionis ſine culpa veniali; quia licèt quoad ſubſtantiam ſatisfaciant præcepto, ei tamen quoad modum ſatisfacere non poſſunt ſine Præmonſtratenſis Breuiarii vſu & obſeruatione, vt optimè decreuit citatus Præmonſtratenſium Generalis.

Hinc patet DD. Præmonſtratenſes eodem modo teneri vt ſuo Breuiario, atque alios Religioſos, & Decretum Abbatis Generalis allegatum nullas obligationes nouas addidiſſe.

DISPVTATIO CX.

An mutatio vnius Officij Diuini in aliud, ſit peccatum veniali indiuiſibile in genere moris.

1399 Indiuiſibile in genere moris illud eſt, quod moraliter non poteſt diuidi videlicet, quod ita paruũ eſt, vt minus eſſe non poſſit. Res omnes magnitudinis terminos habent; ignis ille indiuiſibilis eſt, quo non poteſt eſſe minor, quamuis actuet materiam diuiſibilem; ſimiliter peccatum illud eſt moraliter diuiſibile, cuius pars etiã eſt peccaminoſa: illud autẽ indiuiſibile, cuius pars nõ eſt peccaminoſa, vel quòd partes phyſicas non habeat, vel ſaltẽ quòd non habeat morales. Canonicum officium in octo partes immediatè diuiditur: in ſexaginta quatuor mediatè. Sexageſima-quarta pars, eſt materialiter & phyſicè diuidua, moraliter diuidi non poteſt; quia omiſſio partis minoris ſexageſima-quarta non eſt peccatum veniale. Probo cùm ago de materia nulla,

nulla *num.* 47.*pag.* 22.*num.* 954.1055. & 1463.ergo ſexageſima-quarta officij pars eſt moraliter indiuiſibilis.

Suppoſita hac doctrina quæris, An mutatio Diuini offici (puta, ſi die feriali de Sancto legas aut è conuerſo) ſit culpa indiuiſibilis, an diuiſibilis, hoc eſt, An ſit ita leuis, vt ſtante aliàs deliberatione & indifferentia æquali, non poſſit in genere officij Diuini dari minor. Conſultò in genere offici Diuini inquiro, non etiam materias alias vacat examinare.

Prima ſententia.

1400 Aſſerunt aliqui eſſe culpam diuiſibilem, & probant.

Primò. Quia in mutatione officij datur magis & minus; ergo non eſt culpa malitiæ indiuiſibilis. Patet conſequentia; quia indiuiſibili magis & minus nequeunt reperiri. Antecedens probatur. Maior mutatio eſt vnius Dominicæ in feriam ſecundam, quàm eiuſdem in aliam Dominicam; maior item, vnius officij proprii in feriale, quàm in commune: ergo datur magis & minus.

Confirmatur, vel potiùs iterum probatur antecedens. Plus mutat, qui in Dominica legit totum officium de feria, quàm qui mediam partem de feria & reliquum de Dominica legit; puta, ſi Horas antemeridianas legat de feria, promeridianas verò de Dominica.

Sententia vera.

1401 Mutatio Officij eſt culpa moraliter indiuiſibilis, nec recipit magis & minus: nulla enim datur mutatio maior altera. Hæc opinio poterit hoc argumento perſuaderi. Huius leui peccati ratio non conſiſtit in eo, quòd officium illud, quod ea die à leuiter propterea peccante ſupponitur recitari, ſit alteri diſſimile, quod eam die licèt legere: ſed in hoc, quòd legatur officium, quod debet illa die non legi; vnde ſi ſtante officij diuerſitate tolleretur hoc, *debere illa die non legi*, nullum eſſet peccatum. Dabo exemplum. Quædam Sanctorum officia permiſſa ſunt in Breuiario, non tamen indicta. Aliqua igitur die, qua ſimilia Sanctorum officia permittuntur, legendum ſit, verbi gratia, officium de feria: quod ſi hinc inferas, ergo quodcumque eſt diſsimile illi feriali officio, eſt illicitum; negabo conſequentiam, & dabo inſtantiam ex illo officio de Sancto, quod ea die ſupponitur in Breuiario permitt. Patet itaque *eſſe illicitum* in hoc caſu non naſci ex officiorum diſſimilitudine, ſed ex eo, quod officium non ſit determinatum in Rubricas pro tali die. Vnde ſi aliquod officium de Sancto pro illa etiam die permittitur, poteſt legi, quamuis plurimùm differat ab officio feriali. Ex his vlteriùs ad propoſitum; ergo ille peccabit grauiùs, qui pro officio huius die legit officium magis illicitum, nō verò qui magis differens. Atqui non datur vnum officium ſtrictiùs interdictum alio: ergo nec magis illicitum. Patet conſequentia; quia eſſe interdictum & eſſe illicitū (vt iam diximus) ex eo naſcitur, quòd licet officium ſit verè Diuinum, non eſt tamen illi diei aſſignatum, & hoc æquè conuenit omnibus officiis, in quæ poteſt fieri mutatio.

Contrariæ ſententiæ fundamentis occurrit.

1402 Nego itaque primum antecedens, & Probationis aſſumptum; non enim, ſi moraliter loqui velimus, maior mutatio eſt officij Dominicalis, in feriale, quam in aliud Dominicale; quia, vt diximus, mutatio moralis, ſiue mutationis culpa non cōſiſtit in hoc, quod die Dominica, v. g. legatur officium, quod à Dominicali officio differt; ſed in eo, quòd legatur officium, quod non conceditur pro die Dominica: quod ſi aliud etiam officium concedere-

cederetur, adhuc manent differẽtia omnimoda, poſſet alterutrum legi.

1403 Confirmatio tangit difficultatem nouam, & certè ſatis ancipitem. Qui ſentiunt dari octo præcepta de officio Diuino, & omiſſionem eiuſdem non vnum, ſed octo eſſe peccata mortalia: conſequenter dicere debent eum, qui legit Horas aliquas de Dominica, & reliquas de Sancto: non peccaſſe mortaliter, quia ſingulis præceptis ſatiſfecit quoad ſubſtantiam tot autem peccata venialia commiſiſſe, quot Horas mutauit, & legit contra Rubricas. Ego verò oppoſitis fundamentis innitor, ideoque exiſtimo illum peccaſſe mortaliter, (ſaltem materialiter) quia non legit Officium Diuinum, ſed duo ſemiofficia, quæ non poſſunt ita connecti, vt vnum Officium Diuinum conſtituant; quia ex aliquot Horis de Dominica & aliis de feria, ſi coniungantur, non exurget officium Diuinum approbatum à Sede Apoſtolica.

DISPVTATIO CXI.

Vtilis & Curioſa Difficultas.

1404 PEtrus qui legere tenebatur officium Diuinum Ciſtertienſe feriale certa hora, vſus Breuiario Premonſtratenſi legit de D. Bernardo vt in Communi Confeſſorum, & quidem horis indebitis cum interruptionibus ad peccatum veniale ſufficientibus, omiſit præterea leuem officij partem & leuiter contra attentionem & intentionem debitam delinquit, Quæritur; *Vtrùm commiſerit peccatum mortale, an veniale*; & ſi veniale, *An ſimplex, an multiplex*.

1405 Non commiſiſſe in hoc caſu vnum peccatum graue probari poteſt hac ratione; quia multæ materiæ paruæ differentes ſpecie non poſſunt coaleſcere in vnam materiã magnam.. Vnde licèt is, qui vult furari mille aſſes, etiamſi furari velit mille materias paruas, mortaliter peccaturus ſit (quia, videlicet, omnes illæ ſunt ſub eadem ſpecie) non tamen peccabit mortaliter, qui leuiter mentiri, aſſem vnum furari, verbum vnum otioſum eloqui, partem paruã officij Canonici omittere, breui ſpacio non intereſſe Miſſæ, & alia millena leuia vellet committere, dummodo ea aut differant ſpecie, aut nequeant moraliter identificari: ergo cùm iſta omnia quæ in caſu ſupponuntur omiſſa, ſint leuia, & contineantur ſub diuerſis ſpeciebus, & fortaſsè generibus, conſequens eſt, vt Petrus non peccauerit mortaliter; quoniam omnes illæ materiæ paruæ non poſſunt in vnũ coaleſcere, nec ita moraliter vniri & identificari, vt conſtituant vnam materiam magnam. ¶ Hæc ratio ſi non ſubſiſtat vlteriori examini fortis videbitur; nihilo ſeciùs debilis eſt, vt patebit ex doctrina ſuppoſita. Ego autẽ decerno eum non peccaſſe mortaliter; & ex hac hypotheſi, quã vltimo loco perſuadebo, ſequitur vt examinem, *An ille* (ſiquidem ſupponitur peccaſſe leuiter) *commiſerit vnum, an plura peccata venialia.*

1406 *Prima ſententia* aſſerit commiſiſſe nouem peccata leuia. Primum, quia vſus eſt Breuiario alterius Religionis (iuxta ea quæ diximus *num.* 1394.) Secundum, quia die feriali legit de Sancto (*vide num.* 1387.) Tertium, quoniam legit de D. Bernardo in communi Confeſſorum, cùm D. Bernardus ſit Doctor. Quartum, quoniã legit de cõmuni, cùm Mellifluo Doctori debeatur

offi-

officium proprium; & quia probabile eſt peccare venialiter, qui interrumpit lectionem ſine cauſa, & ſupponitur ſic accidiſſe: ideo dicitur peccaſſe quintò. Sextò, quia leuiter delinquit in materia pronuntiationis (*vide num.* 1383.) ſeptimò, quia contra debitam intentionē; octauò, quia contra attentionem delinquit: & nonò denique, quia legem certa Horis tempora determinantem præuaricatus eſt. Vide ea quæ expendo *num.* 1373. & 1415.

Probatur. Singula ſeorſim eſsent leuia peccata, connectuntur per accidens, nec conſtituunt vnam materiam; ergo remanent plura peccata. Minorem probat ratio in initio poſita, quia ſicut ex leui mendacio & omiſſione paruæ materiæ in lectione canonica non poteſt exurgere vnum ſimplex peccatum, ſic nec ex omnibus iſtis defectibus, quoniam omnes ſpecie differunt.

1407 Vera ſententia tenet eum commiſiſse vnicum ſolummodo peccatum veniale; & probat ſic. Quia præter quintum, ſeptimum, & nonum, qui defectus non ſunt (non enim de intentione, aut continuatione aut tempore lex datur, quæ obliget priuatim recitantes) omnes alij defectus, ſi ſeorſim ſoli exiſterent in diuerſis diebus & actibus, differrent ſolùm numero, non ſpecie: ergò cùm in eodem actu concurrunt, non diſtinguuntur ſpecie. Atqui in eodem ſubiecto non poſſunt dari (imò nec concipi) accidentia diſtincta numero (vt ſuppono cum Schola Thomiſtica, & in meis Metaphyſicis ſatis efficaciter ſuadeo) ergo in illo actu datur ſolùm vna imperfectio venialis. Conſultò *in illo actu* dixi, quoniam legere officium Diuinum eſt actus moraliter ſimplex, cùm ſit ſimplex ſimplicis præcepti ſatisfactio.

Imperfectiones illas, ſi ſeorſim exiſtant, numero tantùm differre probo; quoniam ſunt contra eandem & ſimplicem legem, quæ indicit integram Officij lectionem, attentam externè, & externè deuotam. Atqui peccata ſummunt ſpeciem à lege: ergo ſi lex eſt eadem, malitiæ, quæ contra illam ſunt, nequeunt differre ſpecie. Ergo omnes illæ imperfectiones conſtituunt vnum peccatum grauius in genere venialis.

1408 Sed inſtas. Omnes illę imperfectiones non differunt ſpecie: ergo poſſunt conſtituere vnam materiā grauem; peccatum igitur mortale erit, tot leues imperfectiones in officio Diuino committere. Probatur conſequentia. Ideò furari mille aſses eſt peccatū graue, quia reſpicit per modum vnius plures paruas materias, quæ non differunt ſpecie: atqui etiam defectuoſa illa officij Diuini lectio, quæ in caſu proponitur, reſpicit per modum vnius plures materias paruas, quæ non differunt ſpecie: ergo reſpicit & omittit materiam grauem, ac proinde eſt peccaminoſa grauiter.

Reſpondeo ex multis materijs paruis ſemper fieri materiam maiorē, non ſemper grauem; quia grauis materia poſtulat determinatam quantitatem. Verbi gratia, in genere lectionis Canonicę: Octaua Diuini Officij pars eſt materia grauis, leuis autem quidquid minus eſt octaua parte: quinque ergo ſexageſimæ partes ſunt plures materiæ paruæ, & licèt coaleſcant moraliter, non efficient vnam materiam grauem, ſed partem duodecimam totius, quæ etiam eſt leuis, licèt maior ipſa ſexageſima. Ideò qui omittet quinque ſexageſimas Officij partes dicetur peccaſſe venialiter, grauiùs tamen quàm qui vnam omitteret. Ergo omnes iſtæ imperfectiones poſsunt imperfectionē illam maiorem reddere: non tamen inde ſequitur, quod illam reddent ſemper mortiferam & grauem. An aliquando? hoc pendet ab vlteriori examine.

1409 Dico igitur primò, nec intentionem, nec attentionē intrinſecam cadere ſub præcepto (*probo illud n.* 1415.

hoc

hoc autem num. 4373.) Idem de lectionis continuatione dixero (*vide n.* 1414.) Idem de Horarum horis (*numero* 1411.)

Dico ſecundò, Attentionem & deuotionem externam eſſe eſſētiales partes orationis vocalis, vnde illa quæ ſine deuotione & reuerentia extrinſeca dicuntur, moraliter cenſentur non dicta; ſicut & illa quæ ita abſorbentur, vt non maneat vocum debita ſignificatio.

Dico tertiò, mutationē officij ideò eſſe peccatum leue, quia eſt lectio Diuini officij non tamen debiti; vnde, ſi per impoſſibile aliud officium, in quod mutatio fit, eſſet illi diei debitum, non peccaretur venialiter. Ideò ſi ſatisfaciens Officio quoad ſubſtantiam, deficiat in circumſtantia *debiti* non minùs peccabit legens in ſuo Breuiario, quàm in alieno; quia omnes iſtæ differentiæ ſunt merè-materiales, & malitia ſolùm conſiſtit in hoc, quod legat verè officium Diuinum, ſed indebitum; & dici v. g. feriali non minùs eſt indebitum officium de Sancto ex ſuo Breuiario, quàm Officium quodcumque ex Breuiario alterius Religionis.

Ergo licèt ex ſententia probabili ſupponeretur poſſe plura accidentia numero diſtincta eſſe in eodem ſubiecto, inde tamen non ſequeretur dari in hoc actu nouem peccata leuia, vt dicebat prima ſententia; ſed ſolummodo duo. Sed & hæc duo identificabuntur moraliter. Proſequere.

Me iudice ſi omiſeris ſexageſimam officij partem, & aliam ſexageſimam legeris quidem ſed ſine reuerentia extrinſeca, cenſendus es moraliter omiſiſſe duas ſexageſimas partes; quia legere ſine attentione, & reuerentia extrinſecis, moraliter non legere eſt. Ergo qui non legit ſextamdecimam officij partem, & aliam decimam ſextam irreuerenter legit; cenſendus eſt octauam officij partem omiſiſſe, ac ideo peccaſſe mortaliter.

1410 Conducit ad difficultatis dilucidationem, officij qualitatē cum quātitate comparare. Mutatio officij defectus in qualitate eſt, & imperfectio indiuiſibilis qualitas enim, teſte D. Thoma & eius diſcipulis, ſecundùm ſe non habet partes; ideo entitatiuè nec creſcere nec diminui poteſt; eò quòd præter intenſionis & extenſionis augmenta, quæ quidem extrinſeca illi ſunt, alia non norit. Ergo defectus in qualitate officij culpa venialis eſt, ſed indiuiſibilis, qua minor in eodem genere eſſe non poſſit (ſed hoc vberiùs demōſtraui *nu.* 1401.) Peto iam; Indiuiſibile additum parti facit maius? Negat id Peripateticus, ſed Zenonicus aſſero. Sit ergo defectus in qualitate Officij, quaſi omiſſio ſexageſimæ quartæ partis, quæ etiam moraliter indiuiſibilis eſt; licèt phyſicè ſit diuiſibilis.

1410 *b* Ex hac doctrina aliqui philoſophantur hoc modo. Aſſerunt totum officium Canonicum moraliter eſſe diuiſibile in octo partes, quarū quælibet ſit etiam materia grauis. Addunt. Quamlibet octauam partem eſſe moraliter diuiſibilē in octo alias, quarū quælibet ſit materia leuis; vt ſæpiùs alibi explicauimus. Quæcumque ex his partibus eſt ſexageſima-quarta officij Diuini; indiuiſibilis tamen moraliter; quoniam quidquid fuerit minus parte ſexageſima quarta, erit moraliter nihil. Inferunt; Ergo ſi culpabilis mutatio Officij eſt materia moraliter indiuiſibilis; æquiualebit vni ſexageſimæ-quartæ recitationis parti. Illę igitur qui mutauerit officium & omiſerit quatuor ſexageſimas quartas partes, cenſendus erit omiſiſſe quinque partes ſexageſimas-quartas. Tandem ſi quis omittat ſeptem tales partes, & mutet etiam officium, dicendus erit omiſiſſe octo ſexageſimas-quartas partes (ſiue quod idem eſt, octauam partem totius Diuini Officij) ac propterea peccaſſe mortaliter.

Reſpon-

Reſpondeo tamen duas reperiri malitias in quocumque peccato, aliam extenſiuam, aliam intenſiuam. Illa deſumitur à quantitate obiecti, hæc à circumſtantijs: & ſic confundi non poſſunt. Hinc ad inſtantiam argumenti. Ille qui omiſerit ſeptem ſexageſimas quartas partes Officij, & legerit de Sancto cùm deberet de feria, commiſit vnum ſimplex peccatum veniale magnū & extenſum vt 64. intenſum verò vt 64. non tamen eſt graue, quoniam grauitas conſiſtit non in intenſione actus mera, ſed in magnitudine obiecti, cùm vel totum, vel ſaltem 64. hoc eſt octaua pars omittitur.

DISPVTATIO CXII.

De tempore recitandi Officij.

NOn inquiro vtrùm Officium diei Dominicę, v.g. legi poſſit die Lunæ, quia iam oſtendi diſp. 101. obligationem Officij eſſe diariām, atque ideo debere ſingulis diebus legi: ſed dubito vtrùm Horę etiam ſingulę habeant tempus ſimiliter determinatum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm qui extra tempus præſcriptum Horas Canonicas priuatim legerit, peccauerit mortaliter.

1411 NOn eſſe peccatum mortale legere omnes Horas quandocumque libuerit, dummodo intra diem naturalē, qui viginti-quatuor horis conſtat, eſt ſententia Nauarri, Ledeſmę, Sylueſtri, Angeli, Armillæ, Tabienæ, Caietani, Nicuæ, D. Antonini, Gabrielis, Viguerì, Soti, Medinæ, & aliorum, quos citat, & ſequitur Thomas Sanchez *tom.* 2. *Conſ. Mor. l.* 7. *c.* 2 *dub.* 36. *n.* 1. additque ne venialiter quidem peccare, qui ex rationabili cauſa omnes Horas ſimul legit tēpore aut matutino aut veſpertino (puta, ſtudiorum aut aliarum occupationū gratia) ſubſcribens Nauarro *c. quando c.* 3. & Maiori 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. & alijs.

1411 b. Maior eſt difficultas, an deficiente cauſa teneamur ſub veniali Horas priuatim legere temporibus determinatis.

Praxis virorum grauium & timoratæ conſcientię reſpondet negatiuè; quia vix pauci determinatas horas in lectione priuata obſeruant, vnde etiamſi lex aliqua olim fuiſſet de legendo officio horis determinatis, hæc iā eſſet abolita per contrariū vſum. Sed neque ſanctio inuenitur, quæ horas & tempora officio priuato conſtituat. Probatur, vel id decernunt conſtitutiones eædem, quæ horas publico officio præſcribūt, vel alię; neutrę, ergo. Primò, non aliæ, vel qui contrarium opinatur, legem oſtendat obligatoriam, quę horas prędeſtinet particulari officio. Secundò, illę ſanctiones quę tēpora Officii publici determinant, minimè ſe ad priuatum extendunt, aliàs enim teneremur eadem hora matutinas recitare priuatim, qua publicè, quod nemo admittet. Pręterea, *caput Solent. de conſec. diſt.* 1. nō minùs indicit horā Veſperis Quadrageſimalibus, quā alii canones reliquis Horis: aliqui hoc caput nō debet exponi de officio priuato, ergo nec canones. Minorē probo ex Caietano 2. 2. *qu.* 147. *art.* 9. Palacios *in* 4. *diſt.* 15. *diſp.* 8. *fol.* 130. *pag.* 4. Nauar. *c. Quando c.* 3. Thoma Sanchez *to.* 2. *Conſ. li.* 7. *c.* 2. *dub.* 36. *n.* 5. qui aſſerunt poſſe Veſperas Quadrageſimales legi priuatim poſt prandiū ſine ſcrupulo venialis peccati.

1411 c. Subiungit Sanchez rationem, quæ ſi efficax eſt, probabit omnes Horas manè aut veſperi pro libitu legentis priuatim recitari poſſe. oſtendit

enim poſſe Veſperas Quadrageſimales poſt prandium legi ex Rubrica Breuiarii noui *feria* 4. *ciner.* vbi quidem dicitur has legendas eſſe ante prandium: id tamen, vt ait, non eſt ponere præceptum quod ſingulos priuatim obſtringat. Ergo in Matutinorum Rubrica eodem modo philoſophari oportet, nempe aſſerendo eam non includere præceptū, quod obliget priuatim recitantes.

1412 Dices; ſaltem apud Dominos Benedictinos dari legem de horis in officio priuato ſeruandis; nam Regulæ capite quinquageſimo dicitur: *Qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ, ſed vt poſſunt agant ibi, & ſeruitutis penſum non negligant reddere.*

Reſpondeo, dicto loco horarum nomine non intelligere S. Benedictum horas diei ſed Canonicas, & iubere iter agentibus legere eas *vt poſſunt*, hoc eſt, quando poſſunt, dūmodo non negligāt.

Præterea licèt ageret de horis temporis, nil contra nos ſequeretur, quia inde ſolùm eſſet conſequens poſſe ab Ordinario Abbate illud præcipi proficiſcentibus, non autem eſſe iam præceptum: vt enim probaui ſuperiùs Diſp. 7. non dantur præcepta in Regula, ſed ſolummodo præceptibilia. Ergo hæc circumſtantia obligaret, ſi accederet præceptum Abbatis.

1413 Si alicui, qui ad chorum venire non poſſet, iuberet Abbas horis debitis legere, non teneretur ſub mortali illam circumſtantiam ſeruare, ſed ſatisfaceret etiam ſi alijs horis recitaret; ratio eſt, quia vel D. Benedictus allegato capite agit de horis temporis, quibus debet officium priuatum recitari, vel non. Si non, nec venialiter contra Regulam peccabit ille, qui non obedierit præcepto de re, vt aſſeritur, per Regulam non indicta. Si verò tempus præſtituat recitationi priuatæ; qui accedente legitimo Prælati præcepto non obedierit, ſed alijs horis recitauerit integrum officium, peccabit venialiter. Nam circumſtantia temporis non pertinet ad ſubſtantiam præcepti ſed ad modum, & ideò cùm materia non ſit grauis, nec peccatum erit mortale.

Poterit tamen aliquis etiam tali caſu à veniali culpa liberari, ſi ſubſit cauſa rationabilis, qua iter agentibus, laborantibus, & ſtudentibus vix deficere poteſt. Ergo tales benè ſatisfacient, dummodo legant omnes Horas.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ille, qui recitat cùm maxima temporis interruptione, peccet mortaliter.

1414 QVæſtio hic occurrit ſimilis præcedenti. Non deſunt qui aſſerant eos peccare grauiter, qui ſemilectam Horam non repetunt ab ipſo principio, ſed interrogo, contra quam legem? quia peccatum eſt diſſimilitudo vitæ, & regulæ. Vbi præceptum indicens, quod particulares debeant legere ſine interruptione?

Ex natura rei nihil reperitur quod vrgeat, quia ſicut Pſalmi ſunt partes Horarum, ita & hæ Officii, atqui neceſſarium non eſt, vt poſt vnam Horam immediatè ſequatur alia, ergo neque opus vt vnum Pſalmum alius immediatè ſubſequatur. ¶ Præterea ſicut quæuis Hora eſt oratio independens ab aliis, ſic etiam quiuis Pſalmus, vt notat Eſtius, imò ſinguli penè verſiculi habent ſuum pondus, & completam ſignificationem, & ſunt per ſe vel precatio, vel laudatio, vel ſententia non habens cum aliis neceſſariam connexionem. Hinc ego. Ergo ex rei natura non exigitur, verſiculum vnum immediatè legi poſt alium: neque hęc immediatio exigitur ab aliquo pręcepto, ergo nulla remanet ad talem immediationem obligatio, atque ideo nullum erit peccatum ſi in priuata lectione fiat interruptio, licèt ſit plurium Horarum,

rum, & ſine vlla cauſa, & conſequenter poterit poſtea à verſu ſequenti progreſſus fieri, & ita lectioni totius Pſalmis finis imponi.

Quod ſi ſemel preceptum detur de immeditatione verſus poſt verſû, pſalmi poſt pſalmum, vel certè hęc contineatur in præcepto communi (quod tamen non intelligo) tunc dicendum reor hanc interruptionem non mutare eſſentiam officij Diuini, & ex ſe eſſe minoris conſiderationis, ideoque vt plurimum eſſe peccatum veniale. Ita docuit Arragonius 2.2.*qu*.83.*art*.12. Barbos. *in collect.to*.1.*l*.3.*tit*.41.*c*.9.*n*.17. Fernandez *in ſuo exam. Theol. p*.3.*c*.13.§.7. *nu*.5. Ledeſma *in ſum.p*.2.*tr*.9.*c*.1. Leſſius *li*.2.*c*.37.*dub*.10.*n*.57. Rodriguez *to*.1.*c*.143.*concl*.3.*n*.5. Vega *in ſumm.to*.1.*c*.128.*c*.21. Villalobos *in ſum.to*.1.*tr*.24.*dub*.11.*n*.4. Zenardus *in ſuo directorio p*.2.*c*.23. & alij plures.

DISPVTATIO CXIII.

De intentione requiſita, vt quis obligationi ſatisfaciat.

1415 EOdem ex capite venit explicanda hæc difficultas, quo præcedens: Si quiſpiam recitauerit horas Canonicas (idem puta de auditione Sacri) propter deuotionem cum intentione non ſatisfaciendi præcepto, & cum animo legendi iterùm, vt obligationi ſatisfaciat; dico eum prima recitatione, velit nolit, ſatisfeciſſe præcepto, & non ſecunda, ac perinde non teneri iterum Horas ſuas repetere. Ita Arragonius 2.2. *quæſt*. 83. *articul*. 3. Diana *tract. de Hor.can.reſol*.37. Filliucius *to*.1.*tra*.23.*c*.8.*q*.1.*n*.251. Garzia *de benef.tom*.1.*p*.3.*c*.1.*n*.198. Henriquez *l*.9.*c*.15.*n*.9. Leſſius *l*.2.*c*.37.*dub*.10.*nu*.59. Molfeſius *in ſumm.tom*.1. *tract*.5.*c*.2.*n*.40. Naldus *in ſumm. verb. Diu.offic.n*.3.& 8. Porcelius *in addition.ad dub.reg.ver. Hor.canon.nu*.5. Sanchez *in ſumm.tom*.1.*l*.1.*c*.13.*num*.16. Squilante *de Oblig. Cler.p*.1.*dub*.22. Valentia *to*.3. *diſp*.6. *q*.2.*punct*.10. Vazquez *opuſc. de benef. c*.4.§.1.*dub*.17.*num*.114.

Probatur hæc ſententia primò. Intentio eſt merè internus occultus, ſoli Deo, & operanti cognitus, ergo de illo non poteſt Eccleſiaſticum eſſe præceptum: cùm de occultis Eccleſia non poſſit iudicare.

Dices. Intentionem præcipi indirectè: Hic ego: ergo ea ſolùm præcipitur, quæ ſufficit operis executioni. Atqui hæc non eſt intentio ſatisfaciendi, ſed faciendi, quæ ſi opus fiat, velimus nolimus debet adeſſe: Ergo nil nobis de intentione ſatisfaciendi iniungi poteſt.

Præterea quamuis poſſet, non tamen iniungitur, non præcipitur: aut qui aſſerunt oſtendant mihi præceptum de intentione.

Vlteriùs. Ad hoc vt quiſpiam peccet contra præceptum, non requiritur, quod habeat intentionem peccandi, ſed ſufficit, quod rem vetitam faciat, & quam cognoſcat eſſe interdictam. Imò etiamſi proteſtetur ſe non habere intentionem peccandi, & nihilominus actum illum mandet executioni, peccat citra controuerſiam: ergo ſimiliter, ſi reuera actus eſt præceptus, dummodo facias, ſatisfaciet præcepto, licèt habeas intentionem non ſatisfaciendi tunc, ſed poſteà: quia actiones merè extrinſecæ non ſunt humanitùs ex intentione, ſed ex ſeipſis iudicandæ. Sicut enim ignem ſtupæ appli-

plicans cum intentione non comburendi, comburit, & ſi in hydriam infundas ſufficientem aquæ quantitatem cum intentione quod hydria non recipiat, non impleatur, ipſa nihilominus recipiet, adimplebitur; & ſi corpus dealbes cum intentione quod non ſit aliis corporibus albis ſimile, ipſum tamen dealbatum ius erit ſimile licèt nolis. Sic ſimiliter, ſi ponas actum præceptum cum intentione quod non correſpondeat legi, velis nolis, correſpondebit, ac per conſequens ei ſatisfaciet.

1416 Loquutus ſum hucuſque de illo qui recitat officium (Miſſam audit) cum intentione non ſatisfaciendi pro tunc, ſed relegendi iterum vt ſatisfaciat. Quod ſi aliquis adeò eſſet impius, vt dū legeret intentionem haberet non ſatisfaciendi, & non relegendi: dico primò, cū ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiaſtico de recitandis Horis, & proinde non teneri repetere: ratio eſt quia iam fecit quod Eccleſia præcipit.

Dico ſecundò, peccaſſe mortaliter voluntate, quia volebat non ſatisfacere præcepto.

1417 Hunc caſum reſoluendum proponis. Dantur inquis duo dies, quorum officium idem omninò, vel ſaltem leuiſſimè diuerſum. Sub primi veſperum legis primò matutinas & laudes de craſtino, & ſecundò totum officium currentis diei. *Et inquiris* vtra lectio obligationi currentis diei fecerit ſatis? prima an ſecunda? nam ſi ſecunda, intentioni aliquid non deferri non poteſt. *At exiſtimo* primam lectionem ſatisfeciſſe obligationi illius diei, ſecundam obligationi diei ſequētis. [Nota caſus iſtius reſolutionē, quia multas poterit vtiles illationes, ſi bene conſideretur, parturire.]

DISPVTATIO CXIV.

De Matutinis & Laudibus Veſperis recitatis.

Svppono poſſe Veſperi legi ſequentis diei Vigilias, & Laudes. Quæ ſententia ita vera eſt, vt contraria ſit improbabilis. Hoc tamen ſuppoſito adhuc irreſolutæ remanent frequentiſſimæ difficultates.

ARTICVLVS I.

Qua hora poſſint legi Nocturni & Laudes diei ſequentis.

1418 Diuus Thomas *quodli. 5. art.* 28. aſſerit ſequentis diei Matutinas, & Laudes dici poſſe diei antecedenti de ſero. Sed inquiri poteſt quæ diei hora ſit illa quæ ab Angelico Doctore *de ſero* nominatur.

1418 b. Apud Dominos Benedictinos reperio horam *de ſero* eſſe ante Cōpletorium, nam expreſsè Cap. 41. *A ſancto paſcha vſque ad Pentecoſten ad ſextum reficiant fratres, & ad ſeram reficiant fratres, & ad ſeram cœnent.* Atqui conſtat nunquam poſse completorium cantari ante cœnam, nam Cap. 42. dicitur diebus ieiunii poſt veſperas, reliquis vero poſt cœnam debere legi Collationes, aut vitas Patrum, & mox cantare Completoriū. Cumque ex Regulæ eodem capite 42. conſtet in Collatione impendi horam integrā (*Mox accedant ad lectionem Collationum, vt diximus, & lectis quatuor, vel quinq; folijs, vel quantum hora permittit, &c.*) cumq; in cantando Completorio quaſi horā impendamus, & olim D. Benedicti tēpore ad minimū dimidia hora conſumere-

meretur; cumque cœna conuentualis alia dimidia indigeat, ſequitur D. Benedictum *ſeræ* nomine intellexiſſe tempus illud, quod pluſquam duabus horis integris antecedit horam eundi cubitum. Sed iſta quæ? ex capite 41. conſtat ante noctis tenebras debere abſolui omnes communitatis actus (ibi, *hora ſic temperetur, vt cum luce diei omnia fiant*) atqui tenebræ communiter ingruunt vna hora poſt occaſum ſolis: ergo plus quam integræ horæ ſpacio ante occaſum ſolis hyemalis eſt ſera, ſeu hora cœnæ. Nec erit difficile definire quænam horæ *ſeræ* reſpondeat in æſtate. Præcipitur capite 8. vt hora octaua noctis (hæc eſt ſecunda poſt mediam noctem) ſurgant ad nocturnas vigilias: ergo concedendo communitati ſeptem horas quietis (pauciores communitati non ſufficiunt, regulæ enim communes nemini debent eſſe intollerabiliter) hora ſeptima in æſtate ibant ad dormitorium religioſi: ergo cœnabant hora quinta. Hora igitur quæ à Doctore Angelico vocatur *de ſero*, iuxta Benedictinos mores eſt in æſtate, & hyeme (ſumma enim apud ipſos in æquinoctialibus horis vniformitas) paulo ante quintam.

1418 c. Suarius ex alijs fundamentis paulò aliter D. Thomam exponit: & *libr.* 4. *de Horis canon. capit.* 27. *num.* 12. affirmet poſſe ſine vllà formidine diei Matutinas ſequentis diei dimidia hora ante ſolis occaſum, & hoc etiam in hyeme. Et addit aliquos ſine fundamento timere, & ſcrupulis angi in hac difficultate. Hinc collige regionum ſeptentrionalium incolas in hyeme poſſe non longo poſt meridiem interuallo diei ſequentis Matutinas legere, quoniam non ita diu poſt meridiem illic ſol occidit.

Poſtea *num.* 14. ſubiungit doctrinam generalem, nempe poſſe Nocturnos legi hora quarta promeridiana etiam in æſtate, idque quia diſtantia vſque ad mediam noctem eadem eſt, quæ ratio ſi efficax ſit, de quauis poli altitudine debet intelligi.

Ratio itaque, quæ conuincit Suarium eſt hæc. Teſte Doctore Angelico Matutinæ legi poſſunt *de ſero*. hoc eſt, ab hora Completorij: hæc ordinariè, & iuxta communem Eccleſiæ conſuetudinem eſt inter tertiam, & quartam poſt meridiem: ergo hora quarta poſſunt dici Nocturni alterius diei.

Verùm, Ratio quæ aſſumitur plus probat, quam exponitur in conſequentia: quia ſi Nocturni poſſunt legi *de ſero*, hoc eſt hora Completorij, poterunt dici immediatè poſt tertiam, aut ſaltem à medio quartæ, quia aſſumente in præmiſſis Suario, Completorium iuxta cõmunem Eccleſiæ conſuetudinem legitur inter tertiam, & quartam. Thomas Sanchez *Conſiliorum libr.* 7. *cap.* 1. *dub.* 37. aſſerit Matutinas, & Laudes ſequentis diei poſſe dici hora ſecunda promeridiana. Nullum vidi qui has horas magis anticiparet.

1419 Petes. An horas anticipare, & recitare Veſperi Matutinas, & Laudes diei ſequentis, ſit peccatum veniale.

Si ſub ſit cauſa rationabilis, negatiuè reſpondent vniuerſi: etiam ſi non detur cauſa ſufficiens qui (ſiue in hyeme ſiue in æſtate) hora integra ante occaſum ſolis Matutinas, & Laudes recitat, nec venialiter quidem peccare aſſeritur à Thoma Sanchez *iam citato*. Cæterùm, ſi rem examinemus, conſuetudo præualuit, & eius vi hodie poteſt fieri quod olim non poterat; atqui conſuetudo legendi Matutinas horas ſecũda aut tertia veſpertina non eſt introducta ab habentibus rationabilem cauſam, & à plurimis, vt certum eſt, ſine cauſa aliqua in præſentiarum continuatur: ergo poſſumus ſine cauſa Veſperi Matutinas, & Laudes recitare. Minor oſtenditur bifariam. Primò qua conſuetudines contra leges morales introducuntur ab hominibus malæ conſcientiæ,

qui non ſunt cenſendi ſemper habuiſſe cauſam rationabilem. Secundò, quia ſi hæc coniectura nõ ſufficiat, dubium eſt qualiter hæc conſuetudo ſit introducta, & multi non imprudenter dubia interpretãtur in fauorabiliorem & benigniorem partem. Vide *n.* 1358.

ARTICVLVS II.

Vtrùm, qui Veſperi Matutinas, & Laudes recitat, duorum dierum obligationi ſatisfaciat.

1420. ANte quæſtionis reſolutionẽ *Suppono primò* dari duos immediatos dies, in quibus officiũ ſit, aut poſſit eſſe, de Communi Martyrum, aut Confeſſorum. Tales ſunt in Kalendario Ciſtertienſi Aprilis vltimus & penultimus: hic enim D. Roberto Abbati, Ordinis noſtri Inſtitutori, ille B. Petro Martyri ſacer eſt. In vtriuſque officio ad dictas Horas eoſdem Pſalmos, & Antiphonas legimus, & ſolùm eſt differentia in lectionibus. Non ſecùs in Iunio, cuius vndetrigeſimus dies ſacer eſt D. Petro, vltimus D. Paulo; vtrique vtpotè Apoſtolo, debentur ad Matutinas, & Laudes ijdem Pſalmi. Tandem vigeſimus octauus Decembris dies celebrat Sanctorum Innocentium, & immediatè ſubſequens S. Thomæ Martyris ſolẽnitatem. Poſt Paſcha plerumque tranſlata ſunt aliqua officia, quæ ſolent eſſe ſimilia, & legi ſucceſſiuis diebus.

Suppono ſecundò poſſe ſine peccato graui mutari officium Canonicum ex Feriali in ſolenne, aut è contrario. Expendo id & probo *n.* 1387.

His poſitis dubium proponitur. Sunto Feriæ ſecunda & tertia duobus Martyribus, aut Confeſſoribus ſacræ authoritate publica (hoc eſt, ex præſcripto rubricarum Breuiarij) aut ſaltem priuata (nempe ſi Petrus duobus illis diebus decreuerit legere officium eiuſdem Martyris aut Confeſſionis.) Petitur, An Petrus, ſi ſub Veſperum ſecũdæ feriæ legat Matutinas & Laudes, diei vtriuſque obligationi ſatisfaciat, ita ſaltem vt non peccet mortaliter, nec feria tertia teneatur iterum eaſdem horas legere? Conſultò dixi, ita ſaltem vt non peccet mortaliter, quoniam ſi mutet officium ſine cauſa, non poteſt non cenſeri hæc actio venialiter peccaminoſa.

Sententia aſſerens. damnata

1411. Opinio prima affirmat ſimplicem Matutinarum & Laudum lectionem, ſi fiat ſub Veſperum, duorum dierum obligationi ſatisfacere: & probat.

Quia vna & eadẽ actione poteſt Petrus ſimul ſatisfacere duobus præceptis numero diſtinctis eodem tempore concurrentibus. Concurrunt in caſu duo diſtincta numero circa officium Diuinũ; Ergo poteſt vnica, & ſimplici actione vtrique ſatisfacere.

Maior eſt certa, Nam datur præceptum de audienda Miſſa diebus Dominicis, datur etiam aliud de audienda in Feſto S. Petri. Quod ſi S. Petri ſolennitas in Dominicam incidat, teneberiſnè audire duas Miſſas? minimè. Sed hoc clariùs conſpicitur in negatiuis, quibus ſeorſim obedire non ſolùm non debes, ſed nec potes; natura enim te cogente vtrique debes ſimul ſatisfacere. Dabo exemplum. Quinto Decalogi præcepto interdicitur homicidium: & hoc etiam interdicitur lege morali humana. Dic obſecro: ſi ſemper ex præſcripto legis Diuinæ teneor non occidere, quando potero humanæ legi ſatisfacere? Et ne quæramus materias exoticas & peregrinas, etiam in officio Diuino reperiemus penetrationes præceptorum. Petro Benedictino mandatur vt diebus ſingulis Officiũ legat ſub peccato mortali: promouetur ad ordines maiores, hi inducunt nouam legendi obligationem à prima diſtinctam, & ita grauem vt ſola ſufficiat ipſum obligare ſub mortali.

tasi; tenebiturnè legere duo officia? negant omnes, quia duæ illæ obligationes ſunt numero diſtinctæ, & vtrique Lectione ſimplici poteſt ſatisfieri.

Probatum eſt, poſse vnam & eandem Lectionem duobus præceptis concurrētibus facere ſatis: ſupereſt, vt probetur illa duo præcepta diſtingui numero, ac ſimul concurrere.

Diſtinctionem merè numericam omnes admittent, qui conſiderauerint obiectum præceptorum; vtrumque enim ordinatur ad officium Diuinum. Concurrentiam non admittent tam facilè: probatur tamen. Obligatio legendi Matutinas & Laudes pro Feria ſecunda incipit ab occaſu Solis in Dominica & vſque ad horam duodecimam noctis diei ſequentis protenditur: obligatio autem eaſdem Horas legendi pro Feria tertia incipit ab occaſu Solis Feria ſecunda, & extenditur vſque ad mediam noctem Feriæ tertiæ. Ergo duæ hæ obligationes ſex vel octo horarum ſpatio concurrunt, nempe ab occaſu Solis (vel antè) vſque ad noctem mediam. Sunt igitur concurrentes obligationes, & diſtinctæ numero; atque ideo poterit Petrus eadem actione vtrique ſatisfacere.

Sententia negans.

1422 Huic ex diametro opponitur alia ſententia, aſſerens non poſſe eadem recitatione ſatisfieri vtrique obligationi, & probat.

Primò, quia in rebus moralibus neceſſarium eſt agere prudēter & circumſpectè; ergo non debet aſseri Petrum ſic poſse ſatisfacere: quoniam ex hac aſſertione multi ſequerentur abuſus, & negligentiæ: plurimi enim ſi ſcirent ſe laudabiliter poſſe binis diebus ſemel tātùm Matutinas, & Laudes legere, non legerent bis: idque eſſet magnæ relaxationis occaſio.

Secundò, quia aſſertiones morales periculoſæ ſunt & temerariæ, ſi graui authoritate careant, atqui nec vnus author propugnat aſſerentem ſententiam, ergo eſt improbabilis.

Tertiò, quoniam præcepta poſitiua pendent à legiſlatoris voluntate, certumque eſt Summum Pontificem voluiſſe Religioſos, & Sacerdotes omnes recitare ſingulis diebus Officium, nec toleraſſe Matutinarum & Laudum anticipationem in Canonicæ obligationis fraudem.

Quartò, quia lectio matutinorum ex ſe indifferens eſt vt vni vel alteri diei ſatisfaciat, determinatur tamen ab applicatione & intentione legentis; vnde ſi Petrus velit ſatisfacere obligationi feriæ ſecundæ, iam iſta lectio hac applicatione ita modificatur, vt alteri Feriæ ſatisfacere nequeat.

Satisfit rationi pro prima ſententia militanti.

1423 Qui ſententiam poſteriorem defendunt, negare nequeunt fortem eſſe rationem illam vnicam, qua prior armatur. Debent concedere, eadem numero actione duobus præceptis numero diſtinctis, ſi eodem tempore occurrant, poſſe ſatisfieri. Hæc duo pręcepta, diſtingui puro numero nemo ambigit, negatur tamen, ea ſimul concurrere. quia pręceptum de legendis Matutinis diei craſtinę non incipit ab occaſu, ſed à nocte media, ſi Petrus legat veſperi, ſolutionem anticipat Eccleſia conniuente.

1424 Cæterùm, ſi bene examines, hæc ſolutio eſt arbitraria, quia vel Petrus Veſperi legens ſequentis diei Matutinas, pręcepto ſatisfecit, vel non, ſi non, ergo tenebitur eaſdem Horas repetere die craſtina, quod nemo tamen admittet, ſi ſatisfeciſse dicatur, ergo dabatur tunc pręceptum cui ſatisfaceret, probatur conſequentia, audiens Miſſam Sabbato non ſatisfacit pro Dominica, & ratio eſt, quia cùm nondum ſit Dominica, nondum incipit pręceptum

illud obligare; ergo ſi Petrus Sole occidente Matutinas ſequentis diei legit, & ſatisfacit, ſignum eſt diem ſequentem incipere Eccleſiaſticè ab occaſu Solis, & Horas triginta aut plures complecti, hoc eſt, diem ſequentem incipere ſex aut pluribus Horis antequam præcedens finiatur. Hanc eſſe Eccleſiæ mentem omnes Sanctorum ſolennitates oſtendunt, incipiunt à Veſperis, & finiuntur poſt Completorium alterius diei. Confirmat Doctor Angelicus, qui *quodlibet artic.* 28. ait: *Quantum ad Diuinum officium, & ſolennitatum ſolennitatem, dies incipit à Veſperis*. Ergo ſingulis diebus tenetur legere Petrus Horas Nocturnas & Diurnas, hęc tamen eſt inter dies differentia, quod dies pro Diurnis Horis complectantur interuallum temporis à media in mediam noctem, pro Nocturnis verò ab occaſu primi ad mediam noctem diei ſubſequentis.

Occurritur rationibus alterius ſententię.

1425 Prima ratio timet abuſus, & morum aliquam deformationem, ſed perperàm, quoniam ſequi opinionem probabilem, nec abuſus, nec relaxatio, ſed virtus eſt, virtus enim eſt obligationi ſatisfacere, & qui operatur probabiliter, ſatisfacit obligationi. Malè igitur exploditur ſententia affirmans, qua benigna, cùm opiniones ſolùm quà improbabiles explodi debeant, cæterùm eam eſſe improbabilem in primis oſtendendum eſt.

Secunda ratio authores potiùs reſpicit quàm ſyllogiſmos, ſed eſto, nemo ſubſcribat aſſerenti ſententiæ, quis huc uſque propugnauit negantem? An aliquando hæc difficultas in cõtrouerſiam deducta eſt? Ergo ęquè ſingularis erit, qui negat, atque ille, qui aſſerit, quouſque authorum numerus alterutri parti faueat.

Tertia teſtificatur certum eſſe, Pontifices voluiſſe ad duplicem Matutinorum recitationem in caſu poſitò obligare, ſed vnde hoc ſcitur? qui Pontifices demonſtrantur hac de re conſulti? quando & cui intentionem ſuam explicarũt? Annon eodem modo dici poſſet in Feſto S. Petri, ſi in Dominica incidat, duas debere Miſſas audiri, eò quòd certum ſit hanc eſſe voluntatem Pontificis? Dicitur equidem, ſed non probatur.

1426 Quarta ratio multa ſupponit minùs certa. Requirit intentionem ſatisfaciendi, quod falſum eſt, vt oſtendi *n.* 1415. nec ſufficit.

Primò, quia inde ſequeretur eũ, qui vel Miſſam audiret, vel Officium ſine intentione legeret, debere iterum, & Miſſæ adſiſtere, & Canonicum officium recitare.

Sequeretur *Secundò*, actus merè internos & ſpirituales Eccleſiæ ſubijci, quæ de occultis non iudicat, quoniam intentio eſt actus merè internus, vt nullus ambigit.

Tertiò, ſi omnia admittantur, quę videntur ſupponi, adhuc nihil inde concluditur. Ratio eſt, quia eodem prorſus modo poſſet, quis de Miſſa audienda in ſolennitate S. Petri, quæ in Dominicam incidiſſe ſupponitur, philoſophari. Appoſitè diceret, Miſſæ auditionem ex natura ſua indifferentem eſſe, vt ſatisfiat præcepto alterutri, debere tamen determinari ab intentione audientis, vnde ſi ab eo determinetur ad ſatisfaciendum ſolennitati Sancti Petri, iam hæc Miſſæ auditio affecta hoc modo intrinſeco illam determinante ad primam obligationem, non poterit ſatisfacere ſecundæ.

Vltimò, Fundamenta debent eſſe certiora concluſione, quę eſt certa propter illa fundamenta, teſte enim Stagirita. *Propter quod vnumquodque eſt tale, illud eſt magis tale*, atqui ſententia negans, quemadmodum conſtant ex quarta ratione, vt ſe tueatur, ſupponit intentionem requiri, ergo magis certum eſſe debet intẽtionem requiri, quàm vnicam ſimpli-

ſimplicem lectionem non poſse duorum dierum obligationi ſatisfacere. Atqui intentionem requiri ita eſt certum, vt contrarium ſit certius iuxta ea, quæ edisſero *num.* 1415. Ergo ita certa eſt ſententia negans, vt ea ſit certior contraria.

Reſolutio.

1427 Diſſolui vtriuſque partis argumenta, necdum controuerſiam reſolui. Satisfeci rationibus dubitandi, ſed nondum dubio. Poſtulas cenſuram meam. Quamcumque partem elegero, videbor ſingularis. Totius Eccleſiæ praxis fauet parti neganti, licèt non expreſsè. Aſſerens rationi innititur; cui multi cùm ſatisfaciunt, ſibi non ſatisfaciũt. Cæterùm an ſit probabilis ſententia affirmans, eſto aliorum iudicium. Scribent iuniores, nouæ rationes inuenientur, nouæ reſolutiones, & ſic olim hæc quæſtio decidetur, quæ in præſenti vix poteſt.

NOTA.

1427 b. Nulla vrbanitas ſufficit vt agnus à lupo, ſi iſte fortior, euadat: nulla, vt doctus ab imperito, ſi iſte audax. Experiiſſimus Dominus N. (etiam Medicis debitor ſum, qui gratias Deo robuſta valetudine præditus illis non vtor) multa ſemel iniuriarum plauſtra exonerauit, quòd in Commentario aſſeruerim, poſſe hominem legendo ſemel Matutinas, duorum dierum obligationi ſatisfacere. Aderat ex diſcipulis meis præcipuus D. Ioannes Richart, qui, ſi ingenio fauor Superiorum accedat, Ordinem noſtrum illuſtrare poterit, & in vniuerſitate cum magno plauſu & opinione promoueri. Ipſe igitur ſuauiter pugnax ſuppoſuit primò nec librum nec authorem à Medico lectum aut viſum, ſed illa effundi ex aliorum inſtinctu, qui aliena abutuntur audacia: nempe Medicorum, quoniam Theologorum non poſſunt. Fatetur Medicus, ſe nec vidiſſe Authorem nec librum, ſed audiuiſſe à neſcio quo, hac vtrumque opinione inquinari. Docuit illum Ioannes nec debere temerè iudicare, nec hominem damnare inauditum, librum illectum, oſtenditque talem in libro non doceri ſententiam, ſed ſolùm ab inuidis affingi. Obſtupuit Medicus; ſuamque ſtupiditatem ad ſtuporem admiratus cautior eſſe proponit, & intimam cum illo contrahens neceſſitudinem, vult vtriuſque partis fundamenta doceri. Proponit Eruditus Adoleſcens, quæ hucuſque expenſa; & vno aut altero (ſyllogiſmo dicam an fulmine?) partem negatiuam proſternit. Maiori, inquit, ſolicitudine debet Eccleſia procurare vt Chriſtiani à peccato mortali egrediantur, quàm vt legant officium: nam ſine hoc ſaluari poterunt, & in illo non poſſunt. Atqui quando præcipit annuam confeſſionem, eſt contenta vna Confeſſione pro duobus annis; ergo quando quotidianam matutinorum lectionem à fortiori vna pro duobus diebus debet eſſe contenta. Minorem probauit legendo è Theſibus defenſis Louanij 3. die Iunij 1642. ſub eximio Domino Guilielmo ab Angelis has lineas videlicet. *Ad peccatorum mortalium confeſſionem faciendam obligat nos præceptum diuinum in articulo mortis, Eccleſiaſticum autem omnes & ſolos mortaliter peccantes ad eãdem ſemel in anno inſtituendam adſtringit. hæc obligatio non extinguitur poſt elapſum annum, poteſt tamẽ eadem confeſſione ſatisfieri anni præcedentis, & currentis præcepto. Tenemur etiam circumſtantias omnes peccatorum ſpeciem mutantes in confeſſione exprimere, non ita intra eamdem ſpeciem notabiliter aggrauantes*. Probauit quidem ſic, quoniam opinio, quæ in vna vniuerſitate ſine contradictione defenditur, improbabilis dici non poteſt. Confirmauit, quia magis neceſſaria eſt

Reli-

Religioſo Confeſſio menſtrua, quam lectio matutinorum quotidiana, at vbi mortaliter ad menſtruam confeſſionem tenetur, vna confeſſione duorum menſium obligationi ſatisfacit, vt docet Salas *d.20. de legib.num.98.* & ex eo Laurentius Forer. S.I. in Theſibus propugnatis Dilingæ anno 1620. Ergo & vna matutinorum lectione obligationi duorum dierum. *Volui* id adnotare, ne nihil addidiſſe huic dubiæ Quæſtioni videret.

ARTICVLVS III.

Vtrùm recitans Matutinum ſequentis diei ante officium diei præſentis peccet mortaliter.

1428 RESpondeo negatiuè. Ita Vazquez *opuſ. de benef. cap.4.* §. 1. *art.2.num.66.* Suarius *de relig.tom.2. lib.4.cap.24.num.3.* & Reginaldus *tom. 2.lib.18.num.180.* Ratio eſt, quia ſatisfacit ſubſtantiæ præcepti, & solùm in accidenti aliquo delinquit.

Addo, ſi detur rationabilis cauſa, vt ſi voceris ad chorum, vel à maiore vt Matutinum cum eo recites, libertimè illud poteris legere, licèt non perſolueris officium diei præſentis, nec peccabis venialiter. Ratio eſt, quia non poteſt intelligi, quod ſatisfacere obligationi ſit peccare venialiter, atqui dum inferior vocatur à Superiore, vel ad chorum vt legat, facit quod eſt obligationis ſuæ, ſi obediat: ergo non peccat venialiter.

Ex his conſtat quid dicendum ſit ſi quis inuertat ordinem officii Diuini eiuſdem diei, quia ſi præponat Matutinis promeridianas horas, & hoc ſine aliqua cauſa, peccabit venialiter: ſi cum cauſa rationabili, non peccabit. Ita noſter Hiſpanus Villalobos, *in ſumm. tom. 1. tract. 24. dub. 13. nu. 1.* Bonac. *tract. de Horis canon. diſp.1. quæſt.3. punct.4. num.5.* Reginaldus *tom.2. l.18. cap.12. numer.166.* Leſſius *l.2. cap.37. dub.12. numer.* 80. Squillante *de oblig. Cleric. part.1. dub.24. num.47.* Ratio eſt manifeſta, quia Horarum Ordo non eſt de ſubſtantia officii.

Quid ſi legat matutinas diei craſtinæ ante matutinas diei huius? Reſpondeo aliud eſſe legere matutinas diei craſtinæ ante Veſperas præſentis diei, aliud legere ante præſentis diei matutinas. Quid ad primum dicendum ſit hoc articulo clarè reſolui, quid ad ſecundum inſinuaui ſuperiùs *nu.* 1417.

DISPVTATIO CXV.

An æger teneatur ad Officium Diuinum.

1429 DVplex poteſt occurrere dubium ægroto. Vnum, an poſſit non legere, aliud, an teneatur non legere. Examinemus priùs, quibus caſibus teneatur omittere, poſteà, quibus legere, & omittere ipſi liberum ſit, exponemus. Dico itaque

Primò, Si conſtet certò, & euidenter lectionem Horarum graue damnum illaturam eſſe, tenetur non legere: quia iure naturæ cautum in Decalogi præcepto V. ne quis ſibi magnum inferat damnum. [*Grauis damni* nomine mortem intelligo, & quodcumque malum, quod ſine peccato homo ſibi infligere non poteſt. Notetur hæc vocis

acce-

acceptio, ne debeat ſæpius repeti & explicari.]

II. *Si dubitet, vtrùm ſine graui ſalutis detrimento poſſit recitare, vel non, conſulat Medicum, aut hoc deficiente, illum, qui curam habet infirmorum:* quia vt plurimùm ad hoc officium eligitur, qui iſta probè intelligat, vel ſaltem probabiliter creditur meliùs hęc intelligere quàm alius, ſiquidem tenetur ratione officij maiorem curam adhibere. *Quod ſi poſt, conſultationem adhuc dubiū remaneat, ſi recitet peccabit mortaliter,* quia nemini licet ſe exponere grauis damni periculo. Ita Bonacina *tract. de Horis can. diſp.* 1. *q.* 6. *punct.* 2. *num.* 5. quem ſequitur Diana *de Horis canon. reſol.* 28.

1430 Dices cum Filliucio, Villalobos, & Suario *lib.* 4. *de Hor. can. cap.* 27. *num.* 20. in tali caſu ad Abbatem recurrendum eſſe; nego, quia quando neceſſitas ipſa diſpenſat, non eſt opus authoritate Superioris. Subinfers, Ergo inutile eſt Priuilegium conceſſum Abbatibus circa diſpenſationem in Horis Canonicis. Nego conſequentiam, & vim talis Priuilegij explico.

Priuilegia ſemper aliquid concedere, manifeſtum eſt: aliàs enim Priuilegia non eſſent. exemplum dabo: ex natura rei poteſt Confeſſarius abſoluere in articulo mortis à quibuſcumque peccatis reſeruatis; in Bullæ ſanctæ Cruciatæ iditerum conceditur; Si inferas, Ergo nihil noui: negant conſequentiam nonnulli, & ſatis probabiliter dicunt, ex iure communi abſolutum in mortis articulo à reſeruatis, ſi conualeat, teneri eadem iterum apud legitimos Confeſſarios cōfiteri; quod ſi abſolutionem acceperit in virtute Bullæ ſanctæ Cruciatæ, etiam ſi conualeat poſtea, non teneri denuò illorum peccatorum apud alios confeſſionem facere. Et hoc eſt quod ea Bulla concedit.

Dico ſimiliter. Si in dubio, aut morbo quis omittit officium, aut differt, non peccat: quòd ſi morbus euaneſcat aut dubium (puta, ſi manè angatur febri & veſperi ſit liber, ac ſine damno legere poſſit) debet legere. Verùm ſi in morbo, aut dubio petat diſpenſationem à Prælato, & ipſe concedat: licèt à meridie conualeat, & à febri liberetur, non tenebitur legere; Ratio eſt, quia pro illa die iam habet à Papa legitimā diſpenſationem, & aliàs nec Prælati authoritas, nec gratia Summi Pōtificis ei quidquam prodeſſet. Addo etiam prodeſſe diſpenſationem poſſe quando horarum lectio præſumeretur illatura grauiſſimam incommoditatem citra mortis periculum.

Supereſt, vt exponam, quinam ſint illi, qui poſſunt Officium omittere, non tamen omittere tenentur. Quicumque ægroti, qui ob recitationem officij non exponuntur graui mortis periculo, ſed tantùm ſummæ moleſtiæ, non tenentur legere Horas, poſſunt tamen.

Non teneri probo. Eccleſia eſt ſummè prudens & rationabilis; eius intentum non eſt torquere ægrotos, ſed conſolari, ergo cenſenda eſt noluiſſe obligare ęgros ad legendum cum nimia moleſtia. Hic obiter carpo illos, qui maioris obſeruantiæ cauſa credunt Eccleſiam etiam tali caſu ægrotos obligare, tales enim Authores vt videantur timorati, ſunt temerarij iudices, & Eccleſiæ ipſi iniurij: ſupponunt quippe, eam nō agere matrem ſed nouercam, nulla mater, ſi bona ſit, filios morbo laborantes torquet, nulla cogit ut ea faciant, quæ ſine moleſta ſumma exequi non poſſunt. Quę tametſi apud omnes vera, veriora apud DD. Benedictinos, quorum Regula nimium laborem aut nimiam incommoditatem in omni lege attentione proſcribit.

1431 Aegrotos autem huiuſcemodi poſſe tali caſu recitare officium, probatur, quoniam ſunt domini ſuæ commoditatis, & hanc poſſunt offerre Deo, atque ita etiam cum nimia moleſtia Officium

cium legere. Verum tamen tales improprię dicentur ſatisfacere Officio, ſi legant, illi enim ſoli ſatisfacere dicuntur, qui obligationi correſpondent; hi verò nullam Officij legendi obligationem habent, ac proinde, ſi legant, faciunt opus ſupererogationis.

1432 Circa tædio nimis prolixo laborantes potiùs locum habere videtur Abbatis diſpenſatio. Ideò dico

I. *Qui certò aut probabiliter ſcit ſe tædium nimium & moleſtiam ſummam paſſurum eſſe in lectione Canonica, & certò vel probabiliter exiſtimat non poſſe oriri ex illa lectione proximum mortis periculum, poteſt non legere, & ſi malit, poteſt legere*. Conſtat ex his quæ iam diximus.

II. *Si certò ſciat Petrus nullum graue nocumentum ex lectione obuenturum eſſe, dubitet tamen an legere poterit ſine nimia moleſtia, tenetur legere ſub culpa*. Conſultò dixi *ſi certò ſciat*: quia qui probabiliter ſcit non imminere ſibi ex lectione graue nocumentum, probabiliter etiam illud timet; non enim vna pars poteſt eſſe probabilis, quin etiam ſit probabilis contraria.

In tali dubio teneri Officium legere iam dixi, & breuiter *probo*. Nam nulli graui periculo ſe exponit Petrus cùm recitat, ergo debet obligationi ſatisfacere. *Confirmatur*. Nemo poteſt vti diſpenſatione dubia. Atqui hic lex, & obligatio legendi eſt rata, vt patet, quia fundatur in nimia, & ſumma incommoditate, quæ ſupponitur dubia: Ergo non poteſt vti huiuſmodi diſpenſatione. Maiorem probo. Nullus in dubio eliminari debet à poſſeſſione, vnde apud Iuriſconſultos dicitur *Beatus qui poſſidet* communi axiomate. Atqui lex, & obligatio recitandi in caſu poſita eſt in praxi & vſu certo, ergo diſpenſatio dubia non ſufficit, vt à lege rata & certa abſoluatur. [Fortè in tali caſu non eſſet dubia diſpenſatio ſed lex ipſa. videtur enim dubitari an tali ægro ſit poſita. Hoc tu examina, nam multa mihi occurrunt.]

1433 Dices. Cùm Petrus dubitat an ſibi ex lectione graue damnũ immineat, tenetur non legere: ergò etiam cùm dubitat, an ſibi inde immineat nimia incommoditas.

Reſpondeo negando conſequentiam: imò ipſa diſparitas ſententiam noſtram confirmat. Petrus nõ poteſt violare obligationem certam colore diſpenſationis dubiæ. Atqui certum eſt ipſum non poſſe vitam ſuam prodigere: ergo nec poterit actionem elicere cui mors annectitur. Ergo, ſi dubitet num graue damnum ex lectione oriturum ſit, imprudente, imminenti periculo. Verùm longè diuerſa eſt quæſtio, cùm de commoditate agitur; quia omnes tenentur obedire Eccleſiæ, ſi abſque nimia incommoditate poſſint: Ergo hæc lex rata, & certa vigebit donec incõmoditas prudẽter innoteſcat: nullus verò prudenter cognoſcit cùm dubitat: ſed tunc demum, cùm euidenter aut probabiliore philoſophatur.

III. *Qui dubitat, num ſibi Horas lecturo immineat incommoditas nimia, (tanto, nempe, vt ipſum valeat excuſare à peccato) poteſt petere, & obtinere validè, & licitè diſpenſationem*. Probatur; quia qui dubitat, legitimè ad Prælatum ſuum tanquam ad Magiſtrum & Pædagogum confugit: & ipſe Prælatus pro ſimilibus caſibus ex fauore Pontificis habet authoritatem benignè interpretandi.

IV. *Ægrotus, qui non poteſt recitare totum officium non tenetur recitare partem*. Totum, inquam, ſaltem phyſicè, moraliter vel ſubſtantialiter. Ille dicitur officium totum phyſicè recitaſſe, qui nec ſyllabam omiſit, ille totum moraliter legit, qui aliquid omiſit, minus tamen ſexageſima quarta officij parte, pendet hoc à materia parua & nulla, de quibus ſuperiùs. Ille denique legit totum officium ſubſtantialiter, qui nullam

iam officij partem ſubſtantialem omiſit, quæ eſſet notabilis.

1434 Diana *tract. 12. de horis canon. reſol. 29. & tra. 3. de conſcientia dubia, reſol. 67.* citans Bonacinam *de horis canon. diſp. 1. q. 6. punct. 1. nu.* 4. Caſtrum Palaum *to. 2. diſp. 2. punct. 6. n.* 10. aſſerit non teneri eum legere, qui non poteſt legere maiorem partem.

Rodriguez *in Summæ p. 1. c.* 145. & Garcia *de benef. to. 1. p. 3. cap. 1. nu.* 222. illum, qui non poteſt legere Matutinum ſaltem cum Laudibus, ab obligatione recitandi abſoluunt.

1435 Pro quæſtionis huius deciſione examinandum eſt. Vtrùm lectio Diuini officij octo præceptis numero diſtinctis ſingulas Horas ſigillatim reſpicientibus, an verò ſolùm vnico præcipienti ſimul octo Horas, ſubiaceat. Si primum dicatur, ſequitur eum, qui ſaltem Matutinas poſſet ſoluere, illas teneri legere; Ego verò cùm ſentiam non dari plura præcepta ſed vnicum (vt notaui *num.* 1335.) aſſero conſequenter Petro v. g. illo præcepto iniungi, vt totum officium perſoluat. Ergo poteſt, vel non. Si poteſt, ſatisfaciat, ſin minus, omittat: non enim datur præceptum indicens lectionem vnius Horæ. Confirmatur. Ad impoſſibile nemo tenetur; ergo quando aliquis non poteſt ſatisfacere præcepto, non tenetur. Atqui præceptum eſt de legendo toto officio, non de parte: ergo quando aliquis non poteſt ſatisfacere toti præcepto, non tenetur ſatisfacere parti, hæc enim non præcipitur, vt ex ſe patet.

Dices. Quando quis omittit partem notabilem Diuini officij, peccat grauiter; ergo non ſolùm indicitur illi lectio totius officij, ſed & ſingularum partium.

Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio eſt, quia ſi ſingulæ partes præciperentur, iam non eſſet vnum præceptum, ſed octo numero diſtincta; cuius oppoſitum oſtendi. Sanè, qui omittit Veſperas, peccat mortaliter; non quia temerauit præceptum Veſperarum lectionem indicens, diſtinctum à cæteris lectionem aliarum Horarum indicentibus; ſed quia temerauit legem præcipientem vt totum Canonicum officium legeret; ille enim, qui omittit Veſperas, non legit totum ſuum officium, ac propterea peccat mortaliter.

DISPVTATIO CXVI.

Vtrùm præter ægros, etiam illi, qui ſunt valde occupati, abſoluendi ſint ab obligatione legendi officij.

1436 Reſpondeo occupationum pondus & qualitatem conſideranda eſſe. In Salmanticenſi & ſimilibus Academijs, item in quibuſdam Cathedralibus Eccleſiis, Cathedræ ſeu Canonicatus candidatus ſeu prætenſor (vt aiunt) viginti-quatuor Horis ſe preparat, vt hora integra habeat memoriter orationem Scholaſticam, & exponat controuerſiam quam ſors obtulit, & hora altera argumentis competitorum ſatisfaciat. Cenſeo talem his viginti-quatuor Horis ad officij Lectionem non teneri. Ratio eſt, quia illic agitur de

ſummo honore, de pretio magno, fortè de commoditate totius vitæ, de authoritate integræ Religionis, tempus eſt breue & totum neceſſarium. Nec die primo tenetur anticipare Horas Canonicas, quia expedit non ſudare ante curſum, ſi enim ante initium laſſus fuerit, per illas viginti-quatuor Horas perſeuerare non poterit. Quid ſi aliquis vtrumque poſſit? non tenetur, & hoc non ſolùm probatur, ſed clarè demonſtratur. Nemo ambigit, quin meliùs ſe poterit præparare viginti-quatuor Horis, quàm viginti-duabus, meliùs ſi ſtudeat ſedulus, quàm ſi ſit laſſus, atqui Lectio aut Canonicatus non dabitur ſatisfacienti, ſed meliùs ſatisfacienti, ergo talis prętenſor tenetur non ſolùm curare vt faciat bene, ſed vt meliùs faciat. Si ſuas Horas illa die legat, non iam habebit viginti-quatuor Horas, ſed viginti-duas, vt ſe pręparet, ſi legat antequam puncta deſignentur, deſcendet laſſus in arenam, ergo non tenetur. Hic obiter Lector, ſi contrarium cenſeas probabilius, ne loquaris, obſecro, quouſque ſemel ad lectiones ſimiles in tali Academia adſpiraueris, aut decipio, aut ſententiam contrariam probabilem credunt inexperti. Argumentaturi ſemper pollent robuſtiſſimo ingenio, & benè muniri debet competitor vt præualeat. Addo huiuſcemodi Competitorem poſſe alios impendere, qui pro illo tempore, quo neceſſarij fuerint, nil aliud tenebũtur agere. Hinc collige, qualiter de occupationibus actualibus tibi philoſophandum ſit.

1436 b. In hac materia benignior adhuc eſt ſententia Suarij *lib. 4. de Horis canon, cap. 25. num. 35.* vbi, *Si Scholaris velit*, ait, *publicam actionem litterariam per integrum diem habere, & recitare non poſſit, non tenetur actionem dimittere etiam ſi abſque peccato poſſit*. Sunt verba tanto Doctore digna, & conſequẽtias plurimas parturiunt, quas alibi expendam.

1436 c. De habitualibus maior eſt difficultas, quia illæ vix tantæ, vt deſit recitandi locus. Verum in his hęc mihi Regula. Conſidero laborem minimum, qui eſt ſufficiens excuſare à ieiunio, & quo alius minor à ieiunio excuſare non poteſt, hunc vocemus laborem A. His poſitis dico. *Ille, cuius occupationes tã incompatibiles ſunt cum lectione Horarum, quàm labor A. cum ieiunio, nõ tenetur legere.* Conſtat euidenter à pari.

1437 Difficilius autem erit determinare, quales & quantę occupationes eſſe debeant, quę aliquem à lectione excuſent. Circa occupationum qualitatẽ notandum, eas debere eſse ex officio, quę verò dicuntur ex officio, complectuntur omnes illas, quæ ad charitatem publicam ſeu priuatam pertinent, vnicuique enim incumbit ex officio ſeruire Reipublicæ cùm poteſt, & quantum poteſt, vnicuique fauere proximo grauiter periclitanti. Circa occupationum quantitatem ſic philoſophor. Nunquam vidi ſeruos aut mancipia operari plus quàm horis duodecim, vnde & diem politicum non viginti-quatuor, ſed duodecim æquinoctialibus horis conſtare aſſerui, illi enim qui famulos vltra duodecim horas quotidie occupant, tyranni potiùs, quàm Domini cenſendi ſunt. Conſultò quotidie dixi, quia vt notaui alibi, talia poſſent aliquando negotia occurrere, vt maior requireretur adſiſtentia, ſed tunc illa occupatio non ordinaria & habitualis, ſed extraordinaria & actualis diceretur. Verè homo (licet ſubditus ſit) ferreus non eſt aut adamantinus, ſed carneus, indiget ſeptem aut octo Horis vt dormiat, & multi indigent pluribus. Eget inſuper vna vel altera vt prandeat, & cęnet. Habet homo communes tam animi, quàm corporis neceſſitates, nec vnus, qui vtriſque careat. Corporalibus neceſſitatibus ſubueniendum eſt, quia naturalia impediri non poſſunt; Animo etiam concedi debet honeſta relaxatio, quia ſingulis

diebus

diebus obſeruantiſſimis Religioſis aliqualis conceditur, & maior ſemel in hebdomada. Homo, cùm animal ſociabile ſit, inacceſſibilis & intractabilis eſſe non poteſt: amicos debet inuiſere, & eos admittere quoties poſtulat aut moralis indigentia & neceſſitas, aut politica vrbanitas. Debet ab abſentibus conueniri per litteras, & ipſis ſatisfacere. Hæc omnia talia ſunt, vt ſine vitæ naturalis aut ciuilis diſpendio intermitti non poſſint. Ergo prudens eſto, nec tibi effingas illegitimas, nec opem neges legitimis neceſſitatibus. Igitur qui tot miſerijs laboras, rigidus & temerarius eris, ſi diem politicum vltra duodecim horas extenderis. Concede te tuo officio horis duodecim, duodecim alijs ſatisfacias naturæ, fortunæ, & amicorum legitimæ neceſſitati; potius enim vitam nulli inimicam, nulli ſcandaloſam, honeſtam & illibatam, quàm ſanam conſeruare teneris. Crudelis Volaterrano videor, qui apud BeyerlincKium *in Theatro magno, verb. Zeta.* mancipia ad plures, ſed ingenuos ſolùm ad ſex laboris horas quotidie obligat. ait .n.

Sex horæ tantùm rebus tribuuntur agendis.

conſonans Græco anonymo apud quem lego:

r. Εξ ὧραι μόχτοις ἱκανάταται, αἱ δὲ μετ᾽ αὐτάς
Γράμμασι δεικνυμαιας ζῆτι λέγουσι βρότοις.

Quod diſtichon apud Antonium Ricciardum Brixianum ſic tranſlatum reperio,

r. *Sufficit in ſextam labor horam, deinde ſequentis*
Vt viuas numeri littera ζῆθι monet.

ζῆθι ſignificat viue & comprehendit Z. H. Θ. I. hoc eſt, *ſextam, ſeptimam, octauam, nonam.* quaſi his horis ſibi vnuſquiſque viuere debeat, nec debeat vltra horam ſextam laborare. An ſaltem vltra nonam reſumpturus laborem ſit, non vrgeo.

Volaterrano videtur ſubſcripſiſſe Suarius, qui vt vidimus, ſtudioſum ab horarum lectione excuſabat ratione habendæ actionis publicæ per totam die, hoc eſt per duas aut tres horas matutinas & totidem Veſpertinas iuxta mores Vniuerſitatum. Ergo ſiquidem Suarius excuſat eum, qui vltro oſtentationis gratia, ſex horis diſputat aut eloquitur, probabilior erit ſubſequens Concluſio.

1438 *Qui ex officio ſibi legitimè iniuncto ſingulis diebus duodecim Horis integris occupatur, non tenetur legere officium diuinum.* Neſcio an ſint multi, qui in officio ſibi iniuncto tantum tempus impendant. Pientiſſimus Pater Franciſcus Suarius, cuius vita fuit omnibus exemplo, ingenij viuacitas admirationi, Reuerendiſſimo D. Ludouico Bernaldo de Quirós Ciſtercienſium Reformatori Generali, & apud Salmāticenſes Primario ſacræ lectionis Cathedratico, amico & Domino meo ſingulariſſimo dixit ſæpiuſculè, ſe ferè omnibus diebus ſtudere octodecim horis. Terreor cùm audio tam conſtantem laborem, & ſtudioſam pertinaciam: ſed ſtatim dubito, an ſex reſiduis horis potuerit dormire, comedere, Miſſam legere, & Horas recitare. Fortè ſingulis diebus legebat officium de Reſurrectione, quod Viri occupatiſſimi laudabiliter faciunt; ſed hoc Diana reprehenderet, alij incriminarentur, & de viro ſancto nihil non ſancti dici debet: fortè ad illas octodecim horas reduci & computari debet tempus illud, quo contemplationi ſtudebat, & illud quo horas recitabat. Quid fecerit, alij examinent, ego autem ſine ſcrupulo ſubſcriberem tanto Doctori.

Sæpè occupationes non ſolùm tempus ſubripiunt, ſed & hominem frangunt: tales autem inter morbos recenſendæ ſunt, & ſi ex illis naſcatur inhabilitas ſumma (puta nimius capitis dolor) paucæ etiam horæ ſufficerent, vt excu-

ſare-

ſareris ab officio. Petis, quantus debeat eſſe dolor capitis, qui poſſit dici morbus excuſans ab horarum lectione? Reſpondeo debere tantum eſſe, quantus in ſtomacho ſufficeret vt à ieiunio te excuſaret.

1439 Suarius *lib.4.de Horis canon.c. 27.num.* 33. aſſerit eum qui habet officium, qui cum non conſiſtit Horarum lectio, debere vel illud relinquere, vel petere diſpenſationem. Vtrumque tamẽ falſum eſt, & ex ipſius Suarij doctrina propugnari non poteſt. Nam, aſſerente eodem Authore, qui oſtentationis gratia vult integro die actionem publicam literariam facere, poteſt omittere officium Diuinum vt ea meliùs fiat; nec tenetur propoſitam actionem intermittere. Atqui Petrus potiùs tenetur officio quàm velleitati ſatisfacere: ergo cui licet potiùs officium Canonicum omittere, quàm actionem oſtentationis vltrò admiſſam, poterit etiam omittere potiùs officium, quàm conditionem ſeu dignitatem illam, quam habet.

Præterea, ſi occupatio ſit publica (puta ſi Petrus ſit aut Concilij Præſes, aut Regni Gubernator, aut pauperum Prouiſor, aut Magiſter ægrorum, &c.) nõ poteſt Petrus præponere priuata publicis, nec cenſendus eſt iuſſiſſe Pontifex vt communibus particularia præponat, ſeruire debet Reipublicæ & Patriæ quando, & quantum poteſt, nec ei Officium legendum alicui debet eſſe impedimento.

Probatur id clariſſimè, *primò*, quia ſicut Pontifex non poteſt indicere Horarum Lectionem in damnũ ſalutis priuatæ, ſic nec in damnum ſalutis publicæ: ergo ſicut Petrus non tenetur obedire Eccleſiaſticę legi cum ſalutis graui detrimento, ſic nec cum graui detrimento Reipublicæ.

Secundò, quia Pontifex noluit præcipere officij Canonici lectionẽ in propoſitis caſibus, quod probo euidenter. Summa eſſet imprudentia, velle quod Suarius non ſcriberet doctiſſima illa volumina, quæ illuſtrant Eccleſiam militantem, Imperitia eſſet, malle, quod Petrus Horas legeret, quàm audiret Confeſſiones, rigor iniquus eſſet Paulũ ita lectione impedire, vt ęgro grauiter periclitanti opitulari non poſſet: tyrannis, titulo recitationis præcipere Ioanni, ne faueat, & ſeruiat Reipublicæ adſiſtentia indigenti: Atqui Eccleſiæ & Pontifici eſt iniurius, qui ita Ius Canonicum explicat, vt Legiſlatores habendi ſint rigidi, tyranni, & imprudentes; ergo dicendum eſt Pontifices noluiſſe in talibus caſibus ad Horarum recitationem obligare. Nempe, cum ex officio ſuo aliquis habet occupationes ita graues, vt non conſiſtant cum Horarum lectione. Conſentit Eruditiſſimus Pater Baſæus *in Floribus pag.* 358. *e.* affirmans excuſare ab horarum lectione infirmitatem grauem, & occupationem honeſtã, neceſſariam, incompatibilem, quę commodè differri non poſſit abſque ſcandalo aut peccato, aut detrimento ſui vel proximi. & in comminationem citat me in hoc Comment. diſput. 90. Conſonamus Antonio Perezio qui in Capit. 50. Regulæ numer. 1. ſic inquit. *Scita, & conſtans apud omnes eſt doctrina Scholaſticorum dicentium, quod dum grauis aliqua & diuturna ſimul ingruit occupatio, quæ abſque offenſione aliorũ prętermitti non poteſt, aut in aliud tempus commode differri, inſtam excuſationem aſſerat recitandi officium Diuinum: ſecus vero quando breuis vel leuis eſt, & talis quod ab vna in aliam poſſit commode transferri horam, & hoc citra notabile præiudicium alterius. Ita Henriquez quodlib.* 4. *qu.*12. *Maior in* 4.*d.* 12. *q.*6. *Nauar. de orat. c.*11. *Azor l.* 10.*c.*13. *q.* 15. *Quare quoniam huiuſmodi eſt communis & regularis Monachorum occupatio in agris, atque etiam in itineribus, vtpotè qui non neceſſario omne diei tempus prærequirunt ſibi, præcipit ſanctus Pater fratribus in via dire-*

directis, vt in ea ſemper Diuinum officium perſoluant vt vt potuerint: fratribus autem qui in agro ſunt, non ſolum præcipit vt diuinũ in eo recitent Officiũ; verum quod id faciant genua flectentes, & cum reuerentia & tremore adhuc in ipſo agro, dummodo adeo longe à Monaſterio ſint, vt (de ſententia Abbatis) ad Oratorium commode non poſſint occurrere horis competentibus, in quibus Diuinum officium perſoluendum eſt. Alias præcipit vt etiam cum interrupti ne laboris ad Oratorium occurratur, vt in eo redeatur Deo ſeruitutis penſum.

Modus facilis ſatisfaciendi Officio etiam cum negotia ſunt grauia.

1440 Sanè viros Reipublicæ regimini addictos, & grauibus negotijs implicatos facili negotio abſoluerem ab accidentarijs officij Diuini circumſtantiis, modo ſubſtantialia perſoluerent. Hoc facilè præſtabunt qui ita tempus diſtribuent, vt Miſsã celebraturi ſe præparent lectione Matutinarum & Laudum: cùm celebrauerint, Primam incipiãt, & Deo gratias agant legendo ad Nonam incluſiuè. Cùm vadunt cubitum, perſoluant Veſperas & Completorium; nec alias orationes ex deuotione recitent, antequã ſatisfecerint Officio Canonico, in eo enim orationes deuotiſſimæ reperiũtur, nec laudandus qui id omittit, ſi potuerit legere intermiſſis reliquis deuotionibus,

¶ Decentia non obligat, poſtulat tamẽ, vt quotidie Miſſam audiant, qui non ſũt Sacerdotes, & huiuſcemodi poterunt Horas ſuas, dum Miſsa legitur, recitare. Ecce modum quo Canonico Officio ſatisfacies ſine diſpendio temporis, qui ſtudijs vacas, aut negotijs obrueris.

An poſſit quis ante Matutinorum lectionem celebrare.

1441 Laudo illos qui celebraturi ſe præparant lectione Matutinorũ & Laudum, eos qui has Horas poſt Miſsã legunt non accuſo: non enim eſt peccatum mortale Miſſam ante Matutinorum lectionem celebrare, ita docente Soto *lib.* 10. *de iuſt. q.* 5. *art.* 4. & 4. *ſent. diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 2. *in fin.* Medina *in ſum. l.* 1. *c.* 16. §. 2. Nauarro *c. quando.* Sylu. *verb. Miſ.* 1. *q.* 6. (ita citatur à Soto, licèt Nauarrus citet eum pro ſententia cõtraria) & Bartholomæo à Ledeſma *de ſacr. Euchariſt. dub.* 39. Thomas Sanchez *Conſiliorum l.* 7. *c.* 1. *dub.* 38. *nu.* 3.

Si cauſa rationabilis detur, nec erit peccatum veniale celebrare antequã legeris Matutinas. Ita citatus Sãchez *n.* 5.

Imò etiam nulla data cauſa, non eſt peccatum veniale, celebrare ante Matutinorum lectionem. Eſt contra citatos Sotum, Ledeſmam, Mediñã, & Sanchez, quos arguo inconſequentiæ. Nam ratio quæ probat non eſse peccatum mortale, celebrare ante Matutinorum lectionem, conuincit etiam non eſse peccatum veniale: & probo. Ideo (verba ſunt Thomæ Sanchez expreſsa) non eſt peccatũ mortale, *quia Sacrum non dependet ab horis Canonicis.* Ergo non mutat ordinem qui celebrat non lectis Matutinis: ergo neque peccat venialiter.

1441 b. Hinc colliges, aliquem morbo laborantem, qui aut ſpeculatiuè à medico aut practicè à Prælato abſoluitur ab Officij Diuini lectione, poſse celebrare etiam ſi non ſit Horas lecturus. Ita Sotus, Ledeſma, & Sanchez *iam citati.* Patet, quia Miſsa non dependet ab Horis.

Eadem ratio perſuadet à fortiori non eſse mortale aut veniale celebrare antequam legeris Primam, etiã ſi nulla cauſa ſubſit. Ita Sanchez *Conſiliorum li.* 7. *c.* 2. *dub.* 30. *n.* 3. Armilla *verb. Miſſa, nu.* 42. Viguerus *l. Inſtit. c.* 6. §. 5. *verſ.* 4. Margarita Cõfeſ. *fol.* 162. Nauar. *c.* 25. *n.* 83. Sotus *l.* 10. *de iuſt. q.* 5. *ar.* 5. Barthol. Ledeſ. *de Euch. dub.* 39. & omnes iuniores.

Eadem ratione etiam conuincitur celebraturum Miſsam maiorem non teneri priùs legere Matutinas. Eum ſaltem a culpa graui abſoluit Thomas Sanchez *Conſil. l.* 7. *c.* 2. *dub.* 39. & apud eum quidam recentior valde doctus, dicens ſic ſenſiſse Sotum, & aliquos Thomiſtas.

Romano, ſi illud inueniat. Quia quomodocumque philoſophemur, maior eſt obligatio maiorum ordinum, quàm Religionis, & iuxta maiorem obligationem teneremur legere Romanum Officium, prout ſuperiùs oſtendimus. Sed & hoc aliqui etiam probabiliter negare poterunt.

Si inueniat Breuiarium alterius ordinis in quo nec ſit officium diei currentis iuxta formam ſui ordinis, nec iuxta Romanas rubricas, non tenetur eo vti. Crebrò tamen contingit, quòd in diuerſis Breuiarijs aliqua officia coincidant: idcircò ſi in alieno Breuiario reperiat officium, quod illa die vel ſua Religio, vel vſus Romanus recitat, tenetur illud legere.

Si quis habeat Diurnale, tenetur recitare omnes Matutinorum Pſalmos, & reliqua, quæ ad nocturnos pertinent, vt poteſt ex Diurnali, quia in Diurnali Laudibus Horæ ſunt integræ. Ita Sanchez *in ſumm. tom. 1. libr. 1. capit. 19. numer. 8.* qui hanc rationem affert, nempe Lectiones & Reſponſoria eſſe materiam paruam (accidentalem potiùs) quæ non eſt ſufficiens ad moralem integritatem officij diuini tollendam. Hoc clariùs conſtabit ex dicendis inferiùs. Sed probabiliter excuſari etiam poterit.

DVBIVM I.

1445 Petrus non habet librum, in quo legat Horas, nouit aliqua memoriter, ita tamen vt non poſſit ſatisfacere, offert ſe ſocius, qui omnia ſcit memoriter. Quod ſi Petrus cum illo recitare velit, poterit exactè ſatisfacere, petitur an teneatur cum illo ſocio recitare officium.

Reſpondeo negatiuè quia recitare cum ſocio eſt fauor vnicuique conceſſus, & nemo tenetur vti fauoribus inuitus. Ita alter Sanchez *in ſelectis diſput. 41. num. 2.*

Quod ſi antea ſemper recitauerit cū illo ſocio? Nec tunc tenetur cum illo recitare, fauores enim talis ſunt ingenij, vt nunquam cogant, aliàs eſſent grauamina, ergo qui illuc vſque illo fauore vſus eſt, poterit non vti, cùm voluerit.

DVBIVM II.

1446 Paulus ingreſſurus nauim maioris commoditatis cauſa contulit ſecum Diurnale, ſubſcribens Thomę Sanchez *in ſummæ tom. 1. libr. 1. cap. 19. nu. 8.* aſſerenti, legentem ea, quæ continentur in Diurnali, officio Diuino ſatisfacere: poſtquam ſoluerunt è portu mutauit dictamen, & ſecutus Ioannem Sanchez *in ſelectis diſp. 15. num. 2.* aſſerentem, in Diurnali non contineri integrum Diuinum officium, ac proinde carentem Breuiario, licèt Diurnale habeat, non teneri legere officium: illud non legit, Petitur num peccet?

Vt exactè reſpondeam, opus eſt omnes circumſtantias expendere. Paulus *primò* Sanchij ſententiam ſequebatur, & benè faciebat, quia eſt grauis Author, & probabilis illius ſententia. Ex vi huius dictaminis potuit ſine culpæ grauis ſcrupulo relinquere Breuiarium; & Diurnale conferre. *Secundò* aſſeritur Paulus mutaſſe dictamen, & hoc humanum eſt, & rationale. Homo non eſt ſuarum opinionum mancipium: cùm probabile dictamen mutat, vtitur ſua cœlitùs conceſſa libertate, & bene facit. Fidei dogmatibus, demonſtrationibus, ac principiis per ſe notis ſubeſt ingenium, probabilibus ſententijs ſupereſt: ideo quàm liberè ſententiam approbauit, tam liberè etiam poteſt dimittere cum voluerit. Potuit igitur Paulus ſine conſcientiæ ſcrupulo mutare dictamen, & valedicens vni Authori alterius probabilem ſententiam ſequi. *Tertiò* dicitur Paulum noluiſſe vti Diurnali, & defectu Breuiarii multis diebus Horas non recitaſſe. Nec tamen malè fecit, quia operabatur iuxta conſcien-

ſcientiæ dictamen, quod erat & probabile, & prudens, Sanchij authoritate ſubnixum.

1447 Quid ſi Paulus cùm habuit primum dictamen, ſimul etiam habuerit intentionem illud mutandi, & eligendi poſtea ſententiam contrariam? Iuxta probabilem ſententiam, impoſſibile eſt habere intentionem mutandi dictamen, quia ipſum velle mutare, quodammodo mutare eſt. Velle amare obiectum, aut formaliter eſt amare obiectum, aut ſaltem interpretatiuè: vnde qui ſequi vult aliquam ſententiam, aut formaliter, aut ſaltem interpretatiuè illi ſubſcribit. Propterea non crederem eum perſeuerare in priori dictamine, qui deſiderat oppoſitum: & probo. Idem eſt velle ſequi aliquam ſententiam, atque ei moraliter, & interpretatiuè ſubſcribere; atqui ille qui interpretatiuè ſubſcribit illi ſententiæ, interpretatiuè & moraliter valedicit contrariæ: ergo quàmprimum quis vult mutare ſententiam, moraliter loquendo iam mutat. Ergo Paulus cùm omiſit Breuiarium, & Diurnale contulit, moraliter, & interpretatiuè adhæſit ſententiæ aſſerenti Diurnale non ſufficere. Ideoque operatus eſt contra dictamen prudens in materia graui, & peccauit mortaliter.

Hæc dicta ſunto in opinione admittentium actus voluntatis virtuales, & interpretatiuos, quos permulti negant. Quod ſi partem probabiliorem ſequaris, & aſſeras non dari interpretatiuas volitiones, ſine mutatione reali & phyſica, ſi iniquas omnes puras omiſſiones proſcribas, & affirmes phyſicè mutari voluntatẽ quotieſcunque operatur liberè, ſuppoſitionem debes admittere: & cõſequẽter aſſerere omnia eſſe licita. Quoniam potuit Paulus habere primũ dictamen, & iuxta id omittere Breuiarium. Potuit etiam velle mutare dictamen, qui hoc nulla lege interdicitur.

1448 Dices, Quando Paulus ingreſſus eſt nauim, voluit mutare dictamen? ergo voluit non legere. Patet, quia ex mutatione dictaminis inferebatur lectionis omiſſio. Ergo peccauit grauiter: Quia mortiferè peccat qui vult non legere cũ poteſt, & Paulus antè quã è portu ſolueret, poterat conferre Breuiarium, & legere.

Multa hic confunduntur, quæ expenderem, ni timerem cenſeri nimis prolixus. Reſpondeo itaque Concedendo Paulum cum ingrederetur nauim, voluiſſe mutare dictamen; & diſtinguo conſequens. Voluit ergo non legere, hoc eſt, omittere horarum lectionem, quam tunc iudicaturus erat obligatoriam, nego: illam quam tunc iudicaturus erat non obligatoriam, concedo. Ergo peccauit grauiter, nego ſubſumptam conſequentiam: vt enim actio non ſit peccaminoſa, correſpondere debet prudenti dictamini, non futuro aut præterito, ſed illi quod eſt præſens quando fit. Omiſſio autem officij Diuini licèt eſſet contra dictamen prius, erat tamen ſecundùm dictamen quod habiturus erat Paulus cùm lectionem erat omiſſurus.

At quia, & poſſunt purè omiſſiones negari (mihi nugæ ipſæ ſunt). & tamen voluntas etiam interpretatiua concedi, dicendum videtur, cum qui vult mutare dictamen nondum mutaſſe phyſicè, ſed virtualiter, moraliter, aut interpretatiuè atque adhuc non poſſe cum tali intẽtione nauim ingredi ſine breuiario.

DVBIVM III.

1449 Abbas quiſpiam Benedictinus carens Breuiario proprio, inuenit Breuiarium alterius Ordinis, petitur an eo vti teneatur.

Ratio dubitandi eſt, quia poteſt id approbare pro ſe, & ſuis ſubditis, iuxta ea quæ *diſp.* 102. diximus. Ergo inuenit Breuiarium, quo poſſit exactè officio Diuino ſatisfacere.

Reſpondeo nihilominus Abbatem illum nō teneri vt Breuiario alterius Religionis, & demonſtro ſatis clarè. *Primò*, quia mutandi rubricas non omnes Abbatibus poteſtatem concedunt, adeoque poſſet probabiliter credere ſe illas mutare non poſſe. *Secundò*, vt poſſit mutare, non tenetur. Quandiu ipſe non mutauerit communes Breuiarij Benedictini rubricas, iuxta illas tenetur recitare; non tenetur ergo legere officium alterius Religionis, quia id non eſt conforme Rubricis Benedictinis.

DVBIVM IV.

1450 Ambroſio Religioſo Benedictino non habenti Breuiarium Ordinis ſui, & incōuenienti Breuiarium alterius Religionis, dixit Prælatus. Volo quod hodie tale ſit officium, quale reperitur in Breuiario inuento. Petitur, an Ambroſius teneatur legere in Breuiario inuento.

Reſpondeo affirmatiuè, quia nullius Breuiarij rubricæ grauiter differunt à Benedictinis in materia, quæ non ſubſit arbitrio Abbatis. Conſtat ex his *diſp.* 102. explicauimus. Ergo officium illud poſita approbatione Abbatis factum fuit Benedictinum. Et poſito quod eſſet Benedictinum pertinens ad currentem diem, debuit ab Ambroſio, & alijs eius Confratribus recitari. Addo tamen potuiſſe Ambroſium noſtræ opinioni non ſubſcribere, & excuſari probabilitate opinionis contrariæ.

DISPVTATIO CXVIII.

De paruitate materiæ excuſante à peccato graui in officio Diuino.

1451 QVando agimus de paruitate materiæ: ſupponimus eam fuiſſe omiſſam liberè cum pleno aſſenſu, quia materia leuis, ſi cum imperfecta deliberatione omittitur, nec eſt materia peccati venialis nec mortalis. Addimus debuiſſe omitti ſine rationabili cauſa, nempe ex mera ignauia aut negligentia.

ARTICVLVS I.

Exponitur, & diuiditur materia: Quantitas.

1452 NOmine *Quantitatis*, magnitudinem & paruitatem comprehendo: & Quantitatem diuido in ſubſtantialem, accidentalem, & virtualem ſeu finalem. Omnes has differentias explicabo.

Materia eſſentialis officio Diuino illa eſt, qua ſublata non remanet tale, & cuius parte ſublata non remanet integrum quoad ſubſtantiam. Materia accidentalis eſt, quæ Canonicum officium ita complet, vt tamen ad illius eſſentiam nequaquam pertineat, & qua ſublata officium adhuc remanet integrum quoad ſubſtantiam.

Materia accidentalis eſt duplex, alia obligatoria, alia non obligatoria. Illa Canonicum officium accidentaliter cōplet; hæc exornat, vel mentem recitaturi præparando, & diſponendo, vel Deo gratias agendo, vel pro defectibus commiſſis veniam, & gratiam implorando. In hoc autem diſtinguitur obligatoria à non obligatoria, quòd illa accidat officio integro quoad ſubſtantiam, & compleat accidentaliter: iſta verò

verò accidat Diuino officio qua ſubſtantialiter, & accidentaliter completo, ideoque illud ne accidentariò quidem complet, ſed exornat extrinſecùs.

1453 Præter quantitatem materiæ formalem, & intrinſecam, datur alia extrinſeca, & finalis, quam iudicio digniſſimam expoſitione. Pauca verba poſſunt eſſe grauiſſimi momenti propter publicam, & politicam ſignificantiam. Videmus ex vno oriri ſæpè magna bona. Illa igitur verba extrinſecè, & virtualiter ſunt grauia, quæ notabilia accidentia parturiunt. Quid breuiùs, quam dicere *ita*, vel *non*? Cæterùm interrogatus legitimè & publicè (hoc eſt, à iudice legitimo in re graui, & publica) ſincerè debes reſpondere, & hoc ſub peccato mortali. Verba illa *ita* vel *non* intrinſecè non ſunt magnę materiæ, imò dici poſſent eſſe nullius moraliter. Extrinſecè verò ſunt materiæ magnæ, quia ex illis pendent deciſiones grauiſſimę, conducentes grauiter ad publicam vtilitatem.

Hinc conſtat, non debere contemni Euchariſticæ communionis præceptum; obligat enim ſub peccato mortali, etiam in opinione aſſerentium poſſe quempiã communione ſacrilega Eccleſię præcepto ſatisfacere: quia licèt recipere accidentia illa prout ſenſibilia ſunt in ſe, & intrinſecè non ſit res magni ponderis, ipſa tamen extrinſecè, & politicè grauida ſunt grauiſſimis & attributis, & moralibus circumſtantijs. Nam in primis, illa accidentia ſunt inſenſibilis gratiæ ſignum ſenſibile, & inuiſibiliter ſubſtantijs Chriſti ſymbolum, eorum receptio eſt Catholicæ religionis profeſſio, quæ omnia momenti ſunt maximi, & in accidentium quantitate breuiſſima repęriuntur virtualiter.

Sic etiam quando res magnæ præcipiuntur ob leuem finem, leuiter obligãt: vt ſuperiùs expoſui *numer.* 718. *diſp.* 11. ibi enim *Reſolut.* 1. aſſerui media ſumęre ſpeciem à fine; & addidi regularia ob finem irregularem præcepta reddi irregularia. Itaque ſicut res leues grauiter conducere poſſunt ad conſecutionem finis, ſic etiam poſſunt dari res graues, quæ leuiter ad eandem conducant. Ideoque ſicut in primo caſu res illæ, aliàs leues, habent à fine quod ſint graues moraliter; ſic etiam in ſecundo, res iſtę, aliàs graues, habebunt à fine quod ſint leues moraliter, vel quòd finis ipſe ſit leuis, vel quòd ipſæ leuiter ad grauem conducant.

ARTICVLVS II.

Partes officij Diuini extrinſecæ ſeu non obligatoriæ.

1454 Hvius generis ſunt apud Pręmonſtratenſes illi tres Pſalmi, *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi. Niſi Dominus ædificauerit domum*. & *Voce mea ad Dominum clamaui*. qui cum tribus Collectis ex decreto ſtatutorum Ordinis *diſt.* 1. *cap.* 2. recitari debent ante Matutinas: quos qui omittet, nec mortaliter nec venialiter peccabit. Ita Lairuelz *in Opticæ Regul. ſpec.* 58. *inſtruct.* 7. qui in eo diplicet, quòd ſubiungat eoſdem nõ poſſe omitti ſine culpa veniali. *Eius ratio hæc eſt.* Quia licèt huiuſmodi trium Pſalmorum recitatio non obliget moraliter ex vi ſtatuti, tenentur tamen Religioſi ſub peccato vi Capitulorum Generalium Ordinationum à Viſitatoribus emanatarum, quibus non obtemperare ad minimum eſt veniale. *Reſpondeo tamen* Capitula Generalia, & Viſitatores, cùm ſtatutorum ſanctiones ferunt, non condere ius nouum, ſed antiquum exponere, confirmare, intimare: ergo niſi expreſsè dicant ſe quidpiam pręcipere in virtute obedientię, non ſunt cenſenda ſtatutorum obligationem aggrauaſſe: quod ſi aliquid legitimè pręciperent, hoc obligaret non ſolùm leuiter, ſed & grauiter ſi foret materia magna.

Non aliter philoſophęris de orationibus,

bus, quæ in aliquibus Breuiarijs reperiuntur, & dicuntur ante vel poſt officium Canonicum, aut Miſſam, (tales ſunt in omnibus Breuiarijs *Pater*, *Aue*, & *Credo*, tales in Ciſtertienſi, quæ impreſſæ reperiuntur ſub finem) illæ enim non ſunt moraliter obligatoriæ, & ideo, qui eas omittet, nec venialiter peccabit.

1455 *Pretioſa in conſpectu Domini, &c.* quod manè legitur, & Clauſtralis illa lectio, quæ Completorium antecedit, accidentaria ſunt, & extrinſeca officio Diuino, cuius Horis, aliàs ſubſtantialiter & accidentaliter perfectis, deuotionis cauſa adnectuntur. Omitti igitur poſſunt ſine culpa veniali. Vide *diſp.* 105.

Antiphonæ, quæ ad Pſalmos dicuntur, item Lectionum, & Reſponſoriorum partes in officio Romano ſunt leuiter obligatoriæ, & accidentariò complent & adintegrant Officium diuinum. Secùs in Benedictino officio, quia ex Decreto Regulæ *cap.* 11. conceditur Lectiones, & Reſponſoria breuiare, & *capit.* 18. quod *num.* 1297. explico, Monaſterijs paruis (& à fortiori Religioſis priuatim legentibus) conceditur omnes Antiphonas omittere. Ergo fortaſſis ne venialiter, quidem peccabit Religioſus Benedictinus, qui in priuata ſui Breuiarij lectione omitteret omnes Officij Antiphonas, & Lectionum aut Reſponſoriorum partes. Conſultò dixi Fortaſſis, quia pro hac ego ſententia forti ratione munior, authore careo. Conſultò etiam dixi ſui Breuiarij, quia ſi Benedictinus promotus ad maiores ordines vteretur Breuiario Romano, nec breuiare Lectiones, nec Antiphonas omittere poſſet ſine culpa veniali: niſi fortè omitteret materiam talem, quæ moraliter nulla iudicaretur. puta, ſi tantùm omitteret octo vel decem verba; tunc enim ne venialiter quidem peccaret.

1456 Particularia Monaſteria ad Laudes, & Veſperas plerumque agunt commemorationem alicuius Sancti tutelaris, & hæc fieri debet poſt officium, nec obligat in foro interiori.

Congregationes particulares commemorationes aliquas faciunt extra officium, quæ ſimiliter non ſunt obligatoriæ. Apud Ciſtercienſes, verb. g. poſt ſingulas ferè Horas fit commemoratio B. Mariæ, quæ incipit *Spiritus ſanctus in te deſcendet Maria, &c.* & hæc cõmemoratio planè accidentaria eſt Horæ diuinæ iam completæ tam ſubſtantialiter quàm accidentaliter; illam exornat non complet, & ideo omitti poterit ſine veniali. Imò de facto omittitur poſt Matutinas duodecim Lectionum, nam in ijs Euangelium Collecta ſequitur, & hanc Laudes: Item hyemali tempore in Dunenſi & alijs Monaſterijs grauiſſimis leguntur Vigiliæ, Laudes, & Prima ſimul, & poſt Primam fit huiuſmodi commemoratio, non poſt Laudes. Cardinalis Bellarminus Benedictinum Officium recognouit, & Monaſticum Breuiarium euulgauit, in quo hæc commemoratio etiam omittitur; ergo non eſt pars officij Benedictini.

1457 Petis, Vtrùm hæ rationes, quæ dicuntur eſſe non obligatoriæ, vocari debeant officij partes. Cùm de re conueniamus, facili negotio conueniemus in modo loquendi. Dico eas nec eſſe nec dici debere partes intrinſecas, quoniam nec Officium ſubſtantialiter conſtituunt, nec accidentariò complent: ſed accidunt officio ſubſtantialiter, & accidentaliter completo, ac illud exornant extrinſecùs, nempe concludendo ſi ſequantur, & ſi præcedant præparando: vnde partes extrinſecæ ſunt vocandæ; quia ſicut thorax eſt pars hominis, quà veſtiti, ſic huiuſcemodi orationes ſunt partes Officij, quà extrinſecè completi & exornati.

A R-

ARTICVLVS III.

Partes diuini Officij intrinſecùs accidentales.

1458 Attento Lectore hic indigeo. nec volo tempora & materias in re, de qua tracto, confundi. Imò vt clariùs procedatur deſidero, vt Lector me ſedula aduertentia ſequatur, ſupponens Benedictinum Officium cōſiderari duobus modis: Altero qua præceptum à Regula, altero quà noſtro æuo ab Eccleſia præceptum. Conſiderando igitur

Officium Diuinum iuxta præſcriptum ſolius Regulæ.

1458 b. Exiſtimo, à Verſu *Deus in adiutorium meum intēde* vſque ad Collectam in XII. Lectionum Matutinis, & aliàs vſque ad vltimum *Benedicamus Domino* extendi id quod verè eſt officium Diuinum obligatorium, quidquid viam præparat; quidquid ſubſequitur, extrinſecè accidit officio completo: & neutrum in conſcientia obligat.

Nam *Pater, Aue & Symbolum*, quæ Vigilijs præmittuntur, non eſſe Vigiliarum partes conſtat euidenter ex Regula cap. 9. dicitur; *Hyemis tempore præmiſſo in primis verſu; Deus in adiutorium meum intende, &c. in ſecundo ter dicendum (eſt verſus) Domine labia mea aperies, etc.* Similiter *Pater, & Aue* Præponuntur Diurnis Horis ex mera deuotione, dicente noſtro Legiſlatore cap. 18. *In primis ſemper Diurnis Horis dicatur verſus, Deus in adiutorium meum, &c.* Nota illud *In primis* hoc eſt *In primo loco*. Ergo Horæ tam nocturnę, quàm diurnæ non ab oratione Dominica, ſed à verſu, *Deus in adiutorium, etc.* exordium ſumunt.

Eodem modo de Virginis commemoratione *Spiritus ſanctus in te deſcendet, &c,* de *Pater & Aue* philoſophare, quę ex deuotione Horis Diurnis poſt ponuntur. Nam Cap. 9. aſſerit Vigilias feriales debere finiri *lectione Apoſtolica recitanda memoriter, & litania, hoc eſt Kyrie eleiſon.* Finem Laudum exponit hiſce verbis Cap. 12. *Dicatur Ambroſianum (id eſt Hymnus Verſus, Canticum de Euangelio (nempe Benedictus) Litaniæ, & Completum eſt.* Eadem verba reſumit cap. 13. poſt medium. Et capit. 17. ait ad Veſperas poſt quatuor Pſalmos debere dici, *Lectionem, Reſpōſorium, Ambroſianum, Verſum, Canticum de Euangelio (nempe Magnificat) Litanias, & Orationem Dominicam.* Et addit Completorium analogicè eſſe finiendum. Ergo quidquid poſt Collectam in Matutinis 12. lectionum, & aliàs poſt vltimum *Benedicamus Domino* dicitur in quacumque hora, non eſt pars intrinſeca Diuini officij, ne quidem accidentialis.

Omnes partes intrinſecæ Diuini Officij in conſcientia obligant, ſed diuerſimodè. Accidentariæ ſemper leuiter, Subſtantiales grauiter dum materia eſt magna.

Lectiones & Reſponſoria in Matutinis non ſunt partes ſubſtantiales officij Diuini. Ita Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *libr.* 1. *cap.* 19. *num.* 8. vbi aſſerit eum, qui legerit quod Diurnale continet, Diuinum officium quoad ſubſtantiam perſoluiſſe.

Commemorationes illæ, quæ in Laudibus & Veſperis fiunt inter primum, & ſecundum *Benedicamus Domino*, non ſunt officio ſubſtantiales; ſæpe enim reperiuntur Horæ huiuſcemodi ſine aliqua ſimili Commemoratione.

Hinc collige peccare venialiter omittentem Lectionem, Reſponſoria, & Laudum Veſperarumque Commemorationes illas; quæ ante ſecundum *Benedicamus* dici ſolent. Hinc intelliges cur D. Benedictus permiſerit Præſidi in Choro, [& à fortiori cuicumque priuatim] Lectionum abbreuiationem,

qu ia

quia videlicet non ſunt de officij ſubſtantia, & æquum cenſuit accidentalia diminui, vt ſubſtantialia meliùs perſoluerentur.

Antiphonas iudico non eſſe de eſsẽtia Diuini officij, quia ſi eſſentiales forent, non conceſſiſſet Legiſlator cap. 17. paruis communitatibus licentiam illas omittendi: non minùs enim communitates paruæ quàm magnę Diuino officio quoad ſubſtantiam ſatisfacere tenentur. Ergo qui in officio Romano omnes Antiphonas omiſerit, non mortaliter ſed venialiter peccabit. Ergo, & peccabit venialiter magna communitas Benedictina, quæ omittet omnes Antiphonas. Patet conſequentia, quia ſine cauſa & ſine diſpenſatione omittet id, quod pertinet intrinſecè, non ad ſubſtantiam, ſed ad accidentia officij Diuini.

1459 Eſſe de Feria vel de Sancto, eſt taleitas officij Diuini, nec ad ipſius ſubſtantiam pertinet. ideo qui ſine cauſa mutauerit officium, peccabit venialiter. vide ea, quæ expendi *nu.* 1387. *& deinceps*.

Omittere omnes partes intrinſecè accidentales eſt vnum & ſimplex peccatum veniale. Vnum quidem, quia contra vnam legem, & conſiſtens in vno voluntatis actu omittentis totam illam materiam per modum vnius. *Veniale*, quia eſt omiſſio partium accidentaliũ, quibus abſtractis officium Canonicum adhuc integrum remanet quoad ſubſtantiam.

1460 Dices. Omnes partes accidentales ſimul ſumptæ materiam conſtituunt maiorem octaua Diuini officij parte, atqui, iuxta noſtra principia, octaua pars eſt materia magna; ergo omnes illę accidentales partes non poſſunt omitti ſine mortali culpa.

Reſpondeo, accidentia non eſſe entia ſimpliciter ſed entis entia; non exiſtunt, nec durant, nec vbicantur, exiſtẽtia, duratione, & vbi ſubiecti; idcirco etiam carent quantitate & magnitudine propria. & extenduntur ſubiecti quantitate. Hinc eſt, quod accidentia moralia, ſi conſiderentur ſecundùm ſe, careãt morali magnitudine; quantificantur .n. in ordine ad ſubiectum, ad quod, quia accidentaliter conducunt, grauiter conducere non poſſunt. Ergo, quæ rei præceptæ accidunt, & ad eius ſubſtantiam, & eſſentiam non pertinent, non obligant ſub culpa graui. Peccabit igitur venialiter, qui omittet omnia, quæ accidentariò complent officium Diuinum, illa inquam quibus ſublatis id adhuc manet integrum & ſubſtantialiter completum.

Cæterùm ſi ad noſtra conuertamus oculos, & examinatis Pontificum indultis & pręceptis.

Officium diuinum quà indictum ab Eccleſia.

conſideremus, habebimus vbi hærere poſſimus, non tamen rationes euidentes, quæ nos à poſitis neceſſariò remoueant.

1460 b. Dico, *Poſſe ab Eccleſia directè primariò, & eſſentialiter præcipi orationes illas, quę à Regula indirectè ſecundariò, & accidentaliter.* Sed ex potentia ad actum non eſt efficax argumentandi forma. Clariſſimis verbis vti debet Pontifex, ne confirmare Regulæ ſanctionem credatur, quoniam vbicumque ſubiiceat ſe abrogare Regulę textũ, iuxta illum interpretandus eſt. Tu amice Lector, iuxta diuerſarum Congregationum Priuilegia & Conſtitutiones intẽde aut remitte illa, quę ſecundum Ius commune Benedictinum dicta.

ARTICVLVS IV.

Parua materia in Horis Canonicis, quæ?

1461 QVidquid, exceptis his, quę officio Canonico accidenta-

lla ſunt, eidem ſubſtantiale eſt, & quicumque id omittit ſine cauſa legitima, reus eſt peccati mortalis.

Sed inquires; vtrùm qui omittit officii Canonici notabilem partem, peccet mortaliter, deinde, quanta debeat eſſe omiſſio, vt notabilis ſit nominanda.

Reſpondeo, in oratione vocali dandos eſſe magnitudinis & paruitatis terminos, ſicut in rebus alijs. Huic reſpõſioni declarandæ aut confirmandæ proderit lectio Diſputationis LXIII. quæ examinat, *Qui & quales ſint magnitudinis termini in genere furti*, & Diſput. IV. num. 43. *De legum materia*, & Diſput. LXIX. vbi inquiritur, *Vtrùm in rebus Venereis detur materiæ paruitas*. Materia eſſentialiter & ſimpliciter leuis illa eſt, qua minor nec grauis eſt, nec eſſe poteſt, materia eſſentialiter & ſimpliciter grauis eſt illa, qua maiorem nunquam continget eſſe leuem. His poſitis, ſit Reſolutio.

1461 b. Prima. *Quidquid minus eſt quindecim Angelicis ſalutationibus, eſt materia eſſentialiter parua*. Hæc lectio, ſi præcipiatur directè & propter ſe, grauiter obligare non poteſt. Hæc non cadit ſub votum aut iuramentum mortaliter obligatorium.

Vix poſſibile eſt terminos intrinſecos in abſoluta materia deſignare, vt notaui *num.* 942. idcirco quindecim ſalutationum Angelicarum lectionem materiam ſimpliciter paruam eſſe cenſeo, terminum paruitatis eſse non aſsero, quia fortaſse etiam plurium lectio erit materia parua. Certè quidquid hac quantitate fuerit minus, leue eſt, quod probabile iudicat ſapientiſſimus Vir, Pater Ioannes de Ionghe è Societate Ieſu, Louanienſis S. Theologiæ Profeſsor. Addam P. Ignatij Derkennis è Societate Ieſu etiam Louanienſis Sacræ Theologiæ Profeſsoris. Viri doctiſſimi de hac ſententia iudicium. *Reſpondeo, ait, difficilem videri determinationem termini intrinſeci, eius nempe, qui aut vltimò conſtituat materiam paruam, ita vt omnis maior magna ſit; aut primo conſtituat magnam, ita vt omnis minor praua ſit. Certè poſitiua nulla occurrit ratio pro affirmatiua parte quæſiti* (nempe conuinceus lectionem quindecim Salutationum eſse materiam leuem) *ſed neque pro negatiua; quare benigniorem partem aſſerenti faciliùs accedam, quàm ipſe poſitiuè determinem; & dico, potiùs non videri improbabile, quàm videri non improbabile*.

1461 c. Secunda. *Quicquid maius eſt integro Pſalterio, eſt materia eſſentialiter magna*; hoc eſt, talis ingenij, vt ſine crimine mortifero liberè omitti non poſſit. Fortè etiam minor quantitas erit materia eſsentialiter grauis, ſed non ſuppetit ratio, quæ cogat terminum magnitudinis in materia minori collocare. Subſcribo P. Ignatio Derkennis, qui in conſultatione iam citata, vult omiſſionem integri Pſalterij grauem eſse, licèt vno, & ſimplici præcepto viginti Pſalteria per modum vnius præcipiantur.

1461 d. Tertia. *Materia omiſſa, ſi ſit maior quindecim Angelicis ſalutationibus, minor verò Pſalterio integro, ex ſe eſt indifferens vt ſit magna vel parua. Nempe magna, ſi fuerit aut orationis vocalis præceptæ octaua pars, aut octaua maior; leuis, ſi octaua parte fuerit minor*. Conſono his, quæ ſuperiùs dixi *numero* 937. 1055. *& ſæpe alibi*. Vt autem hanc doctrinam generalem Diuino officio applices manuducet reſolutio.

Quarta. *Qui omittit aliquam Diuini officij ſubſtantialem partem, qua ſit aut parua ſimpliciter, & abſolutè, aut parua relatiuè, non peccat mortaliter, ſed venialiter*. Sic etiam, *Qui omittit ſubſtantialem partem relatiuè magnam hoc eſt octauam aut octaua maiorem, peccat mortaliter*. Infertur hæc concluſio euidenter ex principijs, quæ ſæpè expendimus, & frequenter vſurpauimus.

ſummo honore, *de pretio magno*, fortè de commoditate totius vitæ, de authoritate integræ Religionis, tempus eſt breue & totum neceſſarium. Nec die primo tenetur anticipare Horas Canonicas, quia expedit non ſudare ante curſum, ſi enim ante initium laſſus fuerit, per illas viginti-quatuor Horas perſeuerare non poterit. Quid ſi aliquis vtrumque poſſit? non tenetur. & hoc non ſolùm probatur, ſed clarè demonſtratur. Nemo ambigit, quin meliùs ſe poterit præparare viginti-quatuor Horis, quàm viginti-duabus, meliùs ſi ſtudeat ſedulus, quàm ſi ſit laſſus, atqui Lectio aut Canonicatus non dabitur ſatisfacienti, ſed meliùs ſatisfacienti, ergo talis pretenſor tenetur non ſolùm curare vt faciat bene, ſed vt meliùs faciat. Si ſuas Horas illa die legat, non iam habebit viginti-quatuor Horas, ſed viginti-duas, vt ſe preparet, ſi legat antequam puncta deſignentur, deſcendet laſſus in arenam, ergo non tenetur. Hic obiter Lector, ſi contrarium cenſeas probabilius, ne loquaris, obſecro, quouſque ſemel ad lectiones ſimiles in tali Academia adſpiraueris, aut decipio, aut ſententiam contrariam probabilem credunt inexperti. Argumentaturi ſemper pollent robuſtiſſimo ingenio, & benè muniri debet competitor vt præualeat. Addo huiuſcemodi Competitorem poſſe alios impendere, qui pro illo tempore, quo neceſſarij fuerint, nil aliud tenebũtur agere. Hinc collige, quàliter de occupationibus actualibus tibi philoſophandum ſit.

1436 b. In hac materia benignior adhuc eſt ſententia Suarij *lib. 4. de Horis canon. cap. 25. num. 35.* vbi, *Si Scholaris velit*, ait, *publicam actionem litterariam per integrum diem habere, & recitare non poſſit, non tenetur actionem dimittere etiam ſi abſque peccato poſſit*. Sunt verba tanto Doctore digna, & conſequẽtias plurimas parturiunt, quas alibi expendam.

1436 c. De habitualibus maior eſt difficultas, quia illæ vix tantæ, vt deſit recitandi locus. Verum in his hęc mihi Regula. Conſidero laborem minimum, qui eſt ſufficiens excuſare à ieiunio, & quo alius minor à ieiunio excuſare non poteſt, hunc vocemus laborem A. His poſitis dico. *Ille, cuius occupationes tã incompatibiles ſunt cum lectione Horarum, quàm labor A. cum ieiunio, nõ tenetur legere.* Conſtat euidenter à pari.

1437 Difficilius autem erit determinare, quales & quantę occupationes eſſe debeant, quę aliquem à lectione excuſent. Circa occupationum qualitatẽ notandum, eas debere eſſe ex officio, quę verò dicuntur ex officio, complectuntur omnes illas, quæ ad charitatem publicam ſeu priuatam pertinent, vnicuique enim incumbit ex officio ſeruire Reipublicæ cùm poteſt, & quantum poteſt, vnicuique fauere proximo grauiter periclitanti. Circa occupationum quantitatem ſic philoſophor. Nunquam vidi ſeruos aut mancipia operari plus quàm horis duodecim, vnde & diem politicum non viginti-quatuor, ſed duodecim æquinoctialibus horis conſtare aſſerui, illi enim qui famulos vltra duodecim horas quotidie occupant, tyranni potiùs, quàm Domini cenſendi ſunt. Conſultò quotidie dixi, quia vt notaui alibi, talia poſſent aliquando negotia occurrere, vt maior requireretur adſiſtentia, ſed tunc illa occupatio non ordinaria & habitualis, ſed extraordinaria & actualis diceretur. Verè homo (licet ſubditus ſit) ferreus non eſt aut adamantinus, ſed carneus, indiget ſeptem aut octo Horis vt dormiat, & multi indigent pluribus. Eget inſuper vna vel altera vt prandeat, & cęnet. Habet homo communes tam animi, quàm corporis neceſſitates, nec vnus, qui vtriſque careat. Corporalibus neceſſitatibus ſubueniendum eſt, quia naturalia impediri non poſſunt; Animo etiam concedi debet honeſta relaxatio, quia ſingulis

diebus obſeruantiſſimis Religioſis aliqualis conceditur, & maior ſemel in hebdomada. Homo, cùm animal ſociabile ſit, inacceſſibilis & intractabilis eſſe non poteſt: amicos debet inuiſere, & eos admittere quoties poſtulat aut moralis indigentia & neceſſitas, aut politica vrbanitas. Debet ab abſentibus conueniri per litteras, & ipſis ſatisfacere. Hæc omnia talia ſunt, vt ſine vitæ naturalis aut ciuilis diſpendio intermitti non poſſint. Ergo prudens eſto, nec tibi effingas illegitimas, nec opem neges legitimis neceſſitatibus. Igitur qui tot miſerijs laboras, rigidus & temerarius eris, ſi diem politicum vltra duodecim horas extenderis. Concede te tuo officio horis duodecim, duodecim alijs ſatisfacias naturæ, fortunæ, & amicorum legitimæ neceſſitati; potius enim vitam nulli inimicam, nulli ſcandaloſam, honeſtam & illibatam, quàm ſanam conſeruare teneris. Crudelis Volaterrano videor, qui apud BeyerlincKium *in Theatro magno, verb. Zeta.* mancipia ad plures, ſed ingenuos ſolùm ad ſex laboris horas quotidie obligat. ait .n.

Sex horæ tantùm rebus tribuuntur agendis.

conſonans Græco anonymo apud quem lego:

Ἐξ ὧραι μόχτοις ἱκανάταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνυμαιας ζῆτι λέγουσι βρότοις.

Quod diſtichon apud Antonium Ricciardum Brixianum ſic tranſlatum reperio,

Sufficit in ſextam labor horam, deinde ſequentis
Vt viuas numeri littera ζῆθι monet.

ζῆθι ſignificat viue & comprehendit Z. H. Θ. I. hoc eſt, *ſextam, ſeptimam, octauam, nonam.* quaſi his horis ſibi vnuſquiſque viuere debeat, nec debeat vltra horam ſextam laborare. An ſaltem vltra nonam reſumpturus laborem ſit, non vrgeo.

Volaterrano videtur ſubſcripſiſſe Suarius, qui vt vidimus, ſtudioſum ab horarum lectione excuſabat ratione habendæ actionis publicæ per totam diē, hoc eſt per duas aut tres horas matutinas & totidem Veſpertinas iuxta mores Vniuerſitatum. Ergo ſiquidem Suarius excuſat eum, qui vltro oſtentationis gratia, ſex horis diſputat aut eloquitur, probabilior erit ſubſequens Concluſio.

1438 *Qui ex officio ſibi legitimè iniuncto ſingulis diebus duodecim Horis integris occupatur, non tenetur legere officium diuinum.* Neſcio an ſint multi, qui in officio ſibi iniuncto tantum tempus impendant. Pientiſſimus Pater Franciſcus Suarius, cuius vita fuit omnibus exemplo, ingenij viuacitas admirationi, Reuerendiſſimo D. Ludouico Bernaldo de Quirós Ciſtercienſium Reformatori Generali, & apud Salmāticenſes Primario ſacræ lectionis Cathedratico, amico & Domino meo ſingulariſſimo dixit ſæpiuſculè, ſe ferè omnibus diebus ſtudere octodecim horis. Terreor cùm audio tam conſtantem laborem, & ſtudioſam pertinaciam: ſed ſtatim dubito, an ſex reſiduis horis potuerit dormire, comedere, Miſſam legere, & Horas recitare. Fortè ſingulis diebus legebat officium de Reſurrectione, quod Viri occupatiſſimi laudabiliter faciunt; ſed hoc Diana reprehenderet, alij incriminarentur, & de viro ſancto nihil non ſancti dici debet: fortè ad illas octodecim horas reduci & computari debet tempus illud, quo contemplationi ſtudebat, & illud quo horas recitabat. Quid fecerit, alij examinent, ego autem ſine ſcrupulo ſubſcriberem tanto Doctori.

Sæpè occupationes non ſolùm tempus ſubripiunt, ſed & hominem frangunt: tales autem inter morbos recenſendæ ſunt, & ſi ex illis naſcatur inhabilitas ſumma (puta nimius capitis dolor) paucæ etiam horæ ſufficerent, vt excu-

ſare-

ſareris ab officio. Petis, quantus debeat eſſe dolor capitis, qui poſſit dici morbus excuſans ab horarum lectione? Reſpondeo debere tantum eſſe, quantus in ſtomacho ſufficeret vt à ieiunio te excuſaret.

1439 Suarius *lib.4.de Horis canon.c.27.num.33.* aſſerit eum qui habet officium, qui cum non conſiſtit Horarum lectio, debere vel illud relinquere, vel petere diſpenſationem. Vtrumque tamē falſum eſt, & ex ipſius Suarij doctrina propugnari non poteſt. Nam, aſſerente eodem Authore, qui oſtentationis gratia vult integro die actionem publicam literariam facere, poteſt omittere officium Diuinum vt ea meliùs fiat; nec tenetur propoſitam actionem intermittere. Atqui Petrus potiùs tenetur officio quàm velleitati ſatisfacere: ergo cui licet potiùs officium Canonicum omittere, quàm actionem oſtentationis vltrò admiſſam, poterit etiam omittere potiùs officium, quàm conditionem ſeu dignitatem illam, quam habet.

Præterea, ſi occupatio ſit publica (puta ſi Petrus ſit aut Concilij Præſes, aut Regni Gubernator, aut pauperum Prouiſor, aut Magiſter ægrorum, &c.) nō poteſt Petrus præponere priuata publicis, nec cenſendus eſt iuſſiſſe Pontifex vt communibus particularia præponat, ſeruire debet Reipublicæ & Patriæ quando, & quantum poteſt, nec ei Officium legendum alicui debet eſſe impedimento.

Probatur id clariſſimè, *primò*, quia ſicut Pontifex non poteſt indicere Horarum Lectionem in damnū ſalutis priuatæ, ſic nec in damnum ſalutis publicæ: ergo ſicut Petrus non tenetur obedire Eccleſiaſticę legi cum ſalutis graui detrimento, ſic nec cum graui detrimento Reipublicæ.

Secundò, quia Pontifex noluit præcipere officij Canonici lectionē in propoſitis caſibus, quod probo euidenter. Summa eſset imprudentia, velle quod Suarius non ſcriberet doctiſſima illa volumina, quæ illuſtrant Eccleſiam militantem, Imperitia eſſet, malle, quod Petrus Horas legeret, quàm audiret Confeſſiones, rigor iniquus eſſet Paulū ita lectione impedire, vt ęgro grauiter periclitanti opitulari non poſſet: tyrannis, titulo recitationis præcipere Ioanni, ne faueat, & ſeruiat Reipublicæ adſiſtentia indigenti: Atqui Eccleſiæ & Pontifici eſt iniurius, qui ita Jus Canonicum explicat, vt Legislatores habendi ſint rigidi, tyranni, & imprudentes; ergo dicendum eſt Pontifices noluiſſe in talibus caſibus ad Horarum recitationem obligare. Nempe, cum ex officio ſuo aliquis habet occupationes ita graues, vt non conſiſtant cum Horarum lectione. Conſentit Eruditiſſimus Pater Baſæus *in Floribus pag. 358. c.* affirmans excuſare ab horarum lectione infirmitatem grauem, & occupationem honeſtā, neceſſariam, incompatibilem, quę commodè differri non poſſit abſque ſcandalo aut peccato, aut detrimento ſui vel proximi. & in comminationem citat me in hoc Comment. diſput.96. Conſonamus Antonio Perezio qui in Capit. 50. Regulæ numer.1. ſic inquit. *Scita, & conſtans apud omnes eſt doctrina Scholaſticorum dicentium, quod dum grauis aliqua & diuturna ſimul ingruit occupatio, quæ abſque offenſione aliorū prętermitti non poteſt, aut in aliud tempus commode differri, iuſtam excuſationem aſſerat recitandi officium Diuinum: ſecus vero quando breuis vel leuis eſt, & talis quod ab vna in aliam poſſit commode transferri horam, & hoc citra notabile præiudicium alterius. Ita Henriquez quodlib. 4. qu.12. Maior in 4.d.12. q.6. Nauar. de orat. c.11. Azor l.10.c.13. q.15. Quare quoniam huiuſmodi eſt communis & regularis Monachorum occupatio in agris, atque etiam in itineribus: vtpotè qui non neceſſario omne dici tempus prærequirunt ſibi, præcipit ſanctus Pater fratribus in viā dire-*

directis, vt in ea ſemper Diuinum officium perſoluant vtvt potuerint: fratribus autem qui in agro ſunt, non ſolum præcipit vt diuinũ in eo recitent Officiũ; verum quod id faciant genua flectentes, & cum reuerentia & tremore adhuc in ipſo agro, dummodo adeo longe à Monaſterio ſint, vt (de ſententia Abbatis) ad Oratorium commode non poſſint occurrere horis competentibus, in quibus Diuinum officium perſoluendum eſt. Alias præcipit vt etiam cum interrupti ne laboris ad Oratorium occurratur, vt in eo redeatur Deo ſeruitutis penſum.

Modus facilis ſatisfaciendi Officio etiam cum negotia ſunt grauia.

1440 Sanè viros Reipublicæ regimini addictos, & grauibus negotijs implicatos facili negotio abſoluerem ab accidentarijs officij Diuini circumſtantiis, modo ſubſtantialia perſoluerent. Hoc facilè præſtabunt qui ita tempus diſtribuent, vt Miſsã celebraturi ſe præparent lectione Matutinarum & Laudum: cùm celebrauerint, Primam incipiãt, & Deo gratias agant legendo ad Nonam incluſiuè. Cùm vadunt cubitum, perſoluant Veſperas & Completorium; nec alias orationes ex deuotione recitent, antequã ſatisfecerint Officio Canonico, in eo enim orationes deuotiſſimæ reperiũtur, nec laudandus qui id omittit, ſi potuerit legere intermiſſis reliquis deuotionibus, ¶ Decentia non obligat, poſtulat tamẽ, vt quotidie Miſſam audiant, qui non sũt Sacerdotes, & huiuſcemodi poterunt Horas ſuas, dum Miſsa legitur, recitare. Ecce modum quo Canonico Officio ſatisfacies ſine diſpendio temporis, qui ſtudijs vacas, aut negotijs obrueris.

An poſſit quis ante Matutinorum lectionem celebrare.

1441 Laudo illos qui celebraturi ſe præparant lectione Matutinorũ & Laudum, eos qui has Horas poſt Miſsã legunt non accuſo: non enim eſt peccatum mortale Miſsam ante Matutinorum lectionem celebrare, ita docente Soto *lib. 10. de iuſt. q. 5. art. 4. & 4. ſent. diſt. 13. q. 2. art. 2. in fin.* Medina *in ſum. l. 1. c. 16. §. 2.* Nauarro *c. quando.* Sylu. *verb. Miſ. 1. q. 6.* (ita citatur à Soto, licèt Nauarrus citet eum pro ſententia cõtraria) & Bartholomæo à Ledeſma *de ſacr. Euchariſt. dub. 39.* Thomas Sanchez *Conſiliorum l. 7. c. 1. dub. 38. nu. 3.*

Si cauſa rationabilis detur, nec erit peccatum veniale celebrare antequã legeris Matutinas. Ita citatus Sãchez *n. 5.*

Imò etiam nulla data cauſa, non eſt peccatum veniat, celebrare ante Matutinorum lectionem. Eſt contra citatos Sotum, Ledeſmam, Medinã, & Sanchez, quos arguo *in*conſequentiæ. Nam ratio quæ probat non eſse peccatum mortale, celebrare ante Matutinorum lectionem, conuincit etiam non eſse peccatum veniale: & probo. Ideo (verba ſunt Thomæ Sanchez expreſsa) non eſt peccatũ mortale, *quia Sacrum non dependet ab horis Canonicis.* Ergo non mutat ordinem qui celebrat non lectis Matutinis: ergo neque peccat venialiter.

1441 b. Hinc colliges, aliquem morbo laborantem, qui aut ſpeculatiuè à medico aut practicè à Prælato abſoluitur ab Officij Diuini lectione, poſse celebrare etiam ſi non ſit Horas lecturus. Ita Sotus, Ledeſma, & Sanchez *iam citati.* Patet, quia Miſsa non dependet ab Horis.

Eadem ratio perſuadet à fortiori non eſse mortale aut veniale celebrare antequam legeris Primam, etiã ſi nulla cauſa ſubſit. Ita Sanchez *Conſiliorum li. 7. c. 2. dub. 30. n. 3.* Armilla *verb. Miſſa, nu. 42.* Viguerus *l. Inſtit. c. 6. §. 5. verſ. 4.* Margarita Cõfeſ. *fol. 162.* Nauar. *c. 25. n. 83.* Sotus *l. 10. de iuſt. q. 5. ar. 5.* Barthol. Ledeſ. *de Euch. dub. 39.* & omnes iuniores.

Eadem ratione etiam conuincitur celebraturum Miſsam maiorem non teneri priùs legere Matutinas. Eum ſaltem a culpa graui abſoluit Thomas Sanchez *Conſil. l. 7. c. 2. dub. 39.* & apud eum quidam recentior valde doctus, dicens ſic ſenſiſse Sotum, & aliquos Thomiſtas.

NOTA.

1442 Qui morbo aut occupatione ineuitabili impeditur tempore quo Hora aliqua ſolet legi, probabiliter excuſari poteſt à lectione illius Horæ. Ita Vmbertus, quem refert & ſequitur Turrecremata *cap. Presbyter. diſt.91.nu.6.* Alexandrinus & Coſmas citati à Nauarro *c.quãdo.c.11.* Petrus de Ledeſma *in ſum. Sacramentorum de pœnit.cap.8. fol.491.* Canus *in relect. de pœnit. p. 5. verſ. Sed quid illi.* & Thomas Sanchez *Conſil.lib.7.c.2.dub.43.n.7.*

Hæc ſententia probabilis eſt; nam defenditur à grauibus authoribus, & habet fundamenta probabilia, licèt contraria ſint probabiliora. Supponit *primo* dari octo diſtincta præcepta de octo Horis, *ſecundò* certa tempore deſtinata eſſe lectioni Horarum priuatæ: & vtrumque doctè poteſt defendi.

1442 b Petis; quæ tempora dicantur deſtinata lectioni priuatæ. Reſpondeo inſiſtendo huius opinionis principijs, Matutinas ſolere legi ab hora qua laudabiliter ſurgimus, vſque ad horam decimam ante meridianam (nullus enim tenetur veſperi legere Matutinas ſequẽtis diei, licèt morbum occupationeſue præuideat) addo ſolere minores Horas dici ante meridiem; Veſperas etiam in Quadrageſima ante meridiem, exceptis Dominicis: aliàs à meridie in occaſum; & hinc ad mediam noctem Completorium. Ita communiter legunt qui putant ſe debere horas determinatas obſeruare.

Aegrotus ergo qui quartana laborat (& idem dico de habente inexcuſabilem occupationem) nec tenetur tempus præuenire, nec tenebitur legere Horam aliquam eo tempore, quo non conſueuerit legi.

1442 c. Hæc opinio eſt tuta in praxi; conſulenda ægrotis, iter agentibus, & hominibus valde impeditis ob negotia occurrentia horis determinatis. repugnat expreſsè meis principijs, ideo tamen non deſinit eſſe probabilis.

Sed dices, debere eum, ſiquidem morbum aut occupationem præuidet, velle potiùs præuenire quàm præueniri, hoc eſt, debere legere horas ſummo manè ante quam vel febris ingruat, vel illud negotium ſuperueniat.

Ad hoc ipſum negabunt propoſitæ ſententiæ defenſores, & ſe poterunt tueri ſic. Grauior, neceſſarior eſt, & ſtrictiùs omninò obligat annua communio, quàm quotidiana horarum lectio, quia grauiùs peccat ille, qui illam omittit, quàm qui hanc, præcipuè ſi habeat peccata publica, & mortalia, atqui nemo tenetur ante tempus communicare, etſi morbum aut occupationes prouideat: ergo. Minorem poterunt probare verbis Petri a S. Ioſeph Ciſtertio Fulienſis Religioſi, viri doctiſſimi, qui Ideæ Sacramentalis libr.2. cap.8. reſol. 3. ſic inquit, *Nota tertiò eum, qui præuidet impedimentum ſuperuenturum in paſchate, ita vt tunc communicare non poſſit, non teneri tempus illud præuenire, & anticipare communionem.* Eamdem poterunt confirmare: quia ille qui præuidet ſe morbum habiturum die Dominica, non tenetur die Sabbati, aut miſſam aut officium illius dominicæ audire vel legere: ergo neque ille, qui præuidet ſe poſt meridiem aut in morbum aut in grauiſſimas occupationes inciſurum, tenebitur veſperas ante meridiem legere. Patet ob identitatem rationis. Ideò enim habiturus morbum aut ineuitabilem occupationem die Dominica non tenetur die Sabbati aut legere dominicale officium, aut audire miſſam, quia vtrumque præceptum alligatum eſt diei Dominicæ: ergo ſimiliter, ſi legendi veſperas præceptum non ſolum eſt adligatum diei, ſed etiam horæ, nemo validè extra illum diem, nemo validè extra illam horam ſatisfacere poterit: nemo igitur tenebitur præuenire. An poſt illam ho-

ram

eam poſſit legere, hoc eſt, An poſſit validè legere matutinas poſt meridiem ſtando horum authorum iudicio iam dixi *num.* 1336.

Obiter adnoto ferè omnes authores iam citatos tempus Horis Canonicis præſcribere, vt qui ſine cauſa illas debito tempore non perſoluerit, mortaliter peccauiſſe aſſeratur, & non teneri eaſdē Horas indebito tempore perſoluere. Sanchez hanc ſententiam limitat ad impedimenta neceſſaria (puta, morbi aut occupationis) affirmans primò non peccaſſe mortaliter, qui ſine cauſa Matutinas non legerit ante meridiem, teneri tamen poſt meridiem eas legere, ſecundò illum, qui æger aut legitimè occupatus fuerit vſque ad meridiem, ita vt non potuerit vllam Horam legere, ne venialiter quidem peccaſſe, & poſt meridiem ſolùm teneri Veſperas, & Completorium legere, & hoc ſecundum etiam Vmbertus, Alexandrinus, Coſmas, Cardinalis Turrecremata, Petrus de Ledeſma, & Canus iam citati admittunt.

DISPVTATIO CXVII.

De Monachis extra monaſterium degenibus.

1443 QVicumque Monachi non promoti ad ordines maiores, qui degunt extra Monaſterium ad tempus vel in perpetuum, cum licentia, vel ſine illa, Apoſtatæ, vel Fugitiui, non tenentur ad officium Diuinum, etiam ex hypotheſi quod iuniores ad horas teneantur ſub mortali. Ratio eſt manifeſtiſſima: quia vel Monachi tenentur ad officium particulare, vel non tenentur. Si nō teneantur (vt ſupra demonſtrauimus) aſſertio eſt per ſe nota. ſi teneantur in Clauſtro recitare, tenentur propter cōſuetudinem, atqui extra clauſtrum non datur talis conſuetudo, ergo nec talis obligatio. Minorem probo. De illis quæ rarò accidunt nulla eſt conſuetudo: atqui exitus iunioris Monachi extra monaſterium cum licentia, vel ſine illa, eſt quid rariſſimum, ergo nulla de tali re conſuetudo eſſe poteſt. Ita Bonacina *tract. de Horis canon. d.1.q.2.p.3.nu.6.* ſaltem de Apoſtata, fugitiuo, eiecto ad tempus, vel in perpetuum, ſed ratio id etiam extendit ad dimiſſum ad tempus, vt iam vidimus.

De promotis ad maiores ordines non habentibus Breuiarium.

1444 Quicumque obligatus ad officium Diuinum, ſi vltrò perdat Breuiarium (puta, ſi nauigaturus non conferat libros lectioni Diuinæ neceſſarios) peccauit ſemel vno actu mortaliter, qui ſimul reſpicit totam illam materiam, quæ omnibus diebus illis omittit, quibus caret Breuiario, nec officium Diuinum recitat.

Nullus carens Breuiario (quomodocumque id contigerit) tenetur legere officium Diuinum. Patet, quia non poteſt, & nemo ad impoſſibile tenetur.

Si nouerit memoriter officium alterius diei, non tenetur illud legere, quia lex eum obligat, non vt legat officium alterius diei, ſed vt legat præſentis diei officium. Ita Diana *de Horis canon. reſol.* 30. Quod ſi memoriter currentis diei officium ſciat, tenetur illud legere. Ita omnes.

Quicumque Religioſus Ordinis habentis Breuiarium particulare, ſi Sacris initiatus ſit, tenebitur vti Breuiario

Romano, ſi illud inueniat. Quia quomodocumque philoſophemur, maior eſt obligatio maiorum ordinum, quàm Religionis, & iuxta maiorem obligationem teneremur legere Romanum Officium, prout ſuperiùs oſtendimus. Sed & hoc aliqui etiam probabiliter negare poterunt.

Si inueniat Breuiarium alterius ordinis in quo nec ſit officium diei currentis iuxta formam ſui ordinis, nec iuxta Romanas rubricas, non tenetur eo vti. Crebrò tamen contingit, quòd in diuerſis Breuiarijs aliqua officia coincidant: idcircò ſi in alieno Breuiario reperiat officium, quod illa die vel ſua Religio, vel vſus Romanus recitat, tenetur illud legere.

Si quis habeat Diurnale, tenetur recitare omnes Matutinorum Pſalmos, & reliqua, quæ ad nocturnos pertinent, vt poteſt ex Diurnali, quia in Diurnali Laudibus Horæ ſunt integræ. Ita Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *libr.* 1. *capit.* 19. *numer.* 8. qui hanc rationem affert, nempe Lectiones & Reſponſoria eſſe materiam paruam (accidentalem potiùs) quæ non eſt ſufficiens ad moralem integritatem officij diuini tollendam. Hoc clariùs conſtabit ex dicendis inferiùs. Sed probabiliter excuſari etiam poterit.

DVBIVM I.

1445 Petrus non habet librum, in quo legat Horas, nouit aliqua memoriter, ita tamen vt non poſſit ſatisfacere, offert ſe ſocius, qui omnia ſcit memoriter. Quod ſi Petrus cum illo recitare velit, poterit exactè ſatisfacere, petitur an teneatur cum illo ſocio recitare officium.

Reſpondeo negatiuè quia recitare cum ſocio eſt fauor vnicuique conceſſus, & nemo tenetur vti fauoribus inuitus. Ita alter Sanchez *in ſelectis diſput.* 41. *num.* 2.

Quod ſi antea ſemper recitauerit cũ illo ſocio? Nec tunc tenetur cum illo recitare, fauores enim talis ſunt ingenij, vt nunquam cogant, aliàs eſſent grauamina, ergo qui illuc vſque illo fauore vſus eſt, poterit non vti, cùm voluerit.

DVBIVM II.

1446 Paulus ingreſſurus nauim maioris commoditatis cauſa contulit ſecum Diurnale, ſubſcribens Thomę Sanchez *in ſumma tom.* 1. *libr.* 1. *cap.* 19. *nu.* 8. aſſerenti, legentem ea, quæ continentur in Diurnali, officio Diuino ſatisfacere: poſtquam ſoluerunt è portu mutauit dictamen, & ſecutus Ioannem Sanchez *in ſelectis diſp.* 15. *num.* 2. aſſerentem, in Diurnali non contineri integrum Diuinum officium, ac proinde carentem Breuiario, licèt Diurnale habeat, non teneri legere officium: illud non legit, Petitur num peccet?

Vt exactè reſpondeam, opus eſt omnes circumſtantias expendere. Paulus *primò* Sanchij ſententiam ſequebatur, & benè faciebat, quia eſt grauis Author, & probabilis illius ſententia. Ex vi huius dictaminis potuit ſine culpæ grauis ſcrupulo relinquere Breuiarium; & Diurnale conferre. *Secundò* aſſeritur Paulus mutaſſe dictamen, & hoc humanum eſt, & rationale. Homo non eſt ſuarum opinionum mancipium: cùm probabile dictamen mutat, vtitur ſua cœlitùs conceſſa libertate, & benè facit. Fidei dogmatibus, demonſtrationibus, ac principiis per ſe notis ſubeſt ingenium, probabilibus ſententijs ſupereſt: ideo quàm liberè ſententiam approbauit, tam liberè etiam poteſt dimittere cum voluerit. Potuit igitur Paulus ſine conſcientiæ ſcrupulo mutare dictamen, & valedicens vni Authori alterius probabilem ſententiam ſequi. *Tertiò* dicitur Paulum noluiſſe vti Diurnali, & defectu Breuiarii multis diebus Horas non recitaſſe. Nec tamen malè fecit, quia operabatur iuxta con-

ſcien-

ſcientiæ dictamen, quod erat & probabile, & prudens, Sanchij authoritate ſubnixum.

1447 Quid ſi Paulus cùm habuit primum dictamen, ſimul etiam habuerit intentionem illud mutandi, & eligendi poſtea ſententiam contrariam? Iuxta probabilem ſententiam, impoſſibile eſt habere intentionem mutandi dictamen, quia ipſum velle mutare, quodammodo mutare eſt. Velle amare obiectum, aut formaliter eſt amare obiectum, aut ſaltem interpretatiuè: vnde qui ſequi vult aliquam ſententiam, aut formaliter, aut ſaltem interpretatiuè illi ſubſcribit. Propterea non crederem eum perſeuerare in priori dictamine, qui deſiderat oppoſitum: & probo. Idem eſt velle ſequi aliquam ſententiam, atque ei moraliter, & interpretatiuè ſubſcribere; atqui ille qui interpretatiuè ſubſcribit illi ſententiæ, interpretatiuè & moraliter valedicit contrariæ: ergo quàmprimum quis vult mutare ſententiam, moraliter loquendo iam mutat. Ergo Paulus cùm omiſit Breuiarium, & Diurnale contulit, moraliter, & interpretatiuè adhæſit ſententiæ aſſerenti Diurnale non ſufficere. Ideoque operatus eſt contra dictamen prudens in materia graui, & peccauit mortaliter.

Hæc dicta ſunto in opinione admittentium actus voluntatis virtuales, & interpretatiuos, quos permulti negant. Quod ſi partem probabiliorem ſequaris, & aſſeras non dari interpretatiuas volitiones, ſine mutatione reali & phyca, ſi iniquas omnes puras omiſſiones proſcribas, & affirmes phyſicè mutari voluntatẽ quotieſcunque operatur liberè, ſuppoſitionem debes admittere: & cõſequẽter aſſerere omnia eſſe licita. Quoniam potuit Paulus habere primũ dictamen, & iuxta id omittere Breuiarium. Potuit etiam velle mutare dictamen, qui hoc nulla lege interdicitur.

1448 Dices, Quando Paulus ingreſſus eſt nauim, voluit mutare dictamen? ergo voluit non legere. Patet, quia ex mutatione dictaminis inferebatur lectionis omiſſio. Ergo peccauit grauiter: Quia mortiferè peccat qui vult non legere cũ poteſt, & Paulus antè quã è portu ſolueret, poterat conferre Breuiarium, & legere.

Multa hic confunduntur, quæ expenderem, ni timerem cenſeri nimis prolixus. Reſpondeo itaque Concedendo Paulum cum ingrederetur nauim, voluiſſe mutare dictamen; & diſtinguo conſequens. Voluit ergo non legere, hoc eſt, omittere horarum lectionem, quam tunc iudicaturus erat obligatoriam, nego: illam quam tunc iudicaturus erat non obligatoriam, concedo. Ergo peccauit grauiter, nego ſubſumptam conſequentiam: vt enim actio non ſit peccaminoſa, correſpondere debet prudenti dictamini, non futuro aut præterito, ſed illi quod eſt præſens quando fit. Omiſſio autem officij Diuini licèt eſſet contra dictamen prius, erat tamen ſecundùm dictamen quod habiturus erat Paulus cùm lectionem erat omiſſurus.

At quia, & poſſunt purè omiſſiones negari (mihi nugæ ipſæ ſunt) & tamen voluntas etiam interpretatiua concedi, dicendum videtur, eum qui vult mutare dictamen nondum mutaſſe phyſicè, ſed virtualiter, moraliter, aut interpretatiuè atque adhuc non poſſe cum tali intẽtione nauim ingredi ſine breuiario.

DVBIVM III.

1449 Abbas quiſpiam Benedictinus carens Breuiario proprio, inuenit Breuiarium alterius Ordinis, petitur an eo vti teneatur.

Ratio dubitandi eſt, quia poteſt id approbare pro ſe, & ſuis ſubditis, iuxta ea quæ *diſp.* 102. diximus. Ergo inuenit Breuiarium, quo poſſit exactè officio Diuino ſatisfacere.

Reſpondeo nihilominus Abbatem illum nō teneri vt Breuiario alterius Religionis, & demonſtro ſatis clarè. *Primò*. quia mutandi rubricas non omnes Abbatibus poteſtatem concedunt, adeoque poſſet probabiliter credere ſe illas mutare non poſſe. *Secundò*, vt poſſit mutare, non tenetur. Quandiu ipſe non mutauerit communes Breuiarij Benedictini rubricas, iuxta illas tenetur recitare; non tenetur ergo legere officium alterius Religionis, quia id non eſt conforme Rubricis Benedictinis.

DVBIVM IV.

1450 Ambroſio Religioſo Benedictino non habenti Breuiarium Ordinis ſui, & incōuenienti Breuiarium alterius Religionis, dixit Prælatus. Volo quod hodie tale ſit officium, quale reperitur in Breuiario inuento. Petitur, an Ambroſius teneatur legere in Breuiario inuento.

Reſpondeo affirmatiuè, quia nullius Breuiarij rubricæ grauiter differunt à Benedictinis in materia, quæ non ſubſit arbitrio Abbatis. Conſtat ex his diſp. 102. explicauimus. Ergo officium illud poſita approbatione Abbatis factum fuit Benedictinum. Et poſito quod eſset Benedictinum pertinens ad currentem diem, debuit ab Ambroſio, & alijs eius Confratribus recitari. Addo tamen potuiſse Ambroſium noſtræ opinioni non ſubſcribere, & excuſari probabilitate opinionis contrariæ.

DISPVTATIO CXVIII.

De paruitate materiæ excuſante à peccato graui in officio Diuino.

1451 QVando agimus de paruitate materiæ: ſupponimus eam fuiſse omiſsam liberè cum pleno aſsenſu, quia materia leuis, ſi cum imperfecta deliberatione omittitur, nec eſt materia peccati venialis nec mortalis. Addimus debuiſse omitti ſine rationabili cauſa, nempe ex mera ignauia aut negligentia.

ARTICVLVS I.

Exponitur, & diuiditur materiæ Quantitas.

1452 NOmine *Quantitatis*, magnitudinem & paruitatem comprehendo: & Quantitatem diuido in ſubſtantialem, accidentalem, & virtualem ſeu finalem. Omnes has differentias explicabo.

Materia eſsentialis officio Diuino illa eſt, qua ſublata non remanet tale, & cuius parte ſublata non remanet integrum quoad ſubſtantiam. Materia accidentalis eſt, quæ Canonicum officium ita complet, vt tamen ad illius eſsentiam nequaquam pertineat, & qua ſublata officium adhuc remanet integrum quoad ſubſtantiam.

Materia accidentalis eſt duplex, alia obligatoria, alia non obligatoria. Illa Canonicum officium accidentaliter cōplet; hæc exornat, vel mentem recitaturi præparando, & diſponendo, vel Deo gratias agendo, vel pro defectibus commiſſis veniam, & gratiam implorando. In hoc autem diſtinguitur obligatoria à non obligatoria, quòd illa accidat officio integro quoad ſubſtantiam, & compleat accidentaliter: iſta

verò

verò accidat Diuino officio qua ſubſtantialiter, & accidentaliter completo, ideoque illud ne accidentariò quidem complet, ſed exornat extrinſecùs.

1453 Præter quantitatem materiæ formalem,& intrinſecam, datur alia extrinſeca,& finalis, quam iudicio digniſſimam expoſitione. Pauca verba poſsunt eſse grauiſſimi momenti propter publicam,& politicam ſignificantiam. Videmus ex vno oriri ſæpè magna bona. Illa igitur verba extrinſecè, & virtualiter ſunt grauia, quæ notabilia accidentia parturiunt. Quid breuiùs, quam dicere *ita*, vel *non*? Cæterùm interrogatus legitimè & publicè(hoc eſt, à iudice legitimo in re graui,& publica) ſincerè debes reſpondere, & hoc ſub peccato mortali. Verba illa *ita* vel *non* intrinſecè non ſunt magnę materiæ, imò dici poſſent eſſe nullius moraliter. Extrinſecè verò ſunt materiæ magnæ, quia ex illis pendent deciſiones grauiſſimę, conducentes grauiter ad publicam vtilitatem.

Hinc conſtat, non debere contemni Euchariſticæ communionis præceptum; obligat enim ſub peccato mortali, etiam in opinione aſserentium poſse quempiã communione ſacrilega Eccleſię præcepto ſatisfacere: quia licèt recipere accidentia illa prout ſenſibilia ſunt in ſe, & intrinſecè non ſit res magni ponderis, ipſa tamen extrinſecè,& politicè grauida ſunt grauiſſimis & attributis, & moralibus circumſtantijs. Nam in primis, illa accidentia ſunt inſenſibilis gratiæ ſignum ſenſibile, & inuiſibiliter ſubſtantijs Chriſti ſymbolum, eorum receptio eſt Catholicæ religionis profeſſio, quæ omnia momenti ſunt maximi, & in accidentium quantitate breuiſſima reperiuntur virtualiter.

Sic etiam quando res magnæ præcipiuntur ob leuem finem, leuiter obligãt: vt ſuperiùs expoſui *numer*. 718. *diſp*. 11. ibi enim *Reſolut*. 1. aſſerui media ſumere ſpeciem à fine; & addidi regularia ob finem irregularem præcepta reddi irregularia. Itaque ſicut res leues grauiter conducere poſsunt ad conſecutionem finis, ſic etiam poſsunt dari res graues, quæ leuiter ad eandem conducant. Ideoque ſicut in primo caſu res illæ, aliàs leues, habent à fine quod ſint graues moraliter; ſic etiam in ſecundo, res iſtę, aliàs graues, habebunt à fine quod ſint leues moraliter, vel quòd finis ipſe ſit leuis, vel quòd ipſæ leuiter ad grauem conducant.

ARTICVLVS II.

Partes officij Diuini extrinſecæ ſeu non obligatoriæ.

1454 HVius generis ſunt apud Præmonſtratenſes illi tres Pſalmi, *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi. Niſi Dominus ædificauerit domum*. & *Voce mea ad Dominum clamaui*. qui cum tribus Collectis ex decreto ſtatutorum Ordinis *diſt*. 1. *cap*. 2. recitari debent ante Matutinas: quos qui omittet, nec mortaliter nec venialiter peccabit. Ita Lairuelz *in Opticæ Regul. ſpec*. 58. *inſtruct*. 7. qui in eo diplicet, quòd ſubiungat eoſdem nõ poſse omitti ſine culpa veniali. *Eius ratio hæc eſt*. Quia licèt huiuſmodi trium Pſalmorum recitatio non obliget moraliter ex vi ſtatuti, tenentur tamen Religioſi ſub peccato vi Capitulorum Generalium Ordinationum à Viſitatoribus emanatarum, quibus non obtemperare ad minimum eſt veniale. *Reſpondeo tamen* Capitula Generalia, & Viſitatores, cùm ſtatutorum ſanctiones ferunt, non condere ius nouum, ſed antiquum exponere, confirmare, intimare: ergo niſi expreſsè dicant ſe quidppiam pręcipere in virtute obedientię, non ſunt cenſenda ſtatutorum obligationem aggrauaſse: quod ſi aliquid legitimè pręciperent, hoc obligaret non ſolùm leuiter, ſed & grauiter ſi foret materia magna.

Non aliter philoſopheris de orationi-

bus, quæ in aliquibus Breuiarijs reperiuntur, & dicuntur ante vel poſt officium Canonicum, aut Miſſam, (tales ſunt in omnibus Breuiarijs *Pater*, *Aue*, & *Credo*, tales in Ciſtertienſi, quæ impreſſæ reperiuntur ſub finem) illæ enim non ſunt moraliter obligatoriæ, & ideo, qui eas omittet, nec venialiter peccabit.

1455 *Pretioſa in conſpectu Domini*, *&c.* quod manè legitur, & Clauſtralis illa lectio, quæ Completorium antecedit, accidentaria ſunt, & extrinſeca officio Diuino, cuius Horis, aliàs ſubſtantialiter & accidentaliter perfectis, deuotionis cauſa adnectuntur. Omitti igitur poſſunt ſine culpa veniali. Vide *diſp.* 105.

Antiphonæ, quæ ad Pſalmos dicuntur, item Lectionum, & Reſponſoriorum partes in officio Romano ſunt leuiter obligatoriæ, & accidentariò complent & adintegrant Officium diuinum. Secùs in Benedictino officio, quia ex Decreto Regulæ *cap.* 11. conceditur Lectiones, & Reſponſoria breuiare, & *capit.* 18. quod *num.* 1297. explico, Monaſterijs paruis (& à fortiori Religioſis priuatim legentibus) conceditur omnes Antiphonas omittere. Ergo fortaſſis ne venialiter, quidem peccabit Religioſus Benedictinus, qui in priuata ſui Breuiarij lectione omitteret omnes Officij Antiphonas, & Lectionum aut Reſponſoriorum partes. Conſultò dixi Fortaſſis, quia pro hac ego ſententia forti ratione munior, authore careo. Conſultò etiam dixi ſui Breuiarij, quia ſi Benedictinus promotus ad maiores ordines vteretur Breuiario Romano, nec breuiare Lectiones, nec Antiphonas omittere poſſet ſine culpa veniali: niſi fortè omitteret materiam talem, quæ moraliter nulla iudicaretur. puta, ſi tantùm omitteret octo vel decem verba; tunc enim ne venialiter quidem peccaret.

1456 Particularia Monaſteria ad Laudes, & Veſperas plerumque agunt commemorationem alicuius Sancti tutelaris, & hæc fieri debet poſt officium, nec obligat in foro interiori.

Congregationes particulares commemorationes aliquas faciunt extra officium, quæ ſimiliter non ſunt obligatoriæ. Apud Ciſtertienſes, verb. g. poſt ſingulas ferè Horas fit commemoratio B. Mariæ, quæ incipit *Spiritus ſanctus in te deſcendet Maria*, *&c.* & hæc cõmemoratio planè accidentaria eſt Horæ diuinæ iam completæ tam ſubſtantialiter quàm accidentaliter; illam exornat non complet, & ideo omitti poterit ſine veniali. Imò de facto omittitur poſt Matutinas duodecim Lectionum, nam in ijs Euangelium Collecta ſequitur, & hanc Laudes: Item hyemali tempore in Dunenſi & alijs Monaſterijs grauiſſimis leguntur *Vigiliæ*, Laudes, & Prima ſimul, & poſt Primam fit huiuſmodi commemoratio, non poſt Laudes. Cardinalis Bellarminus Benedictinum Officium recognouit, & Monaſticum Breuiarium euulgauit, in quo hæc commemoratio etiam omittitur; ergo non eſt pars officij Benedictini.

1457 Petis, Vtrùm hæ rationes, quę dicuntur eſſe non obligatoriæ, vocari debeant officij partes. Cùm de re conueniamus, facili negotio conueniemus in modo loquendi. Dico eas nec eſſe nec dici debere partes intrinſecas, quoniam nec Officium ſubſtantialiter conſtituunt, nec accidentariò complent: ſed accidunt officio ſubſtantialiter, & accidentaliter completo, ac illud exornant extrinſecùs, nempe concludendo ſi ſequantur, & ſi præcedant præparando: vnde partes extrinſecæ ſunt vocandæ; quia ſicut thorax eſt pars hominis, quà veſtiti, ſic huiuſcemodi orationes ſunt partes Officij, quà extrinſecè completi & exornati.

A R-

ARTICVLVS III.

Partes diuini Officij intrinſecùs accidentales.

1458 ATtento Lectore hic indigeo. nec volo tempora & materias in re, de qua tracto, confundi. Imò vt clariùs procedatur deſidero, vt Lector me ſedula aduertentia ſequatur, ſupponens Benedictinum Officium cõſiderari duobus modis: Altero quà præceptum à Regula, altero quà noſtro æuo ab Eccleſia præceptum. Conſiderando igitur

Officium Diuinum iuxta præſcriptum ſolius Regulæ.

1458 b. Exiſtimo, à Verſu *Deus in adiutorium meum intẽde* vſque ad Collectam in XII. Lectionum Matutinis, & aliàs vſque ad vltimum *Benedicamus Domino* extendi id quod verè eſt officium Diuinum obligatorium, quidquid viam præparat: quidquid ſubſequitur, extrinſecè accidit officio completo: & neutrum in conſcientia obligat.

Nam *Pater*, *Aue* & *Symbolum*, quæ Vigilijs præmittuntur, non eſſe Vigiliarum partes conſtat euidenter ex Regula cap. 9. dicitur; *Hyemis tempore præmiſſo in primis verſu; Deus in adiutorium meum intende, &c. in ſecundo ter dicendum (eſt verſus) Domine labia mea aperies*, etc. Similiter *Pater*, & *Aue* Præponuntur Diurnis Horis ex mera deuotione, dicente noſtro Legiſlatore cap. 18. *In-primis ſemper Diurnis Horis dicatur verſus, Deus in adiutorium meum, &c.* Nota illud *In-primis* hoc eſt *In primo loco*. Ergo Horæ tam nocturnę, quàm diurnæ non ab oratione Dominica, ſed à verſu, *Deus in adiutorium*, etc. exordium ſumunt.

Eodem modo de Virginis commemoratione *Spiritus ſanctus in te deſcendet, &c.* de *Pater* & *Aue* philoſophare, quę ex deuotione Horis Diurnis poſt ponuntur. Nam Cap. 9. aſſerit Vigilias feriales debere finiri *lectione Apoſtolica recitanda memoriter, & litania, hoc eſt Kyrie eleiſon.* Finem Laudum exponit hiſce verbis Cap. 12. *Dicatur Ambroſianum (id eſt Hymnus Verſus, Canticum de Euangelio (nempe Benedictus) Litaniæ, & Completum eſt.* Eadem verba reſumit cap. 13. poſt medium. Et capit. 17. ait ad Veſperas poſt quatuor Pſalmos debere dici, *Lectionem, Reſpõſorium, Ambroſianum, Verſum, Canticum de Euangelio (nempe Magnificat) Litanias, & Orationem Dominicam.* Et addit Completorium analogicè eſſe finiendum. Ergo quidquid poſt Collectam in Matutinis 12. lectionum, & aliàs poſt vltimum *Benedicamus Domino* dicitur in quacumque hora, non eſt pars intrinſeca Diuini officij, ne quidem accidentialis.

Omnes partes intrinſecæ Diuini Officij in conſcientia obligant, ſed diuerſimodè. Accidentariæ ſemper leuiter, Subſtantiales grauiter dum materia eſt magna.

Lectiones & Reſponſoria in Matutinis non ſunt partes ſubſtantiales officij Diuini. Ita Sanchez *in ſumm. tom. 1. libr. 1. cap. 19. num. 8.* vbi aſſerit eum, qui legerit quod Diurnale continet, Diuinum officium quoad ſubſtantiam perſoluiſſe.

Commemorationes illæ, quæ in Laudibus & Veſperis fiunt inter primum, & ſecundum *Benedicamus Domino*, non ſunt officio ſubſtantiales; ſæpe enim reperiuntur Horæ huiuſcemodi ſine aliqua ſimili Commemoratione.

Hinc collige peccare venialiter omittentem Lectionem, Reſponſoria, & Laudum Veſperarumque Commemorationes illas; quæ ante ſecundum *Benedicamus* dici ſolent. Hinc intelliges cur D. Benedictus permiſerit Præſidi in Choro, [& à fortiori cuicumque priuatim] Lectionum abbreuiationem,

quia

quia videlicet non ſunt de officij ſubſtantia, & æquum cenſuit accidentalia diminui, vt ſubſtantialia meliùs perſoluerentur.

Antiphonas iudico non eſſe de eſsētia Diuini officij, quia ſi eſſentiales forent, non conceſſiſſet Legiſlator cap. 17. paruis communitatibus licentiam illas omittendi: non minùs enim communitates paruæ quàm magnę Diuino officio quoad ſubſtantiam ſatisfacere tenentur. Ergo qui in officio Romano omnes Antiphonas omiſerit, non mortaliter ſed venialiter peccabit. Ergo, & peccabit venialiter magna communitas Benedictina, quæ omittet omnes Antiphonas. Patet conſequentia, quia ſine cauſa & ſine diſpenſatione omittet id, quod pertinet intrinſecè, non ad ſubſtantiam, ſed ad accidentia officij Diuini.

1459 Eſſe de Feria vel de Sancto, eſt taleitas officij Diuini, nec ad ipſius ſubſtantiam pertinet. ideo qui ſine cauſa mutauerit officium, peccabit venialiter. vide ea, quæ expendi *nu.* 1387. *& deinceps*.

Omittere omnes partes intrinſecè accidentales eſt vnum & ſimplex peccatum veniale. Vnum quidem, quia contra vnam legem, & conſiſtens in vno voluntatis actu omittentis totam illam materiam per modum vnius. *Veniale*, quia eſt omiſſio partium accidentaliū, quibus abſtractis officium Canonicum adhuc integrum remanet quoad ſubſtantiam.

1460 Dices. Omnes partes accidentales ſimul ſumptæ materiam conſtituunt maiorem octaua Diuini officij parte, atqui, iuxta noſtra principia, octaua pars eſt materia magna; ergo omnes illę accidentales partes non poſſunt omitti ſine mortali culpa.

Reſpondeo, accidentia non eſſe entia ſimpliciter ſed entis entia; non exiſtunt, nec durant, nec vbicantur, exiſtētia, duratione, & vbi ſubiecti; idcircò etiam carent quantitate & magnitudine propria. & extenduntur ſubiecti quantitate. Hinc eſt, quod accidentia moralia, ſi conſiderentur ſecundùm ſe, careāt morali magnitudine; quantificantur .n. in ordine ad ſubiectum, ad quod, quia accidentaliter conducunt, grauiter conducere non poſſunt. Ergo, quæ rei præceptæ accidunt, & ad eius ſubſtantiam, & eſſentiam non pertinent, non obligant ſub culpa graui. Peccabit igitur venialiter, qui omittet omnia, quæ accidentariò complent officium Diuinum, illa inquam quibus ſublatis id adhuc manet integrum & ſubſtantialiter completum.

Cæterùm ſi ad noſtra conuertamus oculos, & examinatis Pontificum indultis & pręceptis.

Officium diuinum quà indictum ab Eccleſia.

conſideremus, habebimus vbi hærere poſſimus, non tamen rationes euidentęs, quæ nos à poſitis neceſſariò remoueant.

1460 b. Dico, *Poſſe ab Eccleſia directè primariò, & eſſentialiter præcipi orationes illas, quę à Regula indirectè ſecundariò, & accidentaliter.* Sed ex potentia ad actum non eſt efficax argumentandi forma. Clariſſimis verbis vti debet Pontifex, ne confirmare Regulæ ſanctionem credatur, quoniam vbicumque ſubijceat ſe abrogare Regulę textū, iuxta illum interpretandus eſt. Tu amice Lector, iuxta diuerſarum Congregationum Priuilegia & Conſtitutiones intēde aut remitte illa, quę ſecundum Ius commune Benedictinum dicta.

ARTICVLVS IV.

Parua materia in Horis Canonicis, quæ?

1461 QVidquid, exceptis his, quę officio Canonico accidenta-

lia

lia ſunt, eidem ſubſtantiale eſt, & quicumque id omittit ſine cauſa legitima reus eſt peccati mortalis.

Sed inquires; vtrùm qui omittit officii Canonici notabilem partem, peccet mortaliter, deinde, quanta debeat eſſe omiſſio, vt notabilis ſit nominanda.

Reſpondeo, in oratione vocali dandos eſſe magnitudinis & paruitatis terminos, ſicut in rebus alijs. Huic reſpõſioni declarandæ aut confirmandæ proderit lectio Diſputationis LXIII. quæ examinat, *Qui & quales ſint magnitudinis termini in genere furti*, & Diſput. IV. num.43. *De legum materia*, & Diſput. LXIX. vbi inquiritur, *Vtrùm in rebus Venereis detur materiæ paruitas.* Materia eſſentialiter & ſimpliciter leuis illa eſt, qua minor nec grauis eſt, nec eſſe poteſt, materia eſſentialiter & ſimpliciter grauis eſt illa, qua maiorem nunquam continget eſſe leuem. His poſitis, ſit Reſolutio.

1461 b. Prima. *Quidquid minus eſt quindecim Angelicis ſalutationibus, eſt materia eſſentialiter parua.* Hæc lectio, ſi præcipiatur directè & propter ſe, grauiter obligare non poteſt. Hæc non cadit ſub votum aut iuramentum mortaliter obligatorium.

Vix poſſibile eſt terminos intrinſecos in abſoluta materia deſignare, vt notaui *num.* 942. idcirco quindecim ſalutationum Angelicarum lectionem materiam ſimpliciter paruam eſſe cenſeo, terminum paruitatis eſſe non aſſero, quia fortaſſe etiam plurium lectio erit materia parua. Certè quidquid hac quantitate fuerit minus, leue eſt, quod probabile iudicat ſapientiſſimus Vir, Pater Ioannes de Ionghe è Societate Ieſu, Louanienſis S. Theologiæ Profeſſor. Addam P. Ignatij Deikennis è Societate Ieſu etiam Louanienſis Sacræ Theologiæ Profeſſoris. Viri doctiſſimi de hac ſententia iudicium. *Reſpondeo, ait, difficilem videri determinationem termini intrinſeci, eius nempe, qui aut vltimò conſtituat materiam paruam, ita vt omnis maior magna ſit; aut primo conſtituat magnam, ita vt omnis minor praua ſit. Certè poſitiua nulla occurrit ratio pro affirmatiua parte quæſiti* (nempe conuincens lectionem quindecim Salutationum eſſe materiam leuem) *ſed neque pro negatiua; quare benigniorem partem aſſerenti faciliùs accedam, quàm ipſe poſitiuè determinem; & dico, potiùs non videri improbabile, quàm videri non improbabile.*

1461 c. Secunda. *Quicquid maius eſt integro Pſalterio, eſt materia eſſentialiter magna;* hoc eſt, talis ingenij, vt ſine crimine mortifero liberè omitti non poſſit. Fortè etiam minor quantitas erit materia eſſentialiter grauis, ſed non ſuppetit ratio, quæ cogat terminum magnitudinis in materia minori collocare. Subſcribo P. Ignatio Deikennis, qui in conſultatione iam citata, vult omiſſionem integri Pſalterij grauem eſſe, licèt vno, & ſimplici præcepto viginti Pſalteria per modum vnius præcipiantur.

1461 d. Tertia. *Materia omiſſa, ſi ſit maior quindecim Angelicis ſalutationibus, minor verò Pſalterio integro, ex ſe eſt indifferens vt ſit magna vel parua. Nempe magna, ſi fuerit aut orationis vocalis præceptæ octaua pars, aut octaua maior; leuis, ſi octaua parte fuerit minor.* Conſono his, quæ ſuperiùs dixi *numero* 937. 1055. *& ſæpe alibi.* Vt autem hanc doctrinam generalem Diuino officio applices manuducet reſolutio.

Quarta. *Qui omittit aliqnam Diuini officij ſubſtantialem partem, quæ ſit aut parua ſimpliciter, & abſolutè, aut parua relatiuè, non peccat mortaliter, ſed venialiter.* Sic etiam, *Qui omittit ſubſtantialem partem relatiuè magnam hoc eſt octauam aut octaua maiorem, peccat mortaliter.* Infertur hæc concluſio euidenter ex principijs, quæ ſæpè expendimus, & frequenter vſurpauimus.

ſimus. (*Vide ea, quæ dixi num.47. & deinceps.*)

1462 Vt hæc doctrina meliùs & clariùs innoteſcat, nota Canonicum Officium moraliter coaleſcere ex octo partibus. Sed æquales iſtæ, an inæquales? quæ? quales? quantæ?

Prima ſententia affirmat componi octo partibus inæqualibus, nempe octo Horis Canonicis. Qui huic ſententiæ ſubſcribunt, dicere debent peccare eum mortaliter, qui vnam breuem Horam omittit; omittit enim immediatam, & grauem partem officii Diuini, quod ſupponitur eſſe obligatorium, nam ſi omittens, moraliter non teneretur legere, omnis controuerſia ceſſaret. Eſt ſententia. D. Antonini *3. part. titul.* 13. *cap.4. numer.* 54. Nauarri *in Manual. cap.25. numer.97.* Toleti *libro 2. inſtitut. cap.*10.12. & 13. Gregorij de Valentia 2.2. *diſputat.6. quæſt.2. part.*10. Azorij *libro 1. cap.7. quæſt.* 1. 2.3. & 4. Iacobi de Graffij *libro 2. cap.49. numero* 11. Sylueſtri *verbo Hor. canon.* Seruatii Lairuelz *in Opticæ Regul. ſpeculo 58. inſtruct.1. pagin.*205. Eidem ſubſcribit, licèt ex diuerſis principiis, Leonardus Leſſius *libro ſecundo capit. 37. dub.9. numer.* 53. Tabiena *verbo. Horæ quæſt.*18. Fuſchus *de viſitat. libr. 1. cap.20. numero* 19. Toletus *libro 2. cap.12. numero primo.* Hæc ſententia quamuis apud eos, qui vtuntur Breuiario Romano, ſit plauſibilis, ſi agamus de Benedictino officio vix probabilis eſt, quia *Tertia* verbi gratia ſecundum Monaſticas rubricas, eſt quaſi media pars *Tertiæ* ſecundùm rubricas Romanas. Condemnabit igitur Benedictinum omittentem Tertiam, qui ſæcularem Sacerdotem condemnat dimidiam partem Tertiæ omittentem.

Sententia altera affirmat Canonicum officium componi immediatè ex octo æqualibus partibus entitatiuis, ac propterea peccaturum eum venialiter, qui omitteret Sextam, vel Nonam; quoniam Sexta, exempli gratia, nondum eſt octaua pars Officii Diuini. Doctiſſimi Patres Ioannes de Ionghe & Ignatius Deikennis, ſupracitati probabilem cenſent hanc ſententiam licèt ex aliis fundamentis. Sanè probabiliter dicitur non peccare grauiter, qui horam tertiam omittit in Officio Romano: ergo eadem probabilitate aſſeretur nec peccare mortaliter, qui omittit Tertiam & Sextam in Benedictino; Ratio eſt, quia horæ minores Romanæ ſunt pœnè duplo longiores horis minoribus Benedictinis.

1463 Petes. Vtrùm omittere decem Pſalmos in Nocturnis Vigilis ſit peccatum mortale.

Inſiſtendo primæ ſententiæ reſpondetur negatiuè; quia hi Pſalmi non ſunt pars officij Diuini immediata, ſed pars Horę Matutinæ, quę Canonici Officij eſt octaua. Pars autē octauę partis non obligat ſub culpa graui.

Subſcribendo ſecundæ ſententię dici debet peccare mortaliter, qui omittit in Matutinis decem Pſalmos; conſequentia patet, quia, ſi reſpiciamus officij Diuini entitatiuam quantitatem, decem Pſalmi excedunt officii octauam partem. Pars autem Canonici Officii octaua aut maior, eſt grauis, & omitti non poteſt ſine culpa mortali.

Materia nulla.

Sicut quantitas minor officii octante non eſt materia magna, ſed omni magna minor: ſic etiam quantitas minor octante octantis, ſiue, minor ſexageſima quarta parte totius officij nō eſt parua materia, ſed minor paruas, nempe aliqua, quæ phyſicè ſit aliquid, ſed moraliter loquendo nihil.

AR-

ARTICVLVS II.

De licentia non recitandi aut commutatione quæ morbo grauiter laborantibus concedi ſolet.

1464 EXcitas difficultatem curioſiſſimam, cuius reſolutio, ſit cõmentario innumeris aliis controuerſiis. Eſto æger Petrus; cum ita vrgeat morbus, vt, ſi negaretur diſpenſatio, teneretur, ſi illam concederet Prælatus. Hic commutat ei officium legitime in recitationem vnius *Aue Maria*. Poſita huiuſcemodi commutatione ſic argumentaris. Vel tenetur Petrus legere illud *Aue* ſub culpa, vel non? Si tenetur, ergo iam vnum *Aue* non eſt eſſentialiter materia parua, nam ſi talis eſſet, non obligaret ſub mortali. Si affirmem Petrum non teneri illud *Aue* ſub mortifero legere, infers, ergo Prælatus fecit quod obligatio totius officij Diuini, quæ ante diſpenſationem erat grauis, fieret leuis. Igitur hoc *præceptum eſſe graue aut leue.* non pendet à rerum pondere, vt reſoluimus *num.* 42. Sed ab Antiſtitis authoritate.

Reſpondeo in tali caſu Petrum, qui ſupponitur non recitaſſe officium Diuinum, peccaſſe mortaliter, ſi omiſerit illud *Aue Maria*. Conſultò *in tali caſu* dixi, quia ſi Petrus eſſet ita ægrotus, vt etiam ſine licentia ſui Antiſtitis poſſet officium omittere, non eſſet idem caſus, nec Petrus teneretur diſpenſationẽ petere, & ſi peteret, etiamſi non legeret orationes à commutante iniunctas, non peccaret. Vtrumque declarabo.

1465 Cùm diſpenſat Prælatus iniungens ægro aliquam orationem paruam, non efficit vt ea ſit officium Diuinum, ſed diſpenſat ſub onere legendi illam orationem paruam. Hoc benè expendi *nu.* 1369. Dicit Prælatus. *Ego commuto ibi legendi officij obligationem in lectionem vnius* Aue Maria. Hæc verba æquiualent his. *Ex hypotheſi quod leges vnum* Aue Maria, *ego abſoluo te ab obligatione Diuini officij recitandi:* Æger nec ſub leui culpa nec ſub graui tenetur illud *Aue* recitare, ſed non fruitur diſpenſatione quouſque recitet, quia conceſſiones conditionatæ effectum non habent, antequam conditio ponatur.

Hinc ad noſtrum caſum. Petrus non legit illud *Aue Maria*, nec poſtea officium Canonicum. Quà omittens illud *Aue Maria* nec leuiter quidem peccauit, ſed non obtinuit effectum illius diſpenſationis iſtud *Aue* vt præuiã diſpoſitionem poſtulantis, poſtea omittit officium, & peccat mortaliter, quia illud omittit ſine diſpenſatione. Vide *num.* 1370. *b.*

Hic modus philoſophandi certiſſimus eſt; Prælatus enim poteſt diſpenſare abſolutè, &, ſi decentia poſtulet, poterit diſpenſationem concedere conditionatè, vt hucuſque explicuimus. Quando iubet vt Petrus legat vnum *Aue* pro officio Canonico, non facit vt illud *Aue* ſit officium Canonicum, & ita ægrotus ſatisfaciat, ſed facit vt poſita lectione illius ſalutationis Angelicæ Petrus non teneatur Diuinum officium recitare.

Petrus verè non ſatisfacit Diuino officio in tali caſu, & nihilominus non peccat, quoniam poſita diſpenſatione, ceſſat obligatio recitandi, & hac ceſſante, nequaquam imputabilis eſt officij omiſſio. Certè Petrum legentem vnum *Aue Maria* ſatisfacere Diuino officio prorſus improbabile eſt, quia illud *Aue* poſito etiam Pontificis fauore non efficitur Diuinum officium, ſed fit conditio præuia, & requiſita neceſſariò, ſine qua diſpenſatio effectum non habebit.

Probatur. Si illud *Aue Maria* ex Pontificio Priuilegio fieret officium Diuinum, ſequeretur quòd non ſolùm ægrotus, ſed etiam reliqui legentes illud

Aue

Aue Maria, legerent officium Diuinum: ergo quoad ſubſtantiam præcepto ſatisfacerent, peccarētque ſolùm venialiter, quia deficerent quoad modum. Conſequentia conſtat ex his, quæ ſæpè diximus, præcipuè *num.* 1300. *n.* 1350. *n.* 1390. Et tamen eſt abſurda, vt ex ſe patet. Quis enim audeat dicere, poſſe omnes vno *Aue* quoad ſubſtātiam Diuino officio ſatisfacere, dum ęger aliquis obtinuerit talem diſpenſationem? Ergo ægrotus, cùm recitat illud, *Aue Maria*, non ſatisfacit Canonicę Horarum obligationi.

Dices Prælatos in commutationibus nō eſſe tam ſeueros ac rigidos, ſed potiùs velle, quod ęger fruatur diſpenſatione etſi illud *Aue Maria* non legat. Et reſpondeo à te omnem tolli commutationem caſumque, quia ſi res ita accidat, vt à te proponitur ceſſat quæſtio. & æger ſiue legat ſiue non legat illud, *Aue Maria*, poterit Diuinum officium omittere.

ARTICVLVS VI.

Proponitur caſus particularis.

1466 PEtrus die Dominica omiſit officii Canonici Euangelium, & partem aliquam ex initio Matutinorū, ita vt omnia omiſſa ſint quantitatis pręcisè ſufficientes ad materiam magnam: nempe tantæ, vt ea minor non eſſet materia magna. Habuit intentionem repetendi, & ideo quando omiſit non peccauit mortaliter. Celebrauit Sacrum. Tandem nihil aliud legit. Petitur, *Vtrùm peccauerit leuiter, an grauiter.* Videretur alicui, quod grauiter. Quia omiſit materiam præcisè magnam, ergo mortaliter peccauit.

Reſolutio.

Pro difficultatis huius ſolutione notandum, eodem tempore, eadem actione, eodem labore poſſe quempiam ſatisfacere duobus præceptis. Indicitur mihi audire Sacrum die Dominica, indicitur audire die Aſſumpt. Dominicæ: Ergo ſi eadem dies ſit & Dominica, & Aſſumptioni ſacra, tenebornè audire duas Miſſas? minimè. quoniam eadem actione, hoc eſt, vnius Miſſę auditione poſſum vtrique pręcepto ſatisfacere.

Clariùs adhuc & fortiùs. Interdicitur carnium comeſtio feriis ſextis: interdicitur in vigilia Dominicæ Natiuitatis. Incidat in eandem diem feria ſexta & Natiuitatis Vigilia. Non peto, An tenear, peto, An poſſim bis eadem die abſtinere à carnibus & cibis vetitis. Ergo liquet, vna & ſimplici actione (ſeu poſitiua ea ſit, ſeu negatiua) poſſe hominem duplici obligationi ſatisfacere.

1467 Ex hac hypotheſi, quę verè ſolidiſſimis rationibus innititur, ad quæſitum reſpondeo, dicens. *Petrum non peccaſſe mortaliter.* Ratio eſt, quia in Sacro legit *Euāgelium, Pater, & Symbolum Apoſtolorum*, quorum lectione & ſatisfecit Sacri, & officii Diuini obligationi. Ergo iam non eſt dicendū, Petrum omiſiſſe octauam Diuini officii partem, ſed octaua minorem. Siquidem reſumpſit octantis omiſſi magnam partem, nempe *Orationem Dominicam, Symbolum, & Euangelium.*

Confirmatur. Si hæc (nempe, Euangelium, &c.) extra Miſſam legeret, euaderet in caſu propoſito à peccato mortali, atqui licèt in Miſſa legerit, potuit eadem illa lectione, etiam obligationi officii Diuini ſatisfacere. Ergo. Maior ſupponitur, quia aliàs non diceretur Petrus omiſiſſe partem pręcisè ſufficientem ad materiam grauem. Minor conſtat ex dictis, Conſequentia infertur neceſſariò.

Hinc colligo, eum qui audit Miſſam, etiam auditione Euangelii & orationis Dominicæ ſatisfacere partialiter Officio Diuino. Ratio eſt, Quia legentes ſuas horas non tenentur in Veſperis, & Laudibus ipſimet ore profer-

re ſuum *Pater*, nec in Matutinis *Euangelium*, ſed ſufficit audire, vt ex D. Benedicti Regula, & conſtanti conſuetudine expreſsè conſtat.

At dices, hoc eſſe cum Deo de rebus paruis licitari. Et reſpondeo, aliud eſſe agere de legendo aut non legendo vno, *Aue Maria*, aliud & omnino diuerſum, agere de cognoſcenda obligatione, quia hæc cognitio non eſt res minoris momenti, cum ſummam Theologię notitiam ſupponat, & ad multa dubia illuſtranda conducat.

De ſeptem pœnitentiæ Pſalmis.

1468 PRudens eſt in hac materia Caietani *in ſumm. verb. Horæ* ſententia. Standum eſſe, ait, conſuetudini cuiuſque loci. Verùm hæc reſolutio doctrinalis non eſt, ignoramus enim Eccleſiæ conſuetudines, & eas deſideramus doceri.

Apud Ciſtercienſes.

1469 Anno à Natali Domini MCXCIV. decreuit noſtrum Generale Capitulum, vt omni feria ſexta Conuentus à Capitulo per clauſtrum ad Eccleſiam procederet, & in ea proſtratus diceret Litaniam, preces & orationes ordinarias. Finis huius proceſſionis declaratur eſſe Hieroſolymitanæ expeditionis impetrandus à Deo Opt. Max. felix ſucceſſus, obtinenda victoria contra Saracenos, conſeruanda pax inter Franciæ & Angliæ Monarchas Sereniſſimos. Ita plurimi, quibus conſonat, *Vſuum liber* poſt rituum finem, Heuqueuillenſis editionis; quæ prodijt anno 1628. pag. 297.

Conſtat ex hoc decreto neminem Ciſtercienſium teneri legere priuatim Pſalmos Pœnitentiales. Quoniam hæc lex non indicitur particularibus, ſed ſolummodò Communitatibus. Igitur ne venialiter quidem peccauit, qui omiſerit hos Pſalmos cum Litania, & precibus adiungi ſolitis. Confirmant aliqui ex definitione Generalis Capituli celebrati anno 1618. aſſerentis neminem teneri ſub mortali legere Pœnitentiales Pſalmos. Sed hæc confirmatio nec neceſſaria eſt, nec fortis; Sanè non eſt neceſſaria, quia id ſatis conſtat ex ipſa inſtitutione facta anno 1194. Fortis autem non eſt, quia ibi non agitur de Pœnitentialibus Pſalmis, qui ſingulis ſextis ferijs dici ſolent: ſed de his, qui pro cuiuslibet Religioſi Patre aut Matre defunctis dicuntur. & hi declarantur neminem grauiter obligare.

Adde quod §. II. cùm de Pſalmis Pœnitentialibus ferijs ſextis recitari ſolitis agitur, dicitur illos non ſolum non obligare ad mortale, ſed neque ad veniale. Vide inferiùs *n.* 1840.

1470 Teneturnè Communitas hos Pſalmos legere? Videtur quod non, quia ceſſauit finis. De expeditione Hieroſolymitana iam non agitur, Saraceni, qui Hiſpaniam obtinebant, & imminebant Galliæ, iam Hiſpanorum virtute victi, ſubacti, imò & anno 1611. in Africam abacti ſunt: Anglia iam defecit à fide, nec Gallorum & Anglorum confœderationes ſunt exoptandæ. Igitur dicendum eſt ceſſauiſſe adæquatus finis huius conſtitutionis.

Reſolutio.

1471 Leuiter admittuntur communia onera, & ſæpe ſine cauſa notabili; multiplicantur ac creſcunt quotidie, & quæ ſemel introducta, perennant. Non audent Religioſi quidpiam agere ad tempus maioris deuotionis gratia, quoniam experientia docētur æternare grauamina, quæ Maiores noſtri ex cauſa inſtante introduxerunt. Vidimus cauſas ceſſaſſe, videmus effectus non ceſſare. Non expedit multiplicare obligationes, cùm regulares tot, & tantæ ſint, vt indigeant toto homine. Huc reſpiciebat

ciebat Ciſtercienſe Generale Capitulum anno 1618. cùm Monialibus interdixit recipere legata pia ſub onere legendi aliquas preces, quoniam obligationes ad tempus admittuntur; & grauatur Communitas, quia æternæ euadunt.

Generali Capitulo non ſubijciuntur Communitates Conuentuales, ergo illis nihil poteſt Capitulum iniungere.

Abbates, qui Capitulum celebrant, illi ſubduntur. Illud ipſis poſſet iniungere, vt curarent hos Pſalmos in ſuis Communitatibus legi. Vt curarent cõſultò dixi, quia id Abbates moraliter præcipere non poſſunt, cùm nec contineatur in Regula, nec ad obſeruantiam rerum regularium ordinetur. Neque cõſtat dari præceptum Generalis Capituli indicens Abbatibus, vt curent in ſuis Monaſterijs hos Pſalmos diebus decretis recitari; Nam ſtatutum Capituli celebrati anno MCXCIV. non imponitur Abbatibus ſed Monaſteriis, quę Capitulo non ſubiiciuntur: niſi fortè dixeris illis verbis Abbatum obligationem denotari.

1472 Cęnſeo igitur Communitates Ciſtercienſes potiori iure teneri manuum laborem, & clauſtri Lectionem non omittere, quàm ſeptem Pęnitentiales Pſalmos, atqui de Pręlati licentia clauſtralis lectio & manuum labor aliquando intermittitur, ergo & Pęnitentiales Pſalmi omitti poterunt, ſi placuerit Pręlato.

Nec iuuat ad conſuetudinem recurrere, quia etiam datur conſuetudo legẽdi in clauſtro & operandi propriis manibus, atqui hęc conſuetudo ſubeſt arbitrio Antiſtitis; ergo etiam conſuetudo recitandi Pſalmos Pęnitentiales.

Accedit, quod hæc conſuetudo non poſſit habere vim legis, quia eſt introducta à volẽtibus ſe accommodare moribus Ciſtercienſis Cœnobii, & ex decentia obedire decreto Capituli noſtri Generalis, non eſt autem introducta à ſcientibus ſe non eſſe obligatos, & volentibus ſe obligare moraliter, ergo non habet vim legis moraliter obligantis. Vel ſi quis opinatur contrarium, oſtendat ius, aut legem, aut quidpiam ſimile ex quo grauis naſcatur obligatio, quãdiu hoc non oſtenditur, ſtandum eſt pro libertate.

Apud Præmonſtratenſes.

1473 De hac materia accuratè Seruatius Lairuelz *in Optica Regul. ſpecul.* 58. *inſtruct.* 8. & Statutorum liber *diſtinct.* 1. *cap.* 3. Omnis ſine formidine abſoluunt ſingulares perſonas, nemo enim debet Pſalmos extraordinarios priuatim recitare. Communitati adſiſtere, cùm recitantur, tenetur quilibet particularis in foro exteriori, non ſecus ac in aliis actibus communitatis. Receptiſſima tamen eſt inter Norbertinos ſententia, quæ aſſerit Ordinem teneri ad hos Pſalmos, & peccare mortaliter Antiſtitem, qui vel ſemel permiſerit eos recitari. Vtrùm hoc ſolidè probari poſſit, alii examinent.

De Pſalmis Gradualibus.

1474 A Gradibus hi nomen aſſumunt, quòd in templi gradibus ſolerent concini. Nominis Etymõ expoſui *libr.* 9. *num.* 1280. *in Comment. Capit.* 18. *littera d.* Recitantur in aliquibus Eccleſiis ſemel in hebdomada, nempe feriis quartis. Non eſt in vſu apud Ciſtercienſes eorum lectio, & ideo intermitti poterunt ſine veniali. In Breuiario Monaſtico Pauli V. Summi Põtificis authoritate recognito indicitur vt in Quadrageſima, feria quarta cuiuſlibet hebdomadæ non impedita aliquo feſto duodecim lectionum dicantur, in choro ante Matutinum currentis diei, & extra chorum pro temporis opportunitate.

Omnes qui vtũtur Breuiario Romano excuſantur nunc à Lectione priuata

officij Mariani & Defunctorum, necnon Pſalmorum Pœnitentialium & Gradualium, vt conſtat ex Pii V. diplomate, dato 7. Idus Iulii 1568. vbi lego. *Quòd verò Rubricis noſtri huius Officij præſcribitur, quibus diebus Officium B. M. ſemper Virginis, & Defunctorum, item ſeptem Pſalmos pænitentiales, & Graduales dici & pſalli oporteat; Nos propter varia huius vitæ negotia, multorũ occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præſcriptione remouendũ duximus, &c.* Debuiſſe olim hæc omnia ab illis legi colligo tum ex eadem Bulla, tum etiam ex priuilegio ab eodem Pio Hiſpanorum Obſeruantiæ conceſſo, anno 1568.

Vtentes Breuiario Monaſtico participant ſimilia priuilegia; nam Paulus V. in diplomate conceſſo Kalend. Octobr. 1612. ſic ait: *Omnibus & ſingulis prædictis Religioſis, vt Breuiariũ huiuſmodi ſic reformatum recitando, eadẽ priuilegia, gratias, & indulgentias, ac peccatorum remiſſiones conſequantur, quæ fel. record. Pius Papa V. Prædeceſſor noſter recitantibus Breuiarium Romanum conceſſit, authoritate & tenore prædictis indulgemus.*

Conſuetudinem recitandi Pſalmos Graduales ſuſpicor nunquam viguiſſe apud Ciſtercienſes: quia Pius V. citatu aſſerit eos, qui ſequebantur Romanas Rubricas, officium Marianum, officium Defunctorum, Pœnitentiales, & Graduales Pſalmos recitare debuiſſe, ſe autem eos abſoluere à peccati periculo propter huius vitæ negotia. Poſtea conuerſus ad Ciſtercienſes, illis concedit indulgentiæ dies centum, quoties Marianas Horas recitauerint, quinquaginta, quoties Defunctorum officium aut Pſalmos Pœnitentiales legerint iuxta Ordinis conſuetudinem ſeu inſtitutum, quod ſæpius ingeminat, non tamen meminit Pſalmorum Gradualiũ, ergo ſenſu Pontifex Graduales hos Pſalmos non debere recitari à nobis, aliàs illorũ meminiſſet, eos enim exprimendo quoties de Ciſtercienſi, inſinuauit clariſſimè recitatos fuiſſe olim iuxta Romanas, nunquam iuxta Rubricas Ordinis Ciſtercienſis.

De Pſalmo Lætatus ſum.

1475 Cenſent aliqui Ciſtercienſes teneri legere in choro hunc Pſalmum, quia Ioannes XXII. Auinioni, 12. Kalend. Iulias anno 1328. de Cardinalium conſilio Ciſtercienſibus conceſſit Priuilegium, in quo reperiunt hanc ſanctionem. *Et quia in Miſſarum ſolennijs ad Deum conſueuerunt preces effundi deuotiùs, de eorumdem Fratrum conſilio ordinamus, quod in ſingulis Miſſarum celebrationibus poſt dictum à celebrante* Pater noſter *reſponſioneque ſequuta, antea quàm in Miſſa vlteriùs procedatur, illud Canticum,* Lætatus ſum in iis, quæ dicta ſunt mihi, *totum cum* Gloria Patri, *à Religioſis, Clericis, & alijs literatis præſentibus cum deuotione dicatur. Et poſt dicantur* Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon, Pater noſter, *& poſt iſti verſiculi ſubſequantur, Verſ.* Domine ſaluos fac Reges. Exaudi nos in die quâ inuocauerimus te. *Verſ.* Saluum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ. Rege eos, & extolle illos in æternum. *Verſ.* Fiat pax in virtute tua. Et abundantia in turribus tuis. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. *Orationes verò,* Eccleſiæ tuę Domine preces benignus admitte, &c. *Et illam,* Hoſtium noſtrorum quæſumus Domine elide ſuperbiam, &c. *dicat Celebrans conſequenter.* Ecce ordinatione & ſanctione Pontificia (hoc ſonat illud *ordinamus*) præcipitur communitatibus vt ſub finem Miſſæ perſoluant iſtum Pſalmum.

1475 Reſpondeo, hoc non eſſe præceptum ſed priuilegium, non ſanctionem ſed Indulgentiam, Indulgentiæ autem & priuilegia non conceduntur inuitis, nec inducunt actiones neceſſariò præſtandas. Et ad huius Pſalmi recitationem, nequaquam vult Religioſos cogere ſed animare, ideo ſubiungit, *Nos enim Christi fideles ad exequendum ſupradicta promptiùs, donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis; tam ipſis Celebrantibus, & eis adſiſtentibus obſeruantibus ſupradicta, quàm alijs preces tunc Deo deuotas fundentibus, pro præmiſſis diebus, & Miſſis ſingulis, quibus hæc fecerint, viginti dies de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, authoritate confiſi de iniunctis ſibi Pœnitentijs relaxamus.*

Indulget, animat, ſuadet, non præcipit. Cæterùm, ne remaneret ſcrupulus, ſubiunxit, *Diſcretionem veſtram monemus, hortamur & rogamus.* quæ verba præcipientis non ſunt. Conſulit igitur Summus Pontifex Ciſtercienſibus recitationem Pſalmi *Lætatus*, & ſubiunctarum precum, concedit Indulgentiæ dies viginti cùm fecerint, non præcipit tamen vt faciant.

LIBER VNDECIMVS.

De Regimine Monarchico Communitatis.

R*Empublicam gubernat aut Princeps, aut Primores, aut Populus Has regiminis differentias expendit libro tertio Tacitus, & ex eo multi. Tres hos regendi modos Reſpublica Monaſtica intermiſcet. Monarchia eſt, non enim tolerat plura capita, ne hydra cenſeatur, nec duos Antiſtites, quia hi Cœli Regularis Soles ſunt,* Καὶ δ᾽ ἥλιοι δύο ἥλιος γενέσθαι κίδωσι πάντα συμφλεχθέντα διαφθαρῆναι & ſi duo Soles velint eſſe, periculum eſt, ne incendio omnia perdantur. *Verba ſunt Serini, in quibus illud velint eſſe adnoto, vt doceat imminere ruinam Reipublicæ non ſolùm cùm dominantur multi Principes, ſed etiam cùm volunt dominari: Inconuenienti huic occurrens S. Pater, Capite 65. ſuarum Inſtitutionum præcipit ne ſint duo Abbates, quia vbi Prior haberi vult alter Abbas, armatur tyrannide, diſſenſiones ſeminat, & ſcandala nociua nutrit. Vt Monarchia perennior ſit, nonnunquam debet induere Ariſtocratiæ formam, aliquando Democratiæ. Vtramque coniungit noſter Lycurgus, cum enim Abbatem vnum Capite 65. ſuæ Reipublicæ præficit, Monarchiam inſtituit, & cùm eum in rebus arduis omnium conſilio Capite 3. ſubijcit, hanc condit imperio populari, remittens tamen ad decretum Optimatum negotia leuia, vt ex eodem Capite ſub finem colligitur.*

TEXTVS Cap. 63.

De [a] ordinibus congregationis.

1477 Ordines [a] ſuos in Monaſterio ita conſeruent, vt [b] conuerſionis

ſionis tempus, & vitæ meritum diſcernit, vtque Abbas conſtituer Qui Abbas non conturbet gregem ſibi commiſſum, nec quaſi libera vtens poteſtate, iniuſtè diſponat aliquid, ſed cogitet ſemper, quia de omnibus iudicijs, & operibus ſuis redditurus eſt Deo rationem. Ergo ſecundùm [a] ordines quos conſtituerit, vel quos habuerint ipſi Fratres, ſic accedant ad pacem, ad communionem, ad [c] Pſalmum imponendum, in choro ſtandum. Et in omnibus omnino locis ætas non diſcernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel, & Daniel pueri Presbyteros iudicauerunt. Ergo exceptis his, quos, vt diximus, altiori conſilio Abbas prætulerit, vel degradauerit certis ex cauſis, reliqui omnes vt conuertuntut ita ſint. Vt, verbi gratia, qui ſecunda diei hora venerit, in Monaſterio iuniorem ſe nouerit illius eſſe qui prima diei hora venit, cuiuslibet ætatis, aut dignitatis ſit. Pueris verò per omnia diſciplina teneatur. Iuniores igitur priores ſuos honorēt, priores iuniores ſuos eiligant. In ipſa autem appellatione nominum, nulli liceat aliū puro appellare nomine; ſed priores iuniores ſuos [e] Frates nominent, iuniores autem priores ſuos [d] Nonos vocent, quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem quia vices Chriſti agere [d] creditur, Dominus, & Abbas vocetur; non ſua aſſumptione, ſed honore, & amore Chriſti. Ipſe autēm cogitet, & ſic ſe exhibeat, vt dignus ſit tali honore. Vbicumque autem obuiant ſibi Fratres, iunior à priore benedictionem petat: tranſeunte maiore, minor ſurgat, & det ei locum ſedendi; nec præſumat iunior conſidere, niſi ei præcipiat ſenior ſuus, vt fiat, quod ſcriptum eſt: Honore inuicem præuenientes. Pueri, vel adoleſcentes in oratorio, vel ad menſas cum diſciplina ordines ſuos conſequantur; foris autem, vel vbivbi, cuſtodiam habeant, & diſciplinam, vſque dum ad intelligibilem ætatem perueniant.

a *Ordines in communitate tot ſunt, quot Monachorum ſpecies. Eas determinaui, & expoſui diſputat. 36. per totam. Solent autem eſſe quinque ordines Religioſorum. Primus eſt Nouitiorum, de quibus Liber ſextus. Secundus Donatorum, ſic vocamus voto ſimplici obſtrictos, tertius Laicorum, nempe Conuerſorum, qui ſolenniter vouent tres virtutes in ordine ad vitam actiuam. Quartus Choriſtarum. Quintus Sacerdotum; quibus omnibus Antiſtes præſidet tanquam verus Pater & myſticus Archimandrita. Vide à numero 394.*

b *In omni conſeſſu ſeniores debere præcedere, ni ratio aliqua grauis contrarium efflagitet, docet D. Benedictus. & expendi ſuperiùs num. 403. vbi aliqua, quæ proderunt Lectori diligenti. Edidi ſpeciale volumen quod inſcripſi.* De DD. Ciſtercienſium & aliorum omnium Benedictinorum reſpectu DD. Aroaſienſium & reliquorum Canonicorum Regularium præcedentia Libri. *& in illo hoc Caput vberiùs & clariùs expoſui.*

c Imponere Pſalmum (*Hiſpanè Leuantur el ſalmo*) *ille dicitur, qui primum homiſtichium præcinit.*

d *Cur Religioſi vocentur* Noui, *multi dubitarunt: placet hæc coniectura. Monaſteria magna in Decurias diſtribuit D. Pater, Decurio in Regula dicitur Decanus, reliqui nouem* noni, *ſi ſtylo cultiori operam des, Nouem viros potiùs vocabis, ſeu potiùs Subdecanos: ac ſi Decanus nominaretur Decimus, &* Nonus *ille eſſet, qui immediatè ſequeretur Decanum. De Domno egi n.1145. b.*

e *Hanc periodum non omnes bene intelligunt. Hiſpani mancipia, ſeruos, & viles famulos vocant vos, vt cùm dicũt, Id a tal parte, y hazed eſto, Hoc eſt; Vos ſerui, eatis ad talem locum, & faciatis hoc. Hoc etiam modo Sacerdotes tractant non ſolùm Donatos & Conuerſos, ſed etiam Choriſtas & Diaconos. Sunt, qui tueantur hunc inciuilitatis motum titulo mortificationis, ſed malè, quia inde ſequeretur tot tortores eſſe in cõmunitate quot Sacerdotes, quis autem non videat eſſe contra omnem æquitatem Iuniores à Sacerdote quolibet mortificari? Quis aſſeret non eſſe contra noſtrã legem? nemo ſanè qui legerit Cap.70. ubi indicitur ne quis præſumat alium cædere: quis autem ingenuus & prudens non malit ſubire potiùs colaphum, quàm inurbanitatem? Hanc autẽ expreſsè noſtri Legislatoris menti contraire, demonſtrãt Regulæ conſtitutiones, & præcipuè hoc Caput 63. vbi plurima de vrbanitate. Mala non ſunt patranda vt eueniant bona, non ſunt tolerandi inciuiles, vt reliqui mortificentur.*

Licèt ex ſe inurbanitas ſit inconueniens notabile, habet tamen etiam concomitantes circumſtãtias, quæ illam diſſolutam & intolerabilem reddunt. Sæpe contingit aliquos anno vno aut altero à profeſſione ad Sacerdotium euehi: æquumne eſt, vt Diaconos, Subdiaconos, & reliquos Choriſtas ſeniores ſe, tanquã mancipia tractent? Annuam, cùm virtus & diſſolutio eundem apud me locũ obtinebunt. Sæpe Sacerdos, cùm indiget Iunioris opera, illum titulo Reuerentiæ tractat, qui ſi non faciat, quod Sacerdos deſiderat, aut prout deſiderat, ſtatim inurbanè tractatur. Annon hæc ſtyli repentina mutatio prætergreſſa diſcretionis terminos accedit ad vindictam ignobilem, & inhumanam? Laudent qui voluerint; ego ſanè non auſim, nec ſimilia facientes in communitate tolerarẽ. Corruit diſciplina cùm laborat ciuilitas, quia deſpiciunt legem, obligationes temerant, & contemnunt ſanctiones, qui ſe contemptibiles iudicant; qui verò impunè contemnuntur, vix ſe poſſunt dignos honore iudicare.

Miniſtri Communitatis qui.

Abbas habet in monaſterio authoritatem temporalem & ſpiritualẽ. Hanc delegat Priori ſeu præpoſito, Suppriori, Cantori, Decanis, Magiſtro Nouitiorum, Sacriſtæ, & alijs: illam Cellerario, Receptori, Magiſtro Artificum ſeu Conuerſorum, Oſtiarijs, &c. vtramque Conſiliarijs. Hi habent ſuos Miniſtros quos dirigunt, gubernantque: ſingulorum munia, iura, & obligationes explicabo.

A B B A S.

1478 Aliqui ſibi videtur cultè loqui, cùm vel à communi loquendi modo differunt, aut obſcurè loquuntur. Criſis in iudicio conſiſtit, nec laudandus, qui phraſin mutat ſine cauſa. Suſpiciendi ſunt Critici, non tamen cenſendus de eorum numero, qui exoticis verbis abutitur, ſed qui dialectum perficit, vocum examinat energiam & acumen, & proprietatem inueſtigat.

Hæc

Hæc ſint admonitioni aliquibus, qui Antiſtites Benedictinos malunt *Prælatos* vocare quàm *Abbates*; vt cenſeantur plus legiſſe, obſeruaſſe, adnotaſſe, quàm cæteri, qui vocibus vtuntur, quas à maioribus hæreditariò receperunt. Putant ſe adulari Antiſtiti, dum illum *Prælatum* nominant; quos, ſi eſſent critici, puderet deprimere Abbatis excellentiſſimam authoritatem, Abbates noſtros aliquando Prælatos nomino, non tamen vt ſimiles commendem; ſed vt loquar genericè, vel ne verba eadem ſæpiùs repetam; ſcio enim generalius eſſe nomen *Prælati* quàm Abbatis. Non carpo qui Abbates *Prælatos* nominant, quia re verà tales ſunt; carpo, qui putant genus nobilius eſſe ſpecie, & Prælatum nobiliorem Abbate.

Mendicantium PP. Superiores vocantur etiam Prælati, & tamen in omni conſenſu cedunt Superioribus Benedictinis. Imò ſi valedicentes politiçę verborum latitudini, velimus rigori vocũ inſiſtere, *Prælatus* idem eſt qui *Præpoſitus*. Prior ſeu præpoſitus in monaſterijs noſtris eſt ſubditus, cuius electio & depoſitio ſpectat non ſolùm ad arbitrium, ſed ad nutum Abbatis. *Ad nutum* dixi, quia & elegi, & electus deponi poteſt ſine cauſa, Itaq; tu, qui Criſin profiteris, Antiſtitem tuum *Prælatum* nominas? cũr non *Priorem*? ſi bene examines, Priori potiùs competit nomen *Præpoſiti* & *Prælati*, confirmante noſtro Legiſlatore, qui capite 65. de Priore ait, quòd *quantum Prælatus eſt cæteris, tantùm eum oportet ſolicitè obſeruare præcepta Regulæ*.

1478 *b* Nomen Abbas ſublime eſt, & honorificentiſſimum: dabo præcipuas eius acceptiones.

Abbas Latinè, qui Hebraicè אב *Ab*, & Chaldaicè אבא *Abba*. Chriſti Domini prænomen eſt, ita nos docente D. Benedicto Cap. 2. Regulæ, vbi agens de Abbatis miniſterio ait; *Chriſti enim agere vices in monaſterio creditur, quãdo ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo (Rom. 8.) Accepiſtis ſpiritũ adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Hoc nomen illuſtriſſimum commune eſt Chriſto, & Monaſtico Antiſtiti: vtriq; conuenit ſed diuerſimodè; quod enim Chriſti Domini prænomen eſt, Antiſtitis Ordinarij eſt cognomen. Tum quia priùs Chriſto quàm puro homini conuenit Animarũ Archimandritam eſſe, tum quia Chriſtus gubernat, ordinat, operatur; Abbates ſequuntur Ducem Chriſtum, ſubditos congubernant, coordinant, cum æterno paſtori cooperantur.

Secundo אב *Ab*, ſolet exponi Pater, & ſic accipitur à noſtro Legiſlatore ſub initium Prologi. Suadet ſubdito obtemperare Abbati, & ait: *inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple*. Vide *num.* 80. Hæc vòcis acceptio communiſſima eſt, nec indiget confirmatione.

Tertiò exponitur *Amans*, *diligens*, *ſolicitus*. & aptè, quoniam אב *Ab* dicitur à radice אבה *Aba*, id eſt, *Amare*. Adnotat D. Benedictus hanc Antiſtitis prærogatiuam, Cap. 64. *Oderit vitia*, ait, *diligat Fratres*. Ne autem amor vitietur aliqua circumſtantia, æquitàs eum comitetur, & commendet æqualitas dicente eodem Patriarcha; *Nulla ab eo* (nempe Abbate) *perſona diſcernatur. Non vnus plus ametur quam alius, niſi quem in bonis actibus aut obedientia inuenerit meliorem.* Audit *diligens*, qui ſolicitus eſt & qui amat; quia vix ſine dilectione ſedula dilentia eſſe poteſt.

Quartò. Charitas reciproca eſt, amatur qui diligit, qui ſuſpicit alios, honoratur. Ouidius:

—— —— *Vis vt ameris: Ama.*

Abbas quia Fratres diligit, vniuerſorum amorem in ſe conuertit. Cauſale Aſſumptum mente retine, & lege Regulæ noſtræ Caput 64. vbi Abbati Legiſ-

lator, *Studeat plus amari quàm timeri*. Qui amari ſtuduit, nondum obligationi ſatisfecit; cur? quia debet ſtudere plus diligi, & intentiùs amari. Diligetur à ſubditis, ſi ita Fratribus de neceſſarijs prouideat, vt diligentia teſtatam faciat dilectionem.

Quintò. Abbas nomen maieſtatis eſt & dominij, dicente Diuo Benedicto Cap. 2. *Abbas, qui præeſſe dignus eſt monaſterio, ſēper meminiſſe debet quod dicitur, & nomen Maioris factis implere.* & Cap. 63. *Abbas autem, quia vices Chriſti agere creditur, Dominus & Abbas vocetur.* Neque hæc vocis acceptio aliena eſt à rigore idiomatis primarij, quia Doctores Hebræi אב *Ab* nominant quemcumque virum Magnum, & Eminentem.

Sextò. Abbas *Magiſter* dicitur, quoniam debet eſſe Stella, qua ſubditos ad Chriſtum deducat. Debet eſſe Præceptor qui inſtituat, dirigat, & legem Dei ſubditos doceat. Ideo D. Benedictus in ipſo Inſtitutionum Prologo, *Auſculta*, ait, *ô Fili præcepta Magiſtri*, hoc eſt, Abbatis. Vide *numero* 80.

Septimò. Legimus אבי *Abi* (radix eſt eadem) quod interpretantur aliqui *Pater mi*, alij *Abba mi*, plures *Voluntas mea*. Cur ergo Abbas *Voluntas* dicitur? quia ſolus ipſe volūtas eſse debet. Cùm vota emittit Religioſus, voluntatē abdicat, vſurus deinceps non ſuo dictamine, ſed voluntate Abbatis: ipſe enim eſt voluntas moralis reliquorum.

Tandem Abbatem φιλόξενον expono *diſp. 133. num. 1667.* hoc eſt *Pauperum amatorem, Hoſpitalem; &c.*

Omitto alias huius nominis excellentias, quas alibi calamo vberiore expendam, has enim perſtrinxiſſe ſufficit, vt ſciamus imperitos & indignos Abbatis nomine illos eſſe, qui Abbatis nomen dedignantur.

TEXTVS. *Capite* 64.

De ordinando Abbate.

1479. In Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, vt hic conſtituatur, quem ſibi omnis concors congregatio ſecundum timorem Dei, ſiue etiam pars, quamuis a parua congregationis ſaniori conſilio elegerit: vitæ autem merito, & ſapientiæ doctrina eligatur qui ordinandus eſt, etiamſi vltimus fuerit in ordine congregationis. Quod ſi etiam omnis congregatio vitijs ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam pari conſilio elegerit, & vitia ipſa aliquatenus in notitiam peruenerint Epiſcopi (ad cuius diœceſim pertinet locus ipſe) vel Abbatibus, aut Chriſtianis vicinis claruerint, prohibeant prauorum præualere conſenſum, & domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem, ſcientes ſe pro hoc recepturos mercedem bonam, ſi illud caſtè, & zelo Deo faciant, ſicut è diuerſo peccatum ſi negligant. Ordinatus autem Abbas cogitet ſemper quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem villicationis ſuæ: ſciatque ſibi oportere prodeſſe magis, quàm præeſſe. Oportet ergo eum eſſe doctum lege di-

uina,

uina, vt ſciat ſic vnde proferat noua, & vetera; caſtum, ſobrium, miſericordem, humilem, & ſemper ſuperexultantem miſericordiam iudicio, vt idem ipſe conſequatur. Oderit vitia, diligat Fratres. In ipſa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis; ne dum nimis cupit eradere eruginem, frangatur vas. Suamque fragilitatem ſemper ſuſpectus ſit, memineritque calamum quaſſatum non conterendum. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia: ſed prudenter, & cum charitate ea amputet, prouiderit cuique expedire, vt iam diximus, & ſtudeat plus amari, quàm timeri. Non ſit turbulentus, & anxius, non ſit nimius & obſtinatus, non ſit zelotypus, & nimis ſuſpicioſus: quia numquam requieſcet. In ipſis imperijs ſuis ſit prouidus, & conſideratus, ſiue ſecundum Deum, ſiue ſecundùm ſæculum ſint. Opera, quæ iniungit, diſcernat, & temperet, cogitans diſcretionem ſancti Iacob dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die. Hæc ergo, aliaque teſtimonia diſcretionis matris virtutum ſumens, ſic omnia temperet, vt & fortes ſint qui cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè vt præſentem Regulam in omnibus conſeruet, vt dum bene miniſtrauerit, audiat a Domino, quod ſeruus bonus, qui erogauit triticum conſeruis ſuis in tempore ſuo: Amen dico vobis, aut, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

a Saniori Conſilio.] *Verba ſunt difficilia; &, ni bene examinentur, verè ſchiſmatica appareat. Si pauci ſaniore conſilio quempiam eligant, ille ſit Abbas, ſed quis reſoluet vtra pars nitatur conſilio ſaniore? ſi hoc vocibus reſoluendum ſit, dabitur proceſſus in infinitum, ſi à pluribus decernendum, ergo & electio Abbatis.*

Ferè omnes exiſtimant D. Benedictum aſſeruiſſe illum debere eſſe monaſterij Antiſtitem, qui ſaniori, etiam minoris partis, conſilio electus fuerit. Verùm non ita exponenda eſt litera, niſi fortè quis velit menti Legiſlatoris contraire. Non comparat D. Pater partem minorem maiori, ſed partem toti. Dicit illum eſſe declarandum Abbatem, quẽ vel tota Communitas elegerit, vel ſaltẽ pars ſanioris conſilij, licèt parua, hoc eſt pars cui plures ſubſcripſerint, licèt pauci. exemplo res clarior euadet. Dantur viginti actiuę voces. Si omnes Petro faueant; nulli eſt quæſtioni locus. Si ipſi faueant quatuor. Ioanni ſeptem, Paulo ſex, & Ambroſio reliqua, vult inſtitutor ſanctiſſimus præponi Ioannem; quãuis enim ſit parua Congregationis pars quæ illum elegit, numeroſior tamen eſt alijs, & propterea ſanior præſumitur.

Ita debere exponi mentem noſtri Legiſlatoris definitum eſt ab Innocentio IV. in diplomate conceſſo anno 1248. ad inſtantiam Gulielmitarum, apud Henriquez pag. 455. Diplomatis huius nu. 17. reperies hæc fortiſſima verba. Obeũte verò Generali Priore veſtro, vel ſuorũ quolibet nullus ibidẽ qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum Maior Pars *conſilij ſecundùm Deum & B. Benedicti Regulã prouiderit eligendum. Ergo pars conſilij*

ſanioris, cuius meminit Benedictina Regula, eſt ex paruis maior, hæc enim ſemper creditur melior.

Ordo Ciſtertienſis paulò aliter hanc legem explicat. Sanior pars illa dicitur, quæ coaleſcit ex viris integræ opinionis & famæ, quibus opponuntur criminoſi. Ideo in communitate qualicumque ſtādum eſt conſilio paucorum qui ſunt integræ famæ, contra reſolutionem plurium criminoſorum, quos à conſilijs quibuſcumque proſcribit. Dabo textum ex nouellis Definitionibus, §. De criminoſis, & teſtibus. Ibi ſic. Criminoſos vel qui publicas egerint pœnitentias (nempe condemnati iuridicè, & conuicti de peccato graui) prohibetur ad conſilia in Ordine euocari: qui ſi fortè ſe immiſcuerint, & contradixerint alijs famæ ſanioris, proborum, & ſaniorum teneatur conſilium contradictione talium non obſtante. Ergo D. Benedicti verba debent periphraſi hac exponi. Illa erit Abbas, quem ſibi tota congregatio concordi conſilio præfecerit; vel pars ſanior & integræ opinionis, licèt parua ſit, non obſtante quod infames ſint plures & velint electionem turbare. Criminoſi ergo voce actiua carens (imò etiam paſſiua) in Abbatum creatione, quamobrē vel ipſis inuitis debet cenſeri Abbas legitimus, qui fuerit ab ingenuis & ſanioris famę & opinionis viris, licèt multò paucioribus denominatus.

Hæ duæ expoſitiones ſibi non contradicunt; ſed ſibi mutuò opitulantur. Dico ergo

Primò, Eſt legitimus Abbas qui concordi animo ab omnibus eligitur ſecundùm Deum. Conſultò dixi ſecundùm quia ſi tota congregatio vitijs ſuis (quod abſit) conſentientem perſonam pari conſilio non erit legitimus Antiſtes, vt cōſtat ex Regulæ præſenti capite.

Secundò, Si duo eliguntur, alter à probis & ingenuis, alter ab infamibus criminoſis, ſtandum eſt ſaniori decreto, & non obſtante ſceleratorum, licèt pluriū, contradictione cenſendus eſt Legitimus Abbas, quem congregationis pars quāuis parua, ſaniori conſilio elegerit. Conſtat ex Definitione Ciſtertienſi.

Tertiò. Excluſis ab electione infamibus & criminoſis, ſi ingenui et probi diſcordes ſint, & duos aut plures elegerint ille cenſeatur verus Abbas, qui ſaniori conſilio, hoc eſt, pluribus vocibus fuerit electus, quamuis iſti plures ſint parua pars conuentus, qui ex infamibus & ingenuis componitur. Conſtat ex Innocentio. Addam exempla vberioris intelligentiæ cauſa ſunto in monaſterio Balliēſi viginti Religioſi, quorum decem propter ſcelera aut alias rationes voce carent, ex vocalibus quatuor eligunt Fromardum & ſex Petrū, Legitimus Abbas erit Petrus, cui fauit ſanioris conſilij pars, hoc eſt, habens plures voce legitimas, licèt ſit parua reſpectu totius cōgregationis, quæ ſupponitur ex vigenti coaleſcere. Non aliter: In monaſterio Aurienſi nemo ſit qui voce actiua careat, ſed ex triginta Vocalibus ſex eligant Ioannem, nouem Petrum, quinque Antonium, decem Franciſcum: dicendus eſt hic vltimus eſſe Abbas, vtpotè ſaniori conſilio electus. nempe à pluribus quàm quicumque alius licèt iſti decem ſint parua pars congregationis.

a Dignus.] Non ergo requiritur quod dignior ſit, ſed ſufficit eum eſſe dignum. Vide ea quæ expēdo diſp. 122. à n. 1503.

b Chriſti.] De nomine אבא Abba, quod Antiſtiti imponitur, varijs locis diſputo, latè num. 80. vberiùs nu. 1478.

c Extra, ideſt, contra; conſilia enim extra Dei præcepta ſunt, & nihilominus licitè & validè ab Abbate imperantur. Si Abbas quidpiā contra Deum præcipiat, non poteſt ſubditus obedire, vide n. 191. in comm. Si aliquid contra Regulam, præcipiat Abbas, vide num. 691. ſi ſit extra regulam. nu. 700.

T E-

TEXTVS Ex Capite 2.

Quàm difficile ſit animas alienas gubernare.

1481. *a* Meminiſſe debet ſemper Abbas quod eſt, meminiſſe quod dicitur,& ſcire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque quā difficilē,& arduā rem ſuſcepit, regere animas, & multorum inſeruire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium ſuaſionibus: & ſecundùm vniuſcuiuſque qualitatem, vel intelligentiam, ita ſe omnibus conformet,& aptet, vt non ſolùm detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiatur; verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne diſſimulans, aut parui pendens ſalutem animarum ſibi commiſſarum, non *b* plùs gerat ſollicitudinem de rebus tranſitorijs,& terrenis, atque caducis: ſed ſemper cogitet, quia animas ſuſcepit regendas, de quibus,& rationem redditurus eſt. Et ne cauſetur de minori fortè ſubſtantia, meminerit ſcriptum: *Primum quærite regnum Dei,& iuſtitiam eius,& hæc omnia adijcientur vobis.* Et iterum: *Nihil deeſt timentibus eum.* Sciatque,quia qui ſuſcepit animas regendas, præparet ſe ad rationem reddendam. Et quantum ſub cura ſua Fratrum ſe habere ſcierit numerum, agnoſcat pro certo, quia in die iudicij ipſarum omnium animarum eſt redditurus Domino rationem ſine dubio, addita & ſuæ animæ. Et ita timens ſemper futuram diſcuſſionem Paſtoris de creditis ouibus, cùm de alijs ratiocinijs cauet, redditur de ſuis ſollicitus. Et cùm de admonitionibus ſuis emendationem alijs ſubminiſtrat; ipſe efficitur à vitijs emendatus.

a Meminiſſe.] *Dupliciter interpretatur verbum hoc: ſignificat enim* recordari & mentionem agere. *Iuxta priorem acceptationem deberet hæc periodus exponi ſic,* Meminerit Abbas obligationis, quam habet; Paternæ authoritatis, quā habere dicitur: illius, vt ſolicitus ſit; huius vt maritet ſollicitudini amorem & candorem Paternum. Non ſolùm curæ & amoris meminerit, ſed de curis, de amore. Oportet vt ſubditi ſe curari & amari non præſumant modò. ſed & audiant, imò & experiantur & videāt; deſpondeant enim animum (nonnunquam animam) qui ſe contemni præſumunt.

Sumam ſecundū calamum,& eadē verba noua idea manuductus reſcribā. Meminiſſe debet Abbas obligationis nec nnn Paternæ authoritatis. Cur non ſcire debet potiùs, quàm meminiſſe? Quia obligationes officij non debet diſcere iam Abbas non debet doceri iam promotus; debuit priùs didiciſſe & ſciuiſſe: meminerin ergo & reducat ad memoriā poſtquam fuerit electus. Antiſtitem pingebant veteres cæcum ſed ſeptum libris, vt oſtenderent Antiſtites ſcientia,& libris ægere, non adquirenda & legendis ſed adquiſita & lectis: idcirco cæcus pingebatur, non enim egebat oculis, qui omnia viderat.

b *Plus*

b *Plus. Sumitur aduerbialiter & ſignificat potius. Vnde nō ſolùm dixit Benedictus. Ne Abbas maiorem curam habeat de rebus tranſitorijs, ſed ne potiùs curam habeat. Quia cum potior hominis pars anima ſit, poſtulat curas & ſolicitudines potiores.*

Hæc omnia, quę toto hoc capite S. Benedictus perorauerat, videtur Antiſtites Congregationis Germanicæ feliciter reſumpſiſſe vna ſola periodo, in Definitionibus enim ſic inquiunt. Poteſtas Abbatum in ædificationem eſt, & nō in deſtructionem, ideoque non faciant quicquam, aut fieri conſentiant, quod in ordinis & Monaſteriorum ſuorum damnum, aut etiam in ſuorum Religioſorum vituperium, contemptum & pernitiem cedat: non ſolùm (inquit Apoſtolus) digni ſunt morte, qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus.

Lege, ſi vacat, B. P. N. Bernardi librum de Conſideratione ad Eugenium, ſecundum præcipuè, & authoritatem Prælati optimè deductam & dilucidatam reperies.

DISPVTATIO CXIX.

Variæ in creando Antiſtite limitationes. Vtrùm ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam Abbates a Regibus denominari.

1481 b. Aliqui ſeuerioris Theologiæ ſectatores tunc ſolùm docti ſibi eſſe videntur, cùm Reges, & Principes incuſant, neſcientes hos eſſe ſuſpiciendos, nec poſſe reos agi ſine cauſa. Idcirco exordior controuerſiam vtilem tam Regibus quàm Religioſis.

Abſolutæ Abbatum electiones, & concomitantia inconuenientia.

Abbates hodie in diuerſis Prouincijs multifariam creātur. Ex natura rei Monachis ſolùm competit Abbatem ſibi eligere, admittere, ordinare. & ita etiam hoc tempore fit in aliquibus Germaniæ & patriæ Leodienſis monaſterijs non pertinentibus ad Regem Hiſpaniarum.

Hic electionis modus laborat grauiſſimis inconuenientibus: præcipua recenſebo. Antè electionem adhuc Abbate ſuperſtite nulla in communitate concordia, norunt omnes fauore amicorum quæſtionem eſſe decidendam, & ſolùm ſtudent aucupandis vocibus & amicis. Petrus ſi non habeat in monaſterio officium, ad Abbatiam adſpirat, obſeruat ſingulorum actiones, & cum quocumque ita agit, vt ea ſolùm commendet, quæ illi placent, vituperet, quæ diſplicent. Si quis proclametur, arguatur, corrigatur, Petrus ſe ad meſſem præparat, conſolans correctum reddit incorrigibilem; arguit de paſſione Præpoſitum, de ſeueritate & audacia; Abbatem de ignauia & remiſſione, qui præpoſuit indignum. Infert conſequentias præcipites; Si modo, ait, ita audeat, & obſequatur ſuis paſſionibus, quid ageret ſi foret Antiſtes? Tandem omnes dedecorat, omnes agit reos, & index temerarius nullam actionem non cōdemnat, vt ſolus videatur dignus Abbatiali dignitate. Hic ſi eſſet Abbas, inquit, foret nimis ſeuerus, alter nimis remiſſus: hic prodigus, iſte parcus, ille tyrannus & inclemens, alter inciuilis, nec vnus dignus in cœnobio. Interea dum hæc aguntur, Paulus, qui Prioris officio fungitur, ſimilia imò peiora molitur, abutens nominis authoritate. Se ſucceſſorem & hæredem Prælati ſeneſcentis ſomniat; neminem vult habere

bere inimicum, & omnibus conniuet: amicis adulatur, blanditur, pollicetur aurea ſæcula, inimicos terret, vt velint nolint reſipiſcant. Si controuerſiæ fuerint, cadet cauſa, qui illi ſuffragium non obtulerit, & ſolus ille, qui vendiderit, præualebit. Supprior minores Priore vires habet, ideòque omnem diligentiam adhibet, vt animos iuniorum alliciat. Oeconomus ſubornat clanculò aliquos, quos amicos facit ex mammona iniquitatis, ergo amicos iniquos. Nouitiorum Magiſter, & Moralis Theologię Doctor cenſent nec filios nec diſcipulos ingenuos eſſe, qui non fauent. Quid ſi Abbas ad aliquam partem inclinet? inconuenientium multiplicabitur ſcaturigo.

Hæc omnia poſſibilia ſunt, & eò magis timenda, quò ſecretiùs aboriantur: nec leges bonę dicendę, quę non eliminant inconueniētia poſſibilia. In ipſamet Antiſtitis creatione maiores ſunt difficultates, ſi numeroſa ſit communitas, maiora pericula ſi parua. Pauci facillimo negotio conueniunt, quid ſi conſpirent? quid ſi communi conſilio indignū eligant? prævidit, timuit, imò & obuiam ire optauit Benedictus. Quod ſi etiā ait c. 74. *omnis congregatio vitijs ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam pari conſilio elegerit, & vitia ipſa aliquatenus in notitiam peruenerint Epiſcopi ad cuius diœceſim pertinet locus iſte vel Abbatibus aut Chriſtianis vicinis claruerint, probibeant prauorum præualere conſenſum, & domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem, ſciētes ſe pro hoc recepturos mercedem bonam, ſi illud caſtè & zelo Dei faciant; ſicut è diuerſo peccatum, ſi negligant.* Hoc inconueniens timendum eſt in monaſterijs paruis, non in maioribus: nam quadraginta aut plures homines bene educatos in malum conſpirare, moraliter eſt impoſſibile.

Poſt electionem etiam ſimilia aut grauiora inconuenientia concurrunt: Abbas enim ſciens ſe ſubditorum eſſe creaturam, ſolet obedire creatoribus. Hic, aut nullibi, acceptio perſonarum, remanet electus Antiſtes eligentium mancipium, & eorum, qui vocem denegarunt, carnifex & tortor. Illis conniuet, iſtos perſequitur: ac propterea quies exulat, & religioſa conuerſatio periclitatur.

Prima electionum limitatio.

1482 Vt his periculis irent obuiam aliquæ Congregationes, decreuerunt Abbates in Prouincialibus Comitijs eligendos eſſe ſuffragijs ſeu Abbatum ſeu Diffinitorum. Verùm hęc limitatio inconuenientiis aut eiſdem, aut potioribus ſcatet. *Primò* cùm Religioſi non habeant vocem electiuam, & ab eligendis & ab electis contemnuntur: ab eligendis quidem; quia Prelaturę candidati, cùm non ſint promouendi Confratrum vocibus, eos paruipendunt, & ſolis Capitularibus ceu electuris adulantur. Nihili etiam fiunt ab electis: quia nullus eorum Confratribus vel minimùm obſtringitur, ſed poteſt dicere, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.*

Secundò contraitur Benedictinę Regulæ titulo maioris perfectionis; Regulę autem contraire nullatenus laudandum. Antecedens patet, quia vult Legislator Abbati electionem fieri à ſubditis, ſed fieri deſiderat ſine magnis inconuenientibus; ergo ſicut laudandus non eſſet medicus, qui tolleret ęgrum ne febri laboraret, ſic nec illa lex laudanda, quæ tollit electiones, ne laborent abuſibus, cùm hi potiùs tollendi ſint, & electiones manu-tenendæ.

Secunda limitatio.

1483 Congregationes aliquę Abbates eligunt hoc modo. Capitulum Prouinciale duos nominat, quorum alter eligitur à Religioſis. Hęc limitatio

ſicut

ſicut & præcedens locum habet in illis monaſterijs, quibus præficiuntur Abbatet temporarij, ſic eos nomino, quorũ dignitas non eſt perpetua, ſed trienſ-nalis, aut quadriennalis ſecundùm iura diuerſarum Congregationum. Ratio eſt, quia Generale Capitulum quod celebratur Ciſtertii, raró celebratur, vltimum enim fuit anno 1628. hodie numeramus 1645. ergo ſi expectaretur Capitulum Generale, Abbatia vacaret multis annis. Hæ duæ limitationes practicabiles ſunt in Congregationibus, quæ ſingulis triennijs aut quadriennijs Comitia Prouincialia celebrant.

Hic modus patitur inconuenientia plurima, & aliqua ſpecialiſſima, quæ faciliùs eſſet intelligere quàm explicare. Nam illi duo denominati à Prouinciali Capitulo, vel ſunt filij eiuſdẽ monaſterij, vel filij alterius monaſterij, vel alter filius & alter non-filius. Denominari duos alterius monaſterij, dedecori eſt illi Communitati, quæ vi denominationis huiuſmodi declaratur non habere virum Abbatiæ capacem. Periculo exponitur authoritas Prouincialis Capituli, cùm nõ ſemel viderimus tertium aliquem à Conuentu creari, & confirmari. Si duo denominentur à Prouinciali Capitulo, quorum alter non ſit illius monaſterij filius; electio non eſt canonica, quia Conuentus libertate politica priuatur: quis enim dubitet tali caſu Confratrem eſſe anteponendum? Dices poſſe contingere illius monaſterij filium indignum eſſe tali dignitate, & alienigenam digniſſimum. Eſto. An non eſt ſummum inconueniens indignos à Capitulo denominari? Si duo proponantur alter dignus & alter indignus, vbi politica libertas? An non exponitur illa communitas periculo indignum eligendi? An non excuſabitur vocalis Religioſus, qui cenſebit ſolummodò eligibiles (hoc eſt dignos) à Capitulo denominari? potiùs ergo incuſandum erit Prouinciale Capitulum, quod indignũm denominauit. Denique ſi denominati filij ſint eiuſdem Monaſterij, vel ſunt optimi totius congregationis, vel non, vel alter ex optimis tantum. Si non ſint optimi, imprudentes ſunt denominantes: ſi verò alter non ſit ex optimis, iniurij ſunt optimis qui intermittuntur: ſi vterque ſit ex optimis, iniuria fit alterutri, quoniam alteruter cauſa cadet, & ille alteri Monaſterio præfici potuiſſet. Hoc vt intelligas, adnotato ex Monaſteriis maioribus adſumi Religioſos in Abbates Monaſteriorum, quæ aut non habent filios, aut non habent capaces. Itaque claritatis gratia ſupponamus, quod Petrus, Paulus, Ioannes, Franciſcus filij ſint Vallis-Paradiſi (Monaſterium celebre eſt in Hiſpania) & examinatis illorum meritis cùm inter ſe habeant ordinem, quem deſignaui. Ex eodem Monaſterio adſumendùs ſit Abbas Montis de Ramo. (Cœnobium eſt in Gallecia) quomodò igitur in Prouinciali Capitulo fient denominationes? Si prò Valle-Paradiſi denominantur Petrus & Paulus, & pro Monte dè Ramo Ioannes & Franciſcus, indignior digniori neceſſariò anteponetur. Nam ſi Petrus in Monaſterio Vallis-Paradiſi eligitur, remanabit Paulus ſine Abbatia, qui nihilominus ſupponitur dignior Franciſco & Ioanne, quorum alter futurus eſt Abbas Montiſramenſis. Si Petrus cum Ioanne, & Paulus cum Franciſco denominentur; Petrus etiam exponitur periculo remanendi ſine mitra, vir tamen dignior Paulò & Franciſco, quorum alter infallibiliter abbatizabit. Ergo hæc limitatio maximis etiam inconuenientibus laborat.

Tertia limitatio.

1484 Religioſi quandoque duos vel tres denominant, è quibus Capitulum Prouinciale eligit vnum. Hic modus maioribus periculis exponitur; quoniã

quà

quia Religioſis concedit liberam denominationem, obnoxius eſt inconuenientibus *numer.* 1479. recenſitis. Qua duos ſimul denominat, patitur inconuenientia, quæ ponderauimus *numero* 1485.

Quarta limitatio.

1485 In multis Monaſterijs electio fit hoc modo. Religioſi ſuffragijs ſuis eligunt aliquos, & Rex determinat quiſnam ex illis præficiendus ſit Communitati. Hic modus ſuis etiam inconuenientijs non caret. Quis enim tam ſtolidus, qui non habeat vnum aut alterum amicum, ac propterea, ſi velit, non poſſit habere aliquas voces? Rex non cognoſcit perſonas eligibiles, debet à Conſilio inſtrui, Conſiliarij ab alijs, cuius inſtructionis, quæ à tot medijs dependet, fidelitas periclitatur. Præponi poteſt qui validiores habet amicos, cùm ſolus ille deberet, qui prærogatiuas habet illuſtriores.

Reſolutio.

1486 Hæc ſunt inconuenientia, quæ experimur: accidunt more humano, hoc eſt, nec vbique, nec ſemper, verumtamen nonnunquam accidunt. Quænam ex illis maiora ſint, alteri iudicandum relinquo. Quemlibet verò ex propoſitis modum ſequere, dummodo actiones tuas regulent Reſolutiones ſubſequentes.

Prima. *Iure Regulæ electio eſt libera, & conceditur Religioſis ſine aliqua limitatione.* Patet ex ipſomet Regulæ textu. Clariſſima ſunt iſta verba. *In Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, vt hic conſtituatur quem ſibi concors Congregatio ſecundum timorem Dei, ſiue etiam pars (quamuis parua) Congregatio ſaniori conſilio elegerit.* Ita in limine capitis 64.

1487 Secunda. *Si agamus de Religioſis iam profeſſis, Pontifex non potuit ſine cauſa huiuſmodi electiones limitare.* Ratio eſt, quia qui profitentur ſecundùm D. Benedicti Regulam, profitentur vitam communem ſecundùm Caput 64. quod ipſis concedit poteſtatem eligendi actiuam & paſſiuam ſine vlla limitatione. Ergo Pontifex dum hoc Caput expúxit, limitauit, reſtrinxit, ius nouum conſtituit profeſſuros obligaturũ, ſed non obligans profeſſos. Si verò agamus de profeſſuris, potuit hanc Regulæ immunitatem alterare & immutare ſine cauſa.

1488 Tertia. *Poſſunt Religioſi cedere ſuo iuri, & ſine cauſa admittere quãcumque reſtrictionem, imò & poſſunt ſuam electionem ſubijcere Regis declarationi.* Patet, quia liberrimè eligere priuilegium eſt, quod à Regula ipſamet conceditur, & nemo ignorat quemlibet poſſe priuilegio cedere, præſertim cùm ex illa ceſſione nihil ſequitur, quod militet contra ius naturale.

1489 Quarta. *Ex cauſa ſufficienti poteſt Pontifex non ſolùm Abbatum electiones, ſed & omnes Regulares obſeruantias ac leges immutare.* Probatur. Põtifex habet authoritatem iuriſdictionis, &, ſi cauſa legitima adſit, poteſt priuilegia quæcumque reuocare. Probatur ſecundò: Quilibet Religioſus eſt profeſſus ſecundùm Regulam ſe dirigentẽ ad morum conuerſionem & perfectionẽ charitatis: quòd ſi mutatis temporibus aliqua Regulæ periodus conuerſioni, & charitati officiat, à Summo Põtifice poteſt immutari. Atqui experiẽtia nos docuit, quod electio libera fons eſſet grauiſſimorum inconuenientium, quietis perſecutrix, pacis eliminatrix, ergo Põtifex Ordini Benedictino debuit ſuccurrere, & electionis iura limitare.

1490 Quinta. *Catholicus Hiſpaniarum Rex, cùm ex electis à Conuentu vnum denominat, nihil facit contra Eccleſiaſticam immunitatem.* Primò, quoniam Religioſis hoc non diſplicet, aliàs enim

enim lite contra ſuam Regiam Maieſtatem ugerent. Nec dicendi ſunt hanc litem omittere timoris reuerentialis cauſa; nam ſæpe Reges conueniuntur, & ſi titulo legitimo careant, condemnantur. Secundò, quia cauſæ ad id faciendum ſunt grauiſſimæ, & Pontifex ipſe permittit. Si cauſas quæris, præter aliàs, quæ vniuerſales ſunt & coegerunt etiam alibi hanc libertatem limitari, vnam dabo, quæ eſt momenti maximi. Abbatialis authoritas ſæpè eſt affecta ſæcularibus dignitatibus, nam reperies Abbates Toparchas, Comites, Marchiones, Duces, Regum Conſiliarios, Prouinciarum Procuratores, Prouiſores; ergo non debet Rex permittere vt ad politica hæc & merè ſæcularia munia ſe inconſulto aliquis promoueatur. Præterea non poteſt afferi, fieri id ſine permiſſione Pontificis, qui ſæpè confirmat à Rege Catholico denominatos.

QVAESTIO INCIDENS.

An in Abbatum electionibus committi poſſit ſimonia?

1490 b. Occaſio hanc addendi quæſtionem mihi fuit Germanica Congregatio, quæ inter alias prudentiſſimas definitiones, quas anno 1595. præſide Edmundo à Cruce Abbate Ciſtertij in prouincialibus Comitijs tulit, poſuit hanc, *Nullus muneribus, aliiſque corruptionibus aut pollicitationibus ſe eligi procuret in Monaſterij vacantis Abbatem, aliàs præterquam quod electio de ipſo per ſimoniam facta ipſo iure irrita eſt & nulla, talis electus, & ſic eligentes ſunt excommunicati, & ad futuram electionem actiua paſſiuaque voce priuati declarantur.*

1490 c. Reſpondeo Abbatiam non poſſe emi pecunijs, aut rebus naturalibus, benè tamen moralibus virtutibus ſimilibuſque. imò in Theologiæ Moralis *numer. 869.* admitto iſtum contractum, *Elige me in Prouincialem, & te in Priorem eligam*, non eſſe ſimoniacum, tametſi multis inconuenientibus ſubiectum, & reſolutionem firmo authoritate Aragonij, Soti, Victoriæ, Sanchezij, & Dianæ.

Inſtas, Qui talem contractum iniuiſſe probantur, ſolent vt ſimoniaci caſtigari: ergo aut iudices iniqui, aut ipſi rei. Reſpondeo, ſolere Iudices habere opinionem contrariam, adeóque ſine iniquitate procedere, fortè neſcientes aliam (hoc eſt, noſtram) probabiliter defendi poſſe, & tunc excuſandos omninò, ſi inuincibilis ignorantia credatur, at quia eſt in materia officij videtur potiùs eſſe craſſa. Addo non obſtāte opinionis noſtræ ſecuritate poſſe cōtra ambitioſos illos procedi, ſi non tanquam ſimoniacos, ſaltem tanquam ſubornatores, & ſubornatos, corruptores, & corruptos, & grauiter in eos animaduerti. Subiungo, dari ſimoniam diuinam, & Eccleſiaſticam, & poſſe etiam Monaſticam. Prior committitur, cùm venduntur res verè, & realiter ſacræ, & ſupernaturales; Eccleſiaſtica, cùm venduntur res Eccleſiaſticè ſacræ & ſupernaturales, quæ tametſi verè, & realiter tales non ſunt, ita ſe habent ex Eccleſiæ hypotheſi ac ſi eſſent tales: Poſſet committi tertia, ſi Religio aliqua decerneret rem talem habendam tanquam ſacram & ſupernaturalem, puniendumque ſimoniacorum pœna, qui eam venderet. Nec curanda ſumma eſſet, aut ratio aut paritas, quia res, quæ ab arbitrio dependent, pro libertate ſtatui ſolent, vt patet in Canonicatuum materia, vbi multæ difficiles, imò oppoſitæ quæſtiones Legiſlatoris libero decreto ſaluantur.

DISPVTATIO CXX.

Præſtetnè Abbates triennales an perpetuos eſſe.

1491 HAnc quæſtionem docti ſæculares tractarunt, neſcio an doctè, quia rem inſpicientes extrinſecùs, intrinſeca inconuenientia aſsequi nequiuerunt. Pater Yepez Hiſtoriographus Ordinis Benedictini duobus locis hanc controuerſiam mouet, & vix eſt Chronologus, qui eam non tetigerit. Ego quid hac in re ſentiam, concluſionibus aliquot explicabo.

CONCLVSIO I.

1492 *Abbates eſſe triennales non expedit bonorum temporalium adminiſtrationi.*

Probatur *primò*, quia depauperantur monaſteria ſucceſſione Abbatum. Nam hic amat agriculturam, quam alter iudicat ſumptuoſam & minimè lucroſam eſse. Hic ſummis expenſis boues, equos, mulas, aratra & inſtrumenta neceſſaria comparauit, ſtabula erexit; alter cùm ſit alterius opinionis, animalia vendit, inſtrumenta negligit, ſtabula aut iubet deijci, aut ſinit concidere. Vnus plantat vineas, alter hortos, alius neutrum curat, & hodie armētis ac gregibus aditum ad loca patefacit, quę heri curioſè celebrantur.

1493 Secundò. Debita antiqua vix recipiuntur, vix ſoluuntur. Rarò recipiuntur, quia debitores ſoluere debent nouis hominibus, qui nihil crediderunt, vendiderunt, mutuarunt. Vix aut ne vix quidem purgat Abbas ſucceſsor debita anteceſsoris, aſserit monaſterium pro illo tempore plus ſolito grauari, ſe nihil recepiſse, imò ſe velle conueniri in Comitijs, hoc eſt (vt verbo dicam) fateri quidem debitum, ſed ſoluendum à ſucceſsore poſt tres annos.

1494 *Tertiò*. Periclitantur annoſa ædificia. Tecta non ſine magnis expenſis reparantur: nec paries inclinat, nec murus vacillat, nec tectum dehiſcit, quod non credatur perſeuerare poſse ſaltem ad tres annos, hinc plurimi curas ſimiles transfundunt in ſucceſsorem. Vnde ruinæ oriuntur maximæ, & ſucceſsor impenſis magnis reſtituit, quæ anteceſsor pretio viliori potuit conſeruare.

1495 *Quartò*. Aedificia noua (quia diuerſam ideam referunt) non cohærent, nec certè ichnographiæ reſpondent: quiſque ſequitur ſuum dictamen, & aut noua deijcit, aut ea proſequitur ſine proportione.

Quintò. Fructus malè venduntur, quia ſępè in fine triennij vili pretio vendit, quos poſt menſes paucos ſucceſsor magno eſt empturus.

His inconuenientibus obuiam itur, vbi perpetui ſunt Abbates. *Primò*, quia multis annis continuatur vnum & idem domus regimen. *Secundò*. melior eſt debitorum ratio, nam ille ipſe recepturus eſt hodie debitum, quià quatuor vel ſex annis credidit: & reſtituturus, quæ ipſemet recepit. *Tertiò*. inclinantia ædificia ſtatim reparat, ne cogatur poſtea ferre maiores expenſas. *Quartò*, ædificia noua fiunt ſecundùm vnam, & eandem idem. Et tandem fructus ſtato tempore venduntur, non enim nunc recipiet pretium minus iuſto, qui indicat ſe etiam fore Abbatem poſt tot menſes, & eoſdem iuſto venditurum.

CONCLVSIO II.

1496 *In monaſterio, in quo Abbates temporanei ſunt, non eſt poſſibile ſemper præfici digniorem.*

Demon-

Demonſtratur, quia ſi hodie dignior eligitur, temporis peracta periodo ſuccedet alius, qui ſupponitur dignior non eſſe.

Nec iuuat recurrere ad reelectiones, quoniam & hæ tot inconueniẽtibus obnoxiæ ſunt, vt ſæpe introductæ fuerint, & ſæpiùs abrogatæ. Poſitis reelectionibus, ingenuitas Prouincialis Capituli periclitatur. Vocales enim illius Capituli etiam capaces ſunt dignitatum, poſsũt ergo & ipſi amico fauere ſpe denominationis aut promotionis alicuius. Cautum eſt Hiſpanorum Ciſtercienſium decreto, ne Viſitator poſſit in ſequenti Capitulo eligi in Generalem. Cur? Ne exponatur periculo adulandi Abbatibus, & exorbitantias permittendi. nam, cũ ſciat ſe ad Generalatum promoueri non poſſe, ſic Deo duce actiones ſuas ordinat, vt nec ſpe nec metu dirigantur. Ergo ſi expedit Viſitatorẽ nihil ſperare ab Abbatibus, vt illos integerrimè iudicet: expedit etiam hos nihil ſperare ab eligendo in Congregationis caput, ne digno amicum anteponant.

Hæc fortia ſunt in eorum opinione, qui digniores cenſent præferendos, cùm agitur de Prælaturis: nec minùs etiam fortia in contraria ſententia. Eſto, poſſit dignus Conuentui præfici omiſſo digniore: an fortè ideo iuſta lex, quæ declarat digniorem neceſsariò omittendum, aut poſtponendum minùs digno? Sed petes occaſione hinc arrepta, an dignus dignioribus præfici poſſit. Sequenti diſputatione ſatisfaciam huic quæſito.

CONCLVSIO III.

1497 *Eiſdem monaſterijs ſæpe præficiuntur indigni.*

Conſtat, quia contingit Comitiorum fauore plurimos ex eodem monaſterio denominari, plurimos promoueri. Contigit aliquando in Obſeruantiæ Comitijs ex monaſterio N. nouem Vocales eſse. præter hos reperiebantur in eodem monaſterio quatuor, qui olim fuerant Abbates, decem qui in varijs occaſionibus denominati: ergo viginti tres Abbatia digni. Quis credat tot eſse Prælaturæ dignos etiam in florentiſſima communitate?

CONCLVSIO IV.

1494 *Abbatum authoritati officit eſſe triennales.*

Patet, quia indiſciplinati eum contemnunt quem ſciunt poſt menſes paucos redigendum ad communem ordinẽ, & monachum fore particularem.

Ipſimet etiam Abbates ſibi obſunt, quia timentes Succeſsoris iudicium adblandiuntur illis & conniuent, quibus ſe iudicant olim ſubdendos eſse. Manus manum lauat, & interim ſordeſcit aqua.

Exulant hæc dum perpetua eſt Antiſtitis authoritas: quia nec ſperant indiſciplinati, nec Antiſtes timet, vnde tam hic quam illi accuratè obligationibus ſuis reſpondent.

CONCLVSIO V.

1499 *Monachorum ſolamini expedit aut Antiſtites triennales eſſe, aut Religioſos facili negotio ad alia Cœnobia tranſmitti.*

Religioſum angi, torqueri, affligi, triſtitia offundi, cogitationibus obrui, vitam denique tædioſam, & difficilem agere, poſſibile eſt: idque ex cauſa duplici, primò ſi plus æquo affligatur, ſecundò ſi fragilis ſit & ſincerè credat iniuſtè ſe affligi. Hic, ſi Prælaturæ triennales eſsent, recuperaret animos ſpe fatî benignioris, ſciret anno ſequenti ſe liberandum ab eo, quem vt tyrannum incuſat, imò ſomniat (cur non hoc?) fore vt anno ſequenti ipſemet præſit, & compeſcat tyrannum. Quod ſi Abbas perpetuus ſit, Religioſus huiuſmodi

in

miſeram deſperationem agitur, mala impatienter tolerat, peiora timet, nec quietem ſibi aut tranquillitatem pollitetur. Id non ſolùm poſſibile eſt, ſed frequenter accidit; Antiſtites homines ſunt, nec omnibus placere poſſunt. Ergo aut Abbates triennales ſint, aut Religioſi facili negotio commutentur.

1500. Dices, nullum Ordinis regimen ſine inconuenientibus dari, ergo, ſiquidem aliqua toleranda ſunt, toleretur quod vnus aut alter Religioſus ſolamine tota vita careat.

Reſpondeo, inconuenientia duplicis eſſe generalis, alia ſubſtãtialia, alia merè accidentalia. Nulla lex poteſt omnia accidentalia eliminare; erit ergo ſaltem æquior illa, quæ eliminat notabiliora. Caterùm lex, quæ vel vnum inconueniens ſubſtantiale permittit, iniqua eſt. Religioſos verò tædioſam, triſtem, & difficilem vitam agere, eſt inconueniens ſubſtantiale. Audi D. Benedictum. *Oderit* (ait Cap.64. agens de Abbate) *vitia, diligat fratres. In ipſa autem correctione prudenter agat, & ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradere eruginem, frangatur vas. Suamque fragilitatem ſemper ſuſpectus ſit, memineritque calamum quaſſatum non conterendum.* Confugerunt illi ad clauſtra, vt Deo quietè ſeruirent, ergo concedenda eſt hæc quies, tollendaque omnia quæ quieti huiuſmodi officere videantur. Maximi faciunt authores religioſæ vitæ tranquillitatem: ſuadent afflicto Monacho non ſolùm tranſitum ad aliud Cœnobium eiuſdem Religionis, ſed etiam ſi neceſsarium ſit ad Religionem laxiorem: tanti .n. animi tranquillitas facienda eſt, vt tolli debeant vniuerſæ circumſtantiæ politicæ & humanæ, quæ huic tranquillitati contrariantur. Ita Bartholomæus de Vecchis in praxi nouitiorum *diſp.15. num.7.* & Diana *part.3. tract.2. Reſol.43.* Haud ergo expedit negare dimiſſorias Religioſo qui propter ignauiam, prauũ habitum, & inequalem affectum erga Prælatum, dedit in continua triſtitia, angitur profeſſionis emiſsæ pœnitentia, & quietè deſiderat viuere in alio Cænobio eiuſdem Religionis.

1501 Neque hinc timendum honori Antiſtitis aut religioſi, vtriuſque enim cauſa poteſt eſse probabilis, & vterque ſanctiſſimè & iuſtè procedere. Cùm dimiſsoriæ petuntur & conceduntur, ſi ſalutis corporeæ titulus quæſitus videatur, non illico ad morum iniquitatem eſt recurrendum, cùm faciliùs & aptiùs ad morum inæqualitatem recurratur. Cur vterque (nempe Abbas, & ſubditus) non poſset dicere: *Verè Dominus talis, eſt vir probus & bonus; ſed nequiuimus conuenire, quia conuerſatio ipſius ſancta eſt ſed aſpera, & in hoc meæ diſſona: Sanè nobis voluntas eadem eſt, ſed diſſerimus opinione.* Hæc ratio ſufficiens, & vrbana eſt; neutri indecora. Non eſt inglorium eſse conuerſationis aſperæ (Hiſpani *mala condicion* nominant) vidimus enim integerrimos aliàs Viros aſperitate conuerſationis laborare.

1502 Nec impenſæ timendæ, quia agitur de re præcisè neceſsaria, & præſtat aliquam temporalium rerum, quam ſpiritualium & animarum iacturam facere. Huc reſpiciebat Benedictus cùm dixit (*cap.2.*) de Abbate. *Non plus gerat ſollicitudinem de rebus tranſitorijs & terrenis atque caducis; ſed ſemper cogitet, quia animas ſuſcepit regendas, de quibus & rationem redditurus eſt. Et ne cauſetur de minori fortè ſubſtantia, meminerit ſcriptum: Primum quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adycientur vobis.* Quis vnquam Abbas inclinantem vidit ædificij murum, qui illum paupertatis titulo permiſerit corruere, nec appoſitis fulcris non prouiderit de ſecuritate? Religioſi cuiuſcumque animus impenſis infinitis à Chriſto Domino erectus eſt poſt lapſum. Hunc Chriſtus

credidit ſeduli Antiſtitis ſolicitudini, qui ſi labi permittat, reddet rationem creditori. Præſtat impenſas magnas fieri, quam ædificia tranſnaturalia labia.

Accedit, quòd ſæpiùs ſine expenſis poſſint Prælati ſubditos afflictos conſolari, commutari poſſunt Religioſi; & ſi fiat, neutrum Monaſterium grauabitur. Eſto ergo in commutandis Monachis ſumma facilitas: aut Abbates ſunto triennales.

DISPVTATIO CXXI.

Poſſitnè in creatione Antiſtitis dignus anteponi digniori.

1503 SVppono primò, indignũ promoueri non poſſe. Indignum voco, qui caret prærogatiuis à noſtro Legislatore ſexageſimo quarto capite recenſitis. *Oportet ergo eum eſſe doctum in lege Diuina, vt ſciat vnde proferat noua & vetera: caſtum, ſobriũ, miſericordem, humilem, & ſuper-exaltantem miſericordiam iudicio, vt idem ipſe conſequatur*. Hic dubio grauiſſimo locus. An videlicet, ſufficiat creare in Antiſtitem Virum doctum, caſtum, ſobrium, miſericordem, humilem; an verò opus ſit creare doctiorem, magis caſtum, magis ſobrium, profundiùs humilem, & benigniorem.

Prima ſententia.

Digniorem debere præeligi docet Fernandez *in Inſtr. confeſſ. p. 2. cap. 4. num. 11.* Nauarr. *lib. 2. cap. 2. num. 159.* Rebell. *p. 1. lib. 3. quæſt. 4. concl. 5.* Portel *in dub. reg. verb. elect. num. 6.* Turrianus *tom. 2. in 2. 2. diſput. 22. dub. 4. num. 1.* & Diana *par. 2. tract. 15. Miſcellaneo Reſol. 61.*

Sententia altera.

Secunda opinio affirmat ſufficere, quod eligatur dignus prætermiſſo digniori. Hanc ſine aliqua limitatione probabilem cenſet Filliucius *tom. 3. tr. 41. c. 4. n. 187.* Certam iudicat Ioannes Valerus Carthuſianus (quem Diana in Authorum Indice *Virum doctiſſimum & eminentiſſimum* appellat) non tamen eam vniuerſaliter admittit, ſed in aliquibus caſibus determinatis: ſequitur enim Caietanum *verb. electio Prælati.*

Propria mens.

1504 Agunt communiter Authores de digno & indigno, nec ab omnibus exponitur quid ſit indignum eſſe; qualem præterea teneamur abſolutè intermittere, qualem comparatiuè. Omnis dignitas practicum miniſterium eſt, nec poteſt legitimè operari qui ideis conuenientibus caret. *Primò* igitur examinandæ ſunt prærogatiuæ practicæ, non qualeſcumque, ſed illæ vnicè quæ ſunt praxeos radices. Secundò conſiderandæ veniũt dotes cõcomitantes. Verbi gratia. Vacat Præſidis dignitas in Parlamento; adſpirat Petrus; inquiro, An habeat legum ſcientiam; quia ſi hâc careat, indignus iudicandus eſt. Inquiro inſuper, An habeat experientiam, authoritatem; integritatem; quia, & hæ virtutes neceſſariæ ſunt. Tranſeo deinde ad dotes quæ perſonam exornant, & examino generis excellentiam, hominis ætatem, plauſum po-

puli, amicorum fauorem, & ſiqua ſunt quæ neminem dignum reddere poſſunt, ſed poſſunt quemcumque aliàs dignum reddere excellentiorem.

Diffinitio prima. *Indignus ille eſt cui deficit aliqua prærogatiua ſubſtantialis*. Probatur clariſſimè exemplis. Ad Archiatrum Romæ agendum indignus cenſendus erat Iulius Cæſar quamuis totius ferè Orbis Imperator. Ad exercitus præfecturam indignus Plato licèt ad miraculum ſapiens: quia nec hic rem militarē nec ille calluit medicinam.

Diffinitio ſecunda. *Indignus ille etiã eſt, qui licèt habeat dotes & prærogatiuas neceſſarias, non tamen habet in gradu requiſita*. Verbi gratia. Si Archiatri officium poſtulet Medicinæ notitiam perfectam vt quatuor, non quicumque Medicus cenſebitur hoc officio dignus, quia multi notitiam habent remiſſiorem.

Diffinitio tertia. *Dignus eſt, qui habet prærogatiuas requiſitas in gradu & perfectione debita*. Conſtat ex duabus præcedentibus. Bifariam poteſt contingere virum eſſe digniorem; nempe eſſentialiter, & accidentaliter.

Diffinitio quarta. *Dignior ſubſtantialiter ille dicitur, qui in aliqua ſubſtantiali dote excedit omnes alios dignos*. Agitur de eligendo Protomedico; Petrus peritus eſt Medicinę *vt duo*, Ioannes *vt quatuor*. Paulus *vt quinque:* dico Petrum eſſe indignum vacante dignitate, ad quam ex ſuppoſitione requiritur ſcientia *vt quatuor*; Ioannem eſſe dignum & Paulum ſubſtantialiter digniorem.

Diffinitio quinta. *Inter ſimpliciter dignos dignior accidentaliter ille dicendus eſt, qui præ reliquis prædictus eſt dotibus, quæ ad miniſterium non conducunt*. Vt in exemplo poſito, ſi Franciſcus habeat ſcientiam Medicam *vt quatuor*, & interim calleat Muſicam, dicendum eſt non eſſe ſubſtantialiter Ioanne digniorem, ſed digniorem accidentaliter. Exceſſus hic accidentalis ſolùm habet locum cùm ſubſtantialia æqualia ſunt, quia ſi ſit in ſubſtantialibus moralis (hoc eſt notabilis) diſparitas, malè recurritur ad accidentarias qualitates; cùm vnus ſubſtantiæ gradus omnibus accidentibus præſtet.

His diffinitionibus inſtructior animus liquidiùs poterit & penitiùs controuerſiam propoſitam examinare.

CONCLVSIO I.

1505 *Stando Iuri naturæ in nulla dignitate debet dignior neceſſariò præponi.*

Patet, quia naturæ decreto indicitur ne miniſterium committatur indigno, puta tali qui nequeat ſatisfacere ſuæ obligationi. Rei natura non poſtulat quod præficiantur digniores, quia ille exceſsus (ſiue ſubſtantialis ſit ſiue accidentarius) nullo modo neceſsarius eſt, & ius naturæ ſolum præciſè neceſsaria requirit, vt patet hoc exemplo. Laborat Petrus fame, Paulus ſiti; & vterque eſt in extrema neceſſitate habet Antonius vinorum & ciborum varia genera, hic tamen non tenetur præbere ipſis præſtantiſſima, ſed ſatisfacit quàm primum ſufficientia ſubminiſtrat. Nec crudelis erit, ſi Petro dederit panem, Paulo aquam, cùm hæc ſufficiant vt vtriuſque neceſſitati ſuccurratur. Non aliter, ſi Communitas careat ſuperiore, deſignandus, qui præſit: nec opus eſt denominare excellentiorem, ſed ſufficit conuenientem.

CONCLVSIO II.

Dignior debet eligi, quotieſcumque Electores compromiſerunt ſe hoc præſtituros eſſe.

Solent aliquando Vocales, antequam ad electionem procedant, iurare ſe electuros eſſe digniorem. Poſito hoc promiſſorio iuramento non video qui poſ-

ſint dignum eligere omiſſo digniori. Ratio eſt, quia tale iuramentum eſt iuſtum & obligat in foro interiori.

Qui contra iuramentum à Communitate præſtitum, digniori dignum antepoſuit tenetur ad reſtitutionem, quia poſſeſſorem legitimum dignitate priuauit.

Vt hoc meliùs intelligas notato idem eſſe, communitatem iurare ſe in Antiſtitem digniorem eſſe electuram, atque dare de facto Prælaturam digniori, electio enim quæ ſequitur, eò tendit vt dignior cognoſcatur; & patet, quia ſi præſtito tali iuramento dignior diuinitùs reuelaretur, non eſſet opus electione, ſed ex prioris iuramenti virtute illi vni dignitas iſta deberetur.

CONCLVSIO III.

Debet dignior præeligi, vbicunque hoc eſt lege ab inſtitutoribus decretum.

Si Petrus legat mille ſcuta dãda pauperibus, teſtamenti executor non tenetur eligere pauperiores. Ita Bartolus *in l. Vnum ex familia §. in fine. de lege 2.* Baldus *in leg. cum quidã ad fine de leg. 2. & in Republ. l. 1. num. 31. verſ. item quæritur. de ſacroſancta Eccleſ.* Cardinalis Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib. 5. tit. 5. num. 6.* & Diana *part. 2. tr. 15. Reſol.* 8. Quid ſi Petrus vltima voluntate decerneret eroganda eſſe pauperioribus? Tenebitur ad reſtitutionem executor, ſi diſtribuerit inter minùs pauperes. Ita Diana *vt ſupra §. Notandum eſt*. In Collegio de Villagarcia Fundatorum liberalitate ſex florenorũ millia dantur Cantoribus in ſtipendiũ. An propterea Patres Ieſuitæ tenentur optimos totius Hiſpaniæ exquirere vt hæc ſtipendia diſtribuant? Minimè. quia inſtituta ſunt pro Cantoribus illi Eccleſiæ ſeruientibus, licèt pluribus alijs ſint indoctiores. Ergo in quacumque dignitate conſideranda eſt inſtitutio, quia ſi lege humana legitima non decernitur danda digniori, dari poterit minus digno.

CONCLVSIO IV.

1506 *Iure Regulæ non tenentur Domini Benedictini digniorem eligere in Prælatum.*

Conſtat expreſsè ex ipſo textu, nam ſub Capitis 11. initium legitur. *Abbas qui præeſſe dignus eſt Monaſterio* Nota benè, inquit epigraphe, *Qualis debeat eſſe Abbas*, reſpondet Legiſlator, quòd debet eligi in Abbatem, *qui præeſſe dignus ſit*: non igitur requirit quod ſit *dignior*. Confirmatur ex Capite 64. ſub cuius medium aſſerit D. Benedictus doctum, caſtum, miſericordem & humilem poſſe creari in Antiſtitem. Ergo non indicit eligendum eſſe digniorẽ, ſi enim hoc vellet, aſſereret denominandum in Abbatem ſolum illum, qui doctior, purior, benignior & humilior foret. Clariùs paulò antè. Commendauerat Chriſtianis vicinis Monaſterij curam, & poſtulat, vt ſi quando contingat indignum eligi, *prohibeant prauorum præualere conſenſum, & domui Dei dignum conſtituãt diſpenſationem*. Vbi iterum adnoto D. Benedictum *dignum* dixiſſe, non *digniorem*. Confirmatur ex Diuo Gregorio in Epiſtola ad Caſtorium, quam dabo *num.* 1588. *d.* qui cùm Benedictini Ordinis, Pontifex, & antiquus ſit, habere debet trifariàm certiſſimam authoritatem.

Hinc conſtat poſſe Benedictinos eligere in Prælatum quemcumque dignum etiam intermiſſo digniore (exceptis illis Monaſterijs in quibus ſit inter electores concordia de digniore eligendo: & in quibus viget lex aliqua Prouincialis) Hanc doctrinam extendunt ad omnes Prælatos Mendicantium Ioannes Valerus *in different. vtriuſq; fori. verb. electio diff. 1. num.* 1. Filliucius *tom. 3. tract. 41. cap. 4. num.* 187. Caietanus *verb. electio Prælati*.

CON-

CONCLVSIO V.

Quando in Comitijs Prouincialibus denominantur duo, ex quibus alterum eligant Religioſi, hi ſine conſcientiæ ſcrupulo poſſunt eligere quemcumque.

Probatur. *Primò*, quia neuter eſt indignus; ſi enim dignus non eſſet, minimè à Capitulo Prouinciali denominaretur, imò Capituli Prouincialis iudicium etiam contra tuam ſententiam habere debet vim probabilioris opinionis, nam ſi Petrum denominatum à Prouinciali Capitulo indignum iudicas præſumis temerè contra Diffinitores, qui probi, ſenes, & multi ſunt, & faciliùs eſt vnum, quàm plures falli.

Secundò, quia ſi deberent Religioſi eligere digniorem, ſæpe non eſſet locus electioni, vidi enim aliquoties denominari viros ſummè inæquales. ergo vel dicendum eſt Abbates eligi à Prouinciali Capitulo, vel datur optioni locus poſt denominationem. Ne igitur dicamus Religioſos à Prouinciali Capitulo neceſſitari, & ſpoliari arbitrio, tenendum eſt poſſe alterutrum ex denominatis in Abbatem creari.

Hæc reſolutio locum habet in Obſeruantia Hiſpaniæ, vbi bini à Prouinciali Capitulo pro ſingulis Cœnobijs nominantur.

CONCLVSIO VI.

Catholicus Hiſpaniarum Rex Abbatias, quas poteſt conferre, non tenetur dare digniori.

Ante electionem inquiritur quiſnam ſit dignior, poſt electionem innoteſcit, & ille eſt, qui habet plurium voces. Tum quia certum, faciliùs decipi pauciores quàm plures; tum quia placere pluribus, ſubſtantialis prærogatiuæ circumſtantia eſt non contemnenda. Dico igitur non teneri Regem Catholicum conferre Prælaturam habenti plures voces. Ratio eſt clariſſima. Quia ſi illum teneretur eligere, neceſſariò à Religioſorum vocibus prædeterminaretur, & determinatio Regia non eſſet fauor, ſed mera facti notificatio. Poſita Religioſorum electione, adhuc dubitatur vter à Rege Catholico ſit antepónendus: ergo Rex habet ius eligendi quem maluerit, dummodo ex iis vnum eligat, qui voces habuerunt in electione regulari.

DISPVTATIO CXXII.

De Inſtallatione, Confirmatione, & Benedictione Abbatum.

1507 SEu ante ſeu poſt Antiſtitis obitum electio fiat, nullam confert authoritatem actualem electo ante legitimam Inſtallationem. Inſtallari idem eſt quod ſumere poſſeſſionem: per quam ille, qui ius habebat in rem, incipit habere ius in re, actualemque iuriſdictionem à confirmatione (benedictione, vbi hæc fit) & reliquis ſolennitatibus dependentem. Eſt ergo *Inſtallatio* quædam poſſeſſionis *Initiatio*, qua ſigilla, claues, & reliqui Abbatis characteres, publica authoritate alterantur, mutantur, innouantur. Poſt Inſtallationem Confirmatio requiritur, quam Benedictio donat perennitate. Oportet de ſingulis ſub breuitate diſputare.

Inſtallatio.

1508 Solebāt olim Archidiaconi arrogare ſibi ius inſtallandi Abbates, & Religioſi maioris tranquillitatis cauſa ipſis non contradicere: ſed ambitioſos ſe id iure facere aſſerentes decreuit Ordo Ciſtertienſis conuenire in Pontificio tribunali. Condemnati fuerunt Archidiaconi ann. 1234. ſub Gregorio IX. qui ad petitionem Ciſtertienſium, ſententiam priuilegio expreſſo roborauit, cuius §. 5. continet verba hęc valdè notanda. *Archidiaconi, aut Pontifex, inſtallādi electos ipſos vendicare ſibi ius iniurioſè contendunt, contra indulta Sedis Apoſtolicæ non modica venientes. Volentes itaque quieti veſtrę conſulere, & veſtris grauaminibus in hac parte paterna ſolicitudine prouidere, ne tali præſumantur de cætero, * * authoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus: eadem authoritate nihilominus decernentes, vt ſi contra prædictam inhibitionem noſtram à quoquam fuerit propria temeritate præſumptum, ſit irritum & inane, & ſi aliquæ ſententiæ latæ fuerint, nullum robur obtineant firmitatis.* Nota illud *iniurioſè contendunt*, vt intelligas eſſe contra Ciſtertienſium iura inſtallationem ab aliquo fieri, qui ab Ordine non ſit ad hoc denominatus. Quicumq; Cōuentus habere debet proprium, & ſpeciale ſigillum: & habere debet ſpeciale ſigillum quicumque Abbas. Sic diſpoſuit Benedictus XII. anno 1334. num. 2. in Inſtallatione ſigillum Communitatis (hęc enim non mutatur) remanet: ſed mutatur ſigillum Abbatis.

Iuramentum.

1509 Inſtallatus apud Ciſtertienſes præſtare debet iuramentum. Sed quomodo? in cuius manibus? & quando? Reſpondeat Benedictus Duodecimus, qui proprio motu anno 1334. reſoluit hoc dubium à noſtris Abbatibus conſultus. In priuilegio quod Chryſoſtomo Henriquez eſt LXIII. num. 3. hæc lego. *Quilibet Abbas monaſterij ſiue alterius loci conuentualis adminiſtrationi principaliter præſidens eiuſdē Ordinis, & etiam Abbas Ciſtertienſis, qui eſt pro tempore: antequam Abbatiæ ſuæ vel adminiſtrationi ſuæ ſe immiſceat, iuramentum præſtare ad ſancta Dei Euangelia teneatur; quilibet ſcilicet inferior in manibus Patris Abbatis, qui electionem de ipſo factam confirmare habebit, & in præſētia ſui proprij Conuentus: nec non ipſe Abbas Ciſtertienſis qui eſt pro tempore ſuo Conuentui & prænominatis tribus nec non monaſterij de Pontigniaco dicti Ordinis Antiſiodorenſis diœceſis Abbatibus, ſi apud ipſum monaſterium Ciſtertienſe præſentes extiterint.* Proſequitur Summus Pontifex expendens materiam Iuramentis his verbis. Iurabit, *quod poſſeſſiones vel iura ad ſuum monaſterium vel alium Cōuentuale locum eius pertinentes ſeu pertinentia non vendet, nec alienabit, nec impignorabit, neque de nouo infeudabit, nec per aliquem modum donabit, niſi per modum inferiùs deſignatum. Et hoc idem illi qui nunc ſunt Abbates monaſteriorum, ſeu aliorum locorum Conuentualium ipſius Ordinis, regimini Præſidentes teneantur iuramentum præſtare infra ſex menſes poſtquam Statutum & Ordinatio huiuſmodi publicata fuerint, &c.*

Aliæ Congregationes Benedictinæ Statutis ſimillimis reguntur, nec credo dari aliquam quæ non petat fidelitatis iuramentum ab electo Abbate antequam confirmari permittat.

Confirmatio.

1509 *b* Electiones & Confirmationes Abbatū fuiſſe à principio liberas, & ab Epiſcopis independentes conſtat, tum ex ipſamet Regula quæ Capite 64. ſolùm concedit Epiſcopis caſſare illius creatio-

creationem, qui de ſceleratorum, hoc eſt infamium conſilio (quod abſit) eligeretur, vt licentiùs peccarent.

Temporis ſucceſſu indebitã ſibi quidam Epiſcopi authoritatem vendicarunt, contra quos impetrauit Ordo noſter priuilegium à Gregorio IX. anno 1234. cuius præcipui articuli ſunt hi.

Primus, Nullus Epiſcopus vel alia perſona electiones Abbatum Congregationis Ciſtercienſis impediat, aut depoſitionibus eorum ſe intermiſceat.

Secundus, Licet Abbatibus benedictionem ab alieno Epiſcopo recipere, ſi proprius requiſitus eos benedicere renuerit.

Tertius, Nulli Epiſcopo licet modum electionis, aut electi qualitates cognoſcere; nec electionem confirmare.

Quartus, Interdicitur Epiſcoporum Capitulis, ne requirant electos Abbates ſibi præſentari, aut aliquo modo eos approbare.

Benedictio.

1510 Conceſſit Gregorius IX. vt iam diximus, Abbatibus noſtris, vt renuẽte proprio Epiſcopo poſſint à quocumque alio recipere benedictionem. Experiebamur aliqua inconnenientia, & idcirco ad Apoſtolicam Sedem confugimus, quæ Ciſtercienſi Congregationi priuilegium illuſtriſſimum dedit anno 1489. ſub Innocentio VIII. cuius concluſiones ſunt hæ.

Prima, Conceditur Abbati Ciſtercij & quatuor primis Coabbatibus intra monaſteria Ordinis vel inſignis Pontificis, & minores ordines conferre.

Secunda, Eccleſias & Monaſteria ſui Ordinis, dummodo ex homicidio polluta non ſint, reconciliare.

Tertia, Pallas altaris, Corporalia, & alia Eccleſiaſtica ornamenta benedicere, & calices conſecrare.

Quarta, Altaria nouiter conſtructa, aut tranſlata in dictis locis conſecrare.

Quinta poſt officium Diuinum ſolennes benedictiones elargiri.

Sexta, Conceditur Abbati Ciſtercienſi vt omnes noſtræ Congregationis Religioſos, Coabbatibus vt ſuos ſubditos poſſint ad Subdiaconatum & Diaconatum promouere.

Septima, Vt poſſit celebrare aut audire Miſſas antequam eluceſcat dies.

Octaua, Et hoc eſt quod noſtra ſpecialiter intereſt, permittitur Abbati Ciſtercij vt omnes Abbates & Abbatiſſas benedicat, non obſtantibus quibuſcumque ordinationibus, conſtitutionibus, & ſtatutis Apoſtolicis. Hoc vltimum conceſſum eſt etiam D. Claræuallenſi, qui Abbates in ſua linea benedicit, & cùm præſens non eſt, benedicendi poteſtatem delegat.

DISPVTATIO CXXIII.

De Ciſtercienſis Monaſterij Abbate.

1511 HAnc controuerſiam decidi in meo Motiuo Iuris (*q.* 2. *pag.* 82.) quam hic opportunè & vtiliter me iudico reſumpturum. Igitur in Abbate Ciſtercij duas perſonas conſidero; eſt enim & dicti monaſterij Abbas, & Ciſtercienſis Congregationis Caput. Quà Abbas, eandem authoritatem habet quam reliqui; quà Caput Congregationis noſtræ, aliquam etiam authoritatem habet; ſed qualis ea ſit, needum ab omnibus examinatum. Mul-

tis prodero cùm vnius hominis potentiam explicabo. Diſcent Religioſi particulares cui potiùs teneantur obedire, Congregationis Capiti, an ordinario Abbati. Intelligent Abbates qualiter ſuis Superioribus debeant obtẽperare. Dominis Præmonſtratenſibus, & alijs Rebuſpublicis monaſticis occaſionem præbebo, vt examinent an de Præmonſtrati Antiſtite debeant analogicè philoſophari. Neutri parti patrocinor nemini æmulor, ſed Abbatis Ciſtertienſis authoritatem metior, circumſcribo, termino, inueſtigans vnam, & ſolam veritatem.

ARTICVLVS I.

Abbas Ciſtertij, re & nomine, omnium Ciſtertienſium Generalis, à Summis Pontificibus ſæpiſſimè eſt confirmatus, cuius authoritas intrinſeca nulla potentia auferri poteſt.

1512 Adam primus homo, à quo genus humanum, tanquam à primo fonte dimanauit, Pater Vniuerſalis dicitur, qui vniuerſorum eadem ex cauſa Generalis. Hanc porrò Generalitatem habet ex natura rei, non à iure, ideo nulla potentia poteſt hac Generali Paternitate priuari. Authoritas hæc dependet à facto, imò ipſa nihil eſt aliud quàm relatio, cuius fundamentum eſt, prima Rationalium generatio. Rationẽ Generalis ac Vniuerſalis Patris, nemo ab ipſo Adamo poteſt tollere, qui non poſſit tollere ipſum *genuiſſe* homines vniuerſos: ad quod è medio tollendum requiritur Potentia ad præteritum, quæ nulli creaturæ competit, & Deo in communiori ſententia denegatur.

1513 Sic ſimiliter, Paternitas Abbatis Ciſtertienſis non dependet à fauore extrinſeco concedente ipſi Generalem Paternitatem, ſed eſt ex natura rei, & eſt relatio fundata in generatione ſpirituali præterita, & poſita ratione fundandi, neceſſariò debet relatio ea dimanare, quia ipſe ſecundùm Deum omnes nos genuit. Qui igitur poterit facere, ipſum nos nõ genuiſſe, etiam facere poterit, eum non eſſe noſtrum Vniuerſalem Patrem; atqui nulla potentia hoc efficere poteſt, ergo nec iſtud.

1514 Authoritas extrinſeca ab intrinſeca diſtinguitur, illa enim eſt merus intrinſecæ authoritatis vſus, qui iuſtis de cauſis poteſt limitari, & de facto à Pontificibus eſt limitatus, ideo qui aliquo priuilegio à Ciſtertienſi Abbate ſunt exempti, negare non poſſunt ſe verè eſſe ipſius Filios, ſed ſolùm poſſunt dicere, ſe à iure iuſtis de cauſis emancipatos nõ teneri ipſi obedire; quia ſicut filius familias, licèt per contractionem matrimonij de iure emancipetur à tutela Patris, hoc eſt, à Filiatione extrinſeca, ſeu ab vſu Filiationis intrinſecæ, qui in eo conſiſtit, quod in omnibus & per omnia à patre dirigatur, nihilominus non emãcipatur à Filiatione intrinſeca, cùm remaneat Filius, quod leges impedire non poſsũt: ita etiã in Filijs ſpiritualibus, qui ex rei natura tales ſunt, vt Monachi, poteſt Ius limitare obligationes, quæ pertinẽt ad Filiationẽ extrinſecã, cæterũ, intrinſecam Filiationẽ tollere non poteſt.

1515 Hanc veritatem intellexerunt illi antiquiores Summi Eccleſiæ Pontifices, qui frequenter Abbatem Ciſtertienſem Ordinis Generalem appellarunt. Innocentius VIII. in Priuilegio, quod exhibuit anno 1489. apud Henriquez num. 122. ſic ait: *Ioannem Abbatem, tamquam Caput Ordinis, & Patrem Abbatem veſtrũ, ac totius Ordinis veſtri Generalem recipiatis* (vniuerſos & ſingulos alloquitur, vt conſtat ex Priuilegij initio) *vt decet, Abbatem Generalem, &c.* Huic loquendi modo ſubſcribit etiam Pius IV. anno 1563. vbi *Abbas Generalis nuncupatur. Et alij Superiores dicti Ordinis, eorumque Vi-*

Carij (ait n. 4.) *iuxta ipſius Ordinis inſtituta, Monaſteria, Prioratus, & loca prædicta, ac illorum perſonas, tam in capitibus, quàm in membris viſitare liberè, & licitè valeant.* Similiter, cùm occaſio ſe offert, alij Summi Pontifices loquuntur.

Authoritas extrinſeca ſeu politica duplex eſt, Ordinaria & Extraordinaria; hæc ſi cum illa comparetur mediata ſolet dici, quoniam ordinaria eſt immediatior. Extraordinaria autem ſecundùm ſe ſumpta iterum diuiditur in mediatam & immediatam. Hæc eſt qua nulla extraordinaria immediatior: illa verò inter quam & ſubditum datur adhuc immediatior authoritas extraordinaria. Hinc radius ſequentibus difficultatibus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc Paternitas Abbatis Generalis in omnes, & ſingulos ſit immediata.

1516 CVrioſam quæſtionem mouet titulus, vbique maximè neceſſariam, maximè incognitam. Vidi viros doctiſſimos, Ordinis noſtri Religioſos Abbatiali dignitate, & Magiſterio Theologico illuſtres, omnibus in rebus eruditos, qui cùm de hac quæſtione interrogarentur, reſpondebant ſe illam nunquam examinaſſe. Duos ſolùm reperio, qui de hac re ſcripſerint, ſed nondum publicarunt. Primus argumentis deſumptis ex moribus aliarum Religionum, probat ſatis remiſsè, & inefficaciter authoritatem noſtri Generalis immediatam: remiſsè dixi, quia legibus aliarum Religionum, nec natura rerum, nec Ciſtercienſis Religio eſt gubernanda. Alius neſcio qua via procedat, quia licèt attentè exemplar legerim, non potui intelligere rationum pondera, neque authoris intentum: vires meas tractatus ille (ingenuè fateor) excedebat. Rogabant amici, qui poterant imperare, vt refutarem: ſed adquieſcere non potui. Quomodo enim ea condemnarem, quæ non intelligebam? ideo nec laudo nec vitupero: at meam in hac re ignorantiam condemno.

1517 Concluſio. Mihi certum ſemper eſt viſum, *Ciſtertij Abbatem non habere vbique immediatam iuriſdictionem, & authoritatem Generalem; nempe nec Ordinariam, nec immediatè extraordinariam.*

Ratio eſt euidentiſſima. Authoritas & iuriſdictio ſunt Paternitatis proprietates; ſed hæ, docente Metaphyſica, ſapiunt naturam ſubiecti; ergo qualis fuerit Paternitas, talis erit authoritas & iuriſdictio. Atqui Paternitas non eſt vbiq; immediata: ergo nec iuriſdictio. Probatur minor. Non omnia monaſteria immediatè orta ſunt ex Ciſtertio, ſed ſolũ ſedecim, quę nominatim recenſet Alexander III. in Priuilegio conceſſo ad petitionem Monachorum Ciſtercienſium anno 1164. & fortè pauca alia. Quia, vt optimè notat noſter Reuerẽd. Iongelinus, Fundationum & Filiationũ Ordinis diligentiſſimus inueſtigator in *Notitia Abbatiarũ Ordinis Ciſtertienſis*, omnes filiationes Ciſtertii ſunt numero quaſi centum, ex quibus alię dimanarunt: in linea firmitatis reperit viginti plus citra; in Pontigniaca ſerie quadraginta-duo; in Clarauallenſi 350. in Morimundenſi 250. Atqui loqueretur ineptiſſimè, qui Adamum diceret vniuerſorum Generalem, & immediatum Patrem, cùm immediatè ſolùm genuerit Cainum, Abelem, Sethum, & ipſorum Sorores, & ſi qui fuerunt innominati in Biblijs Fratres. Enos verò, Cainan, Noe, & nos omnes, filij Adami reuerà ſumus, ſed mediatè; orti ſcilicet ab ipſius filiis & nepotibus: vnde verè abnepotes. Ergo ſimiliter de Ciſtertienſibus philoſophandũ. Monachi Ciſtertii, quatuor primi Abbates, & pauci

alij,

alij, Filij ſunt Abbatis Ciſtertienſis; alij verò Nepotes, Abnepotes. In illos igitur habet Abbas Regularis Ciſtertij plenariè-immediatam authoritatem: in nos omnes mediatam: & propterea ſolùm in genere appellationis, & viſitationis: ſed de hoc inferiùs, quia etiam ſuas exceptiones patitur examinandas.

1518 *Dices* Semel admiſſo, (quod euidentiſſimo argumento roboratur & demonſtratur,) Abbatis Ciſtertij eſſe aliquorum monaſteriorum mediatum Abbatem, negari non debet poſſe habere authoritatem immediatam à Pontifice ſupplente vi Clauium defectus, quos patitur ex rei natura. Atqui eam habet; Ergo iudicandus eſt Abbas vniuerſorum immediatus.

1519 Reſpondeo, maiorem illã proportionem trifariam intelligi poſſe. Primò ita, vt aſſerat Pontificem poſſe ſupplere defectus Paternitatis intrinſecæ, & præficere Ciſtertio Abbatem, qui ſit omnibus totius Congregationis Religioſis Pater intrinſecè immediatus. Secundò, vt aſſerat, poſſe Pontificem delegare ei ſuam in talibus authoritatem extrinſecè-immediatam, *Extrinſecè* dico, quia authoritatem intrinſecam, qua conſtituitur, delegare non poteſt, ita vt habeat iuriſdictionem in omnes immediatam. Tertiò, ita vt ſine hac delegatione augeat authoritatem Abbatis Ciſtertij, quantum augmentabilis eſt in ſuo genere.

1520 Si primam conſiderationẽ ſequamur, dico: Sicut Pontifex non poteſt facere Adamum eſſe vniuerſorum immediatum & Generalem Patrem, ſic ſimiliter non poſſe facere, nec ſupplementum dare, vt Ciſtertij Abbas genuerit ſpiritualiter omnes alios Abbates immediatè, cùm reuerà eorum plures mediatè geniti ſint, vt iam vidimus: quia hoc eſt ex natura rei, & omni modo à poſitiuo iure independens: Ergo Summus Pontifex non poteſt Ciſtertij Antiſti concedere intrinſecè-immediatam authoritatem in omnes.

1521 Si vltimam ſpeculemur, dico, quod licèt augeatur mediata authoritas Abbatis Ciſtertij quantum augmentabilis eſt in ſuo genere, nunquã erit immediata. Ratio eſt per ſe nota: quia ſicut Paternitas Adami ſi perficiatur vſque in infinitum, non fiet immediata: & Leo, licèt in infinitum perficeretur, non fieret homo: ſic authoritas quę ex rei natura eſt mediata, nunquam reddetur immediata.

Solùm ergo reſtat media, vt videlicet Summus Pontifex ex Clauium poteſtate deleget ipſi immediatam, plenariamque authoritatem, & iuriſdictionẽ in ſingulos: & in tali caſu aſſero, Ciſtertij Abbatem omnia illa ſingulis poſſe iniungere, quæ Pontifex; non plura. Quænam verò poſſit Pontifex, alibi examino.

1522 Ex his non ſequitur, Ciſtertij Abbatẽ poſſe de facto nobis illa iniungere, quæ poteſt Pontifex: ſed ſolùm infertur, fore vt poſſit, dum exercuerit vices Legati Pontificij, & ipſius nomine habuerit integerrimam authoritatem. Hanc modò non habet, illas non exercet; & ſic immediatè in Abbates-nepotes nihil poteſt agere: vnde remanet ſatisfactum obiectioni minori.

Reſpondetur aliquibus authoritatibus.

1523 Poſſet nihilominus aliquis inſurgere cõtra ſupradictã reſolutionem, *Primò* authoritate Innocentij VIII. qui videtur non tam concedere, quàm diffinire Ciſtertij Abbatis plenariam authoritatem; in Priuilegio conceſſo anno 1487. quod inter Priuilegia Chryſoſtomi Henriquez exſtat num. 114. vbi loquitur: *Volumus, ac ordinamus, quod Abbas monaſterij Ciſtertij, & pro tempore exiſtens, ceſſante Capitulo Generali, cùm penes eum omnis, authoritas huiuſmodi Capituli remaneat, ac*

etiam ab ipſo Capitulo Deputandi, omnia & ſingula facere, & exequi poſſint. Diffinit ergo Summus Pontifex, quòd penes Abbatẽ Ciſtercienſem omnis authoritas Capituli Generalis remaneat: hæc in omnes, & ſingulos eſt immediata: ergo & illa.

1524 Reſpondeo, concedi Abbati Ciſtertij, vt omnia illa, & ſingula facere & exequi poſſit dum omnis Capituli authoritas penes eum remanet: ſed dum nõ remanet illa totalis Capituli authoritas (hoc eſt, dum ab Abbatibus ipſi non delegatur illa poteſtas) nõ concedi. Atqui licèt ipſe & quatuor Coabbates ſæpe petant, limitare impetrant: & vniuerſalem authoritatem nunquam. Ergo nil conuincitur hoc teſtimonio. Prætereà, licèt haberet Capituli authoritatem, non haberet immediatam: quia noſtræ Religionis Capitulum eſt immediatè ſupra Abbates, & ijs meditantibus pertingit ad Religioſos.

1525 Argumentantur alij teſtimonio adducto ex Priuilegio cõceſſo Abbati Ciſtertij ab Innocẽtio VIII. anno 1489. quod reperitur apud Henriquez num. 122. in quo pręcipitur omnibus & ſingulis Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, commendatarijs, ac quibuſcumq; Regularibus perſonis Ordinis Ciſtertienſis, vt Ioannem Ciſtertij Abbatem tanquam Caput dicti Ordinis & Patrẽ ac Abbatem ſuum recipiant, & ab ipſo, aut ipſius Commiſſarijs ſe permittant viſitari, &c. Ergo omnia monaſteria viſitari poſſunt ab Abbate Ciſtertij, quia ipſe eſt immediatus vniuerſorum Pater.

Reſpondeo, hoc Priuilegio nihil probari, & licet probaretur plurimum, illud nõ fauere Abbati Ciſtertienſi moderno, ſed illi Ioanni, cui perſonaliter & nominatim conceditur; quia in hoc diſtinguuntur Priuilegia perſonalia ab alijs perpetuis, quod illa nominatim, vel abſolutè concedantur determinato Viro; in his autem addatur clauſula perennitatis, vt illud Innocentij in altero argumento citatum, *Abbas monaſterij Ciſtertij, & pro tempore exiſtens.* aut *Abbas & ſucceſſores eius*, vt alias dicitur. quando enim priuilegium tantummodo Ioanni, vel Petro, vel Abbati Ciſtertienſi petenti conceditur, eſt tantùm perſonale, & ſucceſſoribus prodeſſe non poteſt.

Prætereà ſi admittatur hoc teſtimonium & profit vniuerſis Ciſtertij Abbatibus, militabit contra me quamdiu malè explicabitur; pro me cùm illuſtrabitur ſincero commentario. Nam in eodem dicitur Abbas Ciſtertij eſſe Ordinis Caput; quod concedimus. Additur; illum eſſe Patrem & Abbatem omnium: (nempe aliquorum immediatum, & aliorum non item) Ex poteſtate viſitandi, poteſtas immediata non ſequitur: imò ſequitur oppoſitum; nullus. n. monaſterium viſitare dicitur, in quo habet iuriſdictionem ordinariam immediatè. Sed qualis ſit poteſtas viſitandi Abbatis Generalis, ſuo loco declarabitur. Bulla Pij IV. conceſſa anno 1563. de viſitandi poteſtate ſolùm agit: ipſa autem, & aliæ ſimiles ſunt eodem modo exponendæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm poſſit viſitare omnia monaſteria, qui dicitur Abbas Generalis.

1526 POteſtas Patria cognoſcitur frequenter in Iure, Auia poteſtas ignota; quia Auus non habet iuriſdictionem immediatam in nepotes; niſi deficiente Patre cùm in eius locum ſubrogatur. Nomine *defectus* abſentiam realem, vel moralem intelligo iuxta regnorum varias leges. Poteſtas patria in eo ſita eſt, vt quiſpiam gubernet filios antequam emancipentur, & curet de emancipatis, non cura ordinaria vt antea, ſed cùm poſtulauerit occaſio.

Paternitas ſpiritualis naturali ſimilis,

ex rei natura ipſiſſimas proprietates habet, Abbas Ciſtertij in Monachos ſuos habet authoritatem, quam Pater in filios familias; in quatuor Abbates, & alios Antiſtites filios, quam Pater in filios emancipatos: ordinariè enim nec tenetur, nec poteſt illos corrigere: ſed quando coegerit neceſſitas, vel ratio poſtulauerit, vel determinauerit vſus, poterit illos viſitare. Abbates autem nepotes viſitare non poteſt, niſi in defectu reali, vel morali Claræuallenſis in ſua linea (& reſpectiuè aliorum:) puta ſi ipſe deficiat; ſi nolit viſitare, ſi iniquè viſitauerit & iudicauerit: tunc enim habet locum reclamatio Monachorum contra Claræuallenſem, ad Ciſtertienſem, tamquam Antiſtitem ipſi immediatè ſuperiorem.

1527 Abbas Claræuallenſis in ſuas Filiationes immediatas eamdem habet authoritatem, quam Ciſtertij Abbas in ſuas: quia authoritas patria vtrobique eſt eadem, & ſicut Adamus eamdem ex rei natura habuit authoritatem in Cainum, Abelem, & Sethum, quam Noe in Sem, Cham, & Iaphet: ſic eamdē prorſus in Claram-uallem Ciſtertium, quam Clara-uallis in Villarium, & hoc in monaſterium Grandipratenſe. Vnde ſi proprius Abbas grauaret & iniuſtè affligeret aliquem Monachum huius vltimi monaſterij: quantum eſt ex natura rei, ſublatis alijs priuilegijs, exceptionibus, & moribus, de quibus infrà, deberet venire viſitatum Villarienſis Abbas. Quo perperam iudicante, ad Claræ-uallenſem eſſet inſtituenda appellatio. Hoc non ſatisfaciente officio ſuo, ad Ciſtertij Abbatem, tamquam ad primum Caput. Hunc ordinem ſeruari rerum natura poſtulat, quæ inuerti non poteſt, aut mutari: quia cùm Auus non habet authoritatem immediatam niſi deficiente filio, ſi ipſe Auus contempto filio tranſiens ad nepotem, iudicat, diſponit & agit, ſanè operatur expers authoritatis, & quæ facit, ſunt nulla. Hunc ordinem ex rei natura ita debere diſponi, nullus vnquam dubitare potuit, ideo eius probationi non immoror.

1528 His ſtabilitis, debeo fateri iure poſitiuo poſſe fieri, vt filius patrem iudicet, & nepos auo præponatur, vt patet in ciuitate in qua Prætor (ſic eum nomino, apud quem ſumma eſt regiminis authoritas, quique omnibus ciuibus præeſt) habet patrem, vel auum: quia ex officij natura ipſis præponitur. Sic concedendum eſt, poſſe quemcumque Abbatem habere ex priuilegio particulari extrinſecè immediatam in omnes authoritatem. Quod de facto nullus alius hanc habeat præter Abbatem Ciſtertienſem, eſt certo certiùs: vtrùm is habeat, inueſtigandum. Quod ordinariam non habeat, articulo anteriore oſtendimus: vtrùm habeat extraordinariam in genere iudicatiuo per viſitationem (quæ authoritas non eſt ordinaria, ſed ſolùm in certo caſu, pro certo tempore, ſecūdùm certum vſum & mores) ita vt per ſe, & immediatè omnia monaſteria poſſit viſitare, breuiter examinabo.

Concluſio. *Ciſtertij Abbas ſolùm ſuos Abbates filios poteſt viſitare: Filij viſitant Nepotes: ſed deficientibus Filijs realiter, vel moraliter, habet Auus in Nepotes plenariam eamque immediatam authoritatem, nec contrariū aliquo Priuilegio ipſi Ciſtertij monaſterij Antiſtiti conceditur.* Hac concluſio ſufficienter manebit demonſtrata, ſi teſtimonijs in contrarium poſitis ſatisfecerimus.

1529 Obijcitur primò, teſtimonium Innocentij VIII. allegatū articulo precedenti. Reſpondeo breuiter & efficaciter, eſſe priuilegium perſonale, & ſucceſſoribus prodeſſe non poſſe.

1530 Secundò obijcitur teſtimonium eiuſdem Innocentij, quo concedit anno 1487. vt omnes Abbates, & Priores coram Abbate Ciſtertii, ſi fuerint vocati, comparere teneantur, & ipſi obedire. Sed ego: Ergo ſi non fuerint vocati

non

non obligantur ex vi huiuſce priuilegij. Cæterùm nec ex longinquis & remotis Regionibus, nec quacumque cauſà vocari poſſe, (etiam ſi eo modo, quo aduerſarij volunt, intelligi deberet hoc priuilegium) manifeſtum eſt: quia cui non ſuppeterent media congrua ad iter illud modeſtè peragendum (quales ſunt plurimi) & via nimis longa foret (quò autem hæc maior fuerit, eò maiores faciendæ erunt expenſæ, quæ ſi fiant ſine vrgentiſſima cauſa, prodigalitati, non iuſtitiæ ſunt adſcribendæ) nequaquam comparere teneretur.

Præterea, ſi litteram conſideremus, reperiemus nihil tale ipſi Abbati conceſſiſſe Pontificē; quod vt clariùs conſtet, eius verba perpendamus. *Abbates, & Priores*, ait, *& alij dignitates, adminiſtrationes & officia obtinentes, ac aliæ perſonæ dicti Ordinis poſtquam de mandato Abbatis & Capituli Generalis prædictorum, vel aliorum, ad quos iuxta ſtatuta, & conſuetudines, huiuſmodi pertinet, aut pertinebit in futurum, ad comparendum coram ipſis, in quibuſuis contra eos tentandis cauſis, in locis, etiam quantumcumque remotis citati fuerint, coram eis, prout congruerit, legitimè parere debeant ac teneantur, Iuri & Iuſtitiæ parituri.* Verba Innocentij ad litteram ſunt hæc, ex quibus conſtat quidquid in eis conceditur, nec Abbati ſine Generali Capitulo concedi, nec alterutri ſeorſim, ſed ambobus ſimul iunctis. Præterea etiamſi dicatur hoc priuilegium alterutri ſeorſim cōcedi, aſſerendum erit conſequenter, nihil noui concedi illo priuilegio, ſed ius commune authoritate Innocentij ſolummodo roborari; non enim præcipitur ſimpliciter, vt iuſſi comparere cōpareant; ſed vt iuſſi comparere, prout congruerit, legitimè parere debeant ac teneantur Iuri & Iuſtitiæ pārituri, hoc eſt, comparere iuſſi, ſi congruerit & legitimè iuſſum fuerit, pareant, ſintque ſemper parati parere Iuri ac Iuſtitiæ, non verò arbitrio, aut violentiæ. Hanc eſſe mentem Summi Pontificis iam ſatis patet, & nihil inde contra Concluſionem.

1531 Hæc ſunt teſtimonia, hæ authoritates, quibus ab aduerſatijs probatur Abbatem Ciſtertienſem, ſi non habeat in omnes Monachos Religionis authoritatem Patris in filios-familias, ſed ſolùm in eos qui ſunt Ciſtertij: eum ſaltem habere talem in omnibus Abbates authoritatem, qualem pater-familias in filios ab ordinaria patris authoritate nondum emancipatos, ideoq; ei vniuerſos Abbates immediatè eſſe ſubditos. Sed contra horum minùs firmam reſolutionem teſtimonijs ſubiunctis poſſumus inuehi.

1532 Primò, verbis Bullæ à Pio II. conceſſæ ad petitionem Generalis Capituli, quæ propterea maximæ eſt authoritatis, quia cùm ſit impetrata ab omnibus in Capitulo, non eſt ſubreptitia iudicanda; publicata eſt anno 1459. & determinat ſeruandam eſſe methodū antiquam Ordinis, vt videlicet Abbas Ciſtertij & quatuor Coabbates viſitēt, ſed vnuſquiſque in linea ſuæ generationis. Verba formalia non grauabor adducere. *Viſitatio quoque monaſteriorū, & locorum eorundem, ac eis ſubiectorum, quæ in Commendam tenentur, & pro tēpore obtineri contigerit, ad Abbatem Ciſtertiēſem & quatuor primos, cuilibet in ſua generatione iuxta formam antiquorum priuilegiorum eidem Ordini cōceſſorum pertineat.* Vbi obiter illud *antiquorum* conſiderari velim, tum vt ſciamus antiquiſſimum in Religione fuiſſe, Abbates omnes in lineis ſuarum filiationum viſitare, tum etiam, vt miremur Dominum Henriquez vix dimidiam priuilegiorum partem publicaſſe, cùm nulla potiùs; vel omnia publicare debuiſſet. Omnia non potuit, (quia illi, quia habent, curioſè conſeruant, & iuſtè retinenda apud nos iudicant, quia ſunt claues noſtræ immunita-

munitatis, & nullum penetra'e ſecurum eſt, ſi omnibus expoſitæ ſint claues) ergo nulla debuit publicare.

1533 Secundò, his verbis Priuilgeij; quod Pius IV. Ordini conceſſit anno 1563. *Abbas Generalis nuncupatus, & alij ſuperiores dicti Ordinis, eorumque Vicarij iuxta ipſius Ordinis instituta, monaſteria, Prioratus, & loca prædicta ac illorum perſonas, tam in capitibus, quàm in membris viſitare liberè & licitè valeant.* Vbi omnes primarii Coabbates definiuntur eſſe viſitatores, ſed iuxta Ordinis inſtituta & priuilegia, illa ſcilicet de quibus Pius II. nuperrimè; hoc eſt, vnuſquiſq; in ſuis filiationibus, quia aliàs ſūma eſſet cōfuſio.

Meam mentem, ordinemqne ſuperiùs exhibitū declarauit dilucidè Iulius II. anno 1506. ad petitionem Ferdinandi Aragoniorum Regis, & numero Priuilegii quinto iubet, quod, *Quodlibet dictorum monaſteriorum de Obſeruantia, per Abbatem triennalem immediatè regeretur, & gubernaretur, poſt quem per Abbatem Reformatorem, ſoli Abbati Ciſterij pro tempore exiſtenti ſubeſſent gradatim.* Ergo Ciſtertienſis non eſt immediatus.

1534 Hinc intelligendus venit Eugenius Papa IV. qui in Priuilegio conceſſo moto proprio, ann. 1431. num. 10. ſic ait: *Dilectus filius Abbas monaſterij Ciſtertienſis Lingonenſis Diœceſis pro tempore exiſtens cùm perſonaliter in partibus illis fuerit* (puta Hiſpanæ) *dicta monaſteria reformata, & reformanda, in eiuſdem ſpiritualibus, ac temporalibus viſitare, gradatim tamen poſt dictum Reformatorem, poſſit.* Cur poſt Reformatorem? quia antè nihil habet viſitandum; nam ipſe, licèt poſſit viſitare monaſteria, in his tamen poteſt ſolum inquirere de actionibus ſuorum immediatè ſubditorum: atqui nec Monachi, nec Abbates illi immediatè ſubditi ſunt ſed ſolus Reformator; ergo de huius actionibus vnicè debet inquirere, & quod ipſe iniuſtè geſſerit moderari, ita vt ſi remiſſus fuerit, intendat; remittat ſi fuerit æquo intenſior; & conſeruet ſi fuerit temperatus: ſi tranſgreſſores legum impunitos Reformator dimiſit, puniat ipſe: & ſic de aliis indirectè poteſt agere: directè verò de perſona Reformatoris. Ideò ſi viſitaret ante Reformatorem, fruſtrà viſitaret; quia non poteſt directè inquirere de Abbatum vel Monachorum moribus.

1535 Ex his patet primò, Abbatem Ciſtertienſem poſſe monaſteria Abbatum-nepotum viſitare, ſed indirectè, ita vt in eis non examinet directè vitas nepotum aut monaſterij mores, ſed ſolùmodo qualem ſe ſe exibuerit Abbas filius cùm viſitauit, & hoc non reuidendo ſententiam (id enim eſſet contra ſecretum debitum, & nimis oneroſum) ſed interrogando vtrùm aliqua pars læſa ſit à filiis, & petat ſatisfactionem: quod ſi nullus appellet, nihil poteſt facere, imò non vocatus non deberet monaſteria ingredi iure viſitationis.

Secundò, authoritatem extrinſecè ex natura rei quoad viſitationes nullatenus fuiſſe per Priuilegia aut Bullas immutatam ſeu alteratam; ſed huculque incolumem illæſamque conſeruari, & confirmatam plurium Pontificum authoritate.

1536 Rogas, quænam ſit authoritas Reformatoris Caſtellæ. Reſpondeo ex Iulio II. ſuprà citato, omnes & ſingulos Monachos immediatè ſubeſſe Abbatibus ſuis, & hos Reformatori: vnde & Monachi Reformatori ſubſunt, ſed mediatè.

ARTICVLVS IV.

De aliorum Antiſtitum authoritate.

1536 b EGi de authoritate Abbatis Ciſtertienſis, ſubiungam aliqua de aliis Abbatibus. Ciſtertium (Galli-

(Gallicè *Cisteaux*) fundatur à Burgundiæ Duce Odone I. approbátibus Galthero Cabilonenſi, & Hugone Lugdunenſi Præſulibus anno à Chriſto nato 1098. ſub Vrbano II. Pontifice,& Philippo II. Gallorum Rege. Vocantur Coabbates quatuor Antiſtites qui præſunt quatuor lineis, quæ à Monaſterio Ciſtertienſi emanarunt.

FIRMITAS

Prima Ciſtertii filia eſt, fundata anno 1113. Hinc linea Firmitatenſis, quæ complectitur illuſtria Monaſteria per Galliam & Italiam.

PONTIGNIACVM

Erigitur anno à Chriſto nato 1114. Pertinent ad eius lineam magnifica Cœnobia per Galliam, Italiam & Hungariam; eſt filia Cœnobii Ciſtertienſis ſecunda.

CLARA-VALLIS

Fundatur 1115. ad cuius lineam ſpectant Monaſteria Regnorum Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Sueciæ, Noruuegiæ, & multa in Gallia, Belgio, Italia, Germania, Hiſpania, Dania, &c. creditur tertia filia Ciſtertii.

Dantur Reges Abbatum feudatarii, nempe non ſpiritualiter ſed temporaliter. Caſtella & Legio feuda ſunt ſpiritualia Cœnobii Cluniacenſis; conſtat ex diplomate Alfonſi VI. quod exhibeo in mei *Philippi prudentis. lib. 5. diſp. 2. quæſt. vnic. art. 1. num. 2. pag. 216.* vbi non ſine vtilitate legar. Aragoniam eſse feudum ſpirituale eiuſdem monaſterii conſtat ex regni authographis & his quæ ibidem ediſsero *num.* 4. Regum aliorum exemplo inuictiſſimus Alfonſus I. Luſitanorum Rex ſub feudi titulo regnum ſuum ſubiecit Claræuallenſi monaſterio: extat, in huius rei teſtimonium, diploma ipſius Regis Alfonſi in Alcobacia, publicatū ab Antonio Brandao *in Monarchiæ Luſit. part. 3. libr. 10. cap. 12.* & à me *in Philippi pag.* 218. Ex vi huius inueſtitionis anno 1580. putabant aliqui Lupinum le Miræ Claræ vallenſem Præſulem eſſe debere Monarcham Portugalliæ; controuerſiam expendo operis citati *lib. 5. diſp. 2.* & demonſtro totum Abbatis ius eſſe purè ſpirituale, & ad merè temporalia extendi nec debere nec poſſe. Cæterùm ſumma honori eſt Claræuallenſi monaſterio habere Reges feudatarios.

Congregationes aliquæ, quæ dicuntur exemptæ, non tenentur in aliquibus caſibus Domino Ciſtertienſi ſubeſſe, vt patet ex priuilegijs peculiaribus: ſed à Domini Claræuallenſis iuriſdictione nulla monaſteria Apoſtolica Sedes ſubſtraxit, nullas conceſſit exceptiones: vnde Cōgregationum Ciſtertienſium Antiſtites, qui contra Abbatis Ciſtertij ſanctiones excipere poſſunt, contra leges Claræuallēſis vix poſſunt; vix enim, aut ne vix quidem, datur Abbas filius, qui contra Claræuallenſem aliquo priuilegio aut præſcriptione procedere poſſe cenſeatur. Ideo ſemper Claræuallenſis authoritatem (& idem de tribus Coabbatibus dixero) minùs limitatam aſſerui, ſubſcribens Viris in re monaſtica bene verſatis.

MORIMVNDVS

Conſtruitur anno æræ Dionyſianæ 1115. Eſt domus filiationibus diues, complectitur monaſteria plurima in Hungaria, Boemia, Polonia, Sileſia, Germania, Italia, & Cypro inſula. Subſunt huic monaſterio inuictiſſimi Ordines militares, de Calatraua, Alcantara, Monteſa, de Auis, & de Chriſto; & eſt quarta filia Ciſtertij.

Ex his quatuor Cœnobiis quaſi ex quatuor Paradiſi fluuijs illuſtria millena-di-

na dimanarunt, quorum deſcriptionem & ſeriem exhibet noſtri Reuerẽdiſſimi Gaſparis Iongelini Euſſerthallenſium Abbatis meritiſſimi Liber, cui epigraphe, *Notitia Abbatiarum Ordinis Ciſtertienſis per vniuerſum orbem.*

QVAESTIO INCIDENS.

An vna Eccleſia poſſit à ſua Matre emancipari & cooptari alij Eccleſiæ.

1536 c Dari adoptionis iura in bene gubernatis rebuſpublicis manifeſtum eſt, & exiſtimo vtiliter ad communitates noſtras translata. Poteſt Petri filius à Frãciſco adoptari, & ex vi huius adoptionis, deinceps erit moraliter filius Franciſci non Petri: Potuit Speciosa-vallis (Monaſterium celeberrimum & reformatiſſimum eſt in Principatu Moguntino & Herbipolenſi diœceſi conſtructum) quæ filia erat Eccleſiæ Maulbrunenſis, adoptari à Cæſarea, vt conſtat ex ſequenti Diplomate.

NOs Fratres Ioannes Abbas Ciſtertienſis totusque Conuentus Diffinitorum & Abbatum Capituli Generalis, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis notum volumus eſſe, quod cùm quædam Abbatia Ordinis noſtri dicta de Valle ſpecioſa Herbipolenſis Diœceſis propter onera debitorum contracta, multis temporibus retroactis collapſa plurimùm, ad ſtatum tam miſerabilem deueniſſet, quod licet Conuentus diſperſus fuiſſet per viginti domos, & ampliùs minimè reſpiraret, imò ſublata videretur quodammodò facultas & fiducia reſurgendi, Venerabilis Coabbas noſter de Mulenbrunn, cuius erat filia dicta domus, non valens ei occurrere, nec volens eius excidium ſuſtinere, de Conſilio & pleno Conſenſu venerabilium Patrum de Morimundo, de Lucella, de Nouo Caſtro Abbatũ Patrũ ſuorum vna cum ſuo Conuentu, & Patribus ſupradictis, precibus inſtantiſſimis ac deuotiſſimis ſupplicauit Venerabili Domino Truturno Abbati & Cõuentui de Cæſarea Auguſtẽſis Diœceſis, vt propter Deũ & Ordinis reuerẽtiã ſuccurrere dignaretur domui deſolatæ, ſperans quod per ipſorũ ſollicitudinẽ, & vigilãtem induſtriã reſurgere poſſet aliqualiter dicta domus, ſi tamen apponerent efficaciter adiutricem. Qua ſupplicatione moti pietatis affectu Abbas & Conuentus de Cæſarea ſupradicti manũ apposuerunt, & primo anno omnia debita dictæ domus currentia ad vſuras de pecunia eis mutuata totaliter perſoluerũt, quod Spes penitus ſublata reuixit, & domus reſurgere iam cepit. Quod videns Pater Abbas de Mullenbrunne, corã nobis in Generali Capitulo congregatis de cõſenſu pleno ſui Cõuentus & PP. prædictorum, videlicet, de Morimũdo, de Lucella, de Nouo Caſtro Abbatũ, volens iſtis beneficijs aliqualiter reſpondere renuntiauit tam pro ſe, quàm pro ſuo Conuẽtu, & Succeſſorib. eorumdẽ, Paternitati domus Vallis ſpecioſæ, quã pacifice & quiete domus de Mullenbrũne longi tẽporis præſcriptione habuerat, & quam poſſederat ab antiquo, transferens eandẽ Paternitatem cum omni iure quo ipſe & domus ſua eam habuerat, cum omnibus appẽdicijs & iuribus quæ ipſi cõpetebant in dicta domo Vallis-ſpecioſæ, vel cõpetere videbantur, renuntians nihilominùs tã pro ſe quàm pro ſuo Conuentu, purè ſimpliciter & præcisè omni Iuris auxilio Canonici vel Ciuilis, beneficio reſtitutionis in integrum, & omni planè actioni per quam dicta Paternitatis trãslatio, ſiue pura donatio tam ſolenniter facta in Capitulo Generali, poſſit vel debeat impediri aliqualiter vel infringi. Cùm igitur Capitulum Generale conſueuerit ſe exibere negotijs gratioſis & fauorabilibus gratioſum, translationem, & donationem Paternitatis domu ſpecioſæ Vallis, ab Abbate, & Conuentu de Mullebrunne factam Abbati,

&

& Conuentus de Cæſarea, non ſolùm cõcedimus, approbamus, verùm etiam à Generali Capitulo datam præſentis ſcripti teſtimonio valituram in perpetuum confirmamus. Inhibentes firmiter, & diſtrictè, authoritate capituli Generalis, nec aliqua perſona huius Ordinis, hunc proceſſum per diffinitiuam Ordinis ſententiam approbatum, audeat aliquatenùs immutare, aut Monaſterio de Cæſarea ſuper Paternitate domus Vallis-ſpecioſæ futuris tẽporibus aliqualiter perturbare. In horum igitur euidens argumẽtum, & notitiã pleniorem præſentes litteras aſſignamus ſupradicto Abbati, & Conuentus de cæſarea ſigillo Generalis Capituli fideliter roboratas. Actum & datum in Ciſtertio Anno Domini M. C C. LXXXII. tempore Capituli Generalis.

Si volueris ſcire cauſas, rationes, motiua, circumſtantiaſque quibus de Trãſfiliatione deberes iudicare denominatus Arbiter aut Iudex, lege, quæ de Adoptione, & Emancipatione viri docti ſcripſerunt, & illorum deciſiones per materiæ analogiam attẽpera huic queſtioni, quam vberiùs ſpeciali loco tractabimus.

Subiiciam tamen duas lineas deſumptas ex Concordatis Congregationis Ciſtercien. Germanicæ, quæ in Comitiis Prouincialibus habitis in Specioſæ-vallenſi Monaſterio anno 1642. nam numero 49. ſic lego. *Monaſteria de facto reſtituta ac deinceps reſtituenda declarat capitulum Prouinciale, vt ea in futurum eius lineæ cenſeantur, illique vt Patri immediato iure filiationis in ordine conſueto ſubiecta, per quem talibus monaſterijs poſt reſtitutionem prouiſum fuit.*

DISPVTATIO CXXIV.

De Abbatis Ordinarij & Commendatarij differentia, iuriſdictione, dignitate, expenſis, tripartita, concordia, & in monaſteriorum Filiationes authoritate.

1537 A Duobus annis prodiit *Montium Iuris*, in quo de Eminentiſſimi D. Cardinalis Ducis de Richelieù dignitate, & authoritate diſputaui, egi quæſtione prima de Antiſtite Commendatario. Varium fuit Prudentum de illo libello iudicium. Credebant aliqui nihil debuiſſe de Commendis ſcribi, vt citiùs obſoleſcerent & obliuioni mandarentur: vrgebant alii, vt ſecundo calamo Abbates Commendatarios obligationes ſuas edocerem.

1538 Certè ſi ſufficeret de Commendis non agere, vt eæ exoleſcerent, abſtinendum eſſet à controuerſia huiuſmodi: cæterùm ſiue ſcribamus ſiue non, ſunt, eruntque plurima monaſteria commendata: proderit ergo cognoſcere mentem committentis Pontificis, & obligationes Abbatis Commendam admittentis. Ne dentur tales commendæ ſæculari, vel ſi dantur, nunquam ex legi.

Conſiderent, qui Ciſtertienſes Abbatias commendationis iure occupant, Reſolutiones ſubſequentes.

ARTICVLVS I.

Vtrùm expediat omnes Commendas tolli, & omnia monaſteria habere ſuos Regulares Abbates.

1539 VTilitas bifariam poteſt conſiderari, nempe reſpectu Monaſterij Commendati, & Reipublicæ. Ergo etiam bifariam poſſet quis dubitare: An nimirum expediat monaſteriis, omnes Commendas tolli, & an id expediat bono publico.

Si de Monaſterijs agamus, certum eſt nulli Commendationem hanc conducere, quia communiter loquendo Monaſteria huiuſmodi ſunt greges ſine paſtore. Quod ſi ex vigilantia alicuius Commendatarij Abbatis contrarium contingat, ſcito illud fieri ad tempus, & per accidens; vnde vnius diligentia & ſtudium non debet eſſe in cauſa, vt communem Abbatum Commendatariorum ignauiam commendemus.

1540 Præterea etiam Abbas Commendatarius vigilãs ſit, & religionis ſtudioſus, vix nihilominus vtilis erit ſuo Monaſterio: omnia, quæ ab illo fient, meliùs, ſuauiùs & exactiùs fierent à Regulari. Vel ſi contrarium ſentis & experientiæ defectu huic veritati nõ ſubſcribis: vade, obſecro, ad quodlibet Commendatarium Monaſterium, elige reformatiſſimum, Religioſorum animos examina, difficultates occurrentes penitiùs inueſtiga, & tertia die reperies Abbatem vel vt Tyrannum fugi, vel timeri vt Dominum: rarò coli vt Patrem. Reperies eum non amari ab omnibus, imò ſępè vix ſuſtineri poſſe à paucis: ſi enim obſeruantiam ſectetur, erit nimis rigiens experientię defectu, ſi inſectetur (& hoc frequentiùs accidit) erit ſcandalo Communitati. Verè his rationibus dirigebatur felicis memorię Pontifex Innocentius VIII. qui motu proprio anno 1489. contra Commendatarios Abbates inuehitur & fulminat ſententiam illam quam contẽplari poteris apud noſtrum Henriq. Priuilegio 123. per totum.

1541 Si agamus de Republica, fortè aliquando Commendatio nõ ſolum erit vtilis, ſed neceſſaria. Magis neceſſarius eſt Chriſtianæ Reipublicæ Epiſcopus, quàm Abbas, imò quàm Monaſterium. Prouincia carere Monaſterijs poteſt, Epiſcopo non poteſt; ergo is (ſi aliter non poſſit modeſtè ſuſtentari) poteſt eligi Commendatarius, nempe à Pontifice, & ex illius determinata conceſſione certam congruam recipere ex Monaſterii bonis: & ita, dato duplici inconuenienti, obuiam itur maiori.

1542 Si Pontifex ex redditibus Monaſterii A. deſignauerit congruam aliquam vel penſionem Commendatario Abbati, aut alteri perſonæ, & hoc ſine cauſa legitima, peccabit quidem mortaliter, & donatio non tenebit. Patet ex dictis *diſp. 57. num.* 820. quoniam bona Monaſterii A. quo ad proprietatis dominium non pertinent ad Pontificem, ſed ad Communitatem: ſubſunt tamen Pontifici iuriſdictionis titulo: ideoque eodem modo poteſt Pontifex bona illius Communitatis Religioſæ dare alteri, quo Rex bona vnius ſubditi alteri donare poteſt; atqui hoc nõ poteſt Rex ſine cauſa legitima: ergo nec Pontifex Commendis aut penſionibus grauare Religioſas Communitates poterit, ſi deſit cauſa.

Petis, quàm grauis hæc cauſa eſſe debeat, ob quam Pontifex legitimè poſſit extorquere tripartitam aut ſummam aliquam ex Monaſteriis. Facilis reſolutio eſt, ſi de Eccleſiaſticis, & ſæcularibus legibus analogicè philoſophamur. Bona extrinſeca magis reſpicit ſæcularis Dignitas, quàm Eccleſiaſtica, vt à nemine negari poteſt; Eccleſiaſtica enim authoritas directè ſpiritualia reſpicit, & indirectè temporalia. Ergo maiorem authoritatem habet Rex in bona vaſalli, quàm Pontifex in bona Religionum, ac pro-

proinde cauſa, quæ non fuerit ſufficiẽs, vt Rex exſpoliet vaſallum: nec erit ſufficiens vt Põtifex communitatem aliquam bonis ſuis priuare poſſit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Commendatarius Abbas habeat iuriſdictionem aliquam ſpiritualem.

1543 PRima ſentẽtia affirmat, & probat; *Primò*. Romanus Pontifex delegare poteſt cuilibet perſonæ aliàs capaci ſuam in foro conſcietiæ authoritatem; atqui ferè omnes illi, qui creantur Abbates Commendatarii, capaces ſunt talis iuriſdictionis; ergo habent. Aſſumptum patet, quia vt plurimùm ſunt Epiſcopi, vel Cardinales.

1544 *Secundò*. Illud monaſterium aut eſt acephalum, aut habet caput. Si poſteriùs concedas, infero, Ergo Abbas Commendatarius eſt caput commiſſi monaſterij, ac proinde habet regularem authoritatem. Si prius; ergo culpabilis eſt Pontifex, qui permittit, imò efficit, vt illa communitas ſit deſtituta capite.

Tertiò. Philoſophorum omniũ ſententia, Ab actu ad potentiam legitima illatio eſt; atqui ſæpiùs vacant Cõmendatarii regulari regimini, vt multi viderunt; ergo id poſſunt facere. Ergo negandum non eſt, eis in commendatum monaſterium competere ſpiritualem authoritatem.

Nihilominus dicendum, Abbates cõmendatarios ex vi Officii nullam prorſus conſequi authoritatem ſpiritualem addo, contrariam opinionem eſſe omnino improbabilem.

Dixi *ex vi Officij*, non tamen inconſultò; poſſet ſiquidem Summus Põtifex ipſis aliàs capacibus ſubdelegare authoritatem, qua vterentur, non quà Cõmendatarii, ſed quà Pontificii Legati.

Reſolutionem probo. Effectus formalis in iis omnibus debet reperiri, quos actuat atque perficit formæ, ergo ſi ſpiritualis authoritas ſit formalis effectus officii, & dignitatis commendatarius, quis dubitet, ceu indiuiduam comitem debere cum tali dignitate perpetuò reperiri; nuſquam poſſe ab illa ſeparari? atqui cõſtat euidenter ſæpè reperiri Cõmendatariam dignitatem ſine huiuſmodi Iuriſdictione; ergo hæc non eſt illius appendix, aut effectus formalis.

Minorem probo. Multi ſæculares Viri, & interdum mulieres, habent Commendas Monachorum. Hi non ſunt capaces iuriſdictionis regularis; ergo Abbas Commendatarius, quoad forum internum nullam prorſus habet authoritatem, eſt enim monaſterii Protector, ſeu Oeconomus, vel ſi habeat aliam curam, quàm rei extrinſecæ, cur in Commendam non traduntur etiam Franciſcanorum Guardianatus?

1545 Rationibus verò in contrarium adductis, facili negotio occurritur. Et *ad primam* dico, poſſe Summum Pontificem ſuam delegare authoritatem, ſed perſonæ capaci, hinc autem non ſequitur eum feciſſe, hoc enim debuiſſet ſufficienter probari. Quia ſi non habeat à Pontifice authoritatem euidentem, ſed ſolùm probabilem, probabile etiam eſt, tali authoritate eum deſtitui, & ſic ei nulla ratione Monachi obedire tenerentur. Quod ſi ipſis clarè innoteſceret delegata authoritas, deberent ei non quà Abbati commendatario, ſed quà Vicario, Legatoque Summi Pontificis obaudire.

1546 Petes, Vtrùm Religioſi teneantur obedire Abbati commendatario, habenti a Pontifice Iuriſdictionem ſpiritualem, & ſub his verbis aliquid regulare præcipienti: *Præcipio vobis ſumma abbatis authoritate, vt illud faciatis*.

Reſpondeo negatiuè, quia ipſe exprimit ſe illud præcipere ea, qua caret, ſpirituali authoritate.

Ad ſecundam aſſertiuè dico, mona-

ſterium illud eſse acephalum, & capite carere. Quid inde? poteſt Romana Sedes iuſta de cauſa veri Antiſtitis electionem ſuſpendere: quod ſi illa defuerit, ſuſpenſio foret accuſanda, cumque ſit in materia graui, non poſſet permitti ſine culpa.

1547 Petes, quænam ſint ſufficientes cauſæ, vt, electione veri Abbatis ſuſpecta, monaſterium committi poſſit patrocinio irregulari.

Reſpondeo longa experientia doctus, ex talibus Commodis inconuenientia & damna plurima oboriri: imò ſtrictioris diſciplinæ omnimodam præuaricationem. Id ſæpè vidimus, & non rarò videmus: Deinde nullum eſt ſub Abbate commendatario monaſterium ſuffultum ea reformationis nobili prærogatiua, quod non eſſet obſeruantius, ſub Abbate regulari. Nec ſufficit Commendatarij zelus, cùm deficiat authoritas, experientia, & ſæpiuſculè exemplum. Defectu authoritatis nihil poteſt diſponere ſeu reformare, defectu experientiæ neſciret facere etiamſi poſſet: defectu tertij, ſcandalo eſt Communitati. Quapropter in ea ſis ſententia, vt nuſquam vtilitatem his inconuenientibus proponendam credas: iacturæ enim hominis, quà incorporei, nō poſſunt fortunæ maximæ præponderare; tùm cauſam Commēdæ legitimam eſſe affirmes: quando maiora aliàs inconuenientia ſequerentur, puta ſi monaſterio immineret periculum, poſſet alicui Principi Commendari, qui illud, ne ab hæreticis deſtrueretur, milite, nomine, & authoritate eſſet defenſurus. Vel ſaltem ſi Reſpublica præcisè indigeret medijs Monaſterij ad Congruam alicuius perſonæ magis vtilis Communitati.

1548 *Ad tertiam* iam venio rationem. Maiori ſatisfacio aſſerendo, ea, quæ faciunt, poſſe fieri, ſed eo modo, quo fiunt; atque ideo, qui phyſicè res agunt ſine authoritate, etiam poſſe eas agere phyſicè, ſed moraliter nec validè nec licitè. Minorem concedo, & conſequens diſtinguo, inſenſu phyſico concedens, non in morali.

Addo, poſſe ſæpè Abbatem Commendatarium corrigere Monachos ſuos, ſed tantùm ex charitate fraterna, non autem ratione officij: ſiquidem huius virtute, ſolùm tenetur Commiſſa cœnobia à prædonibus defenſare, & vacare politico rerum regimini.

1549 Ex his colligo, Abbatem Commendatarium poſſe regulari œconomo præſcribere modum ſeruandum in exponenda monaſterij ſubſtantia, eo iure, quo œconomo ſuo ſæculari. Patet, quia Religioſus Procurator, nihil eſt aliud, quàm Vicarius Abbatis Commendatarij, & idcirco nihil poterit diſponere cōtra illius expreſſam authoritatem. Secundò, poſſe, imò debere proſpicere, ne in monaſterio morum relaxatio introducatur, cùm ipſe ſit Pater-familias in temporalibus, & cauſa, quod domus careat capite regulari.

ARTICVLVS III.

De expenſis Abbatis Commendatarij.

1550 Abbatem Commendatarium debere ex medijs Monaſterii omnia neceſſaria recipere, in confeſſo eſt. Eadem expendere poterit, quæ ordinarius, iſque modeſtus Abbas. Patet, quia merè eſt rei domeſticæ cuſtos, & ſede vacante eiuſdem Cœnobii Procurator, ideoque non decet illum maiores expenſas facere, quàm ſi eſſet Abbas regularis, imò multò minores, cùm Cōmendatarii Abbatis miniſterium, longè ignobilius ſit miniſterio Abbatis regularis, nec tanta eius authoritas, vel perſonæ qualitas, vt prolixiores faciat ſūptus, aut numeroſiorem alat famulatum.

Dices. Congruam metimur perſonarum qualitate, atqui Commandatarii Abbates ſæpe ſunt Epiſcopi, aut Cardina-

dinales; ergo maioribus expenſis indigent, & maiori famulatu.

1551 Multi probabiliter dicunt ex Sacrificio Miſsæ poſse quempiam congruam elicere ſuſtentationem. Si hinc inferrem: ergo Epiſcopus, Cardinalis, Rex, exigere poſsunt plures aureos, non ne reſponderes, & optimè, eleemoſynam Miſsæ eſse illi congruam, nō vt Epiſcopo, Cardinali, Regi, verùm vt Sacerdoti, ideoque non maiorem congruam poſse Regem exigere, quàm pauperem & mendicum.

Dictum puta. Commendatarii ſint Epiſcopi, Patriarchæ, Cardinales. Altari ſeruiunt, de altari victitent, congruam exigant à Monaſterio: ſed qua Epiſcopi? quà Cardinales? minimè gentium. Eliciant eam ſolummodò quà Abbates, hi enim, non illi aluntur expenſis Monaſterii.

ARTICVLVS IV.

Quid dicendum ſit de Monaſterijs, in quibus Tripartita, Pontificis authoritate (quam negatiuam vocant) eſt confirmata.

1552 Monaſteria Commendatariis commiſsa tripartiri ſolent annuos reditus. Quorum pars vna expenditur in vſus communes, altera, in reſtauranda, vel renouanda Monaſterii fabrica, tertia cedit Abbati. Hęc mediorum diuiſio alicubi Monachorum concordia inſtituta eſt, alibi authoritate Summi Pontificis præcipientis ne Commendatarius Abbas audeat vltra trientem ad proprios vſus conſeruare, vnde diras incorporeas fulminat in eos, qui hanc ſanctiſſimam legem temerauerint.

1553 Suppoſita hac Pontificum ſanctione, certum eſt, impunè non poſse tranſgredi præſcriptio limites, dubium, an pertingere poſſit. Non ſubſcribo affirmanti, imò aſsero me non vidiſse hactenus, qui affirmet. Efficacibus motiuis inſtruor, vt negem moralem hâc potentiam Abbatibus commendatariis. Lex enim merè negatiua, non concedit denuò, quod priùs fuerat ipſa rei natura, aut iure communi denegatum, verbi gratia. Decernitur publica lege, omnes eos, qui vltra centum aureos furati fuerint, ſuſpendio pœnas daturos, an ideo cenſendum Rempublicam præbere facultatē, vt vnuſquiſque abripiat vel furetur quantitatem minorem? Minimè. Quod ergo? Indicit capitis pœnā tranſgreſsuro terminos diffinitos, reliqua relinquit ſubſiſtere iuri communi.

Nec aliter. Aliqui Commendatarii Abbates, imò & nonnulli Regulares, modeſtiam prophanitate commutantes, bona, & proprietatem monaſteriorum prodigo rerum abuſu dilapidabāt, annuunt Summi Pontifices Monachorum votis, & contra eos, qui vltra tertiam partem abſumerent, diras ſeueras fulminant. Nec ideo dicendum, conceſſiſſe trientem annonæ, ſed id commiſiſse iuri communi, vt videlicet eum expendant, ſi fuerit neceſsarium, ſin minùs cedat Communitati. Idcirco ex vi huiuſmodi diuiſionis, qui trientem ſine cauſa acceperit, peccat quidem contra Iuſtitiam, non tamen ſubiacet excommunicationi.

Quod ſi alicui Commendatario validè cōcedatur vſus certę aut proportionatæ quantitatis, tum poterit illam expendere libeꝛrimè, quomodocunque voluerit, dummodo officii obligationi ſatisfaciat, propter quam ea datur.

Maior difficultas eſt de Abbate Regulari. Nemo, quod ſciam hactenus aſseruit, Ordinarium Abbatem tripartita vti poſse, imò his vltimis annis obſeruaui duos laude digniſſimos ceſſiſse auitæ conſuetudini, ideòque ea quibus non indigebant, & iudicabant minus neceſsaria, conſueuerant vel non recipere, vel quę ex præſumpta neceſſitate receperant, remittere, quàm primū cognoſce-

ſcebant eſſe ſuperflua: neque enim intelligere poterant, vſu, aut conſuetudine contra votum paupertatis poſſe præſcribi.

ARTICVLVS V.

Quid in conſcientia poſſit fieri, ſi fuerit inter partes Concordia.

1553 b. Concordiam voco, contractum inter Abbatē & Conuentum, non firmatum authoritate Pontificia, ſed tantùm vtriuſque partis aſſenſu & voluntate.

Dico primò, hanc nullatenus fieri poſſe, & ſemel factam non tenere, etſi iuramento firmetur. Si Abbas ſit regularis, in luce meridiana lis eſt, ſuo ingenio expoſita, nec egena lucis aduentitiæ. Ratio eſt, quia nullius contractus virtute eximi poteſt Prælatus ab obligatione & obſeruantia paupertatis: ſuperflua ergo accipere non poteſt, etiam offerente tota Communitate.

Dico ſecundò. Si ſit Cōmendatarius, ſimiliter illam Concordiam eſſe inualidam, ac proinde trientem annonæ Communitatem largiri non poſſe, nec Commendatarium accipere. Tum quia Monachi non poſſunt bona Monaſterij dilapidare, & largitiones tam exorbitantes facere: tum etiam, quia cùm maximè has largitiones faciunt, vellent ſe nō feciſſe, donantque inuiti, vnde in foro morum creduntur nihil donaſſe.

Soluit è portu nauis, & ſecundis ventis campſoribus credidit lintea, voluctem impulſum lucratura: Illi ne audirent auari Trapeſitæ, impulſus prodigi, ordiuntur nauim vehementiùs agitare. Timet Nauclerus, vtque inſtans periculum effugiat, & ab inſtanti naufragio liberetur, præcipitat ſarcinas in mare, vt id acquieſcat, nauis euadat. Tumultuanti munera præbuit Oceano, inuitus tamen: ſi enim periculum retentis mercibus effugere ſperaſſet, nū quam eas iniquo Collibiſtæ Neptuno crediuiſſet. Eodem modo, ſi poſſent Monachi conſeruare pacem (quæ eſt vita morum) retentis bonis Monaſterij: non eſſent prodigi, neque rem politicam dilapidarent: Darent Commendatario neceſſaria abundè, ſuperflua negarent: at cùm animaduertant illum controuerſias & procelloſas quæſtiones exercitaturum, malunt ſæpè (& meritò) prouentuum trientem perdere, quàm pacem: largiuntur phyſicè, ſed in conſcientię foro inuoluntarij.

Dixi *hanc eſſe inualidam, licèt iuriſiurandi authoritate confirmetur*: tum quia, ſi ſecundùm ſe fuerit illicita, non cohoneſtabitur à iuramēto, ſed fiat magis iniqua: tum etiam, quia eſt commune, non obligare iuramentum, ſi fiat metu imminentis grauis incommodi, qui creditur cadere in Virum conſtantem; & metus huiuſmodi cōtractus omnes reddit irritos iuxta communiſſimam ſententiam.

Quod ſi aliquis Commēdatario adulaturus voluerit ſomnia loqui, & aſſerere metum illum communitatis eſſe leuem; licèt armetur falſitate, difficultati tamen ſuccumbet: quia etiam metus leuis in contractibus tollit moralem libertatem. Ita docuit Sanchez *de matrimo. tom. 1. libr. 4. diſput. 9. num. 4.* Rebellius *par. 1. lib. 1. quæſt. 5.* ſi adiungas ea quæ docet *num. 9. & 16.* Leſſius *libr. 2. cap. 17. nu. 46.*

ARTICVLVS VI.

Abbas Commendatarius bona monaſterij nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam poteſt alienare.

1554 Communitatem habere rerum omnium Dominium, & Abbatem Commēdatarium ſolùm eſſe monaſterij adminiſtratorem, omnibus eſſe manifeſtum: vnde probabo, nihil vltra congruam decentemque ſuſtentationem à prouentu monaſterij accipere poſſe. Inde etiam certiſſima conſe-

tia.

tia *infero*, nil poſſe vendere, nil alienare, hocque à fortiori: quia maior requiritur authoritas ad venditionem fundi, quàm ad fructuum abuſum; ſed his non poteſt abuti, ergo nec vendere. Sed à priori. Ille tantummodò proprietatem legitimè vendit, qui eſt proprietarius Dominus: Commendatarius nõ eſt Dominus, ergo non poteſt vendere.

1555 Neque diffiteor aliquot monaſteria maximos abuſus perpeſſa, & plurima damna recepiſse ab Abbatibus commendatarijs: tot, inquam, vt neceſſarium fuerit à Summis Pontificibus procurare remedia, qui anathematis pœna non admittentes *inuſſerunt*. Multi credebant ſe rei temporalis abſolutiſſimos Dominos, & ideò diſſolutiſſimè amicis, conſanguineis, nepotibus, monaſterij domos & agros largiebantur, vendebant, alienabant. Ne porrò hæc vlteriùs acciderent, prouidit Pius II. Pontifex Maxim. hac lege. *Perpetuo Conſtitutionis edicto, ac ex certa ſcientia ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quod omnia bona monaſteriorum, & aliorum locorum dicti Ordinis* (Ciſtertienſis) *ſint communia, & quod vaſa argentea & clinodia, ac alia quacumque bona ad decorem, & ornamentum Abbatis, & Conuentus cuiuslibet monaſteriorum eorumdem maneant, & conſeruentur in quolibet monaſterio Ordinis antedicti: quodque vaſa, clenodia, & bona prædicta per Commendatarios ipſorum monaſteriorum, vel eorum Officiarios vendi, aut alienari non poſſint, ſeu debeant quoquomodo*. Vbi aduertas non ſolùm ea inſtrumenta, quæ pertinent ad vſum commendatarij Abbatis, ab eo nõ poſſe alienari, aut vendi: ſed neque ea, quæ ad vſum Communitatis. Idem confirmat anno 1475. Sixtus IV. dum ait.

1556 *Inhibentes nihilominus eiſdem perſonis, ſiue Commendatarijs Secularibus, & Regularibus, monaſteria, & loca huiuſcemodi in Commendam pro tempore obtinentibus, præſentibus, & futuris, ſub eiſdem ſententijs, & pœnis, ne bona mobilia aut immobilia huiuſmodi, ſeu aliqua alia, ad prædicta monaſteria ſeu loca Commendata ſpectantia, quouis modo alienare, aut de nouo infeudare, ſeu extra manus Deputatorum, ſeu pro tempore per Conuentus ipſorum monaſteriorum Deputandorum manus, ponere præſumant*. Et paulò infrà. *Inſuper volumus, & perpetuo obſeruandæ Cõſtitutionis edicto, authoritate, & ſcientia ſimilibus ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi contingat aliquod monaſterium eiuſdem Ordinis de nouo alicui Archiepiſcopo vel Epiſcopo, vel cuicumque alteri etiam dignitate prædito, quauis authoritate Commendari, per illius Patrem Abbatem, ſeu ipſius, vel eiuſdem Ordinis Commiſſarium, præſente ipſius monaſterij Commendatario, aut eius legitimo Procuratore, de bonis ipſius monaſterij fiat inuentarium, cuius duplum (ideſt, copiam) vnum teneat Commendatarius, & aliud apud Conuentum eiuſdem Ordinis maneat; ipſeque Commendatarius antequam poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis bonorum dicti monaſterij recipiat, iuramento ſolenni, bona ipſa fideliter tractare, conſeruare, & defendere iuret; & iuramentum ſolenniter ab Abbatibus ipſius Ordinis in eorum aſſumptione præſtari ſolitum, videlicet, quod bona mobilia aut immobilia dicti monaſterij, contra ſtatuta dicti Ordinis, non vendet, aut alienabit, aut impignorabit, ſeu de nouo infeudabit, per ſe, vel aliũ, quocumque titulo, ſeu colore, ſub pœnis & ſententijs prædictis, & infraſcriptis, præſtet*.

Hæc ita placuit recenſere, vt vniuerſi videant, eos Theologos, qui aliquid contrarium dogmatizant, Iuris communis, & particularis, imò & rerum naturæ penitùs eſſe imperitos, & ſolùm adulationis cauſa coram Com-

mendatarijs garrire de ipſorum authoritate & dominio, quod nullum eſſe demonſtraui.

ARTICVLVS VII.

Abbates Commendatarijs Ordinis Viſitatores recipere tenentur, & illorum mandatis obedire.

1557 CRediderim Viſitatores Ordinis ex natura rei poſſe cognoſcere de Commendatarijs, in quantum peccauerint contra monaſterium: tam ſi aliis fuerint ſcandalo, quàm ſi extrinſecam ſubſtantiam non adminiſtrauerint fideliter. Verùm, quia rationis pondus non omnes valent conſiderare, adiiciam Pii I I. diffinitionem ex Priuilegio Ciſtercienſibus conceſſo anno 1459. in quo ſic ait. *Viſitatores eiuſdem Ordinis, Officiarios prædictos, ad obſeruationem ſtatuti, ſecreti, & declarationis huiuſcemodi, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna Iuris remedia, ſublato cuiuſuis appellationis obſtaculo. Apoſtolica authoritate compellere valeant, ac [illegible]antur.* Quòd ſi quiſpiam nomine *Officiarij* noluerit intelligere Abbates Commendatarios, qui nihil reuera aliud ſunt, quàm Monaſterii Officiarii: audiat Innocentium VIII. qui anno 1489. vniuerſis & ſingulis Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, Commendatariis, &cet. Apoſtolicam dicit Benedictionem, his verbis. *Mandamus, quatenus receptis præſentibus literis, ceſſantibus quibuſcumque exceptionibus, dilationibus, & ſubterfugijs, ipſum Ioannem Abbatem* (Ciſtercienſem) *tamquam Caput dicti Ordinis, & Patrem Abbatem veſtrũ, ac totius Ordinis veſtri Generalem recipiatis, &, vt decet Abbatem Generalem, cum debitis honore & reuerentia tractetis, & ab ipſo, ac ab ipſius Commiſſarijs, Vos, & Monaſteria veſtra viſitari, corrigi, & reformari, iuxta dicti Ordinis ſtatuta priuilegia, & diffinitiones, benignè ſuſcipientes, ipſius in omnibus obediatis.* Quid clarius? Quid certius? Quid ſanctius? Quid politicæ gubernationi vtilius aut inſtitui, aut diffiniri potuiſſet?

1558 Et licèt ex vi huius priuilegii, ad omnia & ſingula Ordinis ſtatuta ſeruanda Commendatarii ab Ordinis Viſitatoribus compelli poſſent: ad maiorem tamen authoritatem aliqua indulta ſingularia pro immunitate Ciſtercienſium conceſſerunt, vel potiùs confirmarunt Summi Pontifices: quia quidquid in hac materia concedi poteſt in ſpeciali, iam ab Innocentio Pontifice conceſſum, & explicatum vides in communi. Poſſunt item cogi, ad reſarcienda tecta, ad reædificationem & prouiſionem Monaſterii iuxta Priuilegium Pii II. conceſſum anno 1459. vbi (*vide numero quinto.*) debent Monachis neceſſaria tribuere ſtrictiori obligatione quàm Abbates Regulares, quia hoc in ſua creatione promittere debent ſub iuramento, ibidem numero ſexto, & priuilegio Sixti IV. numero 2. dato anno 1475. ſubſidia & contributiones per Capitulũ Generale impoſita teneri ſoluere, declarauit idem Sixtus IV. ibidem num. 6. ſpoliis, & rebus Monachorum è vita decedentium ſe non debere immiſcere, ordinauit Pius V. anno 1567. initio priuilegii.

Nullo modo impedire poſſunt quod Conuentus claudantur: Monachorum numerum taxare. Nouitioſque recipere, benedicere, aut reiicere nequeunt. Ita Sixtus V. in priuilegio conceſſo anno 1586. num. 4. vbi fit mentio alterius priuilegii Sixti IV. quod Sixtus V. poſt modum clauium authoritate confirmat, & roborat.

Videbis iam ſtatutis noſtris Abbates Commendatarios ſubiacere, & authoritate Pontificia conſtringi, & obligari, vidiſti Viſitatoribus Ordinis eos obedire debere, & de omnibus aliis curare, & prouidere, de quibus agerent,

ſi

ſi eſsent Abbates Regulares. Habent inſuper aliqua particularia grauamina in officio, quæ non haberent, ſi eſsent Ordinarii, vt illa ferè omnia, de quibus nuperrimè egimus, ſed & illa ſunt neceſſaria ad cohibendam aliquorum tyrannidem. Leges ſunt, & ideo non propter iuſtos poſitæ.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm in eodem monaſterio poſſint duo aut plures Abbates Commendatarij eligi.

1559 Commendatarius, idem, qui Oeconomus, idem qui Adminiſtrator. Monaſterium quod habet plures poſſeſſiones, ſicut & miniſtros differentes, ita etiam Commendatarios plures de diuerſis rebus curam habentes inſtruere poteſt. Non poſſunt eſſe duo Abbates Commendatarij, qui totius ſubſtantiæ curam gerant. Ratio eſt. Quia ſi darentur, vel eſſent æquales, vel alter alteri ſubordinaretur? & tunc ſubordinatus non eſſet Abbas, ſed tantummodò Abbatis Miniſter. Quod ſi aſſeras vtrumque eſſe æqualem, & neutrum alteri ſubeſſe, conſiſtere non poſſunt, & monſtrum potiùs, quàm corpus myſticum componeretur.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm in eodem Monaſterio poſſit eſſe ſimul Abbas Commendatarius & Regularis.

1560 Argumentum pro negatiua hæc poſſent adferri.

Primò. Monaſterium numquam, niſi Sede vacante ſeu mortuo Abbate ordinario, in Commendam tribuitur, & ni abſoluatur à Commenda, numquam habet Abbatem Regularem.

Secundò. Communitas verum, & Regularem habens, Paſtorem inutiliter Commendaretur ſæculari: ergo.

Tertiò. Abbas commendatarius eſt rei temporalis abſolutiſſimus diſpenſator. Regularis ex natura rei ſimiliter eſt abſolutiſſimus: Atqui duo in eadem re non ſubordinati Præpoſiti quotidie eſſent confuſioni; ergo dari non poſſunt.

Dices, poſſe vnum alteri ſubordinari, ita vt ſine illius licentia nihil expenderet, & ita poſſet alter remanere abſolutiſſimus, alter ſubordinatus.

Reſpondent, hoc ita poſſe fieri: ſed in tali caſu non darentur duo Abbates, ſed vnus tantùm, & ille, qui ſubordinaretur, eſſet miniſter alterius; quia de eſſentia officij Abbatialis eſt, vt præ cæteris in Monaſterio ſupremam habeat iuriſdictionem.

His tamen non obſtantibus contrarium diffiniendum docet experientia, quia hodie Sereniſſimus Princeps Ferdinandus Auſtriacus, Belgij noſtri Prorex ac Gubernator, eſt Abbas Commendatarius Regalis Cœnobij de Alcobatia Ordinis Ciſtercienſis in Regno Luſitaniæ, & nihilominus habent eiuſdem domus Religioſi alium adhuc Abbatem Regularem, qui Congregationis Ciſtercienſis per regnum Luſitaniæ eſt Preſes Generalis. Idem frequentius in vſu eſt in Italia, vbi in plurimis Monaſterijs, quæ vel Epiſcopis vel Cardinalibus commendata ſunt, videre eſt alios Abbates Regulares, mitra, baculo, ac reliquis Pontificalibus ornamentis vtentes.

Ex fundamento Concluſionis cognoſcitur negandum eſſe aſſumptum Primæ, pro parte negatiua; ſed ad Secundam, Nego Maiorem, quia omnia illa vtilia dici poſſunt, quæ fiunt ad meliùs: ergo ſicut vtiliter creantur Religionum Protectores ita poſſent, & ſingulorum monaſteriorum creari, idque in illo caſu eſſet officium Abbatis commendatarij. Inconuenienti poſito in ratione tertia, facili negotio obuiam

uiam itur. Deberet enim tunc Pontifex prouidere paci & quieti monaſterij: intentumque aſſequeretur, ſi alibi etiam faceret, quod in Alcobatiæ monaſterio, vbi determinata pars mediorum communium Pontificia authoritate conceditur Commendatario pro labore Commendæ & Patrocinij, & in hac portione ipſe eſt abſolutiſſimus; reliqua pertinent ad monaſterium, in quibus eſt abſolutiſſimus Abbas ordinarius ſeu Regularis, & ſic dantur duæ poteſtates abſolutæ, non in eadem re, ſed omnino diuerſa.

ARTICVLVS X.

Vtrùm idem Abbas Commendatarius poſſit recipere Commendam, alterius monaſterij, eiuſdem, vel alterius Ordinis.

1562 Respondeo affirmatiuè, quia contra nihil ſtatutum iure communi aut particulari, & ex rei natura per Commendam vnam nemo redditur inhabilis ad aliam; quia illa authoritas eſt temporalis, &, quantum eſt ex ſe, indifferens, vt ſit in Laico, aut non.

Ab hac ſententia non diſſentit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis de Richelieu, qui ſimul in Commendam habet plura ac magnifica diuerſorum Ordinum Cœnobia.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Commendatarius Abbas alicuius domus Matris habeat iuriſdictionem in Filiationes.

1563 Iuriſdictio in Filiationes eſt ſpiritualis, quia poteſt Abbas Pater viſitare Abbates Filios authoritate ſimili illius, qui dicebat, *In Ieſu Chriſto ego vos genui*.

Et principaliter debet cognoſcere ſtatum ſpiritualem monaſterij, temporalem verò acceſſoriè & per accidens, ita vt hunc cognoſcat ratione prioris: atqui Abbas Commendatarius non eſt verè Abbas, ſed tantùm quidam notabilis Oeconomus & Adminiſtrator, nullamque ſpiritualem authoritatem habet in Filios: ergo non poterit Commendatarius Abbates Filiationũ viſitare in ſpiritualibus, vtpote non ſubditos: ſolũ enim poteſt habere curam de ipſorum modeſtia, & obſeruantia eo modo, quo Rex, fouendo extrinſecè vel ſaltem ſpecialem aliquam à Pontifice gratiam impetrando; verùm hæc non pertinebit ad officium Commendatarij, ſed Legati Apoſtolici. Ex his neceſſariò ſequitur, non poſſe Abbates Commendatarios viſitare temporalem, & Oeconomiam Filiationum, quia hæc authoritas eſt attributum ſpirituale: cumque illi ſpiritualem poteſtatem non habeant, nec illam habere poterunt.

1564 *Dices*. Iuriſdictio ordinaria in res temporales monaſterij eſt appendix à ſpirituali: atqui illam habet Commendatarius, licèt careat altera, ergo ſimiliter philoſophari debemus quoad filiationes.

Reſpondeo. Authoritatem Filiationis erga rem extrinſecè temporalem non promanare ab authoritate temporali monaſterii Matris, ſed à ſpirituali ipſius Filiationis: quia eo ipſo quo quis habet authoritatem abſolutam ad aliquem finem; cenſetur eam habere etiam erga ea, quæ ſunt media ex rei natura, aut iure determinata ad illum finem, atqui res temporales ſunt media à iure particulari (iuxta Priuilegia, &cet.) determinatè inſtituta ad talem finem: ergo qui habuerit iuriſdictionem ſpiritualem, habebit etiã temporalem; cumque Commendatarius illam non habeat, opus eſt vt etiam altera deſtituatur. Authoritatem porrò monaſterii temporalem ex eo habet, quòd directè

ea

traditur à Pontifice: ex ea verò non oritur iuriſdictio temporalis in Filiatione: ergo hanc non habet.

Ex his patet, nullo modo Abbatem Commẽdatarium primi monaſterij (puta Ciſtertii, aut Præmonſtrati) poſſe dici Abbatem Commendatarium Generalem; quia in temporalia Filiationum bona nullam omnino habet iuriſdictionem. Præterea, Viſitationem Filiationum ad Commendatarium non pertinere, expreſſiſſimè decernit Pius II. in priuilegio dato 1459. vbi num. 3. ſic ait: *Viſitatio quoque monaſteriorum, & locorum eorumdem, ac eis ſubiectorum, quæ in Commendam teneantur, & pro tempore teneri contigerit, ad Abbatem Ciſtertij, & quatuor Primos, cuilibet in ſua generatione, iuxta formam antiquorum priuilegiorum Ordinis conceſſorum, pertineat.*

1565 *Dices*, poſſe petere iuriſdictionem illam à Summo Pontifice.

Reſpondeo. Petat; Concedatur, nec tunc habebit authoritatem Commendatariam Generalem, quæ nulla eſt: ſed erit tantummodo Abbas Commendatarius, etiam monaſteriorum ſuę Filiationis, & tali modo habebit ſub ſe plurima monaſteria Commendata.

Addo, quod neque de potentia abſoluta poſſit Pontifex illi tribuere authoritatem Generalem, diſtinctam à Commendataria ordinaria. Ratio eſt manifeſta. Nam illa quæ indirectè fiunt, impoſſibile eſt quod fiant ſublata ratione fundandi. Verbi gratia. Indirectè producitur æqualitas, & ideo eſt impoſſibile, quod detur ſublato fundamento: in opinione probabili indirectè præcipitur attentio interior in diuino officio; ideoque eſt impoſſibile, quod ijs præcipiatur talis attentio, quibus non præcipitur idem officium.

Iuriſdictio in Filiationes eſt indirecta ab ordinaria ſpirituali emanans; quando itaque hæc conceditur, indirectè illa tribuitur: ergo has ordinaria ſpirituali negata dari non poterit.

1566 *Dices ſecundò.* Concedat Pontifex directè hanc authoritatem temporalem in res extrinſecas, & temporales monaſteriorum ſuæ filiationis; imò ſuper ipſos Abbates ſuæ filiationis quoad rem temporalem, ita vt ipſi Abbates Ordinarii remaneant, & Electus ſit ipſorum Viſitator: tunc ipſe Electus nõ erit Abbas Commendatarius ſuæ filiationis: ergo Commendatarius Generalis.

Reſpondeo, admittendo poſſe Pontificem eligere talem Viſitatorem, ſed ille erit ſolummodo Legatus Pontificis, non Abbas Commendatarius Generalis; quia authoritas Patris Abbatis in filiationes à nemine poteſt produci in phyſicis, concedi in moralibus, ſublata ratione fundandi ipſam Paternitatem.

Confirmatur. Pontifex poteſt dare poteſtatem abſoluendi à peccatis, imò dat ſemper quando creat Sacerdotes, tunc enim dat poteſtatem Sacerdotalem directè, & abſolutoriam indirectè. Dare igitur alicui hanc ſecundam ſine prima non poterit, quia hæc indirectè datur, & nequit ſine prima conſiſtere, ideoque repugnat dari actionem quæ in illam tendat: actio enim indirecta debet in aliquid tendere directè. Similiter, licèt Pontifex præcipiat attentionem cum oratione, hanc directè, illam indirectè, non poteſt attentionem ſolam exigere; quia hæc aut non debet peti, aut debet indirectè peti. Ad noſtrum intentum.

Poteſtas moraliter paterna in mediatè ſubditos ſuæ filiationis, verbi gratia Domini Ciſtertienſis Archi-Abbatis in monaſteria lineæ Claræuallenſis (quæ illi mediante Claraualle ſunt) naſcitur ab ordinaria, quam Pater Abbas Ciſtertii habet in Ciſtertienſes: ergo cui daretur hæc ordinaria, daretur illa ſecunda: nulli hac ſecunda, ſine prima.

D V-

DVBIVM INCIDENS

De poteſtate benedicendi, & conſecrandi res ſacras.

1567 SI reſpicimus nudum ius commune, hoc eſt, abſtractis omnibus priuilegijs, moribus, & conſuetudinibus, certum eſt hanc authoritatem Abbatibus nullo modo competere: conſtat ex *cap. Abbates,* ſi iungas gloſſam *verb. Tonſuram.* quod, & doctiſſimè notarunt Aloyſius Riccius *in praxi to. 1. reſol. 461. numer. 2.* Piaſecius *in praxi part. 1. cap. 2. art. 4. num. 14.* Suarius *de relig. tom. 4. lib. 2. cap. 30. caſ. 2.* Diana *part. 3. tract. 2. reſolut. 15. §. Sed hæc.* Si verò reſpiciamus praxim, notandum eſt, conceſſa fuiſſe particularia priuilegia, in quibus fundata conſuetudo præualuit aſſerente Armilla *verb. Calix.* Aſcanio Tamburino *de iure Abbat. tom. 1. diſp. 23. quæſt. 13.* Baſeo *verb. Abbas.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. allegat. 26. numer. 36.* Diana *vbi ſuprà.* Miranda *in Manual. Prælat. to. 1. q. 40. art. 4.* Portellio *in dubijs Regular. verb. Abbas. numer. 3.* Riccius *in collect. part. 4. col. 954.* licèt in praxis *tom 1.* videatur ſentire contrarium. Rodriguez *in ſumm. tom. 3. cap. 14. num. 2.* quibus ego ſubſcribo, ſtatuens concluſiones ſequentes.

1567 b. Prima. *Omnes Abbates poſſunt conſecrare calices, lapides ſeu aras portatiles, pyxides, & omne ornamentorum genus non ſolùm pro ſuis Eccleſijs, ſed etiam pro alijs.* Hoc vt probetur, ſupponendum eſt Clementem VII. conceſſiſſe Abbatibus Dunenſibus priuilegia quæ ſequuntur.

CLemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Ioanni Abbati monaſterij de Dunis, Ciſtertienſis Ordin. Morienſis Diæceſis, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Vt ex ſincerè deuotionis affectu, quem ad Nos & Romanam Eccleſiam habere dignoſceris, fauorem tibi Apoſtolicum ſentias accreuiſſe benedicendi calices, pallas altaris, corporalia, & veſtes ſacerdotales in tuo dumtaxat monaſterio, & ſucceſſoribus tuis, dummodo tibi, & eiſdem ſucceſſoribus munus benedictionis impenſum fuerit, authoritate præſentium concedimus poteſtatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum apud Bellicardum Arelatenſis Diæceſis 17. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

Simile Priuilegium conceſſit Innocentius VIII. anno 1489. ad petitionem Ioannis Abbatis Ciſtertienſis, dato diplomate, in quo *num. 3.* confertur prædicto Abbati, & quatuor Coabbatibus authoritas benedicendi corporalia, pallas, ornamenta, vaſcula ad reponendum ſacram Euchariſtiam, imagines, &c. & conſecrandi calices, *tam de dicto ordine* (verba ſunt formalia) *quàm ſi ad vos aliunde nonnunquam deferantur.* Huius priuilegii ſummarium poſui *num. 1510.* Hæc gratia directè non fauet omnibus Abbatibus, ſed tantummodo quinque, nempe Ciſtertienſi & quatuor Coabbatibus: per extenſionem autem hodie illis omnibus fauet, qui vtuntur inſignibus Pontificalibus.

Hæc extenſio legitima eſt. *Primò,* quia fundatur in communicatione priuilegiorum, quæ omnibus Ordinibus conceſſa eſt. *Secundò,* quia conſuetudo præualuit: & ſi qui olim ea præſtare non poterant, poſſunt hodie: quoniam iam præſcripſerunt. Vbi obiter notandum eſt, conſuetudinem faciliùs derogare legi, quàm introducere. Ratio eſt, quia nequit cenſeri Legiſlator ignorare ea, quæ publicè & frequenter fiunt contra ſuam legem: ergo ſi non contradicat, conſentire dicetur. Si dicatur conſenti-

re,

tè ; debet credi in lege diſpenſaſse. Ergo cùm omnes Abbates, qui habent Pontificalium vſum, iam à multis annis conſecrent, & benedicant calices, lapides, ornamenta, &c. dicendum eſt, vel olim id eos legitimè feciſſe, vel non. Si illud: ergo, & hodie legitimè præſtabunt; eorum enim authoritas non eſt nouo aliquo iure limitata; ſi hoc vltimum dicatur (nempe olim ſibi arrogaſſe illegitimè, conſecrandi, & benedicendi authoritatem) adhuc hodie legitima poterunt facere, tum ratione communicationis, tum etiam ratione conſuetudinis, quæ conſtans eſt, &, ignorante Pontifice, perſeuerare non potuit.

Tunc ſic. Pontifex dari talem conſuetudinem ſciuit, & impedire noluit: ergo oſtendit ſibi placere huiuſcemodi Abbatum actiones.

Huc reſpiciens Emanuel Rodriguez *tom.7. qq. Regul. quæſt.28. articul.2.* vt certum ſupponit non ſolùm Abbates perpetuos Ciſtertienſes, ſed etiam triennales Hiſpanos poſſe conſecrare Aras ſiue altaria portatilia pro ſuis monaſterijs, filiationibus, Prioratibus, Grangiis, imò pro Eccleſiis amicorum, dummodo id faciant in ſuis monaſterijs. Sed & extra ipſa ſi accedat ordinarii licentia. Vtrumque eſse in vſu, & non eſse à Ciſtertienſium priuilegiis alienum teſtatur Reuerendiſſimus noſter Angelus Manriquez in Pontificalis Hiſpano Ciſtertienſis prologo.

1567 c. Secunda. *Poßunt etiam cāpanas cōſecrare.* Ita Tamburinus *de Iure Abb. tom.1. diſp.23. qu.12.* Renatus Choppinus *in Monaſt. lib.1. tit.2. num.* 18. & Diana *part.3. tract.2. reſol.15. §. Quoad.* Fauet Naldus *in ſumm. verb. Abb. nu.4.* & declaratio Cardinalium facta Romæ 10. die Nouembr. 1614. quam ipſe citat. Probatur hæc concluſio ex conſuetudine perenni; fundata in Priuilegiis Vrbani II. & Pauli III.

1567 d. Tertia. *Altaria integra, ſeu lapides magnos permanentes, Abbates conſecrare non poſſunt, ſtando regulis iuris communis.* Vel qui negat, oſtendat vel vnum canonem illis fauentem. *Iure conſuetudinis* non omnes hoc poſſe, patet; quia non datur talis conſuetudo, aut ſaltem datur in paucis monaſteriis. *Ex priuilegio* Altaria de nouo conſtructa ſeu translata, reſtaurata aut immutata, in quibuslibet locis chriſmate ſacro ab aliquo Catholico Epiſcopo priùs recepto, conſecrare directè poteſt D. Ciſtertienſis, & quatuor primi Abbates, concedente Innocentio VIII. anno 1439. Vide diplomatis copiam apud Henriquez *pag. 190.* *Iure communicationis* poterunt hæc præſtare illi omnes, qui fuerint capaces, ſi illis conceſsa ſit gratia participandi hæc priuilegia. Conſultò dixi, *qui fuerint capaces*, vt carpam eorum ignorantiam, qui exiſtimant hæc priuilegia ad Priores & alios Prælatos Mendicantium Ordinum extendi poſse. Idem doctè obſeruauit Miranda *in Man. Præl. to.2. q.40. art.4.* & ex eo Diana *vbi ſuprà.* Noſtri monaſterii Antiſtes poteſt Altaria conſecrare ex vi priuilegii quod ſequitur.

CLemens *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Ioanni Abbati monaſterij de Dunis Ciſtert. Ordin. Morinenſis diœceſis, Salutem & Apoſtolicā benedictionē. Perſonam tuam nobis & Apoſtolicæ Sedi deuotam paterna beneuolentia attendentes, illa tibi libenter concedimus, quæ tibi & monaſterio tuo ſalubriter cognoſcimus expedire; Tuis itaque ſupplicationibus inclinati, vt tu & ſucceſſores tui Abbates monaſterij de Dunis Ordinis Ciſtertiēſis, Morinēſis diœceſis, qui fuerint pro tempore, Altaria, Calices, Veſtimenta, & alia ad diuinum Officium in eodem monaſterio ſpectantia, quæ de iure benedici debent, benedicere valeatis, iure Ordinarij in omnibus ſemper ſaluo, tibi concedimus per præſentes. Nulli ergo, &c.*

1567 e. Quarta. *Eſt in vſu*, quod

dicti

dicti Abbates, cùm induuntur Pontificali ornatu, ſolennem benedictionem elargiantur. Innocentius VIII. in citato diplomate conceſſit Ciſtercienſi Antiſtiti & alijs quatuor Primoribus, vt huiuſmodi benedictiones darent in quibuslibet monaſterijs, domibus, atque locis noſtri Ordinis vtriuſque ſexus. Hoc etiam concedit *C. Abbates. de priuilegijs num. 6.* teſte Baſſeo *verb. Abbas. nu. 6.* & Syluestro quem citat. Domino noſtro Dunenſi ſpecialiter conceſsa ſunt hæc priuilegia.

Clemens *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filijs Ioanni, & Abbati & Conuentui monaſterij de Dunis Ciſtercienſis Ordinis ——— Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, vt tu fili Abba & ſucceſſores tui, Abbates dicti monaſterij, ſuper quibuslibet altaribus Eccleſiarum partium Flandriæ, ſuper quibus Miſſam, & alia diuina Officia poſſunt Epiſcopi celebrare, huiuſmodi Miſſam, & officia, ſtatutis & conſuetudinibus Eccleſiarum, in quibus Altaria ipſa ſita fuerint, contrarijs iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis nequaquam obſtantibus, celebrare poſſitis, vobis & eiſdem ſucceſſoribus tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo, &c.*

Clemens ——— *Veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt tu fili Abba, & ſucceſſores tui Abbates dicti monaſterij, qui pro tempore fuerint, mitra, annulo & alijs pontificalibus inſignijs liberè vti, nec non in dicto monaſterio, ac Prioratibus eidem monaſterio ſubiectis, ac Parochiatibus, alijs Eccleſijs ad vos communiter vel diuiſim pertinentibus, quamuis vobis pleno iure non ſubſint, benedictionem ſolennem poſt Miſſarum, Veſperarum & Matutinorum ſolennia, dummodò in benedictione huiuſmodi aliquis Antiſtes vel Sedis Apoſtolicæ Legatus præſens non fuerit, elargiri poſſitis, Fel. record. Alexandri Papæ IV. prædeceſſoris noſtri quæ incipit Abbates, & alijs quibuſcumque conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium editis nequaquam obſtantibus, vobis & eiſdem ſucceſſoribus authoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo, &c.*

Similes fauores impetrauerunt alij; præualuit tandem conſuetudo, & iam omnes vbicumque ſolenniter celebrent, ſolennes benedictiones elargiuntur.

1567 §. Quinta. *Indulgentias ex opere operato non poteſt concedere Abbas quà talis.* Conſultò *ex opere operato dixi*, vt ſcias in monaſterio dari et theſaurū humanum, qui etiā diues & opulentus eſt. Theſaurus ſanguinis Chriſti vni Summo Pontifici eſt creditus; ille vnus poteſt concedere ex illo gratias, indulta, fauores: bona autem communitatum opera, & illa particularium qui ſatisfactione non indigent, nequaquam pereunt; reconduntur enim in theſauro ſpirituali monaſterij, diſpenſanda ad arbitrium Abbatis. Hic eſt illius theſauri Oeconomus, & poteſt ex cauſa probabili concedere petentibus aliquam ſui theſauri partem. Et nota *primò*, ſufficere probabilitatem cauſę, vt fauor teneat; non enim requiritur euidentia, vt actiones humanæ legitimæ & prudentes euadant. *Secundò* dicendum eſt, theſaurum hunc humanum ac ſimpliciter finitum eſſe. *Tertiò*, non poſſe moraliter contingere quod aliquando ſit omninò exhauſtus. Ratio eſt, quia licèt ſupponatur caſus poſſibilis, in quo omnes particulares ſeorſim indigerent ſatisfactione ſuorum operum, adhuc theſaurus monaſticus diteſceret quotidie actibus totius communitatis, quæ, quia per modū vnius nō peccat, ideo per modum vnius non excommunicatur, nec indiget ſatiſfactione; meretur tamen, vt ſuo loco videbimus. *Quartò*, Prælati non dicuntur, concedere indulgentias, quia hoc nomen iam videtur nihil aliud ſignificare, quàm ſatis-

ſatisfactionē ex opere operato, quā ipſi concedere non poſſunt: dicuntur autem concedere confraternitatis Priuilegium, hoc eſt, indulgere vt talis benefactor ſit particeps omnium fructuum ſpiritualiū, qui fuerit in theſauro incorporeo. Huius chartæ formula reperitur in noſtris definitionibus. Sicut Prælatus poteſt concedere Petro quod ſit compos meritorum totius communitatis modo expoſito; ſic etiam quicumque Chriſtianus poteſt Petrum ſeu viuum ſeu defunctum reddere participem ſuarum orationum, mortificationum, &c. applicando ipſi ſatisfactionis tantam partem.

1568 Pontificis munificentia nonnumquam delegatur Abbatibus authoritas aperiendi theſaurum illum Eccleſiaſticum, quem reddunt immenſum Chriſti merita. Videmus Epiſcopos aliquando concedere indulgentias, non tamen authoritate propria, ſed delegata. Etiam Abbates quidam donati leguntur hoc fauore: Dunenſis monaſterij Antiſtes ex Clementis eiuſdem priuilegio poteſt concedere indulgentias loco, & tempore in diplomatibus ſequentibus expreſſo.

CLemens ——— *Tuis itaque ſupplicationibus inclinati, vt quotieſcumque in monaſterio tuo de Dunis Ciſtertienſis Ordin: Morinenſis Diœceſis, Miſſas alta voce celebrari, aut verbum Dei publicè in tuæ vel ſucceſſorum tuorum præſentia proponi contigerit, tu & ſucceſſores præfati omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis tunc ibidem præſentibus quinquaginta dies de iniunctis eis pœnitentijs relaxare valeas, & valeant dummodo nullus Sedis Apoſtolicæ Legatus aut aliquis Antiſtes præſens ibidem fuerit, tibi & ſucceſſoribus ipſis plenam, & liberam authoritate Apoſtolica concedimus tenore præſentium facultatē. Datum apud Bellicadrum Arelatenſis Diœceſis 17. Kal. Octob. Pontificatus anno 12.*

CLemens ——— *Cùm itaque hodie tibi & tuis ſucceſſoribus Abbatibus tui monaſterij duxerimus concedendum, quod Mitra, annulo, & alijs Pontificalibus inſignijs vti liberè valeatis: Nos tuis ſupplicationibus inclinati, tibi & eiſdem ſucceſſoribus vt quotieſcumque vos in Pontificalibus celebrare contigerit, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis ibidem præſentibus quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer relaxare poſſitis, tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo, &c.*

1568 b. Præter hæc priuilegia, exſtat diploma Alexandri IV. in quo non iam delegatur Abbati authoritas concedendi indulgentias, ſed ab ipſo Summo Pontifice conceduntur Eccleſiam viſitantibus; circa quo quia multæ difficultates motæ, placuit ſubiungere materiæ ſimilitudine id poſtulante.

ALexander *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monaſterij de Dunis Ciſtert. Ord. Morinenſis Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam ad peccandum omnis ætas de facili labitur, & vitium à primæua naturæ veſtigijs imitatur, multa propoſita ſunt opera pietatis, vt poſſint à peccato reſurgere, qui de commiſſis cupiunt pœnitere. Inter quæ opera ſanctorum Eccleſias cum deuotione ac reuerentia viſitare, & ibi ſuper huiuſmodi commiſſis eorundem ſanctorum implorare ſuffragia, tantò ſalubrius creditur, quantò illud in Chriſti oculis acceptabilius reputatur. Cum igitur, ſicut aſſeritis Eccleſiam Monaſterij veſtri in B. Mariæ Virginis honore conſtructam, nondum conſecratam intendatis facere conſecrari, nos deuotis populis conſtituendi ſibi pro ſuis peccatis Virginem ipſam apud Deum propitiam aduocatam volentes materiam exhibere, omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in die qua eadem Eccleſia-*

cleſia conſecrabitur, & vſque ad octo dies proximè ſequentes duxerint viſitandam, vnum annum & 40. dies: illis verò qui ad eam in Anniuerſario die conſecrationis huiuſmodi deinceps cum reuerentia & deuotione acceſſerint annuatim, centum de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi de iniunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Datum Lateran. 5. Idus Martij, Pontificatus noſtri anno VII.

Exſtat in Bullario minori Monaſterij Dunenſis fol. 30. a.

1568 c. Circa hoc Priuilegium occurrunt dubia digna examine. Et *primò* petitur, vtrùm fuerit obſoletum mera cœnobij Dunenſis translatione, an vero conceſſas has indulgentias lucrari poſſint fideles viſitante nouam Eccleſiam Brugis reſtauratam? *Secundò*; an noua Eccleſia debeat viſitari in anniuerſario conſecrationis Eccleſiæ veteris, an verò in anniuerſario nouæ conſecrationis. *Tertiò*; an in die conſecrationis nouæ Eccleſiæ, & per octo ſequentes ex vi huius diplomatis lucraturi ſint annum, & quadraginta dies indulgentiarum?

Reſpondeo ad primum priuilegium vigere, & vt puto clariſſimè veritatem monſtrabo. Abbas bifariam poteſt conſiderari materialiter & formaliter, hoc eſt ſecundum perſonam & dignitatem, primo ipſe modo mortalis eſt, ſed non ſecundo; morientibus enim & ſuccedentibus varijs perſonis manet immortalis Abbatis dignitas. Non aliter bifariam etiam conſiderari poteſt Eccleſia, materialiter, & formaliter, primo modo caduca & mortalis, ſecundo immortalis æterna. Priuilegia conceſſa Abbati (ni perſonalia eſſe exprimantur) non moriuntur, quoniam Abbas formaliter ſumptus non moritur. ergo nec conceſſa Eccleſiæ (ni illis numero muris indulta exprimantur) quoniã Eccleſia formaliter ſumpta æterna eſt, nſecus ac Abbatialis dignitas. *Ad ſecundum* viſitandam in anniuerſario dedicationis nouæ. *Ad tertium* lucraturos eſſe.

PRO-ABBAS.

1568 d. Abbatis poteſtas ordinaria eſt, duplex tamen; Iuriſdictionis & Dignitatis. Dignitatis authoritas donat illum inſignibus Pontificalibus, loco in Concilijs, & alijs nobiliſſimis prærogatiuis; authoritas Iuriſdictionis praxim reſpicit, & monaſterij regimen in ſpiritualibus, & temporalibus.

Quidquid ſit de authoritate Dignitatis, quam multi aſſerunt delegari non poſſe, Iuriſdictio delegabilis eſt; & ſi ſuppetant rationes, deleganda.

Contingit in monaſterijs degere Viros optimis dotibus illuſtres, quibus maioribus verè officijs, & honore dignis fors inuida ſupremam negauit dignitatem. Hi rariſſimè vel nunquam conſtituuntur Priores, tum quia maioribus negotiis impliciti non ambiunt Prælaturas: tum etiam ratione ætatis iam prouectæ; Prior enim robuſtæ debet eſſe valetudinis, & omnes Communitatis actus frequentare. expedit Priorem eſſe ætatis mediocris, ne ratione iuuentutis deſpiciatur, aut ratione ſenectutis officio ſuo nequeat ſatisfacere. Vir igitur ſupradictis dotibus præditus frequenter denominatur Proabbas ab Antiſtite iter facturo; ſi videlicet negotijs vrgentibus vltra quindenam abeſſe cogatur. Prior aliquando denominatur Proabbas, ſi qualitates habeat requiſitas. Poteſt ipſi delegari authoritas abſoluendi Monachos, & Conuerſos ab excommunicationis ſententia, quam inii-

inijciendo manus violentas in ſeipſos incurrerint, Gregorio IV. aut concedente aut declarante anno 1234. & ad petitionem Ciſtertienſium Innocentio IV. confirmante. Cæterùm, ne Priores aliquam exemptionem ſibi competere ſomniarent, ſi ipſis ſolis authoritas hæc eſſet delegenda, Alexander IV. ſtatuit, vt ab hac excommunicatione poſſet abſoluere quicumque Sacerdos ex commiſſione proprij Abbatis. Ita anno 1255.

1568 c. Proabbas ab Abbate ſolo eligitur, Monachis inconſultis. Non habet ratione officij ordinariam aliquam iuriſdictionem, ſed extraordinariã. Poteſt ex delegatione ea omnia, quę Abbas ex officio. Non ſedet in loco Abbatiali, ſed in proximior iubere poteſt in virtute obedientiæ, & obligare Religioſos ex vi voti emiſſi; tandem omnia illa præſtare, quæ iuridicè poteſt Prælatus.

Varijs nominibus in varijs monaſteriis appellatur, aliàs *Præſidens*, aliàs *Vicarius*, *Commiſſarius*, nonnunquam, Proabbas ſæpiùs: nomina ſunt diuerſa, ſed perſonam eamdem deſignant.

Ceſſat Proabbatis authoritas, ſimul atque Abbas reuertitur ad monaſterium, quo pręſente non eſt opus Proabbate. Quid ſit reuerti. Vide *numero 1579*.

1568 f. Proabbatis (vel vt ipſi loquuntur *Præſidis*) denominatio apud Hiſpanos frequens eſt, apud Belgas, & Germanos non item: nec ideo venit cõdemnanda; contingit enim aliquos eſſe bonos Priores, indignos tamen Abbatiali dignitate. Faciliùs eſt regi, quàm regere; Prior pręſente Abbate regitur, abſente regit; igitur ſi Prior talis ſit, qui regere non poſſit. Proabbas eligatur, cui ſubſit Prior, Supprior, & vniuerſi Conuentuales. Vide *n. 739*.

COADIVTOR.

1569 IN prouinciis, quæ Abbates habent perpetuos, reperio Coadiutores. Adiutor eligitur eodem prorſus modo quo Abbas, vel Monachorum vocibus, vel fauore Monarchæ.

Ex vi ſui officij actualiter nullam authoritatem habet. Non ordinariam; quia hæc eſt penes vnum & ſolum Abbatem. Non delegatam, quia ex ei electionis nulla ei authoritas ſeu conceditur ſeu delegatur. Futurus eſt tamen, ſi ſuperuiuat, monaſterii Abbas.

1570 Non tenetur Abbas, qui Coadiutorem habet, illi aliquam authoritatem ſpiritualem aut temporalem delegare: non poteſt tamen, Coadiutore prætermiſſo, pro tempore abſentię ſuæ denominare Proabbatem, quia illi ratione ſui officii incumbit onus Abbatiale, cũ Ordinarius moraliter aut phyſicè deuixerit. Deuiuere dicitur phyſicè, qui moritur, moraliter, qui vel in perpetuum reſignat, vel in perpetuum delegat. Ergo huiuſmodi Antiſtes, vel nemini Abbatialem authoritatem deleget, vel Coadiutori; Ratio eſt, quia ſicut nec alteri reſignare, ſic nec alteri delegare eam poteſt. Coadiutor ex vi ſui officii non debet habere eminentiorem gradum, niſi aliter Antiſtes diſpoſuerit, dans operam ciuilitati.

1572 Mortuo Abbate Coadiutor debet à Communitate admitti, & priuſquam admiſſus fuerit, inſtallari non poteſt. Patet, quia contingere potuit eum poſt denominationem cõmiſiſſe crimina, quę reddant indignum, imò Abbatiæ incapacem. Communitas illum non poteſt non admittere ſine notabili cauſa. Hęc ſi ſit certa, Religioſi ad nouam electione procedant iuxta antiquos monaſterii mores, aut impetrãdo Cõmiſſarios

aula, vbi fieri conſueuit, aut addendo illas ſolemnitates, quæ in Prædeceſsoris electione ſubſtantiales & requiſitæ cenſebantur. Crimen certum eſt quod publicum: & tale, quod nulla tergiuerſatione celari poteſt. videlicet cùm vel in iudicio legitimo conuincitur, aut ita publicè & manifeſtè peccat, vt probabiliter excuſari non poſſit. Cùm de Coadiutoris ingenuitate dubitatur, poteſt Communitas admiſſionem ſuſpendere (& hoc frequenter practicatur) quouſque Coadiutoris vita examinetur, & à legitimis Iudicibus condemnetur, aut abſoluatur. Cõuictum Coadiutorem non tenebitur Communitas in Abbatẽ admittere, imò nec poteſt: quia ipſo cõdemnationis iure declaratur indignus. Si declaratur innocuus, tenetur Communitas ſtare electioni, & ipſum admittere in Abbatem.

PRIOR.

1573 PRæpoſitum noſter Lycurgus nominat, quem nos *Priorem.* Nomen Præpoſiti in aliquibus cœnobijs auita conuerſatio retinuit, propter venerabilem antiquitatem, in pluribus iam omnino exoleuit. Reperio etiam, ſed rarò, monaſteria in quibus ſunt Præpoſitus, Prior, Supprior, & Præſes. Apud Benedictinos ſunt Priores ſubditi, & abſoluti. Priores ſubditi illi ſunt, qui merè ſpiritualia tractant iuriſdictione delegata; abſolutus, qui de ſpiritualibus, & temporalibus poteſt agere ordinaria, & propria authoritate. Antiſtites Ciſtercienſium cœnobiorum Hiſpaniæ, (quæ Eremitoria à Martino Quinto Pontifice dicuntur, eò quòd in eremo ſint ædificata) in Obſeruantiæ inſtitutione, Priores, non verò Abbates vocabantur. Conſtat ex eiuſdem Papæ priuilegio conceſso anno 1426. ad petitionem Martini de Vargas Primi Reformatoris. Ibi numer. 12. ſic lego. *Vnumquodque dictorum Eremitoriorum, vel locorum aſſumendorum, ſuum per illius Monachos eligendum, & per eoſdem Fratrem Martinum, & Succeſſores confirmandum Priorem pro tempore habeat, per triennium dumtaxat in eius officio permanſurum, quo triennio elapſo ille, qui fuerat Prior, vel alius de nouo eligatur, & vt præmittitur, confirmetur.* Sub idem tempus plurima Sancti Benedicti cœnobia ſolùm erant Prioratus: Valliſoletanum non erat Abbatiale, conſtat ex priuilegio Eugenij IV. conceſso anno 1437. numero nono. ſic etiam alia. Succeſſu temporis ferè omnes Priores abſoluti donati ſunt dignitate Abbatiali. Idcircò non eſt animus de officio Prioris abſoluti diſſerere, quia vix ab Abbatiali diſtinguitur, præcipuè quà reſpicit Monachos, & ideò omnia, quæ de Abbatibus dixero, facili negotio abſolutis Prioribus aptabis. *Vide numer.* 740. & tene ex definitionibus latis in Capitulo Prouinciali celebrato in Bauaria anno 1595. vnam vel alteram periodum. *Priores, & Prioriſſæ prioratuum Conuentualium, quia Prælati ſunt, & Prælatæ, ſecundum poſt Abbates, & Abbatiſſas locum vbique tenebunt, & immediatè ſequentur: & quæ de illis ſtatuta ſunt, de ipſis quoque intelligi debent, tandemque in perſonas regulares ſibi ſubditas auctoritatem, & iuriſdictionem habent.*

TEX-

TEXTVS Cap.65.

De Præpoſito monaſterij.

1574 Sæpius quidem contingit, vt per ordinationem Præpoſiti, ſcandala grauia in monaſterijs oriantur; dum ſint aliqui maligno ſpiritu ſuperbiæ inflati, exiſtimantes ſe ſecundos Abbates eſſe, aſſumētes ſibi tyrannidē, ſcandala nutriunt, & diſſenſiones in congregatione faciunt, & maximè in illis locis, vbi ab eodem Sacerdote, vel ab eiſdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipſis etiam & Præpoſitus ordinatur. Quod quàm ſit abſurdum, facilè aduertitur; quia ab ipſo initio ordinationis materia ei datur ſuperbiendi; dum ei ſuggeritur à cogitationibus ſuis[a] exutum eum eſſe à poteſtate Abbatis ſui; quia ab ipſis eſt ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc ſuſcitantur inuidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, diſſenſiones,[b] extraordinationes; &, dum cōtraria ſibi inuicem Abbas, Præpoſituſque[c] ſentiūt; & ipſorum neceſſe eſt ſub hac diſſenſione animas periclitari; & hi qui ſub ipſis ſint, dū adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos reſpicit in capite, qui talis inordinationis ſe fecerunt authores.

a *Animæ ornamēta virtutes ſunt, quibus illa exuitur cùm negat Monachus obediētiam Prælato. Exutum dixit, qui exemptum dicere poterat, maluit exutum dicere, eò quòd Prior, qui ſe sōniat ab Antiſtitis iuriſdictione exemptum, gratiæ dotibus exuatur.*

b *Exordinationes vix Cicero diceret, vox tamen eſt ſignificantiſſima; Hiſpanè Deſordenes, exorbitantias.*

c *Legite & perpendite Domini Præpoſiti bene-morati. O quā difficile Præpoſituræ ſatisfacere. Non ſatisfacit adæquate ſue muneri prior cùm obedit Antiſtiti, & quoniam & hoc Religioſi particulares faciunt: idē velle quod abbes, bonū eſt, ſatis non eſt: nam ratione officij prior voluntatē ſuam Antiſtis arbitrio, & mentem ſuam eius dictamini ſubmittere tenetur. Notate bene hanc periodū, et me legite inferiùs diſp. 125. à n. 1580.*

Egi de authoritate prioris ſuprà numero 739. vbi curioſa aliqua, quæ poterunt multùm prodeſſe.

1575 b. Petis, An teneatur abbas præficere Conuentui digniorem: an ſufficiat dignum?

Reſpondeo, Abbatem Conuentum bene gubernare, qui dignis delegat ſuā authoritatem, illum malè, qui indignis. Eum, qui dignus eſt, ſufficientes habere qualitates, vt ſit Prior, conſtat expreſsè ex Regulæ c. 21. vbi, cùm aliquis Decanus obit aut deponitur, Abbati indicitur, vt in eius locum ſubroget non digniorem, ſed dignum dabo formalia verba, *Alter in loco eius, qui dignus eſt, ſuccedet.* & poſtea hanc ſanctionem etiam ad Priorem extendit, *Et de præpoſito eadem conſtituimus.*

1575 c. Petis ſecundò, An Abbas teneatur habere Priorem? Reſpondeo non teneri, quoties ipſe ſufficit regimini: quòd ſi ipſe vnus & ſolus non ſufficiat, committat curas vni aut pluribus. Ille vnus, cui delegatur Regularis authoritas

gubernandi moraliter, vocatur Proabbas: ille, cui committitur gubernandi pœnaliter, vocatur Prępoſitus ſeu Prior; illi autem plures, quibus eadẽ cura committitur, appellantur Decani.

1575 d. Petis tertiò, An Prior eligi à religioſis debeat, an à ſolo Abbate? Reſpondeo textum eſse clariſſimum & in vſu. Religioſi .n. debent omnino cõſuli, non tamen vocem habere deciſiuam ſed conſultiuam. Sic obſeruatur in Hiſpania ſic in Germania, ſic in Belgio, ſic in Gallia. Firmat hanc ipſam conſuetudinẽ regula, firmant definitiones, In Germanicis latis anno 1595. hęc habes. *Ipſi* (nempe Priores) *& cæteri Officiarij non eligãtur à Fratribus, ſed vt eſt in Regula, ipſos omnes Abbas deputet, & conſtituat ex conſilio Seniorum, qui de eorum moribus & capacitate teſtimonium certius dare poterunt. Priores, & Subpriores ſint in officiorum ſuorum functione ſolliciti: caueant id committere, quod in alijs reprehendere debent in correctionibus grauioribus vtantur cõſilio ſeniorum; & in ipſorum fratrum conuentu fideliter prudenterque regendo idem ſemper ſentiant cum Abbate ſuo, qui in eorum laboribus cognoſcendis memor erit, quod qui benè præſunt, duplici labore digni ſunt.*

DISPVTATIO CXXV.

De Prioris ſeu Præpoſiti authoritate & poteſtate.

1576 ABſoluti Prioris poteſtas ex Abbatiali eſt inueſtiganda, cui in omnibus ferè aſſimilatur. Prior ſubditus, eſt primus ab Abbate, & ratione ſui officij nullam ordinariam iuriſdictionem habet, delegatam habebit cũ placuerit Antiſtiti, & non aliter. De eius authoritate egi *diſput.* 52. *nu.* 740. vtile tamen eſt illa reſumere & penitiùs explicare.

CONCLVSIO I.

Prior abſente Abbate nihil poteſt præcipere in virtute ſanctæ Obedientię. Patet, quia ipſe non eſt Cęnobij Abbas; nec Proabbas, ſed ſolùm actuum Regularium Director; vnde illius præcepta ſunt merè pœnalia, nec obligant in interiori foro. Vide *num.* 739. Cæterùm, ſi Abbas pro tempore abſentiæ deleget ei Abbatialem iuriſdictionem, ipſe non ſolùm remanet Prior, ſed Proabbas, & poteſt in virtute obedientiæ præcipere iuxta ea, quæ ſuperiùs expendimus.

CONCLVSIO II.

1577 *Abſente Abbate leges morales poteſt condere, quæ obligent in conſciẽtia.* Patet; quia remanet Reipublicę illius caput, & ſubditi tenentur obtemperare Capiti iure Decalogi, cuius lex quarta indicit, vt filius obediat Patrifamilias, famulus hero, diſcipulus Magiſtro, & ſubditus ſuperiori. Hæc lex moralis non obligat ratione voti, nec ſacrilegus dicendus eſt, qui eam temerauerit. Lege num. 739. & vide quid in Comitiis Germanicis præſide Edmundo à Cruce Ciſtertienſium Abbate de hac materia reſolutum ſit. *Clauſtrales Priores auctoritate Abbatum ſuorum vel Superiorum Ordinis inſtituti, in his, quæ ad ſpirituale, & regulare regimen Monaſteriorum vel Commendatorum, vel alijs Eccleſijs vnitorum pertinent, vel etiam vbi pręſentes non erunt Abbates, eam quoque quam ipſi Abbates auctoritatem habent, prout illi ſacri Concilij decreto tribuitur, exceptis dumtaxat, quæ Abbatialis dignitatis ſunt. In omnibus ergo, quæ ad diſci-*

diſciplinæ Regularis obſeruantiam, & ad fratrum directionem pertinent, ordinandi, diſponendi, corrigendi, & puniendi auctoritatem habent, eiſque fratres obedire debent.

In Monaſterio N. abſente Abbate accidit infortunium grauiſſimum, quod ſciri non poterat ſine detrimento opinionis notabili: Prior in Capitulo interdixit ſub præcepto formali, ne quis illud narraret alicui. Petrus omnia & ſingula ſcripſit Ioanni eiuſdem monaſterij Religioſo alibi commoranti. Paulus eadem narrauit cuipiam ſeculari. Petitur, An peccauerint.

1578 *Dico primò* præceptum Prioris fuiſſe legitimum & obligatoriũ, ſupponimus enim fuiſſe honoris materiam, in qua ſilentium requiri ſciunt omnes qui Politica tractant.

Aſſero ſecundò vtrumque peccauiſſe mortaliter; Paulum quidem, quia ſecretum Reipublicæ euulgauit contra legem legitimam, iacturæ exponens Monaſticam authoritatem, miſerias enim Communitatis exteris, & peregrinis licere, ipſiſſimam infamare eſt: Petrum autem, quia licèt illud infortunium Confratri reuelauerit, reuelauit tamen Confratri non obſtricto Prioris præcepto, ac propterea expoſuit periculo ſecretum, ac conſequenter honorem totius communitatis.

Addo tertiò neutrum temerauiſſe votum, quia neuter Priori tenebatur obedire ex vi voti, ſed ex vi filiationis politicę; abſente enim Antiſtite Prior remanet Politicus Cœnobij Pater.

1579 *Petis*, Quidnam ſit eſſe Abbatem abſentem. An cenſendus ſit abſens quoties limina monaſterij tranſgreditur.

Reſpondeo. Præſentia duplex eſt; phyſica & moralis. Viſitator, v.g. præſens eſt phyſicè quamprimùm Monaſterium ingreditur, non tamen moraliter ſit præſens donec ſe præſentet in Capitulo, & à Religioſis admittatur. Non aliter Abſentia in phyſicam & moralem diuiditur. Abbas eſt abſens phyſicè, cùm nõ eſt ipſo Monaſterio, moraliter autem abſens eſt, cùm regulariter diſcedit, hoc accidit cùm Religioſus valedicit, & audito iter agentium ſuffragio, quod ab Hebdomadario ſolet dici, iter aggreditur. Ideo apud Hiſpanos Ciſtercienſes Prior remanet Paterfamilias Abbate ad Comitia Prouincialia egrediente; quia tunc diſcedit regulariter à Monaſterio, & moraliter cenſetur abſens. Si Abbas non egrediatur ſolenniter, cenſendus moraliter remanere, nec dicendum eſt Priori accreſcere aliquam ſpiritualem authoritatem, quoniam hanc non habet præſente Antiſtite, vt hucuſque explicauimus.

In varijs Monaſteriis, pro gentium moribus, variæ ſunt in Abbatum diſceſſu ſolennitates. Dico igitur illum Antiſtitem abeſſe moraliter, qui valedixit ſuæ Communitati, & ab ea iuxta Regularis ciuilitatis regulas dimiſſus eſt: aliàs abeſſe ſolùm phyſicè, moraliter autem remanere.

Petis ſecundò. Quando Abbas moraliter reuerti dicatur. Opinor moraliter eſſe reuerſum, vel cùm ſolenniter rediens recipitur, vel cùm ſine ſolennitate reuerſus præſidet in primo actu Communitatis. Ergo licèt domi ſit realiter, non eſt cenſendus moraliter præſens quouſque ſe publico conuentui in aliquo actu Communitatis præſentauerit.

CONCLVSIO III.

1580 *Nihil poteſt facere contra Abbatis ſui voluntatem*. Aſſertionem explico, & confirmo. In Monaſterio N. iuſſit Abbas veſperas hora ſecunda cantari, aſſero. Priorem ante Abbatis obitum non poſſe iubere quod cantentur hora tertia, ſed poſt Abbatis obitum poſſe ſine ſcrupulo tempus ab eo præfixum mutare. Ratio eſt clariſſima.

Ideo Abbate ſuperſtite non poteſt quid quam decernere contra Abbatis ſanctionem, quia ſolùm habet authoritatem delegatam, nec cenſendus eſt Abbas Priori delegaſſe poteſtatem inuertendi ſuas leges: vnde quidquid Prior contra Abbatis ſanctionem efficit, præſtat ſine authoritate, non ſecus ac ſi eſſet Monachus particularis. Cæterùm mortuo Antiſtite ceſſat authoritas ab ipſo delegata, & tota remanet apud Communitatem, quæ tenetur Priorem tolerare, ſi extet aliqua lex obligatoria; puta lata à Generali Capitulo, & à Cōmunitatibus acceptata. Ergo poſt Antiſtitis obitum ſi Prior toleretur, fruitur authoritate delegata, non ab Abbate, qui ſupponitur defunctus, ſed ab Ordine aut à Communitate. Obligatur igitur Communitatis, & Ordinis legibus, non verò decretis Abbatis iam defuncti. Hæc doctrina maximè neceſſaria eſt, nam aliqui Priores legibus Communitatis prætermiſſis malunt ſequi ſtatuta Antiſtitis antecedentis, in quo bifariam errant, primò obedientes ſanctionibus iam obſoletis, & illegitimis, ſecundò temerando legitimas conuentus leges.

CONCLVSIO IV.

1581 *Abbati præcipienti, vt faciat iniuſtè aliquam actionem ſui officij, tenetur Prior non obedire: eandem actionem non poteſt omiſſis iniuſtis circumſtantijs validè facere.* Legant hæc attentè, qui habent authoritatem delegatam, quoniam hæc doctrina conuenit vniuerſis. Abbas iuſſit Priori vt in officio publico Matutinas omitteret, Oeconomo vt contractum aliquem illegitimè iniret: & huiuſmodi alia.

Dico primò, Priorem & Oeconomum teneri non obedire.

Secundò, nec Priorem poſſe iubere vt dicantur Matutino illa die, nec Oeconomum poſſe legitimum contractum facere. Ratio eſt clariſſima, quia Prior curam gerere debet officii diuini, dum Abbas ei delegat authoritatem: qui verò iubet ne cantentur Horæ, non eſt cēſendus delegare poteſtatem conuocandi ad chorum ſuam Communitatem. Prior igitur in tali caſu ſe gerat vt Monachus particularis, ſit paratus venire ad chorum cùm fuerit vocatus: faciat illa omnia, quæ faciunt prudentes Conuentuales, & ſciat ſe quà Monachum multa poſſe præſtare contra Antiſtitem in tali caſu, ſed quà Priorem nihil: quoniam tota Prioris authoritas delegata eſt, & pendet à voluntate delegantis, maximè cum Regulæ cap. L X V. indicatur, *Vt Præpoſitus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate ſuo ei iniuncta fuerint, nihil contra Abbatis volūtatem aut ordinationem faciens.* Hinc lux præcepto, quod aſſerebatur fuiſſe Oeconomo impoſitum. Si is habet cōmiſſionem faciendi contractum ſub tali conditione, non habet commiſſionem contrahendi aliter: ergo ſi conditio iniqua ſit, à contractu abſtineat, cùm non habeat commiſſionem aliter cōtractum ineundi.

Confirmat hanc Reſolutionem textus expreſſus noſtræ Regulæ, *Omnia*, ait D. Benedictus cap. 31. *quæ ei* (nempe Cellerario) *iniunxerit Abbas ipſe habeat ſub cura ſua; à quibus eum prohibuerit, non præſumat.*

CONCLVSIO V.

1582 *Abbati præcipienti aliquid probabiliter, priuatus Religioſus poteſt non obedire: Prior autem debet obtemperare.* [Fortè quoad priuatum Religioſum aliquid ſtrictius dicemus ſub finē cum caput Regulæ LXVIII. calamo ſecundo exponamus.] Vt hanc aſſertionem intelligas, adnota dari plurimos caſus in quibus probabilitas liberat ſubditum priuatum ab obediendi obligatione, è quibus duo præcipui ſunt. *Primus*,

mus, cùm eſt probabile Abbatem eſse intruſum. *Secundus*, cùm Abbas eſt legitimus, præcipit tamen aliquid, quod probabiliter eſt iniquum. In vtroque caſu particularis Monachus poteſt ſequi opinionem alterutram, & ſi ſubſcribat parti ſeueriori, poterit non obtemperare: Ratio eſt, quia cùm ſententiæ ſunt merè probabiles neminem obligāt: ergo ſublato ſcandalo poteſt priuatus Religioſus ſubſcribere alterutri iuxta ea quæ probaui ſuperiùs *diſp.6.n.51*.

In vtroque tamen caſu Prior obedire tenetur, & probatur primò quoad priorem caſum, quoniam Religioſus, cùm admittit Prioris officium ab Abbate probabiliter intruſo, ſubſcribit ſententiæ aſserenti eum eſse legitimum Antiſtitem, quia ipſummet admittere officium eſt confiteri ſuperioris legitimam authoritatem: Prior igitur, quia prudenter ſentit Abbatem ſuum eſse legitimum, non poteſt non obtemperare, nec poteſt ſubſcribere opinioni contrariæ quamdiu officium retinet & vtitur authoritate delegata.

In ſecundo etiam caſu, non obſtante probabilitate iniquitatis, Prior obedire tenetur: quia poteſt, quis cedere iuri ſequendi opinionem alterutram, & poteſt ſe obligare ad vnam partem. Sic in Conceptionis Marianæ controuerſia, licèt vtraque pars ſit probabilis, laudabiliter ſe multi obſtringunt iuramento & vouent ſentire & docere ſecūdum pientiorem opinionem. In probabili vitæ diſcrimine etiam ſi licitum ſit ſibi proſpicere: hoc tamen non poſsunt facere Miles, Magiſter infirmorum, Abbas, Medicus, & alij ſimiles, quia ceſserunt ſuo iuri: iddoque Miles tenetur aduerſarios aut expectare aut odoriri etiam cum probabili periculo vitę: Magiſter infirmorum & Medicus cùm officium admittunt, etiam immunitati ſuæ cedunt, debentque adſiſtere ægrotis grauiter laborantibus; Abbas etiam tenetur aut mitram deſerere, aut nullum deſerere, imitans archimandritam Chriſtum, qui expoſuit vitam ſuam pro ouibus ſuis; ſed de hoc vberiùs numero 560. *& deinceps*. Sic ſimiliter Prior, cū Officium admiſit, ceſſit iuri habendi indifferentiam opinionum, & obligauit ſe ad ſubſcribendum Abbatis ſui ſententijs. Primò, quia Abbas & Prior moraliter ſunt vna perſona, & qui admittit Prioris officium inuehere non debet in vnam & eandem perſonam contradictionem voluntatum. Secundò, quia Prior tenetur obedire Antiſtiti ſecundùm Regulam, & hæc pręcipit ne Prior habeat dictamen diuerſum à dictamine Abbatis. *Suſcitantur*, ait D. Benedictus Capite 65. *inuidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, diſſenſiones, exordinationes; vt dum contraria ſibi Abbas, Præpoſituſque ſentiunt, & ipſorū neceſſe eſt ſub hac diſſenſione animas periclitari*.

1583 Hinc conſtat miſerè oberrare Priores illos, qui non ſequuntur ſuos Abbates, quia arguentur de proditione, infidelitate, ingratitudine atque inciuilitate. Sequitur miſeriùs oberrare Antiſtites, qui huiuſcemodi Priores ſuſtinent & permittunt.

Hæc omnia, quæ de Priore dixi, aptētur Reliquis Communitatis Miniſtris, quia etiam delegata authoritate vtuntur, & ordinariam nullam habent. Decani, Cellerarius, Oeconomus, in probabilitate opinionum tenentur moraliter ſubſcribere ſententiæ Abbatis: contrauenientes peccabunt grauiter aut leuiter iuxta materiæ quantitatem.

1584 *Obijcies*. Habere hanc vel illam opinionem eſt actus merè internus, nec ſubeſt Antiſtitis iuriſdictioni, ita reſolui ſuperiùs *num.* 38. dicens actiones ſpirituales, & merè intrinſecas homini ſubiectas non eſse: ita numero 42. vbi expreſsè aſserui neminem poſse cogi, vt certam aliquam opinionem ſequatur. Malè igitur & inconſequenter aſseritur, Priorem, Suppriorem, Deca-

nos, Receptorem, Oeconomum, in probabilitate opinionum teneri ſequi opinionem Abbatis.

Inſtantia apparet fortis, non vrget tamen. *Primò*, quia ſi probabilitas ſit de iuriſdictione, nempe ſi Abbas habeat authoritatem merè probabilem, debent ei obedire quicumque eum confitentur Abbatem: Miniſtri prænominati id cōfitentur, quia qui ſe aſſerit habere authoritatem delegatam, debet etiam aſſerere dari Abbatem delegantem. Contradictoria ergo admittit Præpoſitus, Decanus, aut Oeconomus, qui aſſerit ſe habere huiuſcemodi officium, & addit Abbatem eſſe intruſum.

Secundò, Si Abbas aſſeratur legitimus & probabilia imperet, imperat ſibi ipſi non alij: quia ipſe & Miniſtri ſunt moraliter eadem perſona: vnde ſicut Petrus peccaret, ſi contra dictamen Rationis etiam purè probabile operaretur; ſic etiam Præpoſitus, qui quà talis non habet dictamen proprium, ſed delegatum ab Abbate: ergo quale Abbas delegauerit tale debet habere, ac proindè peccat ſi operetur contraria: quoniam operatur contra legitimum dictamen.

Hinc argumēto lux & dubitationi ſatisfactio. Habere hanc vel illam opinionem eſt actus merè internus, concedo: ergo non ſubeſt Antiſtis iuriſdictioni, diſtinguo, Antiſtitis indicētis ſibi nego: indicentis alij, concedo. Homo .n. actus internos alij non poteſt indicere; ſibi poteſt, imò de facto indicit quoties decernit talem ſententiam eſſe habendam. Ergo ſicut poſito Rationis decreto indicenti talem ſententiam eſſe eligendā, non poteſt phyſicè eſſe in eodem homine phyſico contrarietas dictaminum; Sic ſimiliter poſito Abbatis decreto opinionem A, eligenti, non poteſt moraliter dari contrarietas dictaminum in eodem Abbate morali; atqui omnes, qui delegatam authoritatem habent à delegante Abbate, moraliter ab eo non diſtinguuntur: ergo.

DISPVTATIO CXXVI.

De authoritate Prioris, defuncto Abbate.

1585 PRioris authoritatem delegatam eſſe aſſerui, nec hoc in controuerſiam reuocabit ille, qui vel Regulam legerit. Capit. 65. decernitur ne à Communitate eligatur, ne fortè ſe putet eſſe ſecundùm Abbatem: ſed denominandus dicitur à ſolo Antiſtite. Hanc ob rem ſtatim poſſes dubitare, An Abbate defuncto ceſſet tota Prioris & Adminiſtrorum authoritas? Reſpondeo quęſtionem hanc duplici poſſe modo exponi. Primò ſupponendo in Cōmunitate eſſe viros prudentes, nullum diſcolum, omnes ſanctos; & hac ſuppoſitione præmiſſa Prioris authoritatem ex natura rei debitam conſiderabimus. Secundò ſupponendo è contrario optimas congregationes habere næuos ſuos, & quid in tali caſu poſſit aut debeat fieri, nec diſcoli præualeant, Hypotheſis altera explicabit. Sit igitur

PRIMA HYPOTHESIS.

1585 b. Quæ viſa mihi fuit olim vna & ſola tenenda, quia turbatas Communitates non videram, putabamque viros probos, & pios Abbate mortuo conſeruare legitimum etiam dictamen, adeoque ſtando nudæ Regulæ pręſcindendo ab omni limitatione, & ſupponendo nullam ſubeſſe limitandi cauſam, men-

mentem meam Concluſionibus ſequentibus dilucidaui.

CONCLVSIO I.

Mortuo Antiſtite ceſſat ex natura rei tota Prioris authoritas quà ab ipſo delegata. Hoc tam clarum eſt, vt contrarium ſit improbabile.

Hæc concluſio eſt contra Syluestrum *verbo Prælatus* § 3. & noſtrum Llamas 1. *parte Methodi cap. quinto* §. 15. aſſerentes, Vicarios & Priores mortuo Abbati ſuccedere tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus. Dicunt, ſed nec leuiter probant. Puto ipſos loquutos in ſecunda hypotheſi, quam ſtatim ponemus.

1586 Vt autem concluſio liquidiùs innoteſcat, adnotato alibi Abbates à Communitate, alibi à Generali Capitulo denominari: alibi illi ipſi, qui Abbatem eligunt, eligunt & Priorem. Si hoc vltimum fiat, expreſsè violatur Regula, quæ contrarium diſponit, *Sunt aliqui*, ait Cap. 65. agens de Priore, *maligno ſpiritu ſuperbiæ inflati, exiſtimantes ſe ſecundos Abbates eſſe, aſſumentes ſibi tyrannidem ſcandala nutriunt, & diſſenſiones in congregatione faciunt, & maximè in illis locis vbi ab eodem Sacerdote, vel ab eiſdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipſis etiam, & Præpoſitus ordinatur. Quod quàm ſit abſurdum facilè aduertitur, quia ab ipſo initio ordinationis materia ei datur ſuperbiendi*. Ideò ſi ſine titulo legitimo fiat, inualidè fit, & Prior nec Abbate ſuperſtite nec defuncto habet aliquam authoritatem: omnia mandata ipſius naſcuntur ex mera violentia, & tyrannide. Sine titulo legitimo, Abbatis electores Priorem eligunt, vbi hoc non faciunt ex vi Priuilegij Pontificis, aut conſuetudinis immemorialis. Si legitimè Prior creetur, & confirmetur à quibus Abbas, tenebit reſolutio Sylueſtri & noſtri Llamas; quia ſic ab Abbate nullam authoritatem participat, ſic nulla deſtituitur cùm Abbas deponitur, diſcedit aut deuiuit. Cæterùm in tali caſu nõ creſceret Prioris iuriſdictio obiectiuè (non enim plura poſſet præſtare quàm anteà) ſed eadem poſset pręſtare abſolutè, quæ anteà ſubordinatè. Vnde ſi Electores dederint ipſi moralem authoritatem, morali fungetur poſt Antiſtitis obitum; pœnali verò, ſi pœnalem. Nulla tamen ob merum obitum Abbatis illi adcreſceret authoritas, quæ vota ſolennia reſpiceret, aut Eccleſiæ claues; eſſet tamen per accidens Paterfamilias, & eius iuriſdictio, & poteſtas inniteretur in quarto pręcepto Decalogi. Hæc etiam locum habent in alijs ordinibus, qui habent Priores ſuffragijs deciſiuis electos & habentes ordinariam iuriſdictionem. Vt igitur de Benedictinis agam, ſi Aquicinctenſe excipiam, de quo in meæ Libræ numer. 123. non ſcio dari Monaſterium cuius Prior habeat authoritatem ab alio quã à ſolo Abbate, & delegatam quidem ac reuocabilem ad delegantis voluntatem; ideò ſiue Abbates à Capitulo eligantur, ſiue à Conuentu, ſiue ab vtroque. Prior iuxta Regulæ decretum ab vno Abbate eligitur, qui ſi hac de re ſuos conſulat, non tenetur eos ſequi. Hinc eſt quod abſente Abbate maneat Prioris authoritas, quia & Abbas delegator manet; mortuo tamen, depoſito, aut cedente, Prioris authoritatem deſinere neceſsariũ eſt, quia delegatus deſinit cùm ceſſat officium delegantis.

1587 Obiicit Llamas Definitionem Ciſtertienſem Obſeruantię Hiſpaniæ, vbi habetur, vt ait citato loco, quod Prior Abbati abſenti (& à fortiori, mortuo) ſuccedat in omnibus tẽporalibus & ſpiritualibus, exceptis his, quæ Abbatiali dignitati ſunt ſpecialiter conceſſa.

Sed hæc definitio non vrget: Primò, quia cùm Prouincialis ſit, firmat regulam in contrarium, vnde admittens eã in eo ſenſu quo noſter Llamas explicat, arguo

arguo ſic. Ideò apud Hiſpanos Prior authoritatem ſpiritualem, & temporalē Abbate abſente aut mortuo habere aſſeritur, quia ſic decernitur Prouincialis Capituli definitione:ergo ſi hoc à Capitulo non decerneretur, Prior non haberet. Ergo in omnibus Monaſterijs in quibus lege Comitiorum expreſsè non ſtatuitur, Priorem habiturum eſſe authoritatem poſt Abbatis obitum, Prior poſt mortem Abbatis nullam habet.

Præterea nec in Hiſpania Prior ſuccedit Abbati defuncto in omnibus ſpiritualibus aut temporalibus, ſed ſolùm in his, quæ cum dignitate Abbatiali non ſunt neceſſariò connexa. Cæterùm, imponere præcepta obedientiæ eſſentialiter eſt connexum cum Abbatiali dignitate; & ideo abſente Abbate aut defuncto non poteſt Prior imponere talia præcepta. Et hæc eſt ſententia omnium Hiſpanorum, ſic Nouitij in omnibus Monaſterijs inſtruuntur, ſic à Magiſtris meis fui edoctus, ſic vidi vbique practicari. Torquet igitur Llamas verba definitionis contra obſeruantiæ praxim, interpretationemque communem.

At quia diximus eſſe veroſimile quod Llamas, & Syluester loquuti ſint in ſecunda hypotheſi, dicamus etiam Hiſpanorum Ciſtertienſium definitionem illam eodem referendam, & iuxta tradenda in hypotheſi ſecunda explicandam.

1588 Omnem curam, & adminiſtrationem competere Conuentui ſede vacante tradiderūt Doctores illuſtriſſimi. Sit Anteſignanus Panormitanus Abbas, qui cùm Benedictinus fuerit, habet authoritatem ſummam in decernendis huiuſmodi difficultatibus. Ipſe igitur *Lucernæ Iuris cap. ea quæ de ſtat. Monach.* ſic ait. *Nota ſingulariter hanc ſolutionem. Et ſic videtur temperandum dictū Archidiaconi in cap. 2. de teſtam. lib. 6. vbi ſimpliciter dicit quod Monaſterio vacante datur Adminiſtrator: & allego pro hoc Innocentium in cap. Cùm dilectus, de conſuetud. vbi ſpecificè loquēs de Monaſterijs dicit Capitulum ſuccedere, vacante Monaſterio, in adminiſtratione. Ad idem adduco text. in Clement. Ne in agro. eodem tit. & capit. Si de regul. libr. 6. & tenet Lau. & poſt eū Ioannes de Lign. in d. Clement. Ne in agro. vbi dicit Conuentum ſuccedere in adminiſtratione. Et ſic ſatis poteſt teneri præcedens diſtinctio Ioannis Andreæ, vt regulariter ſuccedat Capitulū in tēporalibus.* Spiritualiū etiā curā Capitulo tribuit, verùm non omniū, quia multarum rerum ſpiritualium curam non poteſt gerere capitulum, cùm hæc ſit conceſſa ſoli Abbati: talia ſunt, audire confeſſiones, denominare confeſſarios, reſeruare caſus, &c. Poteſt tamen habere curam vt officium Diuinum debitis tēporibus congrua ſolennitate concinatur, Miſſæ legantur horis competentibus, vota ſeruentur, & nihil irreligioſum committatur. Accinunt Panormitano Laurentius Forrerius *in diſp. de Abbatib. cap. 1. theſi* 15. Gaſparus Denichius *de iure perſ. theſi* 124. Romanus Haij *in Aſtri inextincti quæſt. 7. numer. 77. & deinceps*. Aſcanius Tamburinus *de iure Abbatum tom. 2. diſp. 1. quæſt. 4. num.* 5. Sylu. *verb. Prælatus. num. 2.* Ioannes Trull. *de Canon. Reg. lib. 2. capit. 17.* Bidermanus *diſp. de cēſur. theſ. 10.* & Layman. *in qq. Can. de Prælat. elect. quæſt.* 46. Pro Ciſtertienſibus *vide nu.* 1597. *c.* Sed, & hi ipſi authores non videntur conſtantes; multa enim in eis lego, quæ huic opinioni proſint, multa quæ videantur contraria.

CONCLVSIO IV.

1588 b. *Sede vacante Ordinaria authoritas nō tranſit ex natura rei ad Abbatem Patrem*, hoc eſt, *non tranſit ad Abbatem Monaſterij ex quo illud vacans proceſſit*. Verbi cauſa. Vacantis

Cla-

Claromariſcenſis authoritas ordinaria non tranſit ad Claræuallenſem.

Ad huius concluſionis intelligentiam, nota iuriſdictionem eſſe duplicem; propriam, & delegatam. Illa competet alicui ex iure ſeu ex natura rei; hæc ex commiſſione. Propria diuiditur in ordinariam & extraordinariam: illa regimen ordinarium, & quotidianum reſpicit, hæc viſitationes & alios extraordinarios caſus. Ordinaria ſemper immediata eſt. Extraordinaria in genere authoritatis mediata eſt, quoniam immediatior eſt ordinaria. In genere extraordinariæ diuiditur in mediatam & immediatam. Illa competit Claræuallenſi reſpectu Claromariſci, hæc Ciſtertienſi reſpectu eiuſdem Claromariſcenſis Monaſterij. Certè reſpectu Claromariſcenſium Claræuallenſis Abbas habet extraordinariam immediatam authoritatem, quia in genere authoritatis extraordinariæ nullus eſt immediatior: Dominus Ciſtertienſis habet in Claromariſcum authoritatem extraordinariam mediatam. Ideò, mortuo Claræuallenſi, tempore ſedis vacantis, Dominus Ciſtertienſis per accidens habet authoritatem extraordinariam immediatam, quia inter ipſum, & Claromariſcum nulla extraordinaria authoritas mediat. Mortuo autem Domino Claromariſcenſi, Monaſterium hoc non ſubeſt magis immediatè Claræuallenſi Antiſtiti, quia ante illi immediatè extraordinariè ſubdebatur, nec ei ordinariè ſubijcitur, quia ſicut non datur Monaſterium biceps, ſic nec caput quod habeat duo corpora, idem enim Abbas non poteſt eſſe ordinarius duabus Communitatibus. Ergo dicendum eſt morte Claromariſcenſis D. Claraualenſem non accepiſſe nedum per accidens nouam authoritatem, ſed occaſionem exercendi antiquam.

1588 c. Hinc intelligenda Charta charitatis, in cuius Capite 4. hæc lego. *Si qua domus noſtri Ordinis fuerit deſtituta Abbate, Maior Abbas de cuius domo illa exiuit, omnem curam ordinationis habeat domus illius, donec in ea Abbas alius eligatur.* Ordinationem vocant Abbatis electionem, vt vterentur Benedictino Lexico: ſic enim debet dici, vt conſtat ex Capite 64. ſanctæ Regulæ cui Epigraphe, *De ordinando Abbate*, hoc eſt, *eligendo*. Eodem ſenſu ſumit D. Gregorius Papa hunc vocem *Ordinare*, vt videre poteris. Volebant aliqui hæc verba retorquere contra ſancientium mentem & à vitam omnium traditionē; idcircò nequis crederet præterea quæ futuri Abbatis electionem tangunt, poſſe Abbatem Maiorem alia præſtare in illo vacante Monaſterio. Generale Capitulum æterna conſtitutione definiuit periodum prædictam de Cœnobij ordinario regimine non eſſe interpretandam. *Licèt ergo continuatur in Charta charitatis prædicta quod ſiquá domus eiuſdem Ordinis Abbate proprio fuerit deſtituta, Maior Abbas, de cuius domo illa exiuit, ordinationis eius habeat omnem curam, donec in illa Abbas alius eligatur, &c. Hoc autem ex conſuetudine, & vſu dicti Ordinis generali ſic interpretandum duximus, vt videlicet adminiſtratione vocantis Monaſterij remanente penes Conuentum eiuſdem domus; ſiqua fortè emerſerint difficilia, propter qua Ciſtertium ad prædictos quatuor primos Abbates, vel aliorum Monaſteriorum Conuentus ad ſuos Patres duxerint recurrere; dicti Abbates ipſi curam habeant, & diligentiam in conſilio & auxilio poſtulantibus, prout eorum requiret neceſſitas, impendendo. Et licèt adminiſtiationem penes ſingulorum Monaſteriorum vacantium Conuentus ſecundum morem ſeruatum hactenus, diximus remanere; ſigillum tamen prædicti Monaſterij Ciſtertij, eo vacante. Prior ipſius Monaſterij cuſtodiat conſignatum & clauſum ſicut hactenus fieri conſueuit. In alijs verò Monaſterijs vacantibus ſigilla eorum Pa-*

tres

tres Abbates (nempe Maior & vacantis Monaſterij filij) *ſigillis aliquorum Abbatum ſignata teneant & incluſa*. Hucuſque Liber definitionum *diſt*. 1. *c*. 2. ex Clementis IV. diplomate.

CONCLVSIO III.

1588 d. *Monaſterij vacantis ordinaria authoritas non tranſit ad Epiſcopum, nec ad Cathedralem Eccleſiam, licèt illud exemptum non ſit.* Ita Romanus Haij *num*. 59. *&* 78. *diſp*. 7. Et perſuadetur omnibus rationibus, quas huc uſque expedimus, confirmabiturque verbis S. Gregorii, quæ habentur *capit. Abbas in Monaſterio* 18. *quæſt*. 2. *& libr. quarto Epiſt*. 43. ſcribens Caſtorio Epiſcopo Ariminenſi ſic ait. *Luminoſus Abbas Monaſterij SS. Andreæ, & Thomæ in Ariminenſis ciuitate conſtituti quas nobis lachrymabiliter preces effuderit, inditæ textus petitionis informat. Pro qua re Fraternitatem tuam hortamur, vt obeunte Abbate Monaſterij ipſius Eccleſia tua in deſcribendis prouidendiſque, adquiſitis adquirendiſque eiuſdem Monaſterij rebus nulla ſe occaſione permiſceat; Abbatem vero eidem Monaſterio non alium, ſed quem Dignum moribus atque actibus Monaſticæ diſciplinæ, communi conſenſu Congregatio tota popoſcerit, te volumus ordinare*. Nota obiter illud *dignum*, vt ſcias D. Gregorium in Monaſterio Benedictino non iuſſiſſe digniorem ordinari; quod proderit confirmandæ ſententiæ quam tenui *num*. 1506.

CONCLVSIO IV.

1589. *Mortuo Abbate ceſſat ex natura rei omnium Miniſtrorum authoritas*. Puta, Receptoris, Oeconomi, &c. Oſtenditur; quia omnes habent authoritatem delegatam, & hæc euaneſcit mortuo delegante.

CONCLVSIO V.

Tota temporalis authoritas ex natura rei debet manere penes communitatem. Colligitur euidenter ex dictis, quia Communitas, quæ eſt omnium rerum temporalium domina proprietaria, elegerat Abbatem, qui quà temporalia reſpiciebat erat bonorum legitimus adminiſtrator, nec non primarius & irreuocabilis Oeconomus, hoc defuncto remanet ſine bonorum adminiſtratore, & eligere debet aut Abbatis iam defuncti miniſtros, aut alios in eorum locorum ſubrogare. *Vide num*. 1588.

CONCLVSIO VI.

1590 *Poteſt Communitas conſiderata eiuſdem poteſtate ſecundum rei naturam, præcidendo à legibus & limitationibus, vacante ſede Abbatiali vendere, alienare, emere, & commutare quæcumque bona radicalia aut mobilia, quæ poſſet aliàs vendere de conſenſu Abbatis*. Eſt certa, quia eſt proprietaria Domina, & hæc omnia proprietarius facere poteſt.

Vtrùm poſſit dare literas dimiſſoriales, dixi ſuperiùs *num*. 571. *concl*. 5. *& nu*. 581. *concl*. 6.

CONCLVSIO VII.

1591 *Abbate mortuo ex natura rei ceſſat ferè omnis authoritas ſpiritualis*. Perſuadetur, quia ſi hæc permaneret, maximè apud Priorem; atqui apud hunc non remanet, quia nec Prior remanet; ergo. Prioris authoritatem mera morte Abbatis deſinere, iam probaui *Concluſ*. 1.

Dices. Abbatis authoritatem remanere penes Communitatem: ſed hoc eſt impoſſibile. quia aut remanet vt ordinaria, aut vt delegata: vt delegata remanere non poteſt, non enim extat delegans: ergo aut non remanet, aut remanet

vt ordinaria. Hoc non; ergo. Probatur minor. Primò, quia Communitas vix eſt capax talis authoritatis. Secundò, quia promiſimus omnes obedientiam Antiſtiti, nemo Communitati; ergo penes Communitatem non remanet authoritas præcipiendi aliquid in virtute obedientiæ: ergo hæc authoritas apud neminem eſt. Vid. *num.* 1588.

CONCLVSIO VIII.

1592 *Mortuo Antiſtite tenetur Cõmunitas quàm primũ eligere ſibi Præſidem ſeu Deputatum.* Patet, quia experimur ſumma inconuenientia dum morale corpus caret capite. Hic Electus nullam habebit authoritatem ſpiritualem; temporalem verò ad tempus, talem & quantam communitas velit illi committere.

CONCLVSIO IX.

1593 *Vacante ſede Abbatiali poteſt quicumque Religioſus eligere ſibi in confeſſarium, quemcumque Sacerdotem totius orbis terrarum.* Imò *id ipſum poteſt facere quotieſcumque iter agens aut in monaſterio degens nõ habet à ſuo Abbate legitimam limitationem.* Hoc ſecundum communiter ferè omnes. Cenſendus eſt habere limitationem ille, qui eſt in Monaſterio vbi ſunt Confeſſarij aliquot expreſsè, & nominatim deſignati; Abbas enim qui hos ſingulatim approbat, omnes alios excludit.

Probatur noſtra concluſio; quoniam omnes Sacerdotes ſunt eligibiles ab illo cui non deſignantur determinati confeſſarij: atqui mortuo Abbate nemo eſt qui confeſſarios approbet, nemo qui limitet: ergo à fortiori in tali caſu poteſt audiri ſacramentaliter à quouis Sacerdote.

CONCLVSIO X.

1594 *Eodem ſedis vacantis tempore non dantur caſus Abbati reſeruati.* Patet, quia ſicut præcepta, ita & reſeruationes omnes ceſſant moriente. Vnde & conſtat peccata reſeruata ab Abbate, & commiſſa ante mortem eiuſdem, poſſe à quolibet ſimplici ſacerdote remitti. Ratio eſt, quia mortuo Abbate nulla limitatio remanet, & non poſſe remitti, non ſolùm præterita, ſed & præſens limitatio eſt.

Eodem modo de ſede Epiſcopali vacante philoſophari oportet, quia omnes caſus, quos ſibi Epiſcopus reſeruat, ceſſant eodem moriente.

CONCLVSIO XI.

1595 *Caſus reſeruati ſtatuto Religionis vel Epiſcopus non ceſſant morte Epiſcopi vel Abbatis,* quoniam ſtatuta poſt mortem durant *cap. final. de offic. leg.* Sed abſolutio petenda eſt à ſucceſſore, vel à Capitulo Generali aut Epiſcopali ſede vacante; ita Piaſecius *in praxi nouiſs. Epiſc. part. 2. cap. 1. art. 3. nu. 21.* Gauantus *in Enchirid. verſ. Caſus reſeru. nu. 16.* Rubeus *in aphoriſm. Epiſc. verſ. Caſus reſeru. nu. 4.* Aegidius Trullench *in Bulla Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 2. num. 6.*

CONCLVSIO XII.

Caſus reſeruati ab Abbate ceſſant, qualitercumque ceſſet ipſe, hoc eſt, non ſolum morte ipſius, ſed etiam depoſitione, reſignatione, ceſſione, aut ceſſatione. Ita Iacobus de Granado *in 1. 2. Diui Thomæ conſtit. 7. tract. 1. diſp. 7. num. 6.*

Hucuſque diſcurrimus ſequendo primam illam hypotheſin, qua vrbanitas & benignitas mentem noſtram præuenerat. Progrediamur igitur, & ponatur

SECVNDA HYPOTHESIS.

1596 Nimirum Communitates conſtare ex hominibus bonis maliſque; adeo-

adeoque talibus, qui omnia turbent, & procellis confundant, ni compeſcantur ſeuera authoritate. nam dum mali volunt vniuerſa male agere, & illis volunt boni reſiſtere, perditur quies, & charitas, & fit multarum miſeriarum abortus. Sit igitur

ASSERTVM I.

1596 b. *Comitia Prouincialia quæ independẽter à Monaſterijs omnes Abbates nominant, decernere directè poſſunt quiſnam debeat in Monaſterio præſidere poſt obitum legitimi Abbatis.* Vnde Capitulum quod habet ius eligẽdi Abbatem, poteſt etiam deſignare Communitatis Præſidem tempore ſedis vacantis. Tale eſt Capitulum Generale Hiſpaniæ in quo eligitur Abbas Monaſterii de Palaçuelos, qui & obſeruantiæ Reformatur, item Complutenſis, & Salmanticenſis Collegii Abbates. Ergo & ab eodem Prouinciali Capitulo poteſt eorum Vicarius eligi, ſi eos obire contigerit ante Capitulum triennii ſequentis.

Cæterùm, in Monaſterio vbi Capitulum Generale aut Prouinciale non poteſt Abbatem eligere abſolutè, non video cur poſſit eligere directè Communitatis Præſidem defuncto Abbate: ideo reor omnia Capitulorum decreta, quæ Priorem aut quempiam alium Communitati acephalæ præficiunt pro vacantiæ tempore, debere bene examinari, & & ad indirectam poteſtatem reduci.

ASSERTVM II.

1596 c. *Comitia (Generalia aut Prouincialia ipſa ſint) quæ nequeunt denominare Abbates independenter à Monaſterijs, poſſunt imò & debent indirectè diſponere de regimine Monaſterij ſ de vacante.* Tale eſt Capitulum Generale, quod celebratur Ciſtertii; & tamen ſæpiùs decreuit Priorem manſurum, & gubernaturum vt anteà Anno 1618. ſic *Capitulum Generale declarauit morte Abbatum Officia Priorum non ceſſare, & ideò amoueri non poſſe per Conuentum; quod ita obſeruari mandat.* tale etiam eſt Prouinciale Germanicæ Congregationis, à quo Anno 1595. Edmundo à Cruce Abbate Ciſtertii Præſide ſunt decreta ſequentia.

Abbate defuncto Prior & Conuentus ſtatim eius obitum Patri ſuo Viſitatori immediato ſignificabunt, eumque rogabunt vt ad noui Abbatis electionem venire feſtinet, & Prior interim cum aliquot magis idoneis à Conuentu deputatis fratribus vacantis Monaſterij curam habebit, donec ille venerit, qui ſi fuerit impeditus, ſuas vices ad electionem faciendam Abbati Monaſterio vacanti viciniori committet.

Vbi monaſteriorum Protectores, eorum occurrente vacatione, ineis prætextu cuſtodiæ, & protectionis miniſtros ſuos, etiam milites præſidiarios cum maximis incommoditatibus, & damnis collocare ſolent, conceditur Conuentibus monaſteriorum huiuſmodi, vt in eo caſu non exſpectato ſuo Viſitatores nec eius Commiſſario abſque vlteriore dilatione ex ſe ipſis deligant vnum, qui præfatæ electioni præſideat, iuxta formam ab ordine præſcriptam & receptum, quod tamen citra præiudicium dicti Viſitatoris fiat. Deficiente verò Viſitatore, Vicarius Prouincialis locum & auctoritatem eius in omnibus ſupplebit.

Nemini liceat poſt mortem proprij Abbatis contra promiſſam ſtabilitatem in alio monaſterio profiteri, nam vt habetur in Regula, ſi ſuſceptus eſt in Congregatione, ſciat lege Regulæ conſtitutum, quod ei non liceat ex illa die de Monaſterio egredi, niſi contingente legitima cauſa ad certum tempus cum Præſidentis Monaſterij licentia, vt ex eadem Regula conceditur: & quiſque Religioſus debet obedientiam

ei

ei promitteret, quem ſanior pars in Abbatem elegerit, & ſuperior confirmauerit.

ASSERTVM III.

Nulla eſt Benedictina congregatio, quæ periculis proprijs docta, non tulerit aliquam ſimilem definitionem. Patet, & quidem diſcurrendo per ſingulas, nullam enim vidi, quæ ſimili decreto careat.

1596 d. Ex his Aſſertis Concluſiones nonnullas inferam, illis quæ in Hypotheſi I. ſunt poſitæ, materia ordine, & numero correſpondentes, vt meliùs differentia videatur.

CONCLVSIO I.

Mortuo Abbate ceſſat tota Prioris ſeu Præpoſiti authoritas quæ, ab ipſo delegata. At noua eidem Priori conceditur à Capitulo Generali, hoc eſt, ab Ordine vniuerſo. Prima pars optimè probata eſt, *numer.* 1586. nunc ſecunda ſuadetur. Quia mortuo Abbate illud monaſterium manet ſubditum iuriſdictioni Ordinis, & habet Præſidem Ordinis; qui Præſes (nempe Prior) vbi perdidit authoritatem ab Abbate emanantem (à defuncto nulla emanare poteſt) recepit extraordinariam ab Ordine & diſtinctam à prima.

CONCLVSIO II.

Sede vacante Ordinaria regendi Monaſterij authoritas non tranſit ad Abbatem Patrem, ſed ad totum Ordinem. Patet, quia huius intereſt prouidere ne in Monaſterio Abbate deſtituto aliqua inordinatio committatur.

CONCLVSIO III.

Monaſterij vacantis authoritas ordinaria non tranſit ad Epiſcopum, nec ad Cathedralem Eccleſiam licèt illud exemptum non ſit. Probatur *num.* 1588. *d.*

CONCLVSIO IV.

Mortuo Abbate ceſſat ex natura rei omnis Adminiſtrorum authoritas quæ ab Abbate deriuata: at manutenentur omnes ab Ordine, qui concedit illis nouā eamque diſtinctam authoritatem, ex vi cuius exerceant ſua officia, Priori tamē ſubordinati. Conſtat à rationis paritate: quia omnes rationes, quæ probant Prioris officium debere continuari, æquè probant debere etiam officia Oſtiarij, Magiſtri, Cellerarij, & aliorum.

CONCLVSIO V.

Tota temporalis circa expenſas ordinarias authoritas manet penes Priorē. Patet; quoniam ipſe Ordinis authoritate eſt Monaſterij Pater & Caput, & debet illud conſeruare & gubernare.

CONCLVSIO VI.

Poteſt Communitas, ſi accedat expreſſus conſenſus Ordinis, hoc eſt, Capituli Generalis, etiam ſede vacante vendere, emere, alienare & cōmutare quæcumque bona radicalia aut mobilia, quæ poſſet aliàs viuente Abbate; aliàs non poteſt. Patet: quoniam ipſa habet rerum verum dominium, & Abbatis defectum Ordo ſupplere poteſt.

CONCLVSIO VII.

Abbate mortuo ceſſat ex natura rei omnis ſpiritualis Abbatialis authoritas; at in Priore manet ſpiritualis patria, & præter hanc quæcumque alia à Capitulo Generali illi fuerit conceſſa. Conſtat clariſſimè ex ijs quæ ſæpe diximus.

CONCLVSIO VIII.

Mortuo Antiſtite non poteſt Communitas eligere ſibi Præſidem. Probatur. Quia cum iam habeat ab Ordine Præ-

Præſidem, nec duos habere poſſit, ſuperflua omnino eſset quæcumque adderetur electio.

CONCLVSIO IX.

Vacante ſede Abbatiali non videtur poſſe quemcumque Religioſum eligere, ſibi confeſſarium, ſed manſuros vltimò approbatos ab Abbate. Ratio eſt, quia credendus eſt Ordo manutenere omnia, quæ neceſsaria ſunt ad bonum regimen Communitatis, & quidem Confeſsariorum diſcretio omnino neceſsaria eſt.

CONCLVSIO X.

Sedis vacantis tempore non dantur caſus Abbati reſeruati. Hanc pono; quia reſeruationes non omnino commendo, præcipuè ſi frequentes, & inconſideratæ ipſæ ſint: non video tamen, cur non poſſit dici caſus Abbati reſeruatos manuteneri ab Ordine ob conuerſationem obſeruantiæ & modeſtiæ.

CONCLVSIO XI.

Caſus reſeruati ſtatuto Religionis vel Epiſcopatus non ceſſant morte Epiſcopi vel Abbatis. Quoniam reſeruationes durante, atqui moriente Epiſcopo aut Abbate nec Epiſcopatus nec Ordo moritur, ergo caſus ab Epiſcopatu vel Ordine reſeruati ab Antiſtitis morte non pendent. Vide *num.* 1594. *b.*

CONCLVSIO XII.

Caſus reſeruati ab Abbate, ceſſant qualitercumque ceſſet ipſe; hoc eſt ſi moriatur, deponatur, aut reſignet. Pateretur hæc Concluſio aliquam limitationem in Ordine, qui lege publica ſtatuiſſet contrarium. Vide *num.* 1594. *c.* ſed tunc eſſent caſus Abbati non ab ipſo Abbate, ſed à religione reſeruati.

Vtra ex his Hipotheſibus admitti debeat?

1596 e. Prima quidem, ſi in communitate multi docti, vuiuerſi prudentes, nulli diſcoli. Omnes ego tales credebam aliquando, ſed tunc temporis omnino imprudens, aut ſi mauelis inexpertus. Sancte Deus, quid eſt acephala communitas? concipio bene, doctus ſum verbo, exprimam; Confuſum ipſa chaos, ſanctorum ergaſtulum, & malemoratorum paradiſus. Legebam olim in Queuedo, Dæmonem quempiam Monaſterio præfectum, inducendarum tentationum incurium, remeaſſe ad ſuos ſedis vacantis tempore; quaſi præſentia ipſius eſset tēpore electionis ſuperflua, vbi enim diſſoluti permittuntur diſsolui, Dæmones ſunt neceſsarij. Ridebam viri nugatoris ingenium, maledicentiam condemnabam; at experientia didici, non malè ſed bene dixiſſe. Oportet equo indocili frænum poni, habenas communitati orphanæ, ne ille, ne hæc, temeraria reſolutione in præceps ruat. Igitur, quicumque in Reipublica authoritatem habeas, cura ne communitas mortuo antiſtite maneat irregularis, & ex lex; ſcias non eſse vel vnam, in qua non ſint aliqui viri boni ſancti & pij, qui tanto tempore debebunt macerari ſtultorum ineptijs, quanto illa careat capite. Multa dicturus eram, pauca dixi, prudenti enim ſufficiunt pauca, & paucis ego plura dixero cùm hunc librum recudo, vt aſseram omnia quæ in prima hypotheſi de ſede vacante ſunt dicta, eſſe ſpeculatiuè vera, falſa practicè. nulla enim in regione ideæ Platonis reperiuntur, nulla in prouincia circumſtantiæ, quibus ego communitatem Abbate carentem exornari putabam, vel inde deceptus, quod nunquam de quopiam mala ſuſpicer. Iſabella Belgarum Princeps multis diſplicuit, a quibus arguebatur quod eſset nimis bona: & ego quidem mihi ipſi diſplicio cum ea

re-

relego quæ de ſede vacante ſcripſi, & doleo quod nimis bonus fuerim, iudicans omnes eſse bonos, cum deberem ſupponere nullibi omnes eſse bonos, nec malos, ſed vbicumque bonos & malos immiſceri, & egere legibus, ne illi corrumpantur, ne iſti inſolentes fiant.

Nec contra hanc meam reſolutionem illa militant quæ de Abbatia Claro-maricenſi, & Aureæ-vallenſi proponi ſolent, in quibus videtur Communitas vacante ſede gubernaſse: non militant inquam contra hanc reſolutionem illa, quia & ipſa à diuerſis diuerſimodi ſolent narrari, & vt video vnuſquiſque hiſtoriam & veritatem attemperat affectui & tempori.

1597 *At dices*. Vbi iam tota illa dicendi conſequentia, quæ à Caramueliſtis iactabatur? hic hic eorum præcurſor recurrit & palinodiam cantat. Et reſpondebitur tuæ inſtantiæ Anguſtinum Caramuele doctiorē libros retractationum edidiſse, in quibus ſummam ipſe doctrinam oſtendit cum ſumma humilitatem coniunctam. vnde nihil contra Caramuelem, ſi quid leuiùs poſitum, ſecundo calamo grauiùs voluerit retractare. At additur nihil nunc dici, quod fuerit in prima editione negatum; nihil hodie negari, quod ante aſsertum. Loquebatur in vna hypotheſi Caramuel, impugnabatur in altera, nec intelligebatur ab hoſtibus, nec eos intelligebat. iam tandem logomachia ſublata omnia vera, & diuerſitas non eſt in doctrina ſed in communitatis ſtatu. Vel ſi adquieſcere nolis, in ſimili materia tecum ſulam. Peto à Te, An gladius iſte, qui Anſelmi eſt, debeat ipſi reſtitui? reſpōdes debere, ſi prudens ille ſit. Eſse amētem & furibundum addo; & iam non ſolùm non debere reſtitui, ſed debere non reſtitui concludis; nec tamen putas te mutaſse dictamen. Sic ego. Conſulebatur Caramuel, An Communitas deberet habere clauum regiminis defuncto Abbate? reſpondit ipſam eſse dominam, illi omnem authoritatem & poteſtatem temporalem ex rei natura debitam. Iſtas, omnem Communitatem acephalam amentem eſse, & ſummo expoſitam dementiæ periculo, & dicit, ne gladius iſti detur, etſi eius ſit, quo abuſura credatur; ſed pòtiùs cohibeatur aut iure, aut etiam vi, ne vim inferat, & bonos afficiat mertyrio & ſceleſtos permittat contra Deum & homines graſſari.

SVPPRIOR.

1598 Eligitur ſecundus Prior, qui primo abſente regat Communitatem. Eo præſente nihil poteſt diſponere, ſicut nec Prior præſente Abbate. Aliqua delegari ſolent Priori, aliqua etiam Suppriori, quibus ſuperiores non ſe immiſcent, non quia non poſſunt, ſed quia nolunt.

Hoc officium difficillimum eſt, habet occaſiones plurimas in quibus Religioſos torqueat, vix vnam in qua ipſis faueat. Si agitur de choro, in temerandis regulis regitur, ſi de recreatione, ab alijs gubernatur; præuari cantes tenetur punire, non poteſt præmio afficere diligentes. Rem fateor, Cenſeo Suppriorem non minori diſcretione indigere, quàm Abbatem.

Aſserunt vniuerſi Suppriorem carere iuriſdictione ordinaria, habere tamen delegatam: ſed à quo?

Putarunt aliqui Priorem Suppriori ſubdelegare authoritatem. Sed hæc ſententia erronea eſt, quia ſicut Prior authoritatem immediatè ab Abbate participat, ſic etiam Supprior, exercendam tamen Priore abſente.

Supprior cū vocatur *Superior*, neſcio an

an loquatur vrbanitas an adulatio, quoniam hoc nomen potiùs Antiſtiti adaptatur. *Præſes* nonnumquam dicitur, ſed circumſtantiæ ſunt notandæ; diminuunt enim ſignificantiam. Appellatur *Vicarius* aliquãdo, quòd abſente Priore non Prioris, ſed ſicut Prior vices gerat Abbatis; *ſicut Prior* conſultò dixi, quia is non habet moralem aliquam authoritatem, poteſt pœnitentias imponere, non autem obligare conſcientias, niſi fortè agat Patremfamilias abſente Abbate, iuxta ea quæ *num.* 739.

Supprior omnia poteſt pręſtare, quę Prior, ſi præſens eſſet: Idcirco omnia, quæ de Priore diximus, de Suppriore proportionaliter veniunt intelligenda.

DECANI.

1599 Communitatem in Decurias diuiſit S. Benedictus, quarum cuilibet vnum pręfecit, quem vocauit *Decanum*. Eccleſiaſtica vox eſt, pro qua Latini *Decurionem*.

Decani non denominabantur in Monaſterijs paruis, vt conſtat ex ipſamet Regula Cap. 21. aſſerente debere Decanos eligi, ſi congregatio fuerit maior.

Experientia probauit non expedire, quod ſint plures Præſides independentes, quales erant Decani; nam ſubordinatio ſumma Rempublicam perennem facit. Idcirco Decanorum exoleuit authoritas, & quæ olim per ipſos fiebant, hodie fiunt à Priore, & Suppriore.

TEXTVS. Caput 21.

De Decanis Monaſterij.

1600 Si maior *a* fuerit Congregatio, eligantur de ipſis Fratres boni teſtimonij, & ſanctæ conuerſationis, & conſtituantur Decani, qui ſollicitudinem gerant ſuper decanias ſuas in omnibus, ſecundum *e* mandata Dei & præcepta Abbatis ſui. Qui Decani tales eligantur, in quibus ſecurus Abbas partiatur onera ſua. Et non eligantur per ordinem, ſed ſecundum vitę meritum & ſapientię doctrinam.

Maiora *a*] *Occurrit hic difficultas, quanta, videlicet, debeat eſſe Congregatio, vt audiat Maior. Ioãnes de Turrecremata in expoſitione huius Capitis aſſerit quoſdã opinari eam dici Maiorem, quæ ad minus triginta Religioſis conſtat; & his ipſe ſubſcribit. Caterùm, facilis eſt reſolutio, dicendumque. Conuentuum alios eſſe incõpletos, completos alios, & hos ſubdiuidi in paruos, magnos, & maiores. Conuentus incompletus ille eſt, qui pręter Abbatem & Præpoſitum non habet integrã Decuriam Religioſorum: ideoque incompletus dicitur, quia Monaſticis Ordinationibus ſatisfacere non poteſt. Qui duodecim Religioſos, hoc eſt, Abbatem, Præpoſitum, & decem alios habet paruus dicitur, nec diuidi poteſt in Decanias. Qui in duas Decurias eſt diuiſibilis, magnus aſſeritur; maior, qui in plures. Benè igitur reſoluit Cardinalis, Conuentum, vt ſit Maior, debere habere vltra triginta Religioſos.*

Deca-

Decani b] *Decuriones olim eligendi erant ab Abbate, ex ipſis tamen Religioſis. Ex quibus? An ex Decuria ſola, an ex tota Communitate? Hoc ſecundum videtur æquius, quia poſſet contingere dari Decuriam in qua nec vnus requiſitas haberet qualitates vt reliquis reficeretur.*

Mandata Dei *omni humanæ voluntati debent præponi, ſed præter hæc remanent plurima merè arbitraria, in quibus, licèt priuatus Monachus poſſit probabilitatem ſequi, Miniſtri debēt ſequi vnam & ſolam Antiſtitis diſpoſitionem; vide ea quæ diſputatione præcedenti perſuaſi. [Fortè hæc ipſa probabilitas limitabitur inferiùs cum ſub finem Caput LXVIII. explicemus.]*

d *Non debet eligi in Decanum Senior, quia cani ſunt ſenſus hominis, & qui ſanctior eſt & prudētior, non debet intermitti quā iunior. Debetne Abbas Decanijs præficere digniores? Reſpondeo negatiuè, ſufficis enim vt poſt Decani obitum aut depoſitionem alter in loco eius, qui dignus eſt, ſuccedat.*

Caſſinenſes in huius Capitis expoſitione ſic inquiunt. *Non conſtituantur vlli Decani, qui moribus, & litteratura ſufficientes non ſint. Si qui autem inter Decanos reperiuntur, qui ad ſuum munus peragendum inſufficientes ob aliquam infirmitatem ſint, nullum habeant regimen: ſed cenſeantur, ſi fuerint emeriti: inter Decanos cum titulo, ſin minus, deponantur, & alij ſufficientes in eorum loco ſubſtituantur, qui omnes in ſtudio Regularis diſciplinæ ſint ſolliciti, & in corrigendis fratrum exceſſibus. Nec ad Prælatos deferant niſi grauiores exceſſus, vt ſuprà dictum eſt; qui ſuperiori medico indigerent, grauiter ipſi puniendi ſi ſecùs fecerint, etiam per diſpoſitionem, vt ad tale officium minus idonei.*

T E X T V S Ex Cap. 65.

An preſtet Monaſterium per Præpoſitum quàm per Decanos gubernari.

1601 Ideoque nos præuidemus expedire propter pacis charitatiſque cuſtodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monaſterij ſui: & ſi poteſt fieri per Decanos ordinetur (vt antè diſpoſuimus) omnis vtilitas Monaſterij, prout Abbas diſpoſuerit; vt dum pluribus committitur, vnus non ſuperbiat.

Verba hæc S. Bened. dubitationi propoſitæ ſatisfaciunt, ex quib. colligo ſubſequentes Reſolutiones. Prima. Si detur Religioſus dignus, qui poſſit præponi cæteris, ſine elationis aut ſoperbiæ periculo, qui ſciat fouere charitatē & inuigilare diſciplinæ, aptiùs & vtiliùs. Conuentus per Præpoſitum regetur, quàm per Decanos. Secūda; Si Prior ſit ſchiſmaticus, ſuperbus, elatus, ſuſpicioſus, rixarum author, & fautor diſſenſionum; ſi habeat proprias opiniones, etiā ſi probabiles, dummodo contra Abbatis ſententias, deponatur, & Communitas per Decurione gubernetur, vt dum cura & authoritas multi committitur, vnus non ſuperbiat. Tertia; Eſt contra mentem D. Benedicti dari in eadem Communitate Priorem & Decanos.

Hæc vltima reſolutio eſt chariſſima; ſi.n. ideo eliguntur Decani, qui expedit quod vnus non ſuberbiat; ergo quando datur Præpoſitus (eligi non debet elatus) nequaquam Decanis eſt opus.

Præterea, aut Decani præſente Priore poſſunt iubere, indicere, & diſponere; aut abſente tantùm. Si hoc vltimum, intentum habeo: ſi primum, ergo communitas quotidie turbaretur ex multitudine præceptorum ſæpiùs contradicentium. Prior igitur habeat authoritatem præcipiendi pœnaliter, delegatam à ſuo Prælato, & hanc in omnes & ſingulos Religioſos. Decanus abſente Priore vel cùm non datur Prior, in illos quibus expreſſè præficitur.

Petes, An Abbas poſſit aliquem eximere à poteſtate Præpoſiti & Decanorũ. Poteſt id tamẽ facere non debet ſine cauſa notabili, & vix poteſt eſſe ſufficiens aliqua ad talẽ exemptionem, quin etiam ſufficiẽs ſit ad depoſitionem Præpoſiti aut Decani. Ideo in tali caſu (puta ſicut Prior aut Decanus malignè aduerſaretur, aliàs vir benignus & prudens erga reliquos) potiùs Priorem aut Decanum deponerem, quàm priuatum Religioſum eximerem; quoniam exemptiones huiuſmodi maxima inconuenieantia partuliunt.

CONSILIARII.

1602 SI res graues tractandæ ſint, tot ſint Abbati Conſiliarij quot in Monaſterio Religioſi, paucis illis excluſis, qui voce actiua aut conſultiua carent. Carent, qui ob demerita hac pœna ab Antiſtitæ excepti.

Congregare vniuerſos graue eſt, & communitati non ſolùm moleſtum, ſed etiam dedecoroſum conuenire ſine cauſa notabili; ideo ſi leuia occurrant, conuocet Abbas communitatis commiſſarios, quorum conſilio audito, quod meliùs iudicauerit; faciat; hi debent iuramentum ſecreti & fidelitatis præſtare, ſi ſequamur Ciſtertienſium declarationem. Vide Diffinitiones Generales quas *Nouellas* vocant §. *de officialibus inſtit. & iuram. præſtandis.* vbi ſic dicitur: *Omnibus & ſingulis Abbatibus iniungitur, quatenus officiales præſertim maiores, de cætero, faciant & ordinent cum conſilio Seniorum monaſteriorum ſuorum ſeruatis regularibus inſtitutis. Ad Abbatis tamen Conſilium nullus præſumat accedere per ipſum Abbatem proprium non vocatus, non obſtante conſuetudine quauis cõtraria, quæ reprobatur & pœnitùs annullatur. Statuitur, vt Monachi per Abbates ad conſilium vocandi, ad requiſitionem Abbates iurare teneantur, quod ſecretum, & conſilium tenebunt, & illud nullateuus reuelabunt.*

TEXTVS. Caput 3.

De adhibendis ad conſilium Fratribus.

1603 Quoties aliqua præcipua agenda ſunt in Monaſterio, cõuocet Abbas omnẽ congregationẽ, & dicat ipſe vnde agitur. Et audiens conſiliũ Fratrum, tractet apud ſe, & quod vtilius iudicauerit, facit. Ideo autẽ omnes ad conſiliũ vocari diximus, quia ſæpe iuniori Dominus reuelat, quod melius eſt. Sic autẽ dent Fratres conſilium cũ omni humilitatis ſubiectione; vt non præſumãt procaciter defendere quod eis viſum fuerit, ſed magis in Abbatis pẽdeat arbitrio; vt quod ſalubrius eſſe iudicauerit, ei cũcti obediant. Sed ſicut diſcipulis cõuenit obedire Magiſtro, ita & ipſum prouidè, & iuſtè cõcedit cũcta

diſpo-

diſponere. In omnibus igitur omnes magiſtram ſequantur Regulam, neqne *a* temerè ab ea deuietur à quoquam. Nullus in Monaſterio ſequatur proprij cordis voluntatem. Neque præſumat quiſquam cum Abbate ſuo proteruè, intus vel foris Monaſterio contendere. Quod ſi præſumpſerit, regulari diſciplinæ ſubiaceat. Ipſe tamen Abbas cum timore Dei, & obſeruatione Regulę omnia faciat, ſciens ſe procul dubio de omnibus iudicijs ſuis æquiſſimo iudici Deo rationem redditurum. Si qua vero minora agenda ſunt in Monaſterij vtilitatibus, Seniorum tantùm vtatur conſilio, ſicut ſcriptum eſt; (Eccleſ. 23.) *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.*

Temere *a*] *Ex his verbis colligitur, haud dicendum eſſe cum Regulæ contrauenire qui omittit ea quæ exponuntur in Regula, ſi id non temerè faciat. Quid autem ſit temerè Regulam violare, alibi expendo, & ideo opus non eſt impræſentiarum huic immorari. Lege interim, quæ diximus num.* 720. *b.*

DISPVTATIO CXXVII.

Reſolutiones aliquot circa Conſiliarios Abbatis.

1604 Prudentia duplex apud Politicos, propria & aliena. Propriam habere dicitur, qui ſuas actiones moderatur dictamine ſolius rationis: alienam, qui vitur conſiliarijs. Liberè dicam, diſtinctionem non approbo, quia propriam prudẽtiam non reperio: Prudentia vel ipſo Lipſio, qui diſtinctionem limat, affirmante, *lumen* eſt; hoc autem debet eſſe in obiecto. Non ſufficit lux quæ in potentia viſiua, imò neque hæc requiritur: ſufficit enim dari viſiuam virtutem circa obiectum lumine perfuſum. Ergo ſimiliter non ſufficit prudentię lumen ſi ſit intrinſecum, & non illuſtret materiam ipſam quam curioſè diſquirimus & contemplamur. Iudex illuſtratur mentis acumine, materia ipſa conſilijs: ſi hæc ſimul iungas conſtitues Prudentiam, quæ eſt ſagacis mentis habitus reſpiciens praxim politicam plurium cõſilijs illuſtratam: Prudentia vis animi eſt conſtans & inuincibilis, armis potentior, & legi nibus fortior. Valerius Flac. IV. Argon.

——Non ſolis viribus æquum
Cedere; ſæpè acri potior Prudentia dextra.

Eadem animis vis, ſi conſilio careat, inermis eſt & debilis, caduca & labilis, nam Horatio 3. Od. aſſerente.

Vis conſilij expers mole ruit ſua.

Abbas igitur vt prudens ſit mente polleat, & conſulat ſuos Religioſos.

ARTICVLVS I.

De Conſilio adhibendo pro occurrentia rerum grauium.

1605 Conſenſum faciant vniuerſi, qui ? illi omnes ad quos pertinet res ipſiſſima,

quæ examinatur. Quod vt melius intelligas, lege ſequentes Concluſiones.

Prima. *Donati & Familiares non debent ab Abbate cõſuli.* Probatur, quia, vt dixi ſuperiùs *num.* 409. non ſunt Religioſi. Abbas qui crederet probabiliter Conuerſos Religioſos non eſſe, eadem probabilitate poſſet eos intermittere & ſolùm conſulere Choriſtas: nos verò qui aſſerimus Laicos Conuerſos verè & ſolenniter vota emiſiſſe, cenſemus eos eſſe conſulendos, quoties propria eorum cauſa agitur:

Secunda. *Abbas, vt Nouitios veſtiat, neminem tenetur conſulere ex vi Regulæ.* Probaui *num.* 452. *Concluſ.* 1. Conſultò dixi *ex vi Regulæ*, quia ſunt Congregationes aliquæ in quibus conſtitutione ſanctum, ne veſtiantur Nouitij inconſultis Monachis. *Nouitios inconſultis Monachis poteſt dimittere*, probaui ſuperiùs *num.* 471. Præterea vt Nouitij ad profeſſionem promoueantur, *non ſolùm tenetur ſuos conſulere, ſed & plurium decretum ſequi.* Ita *num.* 480. 482. *&c.*

Tertia. *Vt Nouitius Choriſta ad profeſſionẽ promoueatur, Conuerſi non ſunt conſulendi.* Probatur, quia tunc non agitur cauſa conuerſorum, ipſi enim non debent Chroriſtas iudicare.

Quarta. *Vt Nouitij Conuerſi profeſſio ſolennis admittatur, conſulendi ſunt omnes Choriſtæ.* Conſtat ratione, & vſu confirmante. *Conſuli poßunt etiã Conuerſi reliqui, non tamen debent.* Poſſunt equidem, quoniam ipſi ſæpe meliùs rem extrinſecam Monaſterij cognoſcunt quàm religioſi, & in hac cauſa *bene recteque poſſunt* cenſere, & prabere conſiglia ſalutaria.

Cenſeo in Conuerſorum approbatione vltima, Choriſtarum voces eſſe deciſiuas, & conſultiuas Conuerſorum. Vt credam pertinere ad Choriſtas decernere an Conuerſus debeat profiteri, eiuſdem rationibus conuincor, quibus ſuperiùs *num.* 484. in ſimili cauſa fui conuictus. Vt autem credam Conuerſos poſſe non conſuli, & cùm conſuluntur non habere voces deciſiuas manuducor ratione efficaciſſima deſumpta ex ipſamet natura ſtatus. Nam Conuerſi ſunt famuli communitatis Religioſæ, ideo non ſunt conſulendi ex iure ſed ex congruentia; nullus enim Dominus tenetur famulos ſuos conſulere vt alios famulos recipiat; quod ſi conſulat, humanus eſt, & non tenetur illos ſequi.

1606 Quinta. *Non poſſunt immobilia bona vendi ſine Conuensus facultate.* Patet, quia bona debent alienari à ſuo Domino, Abbas autem non eſt Dominus, ſed Communitas. Nec hoc eſt contra Regulam, iuxta quam vota emiſimus, vt fuerit contra veterum mores; nos enim profeſſi ſumus iuxta mores præſcriptos, & hic mos iam obtinuit, & diplomatibus multis confirmatur.

1606 b Hic occurrit dubium curioſum & valde neceſſarium. nempe; *An noſtri conuerſi habeant rerum proprietatem, in communi; hoc eſt, An Monaſterij bona pertineant ad conuentum choriſtarum ſolummodo, an verò ad congregationem, Choriſtas & conuerſos complectentem?*

Reſpondeo, ſęcularis Domini bona titulo dominij & proprietatis non pertinere ad ſæculares famulos; & ita etiam bona Religioſi Domini non pertinere ad famulos etiam Religioſos, quales ſunt Fratres Laici, qui apud nos *Conuerſi* nominantur.

Hinc ſequitur eos non debere conſuli, poſſe tamen, cùm aguntur res Monaſterij, & in huiuſcemodi quæſtionibus habere, aut nullam aut purè conſultiuam vocem. Ita decreuerunt Ciſtercienſes in Generalibus Definitionibus *diſt.* 9. *c.* 3. vbi ſanciunt *ne Conuerſi ad electionẽ Prioris nec ad alia cõmunia Ordinis cõſilia aliquatenus admittãtur.*

1606 c Vides Abbatẽ in rebus grauibus

bus non ſolùm à conſilio ſed etiã à decreto religioſorum depẽdere; & inquiris, An hæc ipſa dependentia ſit ex præſcripto Regulæ, an ex conſuetudine aliqua, quæ contra regulam præſcripſerit? hoc eſt. I. An ſtando contextui Regulæ teneatur Abbas cõuocare omnes Religioſos, an ſufficiat cõuocare aliquos? II. An ſtando eiuſdem Regulæ contextui, debeat ſequi conſilium ſuorum Religioſorum, an ſufficiat illos audire, & poſteà, quod melius iudicauerit facere? Reſponderunt iam olim tibi Abbates Ciſtertienſes Germani, qui in ſuis Prouincialibus comitij celebratis in Furſtenfeldenſi Monaſterio apud Bauaros anno 1595. loquuti ſic. *Ex præcepto Regulæ quoties aliqua præcipua agenda ſunt, connocare debet Abbas omnem congregationem, & ex conſilio Fratrum, quod expediens fuerit, facere. Quod præceptum caueant tranſgredi Abbates, nec monaſteriorum bona vllo modo diſtrahere, minuſque diſſipare, ne in dilapidationis crimen incidant.* Conſonuit Ioannes Abbas Cæſarcenſis, qui anno 1624. in viſitatione Speciosæ vallis ſic dixit. *Ex præcepto quoque Regulæ ordinamus & ſtatuimus, vt quoties aliqua præcipuo pro monaſterij vtilitatibus agenda ſunt, Abbas ſuos Conſiliarios ſeniores conuocet, & ex eorum conſilijs quod expediens fuerit faciat.*

1606 d At tu contra totum Prouinciale Capitulum, & contra Cæſarcenſem Abbatem inueheris, dicitque ab ipſis citari Regulam contra Regulæ textum. Omnẽ congregationem cùm aguntur grauia conuocandam dicit illud, & in hoc conſonat S. Benedicto; addit Abbatem debere ex Fratrũ cõſilio procedere, & in hoc opponitur Regulæ. Indicit iſte, vt Seniores Abbas conuocet quoties præcipua agenda, & præcipit vt ex eorumdem conſilijs faciat; & vtrumque eſt contra textum Regulæ, à quo habemus *Primò*. Quòd quoties aliqua præcipua agenda ſunt in monaſterio debeat conuocare Abbas totam congregationem, & dicere ipſi vnde agitur. *Secundò*. Quòd ſi qua minora agenda ſint in monaſterij vtilitatibus ſufficiat vti Seniorum conſilio. *Tertiò*. Quod Abbas auditis omnibus, quod vtilius iudicauerit (nempe ipſi Abbas) poſſit facere. *Ergo* Cæſarcenſis Abbas impegit in hoc primum; & tam ipſe, quàm Prouinciale Capitulum Germanorum in tertium.

Sed reſpondeo vtramque legem eſſe ſanctam, nec militare contra Regulam Benedictinam. hec enim bifariàm poteſt conſiderari; vno modò prout lata à D. Benedicto; alterò prout à nobis admiſſa & voto obedientiæ firmata. Superiorum ſanctiones Regulę ſecundo modo ſumptæ debent correſpondere, nam bene in eodem Prouinciali Capitulo præcipitur. *Vt Regulam D. Benedicti ſecundum quam profeſſi ſumus, prout à ſanctiſſimis primis noſtris Patribus recepta eſt, & à S. Sede Apoſtolica approbata & moderata, accuratè, & integrè quilibet noſtrũ obſeruet.* Hæc verba citaueram *num. 699.* ſed in illis iam noto, illos Patres, qui Comitia Prouincialia celebrarunt, & has leges ſanxerũt, diſtinxiſſe inter Regulam quã latam à D. Benedicto, & quã approbatam ab Eccleſia, à noſtris Maioribus acceptatam, & à Summis Pontificibus moderatam; & iuſſiſſe vt omnes obedirent illæ ſumptæ ſecundo modo, non primo. Hinc ergo ad argumentum. Citari Regulam dicebas à Patribus contra Regulæ textum: & diſtinguo. citari contra textum ſimplicem, concedo; contra ſolennem, nego. nos enim non tenemur textu ſimplici ſed ſolenni, hoc eſt, à nobis acceptato & admiſſo, conſuetudine longa præſcripto, ſolenni profeſſione firmato, & à Pontificibus modificato. & quidem ſanctiones illæ (nimirum Prouincialis Capituli, & Cęſarcenſis Abbatis) ſecundũ

Regulam modificatā latæ ſunt, & ideò ſunt obligatoriæ; nec tamen obſtringerent, ſi contra præſcriptas conſuetudines & vſus legitimos, & ſupra ſolennem profeſſionē, textui ſimplici Regulę correſponderent. *Vide citatum num. 699.*

1606 e Sexta. *Nullus Antiſtes poteſt introducere abſtinentiam à carnibus, ita vt & Conuerſos obliget, eis inconſultis.* Patet, quia non minus habet ius in talia alimenta conuerſus quàm choriſta: ergo vbi legitimè comeduntur carnes, neuter poteſt ad abſtinentiam cogi, neuter inauditus condemnari. Sic ſimiliter de controuerſijs ſingularibus, quæ conuerſos immediatè & directè reſpiciunt, debes philoſophari.

ARTICVLVS II.

De Conſilio pro rebus leuibus.

1607 CVm res minoris pōderis tractandæ ſunt, omnes nō congregantur, ſed omnium nomine Communitatis commiſſarij conueniunt, qui *Conſiliarij* nominantur. Sed hi quot? qui? quales?

Multifariàm hoc Caput exponunt congregationum variæ conſtitutiones. Video in aliquibus Monaſterij Conſiliarios eſſe Seniores, non electos ſuffragiis, ſed ſolùm diſcretos antiquitate. In aliis ſolus Abbas conſiliarios conuenientiores eligit. In multis omnes Religioſi vocibus deciſiuis eligūnt Abbatis conſiliarios, qui frequentiùs quatuor ſolent eſſe.

Aetas ſola non ſufficit vt aliquis vtiliter audiatur, & ideò exiſtimo hanc periodum. *Si qua verò minora agenda ſunt in Monaſterij vtilitatibus, Seniorum tantùm vtatur conſilio*, æquiualere huic, *Si qua minoris ponderis & momenti occurrant, ſolummodò Senes conſulantur*, non enim rarum eſt & inauditum Senes vocari *Seniores*. Virgilius in Operis Diuini ſexto, de Charonte.

Iam Senior, ſed cruda Deo viridiſque ſenecta eſt.

Vbi *Senior* poſitiuè ſine vlla cōparatione exprimitur. Ergo conſulantur aliqui ſenes cùm negotia minoris ponderis tractantur. Confirmant id verba eiuſdem D. Benedicti, qui Capite 21. agens de Decanis (aptè hi eſſent Abbatis Conſiliarij) ſic ait; *Non eligantur per ordinem, ſed ſecundum vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam.* Ergo, ſiue Abbas, ſiue Religioſi Conſiliarios eligant, prudentiam & vitæ integritatem reſpiciant, non ætatem.

1608 Obiter occurrit quæſtio difficillima. An Conſiliarij debeant Abbati conſulere iuxta mentem propriam, an iuxta mentem Communitatis. Pono caſum. Abbas dubitat an talis res facienda ſit; & Petrus Abbatis Conſiliarius etiam faciendum ſentit; ſcit tamen euidenter contrarium ſentire pleróſq; Religioſos. Conſulitur Petrus ab Abbate, inquiritur, An debeat reſpondere quod ſentit, an id quod ſentiunt Religioſi. Hoc vltimum tenuit quiſpiam Doctor amicus mihi ſingularis, qui cùm eſſet Abbas acriter reprehendit Conſiliarios loquentes contra mentem conuentus. Ergo nullibi velim vt cœcus procedere, ideò antequam aliquid reſoluam, præmittam quædā Reſolutioni neceſſaria.

Dico igitur in hac materia duas opiniones reperiri. Altera affirmat Conſiliarios eſſe Communitatis deputatos, Altera aſſerit Conſiliarios eſſe quaſi Prælati Coadiutores. Secunda cenſetur verior in Reformatione Ciſtercienſi, quod & notaui *num.* 452. §. *dices.* Primam tuentur etiam viri docti, & in re Monaſtica ſatis verſati. Qui primæ ſubſcripſeris, dicito *primò* Conſiliarios merè Legatos eſſe & Communitatis nuncios.

Secundò addo eos teneri Abbati ſuo conſulere iuxta Communitatis mentem cùm certò & infallibiliter ſciunt quid ſentiant plures Religioſi; & hoc etiam

contra

contra proprium dictamen. Vnde in caſu poſito Petrus tenetur contra ſuam ſententiam conſulere Abbati, ne domum diſtrahat; Ratio eſt clariſſima, quoniā tali caſu ipſe eſt Legatus & Communitatis Commiſſarius, & non loquitur nomine proprio, ſed nomine totius Communitatis.

Tertiò Conſiliarium, qui voluntatem Communitatis non certò ſed probabiliter cognoſcit, poteſt alterutrum facere, quia probabilitas neminem cogit.

Quartò. Conſiliarium, qui dubitat quodnam ſit decretum Conuentus, debere Religioſos cōſulere, & ſi non poſſit, teneri ſequi ſuum dictamen intrinſecum. Ratio eſt, quia in dubijs beatus qui poſſidet, ergo ſi dictamen Communitatis ſit dubium, ſequatur dictamen clarum & prudens, quod ipſe poſſidet. Dictamen enim certum dubio & ancipiti præponi debet. Aut fortè poſſet dicere, ſibi nondum eſſe notum quid communitas ſentiat, ſed examinaturum: quod vbi periculum non eſt in mora bonum eſt.

Si Conſiliarius non ſit Communitatis Commiſſarius, ſed agat perſonam propriam, ſuum in reſpondendo dictamen ſequi debet; & hoc ſecundùm poſteriorem ſententiam.

Puto eſſe liberum Abbati declarare quales velit habere Conſiliarius & tūc ceſſare quæſtionem; puto ipſos, ni contrarium declaretur ab Abbate prudentiùs ſecundam ſententiam ſequuturos.

Quæritur circa Conſiliariorum numerum & qualitatem. Et *primò*, An debeat eſſe Monaſterij ſeniores? *Secundò*, An in numero aliquo determinato? *Tertiò*, An debeant ex illis adſumi qui ſunt Communitatis adminiſtri?

Reſpondeo nihil omninò eſſe in Regula, quod expreſsè hanc quæſtionem decidat, ſed multa, quæ implicitè, è quibus *ad primum* reſpondeo ſeniorum nomine prudentiores intelligi, quia de Decanis ſic inquit S. Pater cap. XXI. *Non eligantur per ordinem, ſed ſecundum vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam.* & eadem eſt de conſiliarijs ratio. *Ad ſecundum* dico Conſiliarios debere paucos eſſe; ipſi enim conſuluntur, ne multi fatigentur. Sed quot? varij ſunt apud diuerſos mores. Apud Ciſt. Gallos videtur nullus fuiſſe numerus determinatus, ſed licere Abbati conſulere illos quos velit; vide verba Definitionum, quæ adlegari *num.* 1602. apud Hiſpanos quatuor ſunt, à Monachis electi, quibus Priorem, Doctores Definitores & ſi qui viri magni in Monaſterio ſunt, non tamen Adminiſtros adiunge, & hinc reſponde *ad tertium*. cæterùm apud Caſſinenſes omnia aliter. proderit paucas lineas adſcribere, vt ex illis innoteſcat, qui hunc ipſi Regulæ textum intellexerunt. Sic enim in ſuis Conſtitutionibus. *Declaramus, Seniores* (nempe, qui conſuli ab Abbate debent) *eſſe Priorem Clauſtralem, Decanos, Magiſtros Nouitiorum, & Cellerariū, cum quibus etiā ſolis, Prælati negotia Monaſteriorum, ſuis Monaſterijs per Capitulum Generale vnitorum, ſiue applicatorum, occurrentia, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, liberè poſſint expedire: non obſtante, ſi eorum adminiſtratione datæ fuerint Abbatibus & Conuentibus Monaſteriorum illorum, quibus vnita ſiue applicata ſunt.*

CELLERARIVS.

1609 Talis à D. Benedicto ille dicitur qui in temporalium rerum regimine eſt Vicarius Abbatis. Vicarius, inquam; quia nullam ordinariam authoritatem habet; delegatam participat, qualem, quantam, & quan-

& quandiu diſpoſuerit Abbas. Vnde de illo in Regulæ Cap. 31. *Omni congregationi ſit ſicut Pater; curã gerat de omnibus: ſine iuſſione Abbatis nihil faciat.*

TEXTVS Cap. 31.

De Cellario monaſterij: quales ſit.

1610 Cellerarius monaſterij eligatur de congregatione ſapiens, maturis moribus, ſobrius, non multum edax, non prodigus, ſed timens Deum, qui omni congregationi ſit [a] ſicut Pater. Curam gerat de omnibus; [b] ſine iuſſione Abbatis nihil faciat, quæ iubentur cuſtodiat, Fratres non contriſtet. [c] Si quis autem Frater ab eo fortè aliquid irrationabiliter poſtulat, non ſpernendo eum contriſtet, ſed rationabiliter cum humililate malè petenti deneget. Animam ſuam cuſtodiat, memor ſemper illius Apoſtolici præcepti: quia qui bene miniſtrauerit, gradum bonum ſibi acquirit. Infirmorum, infantum, hoſpitum, pauperumque cum omni ſolicitudine curam gerat, ſciens ſine dubio, quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus eſt. Omnia vaſa monaſterij, cunctamque ſubſtantiam ac ſi altaris vaſa ſacrata, conſpiciat; nihil ducat negligendum, neq; auaritiæ ſtudeat; neque prodigus ſit, aut exſtirpator ſubſtantiæ monaſterij; ſed omnia menſurate faciat, &. [b] ſecundùm iuſſionem Abbatis. Humilitatem ante omnia habeat, & cui ſubſtantia non eſt quę tribuatur, [c] ſermo reſponſionis porrigatur bonus, vt ſcriptum eſt: Sermo bonus ſuper donum optimum, Omnia quę ei iniunxerit Abbas, ipſe habeat ſub ſua cura, à quibus eum prohibuerit, non præſumat. Fratribus conſtitutam annonam ſine aliqo typo, vel mora offerat, vt non ſcandalizentur, memor diuini eloquij, quid mereatur, qui ſcandalizauerit vnum de puſillis. Si congregatio maior fuerit, [d] ſolatia ei dentur, à quibus adiutus, & ipſe æquo animo impleat officium ſibi commiſſum. [e] Horis competentibus dentur quæ danda ſunt, & petantur quæ petenda ſunt, vt nemo perturbetur, neque contriſtetur in domo Dei.

Sicut Pater a]. *Cellerarius Congregationis Pater non eſt, quia Pater-familias eſt Abbas, & in eius abſẽtia Prior, Supprior; aut ille qui Monaſteriũ gubernat. Verè Cellerarius Monaſterij Pater non eſt, ſed ſicut Pater eſſe debet; & ſupponere minimum Religioſum vt filium, non vt famulum eſſe tractandũ. Si hanc veritatem Cellerarius alta mẽte conſideret, eum nemo eſperietur parcum, auarum, aut crudelem. Illa omnia petenti Monacho negare poteſt,* quæ

quæ ab ingenuo & prudente Pater-filijs ſuis negarentur; illa concedere, quæ filijs-familias laudabiliter cõcedi ſolẽt.

Sine iuſſione b] *Sumit ſæpe Benedictus nomina Præceptum, Iuſſio, Mandatum, pro licentia. Cellerarius igitur ſine Abbatis licentia nil faciat, quia cùm eius authoritas ordinaria non ſit, ceßat ceſſante commiſſione delegantis.*

Si quis c] *Hæc periodus maximè perpendenda eſt. Cellerario quidem Benedictus loquitur, inſtruit tamen Abbatem, Præpoſitum, & Officiales vniuerſos. Si ſubditus licentias imprudenter poſtulet quæ concedi nequeunt; neget eas Antiſtes; ſed ipſamet negatio condiri debet ſuauitate. Vtatur quibuſcumque verbis qui concedit quod petitur: nam Prælatus dum adquieſcit ſubdito, durus eſſe vix poteſt; quod ſi talis appareat, tollerabilis eſt: cæterùm cùm debet petenti & ſollicitanti contradicere, vtatur eloquentia humili, & beneuola ciuilitate.*

d Solatia *vocantur Coadiutores, eò quòd videantur non adiuuare ſolùm, ſed conſolari quodammodo. Cellerarius ratione ſui officij Infirmorum, Infantũ, Hoſpitum, Pauperumq; cum omni ſollicitudine curam gerit. Si Communitas ſit numeroſa, tanta inquam, vt ipſe non ſufficiat vnus, Oeconomica cura diuiditur. Eligantur ab Abbate Receptor, Oeconomus, Veſtiarius, Grãgiarij, Magiſter infirmorum, Magiſter hoſpitum, Oſtiarius, & Eleemoſynarius: qui Adminiſtri Communitatis nominantur.*

De Iuramento fidelitatis ab Oeconomo & alijs Adminiſtris præſtando.

COmmunitas habet ius ex natura rei, vt exigat fidelitatis iuramentum ab eo, qui Cellerarius aut Adminiſter eligitur (ſiue electio ab vno Abbate ſiue à vocibus Religioſorum pendeat.) Hoc iuramentum emitti conducit ad authoritatem, & quietem conuentus, modum expoſuerũt Odinis Ciſtercienſis Definitionibus Generales quas *Nouellas* vocant, §. *de officialibus inſtit. & iuráment. præſt.* vbi legitur: *Officiales Ordinis cum inſtituuntur iurare tenentur, quod nullum apponent repugnationis obſtaculum, nullum præſtabunt defenſionis ſubſidium, quando ad iuſſionem Abbatum dimittant officia abſque cõtradictione quacumque, aliàs nullatenus valeant promoueri. Omnes quoque Nouitij antequam ad Profeſſionem recipiantur, iurare teneantur, quod ſtatutum huiuſmodi eis luculenter expoſitum obſeruabunt. Abbates autem, qui officiales inſtituerint, vel Nouitios ad profeſſionem receperint, non præſtito ab eis & eorum quolibet huiuſmodi iuramento, tandiu extra ſtallum Abbatis maneant, donec exegerint iuramenta, vel officiales amouerint non iurantes. Receptos autem abſque iuramento Nouitios in baſſo Choro teneant donec præſtiterint iuramentũ. Et hæc diffinitio cum forma viſitationis annis ſingulis in Capitulo recitetur. Monachi vel Conuerſi cùm mittũtur ad meſſes vel redditus ſuſcipiendos, & ad alia quæ vis domus negotia exercenda, iurare ſolenniter* (hoc eſt *publicè*, non enim eſt iuramentũ quartum votum ſolenne) *teneantur, quod domus ſubſtantiam cuſtodient & recuperabunt fideliter, & alia iniuncta officia tam ſolicitè quàm vtiliter præſtabunt: Qui verò iurare renuerint, per proprios Abbates irremiſſibiliter vltimi omnium collocentur, ac panis & aquæ pœnitentia quandiu in contumacia vel inobedientia perſeuerauerint, percellantur; & nihilominus die qualibet in Capitulo recipiant diſciplinam, & ſi officiales fuerint, deponantur.*

Petis, cur indicatur Adminiſtris, vt iuramentum fidelitatis præſtent? an non ſufficeret, quod Abbbas eis id iuberet ſub præcepto obedientiæ?

Reſpondeo, præceptum ab Abbate impoſi-

impoſitum ſufficere, vt Adminiſtri iure religionis teneantur ad fidelitatem, imò & ad hanc tenebantur ratione voti paupertatis. Cæterùm obedientiæ præceptum non reddit Communitatem ſatis ſecuram, cùm, ipſa inconſulta, poſſit illud à Prælato relaxari; ergo ad hoc vt ita maneant obligati, vt nec ab Abbate abſolui poſſint, opus eſt, vt ipſi Conuentui præſtent iuramentum ſeruandæ fidelitatis, cuius formulam reducerem ad hac verba.

Ego N. promitto coram Deo Communitati huius Monaſterij N. quod bona tam radicalia quam accidentalia cõſeruabo, cuſtodiam, & fideliter adminiſtrabo, debita recuperabo & mei officij munia diligenter præſtabo. Promitto etiam coram Deo me dimiſſurum eſſe hoc officium ad Abbatis imperium ſine mora, contradictione, appellatione, aut defenſione. Ita me Deus adiuuet, &c.

Vidiſti iuramenti formulã, & doceri deſideras ad quid in rigore teneatur. Reſpondit anno 1595. Edmundus à Cruce Ciſterrij Abbas in Prouincialibus Germanorum Comitijs præſens & præſes, per hæc verba. *Nullos contractus vel pacta, nullaſque conuentiones, emptiones Procurator Monaſterij ſiue regularis, ſiue ſæcularis, niſi de Abbatis, Prioribus & Seniorum domus conſilio & aſſenſu inire, nec aliquem ſuper ijs de rebus in iudicio conuenire poteſt, nec debet, ſub pœna nullitatis omnium quæ aliter fient. Extant in Definitionibus Germanicæ Congregationis.*

TEXTVS Cap. 41.

Quibus horis oporteat reficere Fratres.

1611 A ſancto Paſcha vſque ad Pentecoſten ad ſextam reficiant Fratres: & ad ſeram cœnent. A Pentecoſte autem tota æſtate, ſi labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æſtatis non perturbat, quarta & ſexta feria ieiunent vſque ad nonam; reliquis diebus ad ſextam prandeant. Quæ prandij ſexta, ſi opera in agris habuerint, aut æſtatis feruor nimius fuerit, continuanda erit: & in Abbatis ſit prouidentia. Et ſic omnia temperet, atque diſponat, qualiter animæ ſaluentur, & quod faciunt Fratres, abſque vlla murmuratione faciant. Ab Idibus autem Septembris, vſque ad caput Quadrageſimæ, ad nonam ſemper reficiant. In quadrageſima verò vſq; ad Paſcha ad veſperam reficiant. Ipſa autem veſpera ſic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes: ſed luce adhuc diei omnia conſumentur: Sed & omni tempore ſiue cœnæ, ſiue refectionis hora ſic temperetur, vt cum luce diei fiant omnia.

Olim horæ officij Diuini immobiles, mobilis refectionis hora; & iam contra, eadem ferè hora reficitur Communitas, & ſolùm diuinum officium alteratur. Iubet Eccleſia, vt quadrageſimale ieiunium durius reliquis ſit, vt comedamus poſt veſperas, hoc eſt hora ſexta veſpertina; nam & D. Benedictus

iubet ipſam horam Veſperam ſic agi, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, & in Italia ante ſextam in quadrageſima non eſt nox; hora enim integra poſt verum ſolis occaſum crupuſculina lux eſt ſufficiens, ne lumine lucernæ egeamus. At hodie hora ipſa refectionis manet immobilis, retrotrahuntur veſperæ, leguntur que ante prandium. & quæ instituta vt adaugeretur pœnalitas, ſunt notoriæ commoditatis cauſa; Habent .n. vniuerſi Eccleſiaſtici per totam quadrageſimam tempus pomeridianam liberum, vt ſuis ſtudijs aut negotijs vacare poſſint.

Horæ iſtæ quales? Eccleſiaſticæ ſunt an Mathematicæ? Quales antiquitùs eæ fuerint demonſtrari non poteſt, videtur probabilius Mathematicas tametſi æquales fuiſſe, nam ſi Veſperæ ſic canendæ erant, vt antè occaſum ſolis comederent, dicēte Benedicto, Veſpera ſic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, apparet horas has fuiſſe Mathematicas, nempe illas quæ vulgò Planetariæ vocantur, quales illæ liber continet, qui el buen republico *inſcribitur; nempe æquales. [Vide n. 1117.] Iam vſus prævaluit, & horæ hæ aliter diſponuntur, nec vbique eodem modo; quamobrem cenſeo mores antiquos, & præſcriptos circa prandij horam debere in quouis cœnobio conſeruari.*

TEXTVS. Ex Cap. 43.

De his qui ad menſam tardè occurrerint.

1612 Ad horam verò refectionis, qui ante verſum non occurrerit, vt ſimul omnes dicant verſum & orent, & ſub vno ſimul omnes accedant ad menſam: qui per negligentiam ſuam, c aut vitiū non occurrerit, vſque ad ſecundam vicem propter id corripiatur. Si denuo non emendauerit, non permittatur ad menſæ communis participationem, ſed ſequeſtratus à conſortio omnium, reficiat ſolus, ablata ei portione ſua vini vſque ad ſatisfactionem & emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum verſum non fuerit præſens, qui poſt cibum dicitur. Et ne quis præſumat ante ſtatutam horam, aut poſtea quidquam cibi, aut potus ſumere. Sed & ſi cui offertur aliquid à Priore, a & accipere renuerit: b hora, qua deſiderauerit, hoc quod prius recuſauit, aut aliud, omnino non accipiat vſque ad emendationem congruam.

a *Nomen* Prioris *quod aliquoties in Regula occurrit, non ſignificat determinatè Præpoſitum, ſed eum qui in aliquo actu communi aut priuato præſidet: ideò Priora nomine intelligendus venit ipſe Antiſtes, aut quicumq; qui in ipſius abſentia alios gubernat.*

b *Non accipere quæ à Præſide mittuntur, inciuilitas eſt, proſcripta à D. Benedicto Magiſtro vrbanitatis. Non eſt poſſibile multos conuiuere, ſi ciuilitas exulet; hæc .n. vniuerſos conciliat.*

c *Vide.*

c Videtur Benedictus diſtinguere inter negligentiam & vitium; ita vt negligentia inaduertentiam culpabilem ſonet; vitium verò, actum factum cum integra deliberatione. Fortè etiam negligentia culpam actualem ſonat, & vitium conſuetudinem.

TEXTVS Caput 49.

De Quadrageſimæ obſeruatione.

1613 Licèt omni tempore vita Monachi Quadrageſimæ obſeruationem debet habere: tamen quia paucorum eſt iſta virtus, ideo ſuademus iſtis diebus Quadrageſimæ omni puritate vitam ſuam cuſtodire, id eſt, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus ſanctis diluere. Quod tunc dignè fit, ſi ab omnibus vitijs nos temperemus, orationi cum fletibus, lectioni, & compunctioni cordis, atque abſtinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad ſolitum penſum ſeruitutis noſtræ: orationes peculiares, ciborum & potus abſtinentiam: & vnuſquiſque ſupra menſuram ſibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio ſancti Spiritus offerat Deo, id eſt, ſubtrahat corpori ſuo de cibo, de potu, de ſomno, de loquacitate, de ſcurrilitate, & cum ſpiritualis deſiderij gaudio ſanctum Paſcha expectet. Hoc ipſum quod vnuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate. Quia quod ſine permiſſione Patris ſpiritualis fit, præſumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia facienda ſunt.

Littera clara eſt nec indiget illuſtratione. Solent Abbates cõmittere Confeſſarijs inſtructionem & curã animorum. Si hoc Abbas fecerit, ſatisfaciet ſubditus, qui deuotionis ſuæ propoſitum communicarit Confeſſario: aliàs ex rei natura Abbas vniuerſorum ſpiritualis Pater eſt, & ab omnibus conſuli debet, diſcretè tamen; quia non ſemper Abbates ſunt taciturni & diſcreti.

DISPVTATIO CXXVIII.

De ieiunijs.

1613 b IEiunia alia ſunt Ordinis, alia Eccleſiæ: iſta Monachos, niſi ex cauſa legitima excuſentur, obligant ſub culpa graui; illa verò ſub nulla, ſed ſolùm in foro exteriori. In prandio forma eadem ſeruatur: in ieiunijs

Monaſticis collocationis qualitas, & quantitas multò benignior. Collatio introducta eſt per conſuetudinem, & ideò de ea nulla debet dari determinatio generalis, ſaltem quoad qualitatem, ſed erit vnicuique liberum ſequi mores patrios, qui à nemine reprehendi ſolent. Communis hominum conſuetudo admittit octo vnicas plus minus ſolidæ quantitatis; putà panes, fructuum. Ita Fagundez *de præcept. Eccleſ. tract.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 13. & 19. qui citat Suarium, ſubſcribit Diana *de ieiun. reſol.* 1. De qualitate eſt maior difficultas. In Belgio eſt in vſu halecem & butyrum comedere; in Germania maior latitudo, obſeruantia maior in Hiſpania, & ideò omnes poſſumus facere illa omnia, quæ communiter fiunt in hac materia à viris prudentibus & pijs; ſublatis carnibus, piſcibus, lacticiniis, & ouis (oua multi ægrè amouent) reliqua quomodolibet parata nullibi auderem condemnare.

Ieiunium Monaſticum eſt ex deuotione, non ex obligatione, & ideò in collatione non determinatur, quantitas, ſed materia iuxta conſuetudinem communitatis. Meridiè conceduntur cibi communes, nempe carnes aut piſces iuxta publicas obligationes. Veſperis plerumque eliminantur oua, piſces, & admittuntur nonnunquam lacticinia. Hinc poſſunt exoriri aliquæ difficultates.

I. Si quis Monachus voueat aliqua die ieiunare, & non determinet formam ieiunij, intelligendus eſt vouiſſe ieiunium iuxta formulam Monaſticam.

II. Ieiunium indictum à Cōfeſſario, niſi is contrarium explicet, aut mens ipſius aliunde certò cognoſcatur, ſemper eſt Monaſticum. Liquet; quia in ambiguis debet præualere benignitas.

III. Ante vigeſimum-primum annū ætatis nullus Benedictinus tenetur ad ieiunia Eccleſiæ. Patet; quia Eccleſia eos ante hoc tempus non obligat, & Ordo de ieiunijs huiuſmodi nihil diſponit.

IV. A die profeſſionis tenentur ſeruare ieiunia Monaſtica, obligatione tamen extrinſeca, & exterioris fori, vt iam notauimus. Et, ſi adſit mandatum Abbatis, etiam ante 21. annum tenentur hæc ieiunia ſeruare ſub peccato mortali.

V. Sexagenarij non tenentur ad ieiunia Eccleſiaſtica. Hanc concluſionem de omnibus hominibus intelligit noſter Llamas *in ſumm. par.* 3. *c.* 5. §. 10. vbi aſſerit Pium V. conſultum de hac re ita reſpondiſſe viua voce. Idem docet Molfeſius, Ortiz, Ioſeph, Angles, Sanchez, Portel, apud Dianam *de ieiun. reſol.* 20. De Monachis à fortiori intelligenda venit, quia continuis laboribus conſumpti, vigilijs perpetuis macerati, in illa ætate vix poſſunt viuere. Vnde ante ſexageſimum ætatis annum, ſi ſit prudentis Medici iudicio rationabilis cauſa, à ieiuniorum obligatione talis Monachus debet abſolui. Idem dixero de ieiunijs ordinis, quia hic agitur de neceſſitate, & eadem quæ diſpenſat in ieiunijs Eccleſiæ, à fortiori diſpenſat etiam in Monaſticis. Hæc omnia confirmat Caput 27. Regulæ abſoluentis ſenes & infantes à Canonicis horis comedendi & cœnandi. Iubet quod horas præueniant, ne nimis moleſtum illis ſit expectare horam conuentualem.

VI. In die ieiunij liberum eſt quacumque hora ſumere quemcumque hauſtum vſualem, licèt ſit ad ſedandam famem. Hanc concluſionem certiſſimam indubiè volebat nuperrimè vocare Reginaldus, ſed ex ratione debili. Quidquid non poteſt fieri aliqua lege (aut vice lege) eſt interdictum, ſed potus nuſquam eſt interdictus, ergo quicumque poteſt bibere. Ita Vega *in ſumma tom.* 1. *c.* 14. *caſ.* 32. Molfeſius *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 3. *num.* 25. *libr.* 4. *c.* 2. *dub.* 11. *num.* 10. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *p.* 2. *q.* 10. *num.* 24. Homobonus *de Exam. Eccleſ. p.* 2. *tract.* 8. *c.* 2. *quaſt.* 20. atque expreſsus. Fagundez *de præc. Eccleſ. tract.* 4. *libr.* 1. *cap.* 3. *num.* 19.

num. 19. & nouiſſimè Diana *de ieiunio reſol.* 23.

Dixi *hauſtum vſualem*, vt diſtinguerem inter quintas eſſentias, diſtillationes, & vinum. Ideò dico; Vinum, Aquam, Siceram, Cereuiſiam, Aquam ardentem (quam alij *Brancemijn* nominant) Heliam Anglicanam, Hydromel, Hiſpanorum Aloxam, Cinnamomi aquam, & ſimilia pertinere ad potum vſualem. Diſtillationes præcipuè ex carnibus, quintæ eſſentiæ, iuſcula, ſorbiciunculæ ſumuntur non per modum potùs, ſed per modum cibi, non enim ſunt potus politicus, nec compatiuntur cum ieiunio.

De Chocolato maior eſt difficultas, quia in India eſt potus vſualis, vt conſtat ex communi omnium relatione, quibus debemus credere, ſicut credimus eſſe Conſtantinopolim, quam nunquam vidimus, ergo de Chocolato dico.

In ijs regionibus vbi eſt in communi vſu, poſſe ſumi, quin frangatur Ieiunium. Ratio eſt manifeſtiſſima; quia ſupponitur eſſe potus vſualis Interrogas. Vbinam ſit in communi vſu? Reſpondeo, eſſe abſolutè in India: nullatenus in vtraque Germania, neque alijs ſeptẽtrionalibus Prouincijs, quibus vix cognitum; In Hiſpania noſtra multi credunt eſſe potum vſualem, & ideò multi ſapientes & cordati ſumunt etiam in diebus ieiunij: ergo ſaltem, vidi eſſe hauſtum ſatis frequentem, præcipuè in magnis Ciuitatibus, & florentiſſimis academijs. Ex his ergo. Si quis probabiliter iudicauerit eſſe potum in Hiſpania vſualem, diebus ieiunij ibi ſumere poterit. Præterea. Vinum in multis partibus Septentrionalibus non eſt potus vſualis, ſicut nec cereuiſia in Hiſpania, nec Sicera, nec Aloxa in Belgio, Anglia, Germania. Qui probabiliter crediderit cereuiſiam frangere ieiuniũ in Hiſpania, non autem in Belgio, & vinum frangere ieiunium in Scytia non in Hiſpania, non poterit vti Chocolato, & ſi vtatur in die ieiunij extra prandiũ, condemnandus eſt iuxta materiæ quantitatem. Quòd ſi probabiliter credas nullibi frangi ieiunium cereuiſia, licèt bibatur tanta quãtitas vt contineat hordei materiam grauem; credere etiam debes nullibi etiam per Chocolatum: quia ſicut ſufficit cereuiſiam eſſe potum vſualem in vtraque Germania ad hoc vt in reliquis prouincijs, in quibus vix nomine cognita, poſſit interdiù bibi obſeruato ieiunio; ſufficiet etiam Chocolatum eſſe potum vſualem in India, & quaſi-vſualem in Hiſpania, vt liberè in alij prouincijs bibi poſſit.

Multi propugnant Chocolatum declarationibus Pontificum: ſed volui ex rei natura quæſtionem hanc examinare.

Huc pertinent verba valde notanda Caſſinenſium ad Caput XX XV. Reg. S. Benedict. explicantium quid ſit *ſumere ſingulos biberes & panem*, dicentiumque eſſe idem ac ſumere *mixtum*, hoc eſt, vt ipſi exponunt, tantum vini quantum capere poteſt vnus Scyphus, cum quo in refectorio bibitur, & duas vncias panis: Hoc ius concedentium omnibus Officiarijs qui nequeunt primæ menſæ intereſſe; & tandem definientium hoc ipſum in ieiunijs de pręcepto fieri poſſe cum licentia Superioris Monaſterij, quod eſt valde notabile.

VII. Quiſpiam eſt in communitate tempore prandij, recedit aliqua de cauſa menſa cùm iam incepiſset comedere (puta ſi deficiat ſeruitor, ſi mittatur aliquo à Præſide, vel id poſcat natura vel ratio) rogas, Vtrùm poſſit iterum redire ad menſam.

Dico primò, nos non debere iudicium ferre iuxta actum interiorem, quia ſiue habeat intentionem reuertendi, ſiue non habeat, eadem eſt quæſtio, quia intentio eſt actus merè ſpiritualis quinullatenus præcepto ſubditur; addo ſecũdò: Si reuertatur antequam alij ſurgant, poſse

poſſe prandium ſuum conſumare. Ita Leſſius, aſſerens, quod ſiquis ſurrexerit animo non redeundi poterit nihilominus redire ad commenſales, *libr.4.c.2. dub.2. num.* 11. ita etiam Laymanus *in Theolog. mor. lib.4. tract.8.c.1.n.6.* Villalobos *in ſumm.tom.1 tra.23. diff. 6. num.2.*

Præterea ſi iam ſurrexerunt alij, & nondum pertranſijt quaſi ſeſquiquadrans horæ, poterit etiam redire ad mēſam. Si longius tempus pertranſierit, & commenſales iam ſurrexerint: ſi illud, quod priùs comedit fuerit ſufficiens ad ſuſtentationem, non poterit redire ad menſam: ita Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. ieiun. nu.*17. quod ſi non fuerit ſufficiens ad ſuſtentationem, poteſt comedere: quia ſemper poteſt ſumere neceſſaria.

Si quiſpiam comederit in menſa cum aliis, & poſt priuatim edat aliquid, niſi à paruitate materiæ excuſetur, frangit ieiunium. Patet, quia moraliter non eſt eadem refectio; & duæ refectiones ſunt interdictæ.

VIII. Aliquid poteſt ſumi ne noceat potus, & hoc ſæpiùs in die, ſine violatione ieiunij, modò materia parua ſit. Quantum? Reſpond. *n.916.*

Sumere collationem manè, & nocturno tempore cœnare ſine cauſa, eſt peccatum veniale: cum cauſa rationabili nullum. Cauſa rationabilis eſt ſtudium, negotia, lectio, concio, iter, Ita plerique Authores. Layman, Fernandez, Toletus, Filliucius, Leſſius, Villalobos, Diana. *de ieiun. reſolut.33. qui loco cit.* Ratio eſt manifeſtiſſima, quia ieiunium non mutatur quoad ſubſtantiam, ſed quò ad modum.

IX. In Vigilia Natiuitatis poteris facere collationem ſecundùm vſum Patriæ, & Communitatis, non aliter, quia magna quantitas non vbicumque recepta.

Inciderat Natalis Domini in feriam ſecundam, vnde ratio videbatur ceſſare; conſultus Doctiſſimus P. Mag. Baſilius de Leon Cathedraticus primarius in Vniuerſitate Salmanticenſi, reſpondit poſſe illa die Sabbati fieri in Hiſpania collationem in magna quantitate, cui ſubſcribo.

X. Ieiunium indictum ab Epiſcopo, non obligat Regulares: prò ratione eſt emptio, pro authoritate Suarius *de legibus, l.4. c.20. num.8.* Azorius *part.1. l.7. c.30.q.2.* Fagundez *præc.4.lib.1.c.7.n.4.* noſter Llamas *in ſumm. p.1.c.5. §.28.* Contrarium dicere debemus de feſtis, quia ea ſi indicantur ab Epiſcopo obligant Religioſos, nam de illis ita diſpoſuit Concilium Tridentitum, non verò de ieiunijs.

Hæc lex Concilii Tridentini in Ordine noſtro recepta eſt, & in Comitiis, & Viſitationibus præceptis nouis confirmata. Reuerendiſſimus D. Thomas, Abbas Salemitanus anno 1618. Specioſæ vallis Monaſterium viſitans ſic pronuntiat. *Porrò, quia ex Concilij Tridentini decretis, quibus parere tenemur, dies feſti, quos in ſuis diœceſibus Epiſcopi ſeruandos præſcripſerunt, etiam à Regularibus licèt exempti ſint, obſeruandi ſunt, ideò admod. Reuer. D. Abbas ei quoque Decreto obediet, maximè in obſeruatione S. Kiliani diœceſi Herbipolenſi ſolennis.*

Sed & vniuerſaliùs Germanorum, Comitia, habita in Bauaria anno 1595. inter quorum prudentiſſimas Definitiones, ſequentes lineas reperimus: *Cum Annunciationes feſtum celebrabitur, & quoties ipſa diœceſis propter aliquod ſolemne feſtum ſancti alicuius feriatur ab operibus, & ieiunat, ferientur quoque, & ieiunent, qui ſunt in Monaſterijs ordinis noſtri.*

Vbi nota in hac ſanctione duos articulos valde diuerſos reperiri; alterum de feſtorum, alterum de ieiuniorum obſeruantia. Primum neceſsariò fuit poſitum, & obligat ſub peccato mortali ex vi Tridentini Concilii, alterū obligat

Aaa merè

poſtulantes pro ſe orari. Egredientes autem de ſeptimana, dicant hũc verſum; Benedictus es Domine Deus, qui adiuuiſti me, & conſolatus es me. Quo dicto tertiò, accipiat benedictionem egrediens. Subſequatur ingrediens, & dicat; Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus; & accepta benedictione ingrediatur.

a *Hoc verba tam ſeuerè interpretantur Ciſtercienſes, vt ne Præpoſitum quidem eximant. In Hiſpania obſeruantia per hebdomadam ſeruiut vt alij Religioſi, in alijs Monaſterijs ſaltem feria quinta & ſexta ſeptimanæ ſanctæ, ne dicatur exemptus contra decretum Regulæ quæ nullum excuſat, Caſſinenſes ſic explicant.* (Nullus excuſetur.) Ergo nec Prior clauſtralis, maximè cum Prælatus erit in Monaſterio; excepto Cellerario, de quo infra in eodem Capitulo. Qui Prior ad menſam quoque, etiam abſente Prælato legere & ſeruire debet.

T E X T V S. Caput 38.

De Hebdomadario Lectore.

1615 Menſis Fratrum edentium lectio deeſſe non debet: nec fortuito caſu, qui arripuerit codicem, legere audeat ibi; ſed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens poſt miſſas, & communionem, petat ab omnibus pro ſe orari, vt auertat ab ipſo ſpiritum elationis. Et dicatur hic verſus in oratorio tertiò ab omnibus, ipſo tamen incipiente; Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Et ſic accepta benedictione ingrediatur ad legendum. Summumque fiat ſilentium ad menſam, vt nullius muſſitatio, vel uox, niſi ſolius legentis ibi audiatur. Quæ uerò neceſſaria ſunt comedentibus, ſic ſibi inuicem miniſtrent Fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, ſonitu cuiuſcumque ſigni potiùs petatur, quàm uoce. Ne præſumat ibi aliquis de ipſa lectione, aut aliunde quidquam referre ne detur occaſio; niſi fortè a Prior pro ædificatione uoluerit aliquid breuiter dicere. Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum priuſquam incipiat legere, propter communionem ſanctam, & ne fortè graue ſit ei ieiunium ſuſtinere. Poſtea autem cum coquinæ, & ſeruitoribus reficiat. b Fratres autem non per ordinem legant, ſed qui ædificent audientes.

a *Prior idem qui Præſes. Ipſi datur facultas obſcuriora in refectorio expendendi, & difficiliora explicandi: verùm non eſt in vſu.*

Ille, qui in refectorio præſidet apud Hiſpanos Ciſtertienſes, nonnunquam librum poſtulat, & lectionem proſequitur; & ita vtitur iure ſibi conceſſo, & ad ædificationem aliquid addit, nō quidem temerè, & inconſideratè, ſed ex eodem authore. Hic modus aptè exponit Regulam, & obuiam it innumeris incōuenientibus. Præſes, qui taceret, videretur paruipendere hoc Caput: qui ex tēpore concionaretur, ſuos auditores, & ſe ludibrio exponeret; qui præmeditata expenderet, multum temporis & laboris conſumeret; ergo vt nec Regulam nec Fratres: nec ſuam quietem contemnat, ſi refectionem ſuam ante alios abſoluerit, librum poſtulet, cùm voluerit, & quando voluerit, & in ſuo loco lectionē ſuſceptam incepto tono proſequatur.

b *Hæc periodus in cauſa eſt vt multi à lectione eximantur: nam qui neminem à ſeruitio refectorij excuſat, eximit à lectione vniuerſos, qui non habent legendi cantandique dexteritatem.*

TEXTVS. Cap. 39.

De menſura Ciborum.

1626. Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam ſextę, quàm nonæ omnibus menſis coacta duo pulmentaria, pro diuerſorum infirmitatibus, vt fortè, qui ex vno non potuerit edere, ex altero reficiatur. Ergo duo pulmentaria coacta Fratribus omnibus ſufficiant. Et ſi fuerint inde poma, aut naſcentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra vna propenſa ſufficiat in die, ſiue vna ſit refectio, ſiue prandij, & cœnæ. Quod ſi cœnaturi ſunt, de eadem libra tertia pars à Cellerario reſeruetur, reddenda cœnaturi. Quod ſi labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio & poteſtatę Abbatis erit, ſi expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, vt numquam Monacho ſubripiat indigeries. Quia nihil ſic contrarium eſt omni Chriſtiano, quomodo crapula, ſicut ait Dominus noſter; Videte ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate. Pueris verò minori ætate non eadem ſeruetur quantitas; ſed minor quàm maioribus, ſeruata in omnibus parcitate. Carnium quadrupedum omnino ab omnibus abſtineatur comeſtio, præter omnino debiles & ęgrotos.

De ciborum quantitate, & qualitate vix vlla eſſent dicenda, ni recentiores aliqui expeditas reſolutiones implicaſſent. Inſtitui hæc capita intermittere, quoniam ſibimet ſunt commentario, nec indigent expoſitione penitiore. Rebus tamen turbatis reduci ad controuerſiam video tot difficultates, vt inopem reddiderit me copia, & mutum vbertas ipſa diſputationis.

nis. Idcirco inſtitui edere Librum integrum de abſtinentia Monaſtica, in quo de cibis vetitis, & quantitate rationabili. Examinabo Medicus, & Theologus, ſintnè piſces carnibus præponendi? omneſne, an ſolùm quadrupedum carnes huius decreto Capitis interdicantur? Qui teneantur ab illis abſtinere: & cuius peccati reus, qui carne regulariter vetitas ſine licentia manducaueris? Ter, an quater in hebdomada comedi poſſint.

Petis, An carnium comeſtio abrogari poſſit à Capitulo Generali, vel Ordinario Abbate inuitis Religioſis. Reſpōdi n.632. legitimum carnium vſum pro feſſis interdici non poſſe. Qui ſint legitimi vſus & conſuetudines expoſui num. 635.636. 646.655.1330.pag.597. Poſſet autem profeſſuris interdici, ſi Ordo cederet priuilegijs Pontificum, qui carnes conceſſerunt.

QVAESTIO INCIDENS.

De Panis libra propenſa.

Curioſam potiùs quàm neceſſariam iudico illorum diligentiam, qui cognoſcendæ quantitati libræ Benedictinæ operam nauant. Placet reſolutio D. Iacobi du Breulmonaſterij S. Germani à Pratis Religioſi *in ſupplemento antiquitatum Vrbis Pariſiacæ pag.91.* aſſerentis libram Benedictinam continere triginta tres vncias, & dimidiam, hoc eſt excedere duas libras mercatorias. Hanc expoſitionem confirmat libra plūbea, quæ ſeruabatur apud Foſſatenſes quondam Monachos, nunc verò Canonicos, & teſte Stellartio *in libri Regularium cap. 30.* totidem vncias communes appēdebat. Panis cœnobij S. Medardi Sueſſionenſis anno 1571. erat triginta duarum. Hodie apud Hiſpanos communes panes pendunt ſimiliter triginta duas, & hæc panis quantitas famulis datur, quibus certa portio decernitur. Confirmat iſtam reſolutionem Caſſinenſium Declaratorium, vbi legitur. *Cùm pondus libræ (vt habuimus à Monaſterio Caſſinenſi) ſit vnciarum triginta trium & ſemis: vt vix tantum panis vnus Frater die vna manducare poſſit, volumus conſuetudinem noſtram ſeruari, vt ſcilicet apponatur panis quantum ſatis eſt.* Expedit aut dari panem ſine menſura (vel vt loquuntur Caſſinenſes, *quantum ſatis eſt*) aut in tanta copia vt cuilibet abundè ſufficiat: dedeceret enim Patrem-familias panem ſuis filijs limitare.

QVAESTIO ALTERA.

De Carne quadrupedum.

Hoc multi nomine non intelligunt aues, & exiſtimant hac regulariter comedi poſſe at Caſſinenſes in huius Cap. expoſitione. *Quadrupedum & multò magis volatilium; quam prohibitionem ſeruare volumus etiam in itinere conſtitutos.* Sed de hoc vberiùs libro particulari.

TEXTVS Caput 40.

De menſura Potus.

1617 Vnuſquiſque proprium habet donum ex Deo, alius ſic, alius verò ſic. Et ideo cum aliqua ſcrupuloſitate à nobis menſura victus aliorum conſtituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillita-

tem, credimus heminam vini per ſingulos ſufficere per diem. Quibus autem Deus donat tolerantiam abſtinentiæ, propriam ſe habituros mercedem ſciant. Quod ſi aut loci neceſſitas, aut labor, aut ardor æſtatis amplius popoſcerit, in arbitrio Prioris conſiſtat; conſiderans in omnibus ne ſubrepat ſatietas, vel ebrietas. Licèt legamus vinum omnino Monachorum non eſſe; ſed quia noſtris temporibus id Monachis perſuaderi non poteſt, ſaltem vel hoc conſentiamus, vt nō vſque ad ſatietatem bibamus, ſed parcius; quia vinum apoſtatare facit etiam ſapientes. Vbi autem neceſſitas loci expoſcit, ut nec ſupra ſcripta menſura inueniri poſſit, ſed multò minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc ante omnia admonentes, ut abſque murmuratione ſint Fratres.

Hoc caput variè exponitur pro gentium moribus, regionumque commoditatibus. Vinum Regula cōcedit; ſæpè negat rerum penuria, ſæpiùs regionis inclementia. In quantitate abuſus, non ſolùm cùm excedis, ſed etiam cùm videris excedere. Teneris conſeruare vitam, non quidem vtcumque, ſed honeſtè: ideo aliquando à vino abſtinere expedit licèt ſaluti neceſſariò; ſi honeſtatem dedeceat, & obſit famæ integritati. Sed in hoc ſtandū iudico patriæ moribus; quoniam, quæ non decent Hiſpanum, Germanum aliquando commendant.

QVAESTIO INCIDENS.

De Heminæ quantitate.

1617 b. Venerabilis Petrus du Mas Monaſterii Caſæ Benedicti Reformator: *Hemina (ſicut à quibuſdam expoſitoribus Regulæ accipimus) eſt quædam menſura continens vnam libram cum quarta parte alicuius liquoris. Et eſt quaſi tertia pars quartæ Pariſiēſis. Quę menſura ſatis eſt conſonat, & ſufficiens Religioſis. Ideo hanc menſuram volumus, & ordinamus cuilibet Religioſo monaſterio noſtri dare.* Smaragdus verò parciùs, *Hemina, ait, libram appendit vnam.* Foſſatenſes habebant pondus plumbeum Heminæ quantitatem determinans, quod appendebant vncias viginti quinque.

Heminæ menſura magna eſt ſi libra Benedictina habeat vncias triginta tres, & mediam, vt Caſſinenſes reſoluerunt in præcedentis Capitis explicatione. Continebat igitur Hemina vini vncias viginti quatuor, quarum quadraginta octo continet poculum. Confirmat hoc commentarius quo S. Iuſtinæ Congregatio hoc Caput 40. illuſtrat. Ibi lego. *Quia (vt monaſterio noſtro Caſſinenſi præcipimus) Hemina vini eſt multò plus quàm communi neceſſitati vnius Monachi ſufficiat. Ideo de vino damus vnicuique quantum ſufficit: ita tamen vt iuxta Regulam ebrietas, vel ſatietas non ſubrepat.* Vbi vini copia ſuppetit, vidi concedi quadrantem poculi (Hiſpanus diceret *la quarta parte de vna azumbre*) in refectione qualibet, ita tamen vt modeſtiam appetitus induat, & nemini degetur, ſi aliquando indiguerit, maior quantitas, dummodo extra horas communes non bibat. Cæremoniale Benedictinum Burſfeldenſe *diſt.* 3. *cap.* 18. aſſerit non plenè cognoſci qualis menſura ſit hæc Hemina: admonet tamen conſiderandam vini virtutē, quæ in Hiſpania eſt potentior, debilior in Germania.

Sanè

Sanè Benedictus nec libenter cibi, & potûs menſuras præſcripſit, nec ego libenter præſcribo. Laudo Caſſinenſes, apud quos Heminæ menſura non habet menſuram, nam dari dicitur quantum vini ſufficit ſaluti, & ſiti iuxta regulas decentiæ religioſç.

1617 c. Hominibus ingenuis non eſt ciborum quantitas determinanda, quam nec determinari vidimus ingenuorum mancipijs: quæ ſi determinetur, tanta ſit vt abundet. Scandalizantur imprudentes, cùm audiunt D. Benedictum duo pulmenta, duarum librarum communium panem, & ferè integrum vini poculum ſuis Religioſis indulſiſſe: prudentes Benedicti prouidentiam, & diſcretionem commendant. Viri enim modeſti, & graues non comedunt nec bibunt plus in opipara menſa, quàm in miſera, quia nunquam vltra neceſſitatem. Cibi igitur ſine limitatione dẽtur; vel, ſi taxa adhibeatur, talis ſit, quæ cuicumque ſufficiat. Inepti ſunt textores ſententiarum, qui iudicant hanc conſequentiam formalem: Apponitur: *ergo comeditur*. Apponitur ſuperabundans quantitas, vt vnuſquiſque vtatur prout prudenter iudicauerit ſibi expedire.

1617 d. Abſtinentiæ rigidç ex ſe bonæ ſunt, ſi non vitientur à circumſtantijs comitantibus: puta ſi Petrus, qui habet pſallendi officium, ita abſtineat vt vel non poſſit pſallere, vel non vt decet; cõdemno talem abſtinentiam, quia ipſe debet ſatisfacere officio perſonali, & ſufficienti cibo vti ne debilitatis cauſa reddatur ei pſalmodia aut impoſſibilis aut nimis oneroſa. Prudentia igitur, & modeſtia ita cibos determinet, vt corpori neceſſarios non neget, nec concedat ſuperfluos: qui ita fecerit, ſe refecit iuxta indictum Regulæ Benedictinæ.

1617 e. Omnia hæc quæ de ciborum menſura dixi aliquibus Religioſis non placent, qui deſiderarent habere comeſſandi & potitandi rigidum & ſeuerum prçceptum, vt virtutis ſpecie valedicere poſſent modeſtiç, & ſobrietati. Eos cõpeſcendo Antiſtites Germanicç Congregationis, meam ſententiam confirmant. Ediderunt in Comitiis Definitiones Prçſide Edmundo à Cruce nomine Capituli Generalis anno 1595. & cibos potumque quales, & quantos modeſtia, & neceſſitas poſtulet, iuſſerũt miniſtrari. Clara & vtilis eſt littera, digna, quç addatur, & legatur.

Detur Fratribus honeſta & competẽs portio cibi, & potus, habita ſemper ratione temporum, dierum & locorum. Sicubi defectum aliquem in hoc compererit Vicarius vel Viſitator Prouincialis, de eo conuenienter ordinabit, graues pœnas Abbatibus, & Prælatis id negligẽtibus infligendo. Seruent autem fratres in omnibus ſobrietatem, & temperantiam, ſine quibus caſtitatis virtus cuſtodiri nequit.

Refectionem ordinariam vltra præſcriptum eius terminum non protrahãt, nec ad eam perſonas ſæculares admittãt, & quod prohibet D. Benedictus, nullus præſumat ante ſtatutam horam, vel poſt ipſam quicquam potus vel cibi ſumere, ſed poſt vtramque refectionem abſtineant omnes ab intermedijs, diurnis, nocturniſque compotationibus & cõmeſſationibus, ne per eiuſmodi compotationes, & commeſſationes corda grauentur crapula, & ebrietate. Qui ebrius fuerit, toto ſequenti die nihil ei, niſi panis, & aqua detur in ſua refectione, quam in terra flexis genibus coram refectionis præſide ſumat, & diſciplina regulari ſubiaceat.

Vicarius cuiuſque Prouinciæ poterit moderari tenorem præfati ſtatuti, & diſpenſare de ipſa abſtinentia à carnibus prædictis diebus & temporibus, exceptis feria quarta, & ſtatutis Eccleſiæ diebus, pro locorum, temporum & perſonarum conditione ac neceſſitate, conſiderata difficultate prouidendi de alijs cibarijs, & ceſſantibus legitimis impedimentis. Et anno 1626. in ſtatutis latis

Cęſareę §. De Refectorio. *Prouideat Abbas vt neceſſaria Patribus in cibo, & potu, & ſalubria miniſtrentur.. Et inferiùs. Menſura cibi & potus in omnibus locis, & omnibus æqualiter conſtitui ac præſcribi cum nequeunt, Abbatum iudicio relinquitur, vt ipſi quod in Domino fieri poteſt, ac expedire iudicauerint faciant.*

1617 f. Reuerendiſſimus D. Thomas Abbas Salernitanus multa Monaſteria viſitauit, & reformauit, nec aliam cibi & potus menſuram admiſit, quàm quę videretur ſufficere. In chartis viſitationum anni 1618. legimus. *Prouidebit illis (Abbas) de ſufficientibus cibo & potu alijſque alimentis, maximè verò pane & vino ſalubribus.* Ecce quantitatem & qualitatem ciborum determinat. Sed quales ipſi? ſalubres, quanti? ſufficientes.

1617 g. Non aliter D. Ioannes Abbas Cęſareenſes, qui in vno decreto, quod tulit anno 1624. ſic ſcribit. *D. Abbas ita conuentum ſuum tractet, vt nullam cauſam habeat murmurandi. ..... Prouidebit ergo eiſdem de ſufficientibus cibo, & potu alijſque alimentis, veſtibus inſuper tam hyemalibus quàm eſt valibus honeſtis, & tempore ſuo.*

Ita etiam alii prudentiſſimi Antiſtites: ita etiam Ego facio, & omnes facere omnino deſidero.

T E X T V S. Caput 37.

De Senibus, vel Infantibus.

1618 Licèt ipſa natura humana trahatur ad miſericordiam in his ætatibus, ſenum videlicet, & infantum; tamen & Regulæ authoritas eis proſpiciat. Conſideretur ſemper in eis imbecillitas, & nullatenus eis diſtrictio Regulæ teneatur in alimentis; ſed ſit in eis pia conſideratio, & præueniant horas Canonicas.

Admiror Patris noſtri pietatem: hoc caput plenum diſcretione, plenum doctrina. Experientia nos docet præter ægrotos omnes alios poſſe communibus horis comedere, & cœnare, nec aliquod eſt Monaſterium quod Senibus careat; conceditur illis nihilominus horas communes præuenire, & comedere ante Communitatem; ſciebat enim Vir Sapiens meritum non conſiſtere in difficultate operum, ſed in perfectione. Facilius eſt Patrem amaſſe quàm odiſſe. Voluntas vt Patrem diligat à Pietate inclinatur imò, & determinatur, à beneficijs rapitur, à fauoribus circumuenitur: eadem vt Patrem perſequatur debilis eſt: contra rationem, contra pietatem bella gerit; impetitur ab aduertentijs, & tandem aut debet vltrò cœcutire, aut beneficiorum conſiderationi ſubſiſtere. Cæterùm licèt diligere Parentes ſit facile, perſequi vix poſſibile; illud aureola cœleſti dignum eſt, hoc pęna. Voluit igitur D. Benedictus domum Dei ſapienter gubernari; omnia illa, quæ nimis difficilia viderentur, arcere: reddere ſecuras animas, non tamen importabile Chriſtianæ conuerſationis iugum, quod à Deo non eſt, cùm Antiſtitum aſperitate fit, vt deſinat eſſe, & ſuaue & leue.

T E X T V S Cap. 54.

Si omnes æqualiter debeant neceſſarias accipere.

1619. Sicut ſcriptum eſt: Diuidebatur ſingulis prout cuique opus erat. Vbi non dicimus, vt perſonarum (quod abſit) acceptio ſit; ſed infirmitatum conſideratio. Vbi qui minus indiget, agat Deo gratias & non contriſtetur. Qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro miſericordia; & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumque cauſa in aliquo qualicumque verbo, vel ſignificatione appareat. Quod ſi deprehenſus fuerit quis, diſtrictiori diſciplinæ ſubdatur.

Summa æqualitas iniquitas ſuprema eſt. Si omnia æqualiter diſtribuantur, neceſſariò fiet vt alter recipiat ſuperflua, alter neceſſarijs careat. Sic etiam ſi omnes cogerentur operari æqualiter; hic otiaretur, ille ſuccumberet labori intolerabili: igitur rerum diſpoſitio ſumma diſcretione condiatur. Antiſtes morem gerat omnibus, vt omnium mores regat: negligentias corrigat, & exorbitantias eradices.

T E X T V S. Cap. 55.

De indumentis Fratrum.

1620. Veſtimenta Fratribus ſecundùm locorum qualitatem vbi habitant, vel aerum temperiem dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus. Hæc ergo conſideratio penes Abbatem ſit. Nos tamen mediocribus locis ſufficere credimus Monachis per ſingulos cucullam & tunicam, cucullam in hyeme villoſam, in æſtate puram, aut vetuſtam, & ſcapulare propter opera. Indumenta pedum, pedules, & caligas. De quarum rerum omnium colore, aut groſſitudine non cauſentur Monachi, ſed quales inueniri poſſunt in Prouincia qua habitant, aut quod vilius comparari poteſt. Abbas autem de menſura prouideat, vt non ſint curta ipſa veſtimenta vtentibus ea, ſed menſurata. Accipientes noua, vetera ſemper reddant in præſenti, deponenda in veſtiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas, & duas cucullas habere propter noctes, & propter lauare ipſa res; Iam quod ſupra fuerit, ſuperfluum eſt, & amputari debet. Et pedules, & quodcumque eſt vetuſtum, reddant

dant cùm accipiunt nouum. Femoralia, hi qui in via diriguntur, de veſtiario accipiant: qui reuertentes lota ibi reſtituant. Et cucullæ, & tunicæ ſint aliquanto his, quas habere ſoliti ſunt, modicè meliores: quas exeuntes in viam accipiant de veſtiario, & reuertentes reſtituant. Stramenta autem lectorum ſufficiant matta, ſagum, lena, & capitale. Qui tamen lecti frequenter ab Abbate ſcrutandi ſunt propter opus peculiare, ne inueniatur: & ſi cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauiſſimæ diſciplinæ ſubiaceat. Et vt hoc vitium peculiare radicitùs amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria, id eſt, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mapula, tabulę, vt omnis auferatur neceſſitatis excuſatio. A quo tamen Abbate ſemper conſideretur illa ſententia Actuum Apoſtolorum: quia dabatur ſingulis prout cuique opus erat. Ita ergo, & Abbas conſideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs ſuis Dei retributionem cogitet.

Colore a.] *Semper credidi nullum colorem à ſancta Regula eſſe determinatum, Purpureus, Ruber, Cæruleus, & his ſimiles, quia prophani ſunt, Monacho interdicuntur, ſed à modeſtia potiùs quàm à lege. Cardinalis Ioannes de Turrecremata & alij aptè ſic explicāt. De colore, ſi modeſtus is ſit, non cauſſentur Monachi. Modeſtum colorem illum nomino, quo modeſti vtuntur. Talis brunus, gryſeus, niger, albus, hos enim in monaſterijs admittunt etiam Benedicto ſuperſtite, quorum ſententiam roborat communis vſus, quem expendi ſuperiùs anum. 375. vbi ago de antiquo habitu Benedictinorum.*

QVAESTIO I. OCCVRRENS.

An illis prioribus ſæculis Benedictinorum habitus fuerit concolor.

Noſter Craesbeckius id aſſerit *in illuſtratione huius Capitis*, & textum Regulæ non de colorum ſpeciebus explicat, ſed de eiuſdem coloris perfectione, ſolent enim ſub eadem coloris ſpecie nitidiores & viliores reperiri. Reor tamen ex decreto Regulę veſtes non debere eſſe concolores, poſſeque Benedictinos Religioſos vti quocumque modeſto habitu iuxta arbitrium Abbatis. Ex accidenti incepit vniformitas colorum introduci, quoniam materiæ integra, quæ multis ſufficerent veſtibus, facilius texebantur, commodiùs emebantur, & ſic accidit vt plures primò comparerent in concolori habitu, poſtea vt omnes. Nec doctè illi, qui exigunt in veſtibus vniformitatem neceſſariam, multæ enim communitates optimè gubernatæ de veſtibus non curant, talis eſt Reſpublica Benedictina, cui concolores veſtes induxit conſuetudo, non lex aliqua particularis. De colore veſtium multi alij, proderit videre Conſtitutionem Caſſinenſium, qui illa verba. *De colore non cauſentur Monachi*, ſic exponunt. *Propter hanc cauſam in ſtatu Monaſtico varius inoleuit mos, & veſtium colore nos autem aſſumpſimus colorem nigrum, Beatiſs. Patrem noſtrū Benedictum ſectantes, qui (vt legimus) nigro vſus eſt colore. Idcircò ordina-*

dinamus quod omnes Congregationis noſtræ Monachi vniformiter eadẽ qualitate pannorum nigrorum, quantum poſſibile fuerit veſtiantur. Et hoc intelligimus de Cucullis, Scapularibus, tunicis, Mantellis, & viretis. De alijs veſtimentis interioribus, ſtatuimus, quod ſint alba vel nigra, vel berina. Nec vllus colore rubro vti audeat omnino aut purpureo in quouis veſtium genere, etiamſi occultiſſimè deferri poſſent. Caligas autem, & pedules albi volumus eſſe coloris. Et in prædictis veſtibus ſeruetur eadem penitus æqualitas, & vniformitas in omnibus. Caueant inſuper omnes cingulis ſericis, aut etiam laneis ſuper Tunicam, ſed omninò vtātur cingulis ex corio confectis. De veſtibus lege aureum decretum ſanctum à D. Auguſtino in ſuæ Reg. cap. 4. infrà num. 1848. Lege Epiſtolam Petri Venerabilis (eſt libr. V. decima ſexta) vel ſaltem verba, quæ cito numer. 374. ex quibus conſtabit liquidò nullam dari de habitu Benedictino legem. Vtrùm mutatio habitus nouam conſtituat Religionem expoſui *numer.* 373. veterum Benedictinorum habitum deſcripſi *numer.* 375.

QVAESTIO II. OCCVRRENS.

An debeant Benedictini eum cucullis comedere?

Varias conſtitutiones reperio, varios mores. D. Nicolaus Boucherat in Specioſa valle anno 1615. hanc legem tulit. *Refectionem conuentualem omnes cucullis induti ab vno menſa latere ſedentes accipiant.* Et anno 1624. D. Ioannes Cæſareenſis Antiſtes in eodem Monaſterio *Refectorium quoque ad religioſam regularemque comeſtionem in cucullis nigris, &c.* In tota Hiſpanorum Ciſtertienſium obſeruantia in ſcapulari (hoc eſt, ſine cucullis vadunt ad menſam.) Res eſt omninò accidentaria, nec Regulæ diſſona nec conſona, adeoque vnuſquiſque mores ſui cœnobij conſeruet.

DISPVTATIO CXXIX.

An ſit contra deuotam paupertatem procurare veſtes neceſſarias, quas negauerit Abbas.

1620 b. IN Religione N. quiſpiam Antiſtes non dabat veſtes Religioſis, dicebat ſe eas eſse daturum, ideoque nec petendi à parentibus licentiam concedebat; videbat tamen veſtes, & ſuppellectilia quædam quæ ipſe non dederat, & quaſi neſciret tolerabat. Cõſultus ab huiuſmodi Monachis de ea re, reſpondi:

Primò, Abbatem peccaſſe grauiter negando neceſsaria ſuis filijs, maximè quia monaſterium erat opulentum, & diues, ſufficiens vt omnia fierent regulariter. Poterat Antiſtes ille à Religioſis coram Abbate Patre conueniri; imò & debebat condemnari.

Secundò, teneri concedere tales licentias, quia ex hypotheſi quod veſtes neget, tenetur ſaltem permittere, vt eas aliunde procurent. Eum tamen tales licentias conceſſiſſe cenſeo, qui ſua videbat præcepta violari, & ſe neſcire ſimulabat.

labat. Cæterùm, licèt aliunde petendi facultas negaretur, poterant Religioſis etiam inſcio, & inuito Prælato ſibi de neceſſarijs prouidere, puta, vel petendo à parentibus, vel artefacta commutando: non enim poteſt Monachus cogi vt neceſſarijs ante ſententiam careat; neceſſaria inquam, quæ vel poſtulat modeſtia, vel Regula noſtra concedit. *Ante ſententiam* inquam; quia ſi culpæ ſint tales, quæ pœnam aliquam requirant, poterit Religioſus puniri, & damnari vt multis rebus neceſſarijs careat, & ſiquidem commiſit culpã debebit pœnitentiam admittere.

1621 *Conſulor iterum.* Petrus eiuſdem monaſterii Religioſus recepit à parente quatuor veſtes, cumque ex indicto Regulæ debeat tantummodo habere duas, petijt, An teneretur duas alias dare Antiſtiti; erant enim in Petri opinione ſuperflua.

Reſpondi negatiuè: & mouebar hac ratione. Debet cibos ſeruare, qui ſcit ſe poſteà non repetturum eſſe. Si Petrus ſolùm reſeruaret duas veſtes, eas duobus aut tribus ânnis terret, & deinceps aut cogeretur ire nudus, aut nouis ſolicitudinibus ſibi neceſſarias procurare; ergo, ne ſe exponat periculis, & difficultatibus, retineat illas quatuor veſtes, non enim ſuperfluæ dicendæ, illius reſpectu, qui Tyranno ſubeſt, & ſcit ſe, cùm indiguerit, decentes non impetraturum.

Verùm, cum in Benedictinis monaſteriis ſemper prouideatur Religioſis de omnibus neceſſariis, ita vt nullus iuſtè cauſari queat, aſſero peccare eum qui ſine ſui Abbatis licentia quidpiam à peregrinis recipit, ſi velit ipſam rei ſubſtantiam occultare. Vide ea omnia quæ ſuperiùs diximus, agentes de Paupertate.

TEXTVS. Caput 22.

Quomodo dormiant Monachi.

1622. Singuli per ſingulos lectos dormiant. Lectiſternia pro modo conuerſationis ſecundùm diſpoſitionem Abbatis ſui accipiant. Si poteſt fieri, omnes in vnum locum dormiant. Si autem multitudo non ſinit; deni, aut viceni cum Senioribus, qui ſuper eos ſoliciti ſint, pauſent. Candela iugiter in eadem cella ardeat vſque manè. Veſtiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus: & cultellos non habeant ad latus dum dormiunt, ne fortè per ſomnum vulnerentur dormientes. Et vt parati ſint Monachi ſemper, & facto ſigno, abſque mora ſurgentes, feſtinent inuicem ſe præuenire ad opus Dei, cum omni grauitate, & modeſtia. Adoleſcentiores Fratres iuxta ſe non habeant lectos; ſed permixti cum Senioribus. Surgentes verò, ad opus Dei inuicem ſe moderatè cohortentur, propter ſomnolentorum excuſationes.

Olim in dormitorio communi ſubdiuiſiones erant pro lectiſternijs ſingulorum. Experientia nos docuit nonnullæ inde prouenire inconuenientia, ideoque ince-

inceperunt cellæ erigi, in quibus ſeorſim ſinguli ſed in eodem dormitorio habitarent. Cætera diſcretè diſponuntur, & apprimè obſeruantur.

Veſtiti iubentur dormire Religioſi, vt parati ſint audito ſigno ſurgere, & omni diligentia feſtinare. Petitur, An illi qui ad Matutinas non ſunt ſurrecturi, Abbate ipſo diſpenſante, teneantur veſtiti dormire. Reſpondi ſuperiùs num. 717. & 731.

Caſſinenſes in hoc caput, Declaramus, *inquiunt*, hoc modo veſtitos dormire Fratres; cum ſcapulari ſcilicet, & capucio ſicut in die ſuper tunicellam propter munditiam, quod habet quaſi formam cucullæ ſecundum Clementinam. *Ciſterſienſes Hiſpani ex priuilegio Pontificio dormiunt cum tunica toga interiori, capucio, cui adnexum ſcapulare paruum, & tibialibus. Sed multi qui ſeueriori diſciplina vacant dormiunt cũ cucullis.*

MAGISTER INFIRMORVM.

1623 Lícèt infirmorum curam Cellerario ſpecialiter D. Benedictus commiſerit, in cœnobijs tamen maioribus deputatur Magiſter infirmorum, qui laborantibus proſpiciat. & aliquem debere denominari, qui ſpecialem habeat curam infirmorum, conſtat ex Regulæ capite 31. vbi legitur: *Si congregatio maior fuerit, ſolatia ei dentur, à quibus adiutus & ipſe æquo animo impleat officium ſibi commiſſum.* Ergo Magiſter infirmorum Cellerarij quaſi Coadiutor ægrorum cura, quæ aliàs ad Cellerarium pertineret.

Magiſtri infirmorum officium honorificũm eſt, & committitur pio & prudenti ſeniori, qui ratione ſui muneris tenetur ægros frequenter inuiſere, Medicum venientem comitari, iubere horis competentibus vt Conuerſi: aut Iuniores, qui ægrotis ſeruiunt, exhibeant pharmaca ordinata, inuigilare laborantium ſeruitio, ne incuria, & negligentia ſeruientium neceſſarijs careant. Committitur ei Infirmitorii regimen, ergo, & in ægros ac ſeruitores iuriſdictio abſoluta, ſed tamen delegata.

Magiſter infirmorum tenetur ſeruire ægrotis etiam cum mortis periculo probabili, expendi *num.* 561. Abbas tenetur inuiſere, conſolari, & adiuuare ægrotos, etiam cum probabili mortis periculo. *ibidem*. de hoc vberiùs opuſculo particulari. Vide Auguſtinianæ Regulæ cap. 2.

TEXTVS Cap. 36.

De infirmis Fratribus.

1624. Infirmorum cura ante omnia, & ſuper omnia adhibenda eſt, vt ſicut reuera Chriſto, ita eis ſeruiatur, quia ipſe dixit: *Infirmus fui, et viſitaſtis me. Et quod feciſtis vni de his minimis meis, mihi feciſtis.* Sed & ipſi infirmi conſiderent in honorem Dei ſibi ſeruiri, & non ſuperfluitate ſua contriſtent Fratres, ſuos ſeruientes. Qui tamen patienter portandi ſunt, quia de talibus copioſior merces acquiritur. Ergo,

cura

cura maxima ſit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus Fratribus infirmis ſit cella [a] ſuper ſe deputata, [b] & ſeruitor timens Deum, & diligens, ac ſolicitus. [c] Balneorum vſus infirmis quotiens expedit offeratur: ſanis autem, & maximè iuuenibus tardiùs concedatur. Sed & carnium eſus infirmis, omninoque debilibus pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more ſolito omnes abſtineant. [b] Cura autem maxima ſit Abbati, ne à Cellerarijs, aut ſeruitoribus negligantur infirmi, quia ad ipſum reſpicit, quidquid à diſcipulis delinquitur.

Verba omnia fortia ſunt, & quæ debent altas radices in cordibus Abbatum agere. Seuere admonentur Abbates à Congregationis Germanicæ Patribus, qui in Comitijs ſuis anno 1595. ſic. Abbates iuxta Regulæ præceptum valdè ſolliciti ſint, ne infirmi aliquam neceſſitatem patiantur, ſed eis omnibus ſicuti Chriſto inſeruiatur, prouideaturque de omnibus neceſſarijs, tàm medicinis, quàm de cibo & potu, alijſque ſolatijs, & vt commodiùs omnia eiſdem infirmis præſtentur, in monaſteriis vbi non ſunt infirmitoria, præcipimus diſtrictim Abbatibus vt infra ſemeſtre curent infirmitoria parari, vbi camini conſtruantur, & cætera infirmis neceſſaria præparentur. Infirmis verò antequam cellam infirmorum ingrediatur, præmittat confeſſionem peccatorum, & S. Euchariſtiam ſumat.

a Super ſe.] *Hiſpanè aptè & ad litteram transferam. Deputeſe a los enfermes celda de por ſi,* hoc eſt, *cella particularis.* Sed inquiris. *An ægri poſſint in ſuis cellis curari, an verò omninò expediat dari locus ſpecialis pro illis? & ſi expediat, An hæc lex ſit conſilium an vero præceptum?* Reſpondit *D. Nicolaus Boucherat anno 1615. nam in viſitatione Speciosæ vallenſis Monaſterij ſic inquit. [Iuxta Regulæ præceptum R. D. Abbas locum pro fratribus infirmis deputatum neceſſaria inſtruat ſupellectile.]*

b *Magiſtrum eſſe infirmorum (Hiſpanè Enfermero) vni Antiſtiti primariò competit, vni Antiſtiti à Regula noſtra commendatur, ceterùm cùm Abbas omnibus rebus non poſſit immediatè proſpicere, ſubſtituat Seniorem diligentem & timentem Deum, qui ſeruitoribus Conuerſis, & Iunioribus inuigilet, ne ægroti ob eorum ignauiam patiantur.*

Qualiter ipſi ægri debeant officio Diuino ſatisfacere, declaraui ſuperius à n. 1429. ad 1436.

c Balneorum, & carnium vſus.] *Ne obſoleta quidem ſolatia audet ægrotis negare Benedictus, condolet laborantibus, nec vult labores nouos ſuperaddere. Si ergo Inſtitutor noſter Sanctiſſimus indulget ægris, quæ ſanis omnino interdicit, cur obſeruantiæ ſpecie Præſides ſolent ægris negare, quæ omni robuſto conceduntur? Si æger ab amicis inuiſatur, ſi ad hortos diuertat ſolaminis, & diſtractionis cauſa, non debent ſeptuaginta interpretes, qui illas actiones transferant in varias linguas. Cur non legit ſuas Horas, inquiunt, qui poteſt in multis horis loqui? cur non venit ad chorum, qui ſat robuſtus eſt vt ad hortum excurrat? Hæc & ſimilia audiui circumferri, vtinam Præſides huiuſmodi impietati non ſubſcribant. Scire velim, An ſit æquè moleſtum legere, & conuerſari? Hoc ægrotum reſtituit, recreat, diſtrahit, conſolatur: illud vexat, torquet, & nonnunquam proſternit. Præterea quæ materiæ connexio in*

bis

pis diſtarſibus. Deambulat vno quadrante horæ in ſolario, aut pomœrio, ergo poteſt venire ad Matutinas, & tota die cantare in choro? Ignoſcāt mihi prudentes, & humani Præſides, ipſos non corrigo, ipſis tamen denuncio multorum inclementiam, qui deberent deponi.

Aliqui ſunt mortificationis ſtudioſi, qui ſi prudentia careant, nec ſibi nec reliquis parcent. Eſto, ſibi non parcant, cur alios volunt ſubijcere eidem rigori? nemo enim cogendus eſt vltra limites ſuæ obligationis, & ægroti ad ſummum obſeruantiæ rigorem non tenentur.

Sed dices. Domine, laborantibus condoleo, condeſcendo, at Petrus non ita malè habet vt aſſerit, ſatisfacere poteſt communibus obligationibus.

An non iam incipis ſæuire in honorē, qui hucuſque in vitam? Non ſufficit tuę crudelitati negare neceſſaria miſero, ſed vt tuam inhumanitatem tuearis, ipſum temerè de mendacio, & morum peruerſione incuſas? Pudeat obſecro, pudeat ægrotos perſequi.

Finem impono huic materiæ, ne incipiam feriò illam tractare. Deſino, Deum orans, vt tanta charitas erga ægrotos & pauperes vbique vigeat, vt cenſear hæc ſine cauſâ peroraſſe. Addā tamen me non eſſe ſolum, qui hæc vrgeo, nam, & Reuerendiſſimus D. Thomas Abbas Salemitanus in chartis viſitationum omnem ſuſpicionem, quæ ægrotis ſit ſeuera proſcribit, iubetq; [vt præſides non ſint indiſcreti, affectuum impotentes erga infirmos....... duri, immiſericordes, increduli.]

Sic in Specioſa valle,
anno 1618.

SACRISTA.

1625 A Nonnullis *Miſſarum Magiſter* nominatur, debet eſſe talis, cui plurima committi poſſint. Primò ipſi creditur theſaurus Eccleſiaſticus, qui in Benedictinis cœnobiis pretioſiſſimus eſt. Ipſius curæ, & cuſtodiæ committitur argentum, aurum, ſericum, fuſum, ſculptum, acupictum: nempe cruces, calices, patinæ, candelabra, aquales, & quæcumque alia pro Eccleſiæ ſeruitio aurifex curioſus præparauerit. Eius intereſt rerum nitor, altarium puritas, & cęremoniarum obſeruantia. Omnia præparare debet vt Sacerdotes tam publicè, quàm priuatim lecturi, habeant ornamenta decentia quotieſcumque debuerint celebrare.

TEXTVS Caput 62.

De Sacerdotibus monaſterij.

1626. Si quis Abbas ſibi Presbyterum, aut Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligat qui dignus ſit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem caueat elationem, aut ſuperbiam, nec quicquam præſumat, niſi quod ei ab Abbate præcipitur, ſciens ſe multò magis diſciplinæ ſubditum. Nec occaſione Sacerdotij obliuiſcatur Regulæ obedientiam, & diſciplinam; ſed magis, ac magis in Deum proficiat. Locum verò illum ſemper attendat, quo ingreſſus eſt monaſterium, præter offi-

cium.

cium Altaris, & ſi fortè electio congregationis, & voluntas Abbatis; pro vitæ merito eum promouere voluerit.

Notabo hic aliqua, quæ fortè non omnibus nota. Aſſerunt communiter Theologi neminem præter Epiſcopos poſſe conferre ordines ſacros, illos, inquam, quos maiores dicimus, contrarium tamen probabilius eſt legitima praxi confirmante: nam Abbati Ciſtercij, & quatuor Primis Coabbatibus conceditur ab Innocentio VIII. anno 1489. vt Subdiaconatus & Diaconatus ordines conferant, illis nimirum quibuſcumque totius Ordinis, iſti ſuorum Monaſteriorum Religioſis: Hoc priuilegiũ eſt in praxi, & hodie ſuperſunt qui ad maiores ordines ab his Abbatibus fuerunt promoti. Cumque Coabbatibus cõceditur, monaſteriorum ſuorum Religioſos poſſe ad illos ordines promouere: nomine Monaſteriorum ſuorum omnes Filiationes veniunt intelligendæ, ſunt enim Coabbatũ monaſteria quibus præſunt authoritate extraordinaria. Citant hoc priuilegium Victoria teſtis oculatus. Nauarrus Conſil. 13. lib. 15. de priuileg. Rodriguez de Regul. tom. 1. quæ. 18. artic. 3. & 4. & Philibertus Marchinus Nouarienſis tractat. 1. de Sacrament. Ordin. part. 2. cap. 13. num. 9. Vivaldus, & Chamerota hoc à Tridentina Synodo reuocatum aſſerunt, ſed notante citato Philiberto non probant, imò eos hoc improbabiliter aſſerere, conſtat ex praxi quæ etiam hodie perennat.

In eiuſdem Priuilegij numer. 7. conceditur his quinque Abbatibus celebrare, & audire Miſſam antequam elucescat.

DISPVTATIO CXXX.

De Proceſſionibus, & Miſſis. De inclinationibus, & genuflexionibus nonnulla, quæ valdè notanda.

1627 IN maioribus ſolennitatibus publicæ proceſſiones fiũt, ad quas neceſſaria ſunt plurima quæ à Sacriſta debent præparari. Aliqua obſeruaui, quę iuuat breuiter expendere.

Cæremoniæ, non niſi cæremoniæ ſunt, ideo nunquam contemnendæ, nec ſemper maximi faciendæ. Qui res paruas magni fecerit, fortè & magnas faciet parui. Cæterùm cenſeo nonnunquam contingere, vt cæremoniæ res magni momenti ſint iudicandæ. Quid leuius quàm pileum deponere? ſed crimen eſſet id non facere præſente Rege. Idcirco iudico occaſiones poſſe dari, in quibus cæremoniæ Eccleſiaſticæ à fine deſumant magnitudinem, & notabiles euadant. Omnia conſideratione indigent; & ſiquidem Catholici, qui errant, pertinaces non ſunt, indigent inſtructione.

Cæremonias igitur diuido, in duas claſſes, quarum prima ſubſtantiales contineat, altera accidentarias. *Subſtantiales* dico, quæ cultus ſubſtantiam reſpiciunt, & ſtantibus communibus ritibus

alterari non poſſunt. *Accidentarias* verò illas, quæ cultum non conſtituunt, ſed ornant. Subſtantiales definio eſſe ſenſibiles indices cultus inſenſibilis, in quibus formaliter conſiſtit cultus extrinſecus. Apud Græcos genuflexio erat latriæ ſignum, conſtat ex Plutarcho *in Artaxerxe*, quem Legati Thebani non audebant genuflexione colere, quia hæc tribuebatur in Græcia ſoli Deo. Apud Hebræos circuitus erat Theolatrica adoratio, conſtat ex Poeta Rege, qui Pſalmo 22. ait: *Circumdabo Altare tuum Domine*, hoc eſt, Adorabo; vnde ſubiicit, *Pes meus ſtetit in directo*, hoc eſt, non eſt ſequutus eos, qui tibi circuitum Theolatricum negabant. Hinc breuiter non breuis lux multis ſacræ paginę teſtimonijs. Iob (cap. 10. 8.) dicit Deo. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu, & ſic repentè præcipitas me?* Ac ſi diceret, Creaſti me, vt totus ſtuderem circuitu & adorationi Theolatricę: qui tuum altare deuotus circumeam, ſi deijcis me? Peccaret ergo mortaliter Græcus ſi genuflexione, & Hebræus ſi circuitione purum hominem coleret. Chriſtiani Theolatrico cultui dicarunt reuerentiam ſummam, ſummam inquam, non abſolutè, ſed relatiuè; ideò diſcretione vti oportet, ne ſubſtantiales cæremonias & cultum confundamus.

1628 Ordiar cæremonias ſubſtantiales expendere, in quibus ratio hominem exteriorem dirigit, & non voluntas ex lex, Sanctorum imagines (modò non ſit expoſitum Sacramentum, nec adſit crux, aut Chriſti imago) inclinatione.

1629 Præſente ſigno aliquo, cui debetur latria, nemini genuflectimus. Ideò in Eccleſijs genuflectimus ante venerabile Sacramentum: ante imagines inclinamur: ſi genuflectimus ante altaria, non id propter Sanctum, qui ſecundario colitur, ſed propter Crucem, quæ primariò adoratur. Hæc religio rationabilis eſt: quia maiori Deus veneratione coli debet, quàm homines; & mortales non habent in vſu reuerentiam maiorem genuflectione; ergo in Eccleſijs nulli Sancto genuflectendum, ſed vni Deo. Genuflectionis cultum concedo Sanctis abſolutè, non relatiuè, hoc eſt, non præſente Cruce aut Dei ſigno: quia genuflectio non eſt abſolutè latriæ cultus, ſed relatiuè; Nam, vt dixi, coli debet Deus eminentiſſima reuerentia: & genuflectione noſtrates nulla maior. In Cõgregationibus diuerſis, imò, & in diuerſis monaſterijs diuerſi ritus ſunt, diuerſi mores. Apud Caſſinenſes, vt conſtat ex ipſorum declarationibus in Caput XX. Regulæ, frequentiores genuflectiones ſunt, quàm alibi. Sic enim inquiũt. *Flectimus genua, quando incipitur Hymnus, Aue maris ſtella, & in Hymno S. Crucis, cum dicitur; O Crux aue Spes vnica. Et in Hymno, Pãge lingua, in feſto Corporis Chriſti, cum dicitur, Tantũ ergo Sacramentum. Et in Hymno, Te Deũ laudamus, quando dicitur verſus: Te ergo quæſumus tuis, etc. Et quando dicitur Antiph. Salue Regina. Et Antiphona, Aue Regina cęlorum: excepto à vigilia Aſcenſionis vſq; ad Octauam Pẽtecoſtes incluſiuè. Item in Miſſa, quando dicitur verſus, flectamus genua. Item quando dicitur verſus. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, in Tractatu Quadrageſimæ. Item in principio Hymni: Veni creator Spiritus. Et in Miſſa de Domina, quando dicitur, Salue ſancta Parẽs. Et in Miſſa de Spiritu ſancto quando dicitur; Veni ſancte Spiritus.*

1630 In proceſſionibus errat Crucifer, ſi alicui imagini inclinet: imò ſi venerabili Sacramento. Regium labarum nulli ſubdito Signifer ſubijcit, imò nec ipſi Regi. Deo Crucem ſupponere, idololatrica, aut Arianica cæremonia eſt, quia latriæ venerationem nemini concedimus, qui minor Deo. Ergo eo genere, quo Crux adoratur, Deus eſt; & ſi Deus, non eſt Deo minor, & ſi nõ minor,

minor, nõ eſt ſubijcienda Deo. De adoratione imaginum alibi vberiùs, nunc breuiter. Cultus latricus non niſi Deo. Crux, nomina *Deus, Ieſus*, & ſimilia non adorantur phyſicè, quoniam phyſicè illa lignum eſt, hæc voces; & phyſicè Deitatem non habent. Adorantur, vt quo, & *vt ſigna*, & quà talia intentionalia ſunt, & in genere rerum intentionali à Deo non diſtinguuntur. Sed hoc indiget expoſitione prolixiore. Cautum eſt lege apud Ciſtercienſes Hiſpanos, ne Cruciger, aut qui Chriſti labarum ſequuntur, imaginibus Sanctorum inclinent: ratio legis eſt euidens. De Crucigero illa, quam poſui, valde efficax, & ſpecialis: de reliquis hæc quæ ſubijcitur. Qui Crucem in proceſſione ſequuntur, actualiter Crucem colunt per modum cõmunitatis: dedecet igitur quod vnus particularis indiſcreta deuotio actum religionis diſcrepat, communitatem ſubdiuidat, & præponat creaturam creatori. Cùm ergo proceditur præeunte Cruce, nemo inclinetur nè quidem Crucis imagini; nam crucium differentia materialis eſt, cùm formaliter intentionaliter plures cruces non dentur: quia omnes formaliter intentionaliter ſunt vnus Deus, hoc eſt, ſunt indices eiuſdem Dei. Ideò Romanæ Rubricæ, genuflectente toto Clero, Cruciferum eximunt à genuflectione. Vide Sabbati ſancti Rubricam, cùm Diaconus haſtam igniferam erigit, cum ipſo omnes genuflectunt, Subdiacono ſtante, quia Crucem defert. Hinc conſtat errare etiam Cruciferum, qui genuflectit ante B. Mariæ imaginem in proceſſionibus ſabbatinis dum canitur verſus *Mõſtra te eſſe Matrem*: imò cruce præſente & præeunte Communitas non debet alij genuflectere quàm ipſi cruci, ni velit dici plus deferens creaturæ, quàm creatori; virgo enim debet coli, ſed non plus quàm crux.

De Miſſis, quæ coram Communitate celebrantur.

CASVS I.

1631. Dum Cõmunitas ſtaret in choro Miſſa in altari collaterali legebatur. Eleuatam hoſtiã & calicẽ adorabat Petrus genuflexus, Petrus inquam ſolus, quia ſolus poterat altare reſpicere ex ſuo loco, quod alij non poterant impediẽte opacitate columnarum. Petitur, an Petrus iuſtè reprehendi poſſit.

Nunquam vidi huiuſmodi actionem non argui; quia ipſe eſt in choro nõ quà Petrus, ſed quà congregationis membrum: nec debet turbare actum Cõmunitatis colentis eundem Deum non vtcumque ſed adoratione latrica; non .n. à Deo interuentum petimus (nam hunc à Sanctis) ſed miſericordiam, gratiam, quam Sancti non dant, ſed poſtulãt noſtris orationibus ſolicitati. Ergo videtur Petrus aſſerere ſe non colere Deum quẽ communitas, dum cultum publicum omittens trãſit ad cultum ſingularem. Ne genuflectat ergo: quia actualiter Deo cultum latriæ exhibet poſtulantem ex indicto publico cæremonias & reuerentias competentes.

CASVS II.

1632 Maior eſt difficultas, quando tempore officij Canonici Miſſa aliquã in ſummo altari celebratur. A tota communitate auditur; Sacerdos videtur ab omnibus; & ſi omnes genuflectant, nulla ſingularitas eſt culpanda. Conſulor, vtrùm ad eleuationem debeat conuentus genuflectere: an debeat cæremonias communes obſeruare.

Vtrumque vidi indici in grauiſſimis cœnobijs à doctis & peritis Abbatibus. Pro genuflexione ſtat indoctorum ſcandalum, qui terrerentur ſi tunc ſtantem viderent integram communitatem. Pro omiſſione talis genuflexionis eſt fortiſſima

ſima ratio : nam cæteris paribus actus communitatis nõ debet interrumpi propter actum priuatum : atqui genuflectere ad eleuationem Miſſæ priuatæ, plurium ſingularium eſſet latria, quæ datur Deo, ipſum Canonicum officium eſt actus latriæ quo tota cõmunitas per modum communitatis Deum proſequitur, ergo latria publica, & communis non debet interrumpi propter deuotionem priuatam.

Antiſtes ſumma prudentia indiget me conſule ita latriæ publicæ & communis authoritatem tueatur, vt neminem ſcandalizet. Ergo ne Communitatis latria, & adoratio turbetur, & ne hæreant indocti & ignorantes, eſto in communitate prima lex, quæ interdicat priuatam Miſſarum lectionem in ſummo altari. Refert authoritatis : & in multis Eccleſiis noſtris nemini permittitur r etiam dum communitas abeſt.

CASVS III.

1632 b. Cùm poſt prandium communitas Templum ingrederetur, Deo gratias agens, Sacerdos hoſtiam eleuabat : petitur, An communitas debuerit genuflectere?

Hic caſus eſt idem omnino cum ſecundo; quia ille Communitatis actus latriæ eſt, quo Deum colimus, & quâ rerũ creatori munifico gratias agimus. Ergo ex præcedenti reſolutio petenda.

CASVS IV.

1632 c. Eadem die dum communitas egrederetur ex Eccleſia, in alio altari hoſtia exponebatur colenda. Debuitnè genuflectere?

Reſpondeo affirmatiuè, quia iã actus ille latriæ, quo gratias Deo agebat, eſt abſolutus, nec erit contra authoritatem adorationis publicæ (qua finita ſupponitur) adoratio priuata.

Idem dico de conuentu egrediente ex choro poſt diuinum officium : ſimiliter cùm ad Capitulum poſt Primas tranſit.

Interim laudo Definitiones & Ritus Ciſtertienſium, interdicentes, ne quis, egrediente Communitate, ſit in loco vbi poſſit ab illa conſpici. Sed talibus horis aut nullus celebret, aut ſaltem nullus vbi videri poſſit à conuentu actum aliquem communem celebrante.

CASVS V.

1632 d. Addam dubium natum ex cæremonijs. Hodie DD. Benedictini in Belgio admiſerunt Miſſæ cæremonias Romanas; in profeſto Paſchatis canunt Veſperas Romanas ſub Miſſam; petitur, An ſatisfaciant, an verò teneantur iterum legere Veſperas iuxta rubricas proprij Breuiarij?

Qui dicunt ſingulas horas cadere ſub diuerſum præceptum, quorum ſententia probabilis eſt, debent etiam aſſerere omnes Religioſos vtentes ſpeciali Breuiario, ſub Miſſam ſatisfeciſſe Veſperis, nec teneri alias legere. Vide numer. 1336. Cæterùm ego qui cenſeo officiũ Diuinum eſſe vnam orationem ſeptem vel octo horis coaleſcentem, debeo dicere Religioſos non Benedictinos non ſatisfeciſſe legendo illas Veſperas, ſed debere legere iuxta ſuum Breuiarium; & quia licèt poſſint legere totum officium iuxta Romanas rubricas, non tamen vnam horam, vt probaui, num. 1403. dè Benedictinis eſt alia ratio; quia cũ Breuiarij diſpoſitio ſit commiſſa diſcretioni Abbatis, ſi ipſius authoritas limitata non eſt, ſequitur illas Romani officij Veſperas, eſſe Benedictinas ſi voluerit Abbas, ſi noluerit, non eſſe; atque ideò tali die Communitatem non teneri legere alias Veſperas ſi Abbas diſpoſuerit primas ſufficere, teneri tamen, ſi ipſe decreuerit non ſufficere primas. Vide ea, quæ accuratè ſcripſi tota *diſp. 99.*

DISPVTATIO CXXXI.

De collatione Ordinum.

1633 MVlta occurrunt, quæ egerẽt examine maiori; temporis breuitas cogit multa attingere leuiter, plura omittere, & illa ſolùm controuertere radicitùs, quæ fuerint magis neceſſaria.

Quæris igitur, An omnes Choriſtæ debeant ad Ordines ſacros promoueri? & ſi debeant, qua ætate? Reſpõdit Germanica Ciſtertienſis Congregatio anno 1596. per hæc verba. *Nullus ſecundum Concil. Trident. promoueatur ad Subdiaconatus ordinem, ante vigeſimũ ſecundum, ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. ætatis ſuæ annum, & niſi probitate præditus, & niſi eruditioni ſufficienti per examen probatus, atque de Seniorum conſilio, & conſenſu. Nec vltra differatur, niſi aliqua obſtiterit incapacitas.*

ARTICVLVS I.

De authoritate conferendi minores Ordines.

1633 b. *Abbatibus inſulatis licet minores Ordines conferre.* Omnibus quidem ex iure. *Co. quoniam. d.66.* Ita Rodericus *tom.1.quæſ.* 18.*artic.*1.Syluius *in ſupplem.quæſt.*38. *art.*1: Azorius *tom.1.moral.lib.12.cap.* 20. *qu.*7. Baſæus *in floribus verb. Abbas num.6.* qui in ſecunda editione me citat pag. 503. f. & ſententiam propugnat. Confirmatur declaratione Sixti V. facta anno 1586. quæ incipit, *Hieronymus Gabutius*, & mox num. 1. *Cùm aliàs de iure communi, ac ſacri Concilij Tridentini deciſionibus ſit permiſſum Abbatibus —— tonſuram & minoris Ordines ſuis ſubditis Regularibus conferre, vt ipſi taliter ordinati ad altiores ſacros ordines ab Epiſcopis, temporibus competentibus, admitti debeant, &c.*

Confirmatur ſecundò Clemens VIII. declaratione data anno 1592. in qua notaui hæc verba. *Cùm aliàs per Congregationem ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, decretorum Concilij Tridentini Interpretum declaratum fuerit licere Abbatibus benedictis, (vel quibus à ſede Apoſtolica conceſſum ſit priuilegiũ, vt poſſint omnia ea facere, quæ poſſunt Abbates benedicti) tonſuram minoreſque Ordines ſuis ſubditis regularibus tantum conferre, &c.*

Id ipſum conceditur priuilegio ſpeciali anno 1489. ab Innocentio VIII. Ciſtertienſi Abbati & quatuor Coabbatibus. Vide Chryſoſtomi Henriquez priuilegia *pag.* 190. *num.* 1. Hoc priuilegium, ſi quod eſt, extendit Sixtus V. in declaratione citata, quæ exſtat apud eundem Henriquez *pag.* 346. *numer.* 6. qui pag. 363. publicauit priuilegium Clementis VIII. in quo idem liberaliùs conceditur.

Abbati Montis Virginis concedũtur ſpeciales fauores munificentia Vrbani Papæ IV. ſubijciam clauſulam, quę proderit reſolutioni.

Nos itaque ob deuotionem S. M. in cuius honore veſtrum Monaſteriũ fundatum eſt, veſtris ſupplicationibus inclinati, vſum Mitræ, baculi, annuli, ſandalium, chirothecarum, tunicæ, & dalmaticæ, benedictionem ſolennem ad populum, ordinationem minorum ordinum, indulgentiam quadraginta dierum & cet. Tibi fili Abba & Succeſſoribus tuis in perpetuum authoritate præſentium ex ſpeciali gratia concedimus, & impertimur.

Habetur *in libro priuilegiorum dicti Ordinis excuſo Neapoli*. & apud Stephanum Quarantam *in ſuo Bullario, ſeu in ſumma conſtitutionum Apoſtolicorum, verbo* Abbas, *ſub finem*. imò, & Reuerendiſs. noſter Angelus Manrique in Pontificalis Hiſpano-Ciſtertieſis pro logo ex hac clauſula probat poſse conferri minores Ordines ab Abbatibus omnibus etiam triennalibus ratione priuilegii participationis.

1633 c. Nouitii ſunt verè ſubditi, & filii-familias Monaſterii, & in fauorabilibus audiunt regulares, ideòque poteſt eis Abbas minores Ordines conferre. Hanc negant aliqui, alii affirmant, & colligunt ex Suario *de relig. tom. 3. libro 5. cap. 16. num. 17.* Marchino *de ord. tr. 1. p. 6. to. 2.* Vecchio *in praxi diſput. 11. dub. 8. n. 3.* Tamburino *to. 2. diſput. 2. q. 25. & 27.* & alios.

Sæcularibus etiam & Monachis ſibi non ſubditis, modò Epiſcopi vel Superioris licentia accedat. Ita ex declaratione Cardinalium Caſseus *in floribus. verb. Abbas n. 6.* Nota illud vel quod nomine Cardinaliũ poſuit Baſseus. Senſit ergo Carmelitam *v. gr.* non indigere dimiſsoriis ſui Epiſcopi, ſed ſufficere ſui Superioris vt recipiat minores ordines ab Antiſtite Benedictino. Cæterùm, hoc in aliquorum opinione Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 3.* diſsonat. Concordat cap. 8. quod plurimi credunt debere intelligi tam de ordinibus minoribus quàm maioribus. Sentio tamen non requiri maiorem ſolennitatem pro minoribus ordinibus, quàm pro maioribus: ergo exempti non indigent commendatione Diœceſani.

Subſcribo Manriquo, *iam citato*, & Stephano Quarantæ *in Conſtit. Apoſtolicarum Summa verb. Ordo ſub finem*, vti ex duabus declarationibus DD. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum perſuadet, Abbates poſse tonſuram & minores Ordines conferre Sæcularibus, & Religioſis mendicantibus, modò adſit Ordinarii conſenſus, nempe Epiſcopi reſpectu Sæcularium, & Superiorum Ordinis reſpectu Religioſorum. Vtramque declarationem dicit eſse editam in Compendio Priuilegiorum Patrum Minorum & aliorum mendicantium Brixiæ anno 1590. Verbo ordines ſacri *fol. 457. & 458.* eaſdem adducit Marcilla *in Declarat. ad Concil. Trident. c. 10. ſeſſ. 23.* Reperitur etiam *in 4. Volum. Deciſionum Rotæ.*

Diſplicet Quaranta in circumſtantia quam ſubiungit: conſenſum ſpecialem ſemper pro ſingulis requiri aſſerit, & generalem non ſufficere. Diſplicet, inquam, quia in omnibus rebus ſufficit conſenſus generalis Epiſcopi, vt patet in Confeſſionis communionis vnctionis extremæ, & aliorum Sacramentorum adminiſtratione.

1633 d. Abbas, qui ordinauerit aliquem ſine licentia Epiſcopi ad quẽ ille pertinet, peccat quidem, ſed validè facit iuxta reſolutionem Cardinalium aſſerẽtium laicum N. qui ſine dimiſſorijs ſui Epiſcopi fuerat promotus ad minores ordines à Caſſinenſi Abbate, indiguiſſe diſpenſatione, non tamen eſſe neceſſarium quod iterum ordinaretur.

1633 e. Interrogas: An ordine minores conferri poſſint diebus Feſtis. Reſpondeo affirmatiuè cum Barboſa ad caput 8. ſeſſ. 23. Tridentini, citante Rebuffum, Viualdum, P. Henriquez Fr. Emanuelem Rodriguez, Iacobum de Graſſis, Thomam de Velaſco: ita etiam Diana *part. 2. tract. 16. reſol.* 28. quod confirmari poteſt declaratione Clementis VIII. ad inſtantiam Fratrum Minorum facta.

Omnia dubia, quæ in hac materia occurrere poſſint, benignè ſunt interpretanda. Stat pro reſolutione communis Religionis praxis & Generalis Capituli Hiſpano-Ciſtertienſis authoritas, cuius iuſſu editum fuit Pontificale Anno 1629. è quo nonnullas Rubricas ſubiungere proderit.

Parte ſecunda de Ordinibus conferẽdis fol. 38. aſſeritur *omnes Ordines poſſe ſimul conferri vel etiam ſeorſim per interſtitia temporum ad Abbatis arbitrium, nempe extra: vel intra tempora: ſiue in miſſarum ſolennijs, ſiue extra: imo extra Eccleſiam, ſi libuerit, dummodo in aliquo Sacello.* Et pag. 39. *Clericos fieri poſſe etiam diebus nonfeſtis, &c.* Et pag. 42. *Quatuor minores Ordines dari poſſe diebus Dominicis & feſtiuis.*

Si in Sabbatis quatuor temporum placeat minores Ordines intra Miſſarum ſolemnia conferre, congruum erit tonſuram dari poſt primam prophetiam, quatuor ordines poſt quatuor ſubſequentes immediatè antequam cantetur Tractus aut Alleluia. [*ibid. pag.* 38.] ſi celebrĕtur in Sabbato ante Dominicam paſſionis, tonſura dabitur poſt *Kyrie eleyſon.* duo priores Ordines poſt collectas: poſteriores duo poſt epiſtolam. Idem fieret, ſi ordinarentur in aliqua miſſa votiua. In Sabbato ſancto Tonſura dabitur poſt *Kyrie eleyſon*. Miſſæ, quatuor minores Ordines poſt *Gloria in excelſis*. [*ibi. fol.* 38.] cum extra miſſarum ſolemnia Ordines conferuntur, tempus relinquitur diſcretioni Abbatis, cæremoniæ ſumentur à proprio aut ſaltem à Pontificali Romano.

ARTICVLVS II.

De dimiſſorijs ab Abbatibus pro collatione maiorum Ordinum concedi ſolitis.

1634 Religioſi omnes à quocumque Catholico Epiſcopo poſſunt ad maiores ordines promoueri, aſſerente Emanuele Rodriguez *quæſt. Regul. tom.* 3. *q.* 14. *art.* 1. & Barboſa ad *cap.* 8. *ſeſſ.* 23. *Tridentini*, quod petit teſtimonium & literas commendatitias ordinarij. & *Superiores exempti poſſunt dare literas commendatitias ſeu dimiſſorias, & mittere ſuos ſubditos ad quoſcũque Epiſcopos inconſulto proprio Diœceſano.*

Probatur Primò, quia tales ſunt verè Ordinarij in ſuis Monaſterijs; & ſi Abbates ſint, habent quaſi Epiſcopalem authoritatem: ergò qui à ſuo Abbate commendatur, à ſuo ordinario commendari dicendus eſt.

Secundò, quia exceptio firmat regulã in contrarium: Sed à Tridentino *cap.* 19. *ſeſſ.* 23. indicitur necui ſæculari aut religioſo ſibi non ſubdito concedant dimiſſorias; ergo eas poſſunt concedere ſuis ſubditis.

Concilium ita debere intelligi, deciſum fuit à Cardinalibus ante annum 1589. Vide *n.* 1634. *d. & i.*

PRIMA LIS,

Et eius ſententia pro Regularibus.

1634 b. Nihilominus cùm nonnulli Epiſcopi authoritatis ſublimioris auidi incepiſſent aliter Tridentini verba interpretari, & Religioſos, præcipuè Hiſpanos Ciſtercienſes, torquere, vel non promouendo habentes ſolius Abbatis dimiſſorias, vel inquirendo cur non haberent Diœceſani, vt obuiam irent his moleſtiis Caſtellanæ obſeruantiæ Antiſtites, conqueſti ſunt in tribunali DD. Cardinalium Concilij Trid. Interpretũ: & præſentauerunt hunc libellum.

Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Domini.

Tametſi à ſacris Canonibus & Pontificibus, Priuilegijs, pro ſtatu & quiete perſonarum regularium aſſiduè Deo vacantium, monaſteria ab omni Ordinariorum, & Epiſcoporum (b) dependentia ſint exempta, quidam Reuerendiſſimi Epiſcopi in Hiſpaniarum partibus totam Regularium Monachorum tranquillitatem in Diœceſibus ſuis exiſtentem inquietare intentant, (a) volentes ordinandorum Monachorum regula-

gularium qualitates, vitam ac mores (quorum tamen nec vultum agnoſcunt) inquirere, ac in ſuis literis commendatitijs alijs Epiſcopis Pontificalia exercentibus inſerere, vt ab eiſdem ad Ordines promoueantur, nec abſque ipſis literis Epiſcopi alterius Diœceſis (etiã ſi Prælatorum Ordinis literas deferant, & (c) *aliàs in forma Concilij Tridentini mittantur) ad eos, admittere volunt. Cùm verò hoc ſit* (c) *præter mentem Concilij, & monaſticæ vitæ &* (b) *eius tranquillitati contrarium, atque ab Illuſtriſs. DD. VV. perquàm notum, & deciſum, pro parte Generalis Reformatoris, & Abbatum Congregationis S. Bernardi, Regularis Obſeruantiæ Hiſpanorum Ciſtercienſis Ordinis humiliter ſupplicatur, literas ſuas ad Archiepiſcopo Compoſtellanenſem, Lucenſem, Aurienſem, Aſturicenſem, Tudenſem, Legionenſem, vbi dicta monaſteria exiſtant, aut deciſionem in forma dare, vt ipſis intimetur, dirigere dignentur, ne alterius dicta monaſteria moleſtare intentent, ſed cum literis cõmendatitijs eorumdem Abbatum ſeu Superiorum, Monachos ad quoſcumque Ordines debite admittere teneantur.*

a Nota benè hæc verba. Libellus ſupplex non poſtulat gratiam, ſed iuſtitiã: querEloſus eſt: arguit Epiſcopos nonnullos Hiſpanos de duplici culpa. Primò, eos voluiſſe Regularium ordinandorum vitas diſcere, mores examinare. Secundò, Noluiſſe ordinare habentes literas commendatitias ſolius Abbatis.

Vtrumque eſse contra immunitatem Monaſticam notauerat *littera b*. Supponit enim tanquam baſim exemptionem, vt probet Religioſos non egere literis Epiſcoporũ territorij in quo Monaſterium ſitum eſt, vt ab Epiſcopo extraneo promoueantur. Addit *vbi* littera c. Religioſos, qui ſine literis Diœceſani mittuntur, modò à proprio Abbate commendentur, mitti ſecundùm formam Tridentini, & præter eius voluntatem Diœceſani Dimiſſoriales poſtulari. Subſumit, hoc ita fuiſse deciſum à Cardinalibus Interpretibus Concilij Tridentini.

1634 c. Ex hoc libello ſupplici colligo primò ante Tridentinum non egiſſe Religioſos Diœceſanorum literis, vt ab Epiſcopo alterius diœceſis ordinarentur; aliàs enim Malè præmitteretur exemptio & monaſtica immunitas, ſi ex illis non ſequeretur ſufficere commendationem Abbatis.

Colligo ſecundò Tridentinum nihil immutauiſse, & præter eius mentem aſſeri neceſſariam commendationem Diœceſani.

Sufficeret vtrumque aſſeri ab integra Congregatione, quæ coaleſcit pluribus Abbatibus, ſanctiſſimis, doctiſſimiſque Religioſis, ad hoc vt à nobis diceretur probabilius. Sufficeret ad tollendos omnes ſcrupulos antiqua eminentiſſimorum Interpretum declaratio. Expectemus litis exitum, & iuridicam tribunalis ſententiam.

DECRETVM.

1637 d. *Congregatio Concilij cenſuit a Regulares poſſe concedere dimiſſorias ad Epiſcopum diœceſanum, qui ſi abſuerit, ad quemcumque, dummodo ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad b doctrinam. Ita eſt. A. Cardin. Caraf.*

a Nota illud *Regulares*. Ergo nõ ſolùm Monachi, ſed etiam Religioſi Mendicantes, & alij.

b Ergo contra mentẽ Tridentini, Epiſcopi inquirerẽt de vita & moribus Religioſorum; habent tamen ius examinãdi in doctrina. Sed quid intelligant doctrinæ nomine, decidetur *n. 1634. p.*

In virtute huius declarationis Hieronymus Gabutius I.V. Doct. Sixti V. Pont. Max. Referendarius, Auditor cauſarũ Curiæ cauſarũ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Vicegerens à D. Papa ſpecialiter

deputatus, iubet Apoſtolica authoritate hoc decretum obſeruari.

1634 e. Dices, hoc præceptum Romani Pontificis ſolùm fuiſse expeditum contra Hiſpanos Epiſcopos, non Germanos, Italos, aut alios. Ergo iſti non tenentur obedire.

Reſpondeo. Declarationes DD. Cardinalium, (vt patet ex Decreti litera) vniuerſos comprehēdere tam Hiſpanos quàm exteros. Iuſſit autem Sixtus V. Epiſcopis Hiſpanis ſpecialiter inſinuari & præcipi, à noſtris requiſitus: quia Epiſcopi huiuſmodi videbantur nolle adquieſcere Decreto Cardinalium: non iuſſit Epiſcopis Germanis aut Gallis, verbi gratia, quia non erat opus ſecundario præcepto, quandoquidem ipſi obediebant Tridentino ſecundùm expoſitionem Cardinalium. Hoc præceptum Sixti V. fuit impoſitum & latum Romæ in Palatio anno Domini 1586. Indictione 14. Decembris die 26. Pontificatus Sixti V. ſecundo.

SECVNDA LIS.

1634 f. Sixto V. indicente, Epiſcopi obediebant Cardinalium decreto, cūque huic ad meliorem vitam translato ſuccederet Clemens VIII. multi cœperunt tentare fortunam, defuncti mentem exponere, & Tridentini verba interpretari; tandem ſine Diœceſanorum dimiſsorijs ſæpè non promouebantur Regulares, Conueniuntur Epiſcopi coram Pontifice, qui reſoluit quæſtionem iam olim eſse deciſam, litem iudicatam, & obſeruari præcipit veterem Cardinaliū reſolutionem. Dabo Diplomatis periodos neceſsarias, reliquas curioſus lector videbit apud Chryſoſtomum Henriqu. pag. 263.

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. —— Cùm aliàs per Cōgregationem S. R. Eccleſiæ Cardinalium decretorum Concilij Tridentini Interpretum declaratum fuerit licere Abbatibus benedictis (vel quibus à Sede Apoſtolica conceſſum ſit priuilegium, vt poſſint omnia facere, quæ poſſunt Abbates benedicti) —— Monachos à Diœceſanorum ſuperioritate & iuriſdictione exemptos abſque eorum literis dimiſſorijs à quibuſuis locorum Ordinarijs cum teſtimonialibus literis ſuorū Superiorum tantùm, ad omnes etiam ſacros & Presbyteratus Ordines admitti debere.

Ecce fatetur Summus Pōtifex veram eſse hanc declarationem Cardinalium. Eam approbat, & addit robur, certitudinem & ſecuritatem.

1634 g Nec valet dicere, illud ſolis Hiſpanis conceſsum eſse, quia aſseritur facta fuiſse declaratio Eminentiſſimorum Cardinalium, quæ Hiſpanorum nō meminit, ſed tantummodò Abbatum infulatorum; ergo ipſa omnibus infulatis fauet: atqui fuit à Pontifice approbata ſicut fuit decreta: ergo eamdem Pontifex in fauorem omnium Abbatum approbauit.

Antecedens probatur ex contextu eiuſdem Priuilegij. *Quare Generalis Reformator, & Abbates prædicti nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus ſupradicta, prout decreta ſunt, approbare, eaque omnia ab omnibus inuiolabiliter obſeruari mandaremus.*

Ecce Abbates Ciſtertienſes Hiſpani non petunt ſibi hæc ſpecialiter concedi à Pontifice, ſed approbari ſupradicta prout decreta ſunt, nempe à Cōgregatione Cardinalium, hoc eſt, in fauorem omnium infulatorum Abbatū, quorum ipſi erant non ignobilis pars. Quorum ſupplicationibus inclinatus Pontifex decreta huiuſmodi authoritate Apoſtolica roborauit. Ex his argumentor ſic. Hiſpani Abbates Ciſtertienſes ex vi huius diplomatis ſæpiùs ſuos Religioſos mittunt ad alios Epiſcopos ſine dimiſsoriis Diœceſani; atqui nec Cardinalium declaratio, nec Pontificis confirmatio (quia, quæ non ſunt facta, confirmari non poſsunt) fauet potiùs

Hiſpa

Hiſpano quàm Belgæ, Ciſtertienſi quã Præmonſtratenſi: ergo omnes Abbates, imò omnes exempti Superiores gaudent hoc priuilegio. Lege, obſecro, totam Clementinam, & reperies illam tam claram eſſe, vt nullus maneat dubitationi locus.

DVBIVM I.

1634. h. Circa Decreti illius intelligentiam, quod dedimus *num.* 1634. *d.* occurrunt dubia, quæ egent reſolutione. Nam illa verba, *ſi abſuerit*, multos ſenſus patiuntur, & ambigetur in quo ſint dicta. Primò poteſt abeſſe Diœceſanus phyſicè, puta ſi negotiorum cauſa extra Diœceſim agat. Secundò poteſt abeſse moraliter, hoc eſt, non loco ſed functioni: puta, ſi morbo aut negotio aliquo præpeditus ordines non poſſit conferre. *Tandem* poteſt abeſſe totaliter, hoc eſt, non eſse: nempe ſi morte, reſignatione, aut quomodocumque vacet ſedes. Petis: quoniam ex iſtis modis debeat abeſse Diœceſanus, vt Religioſi alio mittantur.

1634 i. Reſpondeo. Prælatos exemptos poſſe mittere ſuos ſubditos quocumque, quoties Diœceſanus quoquomodo abſuerit, videlicet, quotieſcumque ordines non celebrauerit. Ergo cùm ordinum celebratio ob Diœceſani abſentiam, occupationes, morbum, mortem, aut reſignationem omittitur, poſſunt Regulares remitti ad alios Epiſcopos cum dimiſsoriis ſui Prælati. Subſcribo Cardinalibus, qui 15. Martij anno 1596. aſſerente Piaſecio *in praxi Epiſcopali part. 1. c. 1. num.* 14. Naldo *in ſumm. verb. Ordo n.* 25. Diana *p. 2. trac. 16. reſol.* 13. Quaranta *in ſumm. Bullarij. verb. Ordo ſub finem*, hanc declarationem publicarunt.

DECRETVM.

1634 K. *Congregatio Concilij cenſuit Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, —— & ſi Diœceſanus affuerit, vel non eſſet habiturus ordines, ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam, &c.*

DVBIVM II.

1634 l. In vtroque decreto (nempe immediato, & illo quod poſui *nu.* 1634. *d.*) aſſeritur Regulares tantùm debere examinari, quoad doctrinam. Ergo non poſsunt inquirere Epiſcopi de moribus Religioſorum. Hoc certum eſt; dubium tamen, quid doctrinæ nomine veniat intelligendum.

1634 m. *Primò*, non eſt opus Regulari ordinando ſublimioribus literis, quarum cognitio doctiores, & inſtructiores mentes exigit: tales ſunt Mathematicæ, liberales, Philoſophicæ, Medicæ, Politicæ, & ſimiles.

1634. n. *Secundò*, Notitia linguarum neminem doctum facit, exornat, & cõmendat doctrinam: ideo cenſeo illos violentiam inferre verbis qui dicunt illa, *examinentur quoad doctrinam* æquiualere his *examinentur ad latinitatem*, doctus enim Plato fuit, doctus Ariſtoteles, non tamen linguam Latinam cognouerunt. Præterea non reperio inter linguam Latinam, & vſum ordinum aliquam neceſsariam connexionem: nam ſine perfecta Latinitatis cognitione poſsunt eſse idonei Sacerdotes, nempe ſi ſenſum conſecrationis intelligant, canonem percalleant, & totam Miſsam bene legant. Præter conſecrationis verba, omnes Miſsę orationes aut ab hominibus compoſitæ ſunt, aut diuinitus reuelatæ, & humanitùs ſolùm ad Miſſam pertinent. Eccleſia certo modo Miſsam exornauit, & poſset aliter; atqui

hæc

hæc non poteſt exigere intrinſecam intelligentiam, ſed extrinſecam; ergo. Minor conſtat ex ijs quæ ſæpe dixi, præcipuè tamen *nu.* 38. Ille autem qui bene legit, bene intelligit extrinſecè: imò meliùs quam Cicero, ſi hic malè legeret. Scit igitur ſufficienter linguam Latinam vt ſit Sacerdos ille, qui verba conſecrationis bene intelligit, Canonem mediocriter, & omnia legit & pronuntiat exactè. Ita Henriquez *l.* 10. *c.* 16. *nu.* 2. Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 21. *dub.* 34. *n.* 5. & Portel *in dub. Regul. verb. Ord. ſacri. num.* 6. quod etiam probabile cenſet Diana *part.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 29.

1630 o. *Tertiò*, Sacerdos non tenetur ſcire concluſiones morales, quæ non pertinent ad ordinariam praxin ſui officij. Patet, quia quæſtiones ſpeculatiuæ ſunt vtiles in Academijs, ſuperfluæ tamen in Altari. *Ad ordinariam praxin* conſultò dixi, quia illa quę extraordinaria ſunt, raro accidunt, & ſufficit ſcire circa ſimilia dubitare, & conſulere doctiores dum accidunt. Propterea citatus Villalobos putat minorem ſcientiam religioſo ſufficere quàm ſeculari. Ille errare non permittitur, dubitans inſtruitur, labens reprehenditur, & quotidie fit doctior iſte à nemine corrigitur aut admonetur, & ſæpe caret conſiliario, & magiſtro in occurrẽtia difficultatũ. Huc reſpiciebat venerabilis D. Corrionerus Salmanticenſis Epiſcopus; examinabat quidem Religioſos, ſed de Latinitate tantũ; nec reprobabat quemquam qui Canonẽ ſciret, explicare. Supponebat, agentem inter doctos Cęremonias & dubia communia non poſſe non ſcire, quorum vita, exemplo, & doctrina licèt lapideus doceretur.

1634 o. *Quartò*, Neſcio an condẽnare auderes D. Marquez, olim Valiſoletani Concilij Summum Præſidem, poſtea Abulenſem Epiſcopum, qui ordinãdos, licèt Viros doctiſſimos, examinabat tantùm in doctrina Chriſtiana. Cenſebat hanc eſſe mentem Tridentini. Sic intelligendos Cardinales. Cõtingit enim multos non retinere, quę didicere pueri, & iuuenes debuiſſent recolere. Cognoui alios eiuſdem opinionis.

Reperio in Specioſa valle chartam viſitationis à D. Edmundo à Cruce Ciſtertij Abbate factam anno 1595. in qua vtrumque coniunxit, nempe latinitatis, & doctrinæ Chriſtianæ notitiam. Dabo formalia verba. *Nullus promoueatur ad ſacerdotium niſi priùs latinè cõgruè loqui, & Catechiſmum minorem memoriter ſciuerit.*

1634 p. Prudentiores Epiſcopi ſæpe Religioſos non examinant, præcipuè ſi illorum Prælatus ſit vir integer, & ſatis doctus: ſubſcribentes enim Prælatorũ iudicio ſuas conſcientias omni ſcrupulo exonerãt. Ita Portel *in addit. ad dubia, Reg. verb. Ord. ſacri, nu.* 1. Miranda *in Manual. Præl. to.* 1. *qu.* 39. *art.* 2. Villalobos *in ſum. to.* 1. *tract.* 11. *dub.* 4. *n.* 5. quem rectè aſſerere docet Diana *part.* 2. *tract.* 16. *reſol.* 29. *Sed prima.* Nec eſt contra hanc reſolutionem Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 12. quia hoc permittit Epiſcopis vt examinent Regulares, ſed non iubet: aut ſi iubet (quod & putauit Vaſquez *in* 3. *to.* 5. *diſp.* 246. *cap.* 6. *num.* 55.) non tamen iubet vt Epiſcopi perſonaliter id faciant; ipſi ergo examinatorum miniſterio vtuntur, & tamen dicũtur verè examinare. Cur igitur Epiſcopus, qui denominat examinatores quos mauult, non poterit regulares examinandos remittere ad proprios Prælatos?

1634 p. Hanc ſi ſtemus iuri antiquo Ciſtertienſes nec deberent nec poſſent ab Epiſcopis examinari, vt conſtat ex diplomatibus Pontificis conceſſis Ordini primitiuo. Hæc inceperunt caſſari per contrarium Vſum; reuocantur tamẽ ab Alexandro priuilegio quod ſequitur:

Alexander *Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs Abbati Ciſtertij, eiuſque Coabbatibus & Conuentibus vniuerſis Ciſtertienſ. Ord. ſalutem,*

tem, & Apoſtolicam benedictionem. Meritis veſtræ ſacræ Religionis inducimur, vt fauoris benigni gratia vos iugiter proſequamur, ſed an ijs præcipuè, quæ noſcuntur ad cultum diuini nominis pertinere. Cum itaque ſicut lecta coram nobis vniuerſitatis veſtræ petitio continebat; Monachi Ord. veſtri Inſtitutione ipſius ſoliti ſint à Prælatis Eccleſiarum ſine aliqua examinatione ad Ordines promoueri, nos deuotionis veſtræ precibus inclinati, vt hoc ipſum circa Monachos eiuſdem Ordinis, eis dumtaxat exceptis in quibus fuerit notorium crimen, vel enorme corporis vitium, à Prælatis eiſdem perpetuis temporibus obſeruetur, authoritate præſentium duximus ſtatuendum. Nulli ergo, &c. [Reperitur in minori Bullario Dunenſi fol. 26. a & fol. 27. b.]

Ex hac Bulla colligo tres Concluſiones. *Primam*, Monachi Ciſtercienſes ab ipſamet Ordinis inſtitutione ſoliti ſunt promoueri ad maiores ordinis nullo examine præuio. *Secundam*, ante Alexandrũ hoc Priuilegium exoleuerat per conſuetudinem contrariam. *Tertiam*; hodie Ciſtercienſes Religioſi debent examinari phyſicè ex cõmiſſione ordinarii Prælati, non vero perſonaliter ab ipſo Epiſcopo. Hoc examen ſatisfacit Tridentinę Synodo & Alexandrino priuilegio; illa præcipit vt Epiſcopus collaturus Ordines promouendos quoad doctrinam examinet; illud ne examinet: Epiſcopus, qui promouendos committit eorundem Prælato ſatisfacit quidem Tridentinæ, quia illos examinat moraliter, ſatisfacit itidem Alexandrino decreto cum illos non examinat phyſicè. & hæc omnia confirmant & roborant illa quæ num. 1634. *p* præmittebamus.

DVBIVM III.

1634 q. Abbas Campenſis v.g. Diœceſano non conferente ordines dedit Domino Alfonſo ſubdito ſuo dimiſſorias ad Reuerendiſſimum Antuerpienſem Epiſcopum. Hic non erat ordines celebraturus; petebatur tamen ab ipſo vt ordinandos remitteret ad alium Epiſcopum ſua commendatione honoratos. Dubitabant multi an fieri hoc aut deberet aut poſſet.

1634 r. Reſpondeo, non poſſe ſic fieri, & religioſos, qui taliter ſuam promotionem ſolicitant, eſſe grauiſſima pęna excipiendos. *Primò* non poteſt fieri ſi certò ſciatur Prælatum nolle vt ſubditi ſui ordinentur ab eo, ad quem ab Antuerpienſi remitterentur: nemini enim licet ordinare religioſum inuito proprio Superiore.

1634 s. Quid ſi certò ſciretur contrarium? Si ageremus de ſæcularibus, affirmarem cum Villalobos *in ſumm. to. 1. tractat. 12. difficul. 9.* Paludano *in 4. ſent. dub. 18. quæſt. 2. art. 2. caſ. 29.* quod probabile cenſent Diana *p. 3. trac. 4. reſol. 191.* & Ledeſma *in ſumma tom. 1. de ſacram. Ordinis cap. 8. concluſ. 4. diff. 5.* imò non peterem certitudinem, ſed probabilitatem. Cæterùm agens de Religioſis, cenſeo Epiſcopos poſſe tales dimiſſorias concedere, quoties non conſtat certò, eſſe contra mentem Prælati. Addo tamen eſſe ordinis traductores, qui illas admittunt, & Superiores, qui tolerant. Ratio eſt: quia experientia docemus ius naſci ex vrbanitate: hodie .n. cogimur facere ratione conſuetudinis, quæ olim ex mera deuotione aut decentia faciebamus: ergo cũ Epiſcopi velint extendere authoritatẽ quantum poſsũt, Prælati verò conentur ne poſſint; accidet in huiuſmodi caſibus, vt Epiſcopus Politicam doctus prudenter dimiſſorias concedat: quas Religioſus imprudenter admittet: cedere .n. vel leuiter in materia iuriſdictionis Epiſcopo poteſt exponere periculo monaſticam immunitatem.

MAGISTER ARTIFICUM.

1635 Exercitatio corporalis expedit corporis & mentis ſaluti: vtrique otium opponitur, quo mens hebes redditur, & corpus obeſum. Exercitationem ſuadent omnes, ſiue homini interiori ſiue exteriori conſulant. Vtrique proſpiciens Benedictus conſcripſit ſuæ Regulæ quadrageſimum octauum Caput, vbi de labore manuum quotidiano.

Choriſtæ ſe debent exercere & præter contemplatiuam vitam nonnunquã manibus operari. Labor manuum actus Communitatis eſt, Magiſter operum qui præſidet; ſinguli ea facere debent quę præſes indicit; ſine cuius licentia nemini licitum ſe abſentare.

1636 Labor nimius permitti non poteſt, quia ex indicto Regulæ Monachi nec grauari nec otiari poſſunt. Vidi nonnunquam Præſides nimis ſeueros, cognoſco aliquos nimio labore fractos: cenſeo barbaram eorum ſęuitiam, cenſeo imprudentes Antiſtites, qui tolerant exorbitantias. Illis loquitur D. Benedictus dicens, *Omnia menſuratè fiant propter puſillanimes.* & ſub finem. *Infirmis vel delicatis talis opera aut ars iniungatur, vt nec otioſi ſint, nec violentia laboris opprimantur.*

Singulis diebus hora vna apud Benedictinos labori manuum deſtinatur. Hac hora pridie Solennitatum Sacriſtę præparent omnia neceſſaria, Eccleſiam exornant, & diſponunt veſtes Pontificales. Poſtridie omnia purgant, & reponunt, ſubſtituentes ordinarium ornatum. Semel in hebdomada loca regularia, ad quem nulli ſeculari acceſſus, purgantur. Semel lauant tunicas aqua calida à ſeruitore Eccleſiæ præparata. Pauci dies ſuperſunt; ſed in his ad hortum communem venientes, arbores colunt, areolas purgant, & palmites audaces pectunt.

1636 b. Ecce laboris regularis leges: quem ſi tollis, priuabis Communitatem ſummis vtilitatibus; ſi moleſtiorem reddis, præbebis anſam multis inconuenientibus. Manuum labor non debet obſoleſcere; nec tolerari, ſi nimius fuerit. *Sine Manuum opere*, ſi Caſſiano Inſtit. lib. 10. cap. 24. & in Vitis Patrum libr. 5. cap. 40. *nec in loco poteſt Monachus perdurare, nec ad perfectionis culmen conſcẽdere.* Adſonat D. Hieronymus epiſt. ad Ruſtic. Monach. *vel fiſcellam*, inquit, *texe iunco, vel caniſtrum lentis plecte viminibus: Aegyptiorum monaſteria hunc morem tenẽt, vt nullum abſque operis labore* (hoc eſt, alicuius artis inſcium) *ſuſcipiant, non tã propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem.* Hanc veritatem altè contemplatus fuerat D. Benedictus cùm dixit hoc cap. XLVIII. *Tunc verè Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarũ viuunt, ſicut & Patres noſtri & Apoſtoli.* hanc D. Franciſcus, cùm ſcripſit caput quintum ſuæ Regulę.

TEXTUS. Caput 48.

De opere manuum quotidiano.

1637. Otioſitas inimica eſt animæ, & ideò certis *a* temporibus occupari debent Fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione diuina. Ideoque hac diſpoſitione credimus vtraque tempora ordi-

ordinari, id eſt, vt à Paſcha vſque ad Calendas Octobris, manè exeuntes, à prima vſque ad horam [b] penè quartam laborent, quod neceſſarium fuerit. Ab hora autem quarta vſque ad horam quaſi ſextam lectioni vacent. Poſt ſextam autem ſurgentes à menſa, [c] pauſent in lectis ſuis cum omni ſilentio; aut fortè qui voluerit legere, [d] ſibi ſic legat, vt alium non inquietet. Et agatur nona temperiùs mediante octaua [e] hora: & iterum quod faciendum [f] eſt operentur vſque ad veſperum. Si autem neceſſitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per ſe occupentur, non contriſtentur, quia tunc verè Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum viuunt: ſicut & Patres noſtri, & Apoſtoli. Omnia tamen menſuratè fiant propter puſillanimes. A Calendis autem Octobris vſque ad caput Quadrageſimæ, vſque ad horam ſecundam plenam lectioni vacent: hora ſecunda agatur tertia: & vſque ad horam nonam omnes in opus ſuum laborent quod eis iniungitur. Facto autem primo ſigno horæ nonæ, diſiungant ſe ab opere ſuo ſinguli; & ſint parati dum ſecundum ſignum pulſauerit. Poſt refectionem autem vacent lectionibus ſuis, aut pſalmis. In Quadrageſimæ verò diebus à manè uſque ad tertiam plenam lectioni vacent, & vſque ad decimam plenam operentur, quod eis iniungitur. In quibus diebus Quadrageſimæ accipiant omnes ſingulos [g] codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant, qui codices in capite Quadrageſimæ dandi ſunt. [h] Ante omnia ſane deputetur vnus aut duo Seniores, qui circumeant Monaſterium horis quibus vacant Fratres lectioni, & videant ne fortè inueniatur Frater accidioſus, qui vacet otio aut fabulis, & non eſt intentus lectioni: & non ſolùm ſibi inutilis, ſed etiam alios extollit. Hic talis ſi (quod abſit) repertus fuerit, corripiatur ſemel, & ſecundò; ſi non emendauerit, correptioni regulari ſubiaceat, & taliter vt cæteri metum habeant. Neque Frater ad Fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes: exceptis his, qui varijs officijs deputati ſunt. Si quis verò ita negligens, & deſidioſus fuerit, vt non velit, aut non poſſit meditari aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, vt non uacet. Fratribus infirmis, uel delicatis talis opera aut ars iniungatur, ut nec otioſi ſint, nec uiolentia laboris opprimantur, ut effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate conſideranda eſt.

De manuum labore nonnulla numero 1323. vbi examino an manuum labor fuerit commutatus in Marianum officium.

a *DD. Benedictini nec in faſtis Eccleſiaſticis; imò nec in feſtis ordinis manibus operantur.*

b *Vſque ad horam penè quartam, hoc eſt ad medium decimæ, numerando à media nocte horas æquinoctiales. Ergo manuum labor ex Regulæ decreto Iterarius eſt: nam iuxta Hiſpanorum Ciſtertienſium mores, in Contemplatione, Primis & Capitulo ſeſquihora conſumitur, & ille Communitatis actus ſoluitur ſub medium tertiæ.*

c *In multis Monaſterijs meridiana quies ſeuerè obſeruatur. Nona eſt moleſtiſſima in regionibus calidis, canitur tamen poſt meridiem auitæ religionis gratia.*

d *Legere ſibi phraſis eſt verè Hiſpana. Leer para ſi, ille dicitur, qui tacitus ſine labiorum motu legit.*

e *Nona dicitur eſſe cauenda ad medium octauæ, vel vt nos loquimur ad medium ſecundæ.*

f *Videtur indicere etiam laborem manuum veſperi, qui aduentus & quadrageſimæ tempore in multis Cœnobijs obſeruatur.*

g *Eſt cæremonia deuotiſſima: in ea iuxta noſtros ritus, Regula datur legenda Antiſtiti, Liber vſuum Priori, & Suppriori.*

h *Vide inferiùs num.* 1685. *vbi de correctione fraterna tracto.*

DVBIVM.

Petis, Vtrùm manuum labor reuocari poſſit ad vſum in illis Monaſterijs in quibus obſoletus eſt.

Reſpondeo non poſſe ſi ex Pontificis priuilegio ſit à Regula Benedictina expunctus, quia in tali caſu ille actus nõ eſſet regularis, non enim eſſet ſecundum Regulam, quæ quoad illud Monaſteriũ ſupponitur non habere Caput 48. cum id aſſeratur mitigatum Pontificia authoritate.

Addo nec reuocari poſſe ad vſum, ſi conſuetudo legitima contrarium inuexerit tempore immemoriali, hoc eſt, ante plurium profeſſionẽm, iuxta ea quæ expendo *num.* 635. & poſtea *à nu.* 646. & præcipuè *num.* 655.

Cæterùm ſi nec Pontificis ſummi diſpenſatio, nec vſus legitimus contra hanc Regulæ ſanctionem præſcripſerit, labor manuum poterit indici Religioſis. Sed quæris, an expediat. Quæſtioni huic ſatisfeci ſuprà *nu.* 635.

TEXTVS. Caput 57.

De artificibus Monaſterij.

1638 Artifices ſi ſunt in Monaſterio, cum omni humilitate faciant ipſas artes, ſi tamen iuſſerit Abbas. Quod ſi aliquis ex eis extollitur pro ſcientia artis ſuæ, eò quòd uideatur aliquid conferre Monaſterio, hic talis euellatur ab ipſa arte, & denuo per eam non tranſeat; niſi fortè humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid uerò ex operibus artificum uenumdandum eſt, uideant ipſi per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem præſumant inferre. Memorentur ſemper Ananiæ, & Saphyræ, ne fortè mortem, quam illi in corpore pertule-

runt

runt, hanc iſti, uel omnes qui aliquam fraudem de rebus Monaſterij fecerint, in anima patiantur, In ipſis autem pretijs non ſubrepat auaritiæ malum; ſed ſemper aliquantulum viliùs detur, quàm ab alijs ſæcularibus datur, vt in omnibus glorificetur Deus.

1639 *Admiror Benedicti pietatem, ſeuerè condemnant ſcriptores Ananiæ & Saphyræ auaritiam, multi eos de peccato proprietatis arguunt, ne temerarius ſit, Benedictus non iudicat. Ipſi coram Deo infallibili Iudice aut ſtant aut cadunt, ipſe arcano conſilio eos aut abſoluit aut damnat, ſed hoc ipſemet nouit. Eos ob mendacij reatum à Petro Apoſtolo damnatos fuiſſe nouimus, & hanc corporis mortem exponit, ne quis eiuſdem reus ſceleris, Dei vindictam nõ timeat. Sed de horum miſerabili morte egi ſuprà num. 262.*

De artefactis nonnulla expendi cùm de Paupertate Religioſa diſſerui, numer. 859.

De Magiſtro Conuerſorum.

1640. Duobus Magiſtris Conuerſi indigent, temporali & ſpirituali. Hic eos competentibus horis inſtruat in fide, & religione; eos ſoletur & excitet ad vitæ actiuæ perfectionem, & meliora chariſmata quæ æmulari debẽt & ambire. Eorum moribus corrigendis inuigilet, prudenter tamen, ne reddatur exoſus. Diebus feſtis pręcipuè eos ad pietatem promoueat, & ſit quaſi cunctorum pater.

Magiſter temporalis eos debet gubernare, res faciendas indicere, factas corrigere, & pręeſſe operibus vniuerſorum. Oportet vt omniũ artes ab vna idea nobiliore regantur: profectò Oeconomiam non nouit Antiſtes, qui permittit vt Conuerſi ſine Magiſtro exerceant ad libitum ſuas artes.

T E X T V S Caput 32.

De ferramentis, vel rebus Monaſterij.

1641. Subſtantiæ Monaſterij in ferramentis, vel veſtibus, ſeu quibuſlibet rebus, prouideat Abbas Fratres, de quorum vita, & moribus ſecurus ſit, & eis ſingula, vt vtile iudicauerit, conſignet cuſtodienda, atque recolligenda. Ex quibus Abbas breuem a teneat, vt dum ſibi in ipſa aſſignata Fratres viciſſim ſuccedunt, ſciat quid dat, aut quid recipit.

a Breue *idem eſt atque Index, Memoriale, Inuentarius. Libellus in quo omnis ſuppellex domeſtica deſcribitur.*

Multi ſunt, quibus creduntur temporalia. Burſario ſeu Receptori numerata pecunia, Sacriſtæ vaſa argentea, & aurea dicata Deo: Veſtiario variæ materiæ pro Monachorum veſtibus. Oeconomo victualia, & cet. Omnes iſtos vult Benedictus tales qui habeant morum integritatem, quam reddat pia conuerſatio ab omni ſuſpicione alienam.

Si Monaſteria magna ſint, curæ debent

bent ſubdiuidi, ne dum alter torpeſcit otio, alter nimio labore obruatur. Interim Monaſterij intereſt, quod non multiplicentur Miniſtri ſine cauſa, temporalia tractent ita pauci, vt non ſufficiant pauciores, nam experientia teſte non omnes ſciunt temporalia tractare, & pereunt quæ ab imprudentiores tractantur.

OSTIARIVS.

1642 Plus vni Oſtiario creditur, quàm vniuerſis alijs. Si hic infidelis ſit, monaſtica diſciplina corruit, & temporalia omnia periclitantur. Sit potiùs prudens quàm ſenex: ſenectus enim ſæpiuſculè obeſt diligentiæ, & imprudentia vniuerſa perturbat. Cæteris paribus prçeligendus eſt ſenex, quia hoc indicitur à noſtra Regula *Cap.66.* & authoritas Monaſterij expoſcit.

1643 Oſtiarius debet omnes aduenientes audire, epiſtolas recipere, & ſtatim omnia fideliter ſuo Antiſtiti communicare, ex cuius decreto incepta perficiat & non aliter. Nocuit multis Communitatibus Oſtiarij ignauia aut infidelitas. Expedit vt Monachi non alloquâtur peregrinos, aut ſaltem neminem ſine licentia. Lege ſeueriſſima cautum lego in omnibus Congregationibus Benedictinis, ne ſine licentia expreſſa Antiſtitis epiſtolæ aut ſcribantur aut mittantur. Laudo legem huiuſmodi, quoniam potiùs timendæ ſunt epiſtolç, quàm colloquia: hæc tranſeunt, illæ remanent, & ſi ſuſpectæ ſint, quoties leguntur, toties nocens.

1644 Occurrit tamen difficultas. In Monaſterio N. erat vir doctus, qui à peregrinis ſępiùs verbo & literis conſulebatur. Petit, ne legantur ſuæ epiſtolæ, eò quòd omnes contineant caſuum reſolutiones, qui ſciri non debent ab Abbate; nam conſulentes doceri nollent ſub hoc onere. Inquiris, An debeat hæc exemptio concedi.

Si ille non ſolùm doctus ſed etiam prudens & benemoratus ſit, publici honoris ſtudioſus, vir pacificus, & benè affectus erga Abbatem, laudabiliter eximi poteſt ab hac lege. Cæterùm, ſi talis à quo prudenter timeatur, non recipiat potiùs conſultationes. Careat hoc ſplêdore Communitas, vt periculis careat. Vna enim ſola epiſtola à maleuolo Religioſo ſcripta plus damni inferre poteſt, quàm conſultationes plurimæ attulerint vtilitatis.

1645 Antiſtes Monaſterij N. ſumma cura prouidit, ne epiſtolæ darentur ſuis ſubditis ſine ſua licentia & examine: negligens tamen erat in examinandis epiſtolis quæ ex ipſo cœnobio aliorſum mittebantur. Negligentiam tuebatur hoc modo: cenſebat pericula imminere ſubditis ſi literas feminarum legerent, eumque hi ſcirent ſe nullas ſimiles eſſe recepturos, ſupponebat nullas literas, aut ſaltem non periculoſas ſcriptum iri.

1646 Conſultor, & reſpondeo Antiſtitem ſufficienti diligentia inuigilare, ſi ſolùm immineant pericula fragilitatis, ſed honos periclitatur multifariàm, & multa in alijs generibus ſcribi aſſolent quæ non debent, multa quæ non egent reſponſo. Si inconuenientia intra Monaſterij ſepta accidant, ſopiri, & ſepeliri poſſunt; & ſic honori prouidetur. Si ſatyra, quæ ſcribi dicitur leporis cauſa, ſeu libellus famoſus confictus non maleuolè, ſed imprudenter editus murũ Monaſterij tranſiliat, perit Communitatis fama. Sæcularis, & peregrinis legens ſimilia cognoſcit duos, nempe illũ qui pingitur, illum qui pingit. Credulus primum arguit, nec ſecundum excuſat, ſed reliquos ſimiles iudicans contemnit omnia

omnia membra illius Communitatis. Aliqui etiam indiſcreti Monachi, ſi vel leuem pœnitentiam habeant, ſcribere non ceſſant ad Commiſſarios, Prouinciales & Superiores reliquos, quorum audacia eſt compeſcenda, nec tales epiſtolæ debent permitti ſine cauſa notabili. alij nulla curant, dummodo a decepti vindictam videantur quodammodo triumphare, ſimiles Iuliano Comiti qui integram Hiſpaniam Mauris tradidit, ne inultus diceretur.

Prudens igitur Abbas non permittat temerè literas aut recipi aut ſcribi: & ſi alterutrum velit concedere, ſit potiùs negligentior in primo. Grauiora enim damna emergunt ex ſcriptione incauta, quàm ex receptione epiſtolarum.

T E X T V S. Caput 46.

De Oſtiarijs Monaſterij.

1647. Ad portam Monaſterij ponatur ſenex a ſapiens, qui ſciat accipere reſponſum, & reddere: cuius maturitas eum non ſinat vagari. Qui Portarius cellam debet habere iuxta portam: vt venientes ſemper præſentem inueniant, à quo reſponſum accipiant. Et mox vt aliquis pulſauerit, aut pauper clamauerit, *Deo gratias* reſpondeat, aut benedicat: & cum omni manſuetudine timoris Dei reddat reſpõſum feſtinanter cum feruore charitatis. Qui portarius ſi indiget ſolatio, iuniorem Fratrem accipiat. Monaſterium autem, ſi poſſit fieri, ita debet conſtrui; vt omnia neceſſaria, id eſt, aqua, molendinum, hortus, piſtrinum, vel artes diuerſæ intra Monaſterium exerceantur: vt non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum. b Hanc autem Regulam ſæpiùs volumus in congregatione legi, ne quis Fratrum ſe ignorantia excuſet.

a Si Abbas ſenem non habeat cui poſſit oſtium credere, vel nullus ſenex eſt dignus, vel quia digni, ſunt alijs negotijs occupati: reſeruet ipſe ſibi hoc officium, & ſubſtituat iuniorem prudentem & morigeratum, qui ſecundi Oſtiarij titulum gerat, expedit enim criſi potiùs vti, quàm indigno committere claues obſeruantiæ, honoris, & commoditatis. Præiuerunt mihi & criſin, & viam Patres Congregationis Germanicæ, qui illam vocem Senex *moraliter & non naturaliter intellexerunt, ita vt* ſenex *ſit idem quod* ſapiens, ſapiens *quod* ſenex, *& idcirco anno* 1595. *hanc definitionem euulgarunt.* Ad oſtium clauſtri vel portæ regularis pro ratione, & commoditate loci (*nota bene, quæ enim non fiunt pro loci commoditate, fierit dicenda contra rationem potiùs quam pro ratione*) conſtituatur religioſus ſapiens maturus moribus (*ecce qui* ſenex *dicitur à Legislatore*. Maturus moribus *à Commentatoribus vocatur, & optimè cani enim veri ſunt ſenſus hominis maturi & mores bene regulati*)

qui ſciat iuxta Regulam dare reſponſum & accipere. *Conſonat Caſſinenſes, qui,* Senex, *inquiunt*, non tam ætate quàm moribus.

b *Vide quãti noſter Patriarcha clauſuram fecerit. Omnia neceſſaria inter Cœnobij muros eſſe deſiderat, ne occaſio detur Monacho egrediendi. Hoc ſtatutũ Regulam vocat, & vult ſæpius legi. Annon & relinquæ Sanctiones ſunt Regulæ? ſunt equidem, lex autem de clauſura per antonomaſiam Regula vocatur, quoniam eſt legum princeps & aliarum Regularum Regula.*

Doceantur obſecro, qui Moniales Benedictinas fouent legem clauſuræ recuſantes. Legislator, qui rigidam indixit Monachis, probabiliter cenſeri non poteſt cõceſſiſſe Monialibus vagãdi libertatẽ. Clauſura Monachis conueniens eſt, Monialibus autem neceſſaria, qui cõtrariũ decernunt, vltrò videntur cæcutire.

T E X T V S. Caput 67.

De Fratribus in via [c] *directis.*

1648. Dirigendi c Fratres in via, omnium Fratrum, vel Abbatis orationi ſe commendent, & ſemper ad orationem vltimam operis Dei commemoratio omnium abſentium fiat. Reuertentes autem de via Fratres, ipſo die, quo redeunt, per omnes canonicas horas dum expletur opus Dei, proſtrati ſolo oratorij, ab omnibus petant orationem propter exceſſus; ne quid fortè ſubripuerit in via viſus, aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis. Nec pręſumat quiſquam e alijs referre, quæcumque foris Monaſterium viderit, aut audierit, quia plurima deſtructio eſt. Quod ſi quis præſumpſerit, vindictæ a regulari ſubiaceat. Similiter f & qui præſumpſerit clauſtra Monaſterij egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam, quamuis parum ſine b Abbatis iuſſione facere.

a Vindicta, *id eſt, pœnitentia.*

b Abbatis iuſſio *hic, ſicut & ſępe alibi pro licentia vſurpatur.*

c *Cur iter agentes* directos *nominat? rationem dabo. Decet Paſtoris ſolicitudinem ouem nõ præſentem modò ſed abſentem dirigere, regere, & gubernare: præſentẽ imperio & vigilantia, abſentẽ inſtructione, admonitione, oratione. Inſtruat benè antequam dimittat, admoneat, & oret Dominum vt ipſos, & cuſtodiat & adiuuet.*

e *Subintellige, quod nocere poſſit. Multa enim digna dictu videntur, quæ poſſunt ad audientium ædificationem narrarò. Vitas Patrum legi & narrari omnes permittunt, cur non & illuſtrium Virorum etſi ſuperſtitum. Admonitiones inclinant, exempla abripiunt voluntatem, quæ ſi præſentia ſint, adhuc maiorem efficaciam habent.*

Noua etiam indifferentia audire Religioſis concederem, tum quia ſtatus publicus eget illorum orationibus, tũ etiã quia eſt honeſta recreatio cõtemplatricis mẽtis hiſtorijs profanis erudiri, ſemper enim contemplari impoſſibile eſt.

f *Promittunt Benedictini ſtabilitatem duplicem, nẽpe & Ordinis & Monaſterij, de vtraq; copioſè egi à n. 521. ad 600.*

DV-

DVBIVM.

1649 Petrus de licentia Abbatis egreditur Monaſterio vt aliquanto tempore ſe foris recreet obtenta in illum finem ab Abbate pecunia, quam non integrè conſumpſit; confecto itinere domum reuerſus reſiduum pecuniæ in alios vſus inſcio Abbate expendit. Quæritur, vtrùm id licitè faciat & abſque periculo proprietatis?

Reſolutio huius dubij pendet ab his, quæ ſuprà diximus cùm de proprietate ageremus. Pecunia ei conceſſa congrua itineris fuit, & viaticum determinatum: qui plus inſumit non ſolet ab Abbate adiuuari: ergo qui minus, poterit *primò* hanc pecuniam conuertere in alios vſus cum vtilitate Monaſterij, puta emendo veſtes vel libros, iuxta ea quæ dixi *num.* 886. *ſecundò*, poterit eandem pecuniam dare amico vel pauperi, iuxta ea quæ *nn.* 872. 874. & 875. expoſuimus. Neutrum poterit, non quidem ratione paupertatis ſed obedientiæ, ſi contrarium indixerit Antiſtes, *vide num.* 873.

Hic caſus non ſolum poſſibilis eſt, ſed frequens eſſe deberet, pudeat Antiſtites auaros miſeriarum quas patiuntur iter agentes Religioſi. Dentur ipſis abundanter omnia neceſſaria, vt modeſtè victitent; hæc qui concedere noluerit, domi retineat: multum enim honoris perditur, cùm frequenter & indecenter excurrunt Religioſi. Conſultiſſimè DD. Ciſtercienſes in Generalibus Comitiis celebratis anno 1618. tulerunt hanc legem. *Renouatur antiqua. Definitio de non mittendis Religioſis ad Vrbem niſi ex graui & vrgente neceſſitate & ſufficienti viatico ab Abbate mittente ſubminiſtrato.* Habeant igitur ſuas recreationes Religioſi; ne cohibeantur contra prudentiæ leges, nec vltra limites modeſtiæ laxentur. Mittantur extra Monaſterium cùm neceſſitas vrget, aut cauſæ ſuadent; prouideatur autem aliundè de neceſſariis, nempe aut ex loculis ſuis, ſi hi concedantur; aut ſaltem ex bonis abſolutè communibus.

MAGISTER HOSPITVM.

1650 Propheta Iſraelitarum Rex, donatus Logica ſupernaturali, nempe illa cuius obiectum exponitur à Diuo Ioanne in Euangelii limine dicente, *In principio erat Λόγος, & Λόγος erat apud Deum, & Deus erat Λόγος* vt Deum probet æternum Regem eſſe, hunc diſcurſum inſtituit. Aſſumit hanc Maiorem, *Dominus cuſtodit aduenas, pupillum, & viduam ſuſcipiet.* Subſumit; *Vias peccatorum diſperdet.* ex quibus hanc conſequentiam infert, *Regnabit Dominus in ſecula Deus tuus Sion, in generationem & generationem.* Conſequentia eſt legitima, etiam Ariſtotele inuito. Peregrinorum enim cura, & ſceleratorum caſtigatio donant regimen æternitate: illa enim bonos externos adlicit, hæc indigenas ſceleratos fugat: illa communitatem exornat, iſta defæcat & purificat.

1651 Vtraque perfectio competit Deo quà bono: virtute ſua magnificè infinita ſibi ſimiles adtrahit, & expellit diſſimiles. Participant Homines, Reges, Epiſcopi, & Abbates. Deſiderat noſter Patriarcha inſtituere Rempublicam regnaturam in ſeculum, & ideo condit talem, quæ cuſtodiat aduenas, & ſuſcipiat pupillos, exteros & peregrinos, talem, quæ intemerendis legibus vias peccatorum diſperdat, & in exilium agat pertinaces. Ab hoſpitalitate illi conceditur, vt digniſſimos viros recipiat; à rigore, vt vel eradicet ſcelera à peccantium affectu, vel ſaltem impœnitens à cõuentu eradicet. De dimittendis incorrigibilibus agemus inferiùs

proprio loco, imp ræſenti iterum. Benedictum ſequentes, de recipiendis orthodoxis hoſpitibus breuiter diſſeramus.

TEXTVS. Caput 53.

Qualis debeat eſſe qui curam Peregrinorum habeat.

1652. Cellam Hoſpitum habeat adſignatam Frater, cuius Animam timor Dei poſſideat, vbi ſint lecti ſtrati ſufficienter, & Domus Dei à ſapientibus ſapienter adminiſtretur. Hoſpitibus autem (ille) cui non præcipitur, nullatenus ſocietur, neque colloquatur. Sed ſi obuiauerit, aut viderit, ſalutatis humiliter, vt dictum eſt, & petita benedictione pertranſeat dicens, ſibi non licere colloqui cum Hoſpite.

1653 *Solent mercatores pretioſiſſimas merces obijcere vt reliquas commendent. Non aliter Antiſtes circumſpectus, peregrinis debet exponere magis modeſtos, & benemoratos Religioſos, tum vt ædificentur aduenæ, tum vt Monaſterij authoritas, & honos conſeruetur. Qui non cognoſcunt conuerſationem Monaſterij, ex vnius moribus iudicant alios: ergo cui hoſpitum cura commendatur talis ſit, quales reliqui volũt videri. Eius miniſterium ideo eſt omnino difficile, quòd ſingulis diebus debeat cum varijs conuerſari. Actionibus ſuis vix poteſt certas leges præſcribere, quia ea, quæ vni videbitur humana, leuis erit in alius opinione, & fortè in alterius ſeuera. Ne igitur ita modeſtus ſit vt ſeuerus appareat, ne ita humanus vt iudicetur leuis, prudens tamen ſit & circumſpectus, omnibus omnia fiat, modeſtiæ ſtudeat, & ſi medium exactè attingere non poſſit, vrgeat potiùs in ſeueritatem: præſtat enim cum difficilem dici, quàm leuem, imprudentem & facilem.*

TEXTVS Caput 53.

De [a] hoſpitibus ſuſcipiendis.

1654. Omnes ſuperuenientes hoſpites tamquam Chriſtus ſuſcipiantur; quia ipſe dicturus eſt: *Hoſpes fui, et ſuſcepiſti me*. Et omnibus congruus [b] honor exhibeatur, maximè domeſticis [c] fidei, & peregrinis. Vt ergo nuntiatus fuerit hoſpes, occurratur ei [d] à Priore, vel à Fratribus cum omni officio charitatis: & primitùs orent pariter, & ſic ſibi ſocientur in pace: quod [k] pacis [e] oſculum non priùs offeratur, niſi oratione præmiſſa, propter illuſiones diabolicas. In ipſa autem ſalutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus, ſiue diſcedentibus hoſpitibus inclinato capite, vel proſtrato omni corpore

corpore in terra, Chriſtus in eis adoretur, qui & ſuſcipitur. Suſcepti autem hoſpites ducantur ad orationem, & poſtea ſedeat cum eis [d] Prior, aut cui iuſſerit ipſe. Legatur coram hoſpite lex diuina vt ædificetur, & poſt hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiunium à [e] Priore frangatur propter hoſpitem niſi fortè præcipuus ſit dies ieiunij, [f] qui non poſſit violari. Fratres autem conſuetudinem ieiuniorum proſequantur. Aquam in manibus Abbas hoſpitibus det: [g] pedes verò hoſpitibus omnibus tam Abbas, quàm tota congregatio lauet: quibus lotis hunc verſum dicant. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Pauperum, [h] & peregrinorum maximè ſuſceptio omni cura ſolicitè exhibeatur: quia in ipſis Chriſtus magis ſuſcipietur, Nam diuitum terror ipſe exigit honorem: Coquina Abbatis, & hoſpitum per ſe ſit, vt incertis horis ſuperuenientes hoſpites, qui numquam deſunt Monaſterio, non inquietent Fratres. In quam coquinam ad annum ingrediantur duo Fratres, qui ipſum officium bene impleant. Quibus, vt indigent, [i] ſolatia adminiſtrentur, vt abſque murmuratione ſeruiant. Et iterum, quando occupationem minorem habent, exeant, vbi eis imperatur, in opera. Et non ſolùm in ipſis, ſed in omnibus officijs Monaſterij iſta ſit conſideratio, vt quando indigent, ſolatia miniſtrentur eis, & iterum quando vacant, obediant imperanti.

a *Peregrinus olim Hoſtis appellabatur. Sed cur? an quia veteres inhoſpitales erant, & aduenientes exteros exiſtimabant inimicos? minimè; quoniam ſi hiſtorias legamus, reperimus apud Græcos & Latinos olim hoſpitalitatem magni factam. Magni facti qui peregrinos excipiebant, & qui recipiebantur magni facti. Saturnus per Europam peregrinatus eſt, gratulatur ſibimetipſi Italia hoſpite tanto ſuperbeſcenti. Aeri cuſo commendat Hoſpitis humanitatem. Ouidius.*

Ad bona poſteritas puppim formauit in ære
Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Hoſpitem Hoſtem nominat Cicero, Hoſtis apud maiores noſtros dicebatur, quem nunc Peregrinum dicimus Indicant duodecim Tabulæ, vt, Status dies cum hoſte, (id eſt cum hoſpite) Itemque, Aduerſus hoſtem (id eſt hoſpitem) æterna authoritas eſto. Nominis autem ratio non eſt eadē apud Doctores vniuerſos. nihilominus ſentio Peregrinum vocari Hoſtem ab Hoſtiendo, id eſt, ab æquando; eò quòd ſumma æquitas ſeruaretur inter ciues & exteros. Alij etym. deducunt ab oſtio, quia ſicut Oſtiarius dicitur qui Hoſpites recipit, ſic etiam Hoſtis, & fortè meliùs Oſtis poteſt vocari ipſemet Hoſpes qui recipitur.

b *Nulla eſt inæqualitas maior, quā omnes æquales iudicare. Vnicuiq; debetur congruus honos, nempe ſecundùm perſonæ qualitatem, congruum exhiberi Benedictus præcipit, ne ſi eis tribuatur honos minor debitor, inuidi, ſi maior, adulatores videamur. Qualis vnicuique honos ſit exhibendus, doceo in Theorijs Politicis, quibus concluditur meus Lamoraldus.*

 c Hinc

e *Hinc conſtat Schiſmaticos nonnunquam ad Monaſteria diuertiſſe, & à Benedictinis humaniſſimè fuiſſe tractatos.*

d. *Sed quem intelligit Prioris nomine? fortè Abbatem; quoniam & hunc etiam Seniorem vocat alibi.*

e *De pacis oſculo egi ſuperiùs num. 979. cùm de promiſſa caſtitate. Nomine oſculi Caſſinenſes amplexum intelligũt, & in ipſis hoſpitibus docent Chriſtum adorandum m:ntaliter.*

f *Ieiunia Regularia obſeruare non tenetur Antiſtes, & qui adſiſtunt peregrinis: ſeuerè autem debent obſeruari Eccleſiaſtica.*

g *Multi cenſent pedum lotionem inſtitutam vt venientes terreantur. Sanè plurimi ſunt qui ad Monaſteria, vbi hæc cæremonia viget, non auderent diuertere, nam pedum ablutione fugantur. Circumſtantia eſt accidentalis, & licèt Monachis moleſta ſit, moleſtior multò eſt peregrinis. Exoleuit in pleriſque orbis terrarum monaſterijs: vtinam Maiorum noſtrorum mores potius ſanctiſſimos, quàm cæremonias accidentales videam reuocari.*

h *Diuites ſuſcipi poſſunt, pauperes debent, nam præcipuè eos Benedictus commendat Antiſtitis benignitati. Debitum ſuſcipiendi, & nutriẽdi pauperes morale non eſt, videtur tamen conducere ad docentiam monaſticam, aliquale enim eſſet dedecus, non opitulari pauperibus in communibus neceſſitatibus. Decentia autem videtur ſaltem extrinſecè obligare. Si pauperis neceſſitas fuerit extrema, qui poſſunt, tenentur ei ſuccurrere ſua culpa graui.*

i *Solatia, id eſt, ſocij qui eos adiuuẽt: hos ſolatia Benedictus nominat, quoniam alios occupationem onere oppreſſos conſolantur.*

Religioſi Hoſpites cui tenentur obedire? an Abbati ſuo ordinario, an illi apud quem hoſpitantur? Controuerſia omnino neceſſaria eſt, non tamen ab omnibus exeminata, & fortè à paucis bene. Eam decido ſuperiùs numer. 802. & deinceps.

K *De pacis oſculo tracto num. 979.*

TEXTVS. Caput 56.

De Menſa Abbatis.

1655. Menſa Abbatis cum hoſpitibus & peregrinis ſit ſemper. *a* Quotiens tamen ſunt minus hoſpites, quos vult de Fratribus vocare, in ipſius ſit poteſtate, Seniores tamen vnum aut duos ſemper cum Fratribus dimittendum procuret propter diſciplinam.

a. *Aequiualet ad literam huic phraſi: Todas las veces que aya menos hueſpedes, hoc eſt, Quoties pauciores ſint hoſpites. Ergo Fratres non ſolùm vocandi ſunt quando non ſunt hoſpites, ſed etiã quando ſunt, ſi ſint pauci. Nec cauſeris expoſitione deſumpta à labio peregrino, quoniam intellectus Regulæ potiùs à phraſibus Hiſpanis & Italis quàm à Latinis ſumi debet, vt ſtylus Benedicti confirmat, qui communibus loquendi modis vtitur iuxta vernaculam expoſitionem.*

In Comitijs Generalibus celebratis Ciſtertij anno 1618. reperio hanc definitionem. In menſa Abbatum, etiam in præ-

preſētia quorumcumque hoſpitum, fiat lectio ſaltem in principio & fine menſæ, vt refectionem corporalem ſpiritualia comitentur alimenta : quod etiam obſeruatur in menſis Præmonſtratenſium, & aliorum.

DISPVTATIO CXXXIII.

Sitnè menſa Abbatis in Refectorio an in Hoſpitio?

1656 VTrùm Antiſtes debeat in Refectorio comedere, an in ſua aula, à Regulæ expoſitoribus nondum eſt declaratum. Omnes ferè Hiſpani credunt Diuum Benedictum in Regulari refectorio, & ſæpiùs communi hora peregrinos, & exteros tractaſſe. Ideo ipſi, Patriarchæ exemplo, comedunt cum communitate. Si hoſpes aduenerit menſa Antiſtitis dignus, in refectorium introducitur, ſi vir minoris qualitatis, in ſecundo conuentu cum Oeconomo vel Cellerario refectionem ſumit. Sanè hæc Capitis expoſitio obuiam it ſummis inconuenientibus, quæ proueniunt ex multiplicitate menſarum. Cœnobia vidimus, in quibus præter Abbatis menſam, Receptor, Oeconomus, & Officiales alij habebant ſua cœnacula, menſam, amicos, & famulos particulares. Sequitur ex huiuſmodi ab vſibus euerſio monaſticæ conuerſationis, & inutilis multiplicatio expenſarum. *Hæc ſententia probatur*. Ideo ſcimus Hoſpites non eſſe introducendos in Regulare dormitorium, quia noſter Patriarcha decernit illis cellam ſpecialem; ſed nec his nec Abbati deſignat peculiare cœnaculum: debent igitur communi hora cum alijs comedere, & cœnare.

1657 Germani, Belgæ, & ferè omnes alij iudicant Antiſtitem non in Refectorio, ſed in ſua aula debent tractare exteros, & ſi hi non occurrant aut pauci occurrant, Monaſterij Seniores. Horum ſententia contextui conuenientior eſt, nam Cap. 53. videtur voluiſſe culinam Abbatis, & Communitatis ſeparare. *Coquina*, ait, *& Hoſpitum per ſe ſit*, clariùs Hiſpanè, *La cocina del Abbad y Hueſpedes ſea deporſi*. hoc eſt, ſit alia à coquina Conuentus: igitur Abbas & Conuentus non comedebant eadem hora & in eodem loco: aliàs enim eadem coquina ſufficeret. Clariùs autem hoc Capite 56. Si Abbati licebat ad ſuā menſam aliquos Religioſos vocare, certum eſt eum non comediſſe cum aliis, quia ſi in cōmunitate comediſſet, quorſum eſſent vocandi? Hanc rationem cōfirmant quæ immediatè ſequuntur. Si enim, quando Abbas comedit, debet relinquere vnum alterumue ſeniorem qui comedat cum Monachis ob modeſtiæ obſeruantiam, & morum diſciplinam, quis aſſeret illum comedere cum Religioſis?

Vtraque ſententia eſt probabilis, ſed ſtando communi Religionis vſui, hanc vltimam cenſeo probabiliorem, nam Chartæ Charitatis verba clariſſima ſunt pro hac ſententia. Cap. 11. ſic legitur. *Cum Abbas Noui monaſterij* (id eſt Ciſtertium) *ad aliquod horum Cœnobiorum viſitandi gratia venerit, Abbas illius loci vt Eccleſiam Noui monaſterij ſuæ Eccleſiæ matrem eſſe nouerit, cedat ei in omnibus locis ſui Monaſterij, & ipſe adueniens locū illius Abbatis, quamdiu ibi manſerit teneat, excepto quod non in hoſpitio ſed in refectorio cum fratribus propter diſciplinā curandam comedat, niſi Abbas illius de-*

deſuerit. Quæ verba ſic vrgeo. Exceptio firmat contrariam Regulam, atqui præmiſſa Conſtitutio cõcedit ſuperuenienti Abbatis locum & omnia ad ordinarium loci Abbatem pertinentia, pręter hoc quod eſt in hoſpitio comedere, ſi Abbas loci ſit præſens, concedit etiã vt in hoſpitio comedat ſi ſit abſens. Ergo Ordinarij Abbatis menſa ad Ciſtertienſium veterum mentem debet eſſe in aula aut hoſpitio, non verò in refectorio. Conſonat alia periodus inferior. *Cùm autem aliquis Abbas noſtri Ordinis ad nouum monaſterium venerit, reuerentia congrua ei exhibeatur: ſtallum Abbatis loci illius teneat, in hoſpitio comedat* (nota limitationem;) *ſi tamen Abbas* (*puta loci*) *deſuerit; ſi verò præſens fuerit, nihil horum agat, ſed in Refectorio comedat: Prior verò negotia domus diſponat*. Abbatis ergo ordinarij menſa in hoſpitio eſt, in Refectorio verò ſuperuenientis Abbatis hoſpitis. Cùm igitur Ciſtertienſis illa Reformatio non curauerit maiorem rigorem inducere, ſed regulam ad punctum (ſi D. Bernardus loquitur) tenere; cumque Abbatis ordinarij menſam in hoſpitio poſuerit, certum eſt fuiſſe creditum ſub illud tempus hãc eſſe mentem ſanctiſs. Patris Benedicti.

N O T A.

1657 b. Occurrit tamen difficultas ſecunda quæ inquirit, quid omnino faciendum ex hypotheſi quod menſa Abbatis non fuiſſe à Beato Benedicto in Refectorio collocata dicatur. Puto debere id fieri, quod ſanctius, vtilius, & melius. Non omnia conuenientia potuit S. Pater periclitaſſe aut præuidiſſe, nec credendus aut voluiſse aut potuiſse minus-bona aut mala per accidens ſanxiſſe, adeòque Congregationum illuſtriſſimarum de hac materia ſunt iudicia exſpectanda.

Germanica eſt religioſiſſima, & anno 1595. Viros prudentiſſimos habuit. Præſidem Edmundum à Cruce Ciſtertij Abbatem, Regulæ vindicem, & defenſorem fideliſſimum, & nihilominus tulit hanc ſanctiſſimam Legem. *Abbas quoties commodè poterit cùm ſuis fratribus in conuentu refectionem ſumet, niſi hoſpitum præſentia, vel alia legitima cauſa impediatur. Occurrente autem rei neceſſariæ præſertim diuini cultus occaſione, ſeſe ſubtrahat hoſpitibus, qui ſi probi fuerint, non inde ſcandalizabuntur, ſed ædificabuntur plurimùm, cum viderint illum ſeruire velle potiùs Deo quam hominibus*. Et in Comitijs anno 1627. in Monaſterio Salemitano celebratis §.8. tulit hanc. In refectorio quoad ſeſſiones etiam varietas in diuerſis locis fuit, dum alibi in prima ac ſuperiore menſa ſolus Abbas, alibi etiam cum Abbate Prior ſederet. Ad hanc deformitatem tollendã ſanxit præſens Capitulum, vt deinceps nõniſi vnus in ea reſideat nempe ſolus Abbas, & illo abſente ſolus Prior.

1657 Sed & in eiſdem Definitionibus anno 1595. reperio ſimilẽ legem de Abbatiſſis; quæ cum militent ſub eadẽ Regula, prudenter ad eaſdem pęnaliter obligantur. Do textum. *Frequentiſſimè* (*ſi continuò nequit*) *cùm eis ſimul in Refectorio vtramque refectionẽ Abbatiſſa ſumat: quæ omnia ad Religionem & cõcordiam plurimum ſunt momenti allatura, cùm etiam minima ſeparatio abſque graui cauſa facta ſuſpicione vacet*.

1657 d. Similes etiã in priuatis monaſterijs leges extſtant à Viſitatoribus latæ. Anno 1608. D. Ioannes Martinus Clari-loci Abbas ſuis monaſterijs ſubditis iudicebat hanc legem. *Ipſe verò Reuerendus Abbas, ſi quando nullos hoſpites habeat, refectorium ipſum tum ſuis fratribus vt frequentare velit ædificationis ergo exhortamur*. Legi in ſpecioſa-valle in Charta viſitationis eiuſdem Domini Clarilocenſis.

1657 e. Confirmauit anno 1615. D. Nicolaus Boucherat Ciſtertii Abbas

iubens,

iubens, *Vt ſaltem ſolennioribus feſtis, & diebus ſermonis Abbas cum ſuis Religioſis in Refectorio comedat.*

Conſonant hæc omnia Reſolutioni Caſſinenſium, qui in ſuis Conſtitutionibus pronuntiant, *Si elegit* (Abbas) *eſſe in Refectorio cum fratribus, magis laudamus.*

DISPVTATIO CXXXIII.

De Hoſpitalitate.

1668 CHaritas virtutum Imperatrix Deum primariò reſpicit, proximum ſecundariò. Hic ſecundarius reſpectus proprietas eſt inſeparabilis, & à primo exoritur. Sicut nec ſine calore ignes, nec ſine riſibilitate homo, nec ſine figura corpus: ſic nec ſine dilectióne proximi theophilus amor reperitur.

1659 Miſeriæ hominum multæ, ſed grauiſſimæ peregrinorum. His opitulatur Hoſpitalitas, quæ eſt attributum Diuinæ Charitatis; antiquiſſima virtus, quæ illuſtres reddit in lege veteri Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, & Patriarchas alios: innoua, Eccleſiæ Principes teſte ipſo Luciano licèt Chriſtianæ conuerſationis hoſte. Caius hac prærogatiua ſuffultus meruit à Ioanne Epiſtol.3. commendari, *Chariſſime*, inquit, *fideliter facis quidquid operaris in Fratres, & hoc in peregrinos: teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ, quos benefacis deducẽs dignè Deo.* Græcus non legit *fideliter*, *ſed fidele*, hoc eſt, rem fidelem, aut fideli viro dignam (ita Oecumenius explicat) vt ſciamus Hoſpitalitatem eſſe annulum myſticum virtutes Theologicas concatenantem. ¶ *Hic obiter.* Vulgatum Interpretem Eraſmus Rhoterodamus reprehendit, quòd tranſtulerit *fideliter* cùm *fidele* deberet transferre: cæterùm carpitur Vulgatus ſine cauſa: primò, quia ſiue *fideliter* dicatur, ſiue *fidele*, ſenſus ſemper eſt idem, vt vidimus: ſecundò, quia Hebræi, Chaldæi, & Syri, quorum Originaſia ſequutus eſt noſter vulgatus, ponunt nomina aduerbialiter, quod & facit Latinus, talia enim ſunt *Tantum, Solùm, Breuè, Recens, Frequens, & ceter.* ita Hiſpanus cùm dicit *Pedro ama mucho la virtud, Paulo procede mal, &c. Illa mucho & mal* nomina ſunt aduerbialiter ſumpta.

1660 Eleemoſyna à veteribus nominabatur *Operatio.* Ita vocatur à Tertulliano *libro de Idololatria ſub finem, & libr.4. contra Marcionem capit. 19.* qui mulieres, quæ (Lucæ 8.) de facultatibus ſuis miniſtrabant Chriſto, & Apoſtolis, Operarias nominat. Eodem modo Cyprianus loquitur, qui bonorum operum nomine intelligit Eleemoſynes prærogatiuam. Suffragatur Prudentius in *Pſychomachia* opponens operationem auaritiæ. Et tandem Leo *ſermone de octo Beatitud.* nam quintam explicans. *Secura eſto*, ait, *operantium fides*, hoc eſt, diuitias erogantium. Si vocis rationem inueſtigas, opinor veteres didiciſse hunc modum loquendi à Ioanne iam citato, qui Caii commendant benignitatem dicens, *Fideliter facis quidquid operaris in Fratres, & hoc in peregrinos*, id eſt, rem præſtas fideli homine dignam, quoties impertiris eleemoſynas Fratribus, maximè peregrinis.

1661 Incepi hanc periodum expendere, ſuſtineat obſecro quouſque illuſtrem illa verba, quæ ſuperſunt. Subiunxit

ſeruxit Ioannes, *Quos benè facis deducens dignè Deo.* Verbum *Benè facere* duplici ſignificantia eſt præditum; primò ſonat obligationi ſatisfacere, ſecundò *opitulari alicui*. Euangeliſtæ igitur verba æquipollent ſequentibus. Rem facis Viro fideli dignam, quoties opitularis Fratribus præcipuè peregrinis, quibus cùm benefacis, legi ſatisfacis, & eos deducis dignè Deo. Sed quid eſt illud *Deducens dignè Deo?* Apìd ex dialecto Hiſpana. *Enbiar con Dios* idem, quod dimittere eſt. Laudat ergo Caium Euãgeliſta, quòd hoſpites dignè dimiſerit: hoc eſt vrbanè, aut vt Lyra explicat, cõcomitans eos honoris gratia & neceſſaria ſubminiſtrans. Addo alteram expoſitionem nec conceptus expertem. Peregrinorum curam ſibi Deus arrogat, ipſe eſt, qui primariò eos recipit, ipſe, qui in eis primariò excipitur. Dauid Pſ. 145. *Dominus custodit aduenas, pupillum, & viduam ſuſcipiet.* Caius ergo dignè Deo recepit hoſpites, nam illos recepit Dei nomine, & in eis Deum, iſdem ſtudiosè, & obſequiosè ſubminiſtrans.

1662 Licèt Hoſpitalitatis virtus Tertulliano *libr. de præſcript.* aſſerente omnibus conueniat Orthodoxis, propria tamen eſt diuitum, quibus Deus diuitias opulentiſſimas contulit ad pauperum inopiam ſubleuandam. Dicebat Hypodamus tria eſſe Principi ſolicitudini, nẽde bonum publicum, orphanos, & peregrinos. Hoc optimè percallebat Iob, quem, ſi fuiſſe Regem Orientalium regionum Nyſſeno, Theophani, Cæſario, Galidentio non credimus, ſaltem fuiſſe ditiſſimum non negabimus ſcriptura affirmante. Hic igitur nec cõtempſit pauperes, nec egenos deſpexit. *Foris*, inquit, *non manſit peregrinus; & oſtium meum viatori patuit.* Vatablus, *patuit iuxta iter.* nempe, vt faciliùs diuerterent iter agentes. Hanc interpretationem Seniores ſeptuaginta corroborant vertentes. *Oſtium meum omni viatori patuit.* Hebraica originalia legunt, *Oſtia mea*, vt commendent Iobi diligentiam in excipiendis peregrinis.

1663 Abrahamus, quem Principem Dei, hoc eſt, *locum Dei tenentem.* Filii Het Geneſeos 22. nominarunt, multis dotibus claruit, quæ ipſum laudibus dignum reddiderunt. Interim Mediolanenſis Archiepiſcopus *libr. in Iob primi capite* 5. omnes huius magni Patriarchæ virtutes ſuſcipit, ſed præcipuè celebrat Hoſpitalitatem. *In oſtio tabernaculi*, ait, *non otioſus ſedet, qui longè aſpicit, neque aſpexiſſe contentus occurrit obuiam.* Cui Chryſologus conſonat his aureis verbis; Abraham, ait ſermon. 121. *venientibus longè ſemper occurrit, prætereuntes prece reuocat, nolentes magna cum ſupplicatione ſuam compellit ad menſam.*

1664 Licèt omnes diuites pauperibus ſuccurrere teneantur, potiori iure tenentur Eccleſiaſtici. Didici id ab Apoſtolo, qui primæ ad Timotheum tertio aſſerit Epiſcopum debere eſſe φιλόξενον, hoc eſt, non ſolùm hoſpitalẽ, ſed amorem hoſpitum. Ideo Hieronymus ad 1. caput Epiſtolæ ad Titum, *Ante omnia*, inquit, *futuro Epiſcopo denuntiatur, ſi enim omnes illud Euangelicum audire deſiderant.* Hoſpes fui, & Suſcepiſtis me, *quantò magis Epiſcopus, cuius domus commune debet eſſe hoſpitium?* & Gregorius ad Ioannem Epiſcopum, *Hoſpitalitatem neſciens*, ait, *non fiat Epiſcopus.* Et Gratianus *cap. Florentinum.* 85. *diſt.* adeò Epiſcopis neceſſariam exiſtimat hoſpitalitatem, vt minimè ordinandum aſſerat, qui hac careat benigniſſima prærogatiua. Auguſtinus Africæ honos, & ſcriptor Diuinus *Confeſſionum quinto* inter alias Ambroſii virtutes hanc maximè commendat dicens. *Suſcepit me paternè ille homo Dei, & peregrinationem meam ſatis Epiſcopaliter dilexit.* Pollent Afri ſcriptores energia dicendi, & acumine ſignificandi. Auguſtini peregrinationem

Epi-

Epiſcopaliter dilexit Ambroſius, ſed, quid eſt Epiſcopaliter diligere peregrinationem? nihil aliud quàm excipere officiosè, & obſequiosè peregrinos. *Epiſcopaliter* dixit, & non hoſpitaliter, vt ſignificaret hoſpitalitatem eſſe propriã ac præcipuam dotem Epiſcoporum; ita propriam, vt Baſianus in Chalcedonenſis Synodi act. 2. ſe purgauerit ab omni ſuſpicione hæreſeos, probans ſe peregrinos, & pauperes liberaliſſimè ſemper excepiſſe. Exſtant plura decreta, quę Epiſcopis hanc virtutem indicunt. Reperitur ſanctio Concilii Atuernenſis libr. 2. *cap.* 103. Concilii Pariſienſis III. *libr.* 1. *cap.* 14. Concilii Aquiſgranenſis primi *cap.* 141. & ſecundi, *cap.* 3. Concilii Matiſconenſis II. *cap.* 11. & 13. Concilii Meldenſis, *cap.* 28. Concilii Oxonienſis, *cap.* 1. & Concilii Tridentini, *ſeſſ.* 25. c. 8.

1665 Suſpexit Benedictus in Eccleſiæ & Sæculi Primoribus alias dotes, ſed maximè hoſpitalitatem. Noluit carere Monaſterii Principes hac humaniſſima prærogatiua. Voluit hanc virtutem, quę Epiſcopis præcepta eſt, Monachis præceptibilem eſſe, & ne hoſpites diſciplinæ Monaſticæ ſint impedimento, Hoſpitium erigit, eique diligentem præficit Rectorem. *Cellam Hoſpitum*, ait c. 53. *habeat adſignatam Frater, cuius animam timor Dei poſſideat: vbi ſint lecti ſtrati ſufficienter, & domus Dei a ſapientibus ſapienter adminiſtretur.* Hoſpitium debere eſſe domum à clauſtro diſtinctam experiẽtia didicerat Benedictus, & ante eum multis annis Patriarcha Abrahamus, qui timens vernaculorum ſuorum quieti, fortè etiã moribus, Geneſis 21. *plantauit* אשל *eſel nemus*, vel potiùs vt Vvidnerus *libr. de locis fidei tract.* 1. exponit, erexit *hoſpitium*, hoc eſt, ædificauit domum vt reciperet peregrinos & pauperes.

1666 Paulus *Roman.* 16. commendans Phęben Cenchrenſis Eccleſię Diaconiſſam, ſic ait: *Eam accipiatis in Domino, dignè ſanctis*, hoc eſt, vt decet ſãctos recipi. Hoſpites curat non ſolùm excipi, ſed dignè, nempe ſecundùm vniuſcuiuſque qualitatem, cum omni vrbanitate & affectu; quoniam in vnoquoque non niſi Chriſtus excipitur, & adoratur. Ad menſam Abbatis eos inuitat vt benigniùs tractentur, ſi enim ad communem menſam accederent, frequentia ſua & moribus indiſciplinatis modeſtiã regularem corrumperent, & ſingulorum officerent tranquillitati.

An Domini Benedictini teneantur Hoſpites recipere ſub peccato mortali.

1667 Dari aliquam obligationem ipſummet Dignitatis nomen indigitat, & manifeſtat conſuetudo: qualis & quãta ea ſit eſt examinandum. Aba eſt diligere & אבוי Aboi *Paupertas* ſeu *Pauper*. Inde אבר Aba Hebraicè, idem quod אבו | אב *Aba-abo* φιλόξενος, ſeu *Diligens Pauperes*. Igitur aut ne ſis Abbas, aut ſis qualis diceris, externorum & pauperum amator.

Prima ſententia.

1668 Vidi cuiuſpiam Doctoris neoterici reſolutionem aſſerentem legem de ſuſcipiẽdis hoſpitibus obligare ſub peccato mortali.

Probabat primò, quia materia eſt grauis, & poſita graui materia culpa eſt non leuis, ſed grauis.

Secundò. Finis Ordinis Benedictini eſt recipere hoſpites: atqui finis obligat ſub peccato mortali: ergo peccabit mortaliter Antiſtes, qui hoſpites & peregrinos non recipit.

Tertiò. Bona monaſteriorũ ſunt bona pauperum, Antiſtes igitur, qui negauerit hoſpitium peregrino, negat pauperi, quæ ſunt; iniquus igitur eſt detentor rei alienæ, & grauiter delinquit.

Quartò. Subſtantialia Regulæ obligant

gãt ſub mortali; atqui Hoſpitalitas pertinet ad ſubſtantiam Regulæ: ergo obligat ſub peccato mortali.

Reſolutio.

1669 Deciſio huius difficultatis dependet à dictis ſuperiùs *diſp.*7. vbi oſtẽdimus in Benedictina Regula nulla eſſe præcepta moraliter obligatoria. Breuiter tamen controuerſiam ſequentibus Aſſertis illuſtrabo.

Primum. *Strictiùs tenetur ad Hoſpitalitatem Epiſcopus quàm Abbas.* Nõ ſum facilis in condemnandis animabus, nam eas Chriſtus redemit pretio maximo. Non aſſero Epiſcopos peccare vel leuiter ſi non recipiant peregrinos, quoniam & ipſi docti ſunt, & antequam dignitatem admitterent, examinarunt illius obligationes. Aſſero tamen potiùs teneri quàm Abbates. Hoſpitalitas Epiſcopo ab Eccleſia, à Canonibus, à Concilijs (vt ſuprà *num.*1664. vidimus) præcipitur; Abbati à Iure non præcipitur, ergo ſtrictiùs Epiſcopus obligatur.

1670 Dices Hoſpitalitatem indici Abbati à Regula, cui obedire grauiùs tenetur, quàm Epiſcopus Cõciliorum decretis. Reſpondeo Regulam nullum habere præceptum, vt oſtendi *diſput. illa* 7. *nu.*79. atque ideo hanc virtutem Religioſis præceptam non eſſe, ſed præceptibilem; continetur enim in Regula quã Benedictino Monacho Superior indicere poteſt.

Subſumo. Epiſcopi aut rarò aut nunquam habent hoſpites, illi, quos excipiunt, non ſunt ignoti, & peregrini, ſed conſanguinei, & familiares. Ergo à fortiori id ipſum Regulares Antiſtites præſtare poſſunt.

Secundum. *Stando Iuri communi & Regulæ, nec Abbas nec Communitas tenetur moraliter peregrinos recipere.* Dixi in huius diſputationis limine dari obligationem recipiendi hoſpites, nempe merè pœnam merè pœnalem; vnde Abbas, qui ſine cauſa excluderet peregrinos, deberet à Viſitatoribus reus agi, & pœnam aliquam ſubire, externam tamen. Conſtat ex Generalibus Definitionibus Ordinis Ciſtercienſis, quæ *diſt.*11. *cap.*2. vt poſſint ad nos diuertere, & in noſtris refectorijs comedere, concedunt Abbatibus Dionyſiano, Vedaſtino, Germanenſi, Athanaſienſi, Ciſtercienſi, Cluniacenſi, Abbanenſi, eorumque Religioſis, & Legatis D. Papæ, non alijs. Contra Abbates, qui huiuſcemodi Viros non admiſerint, ſtatuunt pœnas temporales. Dicendum ergo eſt *primò* DD. Benedictinos ex vi Regulæ non teneri moraliter recipere aliquos hoſpites. *Secundò* teneri lege pœnali illos recipere, quos debere recipi Superiores indixerint ſub pœna, non alios. Vnde Domini Ciſtercienſes præter recenſitos nullum tenebuntur recipere nedum pœnaliter. Dices, malè me inferre obligationem vniuerſalem totius Ordinis Benedictini ex legibus Congregationis Ciſtercienſis. Sed nego. Quia leges Ciſtercienſes licèt vniuerſos non obligent, vniuerſis proſunt. Ratio eſt, quia certum eſt omnes qui tales leges tulerunt, omnes qui admiſerunt, cenſuiſſe non eſſe contra Benedictinam Regulam: ergo ſententia, quę aſſerit Benedictinos ad hoſpitalitatem non teneri moraliter, habet tot authores, quot Ciſtercienſis congregatio pios, & eruditos Religioſos. *Vide num.*1672.

1661 Hanc communem conſiderationem limitant nonnullæ circumſtantiæ, quæ moralem inferunt obligationem. *Primò* ſi pauper aut peregrinus eſſet in extrema neceſſitate, tunc Abbas iure naturæ teneretur. Hæc autem circumſtantia non reſpicit Abbatem potiùs quàm diuitem quemcumque ſæcularem: pauperi enim extremè laboranti tenetur fauere quiſquis poſſit, ſeu Eccleſiaſticus, ſeu ſæcularis. *Secundò* ſi Abbatis Superior immediatus, cui ipſe promiſit obedientiam, in virtute voti emiſſi præcipe-

cipe-

ſperet, vt hoſpites venientes reciperet, teneretur facere ſub peccato mortali. Patet, quia materia grauis eſt, & lex ſupponitur eſſe legitima. Tertiò teneretur moraliter pauperes, & externos excipere, & decenter tractare ille Abbas, cuius Monaſterium haberet aliquam dotationem ſub onere tali conceſſam. Pro recipiendis hoſpitibus dotationem non vidi, ſcio eſſe plurimas ad alendos pauperes in diuerſis Cenobijs, quæ proinde non ex charitate ſed ex iuſtitia tenentur erogare eleemoſynas ad ſummam quam admiſerunt in contractu.

Argumentis ſatis.

1672 *Ad primum* admitto, dimittere hoſpites eſse grauis momenti: verùm inde non ſequitur eſse peccatum graue: non enim quæcumque grauis materia infert mortalem culpam, ſed ſola illa, quæ contrariatur Iuri legitimo & morali. Cæterùm hoſpites non excipi ab Abbate nec Iuri nec Regulæ opponitur: ergo. Minorem probo, quia Iura, quæ Epiſcopis Hoſpitalitatem indicunt, non meminerunt Abbatum: Regula autem, vt lib. 1. expendimus, præcepta non continet, ſed complectitur materiam præceptibilem ab Abbate. Nullum dari præceptum de Hoſpitalitate, quod Benedictinos obliget, probaui liquidò *n. 616.* quod & modò confirmo. Eodem modo tenentur viuere ſecundùm Regulā Monaſteria Virorum quo Monialium, eodem modo Vrbica quo Montana; atqui in Monaſterijs erectis intra muros Vrbium (idem dico de Monaſterijs Monialium quibuſcumque) vix, aut ne vix quidem excipiuntur hoſpitio diuites peregrini: ergo illos excipere non tenentur moraliter, aliàs enim deberemus pientiſſimos Viros earumdem Communitatum Antiſtites arguere de ignorantia affectata aut craſsa, & ſolùm ſubſcribere vni & ſoli Authori neoterico vt verſato in iure Benedictinæ Regulæ, ita in ſuę Reſolutionis initio expreſsè aſſerat ſe nequidem Regulæ textum legiſſe, ſed ita iudicare.

In ſecundo argumento præmiſſę omnes ſunt falſæ, quod oſtendi ſuperiùs *n. 617.*

Ad Tertium reſpondeo negando antecedens, nam Monaſterij diuitiæ pertinent ad Communitatem.

Ad vltimum diſtinguo maiorē. Subſtantialia Regulæ obligant ſub mortali, ſi adſit Abbatis Ordinarij præceptum, concedo; aliàs nego. Minorem omitto, & nego conſequentiam.

CONCLVSIO.

1673 Ex dictis conſtat perperā neotericum illum Theologum philoſophatum fuiſse aſserendo hoſpites recipi debere ſub culpa graui. Sanè, qui me conſulem ſequitur, pauperibus ſubueniat non ſolùm in magnis, ſed etiam in communibus neceſſitatibus; ſit pater egenis, & omnibus afflictis ſolamen. Cæterùm diuites non inuitet, venientes admittat ſi vrbanè ſe excuſare non poſſit, quia tales hoſpites perturbant integras communitates. Vix eſt aliquis, qui non murmuret, & dente æmulo carpat illos ipſiſſimos, quos paulò antè fuerat expertus beneficos, & liberales. Si non dātur omnia, quæ deſiderat, arguit Prælatum de auaritia, Miniſtros de inhumanitate: Si dantur, incipit inuidere: accuſat Antiſtitem de luxu, & de prophanitate Religioſos, nec diuiti placebis, quidquid facias; præſtat non ingredi, quē ſcimus inæquali animo fore egreſſurum. Ergo, quæ deberes profundere vt parares conuiuia paucis diuitibus, eroga in eleemoſynas & pauperes multos conſolare.

Meam Reſolutionem, quam hucuſque defendi & ratiocinijs roboraui, ab omnibus debere admitti tam ſeuerè declarauit Pontifex Alexander IV. vt contrarium non remaneat probabile. Agitati

tati varijs ſcrupulis Domini Ciſtertiēſes hærebant dubij, nec ſciebant, quid deberent reſoluere. Experiebantur hoſpitum frequentia mores corrumpi, feruorem remitti, pericula accreſcere, & diſtractiones perennare: ad ſe diuertentes non audebant dimittere, ne temerarent Regulam, ne ſcandalizarent ipſoſmet hoſpites, qui omnia ſibi debita exiſtimabant. Erat ipſis pudori non poſſe ſæpe ſatis facere aſſerentibus fuiſse erecta Benedictinorum monaſteria in hoſpitium iter agentium Principum, & Prælatorum. Nec deerant ſæculares, qui Hoſpitum Magiſtro inſultarent, ſi quid piam deficeret, quod luxui videretur aptum. Moleſtijs huiuſmodi vexati Ciſtertienſes, ad Eccleſiæ Caput, ad Magiſtrum Vniuerſalem confugerunt, rogaruntque An Religioſi, qui militāt ſub Regula Benedictina hoſpites recipere teneantur? An quando illos recipiunt cenſendi ſint munifici, benigni, & liberales: an verò profeſſionis iuri, conſuetudinis debito, aut fundationis oneri ſatisfacientes? Reſpondit Pontifex, & quæſtionem hoc diplomate decidit.

ALexander Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, Dilectis filijs Abbati Ciſtertij eiuſque Coabbatibus, & Cōuentibus vniuerſis Ciſtertienſis Ordinis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Intimātibus vobis accepimus, cùm exhibeatis vos in hoſpitalitate omnibus liberales, Diæceſanis veſtris ac alijs Eccleſiarum Prælatis, eorumque familijs, cùm ad veſtra Monaſteria declinant charitatiuè (iuxta facultatum veſtrarum exigentiam) neceſſaria miniſtrantes; nonnulli Prælatorum ipſorū huiuſmodi gratiam conuertere molentes in debitum, & quod ſpontè ipſis impenditis, ſibi deberi ex antiquo conſuetudine aſſerentes, vos, & Monaſteria veſtra propter hoc multipliciter aggrauant & moleſtant. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, & volentes in hac parte quieti veſtræ paterna diligentia prouidere, ne quiſquam Prælatus, id quod ſic gratiosè impenditis, à vobis ex debito ſeu præſcripta conſuetudine præſumat exigere, authoritate præſentiū diſtrictiùs inhibemus. Nulli ergo omninò hominum, &c. Datum Neapoli V. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo (hoc eſt Domini 1255.) eſt apud Henriquez priuilegium 30. fol. 68. Confirmatur & ſpecialiter conceditur Dunenſibus ab eodem Alexandro Quarto datur Lateran. 2. Idus Ianuar. Pontificatus anno VII. vt conſtat ex maiori Bullario Dunenſi folio 15. numero 17. & ex minori folio 27.b.

1674 Nec poteſt objici hoc diploma eſſe datum *Dominis Ciſtertienſibus* non alijs, ac proinde licèt ipſi excuſentur ab hoſpitum quotidianis moleſtijs, alios Benedictinos non eſse excuſandos. Hoc inquam objici non poteſt; quia hoc diploma, vt ex literæ tenore liquet, non concedit immunitatem Ciſtertienſibus aliàs obligatis, ſed declarat non eſse obligatos, vt patet ex illis verbis, *Cùm exhibeatis vos in hoſpitalite omnibus liberales: & poſt, charitatiuè —— neceſſaria miniſtrantes;* & mox, *Gratiam conuertere molientes in debitum, & quod ſic ſpontè ipſis impenditis, &c.* Hinc naſcitur fortis, & breuis ſyllogiſmus. Diſcurro igitur ſic; Cōſuetudo recipiendi hoſpites æquè viget in Ciſtertiēſibus atque in reliquis monaſterijs Benedictis; Regulam eandem ſub æquali. aut fortè maiori rigore profitentur. Atqui Alexandro Papa declarante Ciſtertienſes non tenentur moraliter recipere hoſpites; & ſi quos recipiunt, recipiunt ex mera liberalitate; Ergo idem dicendum à fortiori de alijs Congregationibus, quę militant ſub Benedictino.

QVAE

QVAESTIO INCIDENS.

An omnia, quæ ſuperſunt in Refectorio, debeant dari pauperibus?

1674 b. Diuerſos mores video in cœnobijs diuerſis. Apud Hiſpanos Ciſtercienſes dantur in Quadrageſima, non tamen omnia aliàs. Apud Germanos liberaliùs: legem latam anno 1595. conſidera. *Ad ea quæ ſuperfuerint ex cibo, & potu adiungatur eleemoſyna pro modo redditunm cuiuſque monaſterij, & ea per ianitorem vel per diſpenſatorem conuentus pauperibus in porta monaſterij publicè diſtribuantur, vt etiam videant homines opera noſtra bona, ædificentur, Deumque in nobis glorificent. Per triginta dies ſolēnis tricenarij tres portiones pro defunctis fratribus & benefactoribus: ſimiliter portio integra cuiuſque defunctæ perſonæ per triginta dies poſt eius obitum, & portiones eorum, qui in pœnitentia fuerint, pauperibus vt ſuprà diſtribuantur.*

D. Nicolaus Boucherat Ciſtertii Abbas in viſitatione Speciosæ-vallenſis Cœnobii anno 1615. *At ea, quæ ſuperfuerint ex cibo & potu adiũgatur eleemoſyna pro modo redituum Monaſterij: & ea per Portarium (quem Regularem eſſe volumus) pauperibus in porta publicè diſtribuantur.*

D. Ioannes Abbas Cæſarienſis in viſitatione ipſiſſimi Cœnobii anno 1624. ſic pronuntiat, *Notum eſt illud, Date, & dabitur vobis. Ideò monemus vt eleemoſynæ non negligantur; ſed ciborum potuſque, quantum fieri poteſt reliquiæ fideliter, ſi poſſibile præſente aliquo religioſo, erogentur.*

LECTORI BONARVM LITTERARVM.

1674 c. PVtaret aliquis non eſſe ſecundum Regulam litterarũ ſtudium, cum tamen omnino neceſſariũ ſit, & ſine ipſo Regula ſeruari non poſſit. Nam cum S. Benedictus ſapientiam & doctrinam in Abbate requirat, aut impoſſibilia poſtulat, aut debet media præbere neceſſaria vt doctrina adquiratur. Summa eſt in hac materia Gallorũ & Hiſpanorũ diligentia; apud illos multa collegia, & Pariſienſe præcipuè ſemper floruit. apud Hiſpanos ſunt collegia quinque in ſola obſeruantia Caſtellæ. Montiſramēſe & Meirenſe Philoſophica: Salmanticenſe, Complutenſe, Palaçuelenſe Theologica, & præterea in ſingulis etiam monaſteriis juxta Clementis VIII. præceptum, eſt Theologiæ moralis profeſſor, qui Iuniores erudiat, & poſſit à ſenioribus conſuli, ſi occurrant dubia aut aliquæ difficultates graues. Luſitani etiam collegia habent etiam alii. Germani habuerunt Herbipoli, ſed bellorum iniuria deſeruerunt, ne tamen doctrinam deſerere viderentur hanc legem ſtatuerunt anno 1595. in Comitiis, quæ præſide & præſente Edmundo à Cruce Abbate Ciſtertii celebrarunt. Fuit legis tenor. *In ſingulis Monaſterijs ſit præceptor regularis, aut ſi commodè non poſſit, ſæcularis probus & eruditus, qui certa diei hora Lectionem ex ſacra Scriptura faciat Sacerdotibus, & alijs, qui capaces erunt, & caſus conſcientiæ ter ſingulis Hebdomadis illis exponat. Qui lectionibus illis defuerit, ſi Sacerdos ſit portione pitantiæ in proxima refectione priuetur, alius verò, præter eam pœnam etiam diſciplina corrigatur. Iuniores verò in pietate, bonis moribus & litteris erudiat, eiſque quotidie duas Lectiones, in ea arte, & ſcientia, cuius erunt capaces, facere non prætermittat, niſi aliquod impedimentum obſtiterit. Ad otioſitatem fugiendam honeſtis illis litterarum ſtudijs, & ſacris lectionibus, alijſque ſpiritualibus exercitijs ſpaciorum tempore occupabuntur.*

buntur. Et ſi qui nimis rudes fuerint, & ad litterarum ſtudia inepti, aliqua eis opera aut ars iniungatur, vt ſcribendi, pingendi, texendi, aut conſuendi ornamenta Eccleſiaſtica, legandi libros, aut alia ſimilia exercitia, ſemperque aliquid operis faciant, ne diabolus quærens quem deuoret, eos otioſos inueniat. Concedatur tamen eis certis diebus ſolatij gratia in hortis Monaſteriorum deambulare, & ſpaciari cum honeſtate, & moderatione, vt inde magis ad denotionem & exercitia ſpiritualia excitentur. Cogantur iuniores fratres latinè loqui, vt latinæ locutionis eis neceſſariæ vſum ſibi comparent. Ad quos eos exemplo ſuo Sacerdotes inducent, ſi cum eis latine loquantur, vt debent, ac ne aliter faciant admonentur. Quoniam lectio librorum prohibitorum non ſolùm ſimpliciores, verùm etiam doctos ſæpè in varios errores, & à fidei Catholicæ veritate alienas, & damnatas opiniones inducere ſolet, propterea omnibus Ordinis noſtri regularibus perſonis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna prohibetur, ne libros apud ſe habeant, teneant aut legant, ex quibus Religio, timor & amor Dei, bonique mores corrumpi, & languere poſſint, quales ſunt libri nedum hæretici, verum etiam illi, qui laſciua, ſcurrilia, vana, inhoneſta, & impura continent, quique ſuperſtitionem, artem magicam & diuinationes docent: ne eorum librorum lectione ſeipſos, & alios corrumpant, ſed qui tales libros habuerit, ſub eadem pœna eos ſtatim comburere teneatur.

LIBER DVODECIMVS.

De Tribunali Monaſtico.

TRibunal eſt forma Reipublicæ, ſi non conſtitutiua ſaltem conſeruatiua. Faciliùs alimentorum expers, quàm deſtituta tribunalibus perennabit. Pœnas habere debet & præmia; vt his benemeritos afficiat, iſtis excipiat delinquentes. Deficientibus præmijs concidunt generoſi animi: efferuntur & ſuperbiunt ignobiles, ſi ſupplicia obſoleſcant. Gubernet igitur Rempublicam ſuam Abbas ſpe & timore: ita inquam, vt boni ſperent promotiones, mali timeant rigores.

1675 Admirabilis apud Lacedæmonas Licurgus, cuius leges non religioſè ſolùm, & ſuperſtitioſè obſeruatæ; tulit Leges Licurgus Caſſinenſis diſcretione præcipuas, prudentia admirabiles: inter quas illæ laude maiori digne, quę genus concernunt iudiciale. Has impręſentiarum expendam, vt nihil idexplicatũ maneat. Nequit intelligi Tribunal ſine Iudice: intelligi poteſt ſine reo, intelligi ſine accuſatore: nempe, cùm proceditur via Inquiſitionis. Idcirco de Perſona iudicis primo loco eſt agendum, de reliquis deinde. Iudex ille eſt, qui tenet clauum iudicii, & decidendę quęſtionis poteſtatem, qui litem poteſt extinguere, vrgere, remittere, retorquere, examinare, & partem condemnare, à iure tamen manuductus; dantur enim leges, occaſiones, & tempora, quę prudentem dirigant vt diuerſimodè procedat.

Petis. Quiſnam apud Benedictinos ſit iudex. Reſpondet ipſa Regula c. 70. iuriſdictionem iudicii ſolùm pertinere ad Abba-

& Iuridica. Vtitur authoritate Patria, cùm ſecretò & paternè culpas corrigit, admonet & arguit peccatores: arbitraria, cùm in Capitulo ſine iuris ſolennitatibus aut imperfectiones phyſicas, aut peccata leuia, ex quibus nequidem leuis infamia poſſit ſequi, proclamat; aut cum eadem, vel etiam quaſcumq; actiones ſeuiter ignominioſas extra Capitulum ſecretò corrigit & paternè eradicat: Iudiciaria authoritate ſolùm vtitur, cùm iudicat res graues iuxta allegata & probata.

A B B A S
quà P A T E R.

1676 IDem Abbas, Pater, Arbiter, & Iudex eſt, ſed magis eſt Abbas cùm Pater: inde nomini occaſio, quia אב *Ab* Patrem ſignificat, vt ſuprà diximus. Omnia peccata, quæ paternè potuerit corripere, non debet iuridicè tractare. Non decet modeſtiam religioſam forenſis ſtrepitus, charitatem fraternam litigioſus ſtatus. Tunc cenſetur Antiſtes culpas paternè corrigere, cùm extra Capitulum, aut citra iuris ſtrepitum iuxta regulas charitatis procedit, prædicans, inſtans, arguens, obſecrans, increpans in omni patientia & doctrina.

O R D O C H A R I T A T I S
à Chriſto expoſitus, & à Benedictinis obſeruandus:
Matthæi 18. 15.

1677 *Si autem* [a] *peccauerit in te frater tuus,* [b] *vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum* [c] *vel duos; vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic* [d] *Eccleſiæ, Si autem Eccleſiam* [e] *non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

a *Peccauit* mortaliter, an venialiter? Reſpondeo *num.* 1692.

b An ſtatim corripiendus, an quando videtur pertinax? Satisfacio *num.* 1697.

c An primò debeat accerſire vnum teſtem, & poſteà duos: an ſufficiat ſemel accerſire vnũ vel duos? Vide *num.* 1716. Teſtes vocantur à Chriſto non teſtes correctionis, ſed peccati, hi aſſumendi ſunt, non qui culpam ignorent. *num.* 1717. Si non dentur teſtes, corrigatur ſecundò ſine teſtibus.

d Hoc eſt, Denuntia crimen Prælato, Superiori, Antiſtiti.

e Si Prælato non obediat, ceſſa tu, quia iã obligationi ſatisfeciſti; ipſe verò Prælatus diſpiciat, quid oporteat facere: vel ſi ceſſare nolueris, accuſa iuridicè.

TEXTVS Ex Capite 23.

Charitatis Regulam quam Chriſtus dicit, Benedictus dicit.

1678 Si quis frater *b* contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius exiſtens ſanctæ Regulæ, & præcepti Seniorum ſuorum contemptor repertus fuerit, hic ſecundum Domini noſtri præceptum admoneatur *a* ſemel *b* ſecundò, & ſi non emendauerit obiurgetur publicè coram omnibus.

Hinc conſtat non eſſe probabile ordinem fraternæ correctionis poſſe intermitti à Benedictinis, cum hic expreſſè indicatur, imo aſſeratur à Chriſto Domino eſſe præceptus.

a *Admonetur primò, qui arguitur priuatim; admonetur ſecundò, qui obſecratur coram teſtibus; obiurgatur, qui increpatur, hoc eſt, aut denuntiatur Antiſtiti à confratre, aut à Præſide proclamatur in Communi Capitulo.*

b *Contumax dicitur, qui ob ſuperbiam & tumorem inobediens eſt: differt à pertinaci, quia is inſtigāte ſuperbia conſtans in malo eſt: ſæpe tamen hæ voces Contumax & Pertinax confundi ſolent, ſed in præſenti Contumacia ſignificat inobedientiam ſuperbam ſine pertinacia.*

Chriſti verba Paulus clariſſimo commentario illuſtrauit, dabo formalia verba;

TEXTVS SACER.

2. *ad Timoth.* 4.

1679 *Teſtificor* a *coram Deo & Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos per aduentum ipſius & regnum eius. Prædica verbum: Iſta* b *opportunè Argue: Obſecra: Increpa in omni patientia, et doctrina.*

a Ac ſi diceret. *Teſte Chriſto Domino viuorum & mortuorum Iudice, vt proximo tuo adueniat regnum eius prædica verbum, &c.* Hanc periodum curioſè expendo *diſp.* 136. & 137. per totum.

b *Opportunè importunè*, cur non importunè, & opportunè? Quoniam inutilis erit importunitas ſi extra tempus. Ouidius:

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt,
Et data non apto tēpore vina nocēt.

Ergo vt importunitas tuę correptionis proſit, prædetermineris non à zelo indiſcretē-feſtino, ſed ab ipſamet rerum & temporum opportunitate.

TEXTVS. Ex Reg. Cap. 2.

Verba Pauli aſſumit Benedictus & ſuis Religioſis incidit.

1680 Aequalis ſit omnibus ab eo *(nempe Abbate)* charitatis: vna præbeatur omnibus ſecundùm merita diſciplina. In doctrina namque ſua Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſeruare, in qua dicit, *a* Argue, obſecra, increpa. Id eſt, indiſciplinatos & inquietos debet duriùs arguere; obedientes autem & mites & patientes, vt in melius proficiant obſecrare: negligentes autem & contemnentes vt increpet & corripiat, admonemus. Neque diſſimulet peccata delinquentium, ſed mox vt cœperint oriri, radicitùs ea, vt præualet, amputet; memor periculi Heli Sacerdotis de Sylo. Et honeſtiores quidem atque intelligibiles animos prima vel ſecunda admonitione verbis corripiat: improbos *b* autem & durus corde, ac ſuperbos vel inobedientes, verberum vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat, ſciens ſcriptum; *Stultus verbis non corrigitur*. Et iterum, *Percute filium tuum virga, et liberabis animam eius à morte.*

a Omiſit illa propria Apoſtoli verba Predica verbum, inſta opportunè importunè, quia Prædicationem & opportunam Inſtantiam facere poſſumus, ſed non debemus. Exponit Pauli verba Benedictus, ſed eius expoſitio indiget etiam expoſitione. Si corripiendus indiſciplinatus ſit, arguatur durè, hoc eſt, in prima admonitione tractari debet acriùs & acerbiùs. Patientes, & mites mitiùs ſunt ſuſtinendi, & non ſolùm blandè debent argui, ſed & blandè obſecrari. Qui autem ſemel & iterum admoniti non reſipuerint, ſiue negligentes ſiue contemnentes ij ſint, increpari debent.

b Ceſſat correctionis ſecretæ & fraternæ obligatio, quando deficit ſpes vtilitatis, cum ſcimus verba noſtra non eſſe profutura, iuxta ea quæ ediſſero diſputationis ſubſequentis artic. 1. concluſ. 5.

TEXTVS. Ex Capite 43.

Etiam negligentias publicas fraternè corrigendas eſſe.

1680 *b* Omnes accedant ad menſam: qui per negligentiam aut vitium non occurrit, vſque ad ſecundam vicem propter id corripiatur *(nempe ſecretè, et fraternè)* ſi non emendauerit, non permittatur ad menſæ communis participationem.

Negligentias ſecretas ſecretò corrigere tenemur ex neceſſitate; publicas ex vrbanitate. Inciuilis eſſet ille Antiſtes qui negligẽtias etiã publicas, ſtatim proclamaret. Prodeſt arguere ſecretò & obſecrare: qui ſecretò admonetur quando publicè corrigi potuit, ſi ingenuus ſit, corrigitur efficaciſſimè.

TEXTVS V Capite 21.

Priorem & Decanos fraternè corrigendos eſſe.

1681 Quod ſi quis ex eis (*nempe Decanis*) aliqua fortè inflatus ſuperbia repertus fuerit reprehenſibilis, correptus ſemel & iterum atque tertiò ſi emendare noluerit, deijciatur, & alter in loco eius, qui dignus eſt, ſuccedat. Et de Præpoſito eadem conſtituimus.

1682 *Præter generalem illam admonitionem præparatoriam, quam Apoſtolus Prædicationem & inſtantiam opportunam nominat, Decanus, ſi peccet, ter fraternè eſt corripiendus; debet enim primò priuatim argui; ſecundò obſecrari coram vno aut altero teſte; tertiò increpari ſeu denuntiari Antiſtiti: & ſi denuntiatus emendare noluerit, officio priuari; non addit pœnam poſitiuam, quia ipſa depoſitio ſufficiens pœnitentia eſt.*

NOTA.

1683 Notate Domini Abbates, & maturè hæc ponderate. Prior, Supprior, Decani aut quicumq; alius communitatem authoritate delegata regit, in Capitulo, etiam ſi exorbitet, corrigendus non eſt, ſed excuſandus. Iuſtus non peccat quamdiu ſemen Dei manet in illo. Vicarij Antiſtitum non peccant, quamdiu authoritate delegata funguntur: ſi errauerint, cenſendi ſunt bono animo ſed minus cauto proceſſiſſe, etiam quibuſcumque proclamantibus. Si Prioris aut Supprioris vita correctione indigeat, & eius exorbitantiæ ſint tales vt celari non poſſint, non eſt in capitulo corrigendus, ne authoritas dimanans ab Abbate vapulet: ſecretè eſt admonendus; & ſi non conuerterit mores, miniſterio priuandus, nec vlteriore puniendus pœnitentia extra iuris ſolennitatem. Non debent ſcire ſubditi Præpoſitum rerum eſſe, quod expendit optimè Auguſtinus *in c. 5. ſuæ Regul. vide num. 1849.*

Si Prior reus actus conuincatur de crimine, puniendus iuridicè non eſt niſi priùs depoſitus, hoc poſtulante officio, ne dicatur Præpoſitus excipi, puniri, condemnari. Periclitatur ordinis diſciplina, quoties ſubditi ſciunt Prælatos reprehenſibiles eſſe. Vel Præpoſiti crimina non innoteſcant ſubditis, vel priùs deponatur quàm innoteſcant, nequando in ſuperiore aliquid videant quod non expediat imitari. Si Prior corrigatur in Capitulo & in officio conſeruetur, imminent damna plurima communitati. Dabo præcipua. Præpoſiti negligentias non ſolùm imitabũtur ſubditi, ſed inſolenter propugnabunt. Prior non audebit corrigere illas, de quibus ipſe accuſatur. Contemnetur Præpoſituræ authoritas, & corruet diſciplina Monaſtica.

TEXTVS Ex Cap. 32.

Fraternè corripi debent qui peccant in cura rerum temporalium.

1684 Si quis autem ſordidè aut negligenter res monaſterij tractauerit, corripiatur: ſi non emendauerit, diſciplinæ ſubiaceat.

Corripiatur, hoc eſt fraternè admoneatur, correptio enim quæ in Capitulo fit, Regularis diſciplina eſt. Ergo cùm antequam proclametur in Capitulo dicatur eſſe corripiendus, priuatim debet corrigi iuxta regulas fraternæ charitatis.

Semel, an plures? Tres admonitiones Chriſtus exprimit, quibus præmittit opportunam prædicationem Apoſtolus, cui ſubſcribit noſter Legislator. Verùm dum negligentiæ morales non ſunt ſed pœnales, ex natura rei admonitio fraterna in alijs Religionibus non requiritur: in Benedictina etiam tunc intermitti non poteſt; Cap. enim 48. quod iam expendo, iubet bis admoneri eum qui in clauſtri lectione fuerit accidioſus, cùm certum ſit illam lectionem omittere nec eſſe leue dedecus, nec peccatum veniale, maximè quia ſi aſſeras lectionem clauſtri eſſe moraliter obligatoriam (oppoſitum oſtendi num. 1365.) poſſet ille negligens lectionem illam priuatim poſtea reſumere, & ſic non peccare venialiter.

TEXTVS Ex Capite 48.

Ignaui fraternè debent corrigi.

1685 Ante omnia autem deputetur vnus aut duo ſeniores, qui circumeant monaſterium horis quibus Fratres vacant lectioni, & videant ne fortè inueniatur Frater accidioſus, qui vacet otio aut fabulis, & non eſt intentus lectioni; & non ſolùm ſibi inutilis eſt, ſed etiam alios extollit. Hic talis, ſi (quod abſit) repertus fuerit, corripiatur ſemel & ſecundò: ſi non emendauerit, correptioni regulari ſubiaceat, & taliter vt cæteri metum habeant.

Etiam ipſiſſimæ negligentes regulares, quæ ne veniales quidem ſunt, proclamari non debent in Capitulo omiſſa fraterna correptione. Penitentiarum finis morum conuerſio eſt: ergo vbi admonitio ſufficit, non ſunt rigores fulminandi. Ille igitur, qui contra legem merè pœnalem operatur, ne condemnetur legis pœna niſi fraternè ſaltem bis admonitus in eaſdem aut ſimiles negligentias inciderit.

TEXTVS. Ex Capite 62.

Sacerdos debet fraternè ſæpe corripi antequam denuntietur.

1686 Qui tamen Regulam à Decanis vel [a] Præpoſitis conſtitutam ſciat ſe ſeruare. Quod ſi aliter præſumpſerit, non Sacerdos ſed rebellis iudicetur. Et ſæpe admonitus ſi non correxerit, etiam Epiſcopus adhibeatur in teſtimonium; quod ſi nec ſic emendauerit clareſcentibus culpis proijciatur de monaſterio; ſi tamen talis fuerit eius contumacia, vt ſubdit aut obedire Regulæ nolit.

a Fortè ex ſcriptorum incuria ſic legitur, cùm deberet, Regulam à Decanis vel Præpoſito conſtitutam ſciat ſe debere ſeruare.

Sacerdotem vult D. Benedictus pluries admoneri priuatim, nempe ſemel ſine arbitris, iterum coram vno aut altero pro Confratres, tandem coram Ordinario proclamari. Qui ſi nec mores conuerterit, ſed in peccatis ſuis permanſerit, expellendus eſt ne ſcandalizet.

Ordinarius quis? Olim erat diœceſanus Epiſcopus, ſed iam obtento exemptionis diplomate, ſubdimur vni & ſoli Abbati, qui Ordinarius vocatur. Impræſentiarum igitur, vt Communitas dimittat Religioſum, non tenetur Epiſcopum conſulere ſed ſuum Abbatem: de quo inferiùs.

TEXTVS. Ex Capite 65.

Prior fraternè debet admoneri.

1687 Præpoſitus, ſi repertus fuerit vitioſus aut elatione deceptus ſuperbiæ, aut contemptor ſanctæ Regulæ: fuerit comprobatus; admoneatur verbis vſque quater, & ſi non emendauerit, adhibeatur ei correctio diſciplinæ regularis. Quòd ſi neque ſic correxerit, tunc deijciatur de ordine præpoſituræ, & alius, qui dignus eſt, in loco eius ſubrogetur. Quod & ſi poſtea in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monaſterio expellatur. Cogitet tamen Abbas ſe de omnibus iudicijs ſuis Deo redditurum rationem, ne fortè inuidiæ aut zeli flamma vrat animam ſuam.

Videtur hoc Caput vigeſimo primo contradicere; ibi aſſeritur ter corrigendus Prior ante priuationem, hic quinquies. An ſui oblitus Benedictus cenſendus hæc ſcripſiſſe? minimè; quia in illo loco non incluſit prædicationē, nec inſtantiam, quas ſi tribus correptionib. addideris, quinque habebis admonitiones. Videtur tamen durum illud quod addit, nempe regulariter debere Priorem

rem corrigi antequam deponatur : verùm Correctio diſciplinæ regularis hoc loco vocatur correctio regularis ſecreta ; ac ſi diceret [Admoneatur verbis vſque quater ; nempe 1. prædicetur ei veritas , 2. fiant inſtantiæ opportunæ , ſed in communi, 3. arguatur ſolus, 4. obſecretur coram arbitris: & ſi non emendauerit , corrigatur regulariter , ſecretò tamen. Quòd ſi neque ſic ſe emendauerit , deponatur .] Vide quæ diximus in expoſitione Capitis 21.

Dices, omnia iſta Regulę teſtimonia paternam correptionem, non fraternam probare. Et tibi ego interiùs in Syntagmate poſt finē libri reſpōdebo *n.* 1766.

DISPVTATIO CXXXVI.

De correctione fraterna.

1688 OMitto ſactiſſimam Patrum Ieſuitarum Religionem, in qua iuri Secreti ceditur, & ex Virorum doctiſſimorū opinione denuntiari poſſunt crimina non præmiſſa correctione Fraterna : agens autem de illis quæ non habent decretum quod contrarium ſtatuat, aſſero, *neminem poſſe ſine prauia correctione Fraterna peccatum occultum confratris denuntiare ſuo Superiori tanquam Patri.* Ita noſter Lorca 2. 2. *ſect.* 3. *diſp.* 47. *num.* 9. Rodriguez *de ordine iudiciario. cap.* 9. *n.* 5. Thomas à Ieſu. *lib. de Viſit. tract.* 1. *cap.* 9. *num.* 1. & 6. Ioannes de la Crux *in direct. conſc. part.* 1. *præc.* 5. *art.* 2. *dub.* 5. *concl.* 1. Becanus *in* 2. 2. *cap.* 21. *dub.* 4. Miranda *de ordine iudiciario tom.* 1. *q.* 11. *art.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *Reſol.* 37. Sayrus *in claui Regia lib.* 11. *cap.* 4. *num.* 10. & *ſequentibus*. Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 2. *q.* 5. *dub.* 5. *num.* 106. & apud eum D. Thomas , Adrianus, Syluester, Sotus , Bannez, Nauarrus, Valentia, Humbertus, Hugo Victorinus .

Probatur, quia *Matthæi* 18. præcipitur vt ſecreta correctio præmittatur antequam Fratris crimen Superiori ceu Patri denuntietur. Cuius præcepti æquitas eſt demonſtrabilis, quoniam fruſtrà per plura fiunt quæ poſſent per pauciora ; ergo ſi Frater ſine denūtiatione poteſt reſipiſcere , denuntiandus non eſt , ſed fraternè admonendus , & ad meliorem frugem reuocandus. Hęc ratio fundamentalis eſt ; quam adducit me ipſo & hoc loco citato Baſæus Florum ſuorum *pag.* 227. *g.*

ARTICVLVS I.

An apud DD. Benedictinos probabiliter correctio fraterna omitti poſſit.

1689 ASſerit Turrianus *in* 2. 2. *tom.* 1. *diſp.* 89. *dub.* 4. vbi citat Bonauenturam, Angelum, Roſellam , & Areualum ; nec ſolùm admittit poſſe ſecreta crimina deferri Superiori vt Patri omiſſa fraterna correctione , ſed & addit (hoc intollerabile eſt) Prælatum poſſe , ſi neceſſarium ſit de illo peccato cum ſuis Conſiliarijs . Ego verò cenſeo hanc opinionem eſſe euidenter falſam , & ſine nota politicæ ignominię à nemine defendi poſſe . Qui honorem ſuum magni facit , & pacem cōuentus deſiderat, legat Sparthariun *in praxi de modo corrigendi Regul. tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 3. Dianam *parte* 3. *tract.* 2. *reſol.* 69. §. *Nota ſecundò*. quibus accinit ſequens .

1690 *Fraterna correctio præmitti debet omni denuntiationi apud D D. Benedictinos; nec contrarium probabiliter defendi poteſt.* Demonſtratur. Ideo Ieſuitæ poſſunt omittere fraternæ correctionis ordinem, quia cedunt iuri ſecreti, & nemini volenti fit iniuria; atqui Benedictini non cedunt huic iuri: ergo. Minorem probo. Ideo dicuntur Patres Ieſuitæ cedere, quia ingrediuntur ordinem in quo ſciunt ſeruari ſtatutum indicens denũtiationes immediatas & omiſſionem fraternæ correptionis: atqui non datur tale ſtatutum apud Benedictinos: ergo Benedictini iuri de ſeruando ſecreto non cedunt.

Minorem probo. Dantur ſanctiones de ſeruando ordine fraterne correctionis non ſolùm confratres ſed & Superiores obligantes: ergo fraterna correctio lege non modò non interdicitur, ſed & indicitur. Antecedentis veritas oſtenditur, cùm ex alijs locis, tùm præcipuè ex illis, quæ ante hanc diſputationem ſum commentatus: nempe ex Capitibus 21. 32. 48. 62. 65. clariùs cap. 21. &cet.

1691 His teſtimonijs conuincitur, D. Benedictum non ſolùm voluiſse ſeruari correctionis fraternæ ordinem in rigore quo à Chriſto Domino fuit inſtitutus, ſed & multò ſeueriùs quàm à Chriſtianis reliquis obſeruatur. Conſtat liquidò, quia cùm Chriſtus iuſſerit proximum ſemel ſecretò corripi, ſemel coram vno vel altero, & tertiò deferri: indicit D. Benedictus vt Decani admoneantur ter, Prior quater, Sacerdos ſæpiùs; hoc eſt, non permittit eos denuntiari quandiu creduntur ſufficere meræ admonitiones.

Neceſſariæ aliquot reſolutiones.

P R I M A.

1692 NVllus *Confrater tenetur ſub veniali illum fraternè corripere, qui commiſerit peccata venialia.* Hæc concluſio eſt contra aliquos qui putant peccare mortaliter eos, qui non corripiunt fraternè leuiter peccantes; & contra alios, qui eos ſaltem arguunt de veniali. Ita Azorius *part.* 2. *lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 4. & apud eum Sylueſter & Angelus.

Probatur. Quia correctio fraterna quà præcepta à Chriſto non reſpicit peccata venialia; nec ea reſpicit quà præcepta à iure naturali: ergo leuia non reſpicit. *Probatur* Chriſtum non iubere de leuibus fraternam correptionem. Dixerat. Matthæi 18. 14. *Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis;* & ſtatim tulit legẽ de correptione. Ergo legis finis eſt ne peccator pereat; atqui peccans venialiter nec perit, nec eſt in proximo pereũdi periculo: ergo non iuſſit Chriſtus corripi fraternè peccantem venialiter. *Probatur* etiam nullum Confratrem teneri iure naturę corripere quempiam de venialibus. Iure naturæ tenemur ſuccurrere grauiter laborantibus: ſed qui eſt in peccato veniali non laborat grauiter: ergo non tenemur illi ſuccurrere præbendo conſilium & adiungendo correctionem. Minorem probo, quoniam qui eſt in gratia, non eſt in graui animæ neceſſitate. A fortiori dicendum neminem teneri corripere confratrem non peccantem, vel leuiter, puta operantem contra leges merè pœnales.

S E C V N D A.

1693 *Peccat mortaliter Antiſtes qui permittit peccata grauia qualiacũque.*

que. Hanc omnes admittunt, & ideo non eſt opus probare.

TERTIA.

1694 *Peccat venialiter Superior, qui permittit leuia, quæ ſunt contra vota & Monaſticas obligatioees.* Ita Banez *in 2.2.quæſt.33.art.1.dub.2.* Azorius *part.2.lib.12. cap.14. q.4.* Rodriguez *de ordine iudiciario cap.9.num.7.* Vbi notandum eſt Superiorem in tali caſu non peccare contra generale præceptum Charitatis, ſed contra ſpecialē obligationem ſui officij; debet enim leuia corripere paternè, non fraternè. Superiores peccare ſi negligentes ſint in impediendis venialibus, & corrigendis ijs qui illa committunt, omnes aſſerunt, & obligatio Abbatialis demonſtrat: cæterùm, venialiter illos peccare & non mortaliter, probatur ratione efficaciſſima. Sub maiori obligatione tenetur quis habere curam animæ ſuæ quàm aliarum, tum quia Charitas incipit à ſeipſo, tum etiam quia efficaciùs ſe poteſt quis promouere ad virtutem, quàm alios: atqui nemo tenetur ſub culpa graui vitare culpas veniales proprias, ergo nec alienas. Huic rationi ſatisfaciendum eſt, vel non aſſerendum, peccare Superiores mortaliter, dum non corripiunt leuia peccata.

Vtraquæ concluſio eſt expreſſa in Regulæ ſecundo: *Negligentes & cōtemnentes vt increpet & corripiat admonemus.* Debet igitur prudens Prælatus non ſolùm increpare & corripere contemnentet, hoc eſt, eos qui ex contemptu violant ſanctiones regulares, & rei ſunt peccati mortalis, ſed etiam negligentes; illos inquam, qui ex fragilitate Regulæ non obediunt, & ideo aut ne venialiter quidē peccant, aut vt plurimùm venialiter. Vtroſque ergo debet increpare, & corripere: ſecreta correctio eſt increpatio; quia publica, regularis punitio eſt.

QVARTA.

1695 *Superior non corripiens ſubditum peccatem leuiter in materia non tangente Regulam nec Monaſticas obligationes, non peccat venialiter.* Patet; quia nō in omnibus Abbas eſt Superior Monacho, ſed ſolùm in rebus monaſticis: ideoque in omnibus alijs eſt quaſi Monachi confrater. Dabo exemplum. In Regula non indicitur Monachis audire Miſſam: ergo licèt Miſſæ auditio grauiter obliget, non tamen ex indicto Regulæ, ſed ex præcepto Eccleſiæ. Ergo priuata Miſſæ auditio non eſt actio regularis. His poſitis dico non peccare venialiter Præſidem, qui non corripit Fratrem ſæpiùs peccantem venialiter contra legem de audienda Miſſa.

Præterea hæ duæ concluſiones locum obtinent, quando ex peccatis illis venialibus non timentur grauia peccata aut damna euidenter & certò ſequutura, ſi hæc immineant, periculum eſt ponderandum.

1996 Petis, Cur Prælatus teneatur ſub mortali corripere peccata grauia quæ non ſunt contra Regulam, non teneatur tamen ſub leui corripere eadem peccata, ſi leuia. Reſpondeo Abbatem teneri non permittere vt mortalia peccata committantur, & corripere propter commiſſa, non ſolùm quà Patrem, ſed etiam quà Confratrem. Qua Pater illa peccata reſpicit quæ contra Regulam, & hæc ratione officij: quà Confrater mortalia vniuerſa, & hæc ratione præcepti Charitatis: debet ergo non permittere peccata contra Regulam duplici titulo; officij nempe & Charitatis, cætera ſolùm ex Charitate: cumque hæc in materia leui non abliget, vt oſtendit *concluſ.* 3. ſequitur Prælatum non teneri corripere ſubditi propter eiuſmodi peccata,

QVIN-

QVINTA.

1697 *Qui certò ſcit reprehenſionem non eſſe profuturam, non tenetur aliquem fraternè corripere.* Ratio eſt ſatis clara; quia nemo tenetur fruſtrà, & ſine fructu laborare. Præterea, deficiente fine adæquato legis, ceſſat lex; hic autem ſupponitur finis deficere, qui eſt profectus ſpiritualis. Correptio bifariàm poteſt non proficere; primò, ſi peccator pertinax & incorrigibilis ſit; ſecundò, ſi ſe iam conuerterit. In primo caſu correptio eſſet inutilis, in ſecundò non neceſſaria, in neutro obligatoria. Eſt expreſſa ſententia Diui Benedicti in ſecundo Regulę ſub medium; ibi hæc prudentiſſima verba: *Honeſtiores quidem atque intelligibiles animos prima vel ſecunda admonitione verbis corripiat; improbos autem & duros corde, ac ſuperbos vel inobediens, verberũ vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat, ſciens ſcriptũ; Stultus verbis non corrigitur.* Cenſuit ergo Vir ſanctus incorrigibiles & pertinaces non eſſe verbis corripiẽdos, quoties ex correptione nõ ſperatur vtilitas. Lege totum Capitulum, quia omnia quę ibi dicuntur, concluſionem confirmant. Adſonat Auguſtinus, (reperitur cap. *Si quis* de pœnitent. *diſt.* 7.) *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem.*

Hanc concluſionem citat, ſuoque nomine confirmat Baſæus pagina 222. c.

Patet igitur ex dictis eum, qui ſincerè iudicat fraternam ſuam correctionẽ non eſſe profuturam, debere ad ſuperiorem immediatè cõfugere, modo culpa ipſi non fuerit in conſultatione manifeſta; in tali enim caſu ſecretum obligat etiam in Religionibus vbi ceditur iure ſecreti. Oſtendi id multis inſtantijs poſſet, ponam vnicam. Regula 9. Summarij Conſtitutionum cap. 4. exam. §. 8. Societatis Ieſu. *Ad maiorem in ſpiritu profectum, & præcipuè ad maiorem ſubmiſſionem & humilitatem propriã, contentus eſſe quiſque debet vt omnes errores & defectus ipſius, & res quæcumque, quæ notatæ in eo & obſeruatæ fuerint, Superioribus per quemuis, qui extra confeſſionẽ eas acceperit manifeſtentur.* & tamẽ ſexta Generalis Congregatio definit verba illa, *per quẽuis extra confeſſionem eas acceperit*, de ijs rebus intelligi, quas alius per ſe obſeruauerit aut notauerit; non de ijs, quas quis conſulendi gratia ſub ſecreto ad eum retulerit. Ita Alphonſus Rodriguez *in Exercitijs perfectionis tract. VIII. cap. VIII.*

SEXTA.

1698 *Probabilitas correctionẽ fraternam ſubijcit arbitrio correcturi.* Ideo qui probabiliter iudicat crimen fuiſſe commiſſum, prudenter corripiet delinquentem, & prudenter etiam correptionem omittet. Non aliter, qui probabiliter iudicat correptionem futuram eſſe inutilem, aut iam non eſſe neceſſariam (puta ſi reus probabiliter cenſeatur pertinax, aut credatur probabiliter iam reſipuiſſe) poterit facere quod voluerit, quia pro vtraque parte ſunt rationes: quę ſi in alterutra deficiant, probabilitatem vtrobique deficere neceſſarium eſt.

SEPTIMA.

1699 *Qui dubitat, an Petrus grauiter peccauerit, non tenetur eum fraternè corripere.* Ratio eſt; quia in dubijs nihil alterandum; beatus enim qui poſſidet, & in dubijs nemo ne priuatim quidem, debet condemnari. Hanc concluſionem admittit Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 72.* Excipe hos caſus. Primò, ſi peccatum ſit in damnum Reipublicæ; quia in dubijs potioris pars potior eſt, & reſpublica eſt potior homine quocũque priuato. Secundò, ſi immineret proximi mors; tunc enim fortè ea correptione non à culpa ſolùm ſed & à morte æterna

æterna liberaretur. Sed hic vltimus caſus ſuas patitur difficultates.

Maior eſt difficultas, cùm dubiū non tangit actum, ſed profectum; puta, ſi quis ſciat Petrum peccaſse: dubitet tamen an ſe conuerterit; aut ſi ſciat nòn eſse conuerſum, dubitet, an ſit exacerbandus ob admonitionem & peiora facturus. *Reſpondeo* correptionem non debere fieri niſi ob lucrum ſpirituale; ideo quouſque id certò ſperetur, nemo tenetur corripere proximum (probabilitas, vt diximus *concl.6.* obligationem non inducit) nemo igitur tenetur in dubio. Ita Villalobos *in ſummæ tom.* 2. *tract.*4. *diff.*3. *num.* 4. Tannerus 2. 2. *diſp.* 2. *q.* 5. *dub.* 4. *num.*86. & Diana *part.*3. *tract.*5. *reſol.*93.

OCTAVA.

1700 *Nemo tenentur proximū fraternè corrigere, ſi ſperet probabiliter eum ab alio vtiliter corrigendum.* Quia correctio eſt eleemoſyna; nemo verò eleemoſynam dare tenentur, ſi probabiliter ſciat pauperis neceſſitatem ab alio, tempore opportuno, ſubleuandam. Eodem modo in propoſito philoſophandum eſt: ſi ille qui cecidit, ſit vir timoratus (tales præſumuntur Religioſi) & probabiliter cenſeatur citò conuertendus nulla etiam præmiſsa correctione. Quæ conſideratio tollet ſcrupulos plurium zelo indiſcretto laborantium.

Lectus ab Eruditiſſimo P. Baſço placui, quia hanc ipſe concluſionem defendit in ſuis floribus *pag.*222. *g.* me citato.

ARTICVLVS III.

Poſſitnè Religioſus examinare Confratrum vitas, & inquirere peccata occulta vt corrigat fraternè.

Materia eſt, in qua plurimos video hallucinari, multos ſcrupulis torqueri, iis ſatiſfacient hæ Reſolutiones.

PRIMA.

1701 *Abbas & quicumque habens iuriſdictionem ordinariam, debet inuigilare ſuo gregi, & inquirere quid faciant ſubditi zelo corrigendi paternè.* Conſultò *paternè* dixi, quia iudico hāc obligationem naſci ab officio, non à generali præcepto Charitatis. Ratio eſt, quia ſi hoc Prælati non facerent, diſciplinam corrueret, & exorbitarent multi, ſi ſcirent Antiſtites ſuos non eſse circumſpectos.

Debet itaque Præſul inquirere; an ſubditi obligationibus reſpondeant, obligationibus inquam, non ſolùm grauibus (*num.*1693.) ſed etiā leuibus (*num.* 1694.) imò & pœnalibus. Tenetur pœnaliter ſi habeat à ſuis Superioribus merè-pœnales leges, moraliter autē, ſi ſit illi moraliter præceptum, vt corripiat, arguat, & puniat traſgredientes leges merè pœnales: ſed de hoc *articulo ſequēti.*

Hæc concluſio eſt expreſsa D. Benedicti Regulæ ſuæ ſecūdo, vbi lego: *Memor ſit ſemper Abbas, quia doctinæ ſuæ, vel diſcipulorum obediētiæ, vtrarumque rerum in tremendo Dei iudicio facienda erit diſcuſſio. Sciatque Abbas culpæ Paſtoris incumbere, quidquid in omibus Pater familias vtilitatis minus potuerit inuenire. Tantum iterum liber erit, ſi inquieto vel inobedienti gregi Paſtoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuerſa fuerit cura exhbita.*

Benedicto ſubſcribit D. Thomas 2. 2. *quæſt.*33. *art.* 6. *ad* 4. vbi notanda hæc verba: *Qui habet curam ſpiritualem alicuis, debet eum quærere* (hoc eſt, de eo inquirere) *ad hoc vt eum corrigat.* Et in cap. *Quamuis cauſa.* De regulis iuris, dicitur, *Non eſt Paſtoris, ſi lupus rapiat oues, & ipſe neſciat.*

1702 Inquirere de vita ſubditi, virtus eſt; ergo in medio conſiſtit. Peccāt remiſſi, peccant rigidi: ſatisfaciunt prudentes. Dabo noſtri Lorcæ verba: *Quam-*

Quamuis hæc ſit obligatio Prælatorũ, prudentiæ moderamine temperanda eſt ne ſit nimia ſolicitudo, & intempeſtiua inquiſitio; vnde proueniat, aut Prælatus ipſe tanquam inquietus & ſuſpicioſus odio habeatur, & detractores foueat: exceſſus enim ſolicitudinis in hac parte non ſolùm inutilis, ſed & moleſtus & odibilis ſubditis eſſe ſolet. Suſpicioſus Prælatus non timeri non poteſt, & ſi ſe timendum reddat; qui ſatisfaciet Regulæ *cap.64.* dicenti; *Oderit vitia, diligat Fratres? —— Studeat plùs amari quàm timeri. Non ſit turbulentus & anxius; non ſit nimius & oſtinatus; non ſit zelotypus & nimis ſuſpicioſus; quia nunquam requieſcet?* Hæc S. Benedicti verba, imò & mea illorum expoſitio placuit Baſæo in Floribus *pag. 221. d.* editionis ſecundæ, vbi mihi ſubſcribit.

1703 Obijcis verba ex libri Prouerbiorum Capite 24. *Ne quæras impietatem in domo iuſti, neque vaſtes requiem eius.* Hæc verba noſter Lorca *num.10.diſp.iam citatæ* bene explicat de priuato Religioſo; hic enim non tenetur examinare ſuorum Confratrum vitas, vt inferiùs dicemus. Meliùs tamen exponetur in genere de inuidis & detractoribus; ac ſi diceretur, *Quære in domo tua impietatem, non autem in domo iuſti: quia in ea impietas non reperitur.* Expono aliter, & fortè rigidiùs. *Quærere* apud probatiſſimos authores idem eſt quod *Adquirere*: teſtor Plautum in Curt. *Qui homo maturè quæſiuit pecuniam.* Hinc lux textui expendendo. *Ne adquiras impietatem in domo iuſti.* Quoniam, ſi iniquum eſſe in domo peccatorum, ſceleſtum eſt; peccare in domo iuſti, crimen eſt intollerabile, quod deteſtantur Scripturæ vniuerſæ. ¶ Quamcumque expoſitionem ſequaris, exponitur authoritas Sapientis obiecta.

1704 Inſtas ſecundò melliflui Doctoris verbis, qui libri de interiori decimo capite 43. ſic ait. *Tandiu quiſque ſua peccata ignorat, quandiù curiosè aliena conſiderat. Qui ſemetipſum aſpicit, non quærit quid in alijs reprehendat, ſed in ſe ipſo quid lugeat.*

Sed vt Bernardi verba intelligas, ſciẽdum eſt dari duos homines, politicum, & realem. Hic eſt quicumque vir priuatus, ille communitas. Homo igitur reales & phyſicus ſuas operationes perpendat & iudicet externas & alienas intermittat. Politicus ſimiliter ſuas actiones diſcat, ſuas examinet; non verò alienas. Homo politicus & myſticus Monaſterium eſt, cuius Caput eſt Abbas, membra quotquot ſunt in communitate religioſa. Hic ergo homo myſticus caput habeat, quod reliquis membris prouideat; non quærat nec iudicet aliarum communitatum vit, ſed propriam dumtaxat: propria autem eſt, quæ vniuſcuiuſque.

SECVNDA.

1705 *Prior, Supprior, Decani, debent inuigilare & inquirere de moribus Religioſorum, prudenter tamen, & circumſpectè.* Probatur, quia ipſis Abbas delegat ſuam authoritatem, ipſis committit ſolicitudinem & curas. D. Benedictus Cap. 48. *Deputentur vnus aut duo Seniores, qui circumeant Monaſterium horis, quibus vacant fratres lectioni; & videant ne fortè inueniatur frater accidioſus, qui vocat otio, aut fabulis, & non eſt intentus lectioni.*

TERTIA.

1706 *Nullus ſimplex Religioſus poteſt inquirere peccata occulta confratris vt illa fraternè corrigat*, imò teſte Lorca *loco ſupracitato n.10.* vitioſa eſſet huiuſmodi inquiſitio. Ita D. Auguſtinus *ſerm. 16. de verbis Domini*, quem citat & ſequitur. Doctor Angelicus *2.2. quæſt. 33. art. 7. ad 5.* quibus ſubſcri-

ſubſcribunt ferè omnes Doctores, expreſsiùs tamen Coninch *de actib. ſupernat. diſp.*28. *dub.*15. *num.* 71. Ledeſma *in ſumm.tom.*2. *tract.* 4. *cap.* 4. *concluſ.* 11. Petrus Fayus *de pænit. in add. ad* 3. *part. quæſt.*11. *artic.*1. *diſp. vnica ad vlt. arg.* Spatarius *in pract. criminali canon.tract.*4. *cap.*2.*num.*1. Turrianus *in* 2. 2. *tom.*1. *diſp.*89. *dub.* 5. Laymanus *in Theolog. moral lib.* 2. *tract.*3. *c.*7. *num.*2. Miranda *de ordin. iudic. tom.*1.*q.*9.*art.*3.*concluſ.*3. Diana *part.*3.*tract.*2. *reſolut.*42. §. *Sed licèt*. Malderus *in* 2.2. *quæſt.*33.*art.*3.*aſſert.* 2. Reginaldus *tom.*1.*lib.*4. *c.*25. *num.* 336. Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *dub.* 4. *num.* 79. Villalobos *in ſumm. tom.*2. *tract.*4. *diffic.*6.*num.*3. Bannez *in* 2.2. *quæſt.* 33. *artic.*3.*dub.*3. Baſæus *pag.*221. e vbi etiam me citat.

DISPVTATIO CXXXV.

Quomodo fraterna correctio debeat fieri ſecundùm expoſitionem D. Pauli.

1707 TVlit Chriſtus *Matth.* 18. legẽ de fraterna correctione, indicens ne peccator proclametur, niſi priùs bis admoneatur. Sine teſtibus vult priùs admoneri, poſtea coram teſtibus; tandem ſi permaneat contumax, deferri ad Superiorem. Apoſtolus Gentium conſultus à Timotheo (2. Epiſtolæ cap. 4.) deſiderat peccatores multoties admoneri, quem ſequitur Benedictus *cap.* 2. ſuæ Regulæ, vbi ne Abbatem quidem eximit ab obligatione admittendi conſilium datum à D. Paulo: *In doctrina namque ſua ait Abbas* (& à fortiori quicumque priuatus Religioſus) *Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſeruari, qua dicit; Argue, obſecra, increpa.*

1708 Correctio ex charitate debet naſci, & duplex eſt Paterna & Fraterna. Paternè Antiſtes ſubditos admonet; fraternè vnuſquiſque confratres. Verè correctio ſuauiter & opportunè debet fieri; eſſet enim inutilis, ſi aſpera; & fortè ſi extra tempus, nociua. Fruſtrà cum proximi ignominia fiunt, quæ poſſent cum commentatione. Ad Paulum nos remittit pius Pater, nauemus operam Paulo, cuius ſalutaris Acroaſis cõplectitur has periodos *Prædica verbũ, inſta opportunè importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Quæ verba egent expoſitione.

PRAEDICA, INSTA OPPORTVNE.

1709 Primus actus catholicæ correptionis catholicus eſt, hoc eſt vniuerſalis, quando in ſugeſtu, in cathedra carpimus vitia, & non proclamamus peccatorem. Eſt ſuauis inſtitutio, qualem deſiderabat Apoſtolus, cùm ad Galatas 4. ſcribens ait, *Inſtruite in ſpiritu lenitatis;* deuota enim concio, aptiſſima correctio eſt. Multi Prædicatorem audiunt, & quiſque ſibi appropriat quæ ſua intereſſe iudicat, nemo rubore ſuffunditur nemo ignominia maculatur.

1710 Concioni non ſolæ cathedræ ſunt deſtinatæ; concionatur in colloquio familiari, in regulari recreatione, qui opportunè aut virtutem aliquam commendat, aut vitium deteſtatur, quo inficitur proximus. Non debent eſſe diſcurſus quæſiti ſed nati. Si tibi ſit quiſpiam confrater fragilis, clandeci la-

ei latus in colloquio communi, præſentibus alijs de bello & Eccleſię afflictionibus ſermonem inſtitue; noua diſce, doce: martyres hodie ſub Chriſtianorũ tirannide pati illachrymare; reſumentes replicantes attende. INSTA hæc omnia alto Dei iudicio dirigi in expiationem ſcelerum, quibus mortales inquinantur. Nos in cauſa eſſe, cùm tam diſſolutè delinquimus. Deum bellorum ſtrepitu ſepæ vti, vt admoneat vnum vel alterum grauem peccatorem. Verè rigores Diuinos prouocāt peccata occulta, quorum vltio (non enim ſubiacent humanæ correptioni & notitiæ) pertinet ad ſolum Deum. Immundis timeo, inquies, qui ſi admoniti à Deo non reſipiſcant, luent acerbiſſimas pęnas. Clamamus ad Cœlum & non audimur, quia clamantes ipſi à culpis noſtris proclamamur, &c.

1711 Huiuſmodi conuerſatio eſt vtilis, Deo laudi, confirmationi Iuſto, & peccatori correctioni. Correctioni inquam, ſed familiari, amicæ & opportunæ; quæ ſæpe eſt efficacior correctione aſpera & acerba. Huc Paulus reſpicit, cum indicit correctionis inſtantias opportunas.

INSTA IMPORTVNE.

1712. Qui prædicatione opportuna admonitus adhuc remanet incorrigibilis, importunè admoneatur, non tamen ſtatim carpendo, & increpando, opus eſt inſtare, hoc eſt iterum prædicare; & ſi repetita prædicatio non profuerit, nō expedit deſiſtere; oportet enim primò arguere, deinde obſecrare, tandem corrigere, carpere, vituperare.

ARGVE.

1713 Prima correctio fraterna inſtātia eſt importuna, & conſiſtit in argumentatione, quæ debet fieri ſine arbitris, dicente Domino, *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Multa diſputando dicuntur, quibus aliàs non pateret aditus ad intellectum paſſionibus inordinatis infectum. Argue & diſputa cum peccatore per modum ſtudioſi examinis, vt cognoſcat quantum peccatum ſit quod commiſit, vt & confiteatur ſuos exceſſus antequā velit confiteri. Arte peccant nonnulli, arte etiam animæ lucrandæ ſunt Deo. Optimus eſt correptionis modus caſum moralē proponere, vt corripiendi mens paſſionis expers liberiùs & prudentiùs diſcurrat. Condemnamus enim actiones in alijs, quas in nobis commendabiles eſſe crederemus; ergo vt peccator clariùs peccati turpitudinem videat, crimen ſecundùm ſe debet proponi, aut ſaltem in perſona vniuerſa. Habemus exempla illuſtriſſima in *Diuinis* litteris, quæ hic expendere non parum proderit ad propoſitum.

1714 Nathan 2. *Reg.* 12. 1. proponenti caſum in genere reſpondit Dauid: *Vidit Dominus quoniam ſilius mortis eſt vir qui fecit hoc* ſed ſubſumit Propheta, *Tu es ille vir: & intulit, Ergo hæc dicit Dominus Deus Iſrael, & cet.* Ecce Prophetæ fraternè corrigendis ſolertiam, acumen, ſuauitatem. Non iuuat improperia profundere; charitatis ſcopus eſt vt reſipiſcat proximus: ſi hoc ſine confuſione poſſit fieri, non eſt opus aſperitate. Armata etiam hoc ſuauiſſimo correctionis modo Thecuitis mulier 2. *Reg.* 14. 5. arguit Regem iratum, imò ſedauit & conuicit.

Qui igitur ſcit ſuum confratrem cum pertinacia deliquiſſe, Paulo & Benedicto conſulibus debet cum peccatore arguere potiùs quàm arguat peccatorem.

OBSECRA.

1715 Ad ſecundam correctionem veniamus, quæ coram arbitris viris probis

bis & ſecretis tenacibus facienda eſt, dicente Chriſto; *Si autem te* (nempe arguentem) *non audierit. adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorũ vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Corã teſtibus pertinaciam proximi reprehende, vrbanè tamen & benignè. Ciuiliter reprehendit, qui obſecrat; rigidè imperat, qui fieri poſtulat, quæ indicere potuiſſet. Peccaminoſæ actiones omitti deberent propter Deum; ſed carpendi non ſunt qui omittunt propter homines, dummodo omittat. Ergo qui arguiſti fruſtrà, Obſecra coram arbitris; tuam authoritatem & amicitiæ iura impende, vt ſaltem te ſuadente aut petente ſe corrigat, qui ſui obliuiſcebatur.

1716 Petis, An ſit opus priùs adhibere vnum teſtem, quàm duos? Sotus *memb.2.q.4. in fine concl.6.* & Flores *de correction. difficult.6.* aſſerunt debere priùs teſtem vnum adhiberi, & poſtea duos; negant Abulenſis *in Matth. cap.18.quæſt.102.* & Nauarrus *cap. Inter, verb. corol.46. n.575.* Vtramque partem probabilẽ cenſet Thomas Sanchez *conſil. tom.2. lib.6. cap.2. dub.7.* ſed vltimam probabiliorem. Ego ſanè verba Chriſti conſiderans aſſero debere ſemel proximum corripi ſine arbitro aut teſte; & ſi remaneat pertinax, denuntiari non poſſe niſi iterum coram vno vel duobus corrigitur.

1717 Sed hi quales? an ex ijs qui aliàs cognoſcunt crimen fratris? Alios me conſule ne accerſito; quoniam ſi crimen abſolutè ſecretum ſit & tibi vbi notum, te expones ſummò periculo fratrem coram teſtibus corrigens Mones illorum coram grauibus viris vt reſipiſcat à crimine cui inhæret cum contumacia malitioſa. Eiſdem ille, ſitis mihi teſtes, inquiet, quòd à N. calumniatore notor; ſum innocens; ergo iuridicè contra ipſum agam, & ſe non eſſe calumniatorem (ſi potuerit) oſtendit. Die ſequenti conuenti coram iudice, calumniator ageris, dantur teſtes, & pœna condemnaris.

Verè ſi accerſiri liceret teſtes qui crimen neſcirent, pateret aditus calumniatoribus: haberent maleuoli infamandi methodum & correctionis fraternæ titulo innocentium famam aliàs integram labefactarent: falſa teſtimonia imponerent cùm liberet, & mendacia ſua veſtirent ſpecie fraternæ charitatis. Ne igitur ſimilia ſequantur inconuenientia, hi ſolummodo adhibeantur in teſtes, qui nouerint crimen & patratorem.

1718 Inquiris, poſſintne plures teſtes accerſiri. Abulenſi *in c.18. Matth. quæſt.103.* videtur quod non. Reſpondeo tamen neminem teneri plures teſtes adhibere, ſufficit enim vnus vel alter. Addo nulla lege numerum teſtium limitari, quia cùm hi debeant aliàs peccatum noſſe, nil inde ſequitur contra proximi honorem.

I N C R E P A.

1719 Si quem arguendo & priuatim admonueris, & ne obſecrando quidem flexeris, tertiò corrigito, admonito Prælato quà Patre: dicente Chriſto Domino; *Si non audierit eos* (nempe arbitros) *dic Eccleſiæ.* Eum coram Prælato increpa, priuatim tamen. Eius pertinaciam notam facias Antiſtiti, ſed in omni patientia & doctrina. Non proficit qui impatienter corrigit, non prodeſt qui imprudenter caſtigat.

I G I T V R.

1720 Quiſquis fraterno amore afficeris, contumacem ſemel & iterum in communi reprehende: poſtea Chriſto & Apoſtolo ducibus ter priuatim corripe; nempe arguendo ſine arbitris, obſecrando coram teſtibus, increpando apud Antiſtitem quà Patrem. Conſonat D. Benedictus tum alibi, tum præcipuè Capite 65. vbi quinque admonitiones

tiones depoſitioni ab officio præmittit. Conſonant Viri docti & pij qui de hac materia aliquid ſpeculatiuè aut practicè euulgarunt. Proderit virtutis & doctrinæ ſtudioſis legere ſtatutum latis à Ciſtertienſibus Germanis Cæſareæ anno 1626. vbi breuiter & dilucidè graues difficultates reſoluuntur. *Quia triplici modo*, inquiunt, *in punitionibus criminum procedi poteſt, nempe per denuntiationem, inquiſitionem, & accuſationem, hortamur omnes Superiores, & Viſitatores, vt horum ſubſtantialia ita obſeruari curent, ne alicui occaſio præbeatur agendi, vel contra charitatem, vel contra Iuſtiniani, maximè verò præcipimus Viſitatoribus, vt illi per Inquiſitionem ſpecialem non procedant, niſi eam præceſſerit infamia publica, aut eius loco indicia æquipollentia, vel ſemiplena probatio, neque etiam circa infamatum de vno crimine inquiſitionem inſtituat de alio. Illis verò, qui in Viſitationibus aliorum delicta nuntiare volunt, mandamus, vt ad denuntiationem ante factam fraternam correctionem, procedere non præſumant, niſi nulla ex fraterna correctione eſſet ſpes emendationis; aut ex ea quis iuſto ſibi timeret de malo graui inferendo, vel niſi in delicto graui periculum eſſet in mora, vt ſi vergeret in graue nocumentum corporale, vel ſpirituale proximi, aut pernitiem totius Communitatis; aut demum niſi punitio delicti eſſet ob ſcandalum neceſſaria. Meminiſſe etiam debent denuntiari, ad denuntiationem iudicialem (quæ quando eſt de re graui, in ſcriptis redigenda eſt) numquam eſſe veniendam, niſi præmiſſa denuntiatione Euangelica, qua res defertur ad Prælatum, non ad Iudicem, ſed vt Patrem, qui delinquentem paternè admoneat, eidemque poſſit prodeſſe, non obeſſe*. In quibus omnibus nullum eſt verbum quod non ſit ſanctiſſimum, prudentiſſimum, & neceſſariſſimum. tu relege, & ſingula aduertentia ſpeciali conſidera.

DISPVTATIO CXXXVI.

DE PATERNA CORRECTIONE.

Qui debeat Abbas procedere admonitus de ſecreto peccato impenitentis Religioſi.

1721 Antiſtes quà Pater ſecretas diſcit culpas, non quà Iudex; quia ſi quà iudex admoneatur, publicè debet procedere, & iuxta allegata & probata iudiciũ ferre. Certior factus Antiſtes ſecreti criminis, æquo animo & prudenti procedat: manifeſtantur illi lapſus ſubditi, non vt torqueatur, ſed

ſed vt corrigat. Verba illa, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, oſtendunt Eccleſiam, ſeu Antiſtitem debere corrigere: ſed quomodo?

1722 Prælatus cui crimen occultum denunciatur debet bene inſpicere Denunciatoris qualitatem; cui, licèt probus habeatur, ne ſtatim aſsenſum præbeat, ſed rem alte examinet, quia ſæpè *viridi latet anguis in herba*. ſæpe contingit delatorem eſse inuidum, delatum innocentem Optimè hoc percallebat D. Thomas Salemitanus Abbas, multorum Monaſteriorum viſitator, qui longa doctus experientia etiam nos docet non eſſe fidendum omni denunciatori. Anno 1618. Specioſam vallem inuiſit, & quia fortè Superiorum cura videbatur nimia, nam, & dari ſolet nimia ſanctitas, illos hortatus eſt his verbis. *Præſides non ſint indiſcreti........ erga informantes, duri, immiſericordes, increduli, nec calumnioſi, ſuſpicioſi, aut omni delatorum ſpiritui credentes, ſed iudicium miſericordia ſic temperent, & hanc illo, vt prauorum conatus impediant per aſpera, & obedientes ac dociles ad maiora ſemper virtutum per placida prouocent incrementa*.

Si Denunciatoris rationes rem probabilem reddant, ne feſtinet. In Capitulo, Prædicet ſiue concionem habeat die ſolita; vel ſi malit in conuerſatione familiari vitium denuntiatum execretur, virtutem contrariam commendet, & laudet in communi: fortè Abbati, quem ediſſerentem omnes audiunt, reus obtemperabit: Si fruſtrà prædicaſſe ſe videat, Inſtet iterum ſed opportunè, & importunè: importunitas efficaciam induit, opportunitas mitigat importunitatem. Si ſubditus pertinax permanſerit, vocetur ab Abbate alia ex cauſa (ne ſit ſuſpicioni alicui locus) & interrogetur paternè de veritate criminis. Denuntiatus poteſt trifariam reſpondere, nempe *primò* aſſerens ſe nil feciſſe, *ſecundò* ſe peccaſſe, eſſe tamen paratum ſe corrigere, & mores exorbitantes reformare; *tertiò* ſe peccaſſe quidem, nolle tamen conuerti.

1723 Igitur ab hoc vltimo incipiam, ſi quis pertinax, & incorrigibilis ſit in peccato mortali ſecreto, debet Prælatus ad iudicium procedere, ſi certò ſciat crimen probari poſſe, debet ceſſare ſi certò ſciat nihil poſſe iuridicè conuinci. Hæc aſſertio conciliat Caietanum, & Viguerium, quorum ille 2. 2. *quæſtion.* 33. *articul. octauo ſub finem* in tali caſu ceſſandum eſſe docet, iſte *libr. inſtit. capit.* 12. §. 2. *verſic. nono.* ad iudicium procedendum ſtatuit. Caietano adſonat Nauarrus *capit. Inter verba. corol.* 59. *numero* 628. Sotus *de ſecreto memb.* 2. *quæſtion.* 4. *concluſ. octaua*.

1724 Si reus ſe peccaſſe fateatur, Arguat illum Antiſtes: ſi conuerſionem morum ſuorum proponat, pertinax cenſeri non poteſt, nec puniri quouſque vel accuſatus cauſa cadat, vel reincidentia frequenti ſe incorrigibilem eſse demonſtret. Si ſuis peccatis ſecretò adhæſerit, iterum ſecretò admoneatur. Obſecretur coram vno aut altero teſte, ſi dentur: & ſi nec obſecratus reſipuerit, Increpetur via inquiſitionis Canonicæ ſi dentur teſtes ſufficientes; aliàs ne ſit ſolicitus Prælatus, quia ſuæ obligationi ſatisfecit, ſed commendet ouem miſeram Deo Archimandritæ Optimo, deprecans vt impœnitentis aperiat oculos, & efficacibus auxilijs prouehat voluntatem.

1725 Tandem ſi denunciatus neget arguenti Antiſtiti ſe talia peccata commiſiſse, & hæc aliàs non innoteſcant,

ſcant, nec puniri nec corrigi poterit, præcipuè ſi ſit vir famæ integræ, & inculpabilis conuerſationis. Prælatus debet eſse prudens, nec ſtatim denunciata credere, fortè faciliùs eſt denunciatorem calumniatorem eſse, quàm denunciatum peccatorem. Sumus in miſerrimo ſæculo, quod inuidis multis exuberat. Sunt æmuli qui *prætextu* denunciationis Euangelicæ viros probos infamant. Denunciatus ergo audiri debet, & ſi negatiuus permaneat, nequidem admoneri poteſt; quia alias videretur Antiſtes denunciatori credere potius quàm denunciato.

Si ad iudicium deueniendum ſit, proceditur per viam inquiſitionis quam alibi expono.

A B B A S

Quà ARBITER, ſeu Monaſticus Index.

1726 SIc ille vocatur, qui extra ſolennitatem iuris poteſt ex æquitate iudicare. Arbitrii authoritas ſoli Abbati competit ex officio, ex delegatione autem Præpoſito, Supriori, olim etiam Decanis. Arbitrii prærogatiua Iudicialis eſt, ſed quodammodo exlex: non enim ſubeſt iuri ſcripto, ſed æquitati rationabili. Arbiter Græcè Διαιτητὴς dicitur, cuius officium eſt decernere non prout ius dictat, ſed prout ipſemet æquum exiſtimat.

T E X T V S. Cap. 46.

Vt non præſumat quiſquam alium cedere:

1727. Vt vitetur in Monaſterio omnis præſumptionis occaſio, Ordinamus atque conſtituimus, vt nulli liceat quemquam Fratrum ſuorum excommunicare, aut cædere, niſi cui poteſtas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus *a* arguantur; vt cæteri metum habeant. Infantibus verò vſque ad quintumdecimum annum ætatis, diſciplinæ diligentia ſit, & cuſtodia adhibeatur ab omnibus: ſed & hoc cum omni menſura, & ratione: nam in fortiori *b* ætate, qui præ-

ſum-

ſumpſerit aliquatenus c ſine præcepto Abbatis, vel in ipſis Infantibus ſine diſcretione exarſerit, Diſciplinæ Regulæ ſubiaceat. quia ſcriptum eſt: *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.*

a *Nempe præmiſſa fraterna imò, & paterna correptione.*

b *Fortior ætas, vt colligitur ex contextu, à ſexto decimo anno incipit: ideo Tridentinum interdixit vota ſolennia pueris qui nondum compleuerint annos ſedecim, quia in tali ætate non videntur habere debitam arbitrij fortitudinem, vt ſciant quid, & qualiter debeant profiteri.*

c *Sine præcepto, hoc eſt ſine licentia: modus loquendi valde communis Benedicto.*

1718. *Qui confratrem læſerit etiam ad effuſionem ſanguinis, non ſtatim cenſendus eſt contrauenīſſe Canoni, Si quis ſuadente Diabolo, neque eſſe excommunicatus, ratio eſt, quia hac ſanctio affinis actionem alias mortaliter peccaminoſam. Multi ſunt caſus in quibus ſimilia ex leuitate aut inaduertentia poſſunt fieri, & per conſequens eſſe actus aut indifferentes, aut veniales, ſiqui ioci gratia, ſiqui cauſa experiendi vires aut dexteritatem ex leuitate armis confligerent, & præter intentionem ſe læderent; actionem illam de indecentia, de immodeſtia arguerem, non tamen de peccato mortali.*

Amicus ſæpe amici actionibus prædominatur, imò, & regulas indicit, quas impunè non tranſeat. Talia peccata caſtigare amor eſt, odium non eſt, ergo caſtigationes ſimiles licèt grauem moleſtiam inferant vel leue damnum, dummodo prudentis iudicio non contrarientur amicitiæ, inter iocos recenſendæ ſunt, timenduſque in eis potiùs inordinatus amor, quàm furor.

Hæc neceſſariò dicta ſunto ad tollendos imprudentium ſcrupulos, qui leuiter condemnant de culpa graui leuitates. Actiones huiuſcemodi nonnunquam bonæ ſunt, nempe cùm ad bonum priuatum vel publicum ordinantur; quibus in præſcribatur finis malus, malæ etiam erunt: ſecundùm ſe conſideratæ indifferentes ſæpius, veniales aliquando, ſi leues ſint, & leuiter prudentiæ terminos excedant; hos enim, ſtante iocantium amicitia, grauiter excedere non poſſunt.

TEXTVS. Caput 69.

Vt in Monaſterio non præſumat alter alterum defendere.

1727. Præcauendum eſt, ne quauis occaſione præſumat alius alium defendere Monachum in Monaſterio, aut quaſi tueri, etiamſi qualibet conſanguinitatis propinquitate iungantur, nec quolibet modo id à Monachis præſumatur: quia exinde grauiſſima occaſio ſcandalorum oriri poteſt. Quod ſiquis hæc tranſgreſſus fuerit, acrius coerceatur.

℣. Confratrum actiones à nemine defendi debent, quia ſi vnicuique liceret alterum propugnare, periclitaretur diſciplina. Ergo in Capitulo dum aliquis corrigitur extra ſolennitatem iuris, nemo audeat impoſitas culpas excuſare, aut negare.

Cùm agitur de rebus moralibus quæ honorem tangunt, vnicuique licet ſed defendere, ſed iuxta iuris regulas, vnicuique ingenuo præbere teſtimonium pro altero, ſed de hoc, cùm de Antiſtite quà Iudice.

DISPVTATIO CXXXVII.

An Abbas nulla præmiſſa ſolennitate iuris poſſit quempiam punire publicè.

1730 PEccatum duplex, veniale, & mortale. Id in nullo bene diſciplinato Monaſterio committi poteſt ſine infamia, illud ſæpe ſine infamia committitur: nam omnia illa leuia quæ Deum ſolum reſpiciunt, cùm ſoli peccanti nociua ſint, non inferunt aliqualem infamiam. Ex peccatis leuibus contra proximum, vt leuis inobedientia, iræ illi motus, quos vocant per ſe primos, honorem nedum leuis leuiter lædunt, cùm ſint tranſcendentales negligentiæ quę vniuerſos peruadunt. In materia venereà actio leuis leuiter poterit honori officere. Cæterùm apud cordatos conuicti de leui mendacio, & furto leui nullius vnquam fuerunt authoritatis; hæc enim peccata venialia ſi ignominiam poſitiuè non ingerant, ſaltem opinionem apud prudentes labefactant.

1731 Hæc,

1731 Hæc, quæ dixi, conſonant iudicio vniuerſorum: addam aliqua, quæ non dependent ex natura rerum, ſed ex varia gentium apprehenſione. Cœci neſciunt, quid ſit habere Monialem deuotam in Hiſpania: interim hoc permittitur aut toleratur; & deuotam habere nec leuem ignominiam parit. Aeternùm miſer eſſet in eadem regione, qui appareret ſemiebrius: & tamen eſſe ſemiebrium, & forſitan ebrium, non eſt ignominioſum in Germania. In materia fidei, qui vel leuiter in Hiſpania delinqueret, ſuſpectus eſſet, ab indigenis notaretur grauiter, fortè, & incommoda ſumma perferret: in alijs autem regionibus liberior intellectus, & labium, hæreticas propoſitiones dicunt hi leporis cauſa, illi ignorantiam ſimulantes, & infames non ſunt: quoniam in regionibus multis neque ipſimet hæretici iudicantur infames.

Ergo ad hoc vt diſcernatur, an actio aliqua ſit grauiter aut leuiter ignominioſa conſiderandæ ſunt perſonæ, prouinciæ, & gentes. His poſitis ſit

CONCLVSIO I.

1732 *Poteſt Abbas (& in ipſius abſentia, qui præſidet Capitulo) proclamare, condemnare, punire quemcumque ſine ſolennitate iuris, quoties materia nec leuiter ignominioſa.* Patet: quia ſic cõſeruatur diſciplina Monaſtica, & nullum damnum emergit tertio. Ita Perez lib. 8. *ordin. titul.* 4. *fol.* 130. *pag.* 1. Angelus *verb. Inquiſitio. num.* 2. Sylueſter, *verb. Inquiſitio.* 1. *q.* 3. *diſt.* 2. Armilla. *verbo Inquiſitio. nu.* 12. Corduba *ſuper Sotum de ſecreto tegendo membr.* 2. *q.* 4. *concl.* 7. Thomas Sanchus *Conſiliorum libr.* 6. *c.* 8. *dub.* 1. *n.* 1. & alij.

Inquiris: vtrùm ſimilibus correctionibus debeat præmitti fraterna correctio. Si agamus de alijs Religionibus, reſpondeo negatiuè, ſubſcribens D. Th. 2.2. *quæſtion.* 33. *artic.* 7. *ad* 4. Abulenſi *cap.* 18. *in Matth. quæſt.* 97. *ad* 8. Soto *de ſecreto membr.* 2. *quæſtion. quarta*, & Sancio *vbi ſuprà*. Si verò de Ordine noſtro Benedictino, reſpondeo affirmatiuè: quia Regula vbique fraternam correctionem poſtulat, imò, & correctiones; ſed de hoc diſputatione ſequenti.

CONCLVSIO II.

1733 *Qui in Capitulo proclamauerit actionem ſecretam, ſed leuiter infamatoriam, peccat venialiter, ſiue Prælatus ſit, ſiue non.* Patet: quia contra ius nocet proximo in quantitate leui. Hanc veritatem tradiderunt & obſeruari iuſſerunt Ciſtertienſes Antiſtites Congregationis Germanicæ, qui anno 1595. hanc legem ediderunt. In Capitulo (conuentuali) *emendandi corrigendique ſunt defectus, & quæ ad ſpirituale fratrum regimen pertinent, cum ſecreti cuſtodia cum tractanda.*

CONCLVSIO III.

1734 *Proclamare actionem grauiter ignominioſam ſed ſecretam, eſt peccatum mortale.* quia in his, quæ tangũt vel leuiter honorem proximi, nemini licet iuſtitiæ limites excedere, nec Benedictini honori renunciarunt, ſed reſeruarunt potiùs cæteris renunciantes. Ergo ſiue Antiſtes, ſiue Confrater ſis, nil agas contra proximi honorem ſine iuris ſolennitatibus. Contingit leuia peccata inferre ignominiam notabilem; talia ſunt mendacium, & furtum etiam in materia leui, quoniam prudentum iudicio contemptibiles ſunt fures, latrones, & mendaces. Hinc *Aſſere primò* aliquem poſſe peccare mortaliter, qui leuiter mentitur (eſto ſimile iudicium de furto) non quòd mendacium leue ſit peccatum graue, ſed, quòd ex eo ſequatur vel graue damnum proximo,

vel mentienti grauis ignominia; vnde aliud eſt aſſerere leue mendacium eſſe peccatum graue, aliud ſolere eos grauiter peccare, qui leuiter mentiuntur: licèt enim primum ſit apertè falſum, ſecundum eſt conſtanter verum. Quid leuius, quàm tripudiare, ſi tripudium conſideretur ſecundum ſe? cæterùm nonnè peccaret grauiter Epiſcopus, ſi tripudiaret in choro? peccaret equidem, non quia tripudiaret, ſed quia tripudiando omnem ſuum honorem deperderet, ſe enim exponeret ludibrio, & contemptui, cenſereturque phreneticus, & ſcandaloſus. Quid leuius ſaltu? Sed peccaret mortaliter, qui ex turri exſiliret: non quòd ſaltaret, ſed quòd ſaliendo vitam perderet. Sic ſimiliter cenſeo Virum ingenuum (talem ſe vnuſquiſque iudicat) cùm conuincitur de formali mendacio, notabilem honorem perdere: nemo enim auderet credere aut fidere homini in mendacijs deprehenſo. *Hinc aſſere ſecundò* peccare mortaliter Præſidem, qui in Capitulo, omiſſa ſolennitate iuris, Virum grauem & in authoritate poſitum argueret leuis mendacij, ſecreti tamen; quia argui de mendacio ita ignominioſum eſt, vt apud Hiſpanos nobiles purgari non ſoleat ſine duello. Huc reſpexi n. 852. huc velim reſpiciant Antiſtites correcturi culpas veniales.

1735 Antiſtes, qui voluerit ſatisfacere iuri naturæ, poterit proclamare in Capitulo omnia peccata leuia, ex quibus nec leuis ignominia ſequatur. Hoc dico de Prælatis aliarum Religionum; Regula enim Benedictina rigidior eſt, & nullum peccatum nedum veniale publicè proclamari permittit, ſi ſecretum id fuerit, & notum ſoli correcturo.

Abbas igitur, qui leuem culpam moralem, ſecretam tamen & ne leuiter quidem infamatoriam proclamat, & punit in Capitulo, non peccat venialiter nec mortaliter contra ſecretum naturale: quia certum eſt omnes habere veniales culpas, & ſupponitur ſubditus nihil in proclamatione perdidiſſe. Operatur tamen ille Prælatus contra Regulæ Caput 46. quæ cùm ſit lex merè pœnalis non obligat in foro interiori. Cæterùm ſi Abbas Abbatis Pater, verb. grat. Dominus Ciſtertienſis Domino Firmitatenſi, iuberet in virtute Sanctę obedientiæ ne peccata venialia publicè corrigeret, ſed priuatim, teneretur obedire, & ſi contrarium faceret, peccaret venialiter; quia contraueniret legitimo, & regulari pręcepto in re leui.

CONCLVSIO IV.

1736 *Defectus corrigendi in communi Capitulo ſunt hi, I. Omnes actiones, quæ opponuntur Regulæ, quam eſſe legem mere pęnalem, & ante præceptum Superioris Ordinarij nō obligare ad culpam, oſtendi diſput. 7. & confirmauit in commendario Capitis 46. II. Ex moralibus veniales illi, qui fuerint publici. III. Ex ſecretis, qui nec leuiter ſunt infamatorij.*

1737 Seniores proclamare ſolent iuniores, ſed diſcretione ſumma opus eſt, vt hoc vtiliter fiat. Primò, vt in Capitulo Senioris proclamatio proficiat, debet clarè, & manifeſtè naſci ex zelo prudenti, ſequi correctionem fraternam, fieri à viro famæ integræ, qui in eodem Capitulo non fuerit à Præſide aut alio quopiam proclamatus: ille enim, qui defectus proprios non curans aliorum inſudat correctioni, bifariàm excipiendus eſt, cùm quia ſui obliuiſcitur, tum quia reformationi ſuorum morum, quā pollicitus eſt, alienam quam non promiſit anteponit.

Suaderem proclamationes fieri à ſolo Præſide, non à Confratribus: ſæpiùs enim, quæ à Confratribus fiunt occaſionem iurgijs & maximis difficultatibus præbent: vix enim, & rarò reus exiſtimat illas ex vindicta aut aliqua maleuolentia

lentia

lentia non oriri. Sufficeret admonere Præſidem extra Capitulum, hoc potiùs ordine correctionis fraternæ poſtulâte. Gignunt rixas & diſcordias proclamationes indiſcretæ. Si frequentes ſint, opinio, & ſplendor publicus obtenebreſcit, quoniam notante Lipſio *Epiſt.* 20. *Cent.* 5. *miſc.* Amicitia eſt Sol animis: illa exule, corpus ciuile languet, & caligine offunditur; illa reduce, lumen bonę famæ recuperat, & exerit radios boni exempli.

CONCLVSIO V.

1738 *Pœnitentiæ ordinis inferũt meram incommoditatem, ſed ignominiam nullam.* Patet, quia aut ordinariæ ſunt, & leues, aut graues, & extraordinariæ. Leues, & ordinariæ cùm culpam nedum leuem arguant (ſæpè enim imponuntur præuaricantibus regulares ſanctiones, quæ merè pœnales ſunt, ſæpe non præuaricantibus mortificationis gratia) proclamatum nec leuiter infamare poſſunt. Si extraordinariæ ſint, non imponentur niſi ob crimina iuridicè probata, & qui has ſubierit infamiam contrahet, non quòd ſubierit, ſed, quòd crimina commiſerit, quæ eas merentur. Vnde ſi alicui ob leuem negligentiam grauis imponeretur pœna, Iudex de imprudentia quidem, ſed reus ne de leui infamia argueretur; Tolerantia indigeret, Cicerone enim *Epiſto.* 80. *a.* conſule, æquo animo *ferenda eſt fortuna, præſertim modo culpa abſit.*

1738 b. Hic obiter carpo Religioſos, qui pœnitentias regulares ægro animo ferunt, hic Pręſides remiſſos, & timidos; diſciplina Monaſtica periclitatur, ſi vel regulares pœnitentiæ intermittantur, vel frequententur & cenſeantur vel leuiter dedecorare. Inſoleſcerent omnes, ſi pœnę monaſticæ obſoleſcerent, infames eſſent omnes, ſi diſciplina ſeueriore dominante, pœnæ communes famam labefactarent.

1738 c. Diſtinxi inter pœnas communes, & extraordinarias. Petis quænam prioris generis cenſendæ ſint. Reſpondeo, verbales correptiones, diſciplinas, excommunicationes regulares (quales hæ ſint expono *num.* 1742. proſtrationes, & ſimiles quaſcumque alias (præter incarcerationem, & continua dierum plurium ſupplicia) ordinarias, & leues apud Benedictinos iudicari. Supplicium continuum & habituale non dicitur, quod dies octo vel decem non excedit.

CONCLVSIO VI.

1739 *A pœnitentijs regularibus illatis ſine iuris ſolennitate pro culpis ne leniter quidem infamatorijs non datur appellatio.* Patet, quia appellatio eſt exceptio contra iuridicam ſententiam, & regulares pœnitentiæ non ſunt forenſes ſed ſolùm arbitrariæ. Laudo Definitiones Generales Ciſtertienſium, vbi legitur, *Pœnæ conſpiratorum ſubiaceant omnes illi, qui in quotidianis Capitulis Præſidẽtium obſtinato animo iudicium Patrum Abbatum voluerint expectare.* Hoc eſt, cenſeantur eſſe conſpiratores, qui in quotidianis capitulis præſumpſerint appellare à Suppriore ad Priorem, ab hoc ad Abbatem, aut ab Abbate ad Abbatis Patrem immediatũ. Conſonant Prouinciales Germanicæ Congregationis, inter quas, confirmat noſtram reſolutionem hæc. *Si quis iniunctam ſibi pęnitentiam ſuperbè recuſauerit, aut ſine Præſidis licentia loqui auſus fuerit, in carcerem mittatur, niſi ante exitum Capituli reſipiſcat, iniunctamque ſibi pœnitentiam acceptet, & præſidi ſatisfaciat. Non licet Religioſo pro quacumque correctione capitulari appellare à ſententia proprij Abbatis, aut Præſidis ad Superiorem, vel etiam ad Nos, ſed eiuſmodi præſumptio, & inſolentia ad aliorum exemplum, & terrorem ſeuerè puniatur. Si quiſpiam*

TEXTVS. Cap.46.

De his qui in aliquibus rebus leuibus delinquunt.

1741. Si quis, dum in labore quouis,in coquina,in cellario,in miniſterio,in priſtino, in horto, in arte aliqua, dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit,vel aliud quid exceſſerit vbivbi,& non veniens continuò ante Abbatem, vel Congregationem, ipſe vltrò ſatisfecerit, & prodiderit delictum ſuum; dum [a] per alinm cogitum fuerit, maiori ſubiaceat emẽdationi. Si Animæ [b] verò peccati cauſa latens fuerit, tantùm Abbati, aut ſpiritualibus ſenioribus patefaciat: qui ſciant curare ſua & aliena vulnera, non detegere aut publicare.

a *Admittit denunciationem,& correctionis fraternæ non meminit quia in negligentijs qua pœnas reſpiciunt, & non mores, nemo tenetur ſeruare correctionis Euangelicæ regulas,licèt tutiùs, & amicabiliùs poſſit.*

b *Diſputationis VII. Articulus III. hanc Epigraphen habuit, Notitiæ penitioris gratia ſuppono omnia & ſingula quæ ſunt in Regula ex Legislatoris mente habere vim præcepti moralis, & vtrùm ad ea in conſcientiæ foro obligemur examino. Verè notitiæ penitioris gratia ſupponi dicitur, quod verum non eſt. Culpas, exceſſus leues admittit noſter Legislator in coquina, in cellario,in miniſterio, in priſtino, in horto, in artiũ praxi, in manuum labore, &c. aſſerit tamen hos exceſſus non eſſe morales, eos enim Animæ peccatis opponens demõſtrat Animæ peccata non eſſe. Hic ſubſumo. Quicumque delinquentis leuiter non peccat venialiter, non eſt operatus contra moralem legem, ſed contra merè pœnalem, atqui teſte D. Benedicto ne venialiter quidem peccant qui leuiter in regularibus delinquunt, ergo vel ipſo teſte Regula eſt lex merè pœnalis.*

EXCOMMVNICATIO MONASTICA.

1742. De hac Excommunicatione multa circumferuntur à Viris doctis, ſed non omnia æquè doctè tractata. Si examinemus Hiſtorias debemus dicere, Excommunicationem huiuſmodi moralem non eſſe, imò non poſſe probabiliter moralem aſſeri. Quod vt intelligas, nota id de quo nemo ambigit, nempe non dari poteſtatem fulminandi excommunicationes Eccleſiaſticas quæ non dimanet ab Eccleſia, Atqui quando has Excommunicationum leges ferebat Benedictus nullam habebat authoritatem Eccleſiaſticam dimanantem ex clauibus: ergo diras Eccleſiaſticas fulminare non potuit. Minorem perſuadeo. Quando ſcripſit hanc Regulam Vir ſanctus nondum erexerat Monaſterium Caſſinenſe, quoniam imprudenter procederet,

T E X T V S. Ex Cap. 24.

In Maiorem, & Minorem diuiditur Excommunicatio.

1744. Secundùm modum culpæ, & Excommunicationis vel *a* diſciplinæ debet extendi menſura: qui culparum modus *b* in Abbatis pendeat iudicio.

Ecce non eadem Excommunicationis lex: imponi debet Maior his, qui grauiùs præcepta Regulæ, quæ merè pœnalia ſunt, temerant: Minor, illis qui leuius.

a *Excommunicatio vel Diſciplina dicitur eadem pœna, quoniam Excommunicatio, Monaſtica diſciplina ſiue proſcriptio eſt.*

b *In Abbatis pendeat iudicio, hoc eſt, Ab Abbatis iudicio pendeat.*

Hinc conſtat iterum Excommunicationem eſſe cenſuram merè pœnalem; quia moralium quantitas non ab Abbatis arbitrio pendet, ſed à materiæ quantitate. Excommunicatio Eccleſiaſtica maior non imponitur quibus Abbas voluerit, neceſſariò enim præſupponit materiam peccati mortalis, quæ à rei natura pendet, non ab illius arbitrio, vt oſtendi diſputat. 4. per totam.

T E X T V S. Ex Cap. 44.

De Excommunicatione Minori.

1744. b. Qui verò pro leuioribus culpis excommunicantur tantùm à menſa, in Oratorio ſatisfaciant vſque ad iuſſionem Abbatis: & hoc ſemper faciant, vſque dum benedicat & dicat, ſufficit.

T E X T V S. Ex Cap. 24.

Qualis debeat eſſe modus Minoris excommunicationis.

1744. bb. Si quis tamen frater in leuioribus culpis inueniatur, à menſæ participatione priuetur: priuati autem à menſæ conſortio iſta erit ratio, vt in oratorio Pſalmum, aut Antiphonam non imponat, neque lectionem recitet vſque ad ſatisfactionem; refectionem autem cibi poſt fratrum refectionem ſolus accipiat; vt ſi (verbi gratia) fratres reficiunt ſexta hora, ille frater nona. Si fratres nona, ille veſpera, vſque dum ſatisfactione congrua veniam conſequatur.

Ex-

Excommunicatio minor Monaſtica, eſt ſententia inhibens negligenti Religioſo impoſitionē Antiphonę aut Pſalmi, recitationem lectionis, ac reſponſorij, & comeſtionem cum alijs. Excommunicatus à menſa dicitur qui vel in pauimento aut humili ſcamno in refectorio hora communi comedit, aut certè in ſeparata menſa iuxta monaſteriorum ritus: item ille (& huius potiùs meminit Legislator) qui ſeorſim comedit aut in ſecundo conuentu; aut ſolus poſt omnes Religioſos cibos in quãtitate, & qualitate ab Antiſtite determinanda.

Excommunicationis maioris lex exponitur à Patre ſancto Cap. 25. & 44.

Ille qui hora communi in ſuo loco comedit; licèt priuatus cibo aut vino, non debet dici excommunicatus, quia excommunicatio perſonas reſpicit, non cibos, non enim excommunicatus eſt; qui ab alijs non fuerit ſegregatus. Vide Caput 30.

TEXTVS. Caput 33.

Excommunicantur minori excommunicatione qui ad menſam tardè aduenerint.

1744 c. Ad menſam qui per negligentiam ſuam, aut vitium non occurrerit vſque ad ſecundam vicem, propter id *a* corripiatur; ſi denuò non emendauerit, non permittatur ad menſæ communis participationem, ſed ſequeſtratus à conſortio omnium reficiat ſolus.

a Corripi iubet ſemel, & iterum, nempe fraterne, quia licèt hæc negligentia non poſſit publica non eſſe, non omnes tamen ſciunt eſſe culpabilem, & ideo non debet publicè increpari, aut proclamari, quouſque bis ſecretò admoneatur, ſi, non obſtante correptione Euangelica, in negligētia prædicta perſeueret, ſubiaceat cenſuræ minoris excommunicationis Monaſticæ, nempe proſcribatur à menſa ordinaria quouſque ſatisfeciſſe videatur.

TEXTVS. Caput 51.

Subiacent etiam excommunicationi minori, qui ſine licentia comedunt in amicorum domibus.

1744. cc. Fratres, qui pro quouis reſponſo proficiſcuntur, & ea die ſperant reuerti ad Monaſterium, non præſumant foris manducare, etiamſi omninò rogentur: niſi fortè eis ab Abbate ſuo *a* præcipiatur. Quod ſi aliter fecerint, *b* excommunicentur.

a Præ-

a *Præcipere hic non ſonat præceptum imponere, ſed licentiam concedere ſeu diſpenſare.*

b *Extra monaſterium comedere aut bibere ſine licentia leuis negligentia eſt & expiatur excommunicatione minori: ſi tamen hoc contra moralem Antiſtitis legem fiat, poterit eſſe inobedientia grauis, & digna maiori excommunicatione.*

Vt peccatum ſit mortiferum requiritur grauis materia. quanta igitur hic, vt quiſpiam dicatur deliquiſſe mortaliter?

Magna inconuenientia oriuntur ex commeſſationibus, & opulis. Non libenter videbat ſuos in conuiuijs noſter Legislator. Timebat ipſis, non quidem exceſſum in cibo aut potu, quia ingenui nunquam talem committunt; ſed ruinas graues, quæ comitari ſolent conuerſationem liberiorem. Omnia in menſa liberiùs ſolent dici, curioſiùs cogitari. Si crederemus ſolos cibos reſpexiſſe Benedictum, dicere deberemus peccatum fore grauiter, qui contra Abbatis præceptum comederet materiam, quæ aliàs ieiunium Eccleſiaſticum frangeret. Cùm autem conſtet ex capit. 67. D. Benedictum cauere ſuis ſubditis colloquia ſcandaloſa, imò, & periculo expoſitas conuerſationes interdicere; cumque ex capit. 39. & 40. conſtet non approbari ab eo menſam auaram, miſeram, & inclementem, facile inferre poterimus hanc ſanctionem non reſpicere cibos vt finem, ſed pericula quibus ipſi conditi miniſtrautur. Videat igitur Monachus prudens vtrùm ſe exponat alicui periculo in conuiuio; ſi huic ſe expoſuerit, temerabit hanc legem, & reus erit pœna non culpa ſi non egerit contra præceptum morale ſui Abbatis, quod ſi non ſolùm Regulæ, ſed & Antiſtiti inobediens ſit, non peccabit grauiter contra obedientiam, donec ſe exponat proximo periculo peccandi grauiter extrinſecùs in genere, quod cauet D. Benedictus.

TEXTVS. Ex Capite 43.

Excommunicantur etiam minori Excommunicatione, qui ad chorum tardè accurrerint.

1744 d. Si quis ad Nocturnas vigilias poſt Gloriam Pſalmi 94. ——occurrerit, non ſtet in ordine ſuo in choro, ſed vltimus omnium ſtet: aut in loco, quem talibus negligentibus ſeorſim conſtituerit Abbas, vt a videatur ab ipſo, vel ab omnibus, vſque dum completo opere Dei publica ſatisfactione pœniteat. —— Diurnis autem horis; qui ad opus Dei poſt Verſum & Gloriam primi Pſalmi —— occurrerit, lege qua ſuperiùs diximus, in vltimo ſtet loco: nec præſumat ſociari choro pſallentium vſque ad ſatisfactionem, niſi fortè Abbas licentiam dederit permiſſione ſua: ita tamē vt ſatisfaciat reus ex hoc.

a *Vt videatur ab ipſo, vel ab omnibus. Commendatur Abbati circumſpectio, inuigilare debet, & omnia aduertere: omnia bene adnotare. Si omnes cæcutiant, dum negligentiæ committuntur, nihil perditur, imò expedit cæcutiant omnes,*

omnes, modò Abbas videat. Quid ſi is cæcum agat? cæcè ſubditos reget, & præcipites aget. Ergo Abbatis circunſpectio ſit tanta, vt præeat omnium circumſpectioni.

b *Licentiam*] *Bifariam intelligunt; tardè ad chorum venientes, excommunicandos eſſe (minori nempe cenſura) docent aliqui, niſi forti ex licentia, & permiſſione Abbatis id faciant: addunt, eos, qui pulſant cymbala non eſſe huic pœna ſubijciendos, nec veniam debere petere, eò quòd debuerint ſub horæ initium ſignum facere, nec potuerint tempeſtiuè occurrere.*

Alij volunt eos (& hoc eſt in vſu) ſatisfacere cùm ſerò veniunt, etiam ſi licentiam habuerint à Prælato; ac propterea debere manere in loco ſeparato (apud nos ad gradum Presbyterij) vſque ad illius horæ finem, niſi fortè Abbas (aut Præſes) licentiam dederit vt adſocientur alijs.

T E X T V S. Caput 44.

De excommunicatione maiori.

1774 dd. Qui pro grauioribus culpis ab oratorio, & à menſa ſimul excommunicatur, hora, qua opus Dei in oratorio celebratur, ante fores oratorij proſtratus iaceat, nihil dicens: niſi tantùm poſito in terra capite ſtratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus. Et hoc tamdiu faciat, vſque dum Abbas iudicauerit ſatisfactum eſſe. Qui dum iuſſus ab Abbate venerit, prouoluat ſe ante pedes ipſius Abbatis, deinde omnium veſtigijs, vt orent pro eo. Et tunc ſi iuſſerit Abbas, recipiatur in choro vel ordine quo Abbas decreuerit: ita planè vt pſalmum, aut lectionem, vel aliud quid nõ præſumat in oratorio imponere, niſi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis, dum completur opus Dei, proijciat ſe in terra in loco, in quo ſtat, & ſic ſatisfaciat, vſque dum ei iterum iubeat Abbas, vt quieſcat iam ab hac ſatisfactione.

T E X T V S. Cap. 25.

De [a] grauioribus culpis.

1744 e. Is autem frater qui [a] grauioris culpæ noxa tenetur, ſuſpendatur à menſa ſimul & ab oratorio: nullus ei fratrum in vllo iũgatur conſortio, neque in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi iniũctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu, ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis; Traditum huiuſmodi hominem Sathanæ in interitum

ritum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Cibi autem refe-ctionem ſolus percipiat menſura, vel hora, qua prouiderit ei Abbas competere: nec à quiſquam benedicatur tranſeunte, neque cibus qui ei datur.

Grauiores culpæ, de quibus Benedictus, intelligendæ ſunt comparatiuè ad leues de quibus capite 46. Magnum, & minus, in eodem genere eſſe debet; atqui leues culpas vocat Pater ſanctus; non leuiter peccaminoſas, ſed illas, quæ reſpiciunt pœnam, & non mores (oſtendi in commentario Cap. 46.) ergo & ab eo graues culpæ vocantur, quæ morales non ſunt, ſed grauem pœnam merentur. Confirmatur hæc analogia nominum ex ipſomet textu. Eum qui commiſerit graues culpas, nempe contra Regulam, dicit eſſe traditum Sathanæ in interitum carnis, non in interitum ſpiritus, ſed potiùs in ſpiritus confirmationem, vt is ſaluus fiat in die Domini. Culpæ igitur graues, quia ſolius carnis interitum pariunt & ſpiritũ confirmant, morales eſſe nequeũt quia graues culpæ morales ſpiritum interimunt: Sed debent eſſe graues pœnaliter, quia in huiuſcemodi reperio quod & me demonſtrare puto tam clarè vt nemini contradicere liceat. Vide ea, quæ dixi n. 97. pag. 42. vbi oſtendi præcepta pœnalia eſſe conditionata, & ſubditum cum merito poſſe alterutrã partem eligere, nempe vel rem præceptam exequi vel pœnam ſubire.

T E X T V S. Cap. 26.

De his, qui ſine iuſſione Abbatis iungunt ſe Excommunicatos.

1645 Si quis frater præſumpſerit *a* ſine iuſſione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo ſe iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, ſimilem ſortiatur excommunicationis *b* vindictam.

a Iuſſio idem quod licentia, vt ſuprà aliquoties. Ecce Regularis excommunicationis vires, implicat etiam, & ligat omnes cum excõmunicato conuerſantes.

b Vindicta, hoc eſt, cenſura, ſententia, aut ſi maluerit.

T E X T V S. Caput 27.

Qualiter ſolicitus ſit Abbas circa excommunicatos.

1746 Omni ſolicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres, quia non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Et ideo vti debet omni modo vt ſapiens medicus; immittere quaſi occultos conſolatores *a* Senipetas, id eſt, *Seniores ſapientes fratres*, qui qua-

quaſi ſecretè conſolentur fratrem conſluctantem, & prouocent eum ad humilitatis ſatisfactionem: & conſolentur eum, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur. Sed ſicut ait Apoſtolus: *Confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus*. Magnopere enim debet ſolicitudinem gerere Abbas, & omni ſagacitate, & induſtria curare, ne aliquam de ouibus ſibi creditis perdat. Nouerit enim ſe infirmarum curam ſuſcepiſſe animarum, non ſuper ſanas tyrannidem; & metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus; *Quod craſſum videbatis, aſſumebatis; & quod debile erat proijciebatis.* & paſtoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abijt vnam ouem, quæ perierat, quærere: cuius infirmitati in tantum compaſſus eſt, vt eam in ſacris humeris ſuis dignaretur imponere, & ſic reportare ad gregem.

a Senipeta, vox videtur inuenta à D. Benedicto, & compoſita ex Senio et peto quaſi Seniũ petens. Sed quis talis? Reſpondet Hiſpanus. El que va para vieio: nempe ad ſenectutẽ appropinquans: petere enim Latinè appropinquare eſt.

TEXTVS Caput 50.

An pueri excommunicari debeant? qualiter corripiendi ſint.

1747 Omnis ætas, vel intellectus proprias debet habere menſuras. Ideòque quotiens pueri, vel adoleſcentiores ætatis aut, qui minus poſſunt intelligere quanta pœna ſit excommunicationis: hi tales dum delinquunt, aut a ieiunijs nimis affligantur, aut acribus verberibus coerceantur vt ſanentur.

a Occurrit difficultas. Quomodo poterit Antiſtes ieiunia nimia indicere, & tamen ſubditum non excommunicare? Ratio dubitandi eſt, quia in ieiunio ſaluatur excommunicationis definitio: Probatur, quia ſeparatur à Communitate, qui cogitur non viuere moribus Communitatis.

Reſpondeo ex his, quæ Cap. 24. expendi excommunicationem eſſe communicationis carentiam, communicatio autem & ſocietas cum hominibus conſtrabitur, non cum cibis.

DVBIVM INCIDENS.

De Eccleſiaſtica Excommunicatione.

1727 b. EXcommunicatio, quæ ab Abbatibus ex vi clauium fulminari ſolet maior eſt, & definitur. *Cenſura Eccleſiaſtica, quo priuatur homo non ſolùm actiua, verùm etiã paſſiua Sacramentorum participatione, & hominum familiaritate, ſuffragijs, orationibus.* Hanc ex natura rei Summus Pontifex fert, iuris communis beneficio, omnes.

omnes Antiſtites. Ita Nauarrus *in Manualis cap. 27. nu. 5.* & probatur *ex cap. Tranſmiſſam & c. ſuffraganeis. de electione, & c. Cum ab Eccleſiarum de officijs ordin.*

Abbatiſſæ, Antiſtites, & Prælatę non ſunt, nec habent talem authoritatem, c. *nona de pœnit. & remiſſ.* Qui aſſerunt laicum eſse capacem authoritatis excõmunicatiuæ, debent dicere noſtras Abbatiſsas poſse donari priuilegio Apoſtolico, quo eis cõcedatur poteſtas ſuas ſubditas inurendi Eccleſiaſtica Excommunicatione. *c. præter, adiuncta Gloſſa, verb. Ducibus. 32. d.*

Capitulum Cathedrale ſede vacante poteſt excommunicare *cap. Cùm olim. de maior. & obed.* Capitulum Conuẽtuale non poteſt, quia nec ex iure communi id illi conceditur, nec ex priuilegio ſpeciali.

Capitulum, Monaſterium, Collegium, & Vniuerſitas non poſſunt excommunicari. Ita Miranda *in Manual. quæſt. 25. artic. 10.* Sotus *in 4. diſt. 25. quæſt. 2. artic. 2.* vbi aſserit ſe ſequi D. Thomam.

Excommunicationis armis vtuntur Abbates rariſſimè, & ſolùm in grauiſſimis cauſis; ſicut enim gladii acies ſi lapides percutiat retunditur, & non remanet ramis cædendis apta: ita Excommunicationis acies retundetur ſi leui ex cauſa torqueatur. Grauiſſima ex occaſione fulminatur Ramorum die in Capitulo ſub formalibus verbis.

Authoritate Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ac omnium Sanctorum, & authoricate totius Ordinis, excommunicamus conſpiratores, incendiarios, fures, proprietatem habentes. Et omnes, qui proceſſum Superiorum, Viſitatorum aut Iudicum à Capitulo Generali conceſſorum, in viſitationibus, electioibus, correctionibus, ſeu alijs ordinationibus impedierint, vel qui iſta facientibus conſenſerit, per ſe, vel per alios, literas, preces, minas, inſidias, ſeu ſæcularium auxilia procurauerint, niſi intra diem Iouis proximam reſipuerint. Fiat. fiat.

1747 c. Duæ rationes moueri ſolent circa Excommunicationem huiuſmodi à volentibus eam eſse ſolùm comminatiuam, aut fortaſſis pœnalem.

Prima eſt. Excommunicatio non poteſt ferri die feſto; atqui hæc fertur Dominica: ergo non obligat in interiori foro. Minorem probant *ex cap. Sacro. de ſentent. excommunicat. libr. 6. & cap. nemo. 2. quæſtion. 1.* cui conſonat ius *leg. actus. de ferijs. & c. final. eodem tit.*

Secunda. Excommunicatio ferri debet in ſcriptis, hæc verbo fertur, ergo fulminatur ſolummodo ad terrorẽ. Minorem probant ex *c. Sacro. iam citato.*

Concluſio.

1747 d. Omnes excommunicationis cenſuræ ferendæ ſunt in ſcriptis & diebus non feſtis, peccaretque mortaliter Prælatus, qui aliter huiuſcemodi cenſuram ferret. Ita omnes. Niſi fortè ex inuincibili ignorantia omitteret, tunc .n. excuſaret eum Gabriel in 4. *diſtinct. 18. quæſt. 2. Can. 7.* quod Nauarrus *in Manual. capit. 27. numero 8.* confirmat *ex cap. ignorant. de regul. iuris lib. 6.* Solennitates iuris magni faciendæ ſunt, præcipuè in rebus pœnoſis, qualis eſt Excommunicatio. Multi Franciſcanorum Prælati, verbo ſolebant excommunicare, dubitabatur, an tenerent Excommunicationes huiuſmodi? Reſpondet negatiuè totus Ordo, vt patet ex Conſtitutionibus Toletanis Generalibus. Ergo non poteſt ferri Excommunicatio die feſto & ſine ſcripto, niſi ex vi Pontificii diplomatis, aut conſtitutionis Ordinis à Sede Romana confirmatæ, aliàs cenſuræ illicitè fulminarentur ſemper, & nonnunquam inualidè. Cæterùm Excommunicatio hæc, de qua agimus, in Ordine toto fulminatur, &

fuit in praxi à longò tempore, ergo fertur licitè & validè, imò non ſolùm ſcripta ſed typis mandata eſt.

Termini nonnulli explicantur.

1747 e. *Conſpiratores* illi ſunt, qui in grauem ruinam boni publici aut priuati coniurant; nempe vel communitatem infamando, vel innocentem perſequendo, vel promotionem impediendo, &c. Conſtat ex Diffinitionibus Generalibus Congregationis Ciſtertienſis, in quarum diſtinct. 7. c. 8. dicitur, *Eſt autem apud nos Conſpiratio, ſpecialis contra ordinis diſciplinam & Maiorem inſtituta confœderatio*. & cap. 1. eiuſdem diſtinctionis Conſpirationibus adiunguntur, *qui ſpreto iudicio quotidianis capitulis Præſidentium obſtinato animo iudicium Patrum Abbatum* (hoc eſt eorum, qui ſunt Patres immediati Abbatum) voluerint expectare.

Incendiarij dicuntur, qui ædificijs ignem ſupponunt incendendi cauſa. In hoc diſtinguitur ab Incendiario Incenſor, quod ille ignem adhibuerit, & incendere voluerit: hic de facto incẽdeat.

Fures & Proprietarij ſunt qui dando aut recipiendo ſine licentia ſibi appropriant rerum dominium, & illis vtuntur tanquam rebus proprijs: vide ea, quę de proprietate à n. 815. diſputaui.

Petis, quæ quantitas ſit ſufficiens, vt quis incurrat excommunicationem?

Reſpondeo, certum eſſe eum qui cõtra paupertatis votum venialiter peccauerit, Excommunicationis huius cenſuræ ſubiacere nõ poſſe: nec eum qui peccauerit grauiter, ſi ſolùm intentione. Probabiliùs dicitur omnes proprietatis actiones extrinſecas mortaliter peccaminoſas hac cenſura comprehendi, licèt alij latiùs (non, vt dicunt, benigniùs) Theologizent. Non ſolùm intendit Ordo bonum publicum materiale, ſed potiùs ſpiritualem conuerſionem, & prouidè excommunicat eos, qui infra diem Iouis mores ſuos paupertatis virtute nõ conuerterint: ergo Antiſtes debet reſpicere materiam quamcunque, modò grauiter peccaminoſam.

Alij minùs probabiliter pœnas reſpiciunt, & aſſerunt eos excommunicari, qui ſunt rei furti digni carcere. Candidi Ordinis Præmonſtratenſis Statuta, diſtinct. 3. capit. 14. determinant ſummam ſufficientem vt aliquis detrudatur in carcerem, debere eſſe viginti florenorum viginti aſſibus conſtantium: & Definitiones Ciſtercienſes, quas vocant Generales, diſtinct. 7. cap. ſeptimo aſſerunt debere eſſe maiorem vigintiquinque ſolidis Turonenſibus: Adſonant decreta aliarum Religionum. Ergo probabiliter dicere poterimus minorem ſummam non ſufficere vt quis incurrat excommunicationem Eccleſiaſticam; Ratio eſt, quia incarceratio, Monaſtica excommunicatio eſt, & leuior omninò Eccleſiaſtica; ergo pro minoribus culpis inferenda: ille igitur, qui furatus eſt ſummam aliquam non tamen ſufficientem vt incarceretur, & à communione confratrum proſcribatur, non eſt cenſendus proſcribi à communione totius Eccleſiæ, & participatione ſuffragiorum. Ergo vt quis huic cenſuræ ſpiritnali ſubiaceat, requiritur quantitas maior.

1747 f. Florenorum quantitas apud varias gentes inæqualis: ſed dubijs obuiam iuerunt inſtitutores Ordinis Præmonſtratenſis declarando Floreni quantitatem: Ciſtertienſes viginti ſolidorum furtum carceris pœna expiant; ſed qualium ſolidorum? Eligius Baſſæus in *ſuis Floribus verb. Donatio. numer.* 13. explicans legem penult. Cod. de donationibus. ſub finem, nomine ſolidi intelligit nummum aureum æquiualentem decem & ſeptem Iulijs ſeu Regalibus Italicis, vel 85. ſtupheris Belgicis: vnde viginti *ſolidi* erunt 1700. ſtupheri, ſiue, quod idem eſt 34. Philippici, aut 35. Hiſpanici, & Indici Pataconcs.

Alij

Alij nomine *ſolidi* intelligunt nummum argenteum, qui eſt Pataconis octans: & ex eorum hypotheſi, viginti ſolidi ſunt duo Patacones & medius. Sed hoc in prædiuite Monaſterio non eſſet materia peccati mortalis, vt conſtat ex his, quæ diximus numero 943. ad 950. Sanè definitiones noſtræ antiquiſſimæ ſunt, latæ tempore quo cenſebantur diuites, qui habebant paucos aſſes; ſciunt omnes, qui œconomiam tractarunt, plus potuiſſe à trecentis annis aſſe fieri, quã modò ſolido: quamobrem cenſeo ſolidos Turonenſes fuiſſe tunc vtiliores, quàm modò ſex ſtupheri: aliàs enim ſæpè contingeret carceribus macerari, & Eccleſiaſtico fulmine inuri Religioſos ſine culpa mortali, quod nemo admittet. Et probo aſſumptũ; quia licèt duorum aut trium Pataconum proprietas ſit mortaliter peccaminoſa in Monaſterio paupere, non eſt condemnanda grauiter in diuite; Definitiones autem Generales ita exponendæ ſunt, vt omnibus Monaſterijs conueniant; aliàs enim indiſcretæ potiùs eſſent quàm Generales. Ergo Abbates, qui timens ne ſubditi Baſſæo ſubſcribant, declarent (& hoc rationabile eſt) ſe velle comprehendere quodcumque furtum graue, qua declaratione præmiſſa non remanet locus aliquis dubitationi.

1747 g. Olim Abbates in ſuis Monaſterijs perpetuò excommunicabant Conſpiratores, Fures, & proprietarios (conſtat ex Definit. Generalium Ciſtercienſium diſtinct.7.cap.6.) vnde talium criminum rei ipſo facto erant excommunicati: die autem Ramorum non excommunicabantur, ſed denuntiabantur. Benigniùs procedunt moderni, & nolunt his criminibus cenſuras aliquas annexas eſſe, quæ ipſo facto incurrantur: declarant tamen eſſe Eccleſiaſticam maiorem Excommunicationem, contra huiuſcemodi criminum reos, ſi infra diem Iouis proximum non reſipiſcant.

Sed quid ſignificat illud *infrà?* Debentne reſipiſcere ante diem Iouis, an ſufficit die Iouis conuertantur? Hanc locutionem reprehenderet Laurentius Valla, qui *infrà*, & *ſuprà* non ad tempus, ſpacium nec numerum, ſed ad locum & dignitatem refert; fauet autem Plinius libro 11. *Oua incubari infra decem dies edita vtiliſſimum*. Ergo *infra* eſt idem quod *ante*, & *ſupra* idem quod poſt. Sed poteſt illud *infra*, vel ante bifariam exponi, poſitiuè videlicet & negatiuè; poſitiuè quidem, ita vt aſſerantur nulli ſubiacere cenſuræ, qui reſipuerint ante Feriam quintam; negatiuè, ita vt à cenſura ſint immunes, qui reſipuerint & non poſt feriam quintam. Cùm autem hęc benignior expoſitio ſit, & de ordinis intentione non conſtet, fauores amplio affirmans non incurrere hanc excommunicationem, qui ante finem feriæ quintæ (hunc duodecima noctis conſtituo) reſipuerit.

Accedit, quod eloquenter dicatur *ante diem Iouis* pro *die Iouis*, ita vt ante non prioritatem ſed præſentiam ſignificet, vnde *Ante Iouem peccaſſe nefas*, exponitur eſſe execrabile deliquiſſe coram ipſomet Ioue. L. Annęus Seneca in ſua de Claudij Cæſaris morte Apocolocyntoſi (nomen Libri eſt) ſic exorditur: *Quid actum ſit in cælo ante diem tertium eidus Octobris Aſinio Marcella. Acilio Auiola Conſſ. anno nouo, initio ſæculi ſæliciſſimi volo memoriæ tradere*. C.S. Curio in expoſitione huius loci ſic ait, *Annum nouum vocat initium ſæculi fæliciſſimi, quaſi mortuo Claudio aureum ſæculum auſpicaretur, nimirum ſublato illo, qui vrbi, & orbi omnem infelicitatem inuexerat*. & vt confirmet, citat Virgilij locum ex Ecloga IV. deſumptum, videlicet.

tum, aut ſæcularium procurando. *Tunc ipſa excōmunicatione publicata, dictus Præſes accenſam tenens cādelam in talium excommunicatorum deteſtationem in terrā proyciat. Conuentus reſpondeat, Amen. Et Præſes Capituli moneat Fratres, neminem poſſe abſolui ab eiuſmodi criminibus, niſi infra octo dies reſipuerint.* Hunc eundem octo dierum terminum reſignarunt ijdem Patres in Comitijs Prouincialibus habitis Cæſareæ anno 1626. §. De Capitulo.

A B B A S
quà I V D E X F O R E N S I S.

AGere integrum Iudicem difficillimum eſt, nam ius tranſit in vim quoties Iudex exuit integritatem.

1748 Vt æquus ſit, ſeruet indifferentiam Benedicto indicente Cap. II. Nulla *ab eo perſona in monaſterio diſcernatur. Non vnus plus ametur quàm alius, niſi quem in bonis actibus aut obedientia inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex ſeruitio conuertenti niſi alia cauſa rationabilis exiſtat.*

1749 Suppoſita Iudicis indifferentia tanquam diſpoſitione vltima & eſſentiali, notandum eſt Abbatis tribunali iuridico ſolùm peccata grauia aut actiones illas, quæ infectæ ſint graui ignominia, ſubijci poſſe: leuiora enim corripi debent ab Antiſtite, non quà Iudice, ſed quà Arbitro & Patre: hoc eſt ſine litigioſi iuris ſolennitatibus.

Si materia ſit grauis, paternè domeſtico labori prouideat, nec iuridicam inquiſitionem quà forenſis, & pragmaticus Iudex contra quempiam inſtituat, modò illius morbo ſuauius aliter mederi poſſit.

Si actoris accuſationem in materia leui recipere contingat, cum corripiat paternè de exorbitantia, alterum, ſi opus fuerit, de exceſſu; ſed iudicium non implicet rebus parui momenti.

1750 Grauem accuſationem non audiat, ſed legat (qui cùm cauſæ graues verbo aguntur, iniquè reſoluendæ ſunt, propter memoriæ fragilitatem) nec ſtatim reo communicet, ſed ſtudeat partium compoſitioni & ſecreto remedio. Si hanc obtinere nequeat, accuſationem reo communicet, & antequam is reſpondeat, concordiæ inſudet. Poſt rei reſponſionem de concordia amplius à Iudice tractandum non eſt, quia aliàs partialis cenſeretur. Ratio eſt, quia antequam vtrumque audiat non poteſt cenſeri formalle dictamen de iuſtitia cauſæ, & ideo nemini erit iniurius ſi vtrumque conciliare procuret: audito autem vtroque, iuſtitiam cognoſcere præſumitur, & concordiam in præiudicium partis procurare. Cùm ſemel pro tribunali ſederit, *æqualis ſit omnibus ab eo charitas; vna præbeatur omnibus ſecundùm merita diſciplina. (capit. 2.)* rem benè examinet, veritati non amicitiæ ſtudeat, nec reo conuicto ignoſcat; nec accuſatori non probanti: vbi enim talionis pœna non cognoſcitur, iuſtitia exulat, & patet aditus calumnijs pernitioſis.

Conuincendis de partium concordia ignoſcere, prouidentia eſt: conuictis, iniquitas, & delenda tyrannis. Fallitur, qui benignitatis ſpecie, conuictos de crimine aut calumnia, tolerat: quia remiſſio huiuſmodi eſt contra leges, & harum violatio nunquam Deo ſupremo Legiſlatori placuit. Conuictos de ſceleribus oderat Dauid (Pſal. 118.) & hoc odium ex legis amore naſcebatur: conſidera mirabilem illā legis dilectæ & legirupionis inuiſi connexionem;

nem: *Iniquos odio habui*, inquit, *& legem tuam dilexi*; nec legem Dei ſincerè amaret, ſi iniquos & ſceleſtos diligeret. Dauidi ſimilis fuit Iuſtinianus Imperator, qui tempeſtate exorta periclitabatur in Danubio. Oderat iuſtè proditores nonnullos, quorum infidelitate Caiano Bulgarorū Regi ſubiacuerat. Horum igitur ſollicitatus culpis decreuerat violatas leges vindicare. Majaces ſatelles eius, aut paſſione ductus, aut ſanctitate adulterina, *Ecce morimur*, ait, *voue Deo pro ſalute tua te nullum ex inimicis peremptururm*. Sed Maiaci Imperator; *Iuſtos amo, iniquos perſequor, ex quibus ſi vel vni pepercero, hoc in loco demergar*. Vix dixerat, quin fluctus tranquillitate donarentur, & ipſe ſine diſcrimine tranſiret. Notarūt Paulus Diaconus libro 20. Zonar. *tom.* 3. BeyerlincK *verb. Minæ in fine*. & alij. Ergo ſi Prælatus videat domum ſuam procellis agitari, tempeſtatibus obrui, licèt ſibi ipſi minas & inſidias à ſceleratis ſtrui experiatur; ſubmergi malit, quàm ferre ſententiam illegitimam: quā declarare innocentem, reum plenè conuictum: quam ignoſcere actori, qui ne ſemiplenè quidem probauerit. Credat ſe vni Deo, & vel multis ſceleſtis iuſtè iudicet, experieturque rerum dominium tranquillitatem.

FVGITIVI ET APOSTATAE.

1751 SI rei naturam examinemus Apoſtata ſolus dicendus ille eſt qui inconſulto Prælato promiſſionem perſeuerantiæ temerè violat, egrediens ex Monaſterio cum reſolutione non redeundi ampliùs ad Religionem; qui enim habet animum redeundi ad ſuum Monaſterium, vel ſaltem ad Ordinem, non eſt Apoſtata, ſed Fugitiuus. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* 12. *artic. primo*. & Miranda *in Manual. quæſt.* 51. *artic.* 1. *concluſ.* 2. Sed ſi agamus de foro exteriori, dicendi ſunt Apoſtatæ omnes illi, qui ſtabilitatis pactum ita temerant, vt prudentum iudicio non reuerſuri credantur.

Non quicumque diſceſſus fuga eſt aut apoſtaſia, ſed illegitimus, temerarius, & qui contra Regulam. nemo enim tenetur ſtare pacto aliter quàm promiſerit, & Benedictini promiſerunt quidem perſeuerare in Monaſterio, ſed ſecundùm Regulam. Vide ea, quæ expendimus diſputatione 44. per totam, quia, qui licitè diſceſſit, fugitiuus non eſt.

1752 Afferi ſolet fugitiuos eſſe infamiæ ſuo Monaſterio: idque non minimam perdere authoritatem ob eorum defectionem. Sed imprudenter; quia in ſapientum ſententia illa Religio honoratior credenda eſt, quæ habuerit plures fugitiuos, Nemo enim ab illis diſcedit apud quos poteſt ſuo deſiderio ſatisfacere; ſimiles ſemper amant aſſimiles, diſſimiles tolerare non poſſunt. Sceleſtus eſt, qui fugitiuus; ergo ideò confratres deſerit, quia apud eos ſcelera patrare non licebat; fugit, quidem diſſimiles, egreditur vt aſſimiles inueniat. Fugitiui igitur honori ſunt Monaſterio, cuius diſciplinam, legum rigorem, & vitæ ſeueritatem fugiendo commendant.

TEX-

TEXTVS Caput 29.

Si debeant Fratres iteurm recipi, de Monaſteiro exeuntes.

1750 Frater, qui propitio vitio egreditur, aut proijcitur de Monaſterio, ſi reuerti voluerit, *b* ſpondeat priùs omnem emendationem vitij pro quo egreſſus eſt, *a* & ſic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quòd ſi denuò exierit, vſque tertiò ita recipiatur. Iam verò poſtea *c* ſciat omnem ſibi reuerſionis aditum denegari.

a *Fugitiui, & apoſtatæ vltrò ad Ordinem redeuntes debent non ſolùm recipi, ſed benignè tractari. Probatur ex varijs canonibus, quos conſultò omitto, quia tam clarum hoc eſt, vt nulla indigeat probatione.*

b *Spondeat, ſed hæc noua promiſſio ſi circa ſubſtantialia ſit, non addit nouam obligationem: quoniam hæc iam ſolenniter promiſſa ſunt.*

1751 *Petrus verb. gr. homicidij reus, vel fugit ne lueret, vel dimittitur à Religione. Poſt dies aliquot ad ſe, & ad clauſtrum reuertitur, ab Abbate recipitur ſeuerè amico, rigidè humano, & vrbanè inciuili. Petitur, an fugitiuus redux debeat ſpondere, & promittere coram Deo ſe homicidium iterum patraturum non eſſe.*

Reſpondeo primò, verbum illud ſpondere poſſe ſumi pro eo quod eſt proponere, ſeu dicere, imò hæc acceptio primaria & rigoroſior eſt; vnde apud veteres ille ſpendere dicebatur, qui ſpontè diceret, reſpondere, qui ſpontè referret. Hinc textus lux. Siquis, inquit Legislator ſanctiſſimus, fugerit aut dimiſſus fuerit, ne admittatur quouſque ſpontè aſſerat ſe illud vitium, propter quod eſt egreſſus, emendaturum eſſe.

Secundò, ſi placeat recentior verbi acceptio: eſto, ſpondere ſit promittere; polliceatur ergo conuerſionem in materia illius criminis non Deo, nec Abbati coram Deo, ſed ſpondeat ſimpliciter, nempe homini, aut Antiſtiti, aut Communitati. Non enim in expoſitione Regulæ addenda ſunt grauamina, quæ Legislator fugit.

Hæc lex iuſtiſſima, & ſcrupulis nullis obnoxia. Qui ter fugerit, non ſolùm apud Benedictinos poteſt non recipi, ſed debet, niſi fortè conuerſionis indicia ſint talia, vt benigniorem reſolutionem mereantur. Hæc non eſſe contemnenda ſtatuerunt Ciſtertienſes in Diffinition. General. diſt. 11. cap. 3. vbi legitur. Qui plus quàm ter apoſtatauerint & pœnitentes redire voluerint, & ſatisfacere pro delicto, omnino recipiantur, vel in domibus proprijs, vel in locis aliquibus earum, ſi aliud canonicè non obſtat, tantùm ad victum non ad habitum regularem. Quæ ſunt valde notanda. Prælati Benedictini iure paternæ obligationis tenentur ſuos fugitiuos quærere, & reducere: tertiò fugitiuos quærere non tenentur, quoniam ex vi Regulæ illos non tenentur recipere.

1752 *Miranda in Manual. Prælat. Regul. quæſt. 51. articul. 2. concluſ. prima ſic ait. Religioſi cuiuſcunque Ordinis & Religionis extiterint, excepta Carthuſia, admittentes ſiue recipientes Fratres alterius Ordinis præter ordinem iuris, prætextu cuiuſlibet priuilegij, quod in id ſe habere dicant, niſi de nouo ſit nunc conceſſum, mortaliter peccat,*

& ſunt ipſo facto excommunicati, & concluſione ſecunda ait, Sæculares recipientes in ſuis domibus Fratres apoſtatus, & fugitiuos occultantes, & tenentes ipſos, fauoremque impendentes vt in tali ſtatu permaneant, mortaliter peccant, & ſunt etiam ipſofacto excommunicati.

De fugitiuis, transfugis, & alijs ſimilibus hominibus hæc habentur in Cõgregationis Germanicæ Definitionibus. Perſonæ de Ordinibus mendicantium & in Ordinem noſtrum tranſire volentes non recipiantur, niſi ex gratia, & conceſſione Summi Pontificis, ſic autem recepti ad officia & dignitates non promoueantur, niſi hos expreſsè mandetur, ſintque ipſi optimi meriti. Conſtitutione Apoſtolica prohibitum eſt, ne aliquis Ordinis noſtri Profeſſor, etiam prætextu litterarum Sedis Apoſtolicæ, ſeu Legatorum eius, aut aliàs quouis quæſito colore, ad aliquem alium Ordinem, Reuerẽdorum Fratrum Carthuſianorum Ordine dumtaxat excepto, ſine ſpeciali Generalis Capituli; vel Abbatis Ciſtertij pro tempore exiſtentis licentia & conſenſu, & niſi ex legitima cauſa, coram ipſo Abbate, vel generali procuratore ipſius ordinis in Romana curia exiſtente ſufficienter probata, & iuſta reperta, tranſire quoquo modo præſumat. Trãſgreſſores huius prohibitionis declarantur inhabiles ad quęcumque officia & beneficia, tam ipſius Ordinis, quàm aliorum, ad quos ſe tranſtulerint, & Prælati, & Conuentus eorum Monaſteriorum & Ordinum, in quibus illi recepti fuerint, obligari an ſatisfactionem damnorum, quæ noſter ordo ex illorum tranſitu incurrit, erunt. Qui verò ad R R. PP. Carthuſianos trãſierit, ſi poſteà redeat, abſque noſtra permiſſione vel Capituli Prouincialis Monaſterij in quod redierit, vel in quo recipi poſtulauerit, non admittatur.

Contra fugitiuos ſunt Pontificum varia diplomata. Reperitur vnum conceſſum à Iulio II. ad Ciſtertienſium Hiſpanorum petitionem Anno 1506. Confirmatur à Leone X. Exſtat extractum authenticatum Anno 1588. quod publicauit Henriquez pag. 353. Abbatis monaſterij noſtri Dunenſis ſiti in Flandria, Religioſis indicitur authoritate Apoſtolica ne poſt profeſſionem ſine licentia clauſtro exeant. Conſtat ex priuilegij Innocentij II. & Alexandri IV. quæ hodie in eodem cœnobio conſeruantur. Nemo eiuſdem monaſterij fugitiuos poteſt recipere, interdicente expreſsè Alexandro III. Innocentio III. Alexandro IV. Nicolao Tertio, & alijs. Præter communia priuilegia, ſinguli Ordines ſimiles gratias impetrarunt.

DIMISSI.

1753 TAles audiunt, qui ab Ordine ſunt exorporati, vel inuiti propter crimina, vel voluntarij propter rationes aliquas inconuenientibus grauibus carentes. Non expedit Antiſtites eſſe duros in Dimiſſoriis concedendis, maximè ſi Religioſus neſciat in clauſtro viuere ſine aliorum ſcandalo, vel poſſit ſanctior eſſe in clericali ſtatu, aut ſaltem in alia Religione. Sæpe ſanctus Pater eos dimittendos aſſerit, qui communitati non ſunt apti: verè inepti omnes ſunt, qui vel mœrore ſummo affecti tædioſam vitam agunt, vel agitant, & deſpondentes animos condolent ſuo arbitrio, quod cœcè in ſua ſentẽtia promiſit perſeuerantiam. Qui hos vult in clauſtro detinere, lictorem potiùs quàm Abbatem agit, maximè ſi non timeantur alia inconuenientia.

TEXTVS. Ex Cap. 71.

De dimittendis Fratribus.

1754. Quod ſi quis contempſerit facere, aut corporali vindictæ ſubiaceat, aut ſi contumax fuerit, de monaſterio expellatur.

Aliud eſt non obedire, aliud nolle obedire, ſiue Superiorem contemnere, aliud eſſe contumacem, & incorrigibilem. Primum pœnalis culpa eſt ſecundum & tertium morbi ſunt, ſed vltimũ aſſeritur immedicabile. Subiaceat ergo corporali ſententiæ, qui legem contempſerit, dimittatur verò qui contempſerit cum pertinacia. Vide num. 692. c.

TEXTVS. Ex Cap. 65.

De Priore incorrigibili.

1755. Si (*Præpoſitus*) poſtea in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monaſterio expellatur. Cogitet tamen Abbas ſe de omnibus iudicijs ſuis Deo redditurum rationem, ne fortè inuidiæ aut zeli flamma vrat animam ſuam,

Notate, obſecro, qui putatis nulla ex cauſa Monachos dimittendos eſſe. An inter fratres Priore quis maior, ordine eminentior, authoritate illuſtrior, iſte etiam dimitti non ſolùm poteſt, ſed aliquando debet. Cur, primò, ſi inquietus, ſecundò, ſi inobediens. O quam benè Benedictus percallebat cõmunitatis ſtatũ! inobediens nociuus & malus ſibi vni eſt, inquietus multos malos, & nociuos facit. Igitur ſi inquietus Prior proſcribi debet Regulæ authoritate, cur tot inquieti Priore multò minores in Monaſterijs permittuntur. Sanè qui ſimili peſte correptos tolerant, non ſunt Prælati tolerandi. Inquietos dimittere rigor non eſt: ipſis ſit fauor ſimul & monaſterio.

TEXTVS. Caput 28.

De his, qui ſæpiùs correpti, non emendauerint.

1756. Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, ſi excommunicatus non emendauerit, *a* acrior ei accedat correctio,

id

id eſt, vt verberum *b* vindicta in eum procedat. Quod ſi nec ita correxerit, aut fortè (quod abſit) in ſuperbiam elatus, etiam defendere voluerit opera ſua, tunc Abbas faciat quod ſapiens medicus, ſi exhibuit fomenta, ſi vnguenta adhortationum, ſi medicamina ſcripturarum diuinarum, *c* ſi vltimum vſtionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & iam ſi viderit nihil ſuam præualere induſtriam, adhibeat etiam, quod maius eſt, ſuam, & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia poteſt, operetur ſalutem circa infirmum fratrem. Quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas ferro abſciſſionis, vt ait Apoſtolus: *Auferte malum ex vobis*. & iterum. *Infidelis, ſi diſcedit diſcedat*: ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet.

Olim non ſolùm incorrigibiles ſed etiã crimnoſi dimittebantur. Colligo tum aliunde tum etiam ex Definitionum Generalium diſtinct. 7. cap. 7. vbi legitur: *Nulla etiam perſona Ordinis noſtri pro furto de cætero emittatur, ſed vt dictum eſt ſuperiùs puniatur. Ergo ante harum Definitionum promulgationem non ſolùm pro furtis, ſed etiam pro furto à Religioſis amittebantur: ergo à fortiori pro lapſu carnis, & formali inobedientia, quoniam his duobus criminibus maior ſemper imponitur pœna quàm furto. Imò & einſdem diſtinctionis cap. 7. ſtatuitur ne in poſterum dimittantur de peccato carnis conuicti. Video tamen antiquæ Definitionis ſeueritatem reuocatam eſſe à Germanica anno 1595. quorum lex eſt.*

Si quis tam ipſorum conuerſorum, quàm ipſarum peccato carnis, furto, aut alio enormi crimine ſemel, conuincitur, vel ſecreta Monaſterij, & Ordinis reuelauerit, ex eoque damnum notabile vel infamia accidat, vno menſe carceribus mancipetur, & omnibus ferijs ſecunda quarta & ſexta diſciplina regulari puniatur, & ſi ſecundò in eadem vel paria crimina fuerit relapſus, eandem pœnam duplicatam ſuſtineat: ſi tertiò reciderct, veſtibus regularibus exuatur, & ex monaſterio & ordine eliminetur ſine ſpe reditus, quod tamen non fiat, niſi priùs Vicario conſulto & conſentiente, qui pro hac etiam tertia vice eliminationem relaxare, & in aliam pœnam commutare pro delicti qualitate & perſonarum conditione poterit. Abbates ſub pœna ſuſpenſionis annuæ ea omnia exequi contra huiuſmodi impudicos & incontinentes teneantur. Si quis in idem Sacrilegium relapſus fuerit, ad triremes quinquennales abſque omni dilatione mittatur, vel in carcerem per quinquennium, & cum eadem qua priùs pœna. Si vſque tertiò recidiuus fuerit, perpetuò carcere retentus in continua pœnitentia permaneat. Frater, qui fuerit de ipſa incontinentia ſuſpectus, & qui cum mulieribus ſuſpectis, & diffamatis colloquium aut commercium aliquod habuerit, ne peius contingat, ſtatim quàm talis ſuſpicio orta, & probata fuerit, in aliud procul monaſterium transferatur.

a *Acrior correctio dicitur eſſe verberum pœna, excommunicatione monaſtica, acrior non maior, quoniam licèt neutra animam tangat, verbera tantùm corpus affligunt, excommunicationum animum rationalem.*

b *Vin-*

b *Vindicta ſæpe pro pœna ponitur à D. Patre.*

c *Si vltimum, Hiſpanè ſi alo vltimo, ſi al fin.*

DISPVTATIO CXXXVIII.

De Dimiſſorijs, quæ incorrigibilibus concedi ſolent.

1717 CONuerſatio peccaminoſa, & diſſoluta morbus eſt contagioſus, qui multos inficit. Pſaltes Rex: *Cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris*. Ideo opus eſt aut malos fugere, aut fugare.

ARTICVLVS I.

An viro probo liceat homines ſceleratos fugere?

Libentiùs audietis Gentium Apoſtolum, quàm me. Ipſe igitur ſecunda ad Corinthios Epiſtola ſic inquit. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ eſt participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem conſenſus templo Dei cum Idolis? vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus* (Leuit. cap. 26. v. 12.) *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeris, & ego recipiam vos* (Ierem. 31. a. 5.) *& ero vobis in Patrem & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens*. Hæc verba illuſtrant ius naturale, & demonſtrant quemlibet poſſe (imò & debere aliquando) viros ſceleſtos fugere, quos non poteſt fugare.

ARTICVLVS II.

An viro probo ſceleratos homines fugare liceat? An Abbati incorrigibiles dimittere?

1718 Eruditiſſimus, & pientiſſimus D. Iacobus Merlonus Horſtius, iam cœli incola, in Adnotationibus in S. Bernardi Epiſtolas hanc quæſtionem examinat, & quia me citat, videor illi debere, vt dubitandi cauſas poſitas illo proponam.

Circa Regulam Benedictinam, & verba Bernardi, inquit, poſſet moueri Quæſtio, An Monaſteria habeant ius abijciendi Religioſum incorrigibilem. Negat Cardin. in Clement. Ne in agro. §. Quia verò; de ſtatu Monach. Probat ex cap. Impudicas Moniales ergaſtulis detrudendas eſſe. Et ex c. Nec Religioſi, de Regular. vbi præcipitur fugitiuos, vel eiectos inobedientes Monachos requirendos, vt pœnitentiam agant, Item Abbates & Priores per Cenſuram, (ſi opus fuerit) Eccleſiaſticam ad illorum receptionem compelli poſſe. Addo, periculo corruptionis aliorum (quod inſinuat Regula) ſatis caueri incarceratione perpetua. Accedit, quod ſi tales, intra Monaſterij limites concluſi adeò depravatis ſint moribus, & tam ſcandaloſi, quid fiet, vbi demiſſi vel eiecti extra Monaſterium, ſine omni iugo, penituſque dati in reprobum ſenſum, in omne genus nequitiæ, veluti laxatis habenis, ferentur, quæ peccandi licentia potiùs vi-

contermina ſint Prælati circumſpecti; ne concedantur Dimiſsoriæ ſi timeatur maior Apoſtaſia; ſed hæc non illico timenda venit, quoniam qui vellet fidem deſerere, non indigeret Dimiſsorijs, cùm per fugam clandeſtinum poſſit intento ſatisfacere.

1762 Dimiſsos famulus nullus prudens perſequitur, imò fauent nobiles dum occurrit occaſio. Quos ab Ordine proſcribimus, non proſcribimus à charitate, & amicitia. Abbas quia diligit, ſubditum corripit; ergo & diligar, cùm Dimiſsorias ei concedit. Amicos impendat vt promoueat; ad beneficia, quorum præſentatio ad Monaſterium pertinet, primus denominetur; tractetur ciuiliter, vt ſaltem agat ſanctum clericum, qui egerat malum religioſum.

Modum procedendi contra fugitiuos bene expendunt Definitiones Congregationis Germanicæ, latæ in Bauaria Præſide Edmundo á Cruce anno 1595. è quibus deſumpſi clauſulas ſubſequentes. *Qui fugerint, & in Apoſtaſia fuerint capti, prima vice incarcerentur per octo dies, per quorum tres diuerſos in Capitulo regulari diſciplina vapulent, ac in pane, & aqua ieiunent. Secunda vice par ſex menſes eandem pœnam ſuſtineant: denique tertia vice prædictam pœnam per annum ſuſtineant, & poſtea vltimi in fratrum Ordine remaneant actiua paſſiuaque voce perpetuò priuati. Quod ipſi poſt breue tempus ſponte ſua redierint, poterunt hæ pœnæ ſecundum proprij Abbatis diſcretionem mitigari. Ad cohibendam leuitatem, inconſtantiam, imò & duritiam eorum qui ſæpiùs fugerint, nec vllis correctionibus emendantur, vltimo remedio in eos vtendum eſſe ferro abſciſſionis ordinat D. Benedictus ex Apoſtolo dicente. Auferte malum ex vobis, & infidelis ſi diſcedit, diſcedat, ne ouis morbida omnem gregem contaminet. Quod ſi, n[illegible]uit, ſemel & denuò frater exurit, vſque tertiò recipiatur, & iam poſteà ſciat ſibi omnem reuerſionẽ denegari. Quare qui è monaſterio fugerit, poſt tertiam vicem non eſt recipiendus, niſi fortè ex iuſta conſideratione ad miſericordiam motus Abbas, redeuntem filium, & pœnitentem pro quarta vice recipere voluerit. Sed ſi tanta gratia ipſe dignus non fuerit, ei ablato habitu regulari noſtri Ordinis, clericali veſte induatur, & a monaſterio in quo fuerat profeſſus, & ab vniuerſo ordine eliminetur, & expellatur, nunquam poſteà recipiendus.*

Conſonat ſibi prædicta Germanorum Congregatio in multis Comitijs, & legibus, dabo ſtatutum latum Cæſareæ anno 1626. in quo lego. *Incorrigibiles etiam, qui nempe per frequentem punitionem ad idem vel ſimile, aut etiam priora redeunt, quique aut pœnas acceptare recuſant inflictas, aut ſalua Ordinis diſciplina ſeu abſque graui ſcandalo corrigi, vel detineri non poſſunt, ſecundum Regulam habitu priuati ab Ordine expellantur. Quod tamen ab eorum proprijs Abbatibus ſolis non fiat, ſed cum conſilio Vicarij Generalis, & aliorum duorum de Congregatione noſtra. Taliter autem electi ſtatim R. Epiſcopis Diœceſanis denuncientur, vt deinceps ſub illorum poteſtate ac correctione viuant.*

Grauiſſimis tamen ſeſe implicant difficultatibus DD. Caſſinenſes, dum in ſe ipſos crudeles, & ergo nebulones & perditiſſimos homines nimiùm mites ſic pronunciant. *Iſte modus abſciſſionis videtur* (ſed cur? an in re tam graui ſufficit vnum videtur?) *reuocatus per Capitulum Finale. de regul. & tranſ. vbi expreſsè habetur fugitiuos requirendos eſſe, & in carcerem retrudendos, ſi opus eſt. Cui & ſuffragatur Tridentina Synodus, quæ præcipit eos etiam requiri debere, & tanquam Apoſtatas puniri, qui aliquam iuſtam cauſam ſuæ fugæ prætendentes, ſine eiuſdem*

tamen

tamen allegatione , & approbatione, ſponte diſcedunt, quod nos quoque ſeruari volumus diſtricte præcipientes omnibus Monaſteriorum noſtrorũ Prælatis, vt in ſingulis Monaſterijs habeant loca cuſtodiæ ſana, & ſolida, vbi huiuſmodi fugitiui, rebelles, & incorrigibiles retrudantur . Commiſſi verò noſtri incorrigibiles , & contumaces , eo modo quo recipiuntur , expelli poſſunt , ſublata eis omni ſpe receptionis. Et ſi quis eorum poſt promiſſam ſtabilitatem vitioſus , aut ſcandaloſus repertus fuerit , ſeruetur circa eum forma Regulæ , ſecundum meritum, vſque ad expulſionem incluſiuè . Ad quam tamen nolumus quemquam Prælatorum procedere , niſi ſeruatis quæ infra in ſuſceptione eorum ſtatuimus , ſcilicet cum conſenſu omnium Seniorum aut duarum partium Conuentus , ſi illi non conuenerint . Nulla ratione permittantur fratres cum ſit expulſis , licentiatis , aut fugitiuis commercium habere , aut conuerſationem vllo modo .

CONCLVSIO.

1763 IAm tandem longo Oceano emenſo, & vaſtis tenebris deuictis , ad finem vſque peruenimus harum Acroaſium. Breuiter ad portum appulimus teſtimonijs ſacris manuducti , teſtimonijs inquam , quæ præſcribunt moribus iter breuiſſimum : quoniam ſi benè examines , *quæ pagina , aut quis ſermo Diuinæ authoritatis veteris ac noui Teſtamenti non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ?* Sed via recta , quæ breuior . Precamus ergo ſtudio , & calamo , & audiamus Caſſinenſis Academiæ Ariſtotelem, Curſui Theophilo impotentem ſaluberrimam metam , & orthodoxis diſcipulis valedicentem .

TEXTVS Caput 73.

Humillima noſtri Legiſlatoris PERORATIO.

1764. Regulam hanc deſcripſimus, vt eam obſeruantes in Monaſterijs, aliquatenus vel honeſtatem morum, aut initium conuerſationis nos demonſtremus habere: Cæterùm, ad perfectionem conuerſationis qui feſtinat, ſunt doctrinæ ſanctorum Patrum, quarum obſeruatio perducit hominem ad celſitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis ſermo diuinæ authoritatis veteris ac noui Teſtamenti non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ? aut quis liber ſanctorum Catholicorum Patrum

hoc

hoc non reſonat, vt recto curſu perueniamus ad creatorem noſtrum? nec non & collationes, & inſtituta, & vita eorum, & regula ſancti Patris noſtri Baſilij, quid aliud ſunt niſi bene viuentium, & obedientium Monachorum exempla, & inſtrumenta virtutum? nobis autem deſidioſis, & malè viuentibus, atque negligentibus rubor confuſionis eſt.

Quiſquis ergo ad Patriam cæleſtem feſtinas, hanc minimam inchoationis regulam deſcriptam, adiuuante Chriſto, perfice: & tunc demum ad maiora, quæ ſuprà commemorauimus, doctrinæ, virtutumque culmina, Deo protegente, peruenies.

Sanctiſſimi Patriarchæ Baſilij regulam hac Poſtloquutione S. Benedictus commendat, & quæ nam ſit Baſiliana Regula aut Religio tu inquiris. Reſpõdebo, & Ludouico de Miranda qui in Manuali Prælatorum quæſt. 4. artic. 1. ſic inquit: *Fuit hæc religio eo tempore celeberrima, & Vt refert Fr. Hieronymus Roman. Lib. 6. de Republica Chriſtiana capit. 5. huius inſtituti fuere olim ſanctiſſimus Effren, Chryſoſtomus, Greg. Nazianzenus, Eſychius, Pachomius, Ioannes Damaſcenus, Caſſianus, Eraclides, & etiam D. Hieronymus, & alij quamplures. De ipſius Regula, iam etiam ſuprà diximus, quod fuit prima ſcriptis tradita, approbata, & confirmata ab illius ſæculi Epiſcopis, eo modo quo nunc temporis in conſuetudine poſitum erat, Religionum Regulas approbari, & confirmari. De quo quidem quamus nihil reperiatur expreſſum, ſat eſt, vt id dicere poſſimus, quod in Concilio generali VII. quod eſt ſecundum Niçænum; Regulæ eiuſdem fit mentio, tanquam de Regula iam per Eccleſiam approbata, & confirmata, D. etiam Benedictus in ſua Regula,* (nempe in præſenti Capite, vel Poſtloquutione) *de Regula prædicta B. Baſilij mentionem facit, eandemque in quampluribus rebus imitatur, atque præcipit obſeruari. Et hæc breuiter de Religione D. Baſilij dixiſſe ſufficiat; nam non eſt in Votis, in Religione quicquam dicere amplius in particulari, Ad alia enim progrediamur oportet.* Vide ſuperius numero 338.

Inquiris iterum, An ex huius capitis decreto liceat Religioſo priuato, quaſcumque obſeruantias aliarum Regularum admittere & obſeruare. Reſpondeo Abbates Ciſt. Germania congregatos in Bauaria anno 1595. hoc caput dilucidaſse & expoſuiſe his verbis. *Præter illa tria ſolennia vota, Religioſus non debet alia facere, peregrinandi, orandi, ieiunandi, & ſimilia, quæ ſine Superiorum conſenſu, & permiſſione complere non poteſt, ex quorum imprudenter factorum occaſione, multa ſæpè contingunt, quæ fratrum congregationem perturbant. cingula, veſtimenta & alia inſignia, & confraternitates eiuſmodi in his, quæ Ordinis noſtri vniformitati, & profeſſioni noſtræ con-*

-traria ſunt, abrogamus, & prohibemus.

Laudamus verò, & approbamus alia omnia pietatis opera, quæ in eis fiunt, vt celebrare miſſas de Sanctis, orare peculiariùs pro viuis, & pro defunctis, aliaque religioſa exercere officia; geſtare cruces, roſaria & ſimilia, non autem indumenta aliqua; & illud etiam modò ſit ex deuotione & non ex obligatione, cui nullus religioſus ſe aſtringere poteſt ſine permiſſione ſui Superioris, quam, vt vitentur abuſus, & ſingularitates, non facilè, nec niſi pro maiori bono concedere debet.

Finis Partis Prioris.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

Pars Secunda.

COMMENTARIVS IN DIVI BENEDICTI OPVSCVLA.

PRæter Regulam nonnulla etiam circumferuntur nomine D. Benedicti, quæ tametſi in contrarias ſententias diuidantur Authores, non videntur S. Patri neganda. Primum eſt; Monaſticus Ordo viuendi; ſecundum, Epiſtola ad S. Remigium; Tertium, In morte S. Placidi Sermo; Quartum, Sermo in diſceſſu S. Mauri; Quintum, ad S. Maurum miſſa Epiſtola. Omnia breuia, ſed plena magno ſpiritu.

1765. *Sanè viuendi monaſticè Ordinem ſcriptum à S. Benedicto affirmant Antonius Poſſeuinus Apparatus ſacri tom. 1. Arnoldus de VVion in ligno vitæ lib. 1. cap. 1. quibus probabitur ſubſcribit noſter Balduinus Moreau in fine Regulæ Benedictinæ. In plurimis & valde antiquis exemplaribus Regulæ reperitur ſub nomine S. Benedicti, quem Petrus Venerabilis apud maius Turonenſe monaſterium reperiens, ſibi tranſmitti curauit, tanquam genuinum opus eiuſdem S. Benedicti.*

1766. *Epiſtolam ad S. Remigium D. Benedicto adtribuunt ex antiquis Fortunatus Presbyter, Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus, & antiquiſſimus vitæ S. Remigij ſcriptor, qui floruit ab annis octingentis, aut ferè. Et ex iunioribus Author appendicis Chronici Caſſinenſis, Arnoldus de VVion, lign. vitæ, lib. 1. Reperitur in nouo Benedictino Breuiario, & in fine Regulæ impreſſæ vnà cum Cardinalis de Tur-*

re-cremata Commentario ann.1517.& ſub finem Regulæ editæ à Balduino Moreau ann.1620. A quibus diſſentiunt Baronius ad annum 507. & Poſſeuinus in Apparatus ſacri. tom.1. verb. Benedictus.

1767. *Sermonem de S. Placido martyre adſcribunt S. Patri Poſſeuinus, Arnoldus de VVion, Appendix Chronici Caſſinenſis, & Balduinus Moreau iam citati, quibus adſonat Surius ad diem V. Octobr. editione ſecunda.*

Sermonem conſolatorium illum, quem in B. Mauri & Sociorum diſceſſu, & exhortatorias litteras, quibus eorumdem gratam Deo deuotionem promouit Beatus Pater, nemo eſt, quem legerim, qui alterius ſcriptoris opus eſſe contendat, adeoque non debebo in re clara diutiùs immorari. Dabo igitur litteram ipſam ex Manuſcriptorum aliquot collatione correctam, ipſamque Commentarijs, vbi obſcura videatur, illuſtrabo.

REVER.do ADMODVM D.D.

LAVRENTIO DE CVETO,

OLIM SPINENSIVM ABBATI MERITISSIMO, IAM, vt ſpero, apud cœlites Beatæ Mariæ de Vela ſuæ ſororis conſorti, laudem & reuerentiam.

Ad Empyreum.

PATERE Benedictinæ Regulæ Obſeruator eximie; vt referam virtutes Tuas, quoniam in cœlo Tu (ſic opto), cares elutionis apericlo, & ego Tecum agens adulationis ſuſpicione. Sumo calamum vt mihi repræſentem quæ vidi, quæ imitari deberem. omnia illa quæ bene me docebas dum viueres; & ego male didici; vel quod miſerabilius, non didici. Mentem voluntas ſequitur, cognita bonitate abripitur, cognita ſuccenditur: & ego illam cognoſcens & cogitans, nec abripior, nec ardeo. Silex non ſemper fomitem incendit ictu primo: ſi lapis ſim, appetitui vim inferam; virtutes tuas & negligentias meas aſſidua meditatione componendo frangam voluntatis duritiem, vt ignem charitatis concipiam, incipiamque vel nunc ſaltem Monachus eſſe cum Ecmonachos, & obſeruare Regulam, cum in Epiſcopum aſſumptus, aut minus teneor, aut difficilius poſſum. Proponam Te viæ Regularis ducem, & ſi non adſequar, quod eſſet miſerum, lectaris prodero, qui cum meliores ſint, ſuccendi poterunt, vbi aut algeo, aut ſi diligentior, tepeſco.

1768. Non ero nimius in triade eſſentialium virtutum explicanda. nam funiculus iſte triplex eſt, & difficilè rumpitur; nec datur relaxata Communitas, in qua earumdem ſit relaxata obſeruatio. Eò nullus religioſus deuenit; qui enim in eſſentialibus deficit, non debet religioſus vocari. At in eſſentialibus ipſis virtutib. dotes reperio accidentales, quas ſi à Te ebibam, priores munire potero, & animi tranquillitate defenſare. Rara virtus in diuitiarum adminiſtratione rigoroſa paupertas; rara virtus in fœminarum conſortio pura caſtitas; rara virtus ſubmiſſa in imperio obedientia; & vt verbo omnia dicam, rara eſt omninò virtus, humilitas honorata. Notaſti ſcopulos, & fugiſti pericula; & in quibus fortè, ſi pugnares, ſubcumberes; fugiendo, victoriam cantaſti. Recuſaſti dignitates oblatas, indictas admiſiſti; non enim illæ cum obedientiæ diſpendio fugi debent. Gubernaſti obediendo; & Bernardo Tuo ſimilis, res extrinſecas Cellerario relinquens; animas ſolas tibi legiſti gubernandas, per

Orationis, Ieiunij & Pœnitentiæ viam vniuerſas conducens.

1769. Intentus Orationi, tota die, tota nocte, vnum Deum cogitabas; & quia alia etiam loqui aut tractare debebas, omnia faciebas coram Deo. Correcturo Tibi filiorum negligentias dulcem rigorem inſtillabat aſſidua legis Dei meditatio; corripiebas tam dulcis, vt à Te malemus reprehendi, quàm ab alijs laudari. Sunt qui oculos infectos habeant, & debiles artus puellorum radio viſibili penetrent, & inficiant: ſunt qui morbo laborent contagioſo, & venenum exhalent, nec tamen, ſi omnipotentiam Dei contemplor, morbus ſanitate vegetior, ſcandalum potentius ſanctitate. Aqua frigida in nuptijs Galilæis præſentiam Dei-Hominis ſuſtinere inconuerſa non potuit; nec Petrus tametſi aqua poſt infidelitatem frigidior, potuit ſufferre Chriſti oculos, ſed qui inuiſus quoniam nondum poſt culpam fuerat viſus, ſimul fuit adſpectus & protectus. Chriſtus Petrum aduenit, vidit, vicit. & ita illum vincendo roborauit, vt non lingua ſolum ſed & vmbra ſalutem ægris redderet inexpectatam. Aſſimilis fuiſti, Vir Dei, Viro-Deo. Nemo ita immodeſtus erat, qui non componeretur Te viſo; nemo qui Te audito non fieret melior, & Te nactus amicum obſeruantior. Nemo ita cæcus, qui diſcipulos Tuos à reliquis ſanctis non diſtingueret; & Spiritum Tuum relucentem in ſingulorum moribus non obſeruaret.

1770. Maceratus ieiunijs offa arida circumferebas; nec carnes guſtabas appoſitas, nec apponebantur piſces, quos guſtares. A veſtitionis die, tota vita, aut ferè, pane & aqua contentus; moleſtus nulli, hora communi menſam communem frequentaſti; comeſturus, ſi dari contingeret, piſces; aliàs, viſurus carnes.

1771. Nec in tanta corporis debilitate negatæ diuinitus vires, quibus carnem impotentem opprimeres quinquies-millena vibratione flagelli. (Hæreo cùm iſta dico, ſed debent ſciri quæ ſunt vera.) Quatuor horæ diuerſæ quotidie dedicatæ huic labori; & ſi aliqua ab occupatione intercepta, in diem ſubſequentem tranſlata. Tametſi induſia talia, quæ loco cilicij haberi poſſent, zonis illa aculeatis & ſpinatis ſubarmabas; & vt notam ſingularitatis effugeres, tot exemplo mouiſti; vt auſteritas illa vniuerſalis videretur.

1772. Munificum ſe ſanctus Laurentius oſtendit deuotioni Tuæ; conſortem gloriæ habiturus in cœlis, non meri nominis in terra, ſed & paſſionis ſuæ Te participem habere voluit; & obtinuit. Æſtuabas ſine febri nonnunquam, & laborabas morbo, Illi Tibique noto, ignoto optimis Medicis: & tandem illo extinctus. Quæ quoniam mihi recenſere eſt ſolamini, & pluribus ædificationi erit legere, ſelicem, mortem tuam exponam, vt qui in reliquis Te imitari deſidero, Te poſſim in illa admirari.

1773. Miſſus es Cardenoſam (oppidum apud Abylam, Maiorum tuorum fumoſis ſtemmatibus nobilitatum) vt annuos reditus, quos Monaſterium inuexiſti, ſedatis controuerſijs ſubortis pacificè recuperares. Ibi, vt patrio ſolo benigniùs faueret S. Martyr, Tibi paſſionem ſuam communicauit liberaliùs. Ardes, æſtuas, igne-

igneſcis; nec febris indicium, nec pulſus obſeruata alteratio. Igni diuinitùs conceſſo medullitùs paulatim conſumeris, Tuum Tutelarem Martyrem inuocas, Cuſtodem Angelum, Matrem-Virginem, Hominem-Deū. Commendas Te Benedicto & Bernardo; generali confeſſione præmiſſa viaticum recipis, & te itineri glorioſo præparas. Extremam vnctionem recipis, nec tunc delecta morbi cauſa. Tandem vltimo Vale dicto, audito, inter Tuorum pias manus & lachrymas ad ſydera (non ambigo) translatus es. Manſit inanime cadauer, dicturum de Te plura, quàm excellentiſſimi Concionatores; Oculorum iudicio, toſtum totum. Sed & craticulæ tres lineæ in tibia, femore, & ergo expreſsæ ſuſpicionem firmabant. quam ſuffragio ſuo vocati Medici probabiliorem reddidere, affirmantes incendium illud morbi non potuiſſe euenire violentia, adeoque neceſſariò adſcribendum miraculo. Iacuit diebus aliquot, vt deuotioni communi ſatisfieret, tua mortalis portio immunis à mortalitate, & tandem magnificè ſepulta eſt. At immortalis portio (ſic ſpero) ad Empyreum tranſuecta ipſorum nunc fruitur conſortio, quos fuit in tellure imitata. Illam iam ad Chriſti pedes deuolutam imaginor, gratias ſummas ob lythri pretium rependentem. Illam proſtatam ad Angelicæ Imperatricis genua, irruentem in Benedicti Bernardi, & aliorum Patriarcharum amplexus. Sanctiſſimum etiam Chriſti Teſtem Laurentium contemplor latus dexterum dantem Laurentio meo, læuum eius ſorori, vt vel ſic tandem vera ſit reuelatio, olim ſanctæ illi Virgini diuinitùs communicata. Præiuit ipſa, & præter ſcripta immortalia, quæ exarauit Superiorum imperio, corpus incorruptum, Eccleſiaſtica authoritate eleuatum, & à populo cultum Abylæ in Ciſtertienſi Virginum Aſceterio tenemus; ſequutus es, non ſine miraculoſo morbo æger, nec ſine Dei fauore particulari extinctus; frueris magnorum laborum magno præmio. Miſſas & orationis heri (ſi fortè egeres) in pietatis indicium, & hodie hæc S. Benedicti Opuſcula, in quibus Caſſinenſis Legiſlator Te depingit, cùm proponit Ideam optimi Religioſi. Mihi olim ſanctum habitum, quo honoror, induiſti; anno probationis inſtruxiſti, iuuaſti. illo elapſo Ordini incorporaſti; multò plura facturus ſi ante diem non fuiſſes ad Empyreum, vt (ſpero) translatus. Sed & ibi Te indigeo. In tremendo Dei, amici Tui, iudicio lis mea, & in ipſa de æterna laureola aut pœna, diſceptatur. & ideò Paternam Tuam Clementiam imploro, vt erga Iudicem Tuam, & Tuorum, quos recenſui, authoritatem interponas, & cœlum impetres.

Filio, Diſcipulo, Clienti, ſemper Tuo

IOANNI CARAMVEL LOBKOVVITZ, Miſenſi Epiſcopo,

Eminentiſſimi Principis Moguntini Vicario.

INDEX,

I N D E X.

1774. ORDO QVALITER Fratribus in monaſterio religioſè ac ſtudioſè conuerſari oportet, editus à S.P.N. Benedicto. *numero* 1780.

PROLOGVS. *De veſtium antiquarum colore.* 1781.

CAPVT I. *Ponitur renouatio votorum quotidiana, & exercitium matutinum.* 1782. *Nonnihil de exercitijs annuis.* 1783.

CAPVT II. *Quòd nemo ita tuſſiat aut expuat, vt alteri moleſtus ſit.* 1784.

CAPVT III. *De oratione, & attentione requiſita.* 1785. *An obliuio peccatorum iuſtificet? exponitur illud Pauli.* Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc iuſtificatus non ſum. 1786.

CAPVT IV. *Qui debeant cantari horæ canonicæ?* 1787.

CAPVT V. *De tempore, quod Laudibus & Primis intereſt.* 1788.

CAPVT VI. *De Pretioſa.* 1789.

CAPVT VII. *De labore manuū.* 1789 *b.*

CAPVT VIII. *Seruatum iri ſilentium in Eccleſia.* 1790. *Verſus ille,* Te decet hymnus Deus in Sion, *expoſitus.* 1790. *Aliqua de adnomine* Nonus & Frater. 1791.

CAPVT IX. *Commendatur obedientia.* 1792. *Simplex oratio Religioſi obedientis decem millibus contemnentis præponitur.* 1792.

CAPVT X. *De reſignatione voluntatis.* 1793.

CAPVT XI. *De venia ob negligentias poſtulanda.* 1794. *An gratus Deo error, quærentis occaſionem ſubeundi regularem vindictam?* 1794.

CAPVT XII. *An cui negatur licentia adloquendi confratres, poſſit permitti agere cum ſecularibus?* 1795.

CAPVT XIII. *De clauſura* 1796. *Nonnihil de Menſalibus; & obiter meus Bernardus Campmans Dunenſium Antiſtes laudatus.* 1796.

CAPVT XIV. *Inhibetur Monacho, vt quidpiam, licet bonum videatur faciat, ſine Abbatis licentia.* 1797. *An vota, quæ Benedictinus emitteret inconſulto Prælato, eſſent valida.* 1798.

CAPVT XV. *Exponitur Fraterna correctio.* 1800.

CAPVT XVI. *Qui in contentionibus prius tacet prudentior.* 1807.

CAPVT XVII. *De Confuſione, Exprobratione, Murmuratione, Detractione, Calumnia.* 1808. *An murmurare ſit mortale peccatum?* 1808. *Quid ſit detractori adſentire?* 1809. *Quid pacem ſeminare?* 1810. *An fabulæ damnentur vniuerſæ.* 1811.

CAPVT XIX. *Manuum laborem corpori & animo prodeſſe.* 1812.

CAPVT XX. *An Religioſi membra ſint Monachi?* 1813.

CAPVT XXI. *Obedientiam non exhiberi Abbati, ſed Deo.* 1814.

CAPVT XXII. *De attentione interna.* 1816.

CAPVT XXIII. *Aliqua de modo intrandi, ſedendi, & egrediendi è refectorio.* 1817.

CAPVT XXIV. *De lectione clauſtrali.* 1818.

CAPVT XXV. *De examine conſcientiæ.* 1819.

1775. EPISTOLA S. BENEDIcti ad S. Remigium Rhemenſem Epiſcopum. *num.* 1820.

An ſit ſcripta à S. Benedicto. 1821. *An dentur Sacerdotes Principum terrenorum, an omnes Sacerdotes ſint Dei?* 1822. *De orationum & meritorum communione.* 1825. *An Dæmon expulſus fuerit à S. Remigio, an potius à S. Be-*

à S. Benedicto? 1826. De miraculo nuper edito à duabus Virginibus Carmelitanis. 1827.

1776. SERMO S. BENEDICTI habitus in morte S. Placidi. *nu.* 1828.

Sanctum Placidum & eius ſocios fuiſſe martyres. 1829. *aliqua de eius Maioribus.* 1830. *Offertur Monaſterio ſeptennis; Abbas eligitur; mittitur in Siciliam; Siculæ Congregationis eſt author; martyrio coronatur; corpus eius noſtra ætate detegitur.* 1831. *Quæritur, Qui Pyratæ illi fuerint, à quibus interemptus eſt.* 1832.
Augmenta Parentum & Filiorum communia. 1833. *Placidi animus in cœlos euans à D. Benedicto viſus.* 1834. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, nullo excepto.* 1835. *An monachi Abbatis ſint famuli.* 1836.

1777. SERMO S. BENEDICTI in S. Mauri & Sociorum diſceſſu. *num.* 1837.

Qui ſcripſerit hiſtoriam S. Mauri? 1838. *An charitas incipiat à ſe ipſa?* 1839. *De varijs Sanctorum vnitatib.* 1840. *An Sancti orare pro viuentibus poſſint?* 1841.

1778. EPISTOLA S. BENEDICTI ad B. Maurum. *num.* 1842.

Quæ dona à S. Benedicto ad D. Maurum fuerint Miſſa? 1843. *Cur vocentur extrema?* 1844. *Reliquias Sanctorum colendas.* 1845. *ſed eorumdem honorem, prudentiam & iudicium requirere.* 1845. *Mors D. Mauri à D. Benedicto reuelata.* 1846. *Liberi arbitrij, reuelationis, ſcientiæ Dei, & infallibilitatis concordia.* 18[illegible]6. *Nemini auxilia ſuffi[illegible]ientia negari.* 18[illegible]7.

1779. DE REGVLA TEMPLARIORUM Equitum Ciſtercienſium compoſita à D. Bernardo. *num.* 1848.

Templarij Ordinis initium, excidium; Summus Pontifex propter ipſos, & etiam Galliæ Regem ad diuinum tribunal appellati, nec ſine miraculi probabilitate mortui. 1848. *An fuerint mali? Sanctos propter aliena peccata non puniendos.* 1849. *Inuidiam in Hiſpania auſam contra Religiones excalciatas, cauſam ad primariam Complutenſis Vniuerſitatis Profeſſorem tranſmiſſam, ab eo protectos.* 1849. *Cur Templariorum Regula fuerit addita?* 1850.
REGVLÆ titulus. 1851.
PROLOGVS exhortatorius. 1851. *Qua ſit Regula hæc authoritate lata?* 1851. *Rem te Diuo fuiſſe commiſſam Bernardo.* 1851.
PROLOGI ſecunda pars. *Nomina Patrum ſedentium in Concilio Trecenſi.* 1852. *Error Tyrij, & Ruiij correctus.* 1852.
CAPVT I. *Qualiter diuinum officium audiant?* 1852.
CAPVT II. *Quot orationes dominicas, ſi audire nequiuerint dicant.* 1852. *An detur de auditione obligatio?* 1852. *An Templarij, an etiam alij Equites teneantur ad diuini officij lectionem ſub peccato?* 1853. *An Benedictini Sacerdotes ſatisfaciãt audiẽdo.* 1853.
CAPVT III. *Quid agendum ſit pro fratribus defunctis.* 1853.
CAPVT IV. *Quod Capellani victum, & amictum tantum habeant.* 1854. *Cuiuſ-nam ſint oblationes & eleemoſynæ, quæ fiunt Eccleſiis?* 1854. 2081.
CAPVT V. *De militib. Defunctis.* 1855.

CA-

CAPVT VI. *Vt nullus frater remanens oblationem faciat.* 1855.*b. Eleemoſynæ priuati Religioſi peccaminoſæ ſunt. Deo ingratæ. Optimè orat qui bene viuit.* 1855.*b.*

CAPVT VII. *De immoderata ſtatione.* 1856. *Leges debere eſſe ſuaues. melius eſt forti minus quam poſſit, quam fragili plus quam poſſit, imponere.* 1856.

CAPVT VIII. *De refectione Conuentus.* 1856.*b. De nomine & etymo Palatij.* 1856.*b.*

CAPVT IX. *De menſæ lectione.* 1857.

CAPVT X. *De carnis refectione.* 1857.*b. An præſtet ſemper comedere piſces? An expediat ter in hebdomada comedere carnes.* 1857.*b.*

CAPVT XI. *Qualiter manducare milites debeant.* 1858. *An omnia quæ apponuntur in menſa poſſint comedi?* 1858.

CAPVT XII. *Vt alijs diebus duo aut tria leguminum fercula ſufficiant.* 1858.*b. Quid Pulmentariorum vocabulo intelligat S. Benedictus?* 1858.*b.*

CAPVT XIII. *Quo cibo feria ſexta reficere oporteat.* 1859. *An Monachi vti queant lacticiniis?* 1859.

CAPVT XIV. *Poſt refectionem ſemper gratias referant.* 1859.*b.*

CAPVT XV. *Vt decimus panis ſemper detur eleemoſynario.* 1860.

CAPVT XVI. *Vt collatio ſit in arbitrio Magiſtri.* 1860. *b. De Monachorum collatione.* 1860.*b.*

CAPVT XVII. *Vt finitis completis ſilentium teneatur.* 1860.*c.*

CAPVT XVIII. *Vt fatigati ad matutinas non ſurgant.* 1860. *d. An idem concedi debeat Monachis? De attentione interna.* 1860.*b.*

CAPVT XIX. *Vt communitas victus inter fratres ſeruetur.* 1861 *De immoderata abſtinentia.* 1861.

CAPVT XX. *De qualitate & modo veſtimenti.* 1861.*b. An debeant eſſe vnicoloria? Quid ſignificet albedo veſtium.* 1861.*b.*

CAPVT XXI. *Quod famuli veſtimenta alba, hoc eſt, pallia non habeant.* 1862. *De Pſeudotemplariorum inſolentia, forte propter horum crimina ſunt Templarij damnati.* 1862. *Conuerſos non debere vti eiſdem veſtibus quibus choriſtæ.* 1862.*b.*

CAPVT XXII. *Quòd milites remanentes tantùm alba habeant.* 1862 *c.*

CAPVT XXIII. *Vt pellib. tantùm agnorum vtantur.* 1862.*c.*

CAPVT XXIV. *Vt vetuſta armigeris diuidantur.* 1862. *c. An Epiſcopi & Abbates poſſint Eccleſiarum ſuarum bona donare cognatis?* 1863. *An ſaltem cognati, ſi pauperes debeant reliquis pauperibus præponi? an etiam famulis?* 1863. *Non eſt pauper, qui nihil habet, ſi laborare poſſit & nolit.* 1863. *Quid ſit ali ſecundum qualitatem ſuam?* 1863.*b. An religioſus teneatur egredi ad alendos cognatos?* 1863.*c. an ad alendos parentes,* 1863.*d.*

CAPVT XXV. *Vt cupiens optima deteriora habeat.* 1865.

CAPVT XXVI. *Vt quantitas & qualitas veſtimentorum ſeruetur.* 1865.

CAPVT XXVII. *Vt dator pannorum æqualitatem (proportionalem) ſeruet.* 1865.

CAPVT XXVIII. *De ſuperfluitate capillorum.* 1865.*b.*

CAPVT XXIX. *De roſtris & laqueis.* 1865.*b.*

CAPVT XXX. *De numero equorum & armigerorum.* 1865.*c.*

CAPVT XXXI. *Vt nullus armigerum gratis ſeruientem feriat.* 1865 *c. An herus famulos percutere poſſit.* 1865.*c.*

CAPVT XXXII. *Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.* 1866. *De Oratoriſtis, & Begginis. An poſſint vota ſolemnia ad tempus emitti? An illa emittant nouitij?* 1866.

CAPVT XXXIII. *Quod nullus iuxta propriam voluntatem incedat.* 1866.*b.*

CAPVT XXXIV. *Si licet ire per villam ſine iuſſu Magiſtri.* 1866. *b.*

GA-

CAPVT XXXV. *Si licet eum ambulare ſolum.* 1867. *Præſtet ne Religioſo ſolos an binos egredi?* 1922. *b.*

CAPVT XXXVI. *Vt nullus nominatim quod ei neceſſarium erit, quærat.* 1867.

CAPVT XXXVII. *De frenis & calcaribus.* 1867. *b.*

CAPVT XXXVIII. *Quod tegimen in haſtis & clypeis non ponatur.* 1867. *b.*

CAPVT XXXIX. *De licentia Magiſtri.* 1867. *b.*

CAPVT XL. *De mala & ſacco.* 1867. *b.*

CAPVT XLI. *De legatione litterarum.* 1867. *c. An qui habet ſcribendi aut recipiendi epiſtolam facultatem teneatur adhuc receptam aut ſcriptam Superiori oſtendere?* 1867. *c. An teneatur Superior ſeruare ſecretum, ſi aliquid inuenerit in epiſtola, quod indetur graue?* 1867. *c.*

CAPVT XLII. *De fabulatione propriarum culparum.* 1868. *An bona, quæ fuerint extra monaſterium obſeruata, poſſint monachi recenſere?* 1868.

CAPVT XLIII. *De quæſtu & acceptione.* 1869.

CAPVT XLIV. *De manducarijs Equorum.* 1869.

CAPVT XLV. *Vt cambiare vel quærere (quæſtum facere) nullus audeat.* 1869.

CAPVT XLVI. *Vt auem cum aue capiat, nec cum capiente incedat.* 1869. *b*

CAPVT XLVII. *Vt nullus feram (non nociuam) arcu vel balliſta percutiat.* 1869. *b.*

CAPVT XLVIII. *Vt leo (fera nociua) ſemper feriatur.* 1869. *b.*

CAPVT XLIX. *Quòd licet omnibus militibus profeſſis terras & homines habere.* 1870. *Poteſt communitas eſſe diues, vbi ſinguli pauperes.* 1870.

CAPVT LII. *Vt de male habentibus, cura peruigil habeatur.* 1871.

CAPVT LIII. *Vt infirmis neceſſaria ſemper dentur.* 1871. *Non ergo ſuperflua.*

CAPVT LIV. *Vt alter alterum ad iram non prouocet.* 1872.

CAPVT LV. *Quomodo fratres coniugati habeantur.* 1872. *b.*

CAPVT LVI. *Vt ampliùs ſorores non habeant.* 1872. *c. Ponitur caſus quidam, tacentur alij.* 1872. *c.*

CAPVT LVII. *Vt fratres templi cum excommunicatis non participent.* 1872. *d.*

CAPVT LVIII. *Qualiter milites recipiantur.* 1872. *e. An annus probationis poſſit minui.* 1872. *e.*

CAPVT LIX. *Vt omnes fratres ad ſecretum conſilium non vocentur.* 1872. *f. An voces conſultiuæ ſint.* 1872. *f.*

CAPVT LX. *Quod cum ſilentio orare debeant.* 1872. *g.*

CAPVT LXI. *Vt fidem ſeruientium accipiant.* 1872. *h.*

CAPVT LXII. *Vt pueri, quamdiu paruiſunt, non recipiantur.* 1872. *h.*

CAPVT LXIII. *Vt ſenes ſemper venerentur.* 1872. *h.*

CAPVT LXIV. *De fratribus, qui per diuerſas prouincias proficiſcuntur.* 1873. *De hoſpitio, & viatico.* 1873.

CAPVT LXV. *Vt victus æqualiter omnibus diſtribuatur.* 1874.

CAPVT LXVI. *Vt milites Templi habeant decimas.* 1874.

CAPVT LXVII. *De leuibus & grauib. culpis.* 1875.

CAPVT LXVIII. *Qua culpa frater amplius non recipiatur.* 1875. *An conſuetudo peccandi leuiter ſit mala grauiter?* 1875. *Exponitur verſus ille,* Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt, *& exponuntur optimi Abbatis qualitates.* 1876.

CAPVT LXIX. *Vt à paſchali ſolemnitate ad feſtum omnium Sanctorum vnam camiſiam lineam tantum ſumere habeant.* 1876. *b.*

CAPVT LXX. *Quot & quales panni in lecto ſunt neceſſarij.* 1876. *b.*

CAPVT LXXI. *De vitanda murmuratione & adhibenda correctione fraterna.* 1877. *Cur debeat murmurationis*

expoſitio coniūgi cum correctione fraterna? 1877. *Qui murmuratio à confuſiones exprobratione, detractione, nec non calumnia diſtinguatur?* 1808. *æmulatio definita, diuiſa.* 1878. *Liuor, Murmur.* 1878. *Cur peſtes appellentur?* 1878.

An correctio fraterna ſit præcepta? 1879. b. *An apud Templarios probabiliter omitti potuerit?* 1879. c. *an apud Benedictino, nunc poſſit?* 1879. d. *An qui dubitat vtrum frater peccauerit, aut vtrùm grauiter, teneatur eum fraternè corripere?* 1879. è. *An teneatur, ſi culpa ſit merè probabilis?* 1879. e. *An adhibendus ſit teſtis correctionis, an delicti?* 1879. f. *An qui fratrem correxit fraternè coram vno teneatur illum iterum coram duobus corrigere.* 1879 g. *An qui duos contempſerit teſtes poſſit in capitulo proclamari aut accuſari? an debeat ſecretò denuntiari?* 1879. h. *An accuſare vtilius ſit, quàm proclamare?* 1880. *An qui nullam culpam vidit, quàm poſſit aut fraternè corripere, aut ad Superiores deferre, teneatur aut poſſit inquirere, vt fraternè corripiat?* 1880. b. *Exponuntur hæ voces*, Inuenire, Reperire, Noſcere, Agnoſcere, Cognoſcere, Ignoſcere, 1880. b. *Qui debeat Abbas procedere admonitus culpam ſui Religioſi?* 1881. *Difficile eſt bene iudicare. Malderus ipſe ex inaduertentia ſemel grauiſſimum errorem commiſit.* 1881. b. *Viri docti iudicaturi viros doctos conſulunt. Concionerus propoſitus.* 1883. *Iudices, qui non ſtuduerant audentiores.* 1884. *Iudicem non excuſat ignorantia, ſi ſe ignorare ſciat.* 1885. *Viſitationes Religionum ſæpe ab imperitis grauiſſimis calumnijs laborant.* 1886. *multa in ipſis æternæ damnationis iudicia.* 1886. *multa in inferno luenda, & à Deo ſolo iudicanda.* 1884. 1885.

CAPVT LXXII. *Vt omnium mulierum fugiantur oſcula.* 1887. *An permittat Benedictina regula fœminas oſculari?* 1888. *Quid intelligat S. Benedictus nomine oſculi, cum hoſpitibus iubet oſculum pacis non negari?* 1888. b.

NOTA. *De numero Capitum Templariæ Regulæ.* 1888. c.

ERVDITISSIMO DOMINO N. AMICO SVO, de Veſtium antiquarum colore.

PROLOGVS.

1780. BEnedictinorum veterum habitum non fuiſſe nigrum in Commentario meo ſuaſi, & vt video nondum Tibi perſuaſi. Perſtas ſententiæ, & quæ oculis vides, antiqua credis. Homo à natura nullas alias veſtes habet quam crines, nudus naſcitur, nudus moritur, nec plus è mundo educit quàm induxit. Sed ſi virili ætate præditus, crines habebit regulariter nigros, nec tamen qui tales ſemper fuerunt, aut erunt. nam quos adoleſcentia affecerat colore caſtaneo, grauior ætas infecit nigro, & ſenectus venerabilior reddet candidos. Hic eſt colorum luſus, in quo à natura illudimur; non enim cani faciunt ſenes, ſed vitæ maturitas canos. cani enim ſunt ſenſus hominis, & vera ſenectus conſiſtit in vita immaculata. Et quidem Ordo Benedictinus, Homo Myſticus, ſuas ætates habuit; adeoque illis differentes colores. nam tametſi de veſtium colore ex legis præſcripto [Cap. LV.] non cauſetur; Monachus, ab habitu ſe non fieri ſupponens, qui veſtibus carere non poterat, debitis coloribus intinctas habuit.

buit. Adoleſcens caſtaneas; in ætate virili nigras; in ſenili albas. Datæ cœlitùs Ciſtertienſib. cucullæ candidæ, Myſticum illum Hominem iam iam caneſcere monſtrarunt. Cani ſunt Ciſtertienſes Benedictini Ordines, & quia ſunt multi; iam habet ille multos canos. *Cani*, nimirùm Ciſtertienſes, *ſunt ſenſus Hominis*, nempe Myſtici; id eſt, Ordinis Benedictini. ipſi enim in Regulæ expoſitione verum ſenſum obſeruant, imò & olim litteratorium rigorem. Hi candidi, alij nigri: Iſti Benedictini corporis venerandam ſenectutem inſinuant; illi oſtendunt nondum omninò canam, ſed adhuc vegetam virilemque. at vtrique caſtaneum illum iuuenilem ſupponunt, quem adhuc inter canos noſtri Maiores ante trecentos aut quadringentos annos. Probant id multi antiqui Scriptores, & inter ipſos Author Scheirnenſis Chronici, quod demum prodijt anno 1623. & in Prologo hæc habet, quę meam ſententiam firmant, diruunt tuā ſuſpicionem. *Author huius Hiſtoriæ, fuit Conradus, quem Auentinus, & alij paſſim vocant Philoſophum, Monachus, Cuſtos & Prior huius Cœnobij. Vixit vſque ad annum Domini MCCXLI. ſub Abbatibus 11. & 12. Conrado videlicet & Henrico. Homo ſedulus, innumerorum librorum ſcriptor, quorum partem recenſet Auentinus in Catalogo Abbatum ab Abbatem vndecimum. Artis pingendi gnarus. Qua arte pleroſque libros à ſe deſcriptos artificiosè, & affabrè in capite eorundem auro depinxit. Inter cæteros libros deſcripſit etiam Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ad quam depinxit ſeptem Artes liberales; & ad Aſtronomiam quidem Ptolomæum contemplantem aſtra & ſtellas per tubum opticum, quatuor ductus habentem. Cuius tubi optici probabile eſt ipſum habuiſſe vſum.* (Quid ad hæc Galilæus Italus; cui Tubi optici Inuentio omnium populorum mirabili conſenſu adtribuitur? Quid ad hæc Brandenburgicus Marius, qui illam ſibi arrogat? Curioſi Mathematici viderint. *Quin & ſeipſum* (hoc ſpecialiter diſputationem noſtram tangit) *in prædicto libro in habitu pruni ſeu Caſtaneæ coloris adumbrauit genuflexum ante imaginem magnæ & admirabilis Virginis cum iſta ſuppoſita inſcriptione,* [*F. Conradus peccator, Auctor, & Scriptor huius Operis.*] *& adiuncto hoc Rhithmo,*

Virgo Dei Crypta mea noli temnere Scripta.
Vilia correxi, tu comple ſiqua neglexi.

Ex quo tum etiam ex eo quod omnia ſua Scripta ad honorem B. Virginis inchoaſſe & perfeciſſe vbique adnotarit, conſtat eum ſingularem eiuſdem Magnæ Virginis fuiſſe amatorem.] Hucuſque in Prologo. ſed cur B. Mariam *Cryptam* dixerit, alibi examinabo.

Sed & ipſum D. Benedictum bino hoc lanæ naturali colore diuerſis temporib. vſum imagines antiquæ oſtendunt: viſus eſt enim S. Pater tingendi contempſiſſe artificium, coloribus illis contentus, quos lana habebat naturæ ſpontaneo concurſu. De gryſeo dubitare non voles, quoniam Maiores noſtri, Benedictini ordinis reſtitutores; Ciſtertienſis inſtitutores colorem gryſeum (ideò *Gryſei* vocati) reſumpſerunt, quòd verum Benedictini ordinis colorem crederent. De albo nonnihil dicam Nam & ipſi hodie in reformatiſſimis Cœnobijs tunicellas & interiores omnes veſtes albas habent, & in Monaſterio Fuſtenueldenſi apud Bauaros, Religioſi tametſi Ciſtertienſes vtuntur ſolùm cucullis nigris, & antiquiſſimas habent ſtatuas, & picturas, oſtium primum Cœnobij, Bibliothecæ veteris aditum, Eccleſiæ altaria, & hoſpitum cubicula ornantes, in quibus S. Benedictus cuculla alba, S. Bernardus gryſea aut nigra depingitur.

Videris igitur, & viderit tecum Gallonius tuo errori conſonans, an aliquid

reponi poſſit. Nam ſi anno Chriſti 1141. hoc eſt, Ciſtercij 143. Scheirpenſes Benedictini Monachi colore gryſeo vſi, faciliùs credam nigrum ex abuſu introductum, quàm in gryſeum olim degeneraſſe. Vale.

ORDO,

QVO MONACHI IN MONASTERIO CONVERSARI ac Deo militari oportet, per modum teſtamenti & voluntatis vltimæ ſcriptus à Sancto Benedicto.

CAPVT. I.

1781. IN primis nocturnis horis cùm ad opus diuinum ſurrexerit, frater, primum ſignum ſibi ſanctæ crucis imponat per inuocationem ſanctæ Trinitatis; deinde dicat verſum, Domine labia mea aperies; poſteà pſalmum, Deus in adiutorium, cum Gloria Patri. Tunc prouideat ſibi frater corporeæ neceſſitatem naturæ, & ſic ad oratorium feſtinet, pſallendo pſalmum: Ad te Domine leuaui animam, vſque ad finem, cum ſumma reuerentia & cautela intrans, ne alios orantes impediat: & profectus in locum congruum, effudat preces in conſpectu Domini magis corde quàm ore; ita vt illius vox vicinior ſit Deo, quàm ſibi: & tunc referat gratias Deo, dicendo; Gratias tibi ago omnipotens Deus, qui me dignatus es in hac nocte cuſtodire; deprecor immenſam clementiam tuam, vt concedas mihi venturum diem ſic peragere in tuo ſeruitio cum humilitate & diſcretione quatenus tibi complaceam. Amen.

II.

Tunc omnes ſint parati ſtantes in loco ſuo in choro per ordinem, vt cùm ſignum nouiſſimum ceſſauerit, cum ſumma humilitate & honeſtate referant laudes Deo in conſpectu Angelorum: & ſi fortè alicui frequens tuſſis, aut flegma euenerit ex pectore aut naribus, poſt dorſum proijciat, aut iuxta latus. Caueant autem curiosè, vt infirmis fratribus non vertatur in nauſeam, ſed ſemper quod ſpuitur pedibus conculcetur: vt dum ad orationem curritur, veſtimenta eorum non ſordidentur. Quod omnibus locis eſt obſeruandum, ſiue ſint in Eccleſia, ſiue in refectorio, ſiue in porticu, & in omni loco, & conuentu, vt quod ſpuitur, pedibus conculcetur.

III.

Poſt expletionem verò nocturnæ laudis, in illo interuallo ſummum ſilentium fiat, tàm in voce, quàm in inceſſu, ſine ſono alicuius rei; vt liceat vnicuique ſine alterius inquietudine peccata Domino confiteri, & veniam & remiſsionem pro ipſis flendo poſtulare.

IV.

Cùm verò inchoante hora diei ſignum inſonuerit, omnes feſtinent cum humilitate cordis, quaſi ad Deum clamantes, ac miſericordia ſibi placabilem factum matutinis laudibus prompta voluntate, vocum modulis, nec nimis productè, nec multum correptè, cum ſumma grauitate & honeſtate officium perſoluere diuinum.

V.

Ex hac autem matutina laude ſummum, & præcipuum ſilentium fiat in orando vel loquendo.

VI.

Conuenientes verò Fratres ad primam, poſtquam completum fuerit ipſum officium ante pſalmum quinquageſimum, docent confeſsiones ſuas viciſſim,

ſim, pariter ſupplici voto pro ſe certatim orantes. Hoc expleto, veniant omnes ad capitulum, & conuerſi ad orientem ſalutent crucem, & cæteris Fratribus ſe vndique humilient, ſimiliterque faciant in omni conuentu. Poſt recitata nomina Sanctorum quorum feſta craſtina dies excipiet, ſurgentes pariter, dicant verſum, Pretioſa, quem ſequatur oratio à Priore: deinde verſus, Deus in adiutorium, tribus vicibus, cum Gloria Patri. Surgentes iterum dicant verſum: Reſpice Domine in ſeruos tuos, cum Gloria Patri. Poſt hunc verſum ſequatur oratio à Priore, Dirigere & ſanctificare Domine, &c.

Poſt hæc qui culpabilis eſt, veniam poſtulet, & ſecundum modum culpæ vindictam recipiat: & tàm in clauſtro quàm in quolibet conuentu vel loco veniam poſtulet Frater ante Dominum Abbatem, vel Præpoſitum aut Decanum, aut quemlibet de Senioribus. Cùm enim dixerit Senior, quæ eſt cauſa, Frater ille qui veniam poſtulat, mea culpa Domine; ſi verò aliud quodcumque dixerit, iudicetur ex inde culpabilis. Poſteà dicatur à Domino Abbate, vel à cæteris quibus obedientia eſt facienda, quidquid eſt neceſſarium, & vtile fuerit in communi Monaſterij. Frater verò qui veniam poſtulat pro culpa, quantò plus ſe humiliat, & culpabilem aſſerit; tantò miſericordiùs & leuius à Priore iudicetur: neceſſe eſt enim vt omnes negligentias noſtras, vel cogitationum, vel linguæ, vel operis in præſenti vita, per humilem confeſſionem, & humilitatem ſemper iudicemus, vt non poſt mortem nos reos faciant. Surgentes à Capitulo, atque ad opera exeuntes, ſimul omnes circumſtantes dicant verſum, Deus in adiutorium, &c. Gloria Patri, & orationem Dominicam, flectentes genua: Poſt orationem Dominicam dicat Prior, Adiutorium noſtrum in nomine Domini, & reſpondentibus omnes, Qui fecit cœlum, & terram, vadant omnes ſimul aut ſeparatim ad opus iniunctum ſibi, cuſtodientes ſilentium, decantent pſalmos, aut Pater noſter, bini aut ſinguli, iuxta id quod congruum eſt nihil aliud loquentes; niſi fortè de ipſa arte neceſſarium fuerit dicere; quod dicatur cautè.

VII.

Cùm ad opus diuinum horis canonicis auditum fuerit ſignum (ſicut continet Regula) relinquant ſtatim quidquid in manibus eſt, ſic tamen vt non pereat: & tunc conueniant ſimul omnes ad oſtium oratorij, aut certè ſint parati ad obedientiam, & dicant verſum, Benedictus es Domine Deus, qui adiuuiſti me, & conſolatus es me, tribus vicibus Priore incipiente, ſubiungentes, Gloria Patri, flectentes genua. Oratione completa ſurgant, & dicat Prior: Miſereatur noſtri omnipotens Deus, & reſpondeant omnes, Amen. A Calendis Octobris vſque ad Paſcha, tertia hora hoc faciant; à Paſcha autem vſque ad Calendas Octobris, hoc hora ſexta & nona fiat.

VIII.

Omni tempore in Eccleſia ſummum ſilentium teneatur, excepto hoc, quod ad aures Dei pertinet. Et nullus ex fratribus alium puro nomine aliquando audeat appellare, ſed (ſicut decet) Seniores minores ſuos Fratres nominent; iuniores verò Seniores ſuos Nonnos, hoc eſt paterna reuerentia. Abbas autem Dominus & Pater ab omnibus vocetur. Iuramentum aliud nemo proferat, niſi crede mihi, ſicut in Euangelio legimus Dominum Samaritanæ affirmaſſe: aut certè, aut ſanè.

IX.

Si Frater increpetur à Priore qualibet de cauſa, aut ab alio quolibet etiam minore, ſtatim cum ſumma velocitate in faciem ſuam cadens veniam poſtulet; quia hæc humilitas Deo exhibetur, non homini, & ſi ex corde fiat, indulgentiam promerebitur.

Oportet autem ante omnia, vt obedien-

dientes ſibi inuicem ſint, & ipſa obedientia (ſi recto corde omninò Deo offertur) ipſa eſt quæ ducit ad vitam: citiùs enim exauditur vna oratio obedientis, quàm decem mille contemnentis. Cùm verò ſibi obuiant Fratres, vbique dicat iunior Seniori, Benedicite. Si iunior ſedeat, tranſeunte Seniore ſurgat: & ſi Senior voluerit ſedere, iunior non ſedeat niſi iuſſus. Si deprehenſus fuerit Frater aliquis inuidiam, iram, aut triſtitiam in corde retinere, ſtatim corripiatur, vt emendetur; & quot dies hoc confiteri neglexerit, tot dies pęniteat; & ſi humiliter reſponderit, & pęnitentiam poſtulauerit, cum venia iudicetur.

X.

Cùm autem Dominus Abbas, aut certè aliquis ex Senioribus, alicui ex Fratribus aliquid opus præceperit, ſuſcipiat iunior cum ſumma honeſtate iubentis imperium, & ſit auris parata ad audiendum, ac ſi diuinitùs dicatur, ſint pedes recti, manus expeditæ ad faciendum opus, & humiliato capite dicat; Benedicite.

Egredientes de domo, aut de Conuentu, dicant: Benedicite, etiam ſi ſolus ſit: quia Dominus vbique præſens eſt; vnicuique poſtulanti paratus reddere rationem.

XI.

Si aliquid in Cellario, vel Refectorio, vel Coquina, vel quolibet alio loco Frater neglexerit, ſtatim ſine vlla mora currat ad veniam poſtulandam: & ſi talis eſt res, quam neglexerit, manu teneat, in terram proſtratus veniam poſtulandò de eo quod egerit.

XII.

Caueant à ſæculari & ſuperfluo riſu, & à frequenti locutione cum amicis ſæcularibus: ſi tamen neceſſe fuerit, vbi aliter eſſe non poterit, non loquatur quiſquam ſolus cum ſæculari, niſi præſentibus & audientibus alijs Fratribus, de quorum fide certa ſit fiducia: & hoc maximè in iuuenibus obſeruetur. Mens enim quæ Deo ſeruire cupit, ſæcularium locutionem & conuerſationem contemnere, & derelinquere debet.

XIII.

Non vadant infra Monaſterium paſſim vbicumque voluerint, niſi obedientia vniuſcuiuſque exigat, vel licentiam impetrauerint.

XIV.

Nullum opus etiamſi bonum videatur ſine iuſſione agere præſumant, nihil date aut accipere, ſine iuſſu Abbatis: nec habere proprium, niſi quod Abbas dederit aut permiſerit. Non debet aliud vnicuiq; in cibo, & potu, vel veſtimento dari, quàm Regula præcipit: qui autem plus habere deſiderat, occaſionem contra ſe occulti hoſtis noſtri excitare non pertimeſcit.

XV.

Nullus alteri aliquid præteritum, vel turpe peccatum improperet. Si Senior viderit iuniorem delinquere, corripiat eum inter ſe & ipſum ſolum, ſemel, ſecundò, & tertiò, de leuioribus tantùm culpis: quia de grauioribus ſi contingat aliquid perpetrari, ſtatim ſecundum Regulam emendetur: & qui alium vult caſtigare, leniter ſolidare ſtudeat, ſecundum qualitatem neglecti; quia ſæpè fractura membri deteriùs frangitur, quæ incautè ligatur. Pro immundis verò cogitationibus, & nociuis, vel ineptis locutionibus, ſemper ad confeſſionem recurratur. Humiliter ſibi inuicem reſpondeant Fratres.

XVI.

Hora canonica audito ſigno, citò ad oratorium recurratur. Et non contendant de aliquo: quod ſi contigerit, qui priùs tacuerit, ſapientior reputetur.

XVII.

Ante horam vel poſt horam nihil cibi percipiant, exceptis infirmis & infantibus, quorum imbecillitas ab Abbate conſideranda eſt.

XVIII.

Non detrahat quis, aut detrahenti

com-

conſentiat. Pacem inter ſe ſem[per] n[eant] Fratres, non diſcordiam: ſæculorum Fabulæ longè ſint ab eis.

XIX.

Statutis horis non negligant opera manuum agere: quia virtus eſt animæ & corporis. Cæteris autem horis lectioni vacent, & ſi fieri poteſt, in vno loco, aut in clauſtro ſedeant, vt inuicem ſe videntes coarctentur, & ſub ſilentio legant, & ne alius ad alium iungatur, niſi neceſſitas expoſcat: idipſum tamen ſine inquietudine alterius fiat. Æſtiuo tempore vnuſquiſque ad proprium locum pergat, cum ſumma cautela, & ſine alterius perturbatione, aut legat, aut dormiat.

XX.

Nullus ex Fratribus ſuum aliquid dicat, aut rem aliquam, aut membrum corporis, ſed ſemper noſtrum: hoc ſolùm oportet dicere proprium: Mea culpa. Omnia quæ Deus donat, nobis communia eſſe debent, excepto peccato, quia ex noſtra fragilitate eſt.

XXI.

Prouidendũ magnopere eſt, vt iuſſum Domini Abbatis de quacumque re impleatur ſolliciitè: quia hæc eadem obedientia, ſi rectè perficitur, non illi miniſtratur qui præcipit, ſed Deo. Et ſi fortè negligatur (quod abſit) qui deliquerit, citò recurrat ad indulgentiam poſtulandam.

XXII.

Quando in choro ad pſallendũ ſtant, conſona voce, & corde pſallant, & illi incipiant verſum, qui præ cæteris vtilius poſſunt, vt ad primam aut ſecundam ſyllabam, cæteri conuenire poſſint iuuenculi pronuntiantes voce.

XXIII.

An[te] horam verò refectionis poſt expletionem expectent in Eccleſia, pſallentes in choro. Cùm audierint cymbalum, ordinatè & ſine vllo ſtrepitu feſtinẽt lotis manibus introire refectorium, ſalutantes crucem, verſis vultibus ad orientem, & ſedeant omnes ad menſam, ſinguli ordine ſuo, cum omni ſilentio. Nulluſque præſumat quicquam accipere cibi, aut potus ante Dominum Abbatem: ipſe autem non tardet accipere. Cùm autem accipiũt panem, dicat Frater Fratri: Benedicite, & reſpondeant, Dominus: & ſimiliter faciant de potu: cùm primùm biberint; de cæteris pulmentis, quæ ſunt in menſa, non eſt neceſſe ampliùs benedictionem petere. Antequam incipiant cibum ſumere, petat Lector benedictionem, & incipiat legere, & nullius ibi vox audiatur; niſi ſolius legentis, niſi fortè pro ædificatione aliquid breuius dicatur. Poſteà verò quidquid pulmenti ex coquina miniſtratur, qui miniſtrant, à nouiſſimo incipiant, & vſque ad Dominum Abbatem miniſtrando perueniant, & tunc ſonent cymbalum tacitè: & dicant Fratres, Benedicite, æqua voce & productè. Data benedictione in communi: expectent (ſicut iam diximus) vt Abbas priùs accipiat, poſteà ſinguli dicentes, Benedicite. Quando benedicunt cibum, aut potum, aut aliud, non ſedendo, ſed ſtando benedicant. Si autem cum talibus mixtum fuerit, Cellerarius faciat modicè ſignum ad miniſtrum, ſtatim ſurgant iuuenculi ad miſcendum, & lotos calices impleat potu æqua menſura, & ſtent ordinati ſicut ſunt conuerſi. Tunc Cellerarius iterum ſonet cymbalum tacitè, & dicant Fratres vna voce, productè, Benedicite: & data Benedictione à Priore, Frater iunior qui dat calicem in manu ſedentis, caput inclinet humiliter: cùm verò impletum fuerit opus miſcendi, inclinet ſe in circuitu ad omnes Fratres, ſic quoque ad menſas ſuas. Poma autem, & quælibet naſcentia terræ, quæ cruda ſunt, ſiue hora prandij, ſiue æqualiter cum alio cibo, in menſa antequam Fratres veniant aut ſedeant à Cellerario vnicuique Fratri partiantur, & ſtatim poſt alium cibũm, illa ad menſam adiuncta comedantur. Quo expleto ſtatim finia-

tur

tur lectio, & ſurgentes à menſa dicto verſu, ſiniſter chorus exeat prior ordinatè, dexter verò poſterior, nouiſſimè autem Dominus Abbas, pſallentes pſalmum: Miſerere mei Deus ſecundum, &c. diſtinctè & non feſtinanter. Cùm introierint oratorium, pſallentes inclinent ſe vſque ad Gloriam: ad Gloriam verò flectant genua, & poſt orationem Dominicam ſurgentes, vadant cum ſilentio ſecundum quod tempori congruit.

XXIV.

Poſt Veſperas autem hora competenti facto ſigno omnes conueniant in Capitulo, & legatur ſcriptura quæ ædificet audientes, quantum hora permittit, & finità lectione, ſurgant omnes pariter, & dicat Dominus Abbas, Adiutorium noſtrum in nomine Domini, & reſpondeant omnes, Qui fecit cęlum & terram: & cum ſilentio & reuerentia intrent ad Completorium, & orent cum intentione mentis, & dent confeſſiones ſuas ad alterutrum, & ſic incipiant Completorium.

XXV.

Expleto vero officio, ſummum ſilentium teneant, & ore & corde fiant orationes ſecretæ, & recordationes peccatorum cum gemitu & lachrymis & fletu, ſine ſuſpirio, ita vt alteri nullus noceat. Tunc agat gratias Deo ita referendo: Gratias tibi ago Omnipotens æterne Deus, qui me per tuam ſanctam miſericordiam in hac die cuſtodire dignatus es: deprecor immenſam clementiam tuam, vt concedas mihi hanc noctem ſine vllo peccato aut impedimento Sathanæ, cum dulci & pudica requie pertranſire, vt matutino veniente tempore purè & ſtrenuè ſurgens tibi Deo meo laudes referre valeam. Et ſic cum magna cautela vadant ad dormitorium: & dum ad proprium lectum Frater acceſſerit, dum ſe collocat, dicat pſalmum, Deus in adiutorium, totum cum Gloria, & poſteà dicat verſum: Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Et ſic muniat ſe ſigno ſanctæ Crucis, & dormiat in Domino. Amen.

COMMENTARIVS.

1782. CAPITE I. S. Pater docet nos, quid agere debeamus, cum ad Matutinas exurgimus. A Crucis ſigno initium vult S. Pater deſumi, vt qui cruce redempti, crucis ſigno muniamur pugnaturi. Monachus igitur cum primum excitatur, dicat. *In nomine ✝ Patris, & ✝ Filij, & Spiritus ✝ ſancti. Domine labia mea aperies, & os meum adnuntiabit laudem tuam.* Antiphona. *Ego Frater N. gaudeo me olim vouiſſe ſolemniter Conuerſionem morum, & Obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti Abbatis. Eadem Ego hodie vota, ſi non promiſiſſem, promitterem. Eadem Ego nunc renouo coram Deo, ſanctiſſima eiuſdem Genitrice ſemperque Virgine Maria, & Sanctis omnibus, qui hodie ab Eccleſia Romana celebrantur.* Pſalmus. *Ad te Domine leuaui animam meam*, &c. *Gloria Patri*, &c. Antiphona. *Ego Frater N.* &c. Collecta. *Oremus*. GRATIAS *tibi ago, Omnipotens Deus, qui me hac nocte cuſtodire dignatus es, immenſamque clementiam tuam obnixè deprecor, vt ita me præſentem diem concedas peragere, vt in conuerſatione regulari proficiam, & tibi ſeruiam reddendo exactè vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* ACTIONES *meas, quas regulari inſtitutione præueniſti, efficacia clementiæ tuæ benignus præueni, vt hac die omnis mea cogitatio & operatio ad D. Benedicti Regulam Te cœlitùs præmonente, & diuinitùs cooperante eliciatur.*

Hic

Hic modus præueniendi horas Matutinas, in S. Patris inſtitutione fundatus, omninò neceſſarius eſt, vt renouetur ſatisfaciendi Deo voluntas, & fragilitas eneruetur.

1783. Præter quotidianam ſolemnis renouationem profeſſionis, debet quicumque Religioſus anniuerſarium natale celebrare, non extrinſeco aliquo apparatu, ſed cultu intrinſeco. Proderit redeuntem ſuæ profeſſionis diem (hic Monacho verè natalis; non enim celeber, quo natus mundo, ſed quo Deo) totius anni confeſsione ſacramentali præuenire, & illum ipſum diem ab occupationibus, quas obedientia non iniunxerit, liberum, totum Deo cōſecrare.

1784. CAPITE II. Suadet ægris & pectore forte laborantibus ne ſint confratribus ſuis graues, ſedita vel tuſsiant vel exſpuant, vt nemo cauſari aut maculari valeat. Nam licèt alter alterius debeat portare onera, & imperfectiones tolerare; vniuſcuiuſque eſt ita decircinare & corrigere ſuas, vt confratribus non ſit oneróſus ſed facilis. Iam hodie omnia diſponuntur faciliùs; nam vel patet aditus vt infra ſtalla expuere poſsis, vel dantur feneſtellæque claudantur, vel arculæ arena plenę, quę pectoris excipiant cruditates.

1785. CAPITE III. Quid fieri debeat in breui illo interuallo, quod Vigilijs & Laudibus intereſt, nos docet S. Benedictus. Magnum ſilentium in Oratorio fieri præcipit; *vt liceat vnicuique ſine alterius inquietudine peccata Domino confiteri, & veniam & remiſſionem pro ipſis flendo poſtulare.* Sed bone Deus! quæ peccata? Surrexit, vt Deum laudaret Monachus, vigilias cecinit, ſeruiuit igitur Deo & non peccauit, aut ſi cantando peccauiſſe dicatur, præſtaſſet in lecto manſiſſe.

Sanè qui intrinſecam attentionem requirunt, facilè peccata aliqua inuenient etiam in ſumma deuotione; humana enim eſt quæcumque ſumma & fragilia omnia humana, & nihil omnino difficiliùs quàm mentem volitaturam coercere.

At nos qui attentionem intrinſecam conſultam dicimus, ſed non præceptam, credimus poſſe Monachum ita rem diuinam peragere, vt ſub anni finem iurare poſsit ſe nullum in horarum materia commiſiſſe veniale, quod ſummo eſt ſolamini homini peccatori, & aliarum imperfectionum reo.

1786. Deo igitur in cuius amore videmur ardere, antequam tepeſcat deuotio, delicta iuuentutis & ignorantias adoleſcentiæ confiteri debemus, vt lachrymis noſtris clementer vſus illa dignetur abolere & remittere, non enim in æternæ ſalutis materia nimia confidentia eſt laudanda. Amandus eſt nobis Deus cum timore & tremore; audiendus Paulus. *Nihil mihi conſcius ſum*, ait, *ſed in hoc non ſum iuſtificatus*, non enim ignorantia, ſed Dei gratia iuſtificat. Ac ſi diceret. *Condolete mihi & infelici, & miſero vniuerſi mortales. Scio certiſſimè me peccauiſſe grauiter; ita ego certo, vt id iurare poſſim. ſcio me veniam poſtulaſſe; illam a Deo bene oranti ſemper concedi non ignoro: An autem bene orauerim veniam, an verò inſufficienter & remiſſe, an illam impetrauerim, an habeam gratiam & charitatem ſcio? minimè. Sanè nullius rei ex iſtis conſcius ſum, ſed in hac ipſa mea ignorantia non conſiſtit mea iuſtificatio, ſed in illo cuius miſericordiæ peccata mea confiteor, à quo culparum veniam, pœnarum remiſſionem imploro.*

1787. CAPITE IV. Qui debeant Laudes cantari S. Pater exponit, & quæ de huius horæ modulatione dicit, de vniuerſarum cantu eſſe intelligendum putamus. Sit igitur communis Regula è verbis Capitis præſentis deſumpta. videlicet, *Vbi primum ſignum Religioſus audierit, incipiat Oratorium accedere. Et in choro corde humili, & Dei clementiam ſuſpiciens, & voce mediocri, nec*

nimium producta aut correpta, laudes diuinas moduletur.

1788. CAPITE V. Agit de tempore, quod Laudibus & Primis intereſt. Hic S. Pater, *Ex hac autem matutina Laude ſummum, & præcipuum ſilentium fiat in orando vel loquendo.* At multò clariùs in Regulæ Cap. VIII. vbi inquit, *Quod verò reſtat poſt vigilias, à Fratribus, qui Pſalterij vel Lectionem aliquid indigent, meditationi inſeruiatur.* Quæ verba variè ſunt varij interpretati, & ex eis videmus varios mores exortos. Tu conſule quæ ſuperiùs diximus à num. 1102.

1789. CAPITE VI. Statuit, vt finitis Primis vnuſquiſque dicat *Confiteor Deo,* & Pſalmum *Miſerere mei,* vt ſe præparent ad dandam Deo & hominibus per iniungendam à Superiore pœnitentiam ſatiſfactionem in capitulo. Deinde quæ aut canenda aut agenda in capitulo ſingulatim exponit, & totum *Pretioſa* deſcribit.

Hodie omnia paulò aliter. Illud *Confiteor,* & *Miſerere mei,* quæ poſt primas dicuntur, videntur mutata loco & commutata; capitulum enim ſic agitur.

Petit Inuitatorius primò cantandi licentiam benedictionemque, & ait, *Domine iube benedicere,* & reſpondet Præſes, *Diuinum auxilium maneat ſemper nobiſcum.* Et ſtatim ille quota ſit dies ſequens, quota illa Luna correſpondeat, & qui in illa colendi ſunt Sancti, prænuntiat, etiam mobilia feſta, illa ponendo proprijs locis. Sed quia iuuenes qui martyrologium præcinunt, non ſolent eſſe ſatis docti, quid in eius lectione communiter ſeruandum adnotabo. Dico igitur ponendum primo loco Sanctum illum de quo erit officium canonicum ſequente die; in ſecundo illi de quibus in choro fiet commemoratio; addendos reliquos. Subiungo hoc nunquam exactè faciendum quouſque libet ille ad noſtri Calendarij normam reſcribatur; (quem me iudice deberemus recudere grandiore Ciſtertienſium Sanctorum iam Canonizatorum mentione in eorundem Natalitijs & dubijs, quibus ſpeciales à Deo aut cœlorum Regina fauores receperunt, facta) iuniores enim illi non ſolùm imperiti, ſed incurij, in rebus faciliotibus perpetuò peccant. Vel Paſchalis ſolemnitatis memineris, quæ vix vnquam ad rubricas ſolet enuntiari. Sabbato enim maioris hebdomadæ legenda ſunt Sanctorum incidentium in diem ſequentium nomina, nec prænuntiandum Paſcha; at die ipſo Paſchatis immediatè poſt benedictionem proclamandum illis verbis, *Hæc eſt dies quam fecit Dominus,* &c. & poſteà prænunciandus ſequens dies, & luna, Sanctique illi correſpondentes.

Secundò *Pretioſa* à tota Communitate cantatur, *Deus in adiutorium*, ter dicitur; additur; *Gloria Patri,* &c. Subiungitur verſus, *Reſpice Domine in ſeruos tuos,* ſed non additur. *Gloria Patri,* prout indicit S. Benedictus, ſed immediate ſuccinitur Oratio, *Dirigere & ſanctificare.*

Tertiò legitur vnum caput Regulæ ab Inuitatorio; & breuiter exponitur à Præſide; & hoc modo videmur ſatisfacere Capiti LVIII. in quo nobis præcipitur prædicere Nouitijs dura, & regulam tertiò per ordinem legere. Et quidem per ordinem & tertiò aut ampliùs, ſi vnum capitulum quotidie, legimus.

Quartò vnuſquiſque ſuas negligentias publicè confitetur Deo, Præſidi, & Communitati; & huc opportunè videtur tranſlata illa confeſſio, quàm in hoc capite fieri poſt primas ante capitulum S. Pater indicit.

Quintò adduntur Pſalmus *De profundis. Requiem æternam,* &c. *Kyrie,* &c. *Pater noſter,* &c. *A porta inferi,* &c. *Oremus. Deus veniæ,* &c. *Fidelium,* &c. in quæ Pſalmus *Miſerere mei,* ex huius Capitis præſcripto dicendus, videtur commutatus.

Vltimò dicitur verſus *Adiutorium no-*

noſtrum, &c. & poſtquam Conuentus reſponderit, egrediuntur ad chorum aut Eccleſiam, vbi genuflexi iniunctam pœnitentiam recitant, & pro culpis capitulariter correctis ſatisfaciunt.

1789.b. CAPITE VII. Agit de manuum labore, de quo etiam cap. XLVIII. ſuæ Regulæ, quem obſeruari in tota Hiſpania exactè vidi, non tamen illis verſibus claudi. Hodie ſic facimus. Congregatur communitas in capitulo, & recepta benedictione Præſidis in ſummo omnes ſilentio vadunt ad opus ſuum, cui inſudant, quouſque Superior manuum plauſu ceſſationem indicat.

Si ſcire deſideres, An labor manuum, vbi exoleuerit, poſſit reuocari? lege quæ poſuimus ſuperiùs à num. 1637.

1790. CAPITE VIII. in Eccleſia ſummum eſſe ſilentium ſeruandum indicit, eſſe locum orationis, in quo Deum ſolum alloqui debeamus. Hic condemnat illorum corruptiſſimos mores, qui audientes miſſam garriunt, nam hi attentionem extrinſecam, qualem præcipit Pontifex habere non poſſunt, quandiù confabulantur. Haud fallor, aut huc reſpexit Dauid, cùm dixit Pſalm. 64. *Te decet hymnus in Sion*, quem verſum expoſui num. 1287. 1288. cui modò dabo nouam lucem. Loco inquam, illius vocis latinæ *Hymnus*, habet originale hebræum æquiuocam, ſignificantem *laudem, ſilentium*-que. vnde alij *Te decet hymnus*, alij *Te decet ſilentium* tranſtulerunt. Porrò conſultiſſimè Propheta Rex, hac voce vſus, nos docuit ſummum eſſe obſeruandum ſilentium in loco vbi laus diuina peragitur; nec alterius rei gratia mouenda labia, quàm vt veniam & remiſſionem imploremus. Te igitur decet laus & ſilentium Deus in Eccleſia, laus, quam pendunt, qui celebrant, ſilentium, quod obſeruant, qui interſunt.

1791. Confratrem à nemine puro vocandum nomine ſtatuerat in Regulæ cap. L XIII. & quia valde neceſſariam conſtitutionem illam iudicat, hic reponit, vt ſæpiùs lata obſeruetur exactiùs. Iuniores præcipit vocari *Fratres*, Seniores *Nonos*, Abbatem *Dominum*. Omnia ſucceſſu temporum alterata. In Hiſpania iuniorum nomine videntur intelligi Subſacerdotes, & Sacerdotes nomine Seniorum, in quorum nominibus poſſet etiam Eraſmus illa dicere, quę de titulo *Canonicorum Regularium*. nam ſi canon eſt regula, Regulares Canonici non alij ſunt quàm Regulares regulares. Sic apud Hiſpanos, *El hermano Fray Iuan*, *El padre Fray Ambroſio*, *El Señor Padre Abbad*, quod eſſet ad litteram, *Frater Frater Ioannes*, *Pater Frater Ambroſius*, *Dominus Pater Pater*. Apud Gallos, qui Nonus diceretur, vocatur *Dom.* apud VValones *Damp.* apud Belgas *Myn heer*, aut etiam Gallicè Mon-ſieur. & quia Italicè *Don*, viſum eſt aliquibus Criticis à voce Itala *Don* deduci debere latinam *Donna*, adeoque hanc legendam pro *Nonus*, quoniam in charactere antiquo D. & N. ſunt ſimillimæ, & in cauſa, quod hic & ſæpè alibi fuerint commutatæ. Hęc omnia ſunt luci Capiti LXIII. Regulæ S. Benedicti.

Omnia deinde iuramenta familiaria proſcribit, quæ & in Regulæ multis locis condemnat.

1792. CAPITE IX. ea quæ in Regulæ Capite LXXI. poſuerat, reſumit. quam doctrinam S. Pater tam neceſſariam credidit vt expelli iuſſerit legitupionem, & nunc iterum eandem ſanctionem ferat, ne quis poſſit de ignorantia cauſari.

Sententia illa, *Citiùs exauditur vna oratio obedientis, quàm decem mille contemnentis*, veriſſima eſt, & ſummo ſolamini Cellerarijs, & rei domeſticæ Curatoribus, qui ex obedientia extra chorum merentur. Inter quos aliqui anxij & ſoliciti fratribus inuident, qui tota die collaudant Deum. Noui, & alios, qui nolunt commoditates ſuas te-

linquere ſanctitatis prætextu, ſed & hotum decem mille orationes non æquiualebunt vni ſimplicis Religioſis dicentis, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Te laudabo in choro apud confratres meos, quandiu Abbas meus permiſerit. Te extra chorum aut inter culinarias ſordes, aut mendicorum viſcera, aut Ruſticorum ineptias, ſi mihi talia officia iniungere voluerit Superior.*

Quæ ſequuntur, vrbanitatem, quam maximi facit S. Pater, concernunt, & illuſtrant Caput Regulæ LXIII.

1793. CAPITE X. Summam in obediendo reſignationem commendat, & dilucidat Cap. V. LXXI. LXXII. & præcipuè LXVIII. cuius formalia verba adſumit, quod ipſe Caput videtur ad Seniores extendere. Vide quæ in Scholio dixi de hoc eodem, nam & D. Bernardus oſtenditur ſic litteram intellexiſſe.

Cùm ſubiũgit Deum vbique eſſe præſentem, reſumit quod dixerat Cap. XIX.

1794. CAPITE XI. ſtatuit, vt qui fregerit aut negligẽter habuerit aliquid, veniam petat. & hoc hodie obſeruatur ſaltem in Communitatis præſentia; nam ſi, in refectorio verbi cauſa panis vel cultellus ceciderit, ſtatim debet proſterni ille, cuius negligentia fuit factum.

Sed hic obiter examinandum, An ſit Deo gratum humilitatis cauſa vel in lectione errare, aut cultrum elabi permittere, vt pœnitentiam ſubire cogatis? Audiui aſſerentes, imò & conſulentes; quibus nunquam ſubſcribam; Non enim debent obligationes negligenter impleri, nec iuuat intuitu agendæ pœnitentiæ delinquere, & communitatem perturbare.

1795. CAPITE XII. Reperio periodos, quas libenter expendo. Vidi in nonnullis noſtris, Benedictinorum, imò etiam Carthuſianorum monaſterijs ſanctiſſimis arctam ſilentij legem, & tamen ſecularibus conceſſam religioſos conueniendi nimiam facilitatem; cùm potius ſecularium ſit timenda familiaritas, quàm confratrum. Sed quia dictamen meum S. Benedicti teſtimonium confirmat, ad ſequentia progredior.

1796. CAPITE XIII. Pauca ponit, quæ tamen multas inferre poſſint conſequentias. Quid diceret Pater ſanctiſſimus, ſi hodie ſuas Moniales catervatim curſitantes per curias & plateas videret, ſiquidem Monachis tam rigidam legem iniunxit? Quid modo in cęlis meo Bernardo Campmans, cui continendi in clauſtro Moniales ſumma cura, ſed cara, ſed caſſus labor, contradicentibus alijs, qui volebant huius hominis pietatem & zelum ad ſuam deſidiam reformare? Permittit Deus vt gens diſcola ſuos etiam fautores ſeculares, eccleſiaſticos, imò & religioſos aliquando reperiat, vt virtus ſit in arduo, zelus in difficili, perſeuerantia ad meritum.

1797. CAPITE XIV. Etiam in rebus bonis prærerregularibus, ſubordinat Prælato Religioſum, *Nullum opus*, ait, *etiam ſi bonum videatur, ſine iuſſione (hoc eſt, licentia) agere præſumat.* & conſonat Capiti IL. ſuæ Regulæ, vbi, *Hoc ipſum*, dixerat, *quod vnuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate. Quia quod ſine permiſſione Patris ſpiritualis fit, præſumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia ſacienda ſunt.*

1798. Hinc patet ſolutio cuiuſdam Dubij, quod ſolet Scriptores in varias ſententias redigere; nimirum; *An Benedictini, qui res præterregulares Deo vouent, teneantur hoc voto? & ſi tenentur, An Abbas illud poſſit commutare aut irritare?* Ago de Benedictinis, quia ſpecialem erga eos ego rationem dubitandi reperio. & de actibus externis, quia internos nolo humanæ ſubdere authoritati. Et reſpondeo non dari votum prætertegulare, quoniam ipſummet votum eſt aliquod opus; Monachuſque vi ſuæ Regulæ, omnia quæ voluerit ſuperaddere obligationi communi, debet

adde-

addere ex licentia Prælati. Ergo emiſſo voti alicuius ſimplicis, quæ inconſulto Prælato fiat, contra Regulam eſt, & inualida eo ipſo, ni illam implicita licentia cohoneſtet.

1799. Addit S. Pater, *Monachum nihil poſſe habere proprium, niſi quod Abbas dederit aut permiſerit*, & tu inquiris, An Religioſi habere poſſint rerum directum, & verum dominium etiam concedente Prælato? Et reſpondeo hic S. Benedictum agere de cibo & potu (imò de veſtibus ſuo modo) nam in res vnico actu conſumptibiles, cùm ille vſus actus ſecundus ſit dominij, habere debet dominium Religioſus, vt num. 872. perſuaſi, ad cuius ſententiæ (quam ratio demonſtrare exiſtimo) confirmationem multum roboris habere iudico S. Benedicti ſuffragium.

1800. CAPITE XV. Agit de correctione fraterna, de qua ego multa à num. 1688. quæ huius capitis doctrina poterunt firmari aut illuſtrari, operæ pretium erit aliquas periodos componere.

Numero 1692. dixi, *Nullus Confrater tenetur ſub veniali illum fraternè corripere, qui commiſerit peccata venialia.* & Num. 1690. *Fraterna correctio* (ago de peccatis grauibus) *præmitti debet omni denuntiationi*; Cùm tamen S. Benedictus in hoc Capite. *Si Senior viderit iuniorem delinquere corripiat eum inter ſe & ipſum ſolum ſemel ſecundò & tertiò, de leuioribus tantum culpis: quia de grauioribus, ſi contingat aliquid perpetrari, ſtatim ſecundum Regulam emendetur*. Vnde aſſerere poſſes me abire à D. Benedicto in ſingulis; ipſe enim fraternam correctionem in leuib. ponit, negat in grauibus; & ego nego in leuibus, & in grauibus pono. Et reſpondeo me mentem ſanctiſsimi Patris & tenuiſſe & tenere. Dico neminem obligari mortaliter; ne ſub veniali quidem, corrigere fraternè peccata venialia ſui proximi: nec hoc negat Patriarcha ſanctiſsimus; conſuluit tamen, non quibuſcumque, ſed Senioribus, vt Iuniores venialiter peccantes fraternè corripiant, quod bonum & pium conſilium, aut ſi velis, monitum eſt. Grauiora autem peccata non iubet ſtatim deferri correctione fraterna prætermiſſa, ſed ſtatim à quocumque, qui reſciat (Seniore, Iuniore) ſecundum Regulam emendari; quæ quidem non emendarentur ſecundum Regulam ſi fraterna correctione omiſſa, cùm hanc ipſam præmittendam indicat S. Pater in Regulæ Capite II. XXI. XXIII. XXXII. XLIII. XLVIII. LXV. LXVI. & ſæpe alibi. Relege, quæ dixi ſuperiùs à num. 1676.

1801. Iſta verba, *Qui alium vult caſtigare, leniter conſolidare ſtudeat, ſecundum qualitatem neglecti; quia ſæpè fractura membri deterius frangitur, quæ incautè ligatur*: manu ducunt Prælatos correcturos, & illuſtrant Capita XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXX. XXXIII. XLIII. XLIV. LI. & alia in quibus S. Pater agit de correctione.

1802. Nota illud *leniter*, & in materia legum ferendarum obſeruandarum & vindicandarum hæc obſerua. Oportet primò legem eſſe ſuauem, nec nimiam pœnam tranſgreſſori adſignari, ſed ſecundum qualitatem, imò, & quantitatem neglectus. At Superior debet omninò facere vt obſeruetur; debetque contra tranſgreſſorem agere vindicem, illumque pęnà à lege impoſita condemnare. leniter tamen: non quidem diminuendo pœnam, ſed illam indicendo vrbanis & paternis verbis, quæ non ex odio aut ſequiore affectu, ſed ex mero orta amore videantur.

1803. Nota illud *conſolidare*; & diſcas omnia ferè peccata naſci ex fragilitate, vnde leges frangi dicuntur, & legirupiones violatores. Quoniam ſi præſumptionem obijcias, non negabo dari culpas ex arrogantia & ſuperbia, ſed in hæc ipſa vitia labitur animus quia fragilis.

1804. Nota tandem illud *neglecti*, quod-

quod poteſt actiuè & paſſiuè deſumi; ſi paſſiuè eſt idem ac res neglecta, vel negligentia ipſa, & dicendus S. Benedictus indicere vt pœna proportionetur culpæ. At ſequentia ſenſum actiuum magis probant, ita vt *qualitas neglecti* ſit negligentis qualitas, quæ conſideranda etiam eſt, iuxta Caput XXX. Regulæ vbi ætas ab ætate, & Caput II. vbi ingenium ab ingenio diſtinguitur; & alium blanditijs, alium increpationibus, alium ſuaſionibus eſſe regendum definitur.

1805. Illud quod de confeſſione additur, videtur de ſacramentali ſola debere intelligi, quoniam de capitulari actum fuit Capite VI. [Vide inferiùs Cap. XVIII.]

1806. CAPITE XVI. Ponitur ſententia, quæ debet omninò notari: *Non contendant de aliquo,* ait S. Pater; *quod ſi contigerit, qui prius tacuerit, ſapientior reputetur*. Putant aliqui ſummæ eſſe doctrinæ multum vociferari; & hi ipſi apud academicum vulgus plauſum habent; cùm potiùs ſummæ ſapientiæ ſit cedere aduerſario, vbi cum laude dicertare non poſſumus. Imò ita abeſt à puſillanimitate ceſsio ipſa, vt nonnunquam actus eſſe ſuperbiæ iudicetur. Salmanticæ magnifici Rectores, adoleſcentes filij Principum ſunt, ſed auditores; & tametſi ingenioſi, non videntur tales, qui argumentari cum Doctoribus valeant. Vidi ſemel Magnifico D. Sfrondato in Theologica diſputatione ratione officij præſidi, difficultatem aliquam, nec male, proponenti reſponderi ab Eximio D. Reyes omnia eſſe vera; nimirùm, vtrumque antecedens & conſequens. Inferenti Theſin, quæ propugnabatur eſſe falſam, adſenſum, nec tamen ideò Reyes minùs ſapiens creditus, quòd alij ceſſerit; imò viſus ſuperba vrbanitate illius Principis eruditionem compeſcuiſſe, & auditorum eſſe doceri & ſilere tacitis verbis pronuntiaſſe. Debemus igitur etiam in euidentibus cedere, ne minùs ſapientes videamur defendendo rem claram contra cœcos. prudenter tamen, ne & contemptores. nam duo inſtant pericula, & facilè ſcyllam incurrere poterunt, carybdim vitare conantes; frequenter enim ita nobis à ſapientiore ceditur, vt non vinci modo, ſed & contemni tanquam inepti ad pugnam videamur.

1807. CAPITE XVII. Medicum agit S. Pater, & medicinam vnam proponit qua Medicis omnibus carere poſſis. Legem, quam bene obſeruans, habebis humores ad legem; omnes enim morbi, qui in Germania graſſantur à combibijs potiùs quàm à conuiuijs orti, exleges ſunt, quoniam fouentur vita exlege.

1808. CAPITE XVIII. Multa comprehendit breuiter, quæ paucis illuſtrare non poſsim. Omnia poſſunt ad has Sanctiones redigi. I. *Ne detrahito.* II. *Detrahenti ne conſentito.* III. *Pacem inter Fratres ſeminato.* IV. *Ne inter eoſdem diſcordias.* V. *Fabulæ proſcribuntur.*

Vt intelligas primam, oportet callere aliquos vocabulorum ſignificationes; quæ tametſi aſsimiles, confundi non poſſunt. Illa ſunt, *Confuſio, Exprobratio, Murmuratio, Detractio, Calumniatio.*

Confunditur, qui contra ſpem & votum patitur cum authoritatis detrimento. Puta, ſi coram alijs ſalutet quis Petrum, nec reſalutetur; inuitatus in loco indecenti ponatur. Et hæc ipſa confuſio iuſtè & iniuſtè illata eſſe poteſt & ſolet. oportet enim hominem confundi nonnunquam, ne noceat grauiùs; ſed cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Exprobrat, qui turpe factum alicui in faciem obijcit; quod & bifariam poteſt, nimirùm, verè & falsè. Non fore homines tam inſolenter, qui falſa audeant obijcere, ſupponens S. Benedictus Capite huius Ordinis XV. illorum qui vera obijciunt, voluit inſolentiam compeſcere,

ſcere, & ſtatuit, *Vt nullus aliquid præteritum, vel turpe factum, alteri improperaret.*

Murmurat, qui abſens & impatiens veritatem pronuntiat. nimirùm formalem. materialis enim veritas ſæpe cum formali mendacio componitur; vt videre in illo eſſet, qui peccata ſacramentalis confeſsionis detegeret, qui tametſi veritatem materialiter diceret, mentiretur formaliter. Sed de hoc in Scholio cùm de Conſultationum ſecreto.

Detrahit, qui abſens proximò crimen extraiudicialiter falſum adfingit; nempe falſum formaliter, tametſi materialiter verum. quod ipſum ſi iudicialiter faceret, non iam detrahere diceretur, ſed *calumniari*.

Sed interrogas, An ſit mortale peccatum murmurare? Et reſpondeo, meram murmurationem, quæ detractoria non ſit, non eſſe mortaliter peccaminoſam.

Legiſ, & Hugonem Victorinum à me legi deſideras, qui in Commentario Regulæ S. Auguſtini Cap. IX. ſic inquit. *Graue peccatum eſt murmuratio teſtante Gregorio qui ait, Regnum cœlorum, nullus qui murmurat, accipit; nullus qui accipit, murmurare poterit. Et Salomon; Præcordia fatui ſicut rota carri, fœnum portat & murmurat. Tales ergo ſunt multi fratres in congregatione, qui carni ſubditi non ceſſant à murmuratione. Apoſtolus, Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & à Serpentibus perierunt. Quare à Serpentibus, niſi quia Serpens venenoſus eſt, & omnis qui murmurat, venenum diaboli habet in lingua? Iacobus, Lingua, inquietum malum plenum veneno mortifero. Cauendum eſt ergo nobis à murmurare, ne mortifero & diabolico pereamus veneno.* Sed reſpondeo Hugonem & teſtimonia ab eo citata, debere, non de quacumque murmuratione intelligi, ſed de detractoria, & iniuria quam in materia graui eſſe mortaliter peccaminoſam non diffiteor.

Contra murmuratores, qui frequentiores ſunt, multa S. Pater in Regula. contra calumniatores vix aliquid, non enim putauit talia inter Monachos poſſe monſtra dari, hic agit contra detractores, & exprobratores, ſtatuitque, Ne quis audeat fratri præſenti aut abſenti & innocenti crimen adfingere.

1809. Sanctionem primam iam intelligis, ſed hæres in ſecunda, neſcis enim, quid ſit conſentire aut non conſentire detractori. An ſolus ille adſenſum præbet, qui detractoriè ab alio dicta eſſe vera teſtatur? an verò etiam ille, qui tacet? Eſt ne ſemper opus contradictio? Non ſcio: ſcio tamen eſſe opus prudentia. Si aliquis mihi vni crimina tua labio detractorio reuelet, adſentire non poſſum, diſſentire non teneor. ſed prudentiùs dicam me nihil ſcire, aut tacebo. Quod ſi coram alijs, non ſtatim me indiges, nec debeo detractoris indignationem incurrere, ſi te aliter defendere poſſum. Timendus plus quàm calumniator, detractor, quæ enim in iudicio aguntur, ſciuntur, at qui patitur detractores, andabatæ inſtar ſentit vulnera, nec poteſt detegere inuaſorem. Ergo vel potero detractorem coram vniuerſis confundere, ſi ſpes correctionis affulgeat, aliàs tacere, & illo diſcedente, oſtendere alijs rationes ob quas illi debeat decredi, quas nemo obijcere auderet in faciem, ni & vellet illius linguæ maleſuadæ ſubeſſe. [Lege, quæ num. 1877. dicenda.]

1810. Ad tertiam quartamque veniens percipis non ſolum præcipi vt ſint Religioſi pacifici, ſed vt pacem ſeminent, quod eſt aliquid ſpeciale. Pacificus negatiuè eſt, qui zizania non ſeminat, poſitiuè, qui inſerit pacem. Inſerit & implantat, qui aut exulem illam reſtituit, aut reſtitutam conſeruat, verbo & exemplo.

1811. Tandem ad vltimam ſanctionem appulſus, fabulas interdici audis, & quid

& quid ſint fabulæ doceri cupis. An non parabolæ vniuerſæ ſunt fabulæ? & tamen non fuerunt longè à viris ſanctiſſimis, imò nec ab æterno Verbo, quod in parabolis multas veritates nos docuit? Non-ne & multi patres & Ethnici ſcripſerunt Apologos? & vt alios præteream, Non-ne cum ſumma vtilitate Aeſopus lectitatur? Cur ergo illas ſuis ſanctus Pater cauet Monachis; maximè cum ipſæ bonæ ſint & proficuæ, & mala ſolummodò caueri debeant?

Et ego puto quidem non quaſcumque fabulas eſſe interdictas Religioſis, ſed ſæculares; hoc eſt, nociuas aut inutiles. vnde illud *ſæculorum*, quod apud alios *diſcordiam* adficit, ad *fabulas* à me reducitur. omnia enim Amadei, Equitis Apollinei, Roſicleri, & aliorum volumina, vt Ouidij Metamorphoſes tranſeam, non qualitercumque, ſed ſæculariter fabuloſa pronuntio, quæ cum magna iactura temporis, & fortè conſcientiæ detrimento quis legat. Hæc & alia ſimilia hominum otio vacantium acumina, legenda oculis, tractanda labio, auri excipienda inhibuit, ſatius iudicans conſumi in pia lectione aut meditatione tempus illud, quod fabulis impenderetur.

1812. CAPITE XIX. Iterum manuum laborem laudat & commendat. Virtutem corporis & animi dicit, corporis, quod ad valetudinem conſeruandam conducat, animi, quod ad conſcientiæ puritatem. Vidimus enim aliquos in otio corruere, qui ſtetiſſent ſi occupationibus grauati aut obruti. fons enim vitiorum & altrix otioſitas, à Monacho caueri debet. Hinc lux capiti XLVIII. ſanctæ Regulæ.

Cætera, quæ ſequuntur, piam eruditionem & vrbanitatem concernunt, ita enim pietati ſtudendum eſt nobis, vt nemini moleſti ſimus.

1813. CAPITE XX. Aſſerit S. Pater membra illa, quibus conſtat non eſſe tua ſed noſtra, & te de proprietate & furto arguit, ſi quæ noſtra ſunt, dixeris tua.

Sanè res difficilis eſt, & tamen apud viros ſanctiſſimos etiam in vſu. Apud Hiſpanos, creduntur pharmaca, potiones, minutiones, ſi præter Superioris fierent voluntatem, eſſe mala non ſolum ratione inobedientiæ, ſed & ratione proprietatis, qui enim venam ſecat, aut cauterium incidit, corpus ſuum tractat tanquam ſuum, cùm iam illud non illius ſit, ſed monaſterij. Cùm quis incautè cultrum aut aliquod inſtrumentum tractans læditur, ita vt ſanguis appareat, non ſecus ac ſi inſtrumentum ipſum fregiſſet, ad Superiorem ſuum recurri, & orat veniam, hac eadem humilitate teſtificans corpus ſuum, non minùs quam ſupellectilia omnia, ad monaſterium (modo tamen accommodo) ſpectare. Hęc conducent vt Caput XXXIII. & LV. meliùs intelligantur. Vide num. 1841.

1814. CAPITE XXI. De obedientia diſſerit S. Pater, & affirmat eam, ſi recta, non exhiberi Abbati ſed Deo. Et quidem rectè. quoniam Deo illa exhibetur multis modis. Primò, quia obediendo Prælato, obedio Deo indicenti in Decalogi præcepto IV. vt faciam, quæ Superior præcipiat, obedio etiam ſecundò, quia Prælatus Vicarius Dei, & virtualiter Deus, adeoque quæ humanitus ab illo, mihi diuinitus præcepta ſunt. Quartò ratione voti Deo teneor, & in Deum delinquo, ſi non obtemperem Superiori, prout Deo ipſi in ſolemni profeſſione promiſi.

1815. An ita ego Deo, vt non etiam homini obediam? Reſpondet S. Pater, *Hæc eadem obedientia..... non illi* (Abbati) *miniſtratur, qui præcipit, ſed Deo* (nimirùm, *vni*) & hoc clariſſimè monſtrari poterit. Debet tibi Franciſcus centum aureos; legas famulum, qui tuo illos nomine extorqueat. ille ſoluit. Cui? famulo, an tibi? Sanè nec famulo, nec vtrique, ſed tibi ſoli. Sic ſimiliter. Deus

ore

ore Vicarij aut Miniſtri ſui te adloquitur tibi præcepta imponit, & obediens exhibes debitum ſeruitutis non Prælato, non vtrique, ſed ſoli Deo. hic enim vnus, cui obeditur *vt cui* (placet rigor ſcholæ) & Prælatus cui obeditur *vt quo*, nam & Deus qui præcipit *vt qui*, & Prælatus *vt quo*. Hinc lux Capiti V. VII. LXVIII. LXXI. & LXXII. Regulæ S. Benedicti.

1816. CAPITE XXII. Internam attentionem conſulit, non præcipit; non enim dantur leges validæ de internis actibus, vt num. 38. oſtendi. *Quando in choro ad pſallendum ſtant*, ait, *conſona voce & corde pſallant*. & ſuæ Regulæ conſonat, dixerat enim Capite XIX. *Sic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.*

1817. CAPITE XXIII. Agit de refectorio. & quia multa hodie aliter, aliqua ſubnotanda ſunt.

Ad horam refectionis completo diuino officio expectare iubent in choro, nec illud tempus perdi, ſed priuatæ pſalmorum lectioni deſtinari. Sed iam hodie vtilius in aliquibus locis. Non exſpectatur hora refectionis, ſed poſt ſextam vel nonam paruo interuallo neceſſitatibus concesso, ad refectorium itur. experientia enim docet interſtitia temporum non bene impendi, & illum dimidium horæ quadrantem, qui poſſet choro. & menſæ interceſſe, vtilius tempori pomeridiano adiungi.

Statuit, vt lotis manibus in refectorium ingrediantur; quod tunc specialiter ob mechanicos labores neceſſarium, iam omittitur, cùm quia manus lotæ in altari non potuerunt inquinari in choro; tum etiam, quia non vbique datur fons, nec aliter hæc ablutio commodè fieri poſſet.

Cùm vertere vultus ad orientem præcipit, Refectorium Eccleſiæ Capituloque parallelum ſupponit. at quia iam loci neceſſitas multa habet aliter, huic debet ſatisfieri ſanctioni vultus ad menſam abbatialem vertendo.

Reliqua paulo aliter facimus, & vt puto decentiùs; ne lectio interrumpatur, nec religioſi conturbentur. Quæ omnia cùm merè cæremonialia ſint, non tangunt mores, nec debent ſcrupuloſè aut ſuperſtitioſè tractari. ſunt tamen illuſtrationi Capiti XLI. Regulæ.

1818. CAPITE XXIV. Lectio illa, quæ ſolet Completorio præmitti, & *clauſtralis* vocatur, haberi in clauſtro in æſtate, in hyeme in capitulo ſolet; & non videtur eſſe diuini officij pars, iuxta ea quæ ediſſerui ſuperiùs, à num. 1365.

1819. CAPITE XXV. Indicit, vt corde & ore conſcientiæ examen, & orationes fiant; nec multa habeo quæ adjiciam, clara enim & dilucida eſt littera, & de oratione interna egi ſuperiùs Cap. XX. & de actibus merè internis quà præceptis, à Num. 38.

EIVSDEM S. BENEDICTI

AD S. REMIGIVM RHEMENSEM EPISCOPVM EPISTOLA.

1820. Dominico Sacerdoti Remigio, Frater & Conſeruus in Chriſto Ieſu, cœnobialis vitæ humilis cultor, Benedictus æternæ benedictionis munus.

Sanctiſſimo tuo congratulans profectui (Sacerdos Regis æterni) quia ſummi capitis membra ſumus, quod mihi deeſſe ſentio (laus Deo) poſſidere me credo in te. Ecce quod mea peccata fieri prohibuerunt, tuæ authoritatis ſacerdotalia habent merita: & deſinant modò circa me rumores hominum, cùm apud te conſtet omnium perfectiorem eſſe virtutũ. Hanc captiuã & ab antiquo hoſte obſeſſam tua deſego Celſitudini, quatenus pro eius liberatione ſacrã hoſtiã offerre Deo debeas, & meã paruitatẽ victoria ipſa nõ minimum lætifices. Vale Sacerdotum Chriſti limpidiſſime calcule.

COMMENTARIVS.

Vt contentum intelligas, ſcribendi occaſionem es omnino docendus; & auditurus Balduinum Moreau, qui verum hæc ſit Epiſtola D. Benedicti, quando & ob quam cauſam ſcripta, copioſè & eruditè examinat, & ſic inquit.

1821. Adulterinum quidem partum S. Patri ſupponere nimis inglorium eſſe iudicaui: ſed ei genuinum præripere nefas & illicitum. Quid proinde ponderis habeant vtrimque rationes allatæ, breui & accurata veritatis hiſtoricę perueſtigatione notandum. Quædam ergo puella ex vrbe Toleſana, præclaris orta natalibus ab infantia maligni ſpiritus tenebatur obſidione captiua. Quam cùm tenerè diligerent pijſſimi genitores, ad S. Petri ſepulchrum in Romanam Vrbem magna cum deuotione duxerunt. Eo verò tempore in Italia Monaſticam vitam apud Sublacum excolebat, & pluribus effulgebat virtutibus vir vitæ venerabilis gratia Benedictus & nomine, Cuius fama perciti puellæ parentes, eandem Dei famulo recuperandæ gratia ſanitatis obtulerunt. Hic ergo crebra ieiuniorum & precum inſtantia diuinæ maieſtati pro ipſius emundatione ſupplicans, cùm nulla puellam valuiſſet interceſſione ſanare, nec ab ea callidiſſimi dæmonis effugare vires atque potentiam, validiſsimis tandem exorciſmis adiuratus, & diuini nominis obteſtatione conſtrictus humanæ ſalutis aduerſarius, ſe nunquam alterius de eodem habitaculo, niſi B. Remigij precibus aſſeruit expellendum. Tum puellæ parentes cum ipſius S. Patris Benedicti litteris, & ſupplici Regis Gothorum Alarici commendatione, Rhemenſem adierunt Antiſtitem. Eò ſiquidem tempore Alaricus cum regno Gothico magnam ſibi Galliarum partem vendicans, ſedem ſuam in ciuitate Toloſana ſtatuebat; & quantumlibet Arianus eſſet, ſanctos tamen Antiſtites Catholicæ communionis eximiè colebat, ac frequentabat officijs, eos præſertim quos editione miraculorum Deo gratiſſimos ſentiebat. Cùm igitur Rhemenſem intraſſent vrbem & S. Pontifex S. Patris apices inſpexiſſet; non ſine magna lachrymarum vbertate ſtatim in hæc verba prorupit: Gratias tibi redemptor clementiſsime, qui noſtra tempora tanta ſublimaſti gloria, vt in ſpeciali famulo tuo Benedicto tota te per orbem magnificet Eccleſia. Surrexitque continuò glorioſus Archimandrita Remigius, & Epiſcopali decorus ornamento, ſacroſanctum Deo ſacrificium oblaturus Eccleſiam intrauit. Cùmque miſerabilis illa parentum ſolatio limen Eccleſię tetigiſſet, verſipellis dæmon puellam obſidens, per eius os hæc verba protulit inuitus: O Sacerdos Remigi, noli aduerſus Benedictum gloriari; quia non per tuum imperium, ſed per eius humilitatem exire compellor. Quibus dictis ilicò fuit puella liberata, ipſiuſque parentes Deo gloriam dederunt, qui mirabilis atque glorioſus in Sanctis ſuis elucet. Nec ſolum prædictam filiam arreptitiam diuina virtute S. Pontifex liberauit à dęmone, ſed etiam iam defunctam reuocauit ad vitam: cuius rei gratia parens eius Benedictus villam quandam Rhemenſi dedit Eccleſię. Eius quidem ruris dum meminit idem S. Remigius in ſuo teſtamento, attigit hæc omnia verbis iſtis: Et eas res quas in Prouincia Benedictus quidam (cuius filiam mihi ab Alarico miſſam gratia S. Spiritus per impoſitionem manus meæ peccatricis non ſolùm à diabolicę fraudis vinculo, ſed ab infetis reuocauit) ad vſum luminis tui (Rhemenſis Eccleſię ſcilicet) & loci vbi corpus meum iacuerit continuatim deſeruire pręcipio, &c. Hęc in ſuo teſtamento totidem verbis ipſe Remigius. Ex huius igitur hiſtorię decurſu clarè ſatis & euidenter apparet, pręd-

cta

ctam Epiſtolam verè S. Patri attribuendam: non obſtantibus ijs, quæ volunt aduerſæ partis Authores allegare. Primum quidem quæ illi Epiſtolæ præfixa legitur inſcriptio, non adeò facilè de impoſtura valet ſuſpicionem augere: nec quod illi contendunt, omninò debet inuſitatum videri, priſca potiſſimum illa Religioſorum ætate non adeò curioſorum, nec aulicorum; ſed veræ ac candidæ ſimplicitatis amatorum, vt ſcribens inferior ætate & dignitate ad maiorem, ſe fratrem & conſeruum in Chriſto Ieſu nominet, & benedictionis æternæ munus, non dico ſuperiori conferat, & impartiatur, ſed qua poteſt animi demiſſione, humiliter exoptet.

1822. Sed ad ipſius litteræ textum venio, & multa obſeruo digna examine. Periodum primam contemplemur, *Sanctiſſime tuo*, inquit, *congratulam profectui (Sacerdos Regis æterni) quia ſummi capitis membra ſumus, quod mihi deeſſe ſentio (laus Deo) poſſidere me credo in Te*. Et inquiris, An non omnes Sacerdotes ſint Regis æterni? An dentur Sacerdotes Principum terrenorum? An Benedictus Abbas, & Remigius Epiſcopus, confratres, conſerui, & commembra fuerint eiuſdem corporis? & cuius? & quid *ſummi capitis* nomine intelligendum? An virtutes & priuilegia, quibus in ſe caret aliquis, verè poſſit in alio poſſidere?

1823 Et ad primum reſpondeo, omnes Iuriſconſultos vocari *Sacerdotes*; vnde ſecularium Principum Sacerdotes dicendi, qui iuris humani conſulti, & vindices; at illos, quibus iure competit verba ſacramentalia & præcipuè Euchariſtica pronuntiare, meritò æterni Regis Sacerdotes dicendos. Videatur Iuſtinianus & Commentatores in eum.

1824. Ad ſecundum reſpondeo SS. Benedictum, Remigiumque, non fuiſſe commembra eiuſdem corporis monaſterialis, aut epiſcopalis, ſed eiuſdem Eccleſiæ Catholicæ, cuius caput eſt Chriſtus, & Procaput Romanus Pontifex, in terris Chriſti vices gerens. Erant per gratiam adoptiui Dei filij, adeoque fratres: eidem ſeruiebant Deo, adeoque erant conſerui; merebant ſub eodem crucis labaro, & dici poterant commilitones.

1825. Ad vltimum reſpondeo, omnia, ſi regnet pietas, fratribus; ſi vigeat charitas, amicis; ſi ſtet vita communia membris eſſe. Ait Medicus, *Cum caput ægrotat, cætera membra dolent*, & Politicus, *Regis ad imperium totus componitur orbis*. quia & in corpore animali caput membrum ſupremum eſt, & in myſtico Monarcha eſt caput. Si caput phyſicum doleat; manus, pes, membra reliqua, dolorem, qui ſibi deeſt, ſentient in capite, miro naturæ in illo artificio connexa. Et ſi habeat ſcandaloſum Regem Prouincia, dicenda eſt capite laborare, & omnibus membris dolere. Et ex morbo ad valetudinem & ſalutem tranſgrediens, ſic diſcurro. Vni corporis parti emplaſtrum ponitur, vna cauterio ſaucia; vna vena ſecatur; & tamen cùm illa pars ſalutiferè læditur, totus homo & in ipſo omnes & ſingulæ partes conſequuntur ſalutem. Sic etiam in Republica, cùm vnus punitur, cautiores omnes reddimur; cùm vnus plectitur, non ſolùm ipſe impeccabilis redditur, ſed & nos in Legum obſeruantia firmamur. Gloriamur Ciſtertienſes, quod inſtituti noſtri Mellifluum Doctorem habuerimus, exiſtimamuſque omnes & ſingulos eſſe magnos maieſtate Bernardi, & confidimus, vt quæ noſtris meritis non valemus, eius adſequi patrocinio valeamus. Honos conceſſus vni, afficit confratres vniuerſos; nec intelligi poteſt, duos eſſe in gratia Principis, nec tamen gloriam vnius non poſſe in alium redundare. Sanctorum communionem credimus, & quamdiu mortifera caremus culpa, nulla gratia ſaltem extrinſecè caremus. Modò habeamus charitatem intrinſecus, habebimus extrinſecus, ſed

vere, diuinæ dilectionis fortitudinem & robur in Petro, obedientiæ reſignationem ſummam in Paulo; paupertatem extremam in Bartholomæo, virgineam caſtitatem in Ioanne; virtutes reliquas in alijs plurimis; omnes Chriſto, omnes in Matre Virgine. quoniam in ſummo ille, hæc prope ſummum, omnes prærogatiuas habuit.

1826. Reliquæ periodi primæ cohærent, nec nouum requirunt examen: ad miraculum venio, & inquiro, An à S. Benedicto illud, an S. Remigio fuerit factum?

Vt S. Pontifici adtribuam, vrget ipſamet hiſtoria; vrget ipſius Dæmonis diuinitus adiurati proteſtatio; Chriſtiani enim nominis efficacia compulſus, ſe dixit aut nullius aut Remigij precibus expellendum; vrget eiuſdem teſtamentum Remigij, in quo, vt vidimus, id ſibi videtur adſcribere miraculum.

Vt S. Abbati debere adtribui exiſtimem, vrgere videtur Dæmonis excedentis confeſsio; qui expulſus inclamauit & dixit, *O Sacerdos Remigi, noli aduerſus Benedictum gloriari, non enim imperio ego tuo, ſed illius humilitate hinc exire compellor.*

At ego non incongruum iudico vnum & idem miraculum poſſe duobus aut pluribus authoribus adſcribi; ſed exiſtimo, hanc iuuenem primariò & phyſicè Dei voluntate, at Benedicti humilitate, Remigij fide, & Miſſæ virtute ſecundariò, & moraliter fuiſſe curatam.

1827. Hinc dubio occurrenti ſolutio. Fruitur Bruxella Beatæ Annæ Carmelitanę Monialis excalceatę cadauere, cuius vitam Angelus Manrique eloquenter deſcripſit, & merita edita miracula firmarunt. Fruitur Antuerpia alterius Annę exuuijs etiam & miraculis. Hærebat in lecto fœmina ſub annum 1642. deſerta à medicis, commiſſa Deo, cui ſuaſum vt ſe commendaret Bruxellenſi Annę, & de Dei miſericordia ſalutem ſupra vires medicinę confideret. Imago quæritur, & ex errore Annę Antuerpienſis icon datur. Illam ſuſpicit venerabunda patiens, orat inſtantiſsimè, & robuſtiſsimam ſalutem obtinet. Facto miraculo error detegitur, quæriturque: cui illud debeat adtribui. An Bruxellenſi, quę orari credita; an Antuerpienſi, quæ in imagine culta. Varia vidi hominum doctorum iudicia, & dum contraria ſentientes ſuſpexi, mediam ego viam iniens aſſerui illud à Deo vno diuinitùs, & humanitùs ab vtraque Sanctimoniali fuiſſe factum.

EIVSDEM S. BENEDICTI

SERMO

HABITVS IN MORTE S. PLACIDI.

1828. *SICVT Patris eſt gaudere in ſuorum profectibus filiorum; ita & filiorum eſt, augmentum Patris ſua lucra putare. Quapropter noueritis dulciſſimum, & amantiſſimum filium meum Placidum, martyriali trabea adornatum, migraſſe ad Dominum. Iam enim meis interioribus oculis, eius immaculatam hoſtiam, & Deo beneplacentem deduxi in alta cœlorum. Hunc nempè quo illam à patre ſuo ſuſcepi, memineram eſſe mortalem; nec fefellit opinio. Nunc non eſt quod conquerar, habeo in quo Deo gratias agam: quia ſemper optaui, vt de fructu cordis mei omnipotenti Deo ſacrificium offerretur. Nihil enim hoc ſacrificio habui pretio-*

ſius,

ſius, nihil amabilius, nihil carius. Elegit namque Placidus pro Chriſto momentaneam mortem: & peruenit ad eum, in cæleſti ſolio ad dextera patris regnantem. (2. Corinth. 5.) Ob id enim Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, vt nos non nobis, ſed Chriſto viueremus. Grates autem omnium refero Redemptori, quia ingratus eſſe non poſſum. Congaudendum enim mihi eſt, quod talem diſcipulum habuerim: non dolendum quod amiſerim. Nam illud munus fuit: hoc debitum eſt. Functus ſum famulatu Placidi diſcipuli mei, quamdiu Deus voluit: & poſt, qui dedit, recepit. Quod naturæ communis fuit, Placidus pro Chriſto poſuit, & quod ſingularis eſt gratiæ, meruit. Cur autem ego doleam mihi Placidum filium meum ereptum; cùm ob ſalutem noſtram Deus filio ſuo non parcens, pro nobis omnibus tradidit illum? Quis vnquam exceptus eſt à conditione moriendi, qui non eſt exceptus à conditione naſcendi? Non ergo Placidum defleam filium, quem ſcio tranſiſſe de morte ad vitam. In illius namque morte gaudendum eſt, non dolendum; quia illam pro veritate guſtauit. Nam cur ego te Placide fili chariſſime defleam; qui mihi ſic ereptus es, vt omnium eſſes? Non enim perdidiſti vſum naturæ, ſed commutaſti: ante corpore ſeparabilis à Deo exiſtens, nunc. indiuiduus cum Deo permanens. Fœlicia verba quæ in te expendi! fœlices labores quos in te ſuſtinui! dum viueres mecum, non te Tertulli Patricij Patris tui amor à me diuellere potuit: nec ipſe mihi vnquam Patrem prætuliſti vſquequo ad æternam vitam migraſti.

COMMENTARIVS.

1829. Sanctum Placidum Socioſque illius martyrio coronatos probat hic S. Benedicti Sermo, quod multa etiam antiqua monimenta confirmant. Eos reperio antiquiſſimis Eccleſiæ inſcriptos Tabulis; nimirùm 5. Octobris die. Eorum meminere Martyrologij Romani Author, Cæſar Baronius, Beda, Vſuardus, Ado Treuerenſis Epiſcopus, Abbas Franciſcus Maurolicus, Petrus Galeſinius, & alij. Conſtantiam generoſam eorundem græcè & latinè ſcripſit Gordianus Monachus, S. Benedicti diſcipulus ex mandato Imperatoris Iuſtiniani; vnde videtur Surius deſumpſiſſe, quæ in editione ſecunda eloquitur de eorumdem paſſione ſanctiſſima.

1830. Sanctum igitur Placidum cognomento Probum, Tertulli Patricij filium nobiliſſimum fuiſſe, & Imperatori Iuſtiniano ſanguine coniunctum apud hiſtoricæ rei peritos indubitatum eſt legi inter alios poteſt Ioannes Seifridus Sileſius Claræuallenſis apud Auſtrios cœnobij Abbas, qui Arborem Anicianam edidit, & in illa exhibuit D. Benedicti Anicij genealogiam, quam alibi Deo dante expendemus.

1831. Iuxta Regulæ Caput LIX. Placidus ſeptennis S. Benedicto Patris ſui, vt multis placet, fratrueli apud ſublacum Monachos Deo conſcribenti offertur moribus inſtituendus Monaſticis. Hæſit apud S. Patriarcham vt tabulæ communes præſeferunt annis 23. fortè à profeſsione numerandis; non enim omninò videretur conſultum adoleſcentem à ſe illa ætate dimittere, quæ feruentior magiſterium ſeuerius poſtulabat. Anno igitur decimotertio monaſticæ conuerſationis, hoc eſt, ætatis vigeſimo, aut vigeſimo nono. [13. additi 7 ſunt 20. & 13. additi 16. ſunt 29] cùm fratribus paucis in Siciliam mittitur ſub annum 536. Meſſanam (iam Mecinam) fæliciter appellens, triginta & plures Monachos ſuſcipiens, initium dedit Congregationi nouæ, quæ poſteà Sicula appellata. Sexto anno poſt (5. die Octobris 541.) vnà cum fratribus ſuis, Euthicio, & Victorino, & Flauia, & triginta tribus Monachis, quibus præerat, à Ma-

nucha

nucha barbaro, & vt multis placet Pyrata martyrio coronatus eſt. Latuit corpus illius 1048. annis, nam ſub Sixto V. Romano Pontifice, anno videlicet 1588. die Auguſti 4. repertum; incepit multis editis miraculis clareſcere, & Europæ deuotionem & venerationem erga ſe concitare.

1832. Sed eruditionis gratia aliquid adiungendum. nam licèt ſatis ſit deuotioni Sanctos hos Monachos ob fidei confeſsionem trucidatos fuiſſe cognoſcere, videtur pia eruditio notitiam vlteriorem ſitire, & velle Tyranni patriam gentemque examinare.

Exſtat ſub Gordiani nomine hiſtoria, quæ docet eos occiſos à Manucha Duce, eodemque Agareno pyrata, miſſo ab Abdala Agarenorum Rege in Hiſpanijs regnante. Sed quia in ipſa multa ſunt, quæ reprehendit Baronius, ne plus temporis & ſtudij mihi Manucha hic debeat dabo aliquas ex Balduino periodos, qui curioſiùs rem examinauit. Ipſe ſic:.

[Saracenorum quidem, ſiue Agarenorum nomen, multò ante hæc tempora Orbi innotuiſſe, pernegare non poſſum: de ijs enim & Rege eorum Alamundario, qui poſtea ad Chriſti fidem peruenit, agunt Zonaras Annalium tomo tertio, & Cedrenus anno nono & decimo Anaſtaſij Imperatoris, qui erat à Chriſto nato annus 499. & 500. at Abdalam in Hiſpania Regem fateri, omninò à veritate alienum eſt. Theudius enim Viſigothorum Rex decimus tertius Amalazico ſuccedens, tunc temporis Hiſpanias regebat; eratque hic annus 541. regni ipſius vndecimus, vt ex Iſidoro, Ioanne Vaſæo, & alijs Hiſpanicis ſcriptoribus liquet: quibus etiam referentibus patet, longè poſt hæc tempora, Saracenos in Hiſpania regnare cæpiſſe, cùm poſt Muſam Abdalazitus ſiue Abdalaſsius eius filius, captis quàm plurib. Hiſpaniæ ciuitatibus, anno Domini ſeptingenteſimo decimo-ſexto Regem ſe geſsit. Rectiùs ergo dicendum apparet non à Saracenis aut Agarenis, ſed à piratis quorum dux erat Manucha, occiſos. Qui autem fuerint hi piratæ, difficile eſt perueſtigare. Procopius libro de bello Perſico, agit de quibuſdam Saracenis, qui dicti ſunt Blemij, quos & fidem Chriſtianam Iuſtiniano Imperante ſuſcepiſſe affirmat: hos, antequam conuerterentur, rapinis & cædibus. Monachorum præcipuè, mundum repleuiſſe, author eſt Nicephorus lib. 14. cap. 34. & alij. Non tamen adhuc euidenter ſatis apparet piratarum iſtorum qualitas, cùm Iuſtinianus Imperij ſui anno 4. Chriſti autem 530. Blemijos & Nabathæos adhuc in idololatria perſeuerantes, ea abolita reddiderit Chriſtianos. Si quid ergo valet hoc in loco coniectura, quod plerique ſentiunt Hiſpanici ſcriptores & D. Arnoldus VVion, breuiter aperiendum. Piratæ igitur iſti populos illos Hunnorum repræſentare videntur, qui à Suida & Sigonio Abares vocantur: quorum incurſionibus & rapinis maxima Aſiæ & Europæ pars deuaſtata legitur & deprædata. Et Suidæ quidem verba hæc ſunt. Abares internecione Bulgari deleuerunt. Abares autem hi Sabinores expulerant, cum ipſi à gentibus littus Oceani incolentibus profligati fuiſſent: quæ quidem gentes ſuam regionem deſeruerant, ob caliginem ex Oceani æſtu exortam, & Gryphum multitudinem ingruentem. His itaque malis agitati impetum in finitimos fecerunt. Eadem ferè habet Sigonius lib. 20. de regno Occidentali, ſic inquiens: Eodem anno (559. ſcilicet) noua gens Hunnorum, qui Abares dicebantur, ad ripas Iſtri venit, & amnem per hyemem conglaciatum nacta, flumine tranſmiſſo, in Meſiam, prouinciam Romanam irrupit, ac variè populari agros hoſtili exemplo incepit. Hi in omnibus rebus reliquorum Hunnorum cultui, præterquam in religatione capillorum, ſimiles extitere. Hæc Sigonius. Ab his igitur paſſos S. Placidum & Socios, conformi-

ter

ter allegatæ ſuperiùs hiſtoricorum opinioni probabile redditur: affinitas enim maxima, quæ intercedit inter Abares ſiue Agares, Abarenos ſiue Agarenos non leuem coniecturam parit. Et hac fortaſſis nominum affinitate deceptus Gordianus, vel quiſquis alius author vitæ S. Placidi, Agarenos pro Abarenis ſiue Abaribus poſuit, noui vocabuli illiſque temporibus incogniti adhuc & inuſitati, vim & energiam non intelligens. Quod autem Sigonius illo anno qui erat à morte SS. Placidi & Sociorum decimus Octauus, Mæſiam aggreſſos dicat, non ſic videtur intelligendum, quaſi tunc primum ex regionibus ſuis egreſsi fuerint; ſed quod illo anno, Mæſijs & Prouincijs adiacentibus innotuerint, vt colligere eſt ex libris eius præcedentibus, in quibus alias ſæpius de Hunnorum vaſtationibus & incurſionibus agit. Et hæc quidem de coniectura noſtra, qui fuerint illi priuatæ, dicta ſufficiant. Si quis tamen meliora habuerit, vt ea in medium proferat, obſecramus. Pleraque alia reperire licet apud eundem pſeudo-Gordianum, quæ & temporum rectæ rationi repugnant, & contradicunt hiſtoricæ veritati: ſed talia ſunt, quæ à lectore quamuis modicum in hiſtorijs verſato facilè corrigentur.]

1833. Nunc igitur præmiſſo hiſtoriæ radio, litteram ipſam diſcutiamus.

Illa phraſis, *Filiorum eſt, augmentum Patris lucra ſua reputare*, Sanctorum communionem ab Eccleſia definitam ſupponit, & eſt familiaris viro ſancto, qui augmenta virtutum, quas ſuſpiciebat in S. Remigio, lucra & augmenta ſua reputauit ſuperius, cùm ad illum ſcripſit. Vide quæ nos ibidem diximus, à num. 1824.

1834. Verba illa, *Meis interioribus oculis eius immaculatam hoſtiam & Deo bene placentem* (id eſt) *Animam, deduxi in alta cœlorum*, oſtendunt S. Placidi & Sociorum paſsionem conſtantiſsimam B. Benedicto, non humanitus amicorum relatione, ſed diuinitus ſupernaturali reuelatione monſtratam.

1835. Illa, quæ ex Paulo 2. Corinth. 5. adſumit, vel vniuerſaliter debent intelligi, vel nihil S. Pater concludit, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, ait Paulus, & poſt Lutherum, & Caluinum Ianſenius, hanc vniuerſalitatem limitans putat ſe veteri Eccleſiæ conſonare. At non ſolùm Tridentino Concilio ille, ſed Auguſtino, vt ſæpe oſtendi; & Benedicto, vt nunc demonſtro, diſſonat; Non enim particularis ex particulari bene infertur. Quoniam nos viuere non poſſemus Deo, ſi non fuiſſet Chriſtus pro nobis mortuus; nec certò pro nobis mortuus eſt, ſi pro aliquibus mortuus non eſt. Sed quia contra Ianſenium plura alibi, hæc obiter tetigiſſe ſufficiat.

1836. Subijcit, *Functus ſum famulatu Placidi diſcipuli mei*. & Tu an Religioſi Abbatis ſint famuli inquiris. Quid dicam? Fortè oblatiæ non erant nouitij ſed famuli, qui Communitati & Abbati ſeruiebant; nam & hodie in multis monaſterijs ephœbi Abbatis, ſi modeſti & pij videantur, ad habitum poſtea ſuſcipiuntur. Fortè non ſemper dictionem curauit S. Pater; neque debent nimis rigorosè explicari, quę laxiùs, & ſinceriùs ſcripta. Fortè datur filialis famulatus, vnde Pater familias dicitur, qui filios habet, & *famulatus* quaſi *famila-tus*, obſequium, quod præſtatur à filio. Tu videris, nam grammatica hæc ſunt, nec calamo vberiore digna.

EIVSDEM

EIVSDEM S. BENEDICTI

SERMO

IN S. MAVRI ET SOCIORVM DISCESSV.

1837. *SI triſtandum dilectiſſimi Patres ac filij, pro tali eſſet negotio; mihi magis quam vobis in hoc eſſet mærendum, qui quantum ad præſens, magnis videor deſtitui ſolatijs. Sed quia dicente Apoſtolo* (1. Cor. 15.) *charitas benigna eſt, benignitatem charitatis noſtræ omnimodis impendere debemus his, quos aliquo modò ea indigere cognoſcimus: nec noſtra tantum, quantum aliena quærere. Quapropter vos amoris paterni ſollicitudine, à fletibus & mærore temperare depoſcimus: quia potens eſt Deus meliores nobis poſt huius depoſitionem corporis huic ſanctæ immittere Congregationi: quorum meritis & exemplis longè præſtantiùs quàm noſtris ædificemini. Sed & illud ſummoperè nobis procurandum eſt; ne verſutia antiqui hoſtis, vnde alijs ſalus acquiritur, inde nobis triſtitiæ malo, detrimentum in aliquo ingeratur. Nos etenim quos vnitatis ſemel in ſancta charitate iunxit concordia, nunquam vel longiſſima terrarum diuident ſpatia: quoniam ſemper interioris hominis aſpectu, qui renouatur ſecundum imaginem eius, qui creauit eum, nos quo vixerimus tempore, inuicem intuebimur.*

Poſt quæ verba S. Maurum & Socios ſic affatus eſt.

Vos autem, Fratres chariſsimi, quos ad opus Dei conſtruendum, ad illas dirigimus partes, viriliter agite, & confortetur cor veſtrum in ſancto propoſito & religione: procul dubio ſcientes, quia quantò auſteriora cauſa ſalutis aliorum, in huius via ſæculi pertuleritis; tantò maiora à Deo recipietis cæleſtium gaudia præmiorum. Nec vos vllo modo reſolutio huius noſtri mœſtificet corpuſculi; quoniam præſentior vobis ero carnis depoſito onere, veſtrique per Dei gratiam cooperator exiſtam aſſiduus.

COMMENTARIVS.

1838. Sanctiſſimam B. Mauri vitam B. Fauſtum Monachus Caſſinenſis, & itineris in Gallias ſocius Bonifacij III. Pontificis Summi iuſſu ſcripſit & exſcripſit Surius ad diem 15. Ianuarij. Quam ob rem Hiſtoriæ ſtudioſum Lectorem & tranſmittens, ad expoſitionem Sermonis, quem habuit S. Pater, cùm Maurum ſocioſque eius in Gallias non ſine diuina reuelatione miſit, veniamus.

1839. Illa periodus, *Quia dicente Apoſtolo* (1. Corinth. 13.) *Charitas benigna eſt, benignitatem charitatis noſtræ omnimodis impendere debemus his, quos aliquo modo ea indigere cognoſcimus, nec noſtra tantùm, quantùm aliena quærere*, videntur adſtruere, charitatem non incipere à ſe ipſa ſed à proximo; & nos ſi debemus minùs noſtra quærere quàm aliena, non ſatisfacere ſicut noſmetipſos

metipſos proximum diligamus; ſed debere feruentius. At teneo charitatem non poſſe facere aliena maioris, quam propria, ſi agamus de eiſdem rebus præciſe. Addo tamen ſolere maioris facere vitam, diuitias, aut commoditates proximi, ſi videat ad maiorem illas Dei gloriam ſeruire. Ergo, ſi agatur de ſalute æterna, proximus es ipſemet tibi, & ſi damnari vis, vt alter, quicumque ſit ille, ſaluetur, ſtultus & delirus es. At prudenter potes temporalem tuam vitam ſaluti ſpirituali alius poſtponere, & diuitias impendere vt vitam innocentis defendas. quam ob rem illa verba, *Nec debemus noſtra tantum, quantum aliena quærere* æquiualent iſtis, *& ſiquidem fauore Altiſſimi nos eſſe in gratia ſtatu credimus, non debemus tanti corporis commoditates, tranquillitatem animi, imò nec tanti gratiæ augmenta, quam alienam facere conuerſionem.* vnde inferius, *Quantò auſteriora cauſa ſalutis aliorum in huius via ſæculi* (non igitur in alterius) *pertuleritis, tanto maiora à Deo recipietis cœleſtium gaudia præmiorum.* Et ne quis putaret alienam ſalutem etiam cum manifeſto peccandi periculo eſſe curandam, addidit, *Sed & illud ſummoperè nobis procurandum eſt, ne verſutia antiqui hoſtis, vnde alijs ſalus adquiritur, inde nobis triſtitię malo detrimentum in aliquo patiatur.* Et agit de culpa, & peccato; non enim aliter gratia detrimentum patitur. quoniam illa ſola culpa mortalis expellit; & venialis, ſi non illius ſubſtantiam, ſaltem feruorem & actiuitatem remittit.

1840. Legis illam periodum ſubſequentem; nimirum, *Nos etenim, quos vnitatis ſemel in ſancta Trinitate iunxit concordia, nunquam vel longiſsima terrarum diuident ſpatia: quoniam ſemper interioris hominis aſpectu, qui renouatur ſecundum imaginem eius, qui creauit eum: nos quo vixerimus tempore, intuebimur.* Legis, inquam; & rogas, An ſint vera.

Reſpondeo multas dari in reb. creatis vnitates; Gratia enim creationis Hominibus, Angelis; bonis malis; communis laxiſsimo nos nexu counit. Fidei vinculum nos ab infidelibus diſtinguit; non tamen cooptat Angelis aut Animabus, cœli incolis, qui non iam in ænigmate, ſed Deum intuentur facie ad faciem; non Dæmonibus, qui in apoſtaſiæ pœnam ſupernaturali fide carent, ſed Chriſtianis, nullo tametſi malo excepto. Strictius fide gratia vinculum, ſtrictius charitas comes gratiæ indiuidua. vincit dilectionis catenis omnes Sanctos, viuos, mortuos, homines angelos. Hoc vinculum confirmat gloria, non vt ſtrictiùs, ſed vt ſecurius fiat, & amitti non valeat. Vnitas igitur de qua S. Pater hic agit, gratiæ eſt & amoris diuini; de qua olim Apoſtolus dixit, vnum in Chriſto illos eſſe, qui vnum calicem participamus. Hi igitur, cùm ita vniti ſint, vt intentionaliter ſint identificati, tam poterunt inuicem, quàm à ſemetipſis ſeparari. Potiùs eſt vbi amat animus, quàm vbi animat, ergo ſi charitatis impulſu te diligo, potiùs tibi quàm mihi præſens ſum, nec hanc præſentiam ipſam, quæ in amore conſiſtit, diuidere aut impedire poterunt, longiſſima terrarum ſpatia. Vnde cùm non poſsit rem ſpiritus ignotam diligere, aut amare voluntas, nec poſsit ab amore ſi fuerit intenſa ceſſare, opus eſt, vt mentem prędeterminet, vt ſibi rem quam diligit, præſentem reddat. ex quibus conſtat liquidò vera eſſe, quę S. Benedictus adfatur.

1841. An Sancti orare pro viuentib. poſsint? An illis fauere & adſiſtere? Nouatores inquirunt, & Lutherus Caluinuſque eorumdem Cœlitum patrocinia negantes toti Eccleſię & veterum Patrum doctrinę contradicunt, & pręcipuè S. Benedicto, qui etiam alibi, & in fine huius Sermonis dilucidè hanc heterodoxam negationem condemnat. Ait enim. *Nec vos vllo modo reſolutio huius noſtri mæſtificet corpuſculi, quo-*

niam pręſentior votis ero carnis depoſito onere, veſtrique per Dei gratiam cooperator exiſtiam aſſiduus. Sancti igitur donati gloria præſentiùs adſunt, & potentiùs proſunt, quàm dum apud nos viuerent.

Sed & obiter illud *noſtri* interlego, & quæ ſuperiùs ad Caput X X. Ordinis Monaſtici, dixi, confirmo. Vide num. 1819.

EIVSDEM D. BENEDICTI

AD S. MAVRVM

EPISTOLA.

1842. *ACCIPE Dilectiſſime extrema inſtitutoris tui dona, quę & longum noſtrum teſtentur amorem, & tibi ac commilitonibus tuis contra omnium perpetim munimen præbeant impedimentia malorum. Poſt expletam enim totam trinam vicinorum annorum decurſionem, ex quo monaſterialem adiſti perfectionem, in gaudium Domini tui es introducendus: vt nobis heſterno die, poſtquam à nobis digreſſus es, Dominus oſtendere eſt dignatus. Prædico etiam tibi, moram vos in eundo eſſe paſſuros, ac cum difficultate habilem locum inuenturos, pro his quę & DEO ordinante proficientur, & quę inimicus humani generis, molimine calliditatis ſuę in vos concitabit. Nuſquam tamen benignitas miſericordis Dei vobis deerit, ſed potius, differendo licet, ac deſiderium animi veſtri in longum experiendo, aliorsùs quam ſperauimus aptiſſimam largiri dignabitur metationem. Iamque valeas fœlix in profectione, fœlicior futurus in peruentione.*

COMMENTARIVS.

1843. *Accipe dilectiſſimè*, ait S. Benedictus Mauro, *extrema Inſtitutoris tui dona*. Sed quæ dona? Eburneam capſulam, quæ etiamnum apud S. Maurum Foſſatenſem iuxta Pariſios aſſeruatur, ſanctiſſimis reliquijs diues; inter quas nobiliores, Chriſtianæ Crucis tres portiunculæ, Marianæ veſtis partes aliquot, ex pallio S. Michaelis apparitioni ſacro; ex oſſibus S. Protomartyris Stephani, & B. Confeſſoris Martini.

1844. Sed cur extrema? Quoniam ſub illud tempus non erant communes veredarij; nec alia miſſurus erat S. Pater, nec fortè iterum ſcripturus. Et quidem non ſcripſiſſe aliam ad Maurum Epiſtolam vel inde colligo, quod ipſe moriens ſecum pro amore quem erga S. Benedictum habebat, iuſſit in ſepulchrum inferri, non facturus aliàs ſi haberet multas. non enim occurrit ratio prudens ob quam contemptis reliquis hanc vnicam religioſè ſeruaret.

1845. Multa hinc addiſcere poteſt hæreticus; multa quæ ſuam contumaciam refellant, & quæ noſtram firment credulitatem. Sanctorum eſſe colendas reliquias, eas ipſas corporis & animæ ſaluti prodeſſe; pretioſè conſeruandas, & loco theſauri faciendas aſſerimus, & nos à Patrum veterum conſenſu eſſe doctos putamus, & S. Benedicti clariſſimè loquentis teſtimonium producimus. Ait enim, *Accipe dilectiſſime.......dona, quę......... Tibi ac Commilitonibus tuis contra omnium perpetim munimen prę-*

præbeant impedimenta malorum.

Sed quoniam honos Regis iudicium diligit, non venit laudanda aliquorum indiſcreta deuotio, qui dum carere nolunt Patronorum reliquijs, in cauſa ſunt vt illæ cultu careant. Habet Metaplanenſe Monaſterium fila, quæ ſuis virgineis digitis neuit Deipara, ad quantitatem tantam, vt notabilem potuerit portionem largiri noſtro Collegio Complutenſi, & ſibi adhuc maiorem reſeruare. Inde D. Andreas Herera, & ab eo ego globum nactus, me ſemper Crœſo ditiorem credidi, & intrepidus pericula multa ſuſtinui, ſecuritatem deuotione & iuuenilis ſanguinis feruore promittente. Sed & cingulum (Hiſp. *Sobre cintas*). B. Mariæ de Vela, cuius hodie corpus incorruptum in ſuo Ciſtertienſi monaſterio apud Abulenſes ſeruatur, aliaſque ſimiles itineris procelloſi comites tranſuexi in Belgium, & quoniam iudicaui magno illas dignas cultu, nec apud me poſſe dignè ornari meo Bernardo Campmans, tunc Dunenſium Antiſtiti, iam Cœlitum Commilitoni, tradidi ſub onere, quod deberet in capſulis aureis aſſeruare. An ipſe promiſſioni non vrgeo; & ſi minùs, concedo; at ego ſatisfeci & deuotioni & cultui, malens illis ſanctiſsimis carere reliquijs, quàm vt fideles ipſis, aut ipſæ reuerentia carerent populari.

1846. Illis verbis, *Poſt expletam totam trium vicinorum annorum decurſionem, ex quo monaſterialem adijſti* (fortè, *adieris*) *perfectionem, in gaudium Domini Tui es introducendus, vt nobis heſterno die, poſtquam à nobis digreſſus es, Dominus oſtendere es dignatus*, multa reperio digna ponderatione. Occurrit enim primò reuelationis infallibilitas, diuinæ Veracitatis neceſſitas, Omnipotentiæ infinita libertas, & illæſum B. Mauri arbitrium; quæ omnia Hæretici, tametſi Theologo bene imbuto facilia, quoniam componere neſciunt, malunt à Catholica religione deficere, quàm ſinceram veritatem doceri. Sanè multa hæc vnica reuelatio complectitur, quoniam illius virtute & Maurus anno tertio eſt certiſsimè moriturus, & infallibiliter cœlo donandus, quin vel diuina aut humana vim patiatur libertas, aut infallibilitas coactione aliqua externa aut interna neceſſitate inficiatur.

1847. Sed in illis *Nuſquam benignitas miſericordis Dei vobis deerit*, oſtendit D. Benedictus auxilia ſaltem ſufficientia nulli vnquam homini negari: quæ tametſi indubitata fuerit veterum Theologorum ſententia, negatur à Luthero & Caluino; & contra clariſsimas Concilij Tridentini periodos protruditur Louanij à Cornelij Ianſenij diſcipulis; ſed cùm id ipſum in Bayo & iam iterum in Ianſenio Eccleſia Romana condemnauerit, dicendum omninò non poſſe componi præcepti obligationem & auxilij neceſſarij carentiam, aliàs homo peccaret in hoc quod vitare non poſſit, mereretur in eo quod non poſſet non facere, & corrueret tota hominis indifferentia, & *libertas* eſſet vocabulum ſignificationis expers aut titulus ſine re, & potius deberet *neceſſitas* aut *violentia* vocari. Sed de hoc vberius in Auguſtino meo, quem ab annis aliquot apparo, diſputabo.

DEFINITIONES MORALES LATÆ CISTERTII IN GENERALIBVS COMITIIS.

MVlta in generalibus Capitulis Religionum tractantur, quorum notitia vniuerſos concerneret; illa enim Viri docti & pij celebrant, Ordo integer acceptat & approbat; quam ob rem nemo negare poterit doctrinam moralem in Generalibus cuiuſcumque Ordinis Comitijs definitam eſſe maximæ authoritatis. Sed de hoc *num.1362.* nunc latas à Ciſtertienſibus morales Definitiones adiungo, prout ex multorum Exemplarium conſonantia licuit exſcribere. Integer enim Ordo anno 1618. legitimè congregatus Ciſtertij has edidit.

DEFINITIONES.

Quænam obligent ſub peccato veniali?

SECTIO I.

[*Anno Domini 1618. die Martij 18. ad inſtantiam admod. Reuerendi D. D. Thomæ Abbatis in Salem, &c. authoritate Capituli Generalis per Patres Abbates & Priores ab eodem ad hoc ſpecialiter deputatos ſequentes deciſiones & declarationes factæ ſunt; &c.*]

I. Officium B. Mariæ quotidie recitari ſolitum.

II. Officium pro Defunctis ordinarium.

III. Miſſæ Lambertinæ viginti [*cum Collectis* Deus veniæ. *Et aliæ ſex cum collectis* Inclina & Fidelium *Et aliæ tres de Spiritu ſancto* Deus qui charitatis.]

IV. (Miſſæ indictæ à Capitulo Generali.) Hæc quarta definitio in multis exemplaribus non legitur.

V. Anniuerſaria quinque ſolemnia. [Singula cum vna miſſa à ſingulis Sacerdotibus dicenda.]

VI. Duodecim Anniuerſaria menſium. [cum duodecim miſſis à ſingulis Sacerdotibus dicendis.]

VII. Tres miſſæ pro quouis Religioſo & Conuerſo defuncto. [à ſingulis Sacerdotibus celebrandæ. Pro familiaribus miſſa vna à ſingulis per annum dicenda.]

VIII. Pſalteria decem loco miſſarum Lambertinarum à Clericis recitanda.

IX. Pſalterium vnum pro quouis Religioſo conuerſo defuncto.

X. Pſalmi pœnitentiales pro quolibet Religioſorum Patre, matre & ſorore à ſingulis non Sacerdotibus dum eorum obitus in Capitulo pronuntiatur, perſoluendi. [Item Pſalmi pœnitentiales ab eiſdem non Sacerdotibus per annum dicendi; loco duodecim Anniuerſariorum menſium, duodecies. Loco Anniuerſariorum ſolennium quinquies. Loco trium miſſarum pro defunctis, ter. Loco trium miſſarum de Spiritu ſancto, ter. Loco vnius miſſæ pro familiaribus, ſemel.]

XI. Horæ quotidianæ Conuerſorum.]

XII. Pſalmus Miſerere mei Deus, aut toties Pater & Aue ab iiſdem conuerſis mille quingentis vicibus repetendus loco decem Pſalteriorum.

XIII. Ieiunia Ordinis & abſtinentia à carnibus diebus in ordine conſuetis & ab Eccleſia non indictis.

Supradicta, ſi omittantur, non inducunt grauiorem obligationem quàm venialis culpæ; [Et quidem tunc ſolùm, cum

cum per negligentiam, non autem quando cùm rationabili cauſa, & cùm Superiorum licentia ſeu legitima diſpenſatione omittuntur, aut non obſeruantur.]

Quæ ad nullum peccatum obligant?

SECTIO II.

I. Pſalmi pœnitentiales feria ſexta ſingularum hebdomadarum recitari conſueti.

II. Suffragia Quadrageſimæ, ſcilicet, Tribulares, &c.

III. Pſalterium quod in hebdomada ſancta recitari ſolet.

IV. Item quod in die Animarum dici conſueuit.

V. Preces pro Defunctis à refectione dici ſolita.

VI. Quotidiana Particularis, & annua Generalis confeſſio.

† Hæc ad nullum peccatum obligant.

Sunt & aliæ obligationes Regulares, quæ ex praxi Ordinis debent exponi.

SECTIO III.

I. Diebus quibus in Ordine duæ miſſæ aſſignantur, loco alterius cantari poteſt miſſa votiua, vel anniuerſaria.

II. Cum miſſa propria conuentualis in Graduali non habeatur, poteſt Abbas aliam applicare, rationabili cauſa exiſtente.

III. Qui cantat miſſam Conuentualem, quæ à ſingulis priuatim dici debet, obligationi ſatisfacit.

IV. Hebdomadarius aliarum miſſarum, legens miſſam ad quam eſt inſcriptus, cum Collecta de anniuerſario, eidem anniuerſario ſatisfacit. [Excipe *Anniuerſarium S. Lamperti, de quo eſt expreſſa definitio eiuſdem Capituli (reperitur inter Politicas anni 1618.) per hæc verba.* Capitulum generale declarauit hebdomadarios Miſſarum B. Mariæ Virginis, & pro defunctis per celebrationem dictarum miſſarum non ſatisfacere miſsis ordinis in Tricenario S. Lamberti, ſed ad eas ſeparatim celebrandas teneri.]

V. Cantans miſſam de Dominica aut de Sancto, ſatisfacit miſſæ REQVIEM *ſiue votiuæ addendo collectam.*

VI. Hebdomadarius de Beata occurrente feſto, ſemper debet de Beata legere.

VII. Miſſa Conuentualis pro Eccleſiæ intentione, Miſſa de Beata pro Benefactoribus, & reliquis viuentibus & defunctis, pro fundatoribus, pro Religioſis Ordinis, & iis qui quotidie moriuntur dici intenditur.

VIII. Moniales legata pia cum obligatione ad certas preces abſque conſenſu ſuorum Viſitatorum acceptare non poſſunt.

NOTA. Exemplaria, quæ in Belgio apud diuerſos reperi omnia breuius ; ſed in Germania nonnulla vberius poſita Abbates ipſi qui interfuerunt teſtantur. At ego vt diſtinctionem, & claritatem obſeruarem, illa omnia quæ in Germanicis exemplaribus lego, quæ in Belgicis non legeram, hac quadrata parentheſi [ ] incluſi; & hoc addidi ne quis hæreat in varia lectione exemplarium. Quartam illam definitionem, quæ de miſsis à Capitulo Generali indictis eſt, in multis Exemplarib. non lego.

Totam Sectionem ſecundam, quæ illa complectitur, quibus Ciſtertienſes moraliter non obſtringuntur, augent, imminuunt aliqui. Addenda tamen iudicaui.

dicaui, quæ in Exemplari, quod ab eodem. D. Thoma Abbate Salemitano accepit D. Matthæus Abbas Alderſpacenſis in Bauaria, & mihi etiam communicauit. Do litteram.

PRÆTEREA. *ijdem. Patres deciderunt & declarauerunt.*

Ad dicendum duo alia vltra prædicta 10. Pſalteria à clericis in Salem per annum dici ſolita.

Ad pſalmum Miſerere*, à quolibet profeſſo ſingulis diebus per tricenarium Lambertinum recitari conſuetum.*

Ad ſuffragia item Quadrageſimæ ſcilicet Tribularer.

Ad Pſalmos pœnitentiales feria 6. ſingularum hebdomadarum vſitatos.

Ad Pſalterium quod in maiori hebdomada integrum dicitur.

Ad Officium item Defunctorum quod in Salem pridie animarum à prandio ex conſuetudine cum tribus nocturnis recitatur.

Ad preces etiam pro iſdem defunctis à refectione dici ſolitas. Nullam per ſe obligationem ne ſub veniali quidem culpa.

Cæterùm ijdem Patres explicuerunt ſuæ intentionis minimè eſſe, vt per has ſuas declarationes & reſolutiones Religioſi ad præmiſſa ex eam ſolenni ſanctæ religioſa & antiqua conſuetudine in noſtro ordine hactenus tam religioſè, & ſcrupuloſè obſeruata ab omnibus & ſingulis perſolui ſolita ſegniores, & negligentiores reddantur, & huiuſmodi deuotiſſima exercitia omninò vſpiam tollantur, aut abrogentur, quin potius omnes, & ſingulos Religioſos quos præmiſſa concernunt, grauiter monent ne hæc tam pia tam antiqua à Religioſiſſimis Patribus noſtris ad nos vſque ſtudioſiſſimè pariter ac deuotiſſimè cum tanto ſpirituali ſuo fructu ac merito hactenus vſurpata negligenter aut alias cum ignauo tepore perſoluant. Quin potius conſiderent, omnes eos diligentiores & alacriores ad præmiſſas huiuſmodi religioſas & ſolitas exercitationes futuros, quo ſuauiori & mitiori modo & ratione ad eas incitantur & inuitantur, alioquin maximo illo fructu commodo & vtilitate ſpirituali, quæ ex dictis religioſis actionibus ſentire & conſequi ſolent vberrimè, ſe certiſſimo priuatum & deſtitutum iri ſciant, pudeatque eos ſe inter tot deuotiſſimos Confratres ſolos tepidos & ignauos exiſtere.

Demùm ijdem Patres cenſuerunt antiquum Ordinis ſtatu tum de Confeſſionibus omnibus cuiuſque anni ſemel coram ipſo Abbate aut ab eo ad hoc deputato, repetendis à Sixto IV. confirmatum & commendatum non cadere ſub aliquo præcepto ad aliquam culpam obligante.

Item diebus quibus in ordine duæ miſſæ aſſignantur loco alterius cantare poſſe Miſſam votiuam vel etiam Anniuerſarium.

Item Miſſam conuentualem, quæ à ſingulis Sacerdotibus priuatim dici debet, poſſe eam computare in ſolutionem iſtius obligationis priuatim dicendi.

Item Miſſam conuentualem quando in gradualı propria non habent, poſſe cantari & applicari quam & cui Abbas vel chori præſes ſubſiſtente rationabili cauſa voluerit.

Eum item qui miſſam de Sancto vel Dominica occurrente applicat promiſſa ex Ordinis præſcripto debita, ſiue ſit Requiem ſiue votiua, obligationi iſti ſatisfacere addendo collectam.

Item miſſam quotidiam de B. Virgine non eſſe permutandam cum miſſa de occurrente Sancto in Ordine noſtro dieb. conſuetis.

Atque his declarationibus non obſtantibus integrum ſemper eſt Capitulo Generali prædicta futuro tempore aliter inſtituere & ordinare, præſertim ſi nimiam negligentiam & ſocordiam irrepere intelligeret, aut alias aliter ſtatuendum iudicaret.

Subiungebantur nonnulla quæ tametſi;

metſi aliunde deſumpta viſa ſunt neceſſariò ſubſcribenda. Erat titulus, *Ex compendio Priuilegiorum FF. Minorum. tit. Officium diuinum, hac Priuilegia participant Ciſtertienſes ex communicatione*. Senſere ergo Patres Ciſtertienſes habere priuilegium communicationis. Addo textum.

B. *Leo X. conceſſit quod Fratres minores dicendo horas canonicas & alia officia diuina in choro vel extra, ſatisfaciant præcepto Capituli* Dolentes *de dicendo ſtudioſè pariter & deuotè, ac etiam Regulæ ſuæ, etiamſi propter aliquam fatigationem vel aliam cauſam dicant ſedendo aut deambulando vel non integrè verba proferendo, prout ſcripta ſunt, propter negligentiam aut imperitiam, vel malam pronuntiationem naturalem propter defectum linguæ ſeu alias qualitercumque ore imperfectè dicant, aut cum mentis diſtractione, & ſenſuum vagatione, dum tamen non faciant hæc malitia.*

C. Et ſimiliter conceſſit quod, qui cum talibus malè proferentibus vel alios ſupradictos defectus facientibus dicant officium, non teneantur reiterare ab alijs imperfectè dicta aut ab eis non integrè audita propter diſtantiam localem, vel ſtrepitum ſeu aliam cauſam; ſed ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ & Regulæ ſuæ qualitercumque audiendo, quæ alij debent dicere præſertim in choro.

Idem Leo conceſſit, vt ne Fratres prædicti mutuo ſe impediant in officio diuino, aut alijs ſint faſtidioſi, quod illa, quæ in Ordinario iubentur dici ſecretè ſub ſilentio, tam in horis Canonicis, quam etiam in Miſſa, non teneantur proferre vocaliter, ſed ſatisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo inter ſe per librum quia aliqui deuotius ſic dicunt, & abſque impedimento & faſtidio aliorum. Et quod eodem modo poſſit facere qui ſolus dicit officium per ſe, cum prolatio verbalis ſit præcipuè vt ab alijs intelligatur.

D. *Idem Leo quia fuit informatus, quod aliqui fratres ſcrupuloſi, quando ſunt in infirmitate, ferè nunquam poſſunt nec ſciunt diſcernere, & ſe determinare quando licitè poſſunt dimittere dicere Horas Canonicas, conceſſit quod ſiue propter febrem aut dolorem intenſum, vel aliam infirmitatem fratres fuerint grauati & afflicti, ſatisfaciant dicendo pro Horis Canonicis preces, hymnos, Pater noſter, Aue Maria, vel alia iudicio Prælati aut præſidentis loci ſeu Conuentus aſſignanda. Et hoc quando Medicus corporalis (ſi commodè petuerit haberi) dixerit eſſe nociuum infirmo.*

E. *Religioſi extra ſua loca exiſtentes poſſunt ſe cum alijs Regularibus & Clericis conformare in diuino officio.*

Innocentius IV. conceſſit vt Prælati Religionum cum ſubditis Senibus vel infirmis non valentibus ſine tædio horas Canonicas recitare, diſpenſare poſſint, aſſignando illis aliquid pro arbitrio ſuo, quod loco Horarum tempore infirmitatis, vel quando conualuerint, recitent: & hoc licet iure communi Prælati poſſint, reddit tamen Priuilegium eos magis ſecuros. Tale Priuilegium ſpecialiter etiam conceſſum fuit Ciſtertienſibus ab Eugen. IV. vide Bull. 21.

Martinus V. conceſſit vt infirmi & etiam Senes & Valetudinarij qui tenentur ad horas Canonicas ſatisfaciant recitando aliquos pſalmos vel id quod ſuis Confeſſoribus viſum fuerit. [Nota id bene pro Senum ſolamine. Sed qui ſenes dicendi? Qui excedunt ſexageſimum annum.]

Eugenius IV. conceſſit quod Fratres infirmi, vel ſenes aut aliàs inualidi Ord. S. Hieron. (& Ciſtertienſes per communicationem) qui horas canonicas non poſſunt dicere ſatisfaciant, dicendo illud quod Prior vel Vicarius vel Confeſſarius eis aſſignauerit.

Idem Eugenius conceſſit quod Religioſi infirmi ſeu debiles Ordin. S. Hier. (nos per communicationem) ſatisfaciant de horis canonicis ad quas tenentur, au-

diendo

diendo eas ab alio vel ab alijs recitari. Ita loco citato.

F. Eugenius IV. conceſſit [fortè meliùs legeres, *declarauit*] *quod Monachi Clerici (Ordinis S. Benedicti) in ſacris tamen non conſtituti, etiam ſi profeſſi ad canonicas horas recitandas ex debito minimè teneantur. Debeat tamen Prior iniungere vt ſi omittant officium, legant aliquos pſalmos, &c.*

Præfata Conceſſio (Declaratio) inquit Alphonſus Caſarubios Hiſpanus, non deſeruit pro Fratribus Minoribus, quià ipſi ſtatim vt profeſſionem omittunt, tenentur ratione voti ad perſoluendum officium diuinum, &c. Poterit tamen huiuſmodi conceſſio prodeſſe alijs Fratribus mendicantibus. [& confirmare quę dicta ſuperiùs à n. 1343.

SCOLION.

Primò occurrit, An Capitulum Generale habeat authoritatem definiendi, nempè An eius Authoritas practica ſit, an ſolùm ſpeculatiua.

Quidquid ſit de authoritate practica, hæ Definitiones conditæ ſunt authoritate ſpeculatiua, quæ vt expendi *nu.* 1361. non habet certitudinem phyſicam infallibilem, habet tamen maximam probabilitatem, nec non moralem certitudinem; fuerunt enim latæ à doctiſſimis Viris, quibus ſanctiores aut doctiores nunquam Comitia celebrarunt, vt vniuerſi qui interfuerunt, affirmant.

Omnia quæ in primo hoc articulo enumerantur, ne venialiter quidem obligant; quia cum materia ſit magna, obligarent grauiter, ſi in conſcientia obligarint, iuxta ea quæ doceo *num.* 42. & conſequenter *diſput.* 104. *num.* 1360. Petis vtrùm probabiliter defendi poſſit, ea obligatione ſub peccato veniali.

Reſpondeo affirmatiuè. *Primò* defendi hoc poſſet ſupponēdo poſſe Legislatorē obligare leuiter etiā ſi materia ſit grauis: quæ eſt ſapientū plurimorū opinio.

Secundò ex hypotheſi quod grauis materia non poſſit cadere ſub culpam leuem, propugnari hæc definitio poterit aſſerendo omnia inibi recenſita, non præcipi propter ſe, ſed propter finem leuem, quia tunc recipient ſpeciem à fine.

Tertiò ſi iuberentur ob finem magnum ad quem leuiter conducerent; tunc eſſent venialiter peccaminoſa. Conſonat huic doctrinæ Ballæus, qui hoc tenet *in Floriб. pag.* 430. *b.* & citat Commentarij huius *n.* 43. quem recognoſce.

Quartò ſi non præciperentur per ſe, ſed conpræciperentur, hoc eſt, ſi eſſent accidentia rei præceptæ quà talis. Puta, ſi eadem ſanctio quæ Canonicum pręcipit, etiam indiceret officium Marianum, tanquam Canonici accidens & modum tunc enim qui lecto Canonico Marianum omiſiſſet, diceretur ſatisfeciſſe quod ſubſtantiam, & omiſiſſe rei præceptæ accidentarium modum, ac proptereà peccauiſſe venialiter.

Quintò ſi ſupponeretur dari vnum ſimplex præceptum, quod plurium dierum lectionem Marianam indiceret, puta ſi ſingulis menſib. nouum præceptum reſponderet, dicendum foret eſſe peccatum veniale omittere vnius diei officium Marianum, ſed mortale integro menſe omittere, id perſuadente diſcurſu analogo, quem expendo *num.* 1332. ſed hoc peccatum mortale nunquam Capitulum Generale admiſit.

Ergo eliminato grauis obligationis onere, prudērer Patres Cōſcripti leuē Art. 1. adſtruxerūt; prudēter qnidē, quia omnia quæ Articulo illo primo recēſentur, obligare ſub peccato veniali, probabiliter defendi poteſt, imò quatuor vel quinque modis, vt vidimus. Cæterùm, inſiſtēdo principijs illis ſolidiorib. quæ ſtatuo, & cōfirmo *n.* 42. & 1360. probabilius eſt nō ſolū illa quæ in art. 2. continentur, ſed etiam illa quæ in primo, nedū venialiter obligare. Lege attentè diſp. 104. citatam.

THEO-

THEOLOGIÆ REGVLARIS

Pars Tertia.

COMMENTARIVS IN REGVLAM EQVITVM DE TEMPLO COMPOSITAM A D. BERNARDO.

REVERENDISSIMO D. D. CHRISTOPHORO SPECIOSÆ VALLIS ANTISTITI, &c. SVO DOMINO AMICO CONFRATRI, S.

QVANTVM mihi profuerint B. Richalmi, priſco æuo Tui Monaſterij Antiſtitis, Apocalypſes, quantum omnibus & ſingulis prodeſſe poterunt, altiùs mente concipio, quàm lingua aut calamo explicabo. Sunt me illæ iudice Philoſopho, Theologo, & Aſcetico, maximè neceſſariæ. Ibi prior non-nulla inueniet phyſica multò aliter reuelata diuinitus, quàm ab Ariſtotele aut etiam Platone ſuppoſita. Ibi alter multa, quæ Dei attributa, Angelorum ſubſtantiam, collocutionem, vires; bonorum erga homines amorem, malorum in eoſdem inuidiam, vtrorumque ſolicitudinem & diligentiam concernentia. Ibi poſterior virtutis ampleſtendæ motiua, culpæ vitandæ monita, horribiles Animarum etiam purgantium pœnas, ineffabilem triumphantium gloriam. Ibi quicumque multa varia & vtilia Animo recreando, erudiendo,

reformando. Notaui aliqua, & præcipuè circa confuſam Apoſtatarum Angelorum Rempublicam, quæ radio eſſe poterunt grauiſſimis difficultatibus, quæ cùm Vallem-ſpecioſam venero, interlegemus. Regulam nunc Templariæ Religionis iam extinctæ tranſmitto, non extinctam; nam à Mellifluo meo Doctore ſcripta æterna eſt, & immunis ab humana violentia. Illam mihi propoſui, non tamen explicandam; quo enim fructu non exiſtentium Hominum conſcientias & leges diſcuterem? conſiderandam veriùs, vt multas ab ea periodos excerpens Benedictinam Regulam dilucidarem; hæc enim ipſa nihil eſt aliud, quàm Benedictina moribus Religioſorum Equitum accommodata. Sed cur ipſam Tibi? Quoniam ſuppreſſi Ordinis eſt, & Tu oppreſſi Monaſterij Antiſtes. qui iuſtitiam in Terris non reperiens æquè poteris ad horribile Dei tribunal prouocare, in quo etiam Violentia & Iniuria accuſatæ comparere coguntur. Martem agros campos, ſegetes, vineas, pagos deuaſtantem, imò & in Religioſos ſæuientem, te paſſum doleo; ſed patienter toleraſſe, congratulor. & felicem iacturam iudico, quæ patientiæ tam heroicæ fuit cauſa. Mutua Deus dedit omnia, ſibi omne dominium reſeruauit, conceſſo Hominibus vſu, non abuſu; nec vſu alio, quàm ſingulis horis reuocabili. Prudenter igitur Deo diuitias ſuppeditanti gratias agis, quòd dederit vnde ſolenniùs coli poſſit; agis & auferenti, quòd te ab onere moleſto liberauerit. Hæc, Reuerendiſſime Domine, ſcribo non tam Tibi quam Mihi; non tam Mihi quàm alijs Exulibus Abbatibus nimiùm anxijs. Tu habes à virtute vt terrena deſpicias, nec eges calcare. Ego teſtor amicos & domeſticos, à natali rerum tædio aut ignauia; cùm enim calamum in manu habeo, nulla re egeo, nullius miſeriæ recordor, & quidquid inimici conentur, nihil patior. Condoleo tamen communibus nonnullis amicis, naufragij conſortibus, in quibus plus patientiæ deſidero. Quas ob peccata in Deum commiſſa effundere deberent lachrymas, obfundunt prodigè ob minimas rerum temporalium iacturas; ſe obrui grauibus obligationibus, nec ſatisfacere poſſe putantes, cùm tamen ſub Deo Iuſto omni obligationi ſatisfeciſſe de fide eſt *Hominem*, qui fecit quod potuit. Viue igitur Abba ditiſſime (illo, qui quacumque Dei voluntate contentus, nemo ditior) & ſiquidem minùs impediris rei domeſticæ curis, & liberiùs contemplationi vacas, memineris apud Deum obſecro.

Reuerendiſsime Domine

Furſtenueldiæ Calendis Decembris

∞ DC. XLV.

Optimi Amici Tui

IOANNIS CARAMVEL LOBKOVVIZ.

REGV-

REGVLA
PAVPERVM COMMILITONVM S. CIVITATIS, SEV MILITVM TEMPLI.

CAPVT I.
Qualiter Diuinum officium audiant.

VOS Quidem, proprijs voluntatibus abrenunciantes; atque alij, pro animarum ſalute vobiſcum ad terminum cum equis & armis ſummo Regi militantes, Matutinas & omne ſeruitium integrum ſecundum canonicam inſtitutionem, ac Regularium Doctorum ſanctæ ciuitatis conſuetudinem pio ac puro affectu audire vniuerſaliter ſtudeatis. Idcircò vobis, venerabiles Fratres, maximè debetur, quia præſentis vitæ luce deſpecta, contemptoque veſtrorum corporum cruciatu, ſæuientem mundum pro Dei amore vileſcere perenniter promiſiſtis, diuino cibo refecti ac ſatiati, & dominicis præceptis eruditi & firmati, poſt myſterij diuini conſummationem nullus paueſcat ad pugnam, ſed paratus ſit ad coronam.

CAPVT II.
Quot Orationes Dominicas, ſi audire nequierint, dicant.

Cæterum ſi aliquis frater negotio Orientalis Chriſtianitatis fortè remotus quod ſæpiùs euenisse non dubitamus, & pro tali abſentia Dei ſeruitium non audierit, pro Matutinis XIII. orationes Dominicas, ac pro ſingulis horis, ſeptem; ſed pro Veſperis IX. dicere collaudamus, ac libera voce vnanimiter affirmamus: iſti etenim in ſalutifero labore ita directi, non poſſunt accurrere hora competenti ad diuinum Officium; ſed ſi fieri poteſt, horæ conſtitutæ non prætereant ante inſtitutum debitum.

CAPVT III.
Quid agendum pro Fratribus defunctis.

Quando verò quilibet fratrum remanentium morti, quæ nulli parcit, impendet, quod eſt impoſſibile auferri, Capellanis ac Clericis vobiſcum ad terminum caritatiuè ſummo Sacerdoti ſeruientibus, creditum officium & Miſſam ſolenniter pro eius anima, Chriſto animi puritate iubemus offerre: Fratres autem ibi aſtantes, & in orationibus pro Fratris defuncti ſalute pernoctantes, centum orationes Dominicas vſque ad diem ſeptimum pro Fratre defuncto perſoluant; ab illo die, quo illis obitus Fratris denunciatus fuerit, vſque ad prædictum diem, centenarius numerus perfectionis integritatem cum fraterna obſeruatione habeat. Adhuc nempè diuina ac miſericordi charitate deprecamur, atque paſtorali autoritate iubemus, vt quotidie, ſicuti Fratri in vicibus dabatur, & debetur, ita quod eſt neceſſarium ſuſtentationi huius vitæ in cibo & potu tantum, cuiquam pauperi, donec ad quadrageſimam diem impendatur. Omnes enim alias obligationes, quas in morte Fratrum, & in Paſchali ſolennitate, cæteriſque ſolennitatibus, Domino pauperum commilitonum Chriſti ſpontanea paupertas indiſcretè reddere conſueuerat, omninò prohibemus.

CAPVT IV.
Capellani Victum & Veſtitum tantum habeat.

Alias verò oblationes & omnia eleemoſy-

moſynatum genera, quoquo modo fiat, Capellanis, vel alijs ad tempus manentibus, vnitati communis Capituli reddere, peruigili cura præcipimus. Seruitores itaque Eccleſiæ victum, & amictum ſecundum authoritatem tantùm habeant, & nihil ampliùs habere præſumant, niſi Magiſtri ſponte charitatiuè dederint.

CAPVT V.

De Militibus Defunctis, qui ſunt ad terminum.

Sunt namque milites in domo Dei, Templique Salomonis ad terminum miſericorditer nobiſcum degentes; vnde ineffabili miſeratione vos rogamus, deprecamur, & ad vltimum obnixè iubemus, vt interim tremenda poteſtas ad vltimum diem aliquem perduxerit, diuino amore, ac fraterna pietate, ſeptem dies ſuſtentationis, pro anima eius, quidam pauper habeat.

CAPVT VI.

Vt nullus frater remanens oblationem faciat.

Decreuimus, vt ſuperiùs dictum eſt, quod nullus fratrum remanētium aliam oblationem facere præſumat: ſed diu, noctuque mundo corde in ſua profeſſione maneat, vt ſapientiſſimo Prophetarum in hoc ſe æquipollere valeat: Calicem ſalutaris accipiam, & in morte mea, mortem Domini imitabor: quia ſicut Chriſtus pro me animam ſuam poſuit, ita & ego pro fratribus animam ponere ſum paratus. Ecce competentem oblationem: ecce hoſtiam viuentem, Deoque placentem.

CAPVT VII.

De immoderata Statione.

Quod autem auribus noſtris veriſſimus teſtis inſonuit, videlicet immoderata ſtatione, & ſine menſura ſtando Diuinum Officium vos audire: ita fieri non præcipimus, imò vituperamus; ſed finito Pſalmo, & Venite exultemus Domino, cum Inuitatorio, & Hymno, omnes ſedere tàm fortes, quàm debiles, propter ſcādalum euitandum, nos iubemus. Vobis verò reſidentibus, vnoquoque Pſalmo finito, in recitatione Gloria Patri, de ſedibus veſtris ad altaria ſupplicando, ob reuerentiam ſanctæ Trinitatis ibi nominatæ ſurgere, & debilibus inclinare demonſtramus. Sic etiam in recitatione Euangelij, & ad Te Deum Laudamus, & per totas laudes, donec finito Benedicamus Domino, ſtare adſcribimus, & eandem Regulam in matutinis ſanctæ Mariæ teneri iubemus.

CAPVT VIII.

De Refectione Conuentus.

In vno quidem Palatio, ſed melius dicitur Refectorio, communiter vos cibum accipere credimus, vbi, quando aliquid neceſſarium fuerit, pro ſignorum ignorantia, leniter, ac priuatim quærere oportet. Si omni tempore, quę vobis neceſſaria ſunt, quęrenda ſunt, cum omni humilitate, & ſubiectione reuerentię potiùs ad menſam cum Apoſtolis dicat: Panem tuum cum ſilentio manduca; & Pſalmiſta vos animare debet, dicens; Poſui ori meo cuſtodiam, ideſt, apud me deliberaui, vt non delinquerem, ideſt, lingua; ideſt, cuſtodiam os meum, ne malè loquerer.

CAPVT IX.

De Lectione.

In prandio, & cœna ſemper ſit ſancta lectio recitata. Si Dominum diligimus, ſalutifera eius verba, atque pręcepta intentiſſima aure deſiderare debemus Lector autem Lectionum vobis indicat ſilentium.

CAPVT X.

De carnis Refectione.

In hebdomada namque, niſi Natalis dies Domini, vel Paſcha, vel Feſtum ſanctæ Marię, aut omnium Sanctorum euenerit, vobis ter refectio carnis ſufficiat; quia aſſueta carnis comeſtio intelligitur honorata corruptio corporum. Si verò in die Martis tale ieiunium euenerit, vt eſus carnium retrahatur, in craſtino abundanter vobis impendatur. Die autem Dominico omnibus militibus rema-

manentibus, nec non Capellanis duo fercula in honorem S. Reſurrectionis bonum, & idoneum indubitanter videtur. Alij autem, videlicèt armigeri, & clientes, vno contenti, cum gratiarum actione permaneant.

CAPVT XI.

Qualitèr manducare Milites debeant.

Duos, & duos manducare generalitèr oportet, vt ſollerter vnus de altero prouideat, ne aſperitas vitæ, vel furtiua abſtinentia in omni prandio intermiſceatur. Hoc autem iuſtè iudicamus, vt vnuſquiſque miles, aut frater æqualem, & æquipollentem vini menſuram per ſe ſolus habeat.

CAPVT XII.

Vt alijs diebus duo, aut tria leguminum fercula ſufficiant.

Alijs nam diebus, videlicèt ſecunda, & quarta feria, nec nõ, & Sabbatho duo, aut tria leguminum, vel aliorum ciborum fercula, aut, vt ita dicam, cocta pulmentaria, omnibus ſufficere credimus; & ita teneri iubemus, vt, fortè qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur.

CAPVT XIII.

Quo cibo ſexta feria reficere oportet.

Sexta autem feria cibum quadrageſimalem ob reuerentiam Paſſionis omni Congregationi, remotâ infirmorum imbecillitate, ſemel ſufficere à feſto omnium Sanctorum vſque in Paſcha, niſi Natalis dies Domini, vel Feſtum ſanctæ Mariæ, aut Apoſtolorum euenerit, collaudamus. Alio verò tempore, niſi generale ieiunium euenerit, bis reficiantur.

CAPVT XIV.

Quo cibo ſexta feria reficere oportet.

Poſt prandium verò, & cœnam ſemper in Eccleſia, ſi propè eſt, vel ſi ita non eſt, in eodem loco ſummo Procuratori noſtro, qui eſt Chriſtus, gratias, vt decet, cum humiliato corde referre inenodabilitèr præcipimus; famulis, aut pauperibus fragmenta, panibus tamen integris reſeruatis, diſtribuere fraterna charitate debent, & iubentur.

CAPVT XV.

Vt decimus panis ſemper eleemoſynario detur.

Licet paupertatis præmium, quod eſt Regnum Cœlorum, pauperibus procul dubio debeatur: vobis tamen, quos Chriſtiana Fides de illis indubitantèr fatetur, decimum totius panis quotidiè eleemoſynario veſtro dare iubemus.

CAPVT XVI.

Vt collatio ſit in arbitrio Magiſtri.

Cùm verò Sol orientalem regionem deſerit, & ad Iberniam deſcendit, audito ſigno, vt eſt eiuſdem regionis conſuetudo, omnes ad Completas oportet incedere vos, ac priùs generalem collationẽ ſumere peroptamus. Hanc autem collationem in diſpoſitione, & arbitrio Magiſtri ponimus, vt quandò voluerit de aqua, & quandò iubebit, miſericorditèr ex vino temperato competentèr recipiatur. Verùm hoc non ad nimiam ſatietatem oportet, & in luxu fieri, ſed parcius; quia apoſtatare etiam ſapientes videmus.

CAPVT XVII.

Vt finitis Completis ſilentium teneatur.

Finitis itaque Completis, ad ſtratum ire oportet. Fratribus igitur à Completorijs exeuntibus nulla ſit denuò licentia loqui in publico, niſi neceſſitate cogente; armigero autem ſuo quæ dicturus eſt, lenitèr dicat. Et verò forſitan, vt in tali interuallo vobis de Completorio exeuntibus, maxima neceſſitate cogente, de militari negocio, vt de ſtatu domus noſtræ, quia dies ad hoc vobis ſufficere non creditur, cum quadam Fratrum parte ipſu m Magiſtrum, vel illum, cui domus dominium poſt Magiſtrum eſt debitum, oporteat loqui. Hoc autem ita fieri iubemus; & ideò, quia ſcriptum eſt; In multiloquio non effugies peccatum. Et alibi; Mores, & vita in manibus linguæ. In illo colloquio ſcurrilitates, & verba otioſa, ac riſum mouentia omninò prohibemus,

mus. & vobis ad lectulum euntibus, Dominicam orationem, ſi aliquis quid ſtultum eſt locutus, cum humilitate & puritatis devotione dicere iubemus.

CAPVT XVIII.

Vt fatigati ad Matutinas non ſurgant.

Fatigatos nempè milites: non ita, vt vobis eſt manifeſtum, ſurgere ad Matutinas conlaudamus: ſed aſſenſu Magiſtri vel illius, cui creditum fuerit à Magiſtro, eos quieſcere, & tredecim orationes conſtitutas ſic cantare, vt mens ipſorum voci concordet, iuxta illud Prophetæ: Pſallite Domino ſapienter. Et illud: In conſpectu Angelorum pſallam tibi; vos vnanimes conlaudamus. Hoc autem in arbitrio Magiſtri ſemper conſiſtere debet.

CAPVT XIX.

Vt communitas Victus inter fratres ſeruetur.

Legitur in diuina pagina: Diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Ideò non dicimus vt ſit perſonarum exceptio, ſed infirmitatum debet eſſe conſideratio. Vbi autem, qui minùs indiget, agat Deo gratias & non contriſtetur. Qui verò indiget, humiliter pro infirmitate, non extollatur pro miſericordia, & ita omnia membra erunt in pace. Hoc autem prohibemus, vt nulli immoderatam abſtinentiam amplecti liceat: ſed communem vitam inſtanter teneant.

CAPVT XX.

De qualitate & modo veſtimenti.

Veſtimenta autem vnius ſemper coloris eſſe iubemus, verbi gratia, Alba vel nigra, vel vt ita dicam, burella. Omnibus autem militibus profeſſis in hyeme & in æſtate, ſi fieri poteſt, alba veſtimenta concedimus; vt qui tenebroſam vitam poſtpoſuerint, per liquidam & albam ſuo conditori ſe reconciliari agnoſcant. Quid albedo, niſi integra caſtitas. Caſtitas, ſecuritas mentis, ſanitas corporis eſt. Niſi enim vnuſquiſque miles caſtus perſeuerauerit, ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit, teſtante Apoſtolo Paulo: Pacem ſectamini cum omnibus & caſtimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum. Sed quia huiuſmodi indumentum arrogantiæ ac ſuperfluitatis æſtimatione carere debet, talia habere omnibus iubemus, vt ſolus leniter per ſe veſtire & exuere, & calciare & diſcalciare valeat. Procurator huius miniſterij peruigili cura hoc vitare præſumat, ne nimis longa, aut nimis curta, ſed menſurata ipſis vtentibus, ſecundum vniuſcuiuſque quantitatem ſuis Fratribus tribuat. Accipientes itaque noua, vetera ſemper reddant in præſenti, reponenda in camera, vel vbi frater, cuius eſt miniſterium, decreuerit, propter armigeras & clientes, & quandoque pro pauperibus.

CAPVT XXI.

Quod famuli veſtimenta alba, hoc eſt, pallia non habeant.

Hoc nempè, quod erat in domo Dei ac ſuorum militum templi, ſine diſcretione ac conſilio communis Capituli, obnixè contradicimus, & funditus, quoddam vitium peculiare amputare præcipimus. Habebant enim olim famuli & armigeri alba veſtimenta, vnde veniebant damna importabilia. Surrexerunt namque in Vltramontanis partibus quidam Pſeudo-fratres, & Coniugati & alij, dicentes ſe eſſe de Templo, cùm eſſent de mundo. Hi nempè tantas contumelias, totque damna militari Ordini acquiſierunt, & clientes remanentes plurima ſcandala oriri inde ſuperbiendo fecerunt. Habeant igitur aſſiduè nigra: ſed ſi talia non poſſint inuenire, habeant, quæ alia inueniri poſſunt in illa prouincia, qua degunt, aut quod vilius vnius coloris comparari poteſt, videlicet burella.

CAPVT XXII.

Quod milites remanentes tantùm albas habeant.

Nulli ergo conceſſum eſt candidas Cla-

Clamydes deferre, aut alba pallia habere, niſi nominatis militibus Chriſti.

CAPVT XXIII.

Vt pellibus agnorum vtantur.

Decreuimus communi conſilio vt nullus frater ſempneps pelles perenniter aut pelliciam, vel aliquid tale, quod ad vſum corporis pertineat, etiamque coopertorium niſi agnorum vel arietum habeat.

CAPVT XXIV.

Vt vetuſta Armigeris diuidantur.

Procurator vel dator pannorum omni obſeruantia veteres ſemper armigeris & clientibus, & quandoque pauperibus fideliter æqualiterque erogare intendat.

CAPVT XXV.

Cupiens optima, deteriora habeat.

Si aliquis frater remanens ex debito aut ex motu ſuperbiæ, pulchra vel optima habere voluerit, ex tali præſumptione procul dubio viliſſima merebitur.

CAPVT XXVI.

Vt quantitas & qualitas veſtimentorum ſeruetur.

Quantitatem ſecundum corporum magnitudinem largitatemq; veſtimentorum obſeruare oportet: dator pannorum ſit in hoc curioſus.

CAPVT XXVII.

Vt dator pannorum in primis æqualitatem ſeruet.

Longitudinem, vt ſuperiùs dictum eſt, cum æquali menſura, ne vel ſuſurronum, vel comminatorum aliquid oculus notare præſumat, Procurator fraterno intuitu conſideret, & in omnibus ſupradictis Dei retributionem humiliter cogitet.

CAPVT XXVIII.

De ſuperfluitate capillorum.

Omnes fratres, remanentes principaliter, ita tonſos habere capillos oportet, vt regulariter ante & retrò, & ordinatè, conſiderare poſſint; & in barba, & in grenniõnibus eadem Regula indeclinabiliter obſeruetur, ne ſuperfluitas, aut facetiæ vitium denotetur.

CAPVT XXIX.

De roſtris & laqueis.

De roſtris, & laqueis manifeſtum eſt eſſe gentilitium. Et cùm abominabile hoc omnibus agnoſcatur, prohibemus & contradicimus, vt aliquis ea non habeat, imò prorſus careat. Alijs autem ad tempus famulantibus, roſtra & laquea & capillorum ſuperfluitatem, & veſtium immoderatam longitudinem habere non permittimus, ſed omninò contradicimus. Seruientib. enim ſummo Conditori, munditia exteriùs interiuſque valde neceſſaria, eo ipſo atteſtante, qui ait: Eſtote mundi, quia ego mundus ſum.

CAPVT XXX.

De numero Equorum & Armigerorum.

Vnicuique veſtrorum militum tres equos licet habere: quia Domus Dei, Templique Salomonis eximia paupertas ampliùs non permittit impræſentiarum augere, niſi cum Magiſtri licentia.

CAPVT XXXI.

Nullus Armigerum gratis ſeruientem feriat.

Solum autem armigerum ſingulis militibus eadem cauſa concedimus; ſed ſi gratis & charitatiuè ille armiger cuiquam militi fuerit, non licet ei eum verberare, nec etiam qualibet culpa percutere.

CAPVT XXXII.

Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.

Omnibus militib. ſeruire Ieſu Chriſto animi puritate in eadem domo ad terminum cupientibus equos in tali negocio quotidiano idoneos, & arma, & quidquid ei neceſſarium fuerit, emere fideliter iubemus. Deinde verò ex vtraque parte æqualitate ſeruata, bonum & vtile appretiari equos iudicauimus. Habeatur itaque pretium in ſcripto, ne tradatur obliuioni, & quidquid militi, vel eius equis, vel armigero erit neceſſarium adiunctis & ferris equorum ſecundum facul-

facultatem domus, ex eadem domo fraterna charitate impendatur. Si verò interim equos ſuos miles aliquo euentu in hoc ſeruitio amiſerit, Magiſter, prout facultas domus hoc exigit, alios adminiſtrabit. Adueniente autem termino repatriandi medietatem pretij ipſe miles diuino amore concedat, alteram ex communi Fratrum, ſi ei placet, recipiat.

CAPVT XXXIII.

Quod nullus iuxta propriam voluntatem incedat.

Conuenit his nempè militibus, qui nihil ſibi Chriſto charius exiſtimant, propter ſeruitium, ſecundum quod profeſſi ſunt, & propter gloriam ſummæ beatitudinis, vel metum gehennæ, vt obedientiam indeſinenter Magiſtro teneant. Tenenda eſt itaque, vt mox, vbi aliquid imperatum à Magiſtro fuerit, vel ab illo, cui Magiſter mandatum dederit, ſine mora, ac ſi diuinitùs imperetur, moram pati neſciant in faciendo. De talibus enim ipſa Veritas dicit: Obauditu auris obediuit mihi.

CAPVT XXXIV.

Si licet ire per villā ſine iuſſu Magiſtri.

Ergo hoſpitales milites propriam voluntatem relinquentes, & alios ad terminum ſeruientes deprecamur, & firmiter eis iubemus, vt ſine Magiſtri licentia, vel cui creditum hoc fuerit, in villam ire non præſumant, præterquam noctu ad Sepulcrum, & ad ſtationes quæ intra muros ſanctæ ciuitatis continentur.

CAPVT XXXV.

Si licet eum ambulare ſolum.

Hi verò ita ambulantes, non ſine cuſtode, id eſt, milite aut fratre remanente, nec in die, nec in nocte iter inchoare audeant. In exercitu namque, poſtquam hoſpitati fuerint, nullus miles vel armiger aut famulus per atria aliorum militum cauſa videndi, aut cum aliquo loquendi ſine iuſſu, vt dictum eſt ſuperius, incedat. Itaque conſilio affirmamus, vt in tali domo, ordinata à Deo, quod nullus ſecundum proprietatem militet aut quieſcat, ſed ſecundum Magiſtri imperium totus ſe incumbat, vt illam Domini ſententiam imitari valeat, qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui me miſit.

CAPVT XXXVI.

Quod nullus nominatim, quod ei neceſſarium erit, quærat.

Hanc propriè conſuetudinem inter cætera adſcribere iubemus, & cum omni conſideratione, ob quærendi vitium, teneri præcipimus. Nullus igitur frater remanens aſſignanter & nominatim equum aut equitaturam, vel arma quærere debet. Quomodo ergò? Si verò eius infirmitas, aut equorum ſuorum debilitas, vel armorum ſuorum grauitas, talis eſſe agnoſcitur, vt ſic incedere ſit damnum commune, veniat Magiſtro, vel cui eſt debitum miniſterium poſt Magiſtrum & cauſam vera fide & pura ei demonſtret: Inde namque in diſpoſitione Magiſtri, vel poſt eum Procuratoris res ſe habeat.

CAPVT XXXVII.

De frenis, & calcaribus.

Nolumus, vt omninò aurum vel argentum, quæ ſunt diuitiæ peculiares, in frenis & pectoralibus, nec calcaribus, vel in ſtreuis vnquam appareant, nec alicui Fratri remanenti emere liceat. Si verò charitatiuè talia vetera inſtrumenta data fuerint, aurum vel argentum taliter coloretur, ne ſplendidus color vel decor cæteris arrogantia videatur. Si noua data fuerint, Magiſter de talibus quod voluerit faciat.

CAPVT XXXVIII.

Tegimen in haſtis & clypeis non habeatur.

Tegimen autem in clypeis & haſtis, & furellis in lanceis non habeatur, quia hoc non proficuum, imò damnum nobis omnibus intelligitur.

CAPVT XXXIX.

De licentia Magiſtri.

Licet Magiſtro cuiquam dare equos, vel arma, vel quàlibet rem cuilibet dare.

CA-

CAPVT XL.

De mala, & ſacco.

Sacculus, & mala cum firmatura non conceduntur: ſic exponuntur, ne habeant abſque Magiſtri licentia, vel cui creduntur Domus poſt eum negotia. In hoc præſenti capitulo Procuratores, & per diuerſas prouincias degentes non continentur, nec ipſe Magiſter intelligitur.

CAPVT XLI.

De Legatione Litterarum.

Nullatenus cuiquam fratrum liceat à parentibus ſuis, neque à quoquam hominum, nec ſibi inuicem accipere, vel dare ſine iuſſu Magiſtri, vel Procuratoris. Poſtquam licentiam frater habuerit, in pręſentia Magiſtri, ſi ei placeat, legantur. Si verò, & à parentibus ei quidquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere illud, niſi prius indicatum fuerit Magiſtro. In hoc autem capitulo Magiſter, & domus Procuratores non continentur.

CAPVT XLII.

De fabulatione propriarum culparum.

Cum omne verbum otioſum generare agnoſcatur peccatum, quid ipſi iactantes de proprijs culpis ante diſtrictum iudicem dicturi ſunt? Oſtendit certè Propheta: Si à bonis eloquijs propter taciturnitatem debet interdum taceri: quanto magis à malis verbis propter pęnam peccati debet ceſſari. Vitamus igitur, & audaciter contradicimus, ne aliquis frater remanens, vt melius dicam, ſtultitias, quas in ſæculo, in militari negotio, tàm enormitèr egit, & carnis delectationes miſerrimarum mulierum cum fratre ſuo, vel aliquo alio, vel de alio commemorare audeat: & ſi fortè referentem aliquem talia audierit, abmuteſcere faciat, vel quantociùs poterit, cito pede obedientiæ indè diſcedat, & olei venditori aurem cordis non prębeat.

CAPVT XLIII.

De quæſtu, & acceptione.

Verum enim verò, ſi aliqua res, ſine quæſtu cuilibet fratri data gratis fuerit, deferat Magiſtro, vel Dapifero: ſi verò aliter ſuus amicus, vel parens dare, niſi ad opus ſuum, noluerit, hoc prorsùs non recipiat, donec licentiam à Magiſtro ſuo habeat. At cui res data fuerit, non pigeat illi, ſi alteri datur; imò pro certo ſciat, quia ſi indè iraſcitur, contra Deum agit. In hac autem prædicta regula miniſtratores non continentur, quibus ſpecialitèr hoc miniſterium debetur, & conceditur de mala, & ſacco.

CAPVT XLIV.

De manducarijs equorum.

Vtilis res eſt cunctis hoc præceptum à nobis conſtitutum, vt indeclinabilitèr amoda teneatur. Nullus autem frater facere præſumat manducaria linea, vel lanea, idcircò principalitèr facta, nec habeat vlla, excepto profinello.

CAPVT XLV.

Vt cambiare, vel quærere nullus audeat.

Nunc aliquid reſtat, vt nullus præſumat cambiare ſua, frater cum fratre, ſine licentia Magiſtri; & aliquid quærere, niſi frater fratri, & ſit res parua, vilis, non magna.

CAPVT XLVI.

Vt nullus auem cum aue capiat, nec cum capiente incedat.

Quod nullus auem cum aue accipere audeat, nos communitèr iudicamus: non conuenit enim religioni, ſic cum mundanis delectationibus inhęrere, ſed Domini præcepta libenter audire, orationibus frequentèr incumbere, mala ſua cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Cum homine quidem talia operante, cum accipitre, vel alia aue, nullus frater remanens hac principali cauſa ire præſumat.

CAPVT XLVII.

Vt nullus feram arcu, vel baliſta percutiat.

Cum omni religione ire deceat, ſimpliciter, & ſine riſu, humiliter: & non multa verba, ſed rationabilia loqui, & non ſic clamoſa in voce; ſpecialiter iniungimus, & præcipimus omni fratri profeſſo, ne in boſio cum arcu, aut baliſta iaculari audeat, nec cum illo, qui hoc fecerit, ideò pergat, niſi gratia eum cuſtodiendi à perfido gentili; nec cum cane ſit auſus clamare, vel garrulare, nec equum ſuum cupiditate accipiendi feram pungat.

CAPVT XLVIII.

Vt Leo ſemper feriatur.

Nam eſt certum, quod vobis ſpecialiter creditum eſt, & debitum, pro fratrib. veſtris animam ponere, atq; incredulos, qui ſemper Virginis filio minitantur, de terra delere. De Leone enim hoc legimus, quia ipſe circuit, quęrens quem deuoret, & manus eius contra omnes, omniumque manus contra eum.

CAPVT XLIX.

De omni re ſuper vos queſita, iudicium audite.

Nouimus quidem perſecutores S. Eccleſiæ innumerabiles eſſe, & hos, qui contentionem non amant, inceſſanter, crudeliuſque inquietare feſtinant. In hoc igitur Concilij ſententia ſerena conſideratione pendeat, vt ſi aliquis in partibus Orientalis religionis, in quocumque alio loco ſuper vos rem aliquam quæſierit, vobis per fideles, & veri amatores iudices audire iudicium præcipimus, & quod iuſtum fuerit, indeclinabiliter vobis facere pręcipimus.

CAPVT L.

Vt hæc regula in omnibus teneatur.

Hæc eadem regula in omnibus rebus vobis immeritò ablatis, perenniter iubemus, vt teneatur.

CAPVT LI.

Quod licet omnibus Militibus profeſſis terram, & homines habere.

Diuina, vt credimus, prouidentia, à vobis in ſanctis locis ſumpſit exordium hoc genus nouum religionis, vt videlicet religionis militiam admiſceretis, & ſic religio per militiam armata procedat, hoſtem ſine culpa feriat, iure igitur iudicamus, cùm Milites templi dicamini, vos ipſos, ob inſigne meritum, & ſpeciale probitatis, domum, terram, & homines habere, & agricolas poſſidere, & iuſtè eos regere, & inſtitutum debitum vobis ſpecialiter debetur impendi.

CAPVT LII.

Vt de malè habentibus cura peruigil habeatur.

Male habentibus fratribus ſupra omnia adhibenda eſt cura peruigil, vt quaſi Chriſto eis ſeruiatur, vt illud Euangelicum, Infirmus fui, & viſitaſti me, memoriter teneatur; hi etenim diligenter, & patienter portandi ſunt, quia de talibus ſuperna retributio indubitanter acquiritur.

CAPVT LIII.

Vt infirmis neceſſaria ſemper dentur.

Procuratoribus verò infirmantium omni obſeruantia, atque peruigili cura præcipimus, vt quæcumque ſuſtentationi diuerſarum infirmitatum ſunt neceſſaria, fideliter, ac diligenter, iuxtà domus facultatem eis adminiſtrent, v.g. carnem, & volatilia, &c. donec ſanitati reſtituantur.

CAPVT LIV.

Vt alter alterum ad iram non prouocet.

Pręcauendum nempè non modicum eſt, ne aliquis aliquem commouere ad iram pręſumat; quia propinquitatis, & diuinæ fraternitatis, tàm pauperes, quàm potentes ſumma clementia æqualiter conſtrinxit.

CAPVT LV.

Quomodò fratres coniugati habeantur.

Fratres autem coniugatos hoc modo habere vobis permittimus, vt ſi fraternitatis

tatis veſtræ beneficium, & participationem petunt, vterque ſuæ ſubſtantiæ portionem, & quidquid amplius acquiſierint, vnitati communis Capituli poſt mortem cōcedant, & interim honeſtam vitam exerceant, & bonum agere fratribus ſtudeāt, ſed veſte cādida, & chlamyde alba non incedant. Si verò maritus antè obierit, partem ſuam fratribus relinquat, & coniux de altera vitæ ſuſtentamentum habeat; hoc enim iniuſtum conſideramus, vt cum fratribus Deo caſtitatem promittentibus, fratres huiuſmodi in vna, eademque domo maneant.

CAPVT LVI.

Vt amplius ſorores non habeantur.

Sorores quidem amplius periculoſum eſt coadunare; quia antiquus hoſtis fœmineo conſortio complures expulit à recto tramite paradiſi. Itaque fratres chariſſimi, vt integritatis flos inter vos ſemper appareat, hac conſuetudine amodò vti non liceat.

CAPVT LVII.

Vt Fratres Templi cum excommunicatis non participent.

Hoc, Fratres, valdè cauendum, atque timendum eſt, ne aliquis ex Chriſti militibus homini excommunicato nominatim, ac publicè aliquo modo ſe iungere, aut ſuos accipere præſumat, ne anathema maranatha ſimiliter fiat. Si verò interdictus tantum fuerit, cum eo participationem habere, rem ſuam charitatiuè accipere, non immeritò licebit.

CAPVT LVIII.

Qualiter Milites ſæculares recipiantur.

Si quis Miles ex maſſa perditionis, vel alter ſæcularis ſæculo volens renunciare, veſtram communionem, & vitam velit eligere, non ei ſtatim aſſentiatur, ſed iuxtà illud Pauli, probate Spiritus, ſi ex Deo ſunt, & ſic ei ingreſſus concedatur. Legatur igitur Regula in eius præſentia, & ſi ipſe præceptis expoſitæ Regulæ diligenter obtemperauerit, tunc ſi Magiſtro, & Fratribus eius recipere placuerit, conuocatis fratribus, deſiderium, & petitionem ſuam cunctis animi puritate patefaciat; deindè verò terminus probationis in conſideratione, & prouidentia Magiſtri, ſecundum honeſtatem vitę petentis, omninò pendeat.

CAPVT LIX.

Vt omnes Fratres ad ſecretum conſilium non vocentur.

Non ſemper omnes Fratres ad conſilium conuocare iubemus, ſed quos idoneos, & conſilio prouidos Magiſter cognouerit. Cum autem de maioribus tractare voluerit, vt eſt, dare cōmunem terram, vel de ipſo Ordine diſceptare, aut Fratrem recipere, tunc omnē congregationem, ſi Magiſtro placet, conuocare, eſt competens; auditoq; communis Capituli conſilio, quod melius, & vtilius Magiſter conſiderauerit, illud agatur.

CAPVT LX.

Quod cum ſilentio orare debeant.

Orare Fratres, prout animi, & corporis affectus poſtulauerit, ſtando, vel ſedendo, tamen ſumma cum reuerentia, ſimpliciter, & non clamosè, vt vnus alium non conturbet, communi conſilio iubemus.

CAPVT LXI.

Vt fidem ſeruientium accipiant.

Agnouimus nempè complures ex diuerſis prouincijs, tàm clientes, quàm armigeros pro animarum ſalute, animo feruenti ad terminum cupientes in domo noſtra mancipari. Vtile eſt autem, vt fidem eorum accipiatis, ne fortè veteranus hoſtis in Dei ſeruitio aliquid furtiuè, vel indecenter eis intimet, vel à bono propoſito repentè exterminet.

CAPVT LXII.

Vt pueri, quamdiu ſunt parui, non accipiantur inter Fratres Templi.

Quamvis Regula Sanctorum Patrum pueros in Congregatione permittat habere: nos de talibus non conlaudamus vos vnquam onerare. Qui verò filium ſuum, vel propinquum in militari Religio-

gione perenniter dare voluerit vſque ad annos, quibus viriliter armata manu poſſit inimicos Christi de terra ſancta delere, eum nutriat: dehinc ſecundum Regulam in medio fratrum pater, vel parentes eum ſtatuant, & ſuam petitionem cunctis ſatisfaciant. Melius eſt enim in pueritia non vouere, quàm poſteaquam vir factus fuerit, enormitèr retrahere.

CAPVT LXIII.

Vt Senes ſemper venerentur.

Senes autem pia conſideratione ſecundum virium imbecillitatem ſupportare, ac diligentèr honorare oportet: nullatenus in his, quæ corporis ſunt neceſſaria diſtrictè teneantur, ſalua tamen authoritate Regulæ.

CAPVT LXIV.

De Fratribus, qui per diuerſas prouincias proficiſcuntur.

Fratres verò, qui per diuerſas prouincias diriguntur, Regulam, in quantum vires expetunt, ſeruare in cibo, & potu, & cęteris ſtudeant, & irreprehenſibilitèr viuant, ab his, qui foris ſunt, bonum teſtimonium habeant: religionis propoſitum nec verbo, nec actu polluant, ſed maximè omnibus, quibus ſe coniunxerint, ſapientiæ, & bonorum operum exemplum & condimentum præbeant. Apud quem hoſpitari decreuerint, fama optima ſit decoratus, &, ſi fieri poteſt, domus hoſpitis in illa nocte non careat lumine, ne tenebroſus hoſtis occiſionem, quod abſit, inferat. Vbi autem milites excommunicatos congregare audierint, illuc pergere, non conſiderantes tàm temporalem vtilitatem, quàm æternam animarũ illorum ſalutem, dicimus. Illis autem fratribus in Vltra-marinis partibus ſpe ſubuectionis ita directis, hac conuentione eos, qui militari Ordini ſe iungere perennitèr voluerint, recipere collaudamus, vt in præſentia Epiſcopi illius prouinciæ vterque conueniant, & voluntatem petentis Præſul audiat: audita itaq; petitione, mittat eum frater ad Magiſtrũ, & ad Fratres, qui ſunt in Tẽplo, quod eſt in Ieruſalem, & ſi vita eius eſt honeſta, talique conſortio digna, miſericorditer ſuſcipiatur, ſi Magiſtro, & Fratribus bonum videtur. Si verò interim obierit, pro labore, & fatigatione, quaſi vni ex fratribus, totum beneficium, & fraternitas pauperum, & commilitonum Chriſti ei impendatur.

CAPVT LXV.

Vt victûs æqualitèr omnib. diſtribuatur.

Illud quoq; congruè, & rationabilitèr manutenendũ cenſemus, vt omnib. fratribus remanentibus victus ſecundùm loci facultatẽ ęqualitèr diſtribuatur. non enim eſt vtilis perſonarum acceptio, ſed infirmitatum neceſſaria eſt conſideratio.

CAPVT LXVI.

Vt Milites Templi decimas habeant.

Credimus namq; relictis affluentibus diuitijs vos ſpontaneæ paupertati eſſe ſubiectos, vnde decimas vobis communi vita viuentibus iuſtè habere hoc modo demonſtrauimus. Si Epiſcopus Eccleſiæ, cui decima iure debetur, vobis eam charitatiuè dare voluerit, aſſenſu communis Capituli de illis decimis, quas tunc Eccleſia poſſidere videtur, vobis tribuere debet. Si autem laicus quilibet adhuc illam, vel ex patrimonio ſuo damnabiliter amplectitur, & ſe ipſum in hoc valdè redarguens, vobis eandem reliquerit, ad nutum eius, qui præeſt tantùm, ſine conſenſu Capituli id agere poteſt.

CAPVT LXVII.

De leuibus, & grauibus culpis.

Si aliquis frater loquendo, vel militando, aut aliter aliquid leue deliquerit, ipſe vltrò delictum ſuum ſatisfaciendo Magiſtro oſtendat. De leuibus, ſi conſuetudinem non habeant, leuem pęnitentiã habeat. Si verò eo tacente per aliquem alium culpa cognita fuerit, maiori, & euidentiori ſubiaceat diſciplinæ, & emendationi. Si autem graue erit delictum, retrahatur à familiaritate fratrum, nec cum illis ſimul in eadem menſa edat, ſed ſolus refectionem ſumat, diſpenſationi, & iu-

& iudicio Magiſtri totum incumbat, vt ſaluus in iudicij die permaneat.

CAPVT LXVIII.

Qua culpa frater ampliùs non recipiatur.

Ante omnia prouidendum eſt, ne quis frater potens, aut impotens, fortis, aut debilis, volens ſe exaltare, & paulatim ſuperbire, ac culpam ſuam defendere, indiſciplinatus maneat: ſed ſi emendare noluerit, ei diſtrictior correptio accedat: quòd ſi pijs admonitionibus, & fuſis pro eo orationibus emendare noluerit, ſed in ſuperbia magis, ac magis erexerit, tunc ſecundum Apoſtolum de pio eradicetur grege: Auferte malum ex vobis: Neceſſe eſt, vt à ſocietate fratrum fidelium ouis moribunda remoueatur. Cęterùm Magiſter, qui baculum, & virgam manutenere debet; baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates ſuſtentet: virgam quoque, qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriat: conſilio Patriarchæ, & ſpiritali conſideratione id agere ſtudeat, ne, vt ait B. Maximus, aut ſolutior lenitas cohibentiam peccatis, aut immoderata ſeueritas à lapſu non reuocet delinquentem.

CAPVT LXIX.

Vt à Paſchali ſolennitate vſque ad feſtum omnium Sanctorum vnam camiſiam lineam tantum ſumere habeat.

Interea, quo nimio ardore Orientalis regionis miſericorditer conſideramus, vt à Paſchali feſtiuitate vſq; ad omnium Sanctorum ſolennitatem vnicuique vna camiſia linea tantum, non ex debito, ſed ſola gratia detur; illi dico, qui ea vti voluerit: alio autem tempore generaliter omnes camiſias laneas habeant.

CAPVT LXX.

Quot, & quales panni in lecto ſint neceſſarij.

Singulorum quidem, non aliter, per ſingula lecta dormientium dormire, niſi permaxima cauſa, vel neceſſitas euenerit, communi conſilio conlaudamus. Lectualia, vel lectiſternia moderata diſpenſatione Magiſtri vnuſquiſq; habeat: credimus enim potiùs ſaccum, culcitrā, & coopertorium vnicuique ſufficere. Qui verò ex his vno carebit, carpitam habeat, & in omni tempore tegmine lineo, id eſt, veluſo frui benè licebit. Veſtiti autem camiſijs dormiant, & femoralibus ſemper dormiant. Dormientibus itaque fratribus, iugiter vſque manè nunquam deſit lucerna.

CAPVT LXXI.

De vitanda murmuratione.

Æmulationes inuidas, liuorem, murmur, ſuſurrationes, detractiones, diuina admonitione vitare, & quaſi quandam peſtem fugere vobis præcipimus. Studeat igitur vnuſquiſque vigilāte animo, ne fratrem ſuum clam culpet, aut reprehendat, ſed illud Apoſtoli ſtudioſè ſecum animaduertat; Ne ſis criminator, ne ſuſurro in populo. Cùm autem fratrem liquidò aliquid peccaſſe agnouerit, pacificè, & fraterna pietate, iuxta Domini præceptum, inter ſe, & illum ſolum corripiat: & ſi eum non audierit, alium fratrem adhibeat; ſed ſi vtrumque contempſerit, in conuentu publicè obiurgetur coram omnibus. Magnæ enim cæcitatis ſunt, qui alijs detrahunt; & nimiæ infelicitatis ſunt, qui ſe à liuore minimè cuſtodiunt; vnde in antiquam verſuti hoſtis nequitiam demerguntur.

CAPVT LXXII.

Vt omnium mulierum fugiantur oſcula.

Periculoſum eſſe credimus omni religioſo vultum mulierum nimis attendere; & ideò nec viduam, nec virginem, nec matrem, nec ſororem, nec amitam, nec vllam aliam fœminam aliquis frater oſculari præſumat. Fugiat ergò fœminea oſcula Chriſti militia, per quæ ſolent homines ſæpè periclitari, vt pura conſcientia, & ſecura vita in conſpectu Domini perenniter valeat conuerſari.

DE TEMPLARIORVM EQVITVM CISTERTIENSIVM REGVLA COMPOSITA A MELLIFLVO BERNARDO.

1848. AN Deuiuet Regula Hominum, qui deuixerunt? quos qui condemnem, ſæuiam in plura hominum millia, qui abſoluam, videbor arguere Pontificem & Regem Galliæ? Cum poſſibile ſit & plurimos iuſtè à paucis damnatos, & paucos in multorum damnatione errauiſſe, hærebo potiùs, quam meum aperiam in cauſa ſubobſcura dictamen. Ardua in hac controuerſia reſolutio, & ab hiſtoria prudens; cuius arbitrium abrogare non velim, ſatius iudicans carpere in alijs quæ ſcripſere animoſius, quam ſcribere quæ ſugillent alij. Sanè Templarij Ordinis exordium ponit Regulæ Prologus in Hugone & anno Domini M.C.XIX. Regulæ lationem, acceptationem, ad probationem in Trecenſi Concilio, & anno à Chriſti Domini natiuitate M.C.XXVIII. & ab Ordinis exordio IX. At ponunt excidium anno Chriſti M.CCC.XII. ſub finem, & Ordinis C.XCIV. multi Authores, & inter ipſos Meierus *libr.2. Annal.* & *libr.7. Chron.* Chriſtianus Maſſæus & Onuphrius Panninius *in Epitome de Romanis Pontificibus.* Fulgoſus *lib.1. exempl. cap 6.* & ex ipſis Hieremias Drexelius *in Tribunali Chriſti li.2. c.3.* vbi rem depingit iſtis verbis.

[Certiſſimum habetur, quod Clementi V. Pontifici Maximo euenit. Qui cùm Templarios, cœtum Religioſum, & diu bonum atque vtilem Viennæ in Concilio damnaſſet, & in ſodales ferro atque igne paſſim animaduertiſſet; vel, vt alij loquuntur, ſæuijſſet, à pluribus eorum, vno præſertim Neapolitano Equite ad iudicium diuinum eſt appellatus, ita quidem vt Clemens Pontifex, & Philippus Rex Galliarum ad Tribunal ſuperùm citati intra annum ſe ſiſterent; Philippo Regi damnationes illæ fuiſſe bono putabantur. Templariorum bonis ad eum deuolutis & confiſcatis. Neque vana fuit appellatio, nam intra tempus annuum, vno ſcilicet eodem anno 1314. tam Papa quàm Rex obierunt. Clemens 20. Aprilis, Philippus 29. Nouembris. (Fulgoſus Pontificem repentè obijſſe tradit.) Quis neget geniale aliquid & diuinum hic interueniſſe Supremo Numine conſciſcente?] Hæc illè. Citationis verba ponit Iacobus Marchantius Horti Paſtorum tractatu IV. Propoſitione II. videlicet, *Quando inter mortales nullus mihi iam ſupereſt ad quem appellem, ad iuſtum Iudicem Chriſtum, qui nos redemit appello, vt ante eius tribunal ante annum & diem vos ſiſtatis, vbi cauſam meam exponam.*

1849. Et Ego huius ſancti Scriptoris teſtimonio animatus quid faciam? An non pro Ciſtertienſibus Equitibus ſtabo, arguamq; de inclementia Clementem, de philautia Philippum? Sane ſi aliquos ipſi accuſant, hærebo; ſi vniuerſos, diſſentiam; me enim iudice dari congregationem, cuius membra vniuerſa ſint mala,

mala, impoſſibile eſt. Non diffiteor inter ipſoſmet Apoſtolos fuiſſe Iudam, ſed vnum & in ſanctiſſimis congregationibus aliquos fuiſſe aut eſſe peſſimos non ignoro ſed & ipſi ſunt pauci: at diluuij inundatio mundum, quòd corruperat viam ſuam, deletura, iuſtos inter peſſimos reperit, & hos ipſos humeris ſuſtulit, & ſaluauit, cùm reliquos de medio ſuſtulit. Cœleſtis ignis Sodomas deleturus iras cohibuit, ne Lotho & paucis iuſtis noceret, malens innumeris nefarijs & ſceleratis hominibus propter iuſtos pauciſſimos ignoſcere; quàm ſceleratorum plurium pœna paucos iuſtos inuoluere. cohibuit, inquam, indignationem ſanctiſſimè conceptam, quouſque Lothi familia, quæ regioni erat clypeus, angelicis monita diſcederet, & peccatores perditiſſimi perdi poſſent. Poſsibile, vt omnes vnius Ordinis Profeſſores, mali eſſent, credidit, à paucis hinc annis Galliæ Rex, & in PP. Ieſuitas ſæuijt, quos haberi voluit de fidelitate ſuſpectos. Eos extinxit qua potuit, & vbi potuit; coegitque, vt ſi fugere acerbiora voluiſſent, excidium exilio commutarent: at ipſe ante paucos dies ſui compos, oculos aperire & videre probabilius poſſe vniuerſorum innocentiam defendi; vniuerſorum culpam ne probabiliter quidem poſſe adſtrui. Reſipuit tandem aliquando; reuocauit exules; in integrum iniuſtè condemnatos reſtituit, & augendo fauores & honores præſtitit, vt dici poſſent à calumnia fœlices. Vidimus in Hiſpania ſub Philippo III. Rege pio, impiè Patres excalciatos traduci; inuidiamque præter Carmelitanos, ſe tametſi magna maiores, in quos non auſa, Auguſtinianos, Trinitarios, & Mercenarios inſimulare relaxationis priùs, & criminum etiam poſteriùs. Actum in ſanctiore Catholici Regis conſilio, de eorumdem extinctione, actum de reductione; & in re ventilabatur ardua dictaminum ſumma oppoſitio. Erant qui illorum innocentiam defenderent, puniendos actores decernerent. erant qui illos amarent, ſed remiſsius; adeoque tolerandos, & reformandos pronuntiarent. Erant, qui ſequiore opinione præuenti delendos extinguendos; & qui clementiùs ad mitigatos reducendos proponerent: &, vt verbo omnia exprimam, erat confuſum chaos, & ſumma animorum diſcordia. Vt igitur ſalubre ſumeretur conſilium communi omnium decreto rem totam, prout erat ſcriptis conſignata, ad Reuerendiſs D. Petrum Lorcam Ciſtertij Ordinis ſub illud tempus Coriphæum, & apud Complutenſes primarium Theologiæ Profeſſorem, deuoluunt, eiuſque Conſilium Regium, non tam conſilium, quàm iudicium aut ſententiam exſpectat. Recipit ille inuoluntario ſimilis arbitrij onus, Deo cauſam & ſe orationibus ſuorum commendans reſoluit prudentiſsimè actionem illam contra excalceatos Ordinis inſtitutam talem, vt eſſe iniquam & inuidam poſſet euidenter oſtendi. quoniam ſi aliquos ſuggilaret in particulari, rem fortè falſam, ſed euidenter poſsibilem obijceret; at omnes reos agendo, ſe proderet, dari enim vel vnum Ordinem relaxatum, qui multos viros ſanctos non habeat, impoſsibile eſt. Ex hac ergo generali doctrina multorum annorum experientia fundata reſoluit ſapientiſsimus Arbiter, Primò, *Non poſſe illos extingui*; Secundò, *Non debere ad mitigatos redigi*. Tertiò, *Non poſse declarari tolerabiles ſub reformationis ſpe. Sed* Quartò, *Debere haberi & dici pios bene formatos & moratos; cenſeri nihilominus ab inuidia & calumnia traductos: moneri vt ſi fortè vulgo, quod poſſibile, occaſionem aliquis dederit obloquendi, eumdem punirent regulariter.* Adquieuit Rex & ſummi Senatores prudentiſsimo Viri Optimi arbitrio; manſerunt confuſi maleuoli; & ſancti homines, qui oppetebantur à calumnia, in maiori, quàm antea, reuerentia & æſtimatione apud omnes. Et Ego his exemplis prædeterminor,

minor, vt omnes Templarios malos fuiſſe credere prudenter non poſſim: quòd ſi ideò omnes condemnati dicantur, quòd pauci mali putarentur aut eſſent, ſententiam illam fuiſſe iuſtam crediturus non ſum. pater enim non debet portare iniquitatem filij; nec propter fratris ſcelera poteſt iuſtè innocens damnari confrater; aut aliàs propter noſtra frater noſter Chriſtus iuſtiſſimè damnatus eſt. Sed cur hæc Ego? Iudices duo ſupremi (Summus Pontifex, & Chriſtianiſſimus Rex) à Templarijs ad Dei infallibilis Iudicis tribunal ſtato termino citati, aduocati, comparere diuinitus iuſſi, videntur tacitè perſonare, fuiſſe in illa adhuc cauſa aliquid cui reſponderetur; non enim Deus citationem & appellationem admitteret, ſi aliena eſſet à veracitate. Sed quæ tacitè videntur dici, fortè ſubaudiri potiùs quàm audiri dicenda, hoc alij examinent; Tu verò, Lector candide, ad Regulæ, cuius hæc ſunt occaſione dicta, textum contemplandum progredere.

1850. Sed inquiris, Cur ea ipſa, cùm à Diuo ſit ſcripta Bernardo, S. Benedicti opuſculis debuerit adiungi? Et reſpondeo, me illius hic meminiſſe, non vt exponatur, ſed vt Regulam & S. Patris Opuſcula vniuerſa dilucidet. multa enim in ipſa per analogiam poſitam, qui Doctor Mellifluus Regulam intellexerit, haud obſcurè teſtatur. ſingula enim, non ſolum ad mentem D. Benedicti, ſed & eiuſdem ferè verbis ſolet pronuntiare; nam vt alias prætercam, videtur mihi hæc periodus, *Omnibus in primis ſermo noſter dirigitur, quicumque proprias voluntates ſequi contemnunt, & ſummo ac vero Regi militare animi puritate cupiunt, vt obedientiæ armaturam preclaram adſumere intentiſſima cura implendo præoptent, & perſeuerando impleant*, eſſe ſimilis iſti. *Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenuntians proprijs voluntatibus, Domino Chriſto vero Regi militaturus, obedientiæ fortiſſima atque preclara arma aſſumis.* Et ex collatione infero primò, quid reſpondendum ſit interrogantibus, An D. Benedictus *voluntatibus* ſcripſerit, an *voluptatibus*, quoniam aſſerente Balduino Moreau, qui triginta aut ampliùs contulit exemplaria, priori lectioni fauent impreſſi libri, & manuſcripti poſteriori? Infero, inquam, D. Benedictum de voluntate & non de voluptate egiſſe, quoniam *abrenuntiare proprijs voluntatibus*, D. Bernardo eſt, *proprias voluntates contemnere*. Infero etiam *armorum* nomine non intelligi debere offenſiua, quoniam Mellifluus Doctor apponendo *armaturam* docuit nos, neminem iuſtè offendi poſſe, quod Decalogo & Regulę magiſtrę bene obedias, quoniam obedientia tametſi armata lege, caret armis quibus nocere poſſit, non caret tamen quibus poſſit actiones ſuas, etſi ab æmulis carpantur, defendere.

1851. Cum igitur Templariorum Regulam eſſe vtilem Benedictinæ intelligendæ demonſtrauerim, video Te amore & ſancta neſcio qua ambitione ſuccenſum illam deſiderare. Nec ego dedi totam, licet ſæpius reperitur impreſſa, ſed dilucidabo ſolummodo periodos illas, quas iudicabo neceſſarias. Titulus igitur Regulæ eſt.

REGVLA PAVPERVM, Commilitonum Chriſti, Templique Salomonici.

Hinc patet huius militiæ Profeſſores nominari, *Commilitones Chriſti, Templi milites*, ſed communione nomine *Templarios.*

PROLOGVS.

In ipſo S. Bernardus periodis ex Regulæ Benedictinæ aſſumptis Templarios

ad

ad virtutem hortatur, & huius militiæ exordium deſcribit hiſce verbis.

Nos ergo cum omni gratulatione ac fraterna pietate precibuſque Magiſtri Hugonis, in quo prædicta Militia ſumpſit exordium cum Spiritu ſancto intimante ex diuerſis Vltra-montanæ Prouinciæ manſionibus in ſolennitate S. Hilarij anno M.C.XXVIII. ab incarnato Dei Filio, ab inchoatione prædictæ militiæ nono, ad Trecas, Deo duce in vnum conuenientes, & modum & obſeruantiam equeſtris Ordinis per ſingula capitula ex ore ipſius Magiſtri Hugonis audire meruimus, &c. Qua authoritate & Concilium illud coactum, & Regula approbata aut potiùs data fuerit, ſubiungitur, his verbis, *Non leuitate, ſed conſulte prouidentiæ & diſcretioni venerabilis Patris noſtri Honoratij ac inclyti Patriarchæ Hieroſolymitani Stephani....... nec non Pauperum Commilitonum Chriſti conſilio communis Capituli vnanimiter commendauimus.* Vbi nota hanc Regulam trium conſenſu fundari; nimirùm Summi Pontificis, ſine quo canonica eſſe non potuit: Patriarchæ Hieroſolymitano; qui audiendus erat: & ipſorum Religioſorum, qui inuiti non poterant ſtrictiùs aut rigoroſiùs obligari. Sane D. Bernardum fuiſſe huius Regulæ authorem teſtatur Concilij Secretarius in fine Prologi hiſce verbis, *Ego Ioannes Michaelenſis, præſentis paginæ iuſſu Concilij ac Venerabilis Abbatis Claræ-vallenſis* (S. Bernardum ſubintelligit) *cui creditum ac debitum* (fortè *deditum*) *hoc erat humilis Scriba eſſe diuina gratia merui.*

SECTIO II. PROLOGI.

Nomina Patrum reſidentium in Concilio Trecenſi.

1852. De hoc Concilio in Chronico Ciſtertienſi Aubertus Miræus ad ann. 1228. his verbis. [Trecis in Gallia habitum eſt Concilium à plurimis Epiſcopis & Abbatibus, Ordinis præſertim Ciſtertienſis, vt à Stephano Ciſtertienſi, Hugone Pontiniacenſi, Bernardo Clareuallenſi, & alijs, In quo Concilio Militibus ſeu Equitibus Templarijs Regula & veſtis alba eſt adſignata. Meminit huius Concilij Guil. Tyrius *lib.12. de bello ſacro cap.7.* ſed perperam ibi vt in tomis Conciliorum à Seuerino Binio Coloniæ editis legitur *Concilium Cretenſe* pro *Trecenſe*. Idem Binius authoritatem Baronij ſequutus hoc Concilium anno 1127. celebratum tradit, ex Guilielmo Tyrio, male, vt arbitror, intellecto.]

CAPVT I.

Qualiter Diuinum officium audiant.

CAPVT II.

Quot rationes dominicas, ſi audire nequiuerint, dicant.

Sicut de audienda miſſa datur lex, quæ vniuerſos obſtringit, ſic etiam hic lego ſpecialem ſanctionem de audiendo Canonico Officio. Conueniunt hæ duæ leges, primò in hoc quod vtraque de audiendo ſit, ſecundò etiam in hoc, quod ſicut miſſam non tenetur audire ab alio Sacerdos qui illam legit, ſic etiam non tenetur Templarius horas audire, quas velit ipſe legere; nempe aut ſecundum rubricas Ciſtertienſis Breuiarij, aut ſaltem iuxta huius ſecundi Capitis inſtitutionem.

1853. Sed inquiris. An ad auditionem aut lectionem ſub mortali fuerint obligati?

Et Ego reſpondeo negatiue; & ratione fortiſſima perſuadeo. Nam ſtrictiùs omnino tenentur ad officium diuinum Moniales, & Iuniores noſtri Ordinis, quàm Equites; at hi non tenentur grauiter: ergo nec illi. Minorem probo num. 1343. & 1775. F.

Hinc patet Equites (niſi fortè ratione prouentuum particularium, quos

H Com-

Commendam vocant, aliqui teneri dicantur; de quo nihil definio) ratione habitus & profeſsionis ad officium diuinum non teneri. De Equitibus S. Iacobi id docet expreſsè Thomas Sanchez in Conſilijs; & de reliquis pariformiter debet philoſophari.

1853. b. Inquiris etiam, An Religioſi Benedictini ſatisfaciant audiendo canonicas horas? hoc eſt, An iſte qui interfuit horis, ſi non legit, teneatur omiſſe reſumere, an verò ſufficiat audiuiſſe?

Reſpondeo Religioſos, nondum ad ordines maiores promotos, non teneri moraliter ad lectionem auditionemue. Addo Promotos ex præcepto teneri ad lectionem ſuæ partis iuxta ea quæ ſuperiùs notauimus, nu. 1380. & 1383. Subiungo tamen ratione Priuilegij benignius multò obſtringi; quoniam Leo X. conceſsit Fratribus Minoribus, vt poſsint ſatisfacere Officio Diuino dicendo mentaliter: ergo legendo intra ſe, vel audiendo, modò attentè. Quod nos & multi etiam alij Religioſi poſſumus participare.

CAPVT III.
Quid agendum ſit pro Fratribus defunctis.

Qualiter Ciſtertienſes ad miſſas defunctorum teneantur declarauit Generale Capitulum ann. 1628. vide num. 1767. &c.

CAPVT IV.
Capellani victum & amictum tantùm habeant,

1854. In Eccleſia N. ſubdita Monaſterio Mariennenſi, magnæ oblationes fieri ſolent, & quæritur, An illæ neceſſariò ad Capellanos pertineant? an omnes debeant fabricæ Eccleſiæ adpropriari? an tandem poſsint cedere Monaſterio?

Reſpondeo Capitis IV. Regulæ Templariorum litteram ſubſcribendo: *Capellani*, ait Legislator Mellifluus, *victum & veſtitum tantùm habeant; alias verò oblationes, & omnia eleemoſynarum genera, quoquo modo fiant, Capellanis vel alijs ad tempus manentibus, vnitati communis Capituli reddere peruigili cura præcipimus. Seruitores itaque Eccleſiæ victum & amictum ſecundum autoritatem* (hoc eſt qualitatem ſuam) *tantum habeant, & nihil amplius habere præſumant, niſi Magiſter ſponte charitatiuè dederit.* Senſit ergo D. Bernardus eleemoſynas pertinere ad Communitatem, cui ſubeſt Eccleſia; nimirum, daturam victum amictumque famulis, quos in miniſterio occupauerit.

CAPVT V.
De militibus Defunctis.

1855. Iubet, vt portiones, quas ille deberet ſeptem diebus comedere, dentur pauperibus. Nos id facimus dieb. triginta.

CAPVT VI.
Vt nullus frater remanens oblationem faciat.

1855. b. Priuatas oblationes prohibet, orationes concedit, non enim gratæ Deo munera à priuatis Religioſis contra obedientiam data. Declarat optimè illum orare pro fratre occiſo, qui illius exemplo paratus eſt animam pro Eccleſia & Patria ponere, ſi fuerit neceſſariū.

CAPVT VII.
De immoderata ſtatione.

1856. Hoc Legislator Capite ſtatuit, leges communes debere tales eſſe, quæ poſsint à cunctis ſeruari; vnde ait, *Auribus noſtris veriſſimus teſtis inſonuit, videlicet immoderata ſtatione, & ſine men-*

menſura ſtando diuinum officium vos audire. (quid leuius? nota leges ſanciendi ſuauitatem) *ita fieri non præcipimus, imò vituperamus; ſed finito Pſalmo, & Venite exultemus Domino, cum Inuitatorio & Hymno omnes ſedere, tam fortes quàm debiles, propter ſcandalum vitandum nos iubemus.* Vituperatur ergo à Mellifluo Doctore non lex modo ſed etiam conſuetudo, quæ debilibus nimis onerosa videatur, mauultque fortes citra vires, quàm debiles ſupra vires impendi.

CAPVT VIII.

De Refectione Conuentus.

1856.b. Vt omnes ſimul in vno loco comedant, & ſilentium obſeruent præcipit, & quia ſignorum Regularium ignari, ſi quid neceſſarium fuerit leniter & priuatim, hoc eſt, ſuppreſſa voce, & quæ ab omnibus audiri nequeant, poſtulare concedit. Locum in quo omnes comedunt *Palatium* aut *Refectorium* dici conſtat ex prima linea. Sanè à reficiendo Refectorium, à palato Palatium. Et fortaſſe nullibi aliàs hæc vox *Palatium*, in tali accipitur ſignificatione.

CAPVT IX.

De lectione.

1857. Hoc caput Eccleſiaſticorum, & Religioſorum Sacerdotum non paucas menſas arguit, quod lectione careant, qua militum menſam Mellifluus Doctor carere noluit.

CAPVT X.

De carnis refectione.

1857.b. Carnes trib. dieb. ſingularum hebdomadum, nec non feſtis Paſcha, & Natalitia Domini immediatè ſequentibus, Beatæ Mariæ Virginis ſolennitatib. & feſto omnium Sanctorum, niſi aliàs ab Eccleſia interdictis, carnes concedit.

Experientia docuit hoc obſeruantiæ genus eſſe valetudini conſeruandæ aptum, & quia videbatur dictamini Melliflui Legislatoris conſonum, acceptatum fuit à Ciſtercienſibus, & à ferè omnibus Benedictinis. Multi mores antiquos reſtituendos deſiderant, multi iuniores retinendos, & quia pro vtraque parte grauia ſunt rationum momenta, hanc ego alibi quæſtionem radicitùs examinabo.

CAPVT XI.

Qualiter manducare Milites debeant.

1858. Quando communi menſæ adſidere non poſſunt, ſingulos ſeorſim prandere non permittit. Sed cur? Sanctus ipſe reſpondeat. *Duos, & duos manducare generaliter oportet, vt ſolerter vnus de altero prouideat, ne aſperitas vitæ vel furtiua abſtinentia in omni prandio intermiſceatur.* Cenſuit igitur S. Bernardus melius eſſe cibos poſitos comedere, quàm furtim & ſine Superioris licentia ieiunare. & optimè, nam primus actus fragilitatis eſt, aut ſi mauelis, leuis nonnunquam gulæ, at ſuperbiæ pernitioſæ poſterior.

CAPVT XII.

Vt alijs diebus duo aut tria leguminum fercula ſufficiant.

1858.b. Alios dies vocat illos, quibus non liceat carnes edere; nimirum feriam ſecundam, quartam, ſabbatum. Et quid D. Benedictus CAP. XXXIX. intellexerit pulmentariorum nomine indigitat his verbis, *Duo aut tria leguminum vel aliorum ciborum* (puto piſcium) *fercula, aut vt ita dicam, cocta pulmentaria omnib. ſufficere credimus.* Putauit igitur S. Bernardus herbas co-

ctas *Pulmentarium* vocari, & D. Benedictum non iuſſiſſe vt præter legumina duæ piſcium apponerentur ſcutellæ, ſed quod duæ ſolùm apponerentur; videlicet, aut vtraque ex leguminibus quod durius; aut vtraque ex piſcibus, quod laxius, aut tandem altera ex leguminibus, altera ex piſcibus quo videretur conuenientius.

CAPVT XIII.

Quo cibo feria ſexta reficere oportet.

1859. Quadrageſimalem concedit, & inſinuat Monachis tali fuiſſe die lacticinia interdicta; cur enim aliàs S. Pater caueret militi, quæ concedebantur Sacerdoti?

CAPVT XIV.

Poſt refectionem ſemper gratias referant.

1859. b. Et in Eccleſia præcipit, ſi permiſerit locus & tempus. Non eſt expreſſa in Regula hæc gratiarum actio, at omitti non debet. *Gratias, vt decet,* ait Bernardus, *cum humiliato corde referre inenodabiliter præcipimus.* Igitur ſi Milites ab hoc onere enodari non poſſunt, Religioſi non debent.

CAPVT XV.

Vt decimus panis ſemper eleemoſynario detur.

1860. Præter fragmenta, quæ Capite præcedenti erogari pauperibus voluit, in hoc decimam partem illis cedere præcipit. Cùm igitur hac Milites lege obſtringi voluit, Ciſtercij & Claravalle multò plura pauperibus data, quis neget? Stat igitur dedecere Ciſtercienſes Abbates, Melliflui Doctoris diſcipulos, auaritiam tenacitatemque ſed debere ſingulos vltra prouentuum partem decimam erogare pauperibus, aut permittere quod illos Templarijs Militibus minùs obſeruantes dicamus.

CAPVT XVI.

Vt collatio ſit in arbitrio Magiſtri.

1860. b. Concedit, vt ſi Magiſter iudicet expedire, poſſit in collatione aut aquam puram aut vino miſericorditer temperatam concedere. & docet Monachos non debere laxiorem ſumere, quàm ſolebant homines militares. Hodie apud Hiſpanos Ciſtertienſes ſatis rigida & auſtera eſt collatio. dantur paucæ nuces ſine pane, aut ſi benigniùs parum panis ſine nucibus, & aqua vinumque conceditur, pro ſingulorum arbitrio aut deuotione temperanda.

CAPVT XVII.

Vt finitis Completis ſilentium teneatur.

1860. c. Correſpondet Capiti XLII. Benedictinæ Regulæ, vbi ne quis loquatur poſt Completorium præcipit S. Benedictus.

CAPVT XVIII.

Vt fatigati ad matutinas non ſurgant.

1860. d. Melliflui noſtri Patris benignitas conſtat ex periodo ſequenti, *Fatigatos milites*, ait, *non ita, vt vobis eſt manifeſtum, ſurgere ad matutinas collaudamus*. Vituperat igitur illos, qui ſupra vires frequentant actus Communitatis; & concedere videtur licentiam Superioribus, vt & fatigato Religioſo matutinorum tempore in lecto manere permittant. Illis autem, qui quieſcere permiſſi, orationes conſtitutas ſic recitare conſulit, *vt mens ipſorum voci concordet*, iuxta Caput XIX. Regulæ S. Benedicti.

CA-

CAPVT XIX.

Vt communitas victus inter Fratres ſeruetur.

1861. Deſumptum eſt ex trigeſimo quarto Benedictinæ Regulæ, in quo exponitur. Debeant-ne omnes æqualiter neceſſaria recipere? & commendans geometricam analogiam, arithmeticam æqualitatem condemnat, ſubueniendum enim vnicuique eſt pro neceſſitate cuiuſcumque. Clauditur caput iſtis verbis. *Hoc autem prohibemus, vt nulli immoderatam abſtinentiam amplecti liceat, ſed communem vitam inſtanter teneant.* Immoderatam nominat, quæ irregularis, quæ inconſulto, aut contradicente Superiore.

CAPVT XX.

De qualitate, & modo veſtimenti.

1861.b Hinc video quinquageſimum quintum Benedictinæ Regulæ iam eiſdem iam ſimilibus verbis reſcriptum, ſed quia de colore nihil S. Benedictus ſtatuit, quid S Bernardus diſpoſuerit, audiamus. *Veſtimenta*, ait, *vnius coloris ſemper eſſe iubemus, verbigratia, alba, vel nigra, vel, vt ita dicam, burella. Omnibus autem Militibus profeſſis in hyeme, & æſtate, ſi fieri poteſt, alba veſtimenta concedimus, vt qui tenebroſam vitam poſtpoſuerint, per liquidam, & albam ſuo conditori ſe reconciliari agnoſcant. Quid albedo, niſi integra caſtitas? Caſtitas? ſecuritas mentis, ſanitas corporis eſt. Niſi enim vnuſquiſq; miles caſtus perſeuerauerit, ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit, teſtante Apoſtolo Paulo, Pacem ſectamini cum omnibus, & caſtimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.*

CAPVT XXI.

Quod famuli veſtimenta alba, hoc eſt, pallia non habeant.

1862. Et duæ huius Sanctionis occurrunt rationes; duo motiua. Primò enim rationi conſentaneum videtur famulos ab heris diſtingui; Secundò cùm facilius ſit mentiri perſonam famuli, quàm heri, expedire videtur, vt dominorum ſit ſecurior opinio, nec ita latronum transfigurationibus obnoxia. Hoc ipſum bene exponit Bernardus, cùm ait, *Surrexerunt in Vltramontanis partibus quidam pſeudo fratres, & coniugati, & alij dicentes ſe eſſe de Templo, cum ſint de mundo. hi nempe tantas contumelias, totq; damna Ordini militari adquiſierunt, & clientes remanentes plurima ſcandala oriri inde ſuperbiendo fecerunt.* Et fortè propter ſimiles homines Ordo poſteà infamatus, & extinctus.

1862. b. Hinc patet ad D. Bernardi mentem Conuerſos, ſeu Fratres laicos, (qui famuli religioſi ſunt) debere habere veſtem, qua à choriſtis diſtingui poſſint; non enim ita ingenuæ domui præiudicat error, qui à famulo commiſſus, quàm qui, à domino.

CAPVV XXII.

Quod milites remanentes tantùm alba habeant. XXIII. *Vt pellibus tantùm agnorum vtantur.* XXIV. *Vt vetuſta armigeris diuidantur.*

1862. c. His tribus Capitibus de veſtibus ſpecialiùs diſponit. Animorum candorem vult S. Pater in veſtibus repræſentari. Pellium ſuperbiam, & raritatem interdicit; multæ enim nimis pretioſæ ſunt, nec pauperibus aptæ: armigerorum etiam, qui famuli ſunt militares, curam habet, ipſoſque iubet externis pauperibus præponi; ſic enim ait, *Veteres (ve-ſtes)*

ſtes) *ſemper armigeris, & clientibus, & quandoq; pauperibus.......intendat erogare.*

1863. Hinc ſatisfit Quæſtioni facili, ſi ſincerè tractetur, ad difficultates tamen redactæ propter Prælatorum imprudentiam inquirenti nimirùm: An Epiſcopi, Abbates, & Prælati quicumque, poſſint Eccleſiarum ſuarum bona donare cognatis? Et quidem ratio dubitandi firmatur oppoſitis exemplis; Vidi enim homines ergà externos, aut liberales, aut ſi ſincerè loquar, prodigos, erga cognatos auaros, & crudeles. & vidi etiam oneratos cognatis, religioſis ſuis neceſſaria negantes, vt conſanguineis poſſent miniſtrare ſuperflua. At vtrique damnandi, virtus enim conſiſtit in medio, & extrema non amat.

Reſpondeo igitur Superiorem in eleemoſynarum, & donationum materia debere *primò* ſe accommodare ſui Ordinis, & Eccleſiæ ſtatutis; pietas enim, quæ contra Regulam, aut ſtatuta Ordinis, non eſt ſecundum Deum. *Secundò* exiſtimo omnibus peregrinis pauperibus religioſorum cognatos, iſtiſque Monaſterij famulos iri præpoſitum. Et ratio eſt, quia erga famulos ex iuſtitia, erga cognatos, & peregrinos ex mera Charitate tenemur. Et Iuſtitia ſemper Charitatem præcedit. Inter opera tamen Charitatis illa videntur Deo gratiora, quæ ſimiliora ſunt Iuſtitiæ, & talia ſunt, quæ cognatos reſpiciunt, & affines. At monendus Superior, ne erga hos ipſos limites clementiæ pertranſeat, pertranſibit, ſi erogarit ſuperflua. & ſuperflua erogabit, ſi vel obolum non indigenti. Cognati pauperes, ſi medijs careant, habent ſaltem pedes, manuſq; & poſſunt in Monaſterio impendi, nec eſt dicendus pauper qui nihil habet, ſi laborare, & lucrari neceſſaria poſſit. qui enim vacanti otio ſpontaneo ſubminiſtraret alimenta, erraret proculdubio, illum in otio, & in hoc vitia ſubſequenti fouendo.

1863. b. Sed quia audis, Patrem, Matrem Prælati poſſe ali ex bonis Monaſterij ſecundum qualitatem ſuam, interrogas, An hoc ita intelligi debeat, vt alantur tanquam parentes Epiſcopi aut Abbatis; an vero ſecundum qualitatem illam quam ipſi habebant, ante quam filius promoueretur?

Reſpondeo hunc vltimum ſenſum admittendo. Alitur igitur mechanicus ſecundum qualitatem ſuam, ſi impendatur, quamdiu poteſt operari, nec reperit quid operetur; aut ſi operari nequeat, ſi dentur illi cibi quales ſolebat habere quando operabatur.

1863. c. Sed quia hic datur occaſio rem aliùs examinandi, nec antea datam, aut in poſterum danda, doceri vis, quid facere debeat Religioſus cuius Pater, Mater aut Conſanguinei ad paupertatem redacti non habent à monaſterio victui & amictui neceſſaria? an ipſe egredi poſſit, vt illorum indigentiæ ſubueniat?

Reſpondeo Religioſum nec debere nec poſſe egredi ex monaſterio propter neceſſitatem Conſanguineorum aut Affinium, imò neque propter miſeriam, & paupertatem Fratrum; his enim nec vitam, nec commoditatem vllam ex rei natura debet. Et ſubiungo erga Parentes dari rationes ſpeciales, illis enim vitam alimenta, & educationẽ debemus.

1863. d. Propter Parentum ergo inopiam non tenebitur *Primò*, ſi ipſe incapax ſit, qui poſſit illam ſubleuare. Noto tamen incapacitatem eſſe duplicem; videlicet morum & ſcientiæ. Prima laboraret, qui ſine æternæ damnationis proximo & euidenti periculo eſſe extra monaſterium non poſſet. Secunda, qui careret induſtria, qua poſſet neceſſaria lucrari: Simplex enim Sacerdos, qui nullam artem ſciat, miſſarum ſtipendio victurus, alienis egebit eleemoſynis, nec poterit fauere Parentibus. Hunc igitur ab obligatione egrediendi ex ſuo monaſterio liberat ignorantia, & iuuandi impotentia; qui enim non poteſt, non obſtrin-

ſtrin-

ſtringitur. *Secundò*, in Monaſterijs, quæ non ſuccedunt in hæreditate, qualia vbique Capucinorum ſunt, & in multis locis vniuerſa, non datur obligatio ſuſtentandi parentes, hæc enim hæredi neceſſariò incumbit. Rationi enim eſt abſonum Ioãnem eſſe tibi hęredem neceſſarium, ſi diues ſis; & ſi depauperetis, nullo tibi titulo, aut obligatione teneri. *Tertiò*, in Monaſterijs, quæ ſunt hæredes ex triente (multa ſunt talia) non poteſt maior eſſe quàm ſubtripla obligatio. quam ob rem in tali caſu ſatisfaceret Monaſterium, ſi tertiam partem congruę ſuſtentationis contribueret, & alias duas tertias partes ſæcularis ille hæres, qui deberet neceſſariò ſuccedere. Hic omnia videtur poſtulare æquitas, & moralis filiatio; quia cùm iuris naturalis ſit, vt filij in hæreditate ſuccedant [aut aliàs debile eſt Pauli illud argumentum, *Filii, ergo hæredes.*] vbi moraliter incipit aliquis eſſe non-hæres, incipit moraliter eſſe non-filius, & eo ſenſu, quo incipit eſſe ſemi-hæres, incipit eſſe ſemi-filius.

1864. Igitur, vt poſſit egredi Religioſus, vt alat ſuos Parentes, requiritur, vt ipſi verè in graui ſint neceſſitate [conſultò *in graui* dixi: quoniam homini cõſtituto in extrema non Filius ſolus, ſed & quicumque ethnicus debet opitulari.] quòd Monaſterium ſit ex aſſe hæres. & nolit illos ſecundum eorumdem qualitatem tractare. & tandem ex parte religioſi egreſſuri, quod ſi talis, qui poſſit lucrari neceſſaria Parentibus, ſine æternæ damnationis periculo, aut communis authoritatis detrimento.

CAPVT XXV.

Vt cupiens optima, deteriora habeat. XXVI. *Vt quantitas, & qualitas veſtimentorum ſeruetur.* XXVII. *Vt dator pannorum æqualitatem ſeruet.*

1865. Iſta tria Capita, ſicut & præcedentia ſunt illuſtrationi quinquageſimoquinto Regulæ S. Benedicti. vbi obſeruari velim, vt qui ſartoribus, & cellerarijs nimia ſunt curioſitate moleſti, deteriora, deformiora, & viliora reciperent, vt vel ſic remitterent vanam curioſitatem.

CAPVT XXVIII.

De ſuperfluitate capillorum. XXIX. *De roſtris, & laqueis.*

1865. b. Legant modeſti Monachi; nam ſi Bernardo placent milites capillorum incurij, placere non poterunt Religioſi curioſi.

CAPVT XXX.

De numero equorum, & armigerorum. XXXI. *Vt nullus armigerum gratis ſeruientem feriat.*

1865. c. Paupertati militari conſulens, tres vnicuique militi equos concedit; alterum pro famulo, duos pro domino. & ſatisfacit illi Quæſtioni, quæ inueſtigat: An famuli percuti poſſint? nam cum exceptio firmet Regulam in contrarium, qui ſtatuit non debere percuti armigeros, qui ex deuotione ſeruiunt, videtur ſatis clarè docere conductos pretio poſſe corripi intra terminos modeſtiæ, & prudentiæ, nimirum, ita vt correptio nec moraliter ignominioſa ſit, nec phyſicè nimis acerba. Primo enim modo excederet Eques, quia Armigerum more puerili flagellaret; ſecundo, qui aut caput frangeret, aut grauiter membrum aliquod lęderet.

CAPVT XXXII.

Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.

1866. Ex hoc capite conſtat, Templa-

rios bifariam militiam profiteri ſolitos; nimirùm, perpetuam, & ad tempus; & de profeſſis ad tempus agit S.Bernardus in hoc capite.& Tu inquiris: An in vita Monaſtica poſſet hæc varietas admitti? hoc eſt:An poſſet aliquis ſolenniter profiteri ſe victurum ſecundum Benedictinam, Franciſcanam, aut quamcumque aliam Regulam decennio, aut quocumque alio tempore determinato?

Reſpondeo *laudando* Oratoriſtas, & Begginas(vtrique in Belgio florent)apud quos nemo detinetur inuitus. Profeſſi Religioſi non ſunt; agunt tamen vitam communem,piam,& commendabilem, & ſunt optimo exemplo Reipublicæ. *Addendo* ſolennia vota, quæ hodie fiunt perennitatem tanquam ſolennitatis circumſtantiam inuoluere, ſine qua non eſſent valida, non enim alia, quàm perpetua vult Eccleſia ſolennia nominari. *Subiungendo* poſſe Eccleſia inſtituere nouam Religionem, in qua ad tempus vota diſtinguantur; & hæc eſſet multò imperfectior inſtitutis, non tamen minus vtilis, præcipuè, ſi ex illa ad perpetuas promouerentur. Quid,ſi dixero, Nouitios ex Benedictinæ Regulæ præſcripto vota eadem emiſiſſe, quæ nos,ſed ad tempus: hoc eſt, aut ſeruanda illo anno, aut quod veroſimilius quadrimeſtri? Sanè magnam lucem dederò difficultatibus grauiſſimis, & conſonuero veterum moribus,& Regulæ magiſtræ contextui. Vide quæ ſuperiùs dicta num.521. ad Caput LVIII. & hinc intellige, & concilia veteres, qui circumſtantiam mutantem ſpecie in nouitij fornicatione repererunt.

CAPVT XXXIII.

Quòd nullus iuxta propriam voluntatem incedat. XXXIV. *Si licet ire per villam ſine iuſſu Magiſtri.*

1866. b. Obedientiam,& clauſam his duobus Capitibus complectitur: & ad vtramque etiam teneri Monachos regulariter,manifeſtum eſt. quoniam præceptis ſunt Prælatorum obnoxij, & egredi Monaſterio non poſſunt ſine Superioris licentia.

CAPVT XXXV.

Si licet eum (Militem Templarium) ambulare ſolum.

1867. Hic moueri poſſet illa Quæſtio, An Religioſi debeant egredi ſoli, aut cum ſocio? ſed illam examinabo inferiùs num. 1972. nunc noto quoad Templarios D.Bernardum reſpondere negatiuè. hoc eſt, ſolos non poſſe egredi.

CAPVT XXXVI.

Vt nullus nominatim, quod ei neceſſarium erit,quærat. XXXVII. *De frenis,& calcaribus.* XXXVIII. *Quòd tegimen in haſtis, & clypeis non habeatur.* XXXIX. *De licentia Magiſtri.* XL. *De mala,& ſacco.*

1867. b. Res omnes quærendas, procurandas pro communitate ſtatuit S.Pater, & ex bonis communibus ſingulis ſubueniendum.repugnat enim aliquem eſſe ſolenni paupertatis voto obſtrictum, & nomine proprio aliquid poſſidere,vel quærere. Cętera, quæ adduntur obedientiam, reſignationem voluntatis, & actionum concernere videntur modeſtiam.

CAPVT XLI.

De legatione litterarum.

1887. c. Exponit hic S. Bernardus quinquageſimum quartum Regulæ S. Benedicti.Et reſoluit illud dubium,quod rogat: An, qui litteras ex licentia Superioris receperit, teneatur exhibere Prælato?an verò recipiendi licentia ſit etiam licentia litteras non oſtendendi? Verba Melliflui mei Bernardi hæc ſunt, *Poſtquam licentiam Frater habuerit* (nimirùm,recipiendi, aut ſcribendi litteras) *in præſentia Magiſtri,ſi ei placet,legantur.* Monendi tamen Superiores ſunt, vt illa, quæ in Epiſtolis legunt, retineāt in ſecreto; ſæpè enim honorem alienum tangunt,nec poſſunt vulgari ſine culpa.

CA-

CAPVT XLII.

De fabulatione propriarum culparum.

1868. Exponitur Capitis LXVII. illa periodus, *Nec præſumat quiſquam alio (alijs) referre, quæcumq; foris monaſterium viderit, aut audierit, quia plurima deſtructio eſt. Quod ſi quis præſumpſerit, vindictæ regulari ſubiaceat.* Nam cum D. Benedictus quæcumque extra monaſterium viſa, aut audita taceri iubeat, poſset quis opinari etiam Bona, & quæ ædificare poſſent, ſimiliter eſſe tacenda, cùm tamen D. Bernardus hoc caput de peccatis commiſſis, viſis, aut auditis, quæ poſſint ſcandalizare alios, intelligat. cui ego conſonui num. 1648. c.

CAPVT XLIII.

De quæſtu, & acceptione. XLIV. *De manducarijs equorum.* XLV. *Vt cambiare, vel quærere nullus audeat.*

1869. Omnia materiam paupertatis concernunt, de qua ſatis fusè ſuperiùs à num. 815.

CAPVT XLVI.

Vt nullus auem cum aue (accipitre) *capiat, nec cum capiente incedat.* XLVII. *Vt nullus feram arcu, vel balliſta percutiat.* XLVIII. *Vt Leo ſemper feriatur.*

1869. b. Concernunt, & iſta modeſtiam, alienus enim à religioſa videtur venatorius ſtrepitus; qui interdictus militibus, Monachis non deberet concedi.

1869. c. Vbi leonem feriri præcipit, & beſtias alias quæri inhibet, nociuas belluas à non nociuis videtur S. Bernardus diſtinguere, & præcipere, vt noxiæ vbicumque occidantur, innoxiæ conſeruentur, aut tolerentur.

CAPVT IL.

De omni re ſuper vos quæſita iudicium audito. L. *Vt hæc regula in omnibus teneatur.*

1869. d. Verba textus ſunt hæc. *Si aliquis......ſuper vos rem aliquam quæſierit, vobis per fideles, & veri amatores iudices audire iudicium præcipimus: & quod iuſtum fuerit* (nimirùm, illorum iudicum ſententia) *indeclinabiliter vobis facere præcipimus.* Ergò iudicauit S. Pater Bernardus non ſemper eſſe vtilem immunitatem, ſed vtiliùs ſolere corrigi, qui ab omnibus iudicibus poſſent. Sed quæ hominibus militaribus eſſent vtilia, fortè eſſent ſacerdotalibus diſconuenientia, aut perniciosa, æquiùs enim, & ſanctiùs Eccleſiaſticus ab Eccleſiaſtico, quàm à ſæculari iudicatur.

CAPVT LI.

Quod licet omnibus militibus profeſſis terram, & homines habere.

1870. Quod ſingulis ſeorſim ratione paupertatis deuotæ negat, omnibus ſimul ſumptis concedit; benè enim ſtat, quòd ſinguli ſint pauperes, & communitas diues, bene, quòd ſinguli incapaces dominij, & communitas proprietatis ſit capax, iuxtà ea, quæ tradidimus à nu. 820

CAPVT LII.

Vt de malè habentibus (ægris) *cura peruigil habeatur.* LIII. *Vt infirmis neceſſaria ſemper dentur.*

1871. Conſonat iſta omnia Religioſæ pietati, Capiti XXXVI. Regulæ S. Benedicti, & moribus totius Eccleſiæ.

CAPVT LIV.

Vt alter alterum ad iram non prouocet.

1872. Correſpondet Capiti LXIX. & LXX. Regulæ Benedictinæ; qui enim ſtudet, ne aliquem ad iram prouocet, debet neminem priuata authoritate defendere, aut excommunicare.

CAPVT LV.

Quomodò Fratres coniugati habeantur.

1872. b. Coniugatis, modò honeſtam agere vitam proponant, non claudit aditum ad fraternitatem. non quod S. Doctor illos velit votis obſtringere eſſentialibus; ſed quod cohabitare, & conuiuere militibus Templarijs permittat, vt, & hodie fit in multis Monaſterijs, in quib. viri ſæculares emunt ſuam menſam, & gaudent vitam agere Religioſam, tametſi nec Religioſi ſint, nec votis velint initiari.

CAPVT LVI.

Vt amplius ſorores non habeant.

1872.c. Sed cur? An non ſorores extra omne periculum culpæ, extra omnem detractions inuidiam, & obloquutionem ſunt poſitæ? Putant multi, at non omnes, & inter hos vltimos S. Bernardus. Imò dum apud Monachium in Bauaria hæc ſcribo, adueni oppidum, cuius Parochus de incœſtu cum ſorore commiſſo conuictus, & publicè ab Epiſcopo, punitus, Romam iuiſſe, & redijſſe dicitur, & à pudore abſolutus Iudicibus inſultare, & contra proſcriptionis legem ad ſuam domum, imò & ſororem redire. Rem ipſam non diſcutio; ſcandalum video, & Epiſcopo, Viro ſancto, condoleo, quod armatum Romanis, tametſi ſubreptitijs litteris, punire non valeat. Turbantur ſœculares, dùm vident incœſtum ab ipſis commiſſum ſolere luicapite, & commiſſum à ſacrilego Parocho tolerari. Hinc immunitas Eccleſiaſtica ſumma pericula, hinc maximas iacturas paſſa. Sed hoc alios concernit, ipſi videtint. nos doceamur nullum Religioſum permittere cohabitare ſuſpectæ feminæ, tametſi ſoror, aut cognata dicatur.

CAPVT LVII.

Vt Fratres Templi cum excommunicatis non participent.

1872. d. Intelligit excommunicati nomine hominem nominatim, & publicè à communione Chriſtianorum expunctum legitima Antiſtitis authoritate.

CAPVT LVIII.

Qualiter Milites recipiantur.

1872. e. Agit de receptione Nouitiorum, & Caput LVIII. Regulæ Benedictinæ illuſtrans, oſtendit ſub illud æuum probationis tempus non debuiſſe eſſe annum præcisè, ſed potuiſſe eſſe breuius ex concordia, & voluntate partium. Imò dum dicit, *Terminus verò probationis in conſideratione, & prouidentia Magiſtri, ſecundum honeſtatem vitæ petentis, omninò pendeat*; videtur vni, & ſoli Superiori temporis huius determinationē committere. Iam omnia poſt Tridentinam Synodum, aliter diſponuntur; Eccleſia enim irritas, & nullas declarat profeſſiones, quæ antè completum annum probationis ſunt factæ.

CAPVT LIX.

Vt omnes Fratres ad ſecretum conſilium non vocentur.

1872. f. Capite ſuæ Regulæ tertio S. Benedictus præcipit, ne quidquam temerè aggrediatur Prçlatus, ſed ſingula conſilio, & prudentia; grauia omnibus conuocatis, leuia auditis Senioribus. Sed quia negotia grauia occurrunt, quæ non poſſunt omnibus manifeſtari, meritò quis interrogaret, An, & ipſa deberent conuentui toti capitulariter congregato proponi; an ſolùm illis, qui ſunt Abbatis Conſiliarij? Et reſpondet Mellifluus Legiſlator in titulo, Omnes Fratres ad ſecretum conſilium non vocandos. Sed quia multi dubitant, An voces eorumdem ſint conſultiuæ, aut deciſiuæ, ſubiungam aliquas periodos. *Cum de maioribus* (agit de publicis) *tractare voluerit* (Magiſter) *vt eſt, dare communem terram* (fundum) *vel de ipſo ordine diſceptare, aut Fratrem recipere* (incorporare) *tunc omnem congregationem, ſi placet Magiſtro* (non ergo, ſi non placet) *conuocare eſt competens. auditoq; communis Capituli conſilio, quod melius, & vtilius Magiſter conſiderauerit* (non ergo quod melius Conuentus iudicauerit) *illud agatur*. Nec iudicio potuiſſe ſtatuere S. Bernardum, vt voces Militum eſſent conſultiuæ, ſi Monachorum deciſiuas crederet.

CAPVT LX.

Quod cum ſilentio orare debeant.

1872. g. Et rationem adiungit: nimiſùm, ne confratrem impediat. Et totum ad litteram, aut ſaltem ad ſenſum deſumptum ex Capite LII. Regulæ Benedictinę.

CA-

CAPVT LXI.

Vt fidem ſeruientium accipiant. LXII. *Vt pueri, quamdiu ſunt parui, non recipiantur.* LXIII. *Vt ſenes ſemper venerentur.*

1872.h. Prima lex œconomica eſt, & *fidei* nomine, non incongruè fidei iuſſionem, & etiam iuramentum fidelitatis intelligere poteris. Secunda videtur eſſe contra Benedictinæ Regulæ Caput LIX. exceptio. Permittit enim S. Benedictus nobilium, & etiam ignobilium filios, adhuc infantes, aut pueros ad conuictum Monaſticum, imò ad nouitiatum admitti. inhibet Mellifluus Doctor in Templarium Ordine; vita enim militaris, quæ adoleſcenti bene educato eſſe poteſt conueniens, eſt nociua educando: nam inter armorum ſtrepitum multa deſunt, quæ puellorum ſunt educationi neceſſaria.

CAPVT LXIV.

De Fratribus, qui per diuerſas prouintias proficiſcuntur.

1873. Eſt ſimile ſexageſimo-ſeptimo Benedictinæ Regulæ de Fratribus in viam directis, & in eo hanc ego periodum calamo dignam iudicaui. *Apud quem hoſpitari decreuerint, fama optima ſit decoratus, &c.* Nam aliquandò video Religioſos tenui viatico prǽditos non poſſe ad magna hoſpitia diuertere: ſed debere ad vilia, & parua, vbi vel tabacum ſumitur à milite, vel ſcandalum datur à pellice. Nec excuſari à paupertate poſſunt, quoniam Abbas, qui nequit ſufficiens Monacho in viâ directo miniſtrare viaticum, vt ad hoſpitium honeſtum diuertat: poterit ſaltem illum eumdem religioſum in monaſterio retinere; non enim eſt omninò neceſſarium, vt currere hac illac permittatur.

CAPVT LXV.

Vt victus æqualitèr omnibus diſtribuatur. LXVI. *Vt milites Templi habeant decimas.*

1874. *Aequaliter*, hoc eſt, vniformiter ſine acceptione perſonarum, ſed cum conſideratione, & examine neceſſitatum, iuxtà Benedictinæ Regulæ Caput XXXIV.

Decimas poſſe à Templarijs poſſideri decernit, & hoc non ſine cauſa; nam tempore S. Bernardi querebatur. An D. Benedictus habuerit homines ligios, ſeruos, vaſallos, decimas? & quod erat acrius, An Ciſtercienſes illos, illas habere, & poſſidere poſſent? & ne apud Templarios diſputatio ſimilis ſucceſſu temporis excitaretur, declarat S. Pater eos eſſe capaces, quibus decimę ab Epiſcopis concedi poſſent.

CAPVT LXVII.

De leuibus, & grauibus culpis. LXVIII. *Qua culpa Frater amplius non recipiatur.*

1875. Noto hanc periodum Cap. 67. *De leuibus, ſi conſuetudinem non habeant, leuem pœnitentiam habeant.* Et cùm video ob peccandi leuiter conſuetudinem grauem pœnam imponi, ſubdubito, an ad mentem S. Bernardi conſuetudo peccandi leuiter, ſit res grauis? At ego grauem illam non puto, reor tamen indigere notabili remedio, vt eradicetur ex animo; ſępe enim contingit dari maculam paruam, à qua difficiliùs purgeris, quàm à magna.

Culpam, ob quam aliquis dimitti debeat, eſt incorrigibilitas, cùm nec obedire mandato frater vult, nec acceptare pœnitentiam. Legiſlator ſic ait. *Ante omnia prouidendum eſt* (nihil magis neceſſarium occurrere in conuentu poteſt) *ne frater potens, aut impotens* (ſunt qui in ipſamet impotentia, & miſeria habent ſuperbiendi occaſionem) *fortis, aut debilis* (ſed & ipſa debilitas vanę gloriæ occaſio ſolet eſſe) *volens ſe exaltare, & paulatim ſuperbire, ac culpam ſuam defendere, indiſciplinatus maneat. Sed ſi emendare noluerit, ei diſtrictior correctio accedat. quodſi pijs admonitionibus, & fuſis pro eo orationibus, emendare noluerit, ſed in ſuperbia magis, ac magis erexerit, tunc ſecundum Apoſtolum de-*

pio eradicetur grege. Auferte malum ex vobis. Neceſſe eſt, vt à ſocietate fratrum fidelium ouis morbida remoueatur. Quę omnia dilucidant Caput XXVIII. Regulę S. Benedicti.

1876. Cęterùm ſequentibus lineis optimè S. Pater vnum Superiorem depingit, coloreſque, quos S. Benedictus Capite II. expreſsit, ipſe pulchrè reſumit, & ſic ait.

[*Magiſter* (Abbas, Superior) *baculum, & virgam manu tenere: baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates ſuſtentet: virgam quoq́, qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriat, conſilio Patriarchæ, & ſpirituali conſideratione id agere ſtudeat, ne, vt ait B. Maximus, aut ſolutior lenitas cohibentiam peccantis, aut immoderata ſeueritas à lapſu non reuocet delinquentem.*] Vnde obiter patet, quo Rex Propheta ſenſu dixerit, *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.*

CAPVT LXIX.

Vt à Paſchali ſolennitate ad feſtum omnium Sanctorum vnam camiſiam lineam tantùm ſumere habeant. LXX. *Quot, & quales panni in lecto ſunt neceſſarij.*

1876. b. Quamvis Monachis interdicta ſint linea, militibus in ęſtate ob ęſtum, & ſudorem videntur prudenter concedi: eſſet enim nimis difficile arma, & equum gerere, & laneum induſium geſtare. Vide Caput LV. Regulę S. Benedicti.

CAPVT LXXI.

De vitanda murmuratione, & adhibenda fraterna correctione.

1877. Quàm mala murmuratio ſit, & quàm malos effectus ipſa inferat, exploratum habebat S. Benedictus, qui multa indulget contra ſuam voluntatem Religioſis, ne occaſionem prębeat murmurandi. Optimè Mellifluus Legiſlator murmurationem cum fraterna correctione coniungit, quaſi oppoſitos terminos, ſæpè enim quę fraternè corripere quis poſſet, peiora reddit murmurando. Textum conſideremus. Murmurationes ſic proſcindit.

Aemulationes inuidas, liuorem, murmur, ſuſurrationes, detractiones, diuina admonitione vitare, & quaſi quamdam peſtem fugere vobis pręcipimus. Studeat igitur vnuſquiſq́; vigilante animo, ne fratrem ſuum clam culpet, aut reprehendat, ſed illud Apoſtoli ſtudioſè ſecum animaduertat, Ne ſis criminator, nec ſuſurro in populo.]

Murmurationem nos num. 1808. à Confuſione, Exprobratione, Detractione, & Calumnia diſtinximus, & meritò ſubdubitare poſſumus, An hic aliquid noui doceamur? id eſt, An in his D. Bernardi verbis lateat aliquid, quod numero illo 1808. dictum non ſit? Et nulla alia melius via Quęſtioni reſpondere potero, quàm ſingulas voces explicando: Singulas igitur conſideremus.

1878. Quid eſt *æmulatio?* animoſa imitatio, nec mala, ſi intra iuſtitię, & æquitatis terminos ſe contineat. *Aemulemini* enim *chariſmata meliora*, inquit Paulus, & iterum, *æmulor vos Dei æmulatione*. Meritò igitur ęmulatio in ſanctam, & iniquam diuiditur; illa Deum reſpicit, hęc gloriam vanam, quę ſubdiuidi poteſt in inuidam, & concupiſcentem. Ex concupiſcentia dignitatum ſubnaſcitur virtutum ambitio, quę virtus non eſt, ſed virtuti ſimillima, & in promotionem collimat. Et etiam ex inuidia ſolent nonnunquam perditiſsimi viri Sanctos ſeriò, aut iocosè imitari, vt qui non niſi contemptibiles ſunt, non niſi contemptibiles illos reddant, quorum ſimiles haberi geſtiunt. Et hęc ipſa ęmulatio inuida eſt, quoniam habenti phyſicè inutilis, & alijs ſolet eſſe nociua. adeoque in genere motum deteſtabilis, & plerumque mortalitèr peccaminoſa.

Liuor maleuolentia quędam eſt, odio-

le-

ſenior; quando quis non mortem, aut annihilationem proximo, ſed incommoditates molitur.

Murmur videtur à *Murmuratione* non diſtingui. ſed quid eſt *Suſurratio?* Aliquid murmuratione minus, quod ſolet per accidens eſſe multò maius. Murmurat, qui clarè, apertis verbis, & ſine fuco, impatiens veritatem, quibus non deberet, exponit; ſuſurrat, qui inſinuat, qui grandis periodis obuoluit; & præbet occaſionem audientibus multa conſiderandi, qui peiora ſolent ex verborum obſcuritate deducere, quàm poſſent ex ipſa claritate.

De *Detractione* & *Calumnia*, iam ſuprà numero illo 1808. quæ vtiliter perlegi poterunt.

Sed cur hæc vitia Melliſluus Legiſlator *peſtem* appellat? quoniam contagioſa; ſcandalizantia, adeoque inficientia circumſtantes talia, vt qui huiuſmodi laborant ægritudine, prudentiùs fugiantur, quam curentur. fuga enim eſt facilis, omnis medicina inefficax, familiaritas periculoſa.

Hæc de contagioſis vitijs hiſce ſufficiant, iam Bernardo duce ad Fraternam correptionem tranſeamus. Doctor Melliſluus ſic.

[*Cum autem fratrem (frater) liquidò aliquid peccaſſe agnouerit, pacificè & fraterna pietate, iuxta Domini præceptum, inter ſe & ipſum ſolum corripiat, & ſi eum non audierit, alium fratrem adhibeat ſed ſi vtrumq; conte͂pſerit, in co͂uentu publicè obiurgetur coram omnib.*]

1879. Hinc multis quæſtionibus fit ſatis, quibus vix aliunde poſſet. Quæritur *Primò*, An correctio fraterna ſit præcepta an conſulta? *Secundò*, An apud Templarios probabiliter omitti potuerit? *Tertiò*, An apud Ciſtercienſes, aut reliquos Benedictinos? *Quartò*, An qui dubitat, vtrùm frater peccauerit, an ſi vtrùm grauiter eum teneatur fraternè corripere? *Quintò*, An teneatur, ſi culpa ſit merè probabilis? *Sextò*, An adhibendus, ſit teſtis correctionis, an delicti? *Septimò*, An qui fratrem correxit fraternè coràm vno, teneatur iterum illum coram duob. corrigere. *Octauò*, An qui duos contempſerit teſtes, poſſit in Capitulo publicè proclamari, aut accuſari? an debeat ſecretò denuntiari? *Nonò*, An accuſari aut proclamari poſſit, qui tres teſtes contempſerit? *Decimò*, An accuſare vtilius ſit quàm proclamare? *Vndecimò*, An qui nullam culpam vidit, quam poſſit aut fraternè corripere, aut ad Superiores deferre, teneatur aut poſſit inquirere & aliorum vitas in hunc ſanctum finem examinare? *Duodecimò*, Qui debeat Abbas procedere, culpam ſui Religioſi euangelice admonitus. *Hæc ſunt* duodecim dubia, quæ frequenter occurrunt, quib. omnibus conabor ex verbis Melliſlui Doctoris ſatisfacere.

1879. b. *Ad primum* reſpondeo Ordinem fraternæ correctionis eſſe diuinitus præceptum, vt conſtat ex illis verbis, *iuxta Domini præceptum*; conſonantibus Capiti XXIII. Benedictinæ Regulæ, quod expoſui ſuperiùs à nu. 1678.

1879. c. *Ad ſecundum*, reſpondeo negatiuè; non enim iure ſecreti & huius correctionis cedere ſunt dicendi, qui ad fraternam correctionem ex Regula propria obligantur. Vnde ſi in præcepto illo Euangelico Chriſtus diſpenſaret, adhuc Templarij Regulæ iure tenerentur.

1879. d. *Ad tertium* reſpondi num. 1689. vſurpatione analoga, quoniam correctionem fraternam etiam præcipit S. Benedictus. At nunc à Benedictina Regula præſcindendo, ſic arguo. Si D. Bernardus nociuam religioſis fraternam correctionem crederet, nunquam illam præcepiſſet militibus (veroſimilius enim eſt, viros militares tali correctione abuſuros, quàm monachos) at iniunxit militibus, ergo & ſuo monaſterio Claræuallenſi eam obſer-

uari

minor, vt omnes Templarios malos fuiſſe credere prudenter non poſſim: quòd ſi ideò omnes condemnati dicantur, quòd pauci mali putarentur aut eſſent, ſententiam illam fuiſſe iuſtam creditur us non ſum. pater enim non debet portare iniquitatem filij; nec propter fratris ſcelera poteſt iuſtè innocens damnari confrater; aut aliàs propter noſtra frater noſter Chriſtus iuſtiſſimè damnatus eſt. Sed cur hæc Ego? Iudices duo ſupremi (Summus Pontifex, & Chriſtianiſſimus Rex) à Templarijs ad Dei infallibilis Iudicis tribunal ſtato termino citati, aduocati, comparere diuinitus iuſſi, videntur tacitè perſonare, fuiſſe in illa adhuc cauſa aliquid cui reſponderetur; non enim Deus citationem & appellationem admitteret, ſi aliena eſſet à veracitate. Sed quæ tacitè videntur dici, fortè ſubaudiri potiùs quàm audiri dicenda, hoc alij examinent; Tu verò, Lector candide, ad Regulæ, cuius hæc ſunt occaſione dicta, textum contemplandum progredere.

1850. Sed inquiris, Cur ea ipſa, cùm à Diuo ſit ſcripta Bernardo, S. Benedicti opuſculis debuerit adiungi? Et reſpondeo, me illius hic meminiſſe, non vt exponatur, ſed vt Regulam & S. Patris Opuſcula vniuerſa dilucidet. multa enim in ipſa per analogiam poſitam, qui Doctor Mellifluus Regulam intellexerit, haud obſcurè teſtatur. ſingula enim, non ſolum ad mentem D. Benedicti, ſed & eiuſdem ferè verbis ſolet pronuntiare; nam vt alias prætercam, videtur mihi hæc periodus, *Omnibus in primis ſermo noſter dirigitur, quicumque proprias voluntates ſequi contemnunt, & ſummo ac vero Regi militare animi puritate cupiunt, vt obedientiæ armaturam preclaram adſumere intentiſſima cura implendo præoptent, & perſeuerando impleant*, eſſe ſimilis iſti. *Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenuntians proprijs voluntatibus, Domino Chriſto vero Regi militaturus, obedientiæ fortiſſima atque preclara arma aſſumis.* Et ex collatione infero primò, quid reſpondendum ſit interrogantibus, An D. Benedictus *voluntatibus* ſcripſerit, an *voluptatibus*, quoniam aſſerente Balduino Moreau, qui triginta aut ampliùs contulit exemplaria, priori lectioni fauent impreſſi libri, & manuſcripti poſteriori? Infero, inquam, D. Benedictum de voluntate & non de voluptate egiſſe, quoniam *abrenuntiare proprijs voluntatibus*, D. Bernardo eſt, *proprias voluntates contemnere*. Infero etiam *armorum* nomine non intelligi debere offenſiua, quoniam Mellifluus Doctor apponendo *armaturam* docuit nos, neminem iuſtè offendi poſſe, quod Decalogo & Regulę magiſtrę bene obedias, quoniam obedientia tametſi armata lege, caret armis quibus nocere poſſit, non caret tamen quibus poſſit actiones ſuas, etſi ab æmulis carpantur, defendere.

1851. Cum igitur Templariorum Regulam eſſe vtilem Benedictinæ intelligendæ demonſtrauerim, video Te amore & ſancta neſcio qua ambitione ſuccenſum illam deſiderare. Nec ego dedi totam, licet ſæpius reperiatur impreſſa, ſed dilucidabo ſolummodo periodos illas, quas iudicabo neceſſarias. Titulus igitur Regulæ eſt.

REGVLA PAVPERVM, Commilitonum Chriſti, Templique Salomonici.

Hinc patet huius militiæ Profeſſores nominari, *Commilitones Chriſti, Templi milites*, ſed communione nomine *Templarios*.

PROLOGVS.

In ipſo S. Bernardus periodis ex Regulæ Benedictinæ aſſumptis Templarios ad

ad virtutem hortatur, & huius militiæ exordium deſcribit hiſce verbis.

Nos ergo cum omni gratulatione ac fraterna pietate precibuſque Magiſtri Hugonis, in quo prædicta Militia ſumpſit exordium cum Spiritu ſancto intimante ex diuerſis Vltra-montanæ Prouinciæ manſionibus in ſolennitate S. Hilarij anno M.C.XXVIII. ab incarnato Dei Filio, ab inchoatione prædictæ militiæ nono, ad Trecas, Deo duce in vnum conuenientes, & modum & obſeruantiam equeſtris Ordinis per ſingula capitula ex ore ipſius Magiſtri Hugonis audire meruimus, &c. Qua authoritate & Concilium illud coactum, & Regula approbata aut potiùs data fuerit, ſubiungitur, his verbis, *Non leuitate, ſed conſulte prouidentiæ & diſcretioni venerabilis Patris noſtri Honorati ac inclyti Patriarchæ Hieroſolymitani Stephani...... nec non Pauperum Commilitonum Chriſti conſilio communis Capituli vnanimiter commendauimus.* Vbi nota hanc Regulam trium conſenſu fundari; nimirùm Summi Pontificis, ſine quo canonica eſſe non potuit: Patriarchæ Hieroſolymitano; qui audiendus erat: & ipſorum Religioſorum, qui inuiti non poterant ſtrictiùs aut rigoroſiùs obligari. Sane D. Bernardum fuiſſe huius Regulæ authorem teſtatur Concilij Secretarius in fine Prologi hiſce verbis, *Ego Ioannes Michaelenſis, præſentis paginæ iuſſu Concilij ac Venerabilis Abbatis Claræ-vallenſis* (S. Bernardum ſubintelligit) *cui creditum ac debitum* (fortè *deditum*) *hoc erat humilis Scriba eſſe diuina gratia merui.*

SECTIO II. PROLOGI.

Nomina Patrum reſidentium in Concilio Trecenſi.

1852. De hoc Concilio in Chronico Ciſtercienſi Aubertus Miræus ad ann. 1128. his verbis. [Trecis in Gallia habitum eſt Concilium à plurimis Epiſcopis & Abbatibus, Ordinis præſertim Ciſtercienſis, vt à Stephano Ciſtercienſi, Hugone Pontiniacenſi, Bernardo Clareuallenſi, & alijs, In quo Concilio Militibus ſeu Equitibus Templarijs Regula & veſtis alba eſt adſignata. Meminit huius Concilij Guil. Tyrius *lib.12. de bello ſacro cap.7.* ſed perperam ibi vt in tomis Conciliorum à Seuerino Binio Coloniæ editis legitur *Concilium Cretenſe* pro *Trecenſe*. Idem Binius authoritatem Baronij ſequutus hoc Concilium anno 1127. celebratum tradit, ex Guilielmo Tyrio, male, vt arbitror, intellecto.]

CAPVT I.

Qualiter Diuinum officium audiant.

CAPVT II.

Quot rationes dominicas, ſi audire nequiuerint, dicant.

Sicut de audienda miſſa datur lex, quæ vniuerſos obſtringit, ſic etiam hic lego ſpecialem ſanctionem de audiendo Canonico Officio. Conueniunt hæ duæ leges, primò in hoc quod vtraque de audiendo ſit, ſecundò etiam in hoc, quod ſicut miſſam non tenetur audire ab alio Sacerdos qui illam legit, ſic etiam non tenetur Templarius horas audire, quas velit ipſe legere; nempe aut ſecundum rubricas Ciſtercienſis Breuiarij, aut ſaltem iuxta huius ſecundi Capitis inſtitutionem.

1853. Sed inquiris. An ad auditionem aut lectionem ſub mortali fuerint obligati?

Et Ego reſpondeo negatiue; & ratione fortiſſima perſuadeo. Nam ſtrictiùs omnino tenentur ad officium diuinum Moniales, & Iuniores noſtri Ordinis, quàm Equites; at hi non tenentur grauiter: ergo nec illi. Minorem probo num. 1343. & 1775. F.

Hinc patet Equites (niſi fortè ratione prouentuum particularium, quos

Commendam vocant, aliqui teneri dicantur; de quo nihil definio) ratione habitus & profeſsionis ad officium diuinum non teneri. De Equitibus S. Iacobi id docet expreſsè Thomas Sanchez in Conſilijs; & de reliquis pariformiter debet philoſophari.

1853. b. Inquiris etiam, An Religioſi Benedictini ſatisfaciant audiendo canonicas horas? hoc eſt, An ille qui interfuit horis, ſi non legit, teneatur omiſſe reſumere, an verò ſufficiat audiuiſſe?

Reſpondeo Religioſos, nondum ad ordines maiores promotos, non teneri moraliter ad lectionem auditionemue. Addo Promotos ex præcepto teneri ad lectionem ſuæ partis iuxta ea quæ ſuperiùs notauimus, nu. 1380. & 1383. Subiungo tamen ratione Priuilegij benignius multò obſtringi; quoniam Leo X. conceſsit Fratribus Minoribus, vt poſsint ſatisfacere Officio Diuino dicendo mentaliter: ergo legendo intra ſe, vel audiendo, modò attentè. Quod nos & multi etiam alij Religioſi poſſumus participare.

CAPVT III.

Quid agendum ſit pro Fratribus defunctis.

Qualiter Ciſtertienſes ad miſſas defunctorum teneantur declarauit Generale Capitulum ann. 1628. vide num. 1767. &c.

CAPVT IV.

Capellani victum & amictum tantùm habeant.

1854. In Eccleſia N. ſubdita Monaſterio Mariennenſi, magnæ oblationes fieri ſolent, & quæritur, An illæ neceſſariò ad Capellanos pertineant? an omnes debeant fabricæ Eccleſiæ adpropriari? an tandem poſsint cedere Monaſterio?

Reſpondeo Capitis IV. Regulæ Templariorum litteram ſubſcribendo: *Capellani*, ait Legislator Mellifluus, *victum & veſtitum tantùm habeant; alias verò oblationes, & omnia eleemoſynarum genera, quoquo modo fiant, Capellanis vel alijs ad tempus manentibus, vnitati communis Capituli reddere peruigili cura præcipimus. Seruitores itaque Eccleſiæ victum & amictum ſecundum autoritatem* (hoc eſt qualitatem ſuam) *tantum habeant, & nihil amplius habere præſumant, niſi Magiſter ſponte charitatiuè dederit.* Senſit ergo D. Bernardus eleemoſynas pertinere ad Communitatem, cui ſubeſt Eccleſia; nimirum, daturam victum amictumque famulis, quos in miniſterio occupauerit.

CAPVT V.

De militibus Defunctis.

1855. Iubet, vt portiones, quas ille deberet ſeptem diebus comedere, dentur pauperibus. Nos id facimus dieb. triginta.

CAPVT VI.

Vt nullus frater remanens oblationem faciat.

1855. b. Priuatas oblationes prohibet, orationes concedit, non enim gratæ Deo munera à priuatis Religioſis contra obedientiam data. Declarat optimè illum orare pro fratre occiſo, qui illius exemplo paratus eſt animam pro Eccleſia & Patria ponere, ſi fuerit neceſſariū.

CAPVT VII.

De immoderata ſtatione.

1856. Hoc Legislator Capite ſtatuit, leges communes debere tales eſſe, quæ poſsint à cunctis ſeruari; vnde ait, *Auribus noſtris veriſſimus teſtis inſonuit, videlicet immoderata ſtatione, & ſine men-*

menſura ſtando diuinum officium vos audire. (quid leuius? nota leges ſanciendi ſuauitatem) *ita fieri non præcipimus, imò vituperamus; ſed finito Pſalmo, & Venite exultemus Domino, cum Inuitatorio & Hymno omnes ſedere, tam fortes quàm debiles, propter ſcandalum vitandum nos iubemus.* Vituperatur ergo à Mellifluo Doctore non lex modo ſed etiam conſuetudo, quæ debilibus nimis onerosa videatur, mauultque fortes citra vires, quàm debiles ſupra vires impendi.

CAPVT VIII.

De Refectione Conuentus.

1856. b. Vt omnes ſimul in vno loco comedant, & ſilentium obſeruent præcipit, & quia ſignorum Regularium ignari, ſi quid neceſſarium fuerit leniter & priuatim, hoc eſt, ſuppreſſa voce, & quæ ab omnibus audiri nequeant, poſtulare concedit. Locum in quo omnes comedunt *Palatium* aut *Refectorium* dici conſtat ex prima linea. Sanè à reficiendo Refectorium, à palato Palatium. Et fortaſſe nullibi aliàs hæc vox *Palatium*, in tali accipitur ſignificatione.

CAPVT IX.

De lectione.

1857. Hoc caput Eccleſiaſticorum, & Religioſorum Sacerdotum non paucas menſas arguit, quod lectione careant, quia militum menſam Mellifluus Doctor carere non voluit.

CAPVT X.

De carnis refectione.

1857. b. Carnes trib. dieb. ſingularum hebdomadum, nec non feſtis Paſcha, & Natalitia Domini immediate ſequentibus, Beatæ Mariæ Virginis ſolennitatib. & feſto omnium Sanctorum, niſi aliàs ab Eccleſia interdictis, carnes concedit.

Experientia docuit hoc obſeruantiæ genus eſſe valetudini conſeruandæ aptum, & quia videbatur dictamini Melliflui Legiſlatoris conſonum, acceptatum fuit à Ciſtercienſibus, & à ferè omnibus Benedictinis. Multi mores antiquos reſtituendos deſiderant, multi iuniores retinendos, & quia pro vtraque parte grauia ſunt rationum momenta, hanc ego alibi quæſtionem radicitùs examinabo.

CAPVT XI.

Qualiter manducare Milites debeant.

1858. Quando communi menſæ adſidere non poſſunt, ſingulos ſeorſim prandere non permittit. Sed cur? Sanctus ipſe reſpondeat. *Duos, & duos manducare generaliter oportet, vt ſolerter vnus de altero prouideat, ne aſperitas vitæ vel furtiua abſtinentia in omni prandio intermiſceatur.* Cenſuit igitur S. Bernardus melius eſſe cibos poſitos comedere, quàm furtim & ſine Superioris licentia ieiunare. & optimè, nam primus actus fragilitatis eſt, aut ſi mauelis, leuis nonnunquam gulæ, at ſuperbiæ pernitioſæ poſterior.

CAPVT XII.

Vt aliis diebus duo aut tria leguminum fercula ſufficiant.

1858. b. Alios dies vocat illos, quibus non liceat carnes edere; nimirum feriam ſecundam, quartam, ſabbatum. Et quid D. Benedictus CAP. XXXIX. intellexerit pulmentariorum nomine, indigitat his verbis, *Duo aut tria leguminum vel aliorum ciborum* (puto piſcium) *fercula, aut vt ita dicam, cocta pulmentaria omnib. ſufficere credimus.* Putauit igitur S. Bernardus herbas co-

ctas *Pulmentarium* vocari, & D. Benedictum non iuſſiſſe vt præter legumina duæ piſcium apponerentur ſcutellæ, ſed quod duæ ſolùm apponerentur; videlicet, aut vtraque ex leguminibus quod durius; aut vtraque ex piſcibus, quod laxius, aut tandem altera ex leguminibus, altera ex piſcibus quo videretur conuenientius.

CAPVT XIII.

Quo cibo feria ſexta reficere oportet.

1859. Quadrageſimalem concedit, & inſinuat Monachis tali fuiſſe die lacticinia interdicta; cur enim aliàs S. Pater caueret militi, quæ concedebantur Sacerdoti?

CAPVT XIV.

Poſt refectionem ſemper gratias referant.

1859. b. Et in Eccleſia præcipit, ſi permiſerit locus & tempus. Non eſt expreſſa in Regula hæc gratiarum actio, at omitti non debet. *Gratias, vt decet,* ait Bernardus, *cum humiliato corde referre inenodabiliter præcipimus.* Igitur ſi Milites ab hoc onere enodati non poſſunt, Religioſi non debent.

CAPVT XV.

Vt decimus panis ſemper eleemoſynario detur.

1860. Præter fragmenta, quæ Capite præcedenti erogari pauperibus voluit, in hoc decimam partem illis cedere præcipit. Cùm igitur hac Milites lege obſtringi voluit, Ciſtertij & Claraualle multò plura pauperibus data, quis neget? Stat igitur dedecere Ciſterrienſes Abbates, Mellifluі Doctoris diſcipulos, auaritiam tenacitatemque ſed debere ſingulos vltra prouentuum partem decimam erogare pauperibus, aut permittere quod illos Templarijs Militibus minùs obſeruantes dicamus.

CAPVT XVI.

Vt collatio ſit in arbitrio Magiſtri.

1860. b. Concedit, vt ſi Magiſter iudicet expedire, poſſit in collatione aut aquam puram aut vino miſericorditer temperatam concedere. & docet Monachos non debere laxiorem ſumere, quàm ſolebant homines militares. Hodie apud Hiſpanos Ciſtertienſes ſatis rigida & auſtera eſt collatio. dantur paucæ nuces ſine pane, aut ſi benigniùs parum panis ſine nucibus, & aqua vinumque conceditur, pro ſingulorum arbitrio aut deuotione temperanda.

CAPVT XVII.

Vt finitis Completis ſilentium teneatur.

1860. c. Correſpondet Capiti XLII. Benedictinæ Regulæ, vbi ne quis loquatur poſt Completorium præcipit S. Benedictus.

CAPVT XVIII.

Vt fatigati ad matutinas non ſurgant.

1860. d. Mellifluі noſtri Patris benignitas conſtat ex periodo ſequenti, *Fatigatos milites, ait, non ita, vt vobis eſt manifeſtum, ſurgere ad matutinas collaudamus.* Vituperat igitur illos, qui ſupra vires frequentant actus Communitatis; & concedere videtur licentiam Superioribus, vt & fatigato Religioſo matutinorum tempore in lecto manere permittant. Illis autem, qui quieſcere permiſſi, orationes conſtitutas ſic recitare conſulit, *vt mens ipſorum voci concordet*, iuxta Caput XIX. Regulæ S. Benedicti.

CA-

CAPVT XIX.

Vt communitas victus inter Fratres ſeruetur.

1861. Deſumptum eſt ex trigeſimo quarto Benedictinæ Regulæ, in quo exponitur. Debeant-ne omnes æqualiter neceſſaria recipere? & commendans geometricam analogiam, arithmeticam æqualitatem condemnat, ſubueniendum enim vnicuique eſt pro neceſſitate cuiuſcumque. Clauditur caput iſtis verbis. *Hoc autem prohibemus, vt nulli immoderatam abſtinentiam amplecti liceat, ſed communem vitam inſtanter teneant.* Immoderatam nominat, quæ irregularis, quæ inconſulto, aut contradicente Superiore.

CAPVT XX.

De qualitate, & modo veſtimenti.

1861.b Hinc video quinquageſimum quintum Benedictinæ Regulæ iam eiſdem iam ſimilibus verbis reſcriptum, ſed quia de colore nihil S. Benedictus ſtatuit, quid S Bernardus diſpoſuerit, audiamus. *Veſtimenta*, ait, *vnius coloris ſemper eſſe iubemus, verbi gratia, alba, vel nigra, vel, vt ita dicam, burella. Omnibus autem Militibus profeſſis in hyeme, & eſtate ſi fieri poteſt, alba veſtimenta concedimus, vt qui tenebroſam vitam poſtpoſuerint, per liquidam, & albam ſuo conditori ſe reconciliari agnoſcant. Quid albedo, niſi integra caſtitas? Caſtitas? ſecuritas mentis, ſanitas corporis eſt. Niſi enim vnuſquiſq; miles caſtus perſeuerauerit, ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit, teſtante Apoſtolo Paulo, Pacem ſectamini cum omnibus, & caſtimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.*

CAPVT XXI.

Quod famuli veſtimenta alba, hoc eſt, pallia non habeant.

1862. Et duæ huius Sanctionis occurrunt rationes; duo motiua. Primò enim rationi conſentaneum videtur famulos ab heris diſtingui; Secundò cùm facilius ſit mentiri perſonam famuli, quàm heri, expedire videtur, vt dominorum ſit ſecurior opinio, nec ita latronum transfigurationibus obnoxia. Hoc ipſum bene exponit Bernardus, cùm ait, *Surrexerunt in Vltramontanis partibus quidam pſeudo fratres, & coniugati, & alij dicentes ſe eſſe de Templo, cum ſint de mundo. hi nempe tantas contumelias, totq; damna Ordini militari adquiſierunt, & clientes remanentes plurima ſcandala oriri inde ſuperbiendo fecerunt.* Et fortè propter ſimiles homines Ordo poſteà infamatus, & extinctus.

1862. b. Hinc patet ad D. Bernardi mentem Conuerſos, ſeu Fratres laicos, (qui famuli religioſi ſunt) debere habere veſtem, qua à choriſtis diſtingui poſſint; non enim ita ingenuæ domui præiudicat error, qui à famulo commiſſus, quàm qui à domino.

CAPVV XXII.

Quod milites remanentes tantùm alba habeant. XXIII. *Vt pellibus tantùm agnorum vtantur.* XXIV. *Vt vetuſta armigeris diuidantur.*

1862. c. His tribus Capitibus de veſtibus ſpecialiùs diſponit. Animorum candorem vult S. Pater in veſtibus repræſentari. Pellium ſuperbiam, & raritatem interdicit; multæ enim nimis pretioſæ ſunt, nec pauperibus aptæ: armigerorum etiam, qui famuli ſunt militares, curam habet, ipſoſque iubet externis pauperibus præponi; ſic enim ait, *Veteres* (veſtes)

ſtringitur. *Secundò*, in Monaſterijs, quæ non ſuccedunt in hæreditate, qualia vbique Capucinorum ſunt, & in multis locis vniuerſa, non datur obligatio ſuſtentandi parentes, hæc enim hæredi neceſſariò incumbit. Rationi enim eſt abſonum Ioãnem eſſe tibi hęredem neceſſarium, ſi diues ſis; & ſi depaupereris, nullo tibi titulo, aut obligatione teneri. *Tertiò*, in Monaſterijs, quæ ſunt hæredes ex triente (multa ſunt talia) non poteſt maior eſſe quàm ſubtripla obligatio. quam ob rem in tali caſu ſatisfaceret Monaſterium, ſi tertiam partem congruę ſuſtentationis contribueret, & alias duas tertias partes ſæcularis ille hæres, qui deberet neceſſariò ſuccedere. Hic omnia videtur poſtulare æquitas, & moralis filiatio; quia cùm iuris naturalis ſit, vt filij in hæreditate ſuccedant [aut aliàs debile eſt Pauli illud argumentum, *Filii, ergo hæredes.*] vbi moraliter incipit aliquis eſſe non-hæres, incipit moraliter eſſe non-filius, & eo ſenſu, quo incipit eſſe ſemi-hæres, incipit eſſe ſemi-filius.

1864. Igitur, vt poſſit egredi Religioſus, vt alat ſuos Parentes, requiritur, vt ipſi verè in graui ſint neceſſitate [conſultò *in graui* dixi: quoniam homini cõſtituto in extrema non Filius ſolus, ſed & quicumque ethnicus debet opitulari.] quòd Monaſterium ſit ex aſſe hæres. & nolit illos ſecundum eorumdem qualitatem tractare. & tandem ex parte religioſi egreſſuri, quod ſi talis, qui poſſit lucrari neceſſaria Parentibus, ſine æternæ damnationis periculo, aut communis authoritatis detrimento.

CAPVT XXV.

Vt cupiens optima, deteriora habeat. XXVI. *Vt quantitas, & qualitas veſtimentorum ſeruetur.* XXVII. *Vt dator pannorum æqualitatem ſeruet.*

1865. Iſta tria Capita, ſicut & præcedentia ſunt illuſtrationi quinquageſimo-quinto Regulæ S. Benedicti. vbi obſeruari velim, vt qui ſartoribus, & cellerarijs nimia ſunt curioſitate moleſti, deteriora, deformiora, & viliora reciperent, vt vel ſic remitterent vanam curioſitatem.

CAPVT XXVIII.

De ſuperfluitate capillorum. XXIX. *De roſtris, & laqueis.*

1865. b. Legant modeſti Monachi; nam ſi Bernardo placent milites capillorum incurij, placere non poterunt Religioſi curioſi.

CAPVT XXX.

De numero equorum, & armigerorum. XXXI. *Vt nullus armigerum gratis ſeruientem ferias.*

1865. c. Paupertati militari conſulens, tres vnicuique militi equos concedit; alterum pro famulo, duos pro domino. & ſatisfacit illi Quæſtioni, quæ inueſtigat: An famuli percuti poſſint? nam cum exceptio firmet Regulam in contrarium, qui ſtatuit non debere percuti armigeros, qui ex deuotione ſeruiunt, videtur ſatis clarè docere conductos pretio poſſe corripi intra terminos modeſtiæ, & prudentiæ, nimirum, itavt correptio nec moraliter ignominioſa ſit, nec phyſicè nimis acerba. Primo enim modo excederet Eques, quia Armigerum more puerili flagellaret; ſecundo, qui aut caput frangeret, aut grauiter membrum aliquod lęderet.

CAPVT XXXII.

Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.

1866. Ex hoc capite conſtat, Templarios

rios bifariam militiam profiteri ſolitos; nimirùm, perpetuam, & ad tempus; & de profeſſis ad tempus agit S.Bernardus in hoc capite. & Tu inquiris: An in vita Monaſtica poſſet hæc varietas admitti? hoc eſt: An poſſet aliquis ſolenniter profiteri ſe victurum ſecundum Benedictinam, Franciſcanam, aut quamcumque aliam Regulam decennio, aut quocumque alio tempore determinato?

Reſpondeo *laudando* Oratoriſtas, & Begginas (vtrique in Belgio florent) apud quos nemo detinetur inuitus. Profeſſi Religioſi non ſunt; agunt tamen vitam communem, piam, & commendabilem, & ſunt optimo exemplo Reipublicæ. *Addendo* ſolennia vota, quæ hodie fiunt perennitatem tanquam ſolennitatis circumſtantiam inuoluere, ſine qua non eſſent valida, non enim alia, quàm perpetua vult Eccleſia ſolennia nominari. *Subiungendo* poſſe Eccleſia inſtituere nouam Religionem, in qua ad tempus vota diſtinguantur; & hæc eſſet multò imperfectior inſtitutis, non tamen minus vtilis, præcipuè, ſi ex illa ad perpetuas promouerentur. Quid, ſi dixero, Nouitios ex Benedictinæ Regulæ præſcripto vota eadem emiſiſſe, quæ nos, ſed ad tempus: hoc eſt, aut ſeruanda illo anno, aut quod veroſimilius quadrimeſtri? Sanè magnam lucem dedero difficultatibus grauiſſimis, & conſonuero veterum moribus, & Regulæ magiſtræ contextui. Vide quæ ſuperiùs dicta num. 521. ad Caput LVIII. & hinc intellige, & concilia veteres, qui circumſtantiam mutantem ſpecie in nouitij fornicatione repererunt.

CAPVT XXXIII.

Quòd nullus iuxta propriam voluntatem incedat. XXXIV. *Si licet ire per villam ſine iuſſu Magiſtri.*

1866. b. Obedientiam, & clauſam his duobus Capitibus complectitur: & ad vtramque etiam teneri Monachos regulariter, manifeſtum eſt. quoniam præcepris ſunt Prælatorum obnoxij, & egredi Monaſterio non poſſunt ſine Superioris licentia.

CAPVT XXXV.

Si licet eum (Militem Templarium) ambulare ſolum.

1867. Hic moueri poſſet illa Quæſtio, An Religioſi debeant egredi ſoli, aut cum ſocio? ſed illam examinabo inferiùs num. 1972. nunc noto quoad Templarios D.Bernardum reſpondere negatiuè. hoc eſt, ſolos non poſſe egredi.

CAPVT XXXVI.

Vt nullus nominatim, quod ei neceſſarium erit, quærat. XXXVII. *De frenis, & calcaribus.* XXXVIII. *Quòd tegimen in haſtis, & clypeis non habeatur.* XXXIX. *De licentia Magiſtri.* XL. *De mala, & ſacco.*

1867. b. Res omnes quærendas, procurandas pro communitate ſtatuit S.Pater, & ex bonis communibus ſingulis ſubueniendum. repugnat enim aliquem eſſe ſolenni paupertatis voto obſtrictum, & nomine proprio aliquid poſſidere, vel quærere. Cętera, quæ adduntur obedientiam, reſignationem voluntatis, & actionum concernere videntur modeſtiam.

CAPVT XLI.

De legatione litterarum.

1887. c. Exponit hic S. Bernardus quinquageſimum quartum Regulæ S. Benedicti. Et reſoluit illud dubium, quod rogat: An, qui litteras ex licentia Superioris receperit, teneatur exhibere Prælato? an verò recipiendi licentia ſit etiam licentia litteras non oſtendendi? Verba Melliflui mei Bernardi hæc ſunt, *Poſtquam licentiam Frater habuerit* (nimirùm, recipiendi, aut ſcribendi litteras) *in præſentia Magiſtri, ſi ei placet, legantur.* Monendi tamen Superiores ſunt, vt illa, quæ in Epiſtolis legunt, retineāt in ſecreto; ſæpè enim honorem alienum tangunt, nec poſſunt vulgari ſine culpa.

CA-

CAPVT XLII.

De fabulatione propriarum culparum.

1868. Exponitur Capitis LXVII. illa periodus, *Nec preſumat quiſquam alio (alijs) referre, quæcumq; foris monaſterium viderit, aut audierit, quia plurima deſtructio eſt. Quod ſi quis preſumpſerit, vindictæ regulari ſubiaceat.* Nam cum D. Benedictus quæcumque extra monaſterium viſa, aut audita taceri iubeat, poſset quis opinari etiam Bona, & quæ ædificare poſſent, ſimiliter eſſe tacenda, cùm tamen D. Bernardus hoc caput de peccatis commiſſis, viſis, aut auditis, quæ poſſint ſcandalizare alios, intelligat. cui ego conſonui num. 1648. e.

CAPVT XLIII.

De quæſtu, & acceptione. XLIV. *De manducarijs equorum.* XLV. *Vt cambiare, vel quærere nullus audeat.*

1869. Omnia materiam paupertatis concernunt, de qua ſatis fusè ſuperiùs à num. 815.

CAPVT XLVI.

Vt nullus auem cum aue (accipitre) *capiat, nec cum capiente incedat.* XLVII. *Vt nullus feram arcu, vel balliſta percutiat.* XLVIII. *Vt Leo ſemper feriatur.*

1869. b. Concernunt, & iſta modeſtiam, alienus enim à religioſa videtur venatorius ſtrepitus; qui interdictus militibus, Monachis non deberet concedi.

1869. c. Vbi leonem feriri præcipit, & beſtias alias queri inhibet, nociuas belluas à non nociuis videtur S. Bernardus diſtinguere, & præcipere, vt noxiæ vbicumque occidantur, innoxiæ conſeruentur, aut tolerentur.

CAPVT IL.

De omni re ſuper vos quæſita iudicium audito. L. *Vt hæc regula in omnibus teneatur.*

1869. d. Verba textus ſunt hæc. *Si aliquis.....ſuper vos rem aliquam quæſierit, vobis per fideles, & veri amatores iudices audire iudicium præcipimus: & quod iuſtum fuerit* (nimirùm, illorum iudicum ſententia) *indeclinabiliter vobis facere præcipimus.* Ergò iudicauit S. Pater Bernardus non ſemper eſſe vtilem immunitatem, ſed vtiliùs ſolere corrigi, qui ab omnibus iudicibus poſſent. Sed quæ hominibus militaribus eſſent vtilia, fortè eſſent ſacerdotalibus diſconuenientia, aut perniciosa, æquiùs enim, & ſanctiùs Eccleſiaſticus ab Eccleſiaſtico, quàm à ſæculari iudicatur.

CAPVT LI.

Quod licet omnibus militibus profeſſis terram, & homines habere.

1870. Quod ſingulis ſeorſim ratione paupertatis deuotæ negat, omnibus ſimul ſumptis concedit; benè enim ſtat, quòd ſinguli ſint pauperes, & communitas diues, benè, quòd ſinguli incapaces dominij, & communitas proprietatis ſit capax, iuxtà ea, quæ tradidimus à nu. 820

CAPVT LII.

Vt de malè habentibus (ægris) *cura peruigil habeatur.* LIII. *Vt infirmis neceſſaria ſemper dentur.*

1871. Conſonat iſta omnia Religioſę pietati, Capiti XXXVI. Regulæ S. Benedicti, & moribus totius Eccleſiæ.

CAPVT LIV.

Vt alter alterum ad iram non prouocet.

1872. Correſpondet Capiti LXIX. & LXX. Regulæ Benedictinæ; qui enim ſtudet, ne aliquem ad iram prouocet, debet neminem priuata authoritate defendere, aut excommunicare.

CAPVT LV.

Quomodò Fratres coniugati habeantur.

1872. b. Coniugatis, modò honeſtam agere vitam proponant, non claudit aditum ad fraternitatem. non quod S. Doctor illos velit votis obſtringere eſſentialibus; ſed quod cohabitare, & conuiuere militibus Templarijs permittat, vt, & hodie fit in multis Monaſterijs, in quib. viri ſæculares emunt ſuam menſam, & gaudent vitam agere Religioſam, tametſi nec Religioſi ſint, nec votis velint initiari.

CAPVT LVI.

Vt amplius ſorores non habeant.

1872.c. Sed cur? An non ſorores extra omne periculum culpæ, extra omnem detractions inuidiam, & obloquutionem ſunt poſitæ? Putant multi, at non omnes, & inter hos vltimos S.Bernardus. Imò dum apud Monachium in Bauaria hæc ſcribo, adueni oppidum, cuius Parochus de inceſtu cum ſorore commiſſo conuictus, & publicè ab Epiſcopo, punitus, Romam iuiſſe, & redijſſe dicitur, & à pudore abſolutus Iudicibus inſultare, & contra proſcriptionis legem ad ſuam domum, imò & ſororem redire. Rem ipſam non diſcutio; ſcandalum video, & Epiſcopo, Viro ſancto, condoleo, quod armatum Romanis, tametſi ſubreptitijs litteris, punire non valeat. Turbantur ſœculares, dùm vident inceſtum ab ipſis commiſſum ſolere lui capite, & commiſſum à ſacrilego Parocho tolerari. Hinc immunitas Eccleſiaſtica ſumma pericula, hinc maximas iacturas paſſa. Sed hoc alios concernit, ipſi viderint. nos doceamur nullum Religioſum permittere cohabitare ſuſpectæ fœminæ, tametſi ſoror, aut cognata dicatur.

CAPVT LVII.

Vt Fratres Templi cum excommunicatis non participent.

1872. d. Intelligit excommunicati nomine hominem nominatim, & publicè à communione Chriſtianorum expunctum legitima Antiſtitis authoritate.

CAPVT LVIII.

Qualiter Milites recipiantur.

1872. e. Agit de receptione Nouitiorum, & Caput LVIII. Regulæ Benedictinæ illuſtrans, oſtendit ſub illud æuum probationis tempus non debuiſſe eſſe annum præciſè, ſed potuiſſe eſſe breuius ex concordia, & voluntate partium. Imò dum dicit, *Terminus verò probationis in conſideratione, & prouidentia Magiſtri, ſecundum honeſtatem vitæ petentis, omninò pendeat*; videtur vni, & ſoli Superiori temporis huius determinationē committere. Iam omnia poſt Tridentinam Synodum, aliter diſponuntur; Eccleſia enim irritas, & nullas declarat profeſſiones, quæ antè completum annum probationis ſunt factæ.

CAPVT LIX.

Vt omnes Fratres ad ſecretum conſilium non vocentur.

1872. f. Capite ſuæ Regulæ tertio S. Benedictus præcipit, ne quidquam temerè aggrediatur Prçlatus, ſed ſingula conſilio, & prudentia; grauia omnibus conuocatis, leuia auditis Senioribus. Sed quia negotia grauia occurrunt, quæ non poſſunt omnibus manifeſtari, meritò quis interrogaret, An, & ipſa deberent conuentui toti capitulariter congregato proponi; an ſolùm illis, qui ſunt Abbatis Conſiliarij? Et reſpondet Mellifluus Legiſlator in titulo, Omnes Fratres ad ſecretum conſilium non vocandos. Sed quia multi dubitant, An voces eorumdem ſint conſultiuæ, aut diſciſiuæ, ſubiungam aliquas periodos. *Cum de maioribus* (agit de publicis) *tractare voluerit* (Magiſter) *vt eſt, dare communem terram* (fundum) *vel de ipſo ordine diſceptare, aut Fratrem recipere* (incorporare) *tunc omnem congregationem, ſi placet Magiſtro* (non ergo, ſi non placet) *conuocare eſt competens, auditoq; communis Capituli conſilio, quod melius, & vtilius Magiſter conſiderauerit* (non ergo quod melius Conuentus iudicauerit) *illud agatur*. Nec iudicio potuiſſe ſtatuere S. Bernardum, vt voces Militum eſſent conſultiuæ, ſi Monachorum deciſiuas crederet.

CAPVT LX.

Quod cum ſilentio orare debeant.

1872. g. Et rationem adiungit: nimirùm, ne confratrem impediat. Et totum ad litteram, aut ſaltem ad ſenſum deſumptum ex Capite LII. Regulæ Benedictinę.

CA-

CAPVT LXI.

*Vt fidem ſeruientium accipiant.*LXII.*Vt pueri,quamdiu ſunt parui,non recipiantur.*LXIII.*Vt ſenes ſemper venerentur.*

1872.h. Prima lex œconomica eſt, & *fidei* nomine, non incongruè fidei iuſſionem, & etiam iuramentum fidelitatis intelligere poteris. Secunda videtur eſſe contra Benedictinæ Regulæ Caput LIX. exceptio. Permittit enim S.Benedictus nobilium, & etiam ignobilium filios,adhuc infantes, aut pueros ad conuictum Monaſticum, imò ad nouitiatum admitti. inhibet Mellifluus Doctor in Templarium Ordine; vita enim militaris, quæ adoleſcenti bene educato eſſe poteſt conueniens,eſt nociua educando: nam inter armorum ſtrepitum multa deſunt, quæ puellorum ſunt educationi neceſſaria.

CAPVT LXIV.

De Fratribus, qui per diuerſas prouincias proficiſcuntur.

1873. Eſt ſimile ſexageſimo-ſeptimo Benedictinæ Regulæ de Fratribus in viam directis, & in eo hanc ego periodum calamo dignam iudicaui. *Apud quem hoſpitari decreuerint, fama optima ſit decoratus, &c.* Nam aliquandò video Religioſos tenui viatico præditos non poſſe ad magna hoſpitia diuertere; ſed debere ad vilia, & parua, vbi vel tabacum ſumitur à milite, vel ſcandalum datur à pellice. Nec excuſari à paupertate poſſunt, quoniam Abbas, qui nequit ſufficiens Monacho in viâ directo miniſtrare viaticum, vt ad hoſpitium honeſtum diuertat: poterit ſaltem illum eumdem religioſum in monaſterio retinere; non enim eſt omninò neceſſarium, vt currere hac illac permittatur.

CAPVT LXV.

Vt victus æqualiter omnibus diſtribuatur. LXVI. *Vt milites Templi habeant decimas.*

1874. *Aequaliter*, hoc eſt, vniformiter ſine acceptione perſonarum, ſed cum conſideratione, & examine neceſſitatum, iuxtà Benedictinæ Regulæ, Caput XXXIV.

Decimas poſſe à Templarijs poſſideri decernit, & hoc non ſine cauſa; nam tempore S.Bernardi querebatur. An D. Benedictus habuerit homines ligios, ſeruos, vaſallos, decimas? & quod erat acrius, An Ciſtercienſes illos, illas habere, & poſſidere poſſent? & ne apud Templarios diſputatio ſimilis ſucceſſu temporis excitaretur, declarat S. Pater eos eſſe capaces, quibus decimę ab Epiſcopis concedi poſſent.

CAPVT LXVII.

De leuibus, & grauibus culpis. LXVIII. *Qua culpa Frater amplius non recipiatur.*

1875. Noto hanc periodum Cap.67. *De leuibus, ſi conſuetudinem non habeant, leuem pœnitentiam habeant.* Et cùm video ob peccandi leuiter conſuetudinem grauem pœnam imponi, ſubdubito, an ad mentem S. Bernardi conſuetudo peccandi leuiter, ſit res grauis? At ego grauem illam non puto, reor tamen indigere notabili remedio, vt eradicetur ex animo; ſępe enim contingit dari maculam paruam, à qua difficiliùs purgeris, quàm à magna.

Culpam, ob quam aliquis dimitti debeat, eſt incorrigibilitas, cùm nec obedire mandato frater vult, nec acceptare pœnitentiam. Legiſlator ſic ait. *Ante omnia prouidendum eſt* (nihil magis neceſſarium occurrere in conuentu poteſt) *ne frater potens, aut impotens* (ſunt qui in ipſamet impotentia, & miſeria habent ſuperbiendi occaſionem) *fortis, aut debilis* (ſed & ipſa debilitas vanę glorię occaſio ſolet eſſe) *volens ſe exaltare, & paulatim ſuperbire, ac culpam ſuam defendere, indiſciplinatus maneat. Sed ſi emendare noluerit, ei diſtrictior correctio accedat. quod ſi pijs admonitionibus, & fuſis pro eo orationibus, emendare noluerit, ſed in ſuperbia magis, ac magis erexerit, tunc ſecundum Apoſtolum de*

pio eradicetur grege. Auferte malum ex vobis. Neceſſe eſt, vt à ſocietate fratrum fidelium ouis morbida remoueatur. Quę omnia dilucidant Caput XXVIII. Regulę S. Benedicti.

1876. Cęterùm ſequentibus lineis optimè S. Pater vnum Superiorem depingit, coloreſque, quos S. Benedictus Capite II. expreſsit, ipſe pulchrè reſumit, & ſic ait.

[*Magiſter* (Abbas, Superior) *baculum, & virgam manu tenere: baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates ſuſtentet: virgam quoq;, qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriat, conſilio Patriarchę, & ſpirituali conſideratione id agere ſtudeat, ne, vt ait B. Maximus, aut ſolutior lenitas cohibentiam peccantis, aut immoderata ſeueritas à lapſu non reuocet delinquentem.*] Vnde obiter patet, quo Rex Propheta ſenſu dixerit, *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.*

CAPVT LXIX.

Vt à Paſchali ſolennitate ad feſtum omnium Sanctorum vnam camiſiam lineam tantùm ſumere habeant. LXX. *Quot, & quales panni vt lecto ſunt neceſſarij.*

1876. b. Quamvis Monachis interdicta ſint linea, militibus in ęſtate ob ęſtum, & ſudorem videntur prudenter concedi: eſſet enim nimis difficile arma, & equum gerere, & laneum induſium geſtare. Vide Caput LV. Regulę S. Benedicti.

CAPVT LXXI.

De vitanda murmuratione, & adhibenda fraterna correctione.

1877. Quàm mala murmuratio ſit, & quàm malos effectus ipſa inferat, exploratum habebat S. Benedictus, qui multa indulget contra ſuam voluntatem Religioſis, ne occaſionem prębeat murmurandi. Optimè Mellifluus Legiſlator murmurationem cum fraterna correctione coniungit, quaſi oppoſitos terminos, ſæpè enim quę fraternè corripere quis poſſet, peiora reddit murmurando. Textum conſideremus. Murmurationes ſic proſcindit.

Aemulationes inuidas, liuorem, murmur, ſuſurrationes, detractiones, diuina admonitione vitare, & quaſi quamdam peſtem fugere vobis pręcipimus. Studeat igitur vnuſquiſq; vigilante animo, ne fratrem ſuum clam culpet, aut reprehendat, ſed illud Apoſtoli ſtudiosè ſecum animaduertat, Ne ſis criminator, nec ſuſurro in populo.]

Murmurationem nos num. 1808. à Confuſione, Exprobratione, Detractione, & Calumnia diſtinximus, & meritò ſubdubitare poſſumus, An hic aliquid noui doceamur? id eſt, An in his D. Bernardi verbis lateat aliquid, quod numero illo 1808. dictum non ſit? Et nulla alia melius via Quęſtioni reſpondere potero, quàm ſingulas voces explicando: Singulas igitur conſideremus.

1878. Quid eſt *æmulatio?* animoſa imitatio nec mala, ſi intra iuſtitię, & æquitatis terminos ſe contineat. *æmulamini* enim *chariſmata meliora*, inquit Paulus, & iterum, *æmulor vos Dei æmulatione*. Meritò igitur ęmulatio in ſanctam, & iniquam diuiditur; illa Deum reſpicit, hęc gloriam vanam, quę ſubdiuidi poteſt in inuidam, & concupiſcentem. Ex concupiſcentia dignitatum ſubnaſcitur virtutum ambitio, quę virtus non eſt, ſed virtuti ſimillima, & in promotionem collimat. Et etiam ex inuidia ſolent nonnunquam perditiſsimi viri Sanctos ſeriò, aut iocosè imitari, vt qui non niſi contemptibiles ſunt, non niſi contemptibiles illos reddant, quorum ſimiles haberi geſtiunt. Et hęc ipſa ęmulatio inuida eſt, quoniam habentur phyſicè inutilis, & alijs ſolet eſſe nociua. adeoque in genere motum deteſtabilis, & plerumque mortalitèr peccaminoſa.

Liuor maleuolentia quędam eſt, odio-

le-

ſenior; quando quis non mortem, aut annihilationem proximo, ſed incommoditates molitur.

Murmur videtur à *Murmuratione* non diſtingui. ſed quid eſt *Suſurratio?* Aliquid murmuratione minus, quod ſolet per accidens eſſe multò maius. Murmurat; qui claré, apertis verbis, & ſine fuco, impatiens veritatem, quibus non deberet, exponit; ſuſurrat, qui inſinuat, qui grandis periodis obuoluit; & præbet occaſionem audientibus multa conſiderandi, qui peiora ſolent ex verborum obſcuritate diducere, quàm poſſent ex ipſa claritate.

De *Detractione* & *Calumnia*, iam ſuprà numero illo 1808. quæ vtiliter perlegi poterunt.

Sed cur hæc vitia Mellifluus Legiſlator *peſtem* appellat? quoniam contagioſa; ſcandalizantia, adeoque inficientia circumſtantes talia, vt qui huiuſmodi laborant ægritudine, prudentiùs fugiantur, quam curentur. fuga enim eſt facilis, omnis medicina inefficax, familiaritas periculoſa.

Hæc de contagioſis vitijs hiſce ſufficiant, iam Bernardo duce ad Fraternam correptionem tranſeamus. Doctor Mellifluus ſic.

[*Cum autem fratrem* (frater) *liquidò aliquid peccaſſe agnouerit, pacificè & fraterna pietate, iuxta Domini præceptum, inter ſe & ipſum ſolum corripiat, & ſi eum non audierit, alium fratrem adhibeat ſed ſi vtrumq; contempſerit, in cõuentu publicè obiurgetur coram omnib.*]

1879. Hinc multis quæſtionibus fit ſatis, quibus vix aliunde poſſet. Quæritur *Primò*, An correctio fraterna ſit præcepta an conſulta? *Secundò*, An apud Templarios probabiliter omitti potuerit? *Tertiò*, An apud Ciſtercienſes, aut reliquos Benedictinos? *Quartò*, An qui dubitat, vtrùm frater peccauerit, an ſi vtrùm grauiter eum teneatur fraternè corripere? *Quintò*, An teneatur, ſi culpa ſit merè probabilis? *Sextò*, An adhibendus, ſit teſtis correctionis, an delicti? *Septimò*, An qui fratrem correxit fraternè coràm vno, teneatur iterum illum coram duob. corrigere. *Octauò*, An qui duos contempſerit teſtes, poſſit in Capitulo publicè proclamari, aut accuſari? an debeat ſecretò denuntiari? *Nonò*, An accuſari aut proclamari poſſit, qui tres teſtes contempſerit? *Decimò*, An accuſare vtilius ſit quàm proclamare? *Vndecimò*, An qui nullam culpam vidit, quam poſſit aut fraternè corripere, aut ad Superiores deferre, teneatur aut poſſit inquirere & aliorum vitas in hunc ſanctum finem examinare? *Duodecimò*, Qui debeat Abbas procedere, culpam ſui Religioſi euangelicè admonitus. *Hæc ſunt* duodecim dubia, quæ frequenter occurrunt, quib. omnibus conabor ex verbis Mellifiui Doctoris ſatisfacere.

1879. b. *Ad primum* reſpondeo Ordinem fraternæ correctionis eſſe diuinitus præceptum, vt conſtat ex illis verbis, *iuxta Domini præceptum*; conſonantibus Capiti XXIII. Benedictinæ Regulæ, quod expoſui ſuperiùs à nu. 1678.

1879. c. *Ad ſecundum*, reſpondeo negatiuè; non enim iure ſecreti & huius correctionis cedere ſunt dicendi, qui ad fraternam correctionem ex Regula propria obligantur. Vnde ſi in præcepto illo Euangelico Chriſtus diſpenſaret, adhuc Templarij Regulæ iure tenerentur.

1879. d. *Ad tertium* reſpondi num. 1689. vſurpatione analoga, quoniam correctionem fraternam etiam præcipit S. Benedictus. At nunc à Benedictina Regula præſcindendo, ſic arguo. Si D. Bernardus nociuam religioſis fraternam correctionem crederet, nunquam illam præcepiſſet militibus (veroſimilius enim eſt, viros militares tali correctione abuſuros, quàm monachos) at iniunxit militibus, ergo & ſuo monaſterio Claræuallenſi eam obſeruari.

nari coranit, & credidit in Benedictinis vniuerſis debere.

1879. e. *Ad quartum, quintumque* reſpondeo, neminem teneri corripere fraternè peccata venialia,& demonſtro, nam illa ita occulta vt liquido conſtare non poſſint, & Bernardo aſſerente tunc quis frater tenetur fraternè corripere, cùm eum peccauiſſe, non coniecturaliter, non probabiliter,ſed liquidò & euidenter, hoc eſt, certò cognouerit. Sanè neminem poſſe certò & liquidò aliena venialia cognoſcere, vel inde conſtat, quod ſua vix poſſit. multa ſunt in graui materia, quæ certò, multa quæ probabiliter à mortifero excuſant, adeoque plura in leui quæ à veniali, quæ omnia cùm ſæpe operantem lateant, alteri patere non poſſunt. Stat igitur ad mentem Bernardi neminem teneri corripere fraternè proximum ob culpas leues. Videatur num.1692. vbi alias rationes ex proprijs principijs præmitto; ſed modò placuit veſtigijs Melliflui Doctoris inſiſtere.

Si materia ſit grauis,& operatio proximi dubia, aut probabiliter peccaminoſa, liquidò mala non erit, adeoque non tenebris ex Bernardi doctrina correctionem fraternam adhibere. Sed doceri vis, vtrum ſaltem in tali caſu poſſes? Reſpondi ſuperiùs nu.1698. 1699.

1879. f. *Ad ſextum* reſpondet S. Pater; *Si eum non audierit, alium fratrem adhibeat*,ſubintellige,*vt relapſum obſeruet*. non enim corrigi quis fraternè poterit coram homine, qui teſtis peccati non fuerit. Vide num.1717.

1879. g. *Ad ſeptimum*, aſſertiuè reſpondet Sotus, Floreſque; negatiuè Nauarrus & Toſtatus. Sanchez vtrumque iudicauit probabile: At ego num.1716. negantibus adhæſi, & nunc meam ſententiam authoritate Melliflui mei Doctoris confirmo, qui duorum teſtium nullam mentionem facit,ſed correctum coram vno, ſi contumax maneat, ſtatim ſine nouæ correctionis moleſtia præcipit denuntiari.

1879. h. *Ad octauum* reſpondeo illum, qui fraternè correptus in peccatis ſuis manſerit, ſi duo tantum ſint oculati conteſtes, à neutro poſſe aut accuſari aut proclamari. & ratio eſt manifeſta, quia cùm accuſatoris teſtimonium ſit nullum, crimen poterit vno teſtè probari, & duo requiruntur omninò vt aliquis conuictus dicatur. Poſſet tamen accuſari aut proclamari ab alio tertio, qui producens duos oculatos conteſtes, illum de peccato conuinceret, & ad ſatisfactionem legalem prouocaret. Sed quis ille tertius, qui volet ſubire actoris ignominiam, & periculo talionis exponi? Ipſe viderit. Quam ob rem aſſerendo tutiùs inſtitui actionem cum tres fuerint conteſtes, *ad nonum*, quod proponis, reſpondeo.

1880. *Ad decimum* dico omnes, aut ferè, proclamationes eſſe expoſitas ſummis periculis. nec ideò volo Viros ſanctos, qui illas inuenerunt, damnares. bonæ enim ipſæ, ſi moderatio illa obſeruetur, quæ ab Inſtitutoribus poſita vel ſuppoſita. Me iudice vtiliter proclamari poterit vir pius & ſuæ ſalutis ſtudioſus à Viro ſancto & pio; & ſi talis fuerint ipſi, materia aut erit regularis, quæ ad peccatum non obliget, aut ſaltem quæ venialem culpam non excedat. At quando agitur de peccatis mortalib. reus ſupponitur non eſſe ſanctus, imò potiùs eſſe ſuæ ſalutis negligens, adeoq; paſſionum ſuarum ſeruus; ergo talis, qui impatienter ictum recipiat, & maleuolè vindictam moliatur, reclamationem etiam iniuſtam meditetur. Ergo in hoc caſu expedit vt actorem, imò & teſtes, ſi confratres ipſi, accuſatus ignoret. Igitur ſi materia ſit grauis, actio proclamatione vtilior eſt.

1880. b. *Ad vndecimum* reſpondi olim (nu. 1705. 1706.). concedendo aliquid Superioribus, quod religioſo ſimplici negaui, & modò meam reſolutionem firmo ſententia Melliflui Præceptoris.

ptoris. *Cum agnouerit* inquit, non *cum repererit*; quia qui quærit inuenit aut potius reperit; at ſæpe in multarum rerum agnitionem contra opinionem, & exſpectationem deuenimus. Vel ſi hæreas voces ſingulas examinato.

Inuenire eſt in rem venire, incidere, & videtur, non induſtriam, ſed fortunam ſupponere. *Reperire* eſt iterum parere, perditam rem ad vſus humanos reducere. illam enim natura peperit cùm proprium condidit, & videtur idem fuiſſe perijſſe ac perdi (res enim perdita virtualiter non eſt in rebus) & cùm reperitur, virtualiter paritur, hoc eſt, moraliter producitur. Vnde cum partus diligentias ſupponat, labores & dolores adnexos habeat, inueniri dicentur, quæ ſine dolore aut labore; reperiri autem, quæ fatigatione, diligentia & ſtudio.

Cæterùm *noſcere* abſtrahitur ab iſtis circumſtantijs, & ſonat præcisè habere rei notitiam; & additis præpoſitionibus alterat ſignificationem. nam, *Agnoſcere*, *Cognoſcere Ignoſcere* non differunt in ſignificationis ſubſtantia, ſed in modo. *Cognoſcere* eſt ſimul cum alio noſcere: *Ignoſcere* eſt non noſcere, & ſumitur pro parcere; quoniam qui ignoſcit ita ſe habere vult ac ſi culpam non noſceret. *Agnoſcere* autem idem eſt ac *Adnoſcere*, ad aliquem effectum noſcere, & quidem omnes vtiles ſolent eſſe notitiæ ſiue diuinitùs infuſæ, ſiue caſualiter ſint hauſtæ. Sed de hoc ſatis.

1881. *Ad duodecimum* reſpondet diſputatio CXXXVI. num. 1721. & nunc D. Bernardus dicens, *Si vtrumque contempſerit, in conuentu publicè obiurgetur coram omnibus*. non tamen temerè, ſed cauſa deducta ad litteras & teſtibus examinatis, & ſententia maturè concepta, in ſcripis poſita, & non ſine prudentiorum conſilio. facilè enim in materia iudiciali delinquitur; ſed datur, qui cùm adſumpſerit tempus ipſas iuſtitias iudicabit.

Sanè, vt cautiores reddantur Superiores, ſubiungam caſum particularem, quem à Reuerendiſs. meo Bernardo Campmans non ſine admiratione auditum, dignum qui legeretur iudicaui.

1881. b. Fuit Malderus apud Duacenos ſacræ Profeſſor Theologiæ, Doctor, & multorum opinione primarius, virtutibus & doctrina conſpicuus; & tandem ob præclara merita ad Epiſcopatum Antuerpienſem promotus. Quis crederet poſſe Virum tam doctum in iudicio delinquere aut errare? voluntatis fidei iuſſor eſt pietas; mentis, ſcientia; & tamen Sacerdotem reum & conuictum pronunciauit, quem innoxium deberet. Res ſic accidit. Paſtorem de fornicatione, vt dicebatur, infamatum, capi iuſſit. auditur ipſe, audiuntur octuaginta ruſtici; negat ille, aſſerunt iſti, & negatiuus à Maldero damnatur. Sententia notificatur reo, & ipſe modeſtè & prudenter, Se nec illam acceptare, nec appellationem inſtituere, ſed inducias paucarum horarum petere, vt quatuor ſuo Epiſcopo verba dicat, aut ſi indignus iudicetur colloquio, reſcribat. Nuntiatur Maldero viro pio lene condemnati reſponſum, & accerſiri iubet filium reum, nec aures recuſat homini pœnitentiam impoſitam non recuſanti. Adeſt damnatus Paſtor, & præmiſſis amicæ ciuilitatis præludijs, dicit ſe noluiſſe appellare inconſulto ſuo iudice, ne illum in cauſam induceret à qua non poſſet explicari. Addit ſe damnari vt conuictum virtute informationis quæ nondum erat ſemiplena: obrui teſtium numero, non veritate, neminem ex illis octuaginta oculatum, neminemque poſſe teſtibus auritis conuinci. Subiungit omnes illos & adhuc plures alios crimen illud fornicationis, imò etiam alia inſolentiora habuiſſe ex ore talis vetulæ, ſibi ante aliquot menſes à ſeruitijs, iam ob furtum dimiſsæ. Obſtupuit hæc audiens Malderus, amicè illum dimittit, ſed ad carcerem. Recognoſcit

pro-

proceſſum, nec videt in illo, quantus erat, vel vnum oculatum teſtem, imò nec auritum, ſed ſingulorum teſtimonia ſine expreſſione iſtius neceſſariæ circumſtantiæ. Mittitur, qui ruſticos ſecundò examinet; illi ſuæ depoſitioni conſtant, fornicationem à Paſtore commiſſam referunt; At rogati vnde ſciuent? an viderint actum aut indicia? linguam illius vetulæ furis adlegant, vel fortè alios, qui audiuerunt à vetula. Reuertitur Antuerpiam Commiſſarius; tradit acta Maldero cogitabundo, mirabundo. Quid Epiſcopus faceret? Reuocat ſententiam heſternam; Parrochum innocentem declarat, in vetulam animaduertit. Et quia putabat illi aliquam iniuriam illatam, veniam orat, amicitiam offert, promotionem promittit.

1882. Hæc etiam auritus Ego teſtis, bona fide prout à D. Bernardo Campmans habui, expoſui, quæ Malderi viri laurea, promotione, & ſcriptis clariſſimi æſtimationem diminuere non poterunt, ſed vniuerſos Superiores inſtruere, ne temerè ad ſententiæ pronuntiationem procedant, cum ſe minùs doctos ignorare non poſſunt, & videnr doctiſſimos viros, qui nihil ignorant, errare. Requiri teſtes oculatos non ignorabat ille Epiſcopus, vtpote ſapientiſſimus; nolebat innocentem opprimere, nam erat integerrimus; ſed contra mentem errauit ex inaduertentia in materia clariſſima; timeant igitur indocti homines vbi ſapientes, timeant fragiles, vbi integerrimi viſi nonnunquam dormitare.

1883. Corrionerus Epiſcopus Salmanticenſis, iam ſenior, in hoc iudicabatur prudentiſſimus, quod ſuæ diffideret prudentiæ. Se multos ſenes vidiſſe deliros decrepitoſque dicebat ſæpiùs, ſeque iam ſenem, & timere ne fortaſsis decrepitus. adeoque proceſſum expunctis nominib. proprijs mittebat vni aut alteri Doctori examinandum, & academico prædeterminatus iudicio ſententiam proferebat. Hoc illius etiam exemplo faciebant multi alij Antiſtites tametſi docti; vt mirum ſit omnia eſſe clara indoctis, cùm docti in ſingulis habeant rationes dubitandi.

1884. Si Iudices, qui non ſtuduerunt, premerent Corrioneri veſtigia, nunquam errarent, at errant ſæpe aut ſemper, quia vel ſibi confidunt, aut ſuo ſocio, qui tametſi nunquam ſtuduerit, expenſis miſeri monaſterij in vniuerſitate habitauit. Quid conſilij habere poterunt à iuuene indocto, qui vult doctus videri? ab adoleſcente non ſancto, ſi enim ſanctus eſset, non prodegiſset tempus, quo debuit impalleſcere chartis? Dicam. Obtinebunt, vt ſiue ſeuerè, ſiue remiſsè iudicent, ineptè iudicent. Vt in viſitationibus extra iudicij ſtrepitum ſe procedere dicant, hoc eſt, ſe ſine albedine albos, quoniam viſitatio ipſa iudicium eſt, vt ſubditos innocentes infament, vt viſitatores ante reſtitutionem honoris iniuſtè ablati mortui ad inferum deſcendant.

1885. Sancte Deus quale tribunal tuum. Si quale fides docet, ratio probat, & optimè Drexelius deſcribit, cadent in tuo omnes illi, in quorum tribunali cecidere innocentes. An excuſabuntur excuſationes in peccatis? An contra ſententiam tuam excipient, & ignorantiam, cauſam iniquitatis, appellabunt? Fortè nec ſe ignorantes cognoſcent. Fortè malent maleuoli quàm indocti vocari. Vt fateantur inſcitiam, damnandi neceſsariò ſunt. nam ignorantia craſſa non excuſat, & in materia officij non datur ignorantia non craſsa. An Petrum video. Ad ſtuporem vſque ſe ſtupidum eſſe fatetur, incapacem qui diſcat, ergo ſaltem iſte inſuperabiliter ignorat. At non adquieſco. nam ſi non potuit addiſcere, qui deberet ius dicere, potuit non acceptare iuris dicendi dignitatem, adeoque errores & omnes iniuſtitiæ ipſi liberæ ſunt, qui illas potuiſset non commiſiſſe, ſi non acceptaſset qualitatem oblatam.

1886. O

1886. O quot in viſitationib. iniquitates olim! o quot etiam nunc committuntur! Petius ad vnius hominis eloquentioris inſtantiam in carcerem negatiuus detruditur. Officialis ille non placere confratribus dicitur, adeoq; deponendus; cùm videndum omninò fuiſſet, an ideò diſpliceat quòd iuſtus ſit, & confratres minore iuſtitia contenti, habere hominem velint, qui ſuis negligentijs, ne dicam peccatis, condeſcendat. Huic in capitulo exprobratur feciſſe propter quæ deberet deponi, at ſub ſpe correctionis benigniſſimè manuteneri; cùm tamen ipſi ante ſententiam nihil dictum. An inauditus conuictus declarari poterit? Scandaloſa hæc, & mihi cogitanti moleſta: & inter alia æternæ reprobationis indicia, quæ humanitus rimari poſſumus, fortiſſimum ſemper iudicaui indigni promotionem, & ignorantis tribunal; tolli namque videntur in altum, vt lapſu maiore ruant. Sed pono calamum, aliàs liberior reſumpturus. Lege interim Cæſarij lib. 4. dialog. c. 24. & ora Deum ne multi in Ciſtertienſi Ordine Viſitatores tam ſtupidi & indocti admittantur.

CAPVT LXXII.

Vt omnium mulierum fugiantur oſcula.

1887. Hinc lux Capiti LIII. Benedictinæ Regulæ, & præcipuè huic periodo. *Vt ergo nuntiatus fuerit hoſpes, occurratur ei à Priore vel à Fratribus eum omni officio charitatis: & primitùs orent pariter, ac ſic ſibi ſocientur in pace; quod pacis oſculum non priùs offeratur, niſi oratione præmiſſa propter illuſiones diabolicas.* Circa quam duo occurrunt dubia. *Primum*, An S. Benedictus oſcula fœminarum permiſerit? *Secundum*, Quid oſculi nomine intelligendum veniat, cùm viro virum oſculari permittitur.

1888. *Ad primum* reſpondebo verbis Mellifluí Legiſlatoris producendo. Capite enim hoc LXXII. Templariæ Regulæ ſic ait. *Periculoſum eſſe credimus omni Religioſo* (ſi omni, etiam ſeni, etiam docto) *vultum mulierum nimis attendere. Et ideò nec viduam, nec virginem, nec matrem* (mirum hoc) *nec ſororem* (ſed hoc non ita mirum ob dicta nu. 1872.) *nec amitam, nec vllam aliam fœminam* (& hoc omnino neceſſarium) *aliquis frater oſculari præſumat. Fugiat ergo fœminea oſcula Chriſti militia, per quæ ſolent homines ſæpe periclitari.* Vide nu. 979. 1654.

1888. b. *Ad ſecundum* reſpondeo à S. Benedicto nomine oſculi intelligi actum illum vrbanitatis, qui ſecundum patrios mores ſeruit amicis ſalutandis. Solebant veteres oſculari genam; collum poſteà; tandem manum. Iam Caſſinenſes brachijs oſculum ſignificant, non dant; vnde oſculi nomine intelligi voluntamplexum. Hiſpani oſculum pacis dant, ſed puro verbo. dicunt ſuperuenienti amico aut hoſpiti, *Beſo à V. m. las manos*, ſi æqualis aut inferior ſit; ſi ſuperior, *Beſo a V. S. la mano.* hoc eſt, *Oſculor Dominationis veſtræ manus (manum)* accedunt manum oſculaturis ſimiles, ſed ſuam & non amici, aut neutram oſculantur.

NOTA.

De numero capitum huius Regulæ.

Vltimum Caput Benedictinæ Regulæ multa exemplaria præmittunt, ita vt ipſa habeat duos Prologos & ſeptuaginta-duo Capita; ſic videtur habuiſſe illud exemplar quo Mellifluus Doctor vtebatur, nam in huius Regulæ compoſitione Benedictinam imitatus, duos præmittit Prologos, & addit Capita ſeptuaginta-duo.

Et hæc de hominum extinctorum Regula, ne penitus extinguatur, ſint dicta.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

Pars Quarta.

DE REGVLA MAGNI BASILII, RELIGIOSORVM ORIENTALIVM PATRIARCHÆ.

1889. *SAncti Baſilij ſeueram Regulam obſeruauerunt Monachi Græci multis annis, ad quos hic fortè Commentarius non veniet. Reperiuntur in Hiſpania Baſiliani nonnulli, neſcio, an extra, pauci tamen. Habent Viros Sanctos & Doctos, & inter ipſos mihi recenſendus eſt Niſſenus, Concionator Eximius, quem non ſolùm Noſtrates, ſed etiam Galli & Itali in linguas ſuas vertendo ſummis laudibus condecorarunt. Natus ſum Madriti in platea, cui nomen (de la puebla) apud S. Baſilij monaſterium aperta, & commoditatis (vtinam & deuotionis) gratia illam Eccleſiam frequentaui, & ab infantia cum Sanctis illis Viris egi, & non ſine fructu notabili. Compluti Ego liberior paucas horas, quas diſcendi naturalis ambitio concedebat animo reſtaurando, conſumebam nonnunquam in eorundem refugio, vbi ab Studioſis illius Ordinis potui ſimul & litteras & virtutes addiſcere, meliùs enim illorum præceptis imbuimur, quos amamus. Quam ob rem credi mihi poteſt, quidquid de illorum doctrinæ & ſanctitate dixi, vtpotè homini vtramque habenti accuratè exploratam.*

Volui illorum Regulam explicare, ſed Typographi me turbat importunitas & feſtinatio, qui quoniam in Germania Baſilianos non videt, huiuſmodi non curat Commentarios. Dabitur, vt ſpero, occaſio, in qua poſſim affectui reſpondere, & ne dicar nihil ex Baſilio dediſſe, ſubijciam breuem Orationem de Regularium legum obſeruantia ad mentem Baſilij conceptam, quæ prodeſſe poterit vniuerſis.

ORATIO

HABITA IN CAPITVLO S. BASIL. I. DIE.

PAtriarchæ illius, quem Patrem noſtrum debemus Ciſtertienſes vocare ex Regulæ noſtræ præſcripto [c.73.] hodie a Romana Eccleſia Matre noſtra celebratur natalis, & qui à mille ampliùs annis natus cœlo, naſcetur hodie nobis, ſi eius confirmemur doctrina in obſeruantia Regulari. *Collationes & Inſtituta & Vita eorum* (ſanctorum Patrum) *& Regula ſancti Patris noſtri Baſilij, quid aliud ſunt, niſi bene viuentium & obedientium Monachorum exempla & inſtrumenta virtutum? nobis autem deſidioſis & male viuentibus atque negligentibus rubor confuſionis eſt.* Hæc S. Benedictus ſub ſuæ Regulæ finem, quæ hodie in S. Patriarchæ Baſilij gloriam & vitæ noſtræ reformationem debebunt breuiter explicari.

Baſis totam columnam ſuſtinet, & ædificium totum lapidi fundamentali ineſt; & inde doceor, cur Patrum Collationibus, Catholicorum Inſtitutis, Sanctorum Vitis ſupponat S. Benedictus Baſilij Magni Regulam. hæc enim baſis eſt, quæ Patres Catholicos & Sanctos ſuſtinuit: hæc fundamentalis ille lapis, cui inſunt Collationes, Inſtitutiones, Vitæ. Proponit conuerſationis Religioſæ Theoremata fundamentalia, quibus non ſolùm vita ſed & leges aliorum Patriarcharum ſubſiſtunt. Tradita eſt à Baſilio.

Sed iſte qualis? Luculenter Diuus expreſſit Benedictus. At velim omnino doceri, Cur ità illi Sanctitatem & Paternitatem adſcribat, vt nolit illam tam inhærere Perſonæ, quàm Paternitati? *Sancti* enim *Patris noſtri Baſilij* commendat Regulam, non verò *S. Baſilij Patris noſtri*. Et reſpondeo, non omnes Sanctos eiuſdem eſſe ingenij aut genij. Sunt aliqui perſonaliter probi, qui male regunt, ſcientiæ aut experientiæ defectu: ſunt & alij perſonaliter mali, qui ſanctè regunt. Priores illi, ſi amicorum errore promoueantur, zelo reformationis æſtuant, & indiſcretè omiſſis medijs requiſitis ad finem intentum feſtinant. Poſteriores, non cauent ſibi vitia, quæ alijs; & tamen quamdiu ſecretè mali, vt Sanctis antiſtent apti ſunt. Neutri tamen vocari aut boni aut mali poſſunt ſimpliciter & abſolutè, ſed, ſi liceat terminis cathedræ vti in ſuggeſtu, boni ſecundum quid. Vnuſquiſque enim illorum meo Philarcho ſimilis, cuius tetigi mores hoc diſtico.

Eucho, quem carpo; celebro, quem damno Philarchum
Semimalumque bonum, ſemibonumque malum.

ſiue enim bene vixeris & male rexeris, ſiue male vixeris & bene rexeris Phylarcho poteris adnumerari. Tyranno & Regi intereſt. Ille nequam, quoniam nequaquam bonus; hic ſimplici-

pliciter bonus, quoniam vt dicitur ex cauſa integra, ex nullo defectu. Tyrannus dicitur qui malam vitam peiore regimine inueſtit: Rex, græcè *Baſileus*, qui exemplo præit, & honeſtis ſuos legib. incolumes ad ſalutem conducit. Vtrumque olim depinxi hoc triſtico.

Diſcere vis quantum diſtans à Rege Tyrannus?
Moribus hic perdit, perdit & imperio?
Ille regit vita, quos regit imperio.

Baſilius igitur, Regis nomine prædictus, vt doceamur, vita & lingua præfuiſſe, docuiſſe, prædicaſſe. Profecit vitæ ſanctitate, & profuit ſanctitate doctrinæ. & quia hanc nobis legendam & meditandam proponit D. Benedictus, non tam perſonæ, quam paternitatis & regiminis ſanctitatem commendat.

Sed ſtatim inquiret ſtudioſa deuotio, cur *Sanctum* noſter Legislator eum dicat, quem alij *Magnum*? Aut fallor, aut vt doceamur Quantitatem eſſe ſubſtantiæ Magnitudinem; omniaque de Magnitudine dicenda, quæ de Quantitate dicuntur. Hæc duplex: Molis, Virtutiſque. Quantitas virtutis eſt bonitas, nam in incorporeis hypoſtaſibus, idem eſt maiorem quàm meliorem eſſe. Igitur in Spirituali rerum ordine idem magnum quod bonum; in morali, quod ſanctum. Et laudandus S. Benedictus, qui nominãdo *Sanctũ*, quid oẽs *Magni* nomine intelligi velint, nos docuit.

Cùm laudauit Antiſtitem Baſilium Benedictus, ad diſcipulos illius conuertit oculos, & illos *beneuiuentes & obedientes Monachos* nominat, & inſinuat non poſſe dici bene viuere qui male obedit; nec Monachum, qui male viuit. Oportet gerere mentem obedientiſſimam; debes enim aut ſubſiſtere Regulæ, aut ſi per ſurreptionem defeceris, veniam & pœnitentiam exorare. Nam, vt in ſuæ Capite X. (mihi num. 1973. b.c.) Auguſtinus definit, qui non vult petere veniam, aut non ex animo illam petit, ſine cauſa eſt in Monaſterio, etſi inde non proijciatur. Et vt libro de præcepto, & diſpenſatione Bernardus, ſine obedientiſſima reſignatione fruſtra de loci ſtabilitatę confiditur. Qui enim in monaſterio non tamen monaſticè viuit, tunc demum dicendus eſt Monachus, cùm neganda illa Aſsertio, *Habitus non facit Monachum, ſed Monachus habitum.*

Per plateas diſcurrimus, & inuenimus infantes & puellos habitu religioſo inueſtitos, nec illos Monachos vocamus; iſti enim ab habitu mero non fiunt. Videntur Monachi, nec tales ſunt; nam illam veſtem ob alienam deuotionem circumferunt. & ideò à vulgo *Monachi deuotionis* (Hiſpanicè *Frayles de deuocion*) vocantur. Bone Deus! Quàm pauci in Monaſterijs veri & deuoti, & quàm multi ſunt Monachi deuotionis; videlicet, alienæ! vel quod alij Deum ament, vel quòd ipſi aliud ament quàm Deum. Veniunt ſine Deo nonnulli, non nulli ſine Deo inducuntur in clauſtra, & hoc non raro à perſonis indiſcretè reſpicientibus Deum. Habui Compluti condiſcipulos, quos miſeria & paupertas ab orbe ſæculari proſcripſit, & in mundum regularem inuexit; ſunt enim qui mundum quærant inueniant extra mundum. Habui ſocium, cuius ſororem Pater inuitam damnarat religione. & mihi con-

contradicenti ſic fuerit quaſi ex pel-ni locutus. Timendus Deus,& interponendæ ſanctæ animæ, vt ab illius nos indignatione, & furore defendant. Ego audiri à Deo indignus, genui filium multò peiorem me. Et ſi pro vtroque hæc virgo non intercedat apud Deum, miſerrimè periclitabimur. Sit igitur ſancta, velit nolit: ſit religioſa, vel inuita: commendet nos Deo, licèt inuoluntaria; & tandem beatitudinem, quam noſtris meritis non valemus, eius patrocinio adſequamur. Audiui à meo Bernardo Campmans Moniales etiam ſtrictiùs, & ſeneriùs, quàm monachos ſolere in cœnobia detrudi. Semel ipſe profeſſionem ſolennem ingenuæ adoleſcentis admiſſurus, petijt, Vtrùm Spiritus ſancti impulſu deueniſſet in claustrum? Hæſit Virgo imperita, & decrepita Antiſtes ſic affatur. Venit Reuerendiſſime Domine, Spiritus ſancti impulſu: ſicut aliæ Moniales; tametſi in hoc fœlicior, quòd duos ſolùm, cùm aliæ plures Spiritus ſanctos paſſæ. Ego enim acta ab vndecim, inter quos mea nouerca, ſicut authoritate proximior, ſic etiam impulſu potentior. Ita aguntur humana, & in generalibus Comitijs, & ſtatus electione ſe frequentiſſimè ingerunt Spiritus ſancti multi bipedes.

Oportet verum Monachum nec propter homines, nec propter humana ſæculum deſeruiſſe, ſed propter vnum Deum. Et in clauſtro oportet Regulam diligentiſſimè obſeruare: nam qui in vno delinquit, factus eſt omnium reus. Debet Monachus fidem Deo, fidelitatem Regulæ, & vtramque tenetur analogica perfectione ſeruare, quod Magni Baſilij exemplo confirmabo. *Cùm Præfectus Valentis Imperatoris*, ait apud Iacobum Marchantium Horti Paſtorum tract. I. lect. V. propoſ. II. Theodoretus, *Cæſaream veniſſet ad ſe accerſitum Baſilium honorificè tractauit, & placidè eſt adloquutus*. (ſi videas Principem adulantem, diſcede; illa enim ſuauitas in tuam perditionem collimat) *hortabatur, vt tempori cederet* (quod multi hodie Prælati) *neq; tot Eccleſias vellet in diſcrimen adducere tenui exquiſitione dogmatis* (vide qualiter ipſamet iniquitas virtutis nomen, & figuram adſectet) *promittebat ab Imperatore amicitiam, & multa beneficia* (& cautè, nam quos fulmina non tangunt, munera fortiſſimè proſternunt) *At ille, adoleſcentulis* (hi faciliùs decipi, & reduci videntur) *tales ſermones congruere reſpondit. hos, & his ſimiles* (datur etiam ſenes repueraſcentes) *inhiare huiuſmodi rebus; At verò qui diuinis nutriti eſſent litteris* (tales ſunt qui Euangelica conſilia ſeruant propter Deum) *eos nullam illarum ſyllabam in diſcrimen venire pati poſſe: ſoleréque, ſi res poſcat* (offerre ſine neceſſitate vitam gladio eſt temeritas) *nullum genus mortis pro illis recuſare. Imperatoris quidem amicitiam magni ſe pendere cùm pietate, qua remota pernicioſam eſſe dicebat* (& videbatur eſſe velle, non tamen vltra aras amicus) *Præfectus hoc ægrè ferebat* (nihil enim ingratius peccatori virtute, adulatori conſtantia) *& denuntiato exilio* (fœlices boni, cùm coguntur deſerere malos) *iubet eum cogitare quid agat. & poſtero die ſuam explicare ſententiam; hiſq; ſermonibus crebræ minæ intermiſcebantur* (eſt enim magna virtus verbis, herbis, lapidibus; ſumma verbis, fuſtibus, & ſaxis armata) *Reſpondit Baſilius ſe poſtridiè eumdem futurum*

(ada-

(adamantem ſuſpicio) *videret ipſe, ne animum mutaret, minas exſequi nollet* (citiùs fatigatur iniuſtè vim inferens, quàm pro Deo patiens) *Poſt illud colloquium occurrit Imperatori Præfectus* (nam hæc eſt palatij miſeria. Si homo pius quæratur, non comparet; ſi adulator, ſcelestus, maleſuadus, ſtatim inuocatus occurrit) *exponitq; quid dixerit Baſilius, & qua animi virtute* (ſæpè enim plus defertur dicendi conſtantię, & fortitudini, quàm verbis) *ſicq; Imperator quieſcere eſt coactus* (nimirùm ab eo, quem ipſe cogere nunquam potuit; fortior enim eſt nuda veritas, quàm armata, & communita falſitas.)

Sicut fides, ſic & fidelitas ſeruanda. Omne potiùs genus mortis tolerandum, quàm patiendum, vel vnam de Regularibus obſeruantijs, ad quas religione, & voto tenemur, relaxari. Vnam ſequitur altera; nec florentiſſimæ communitates ictu oculi collapſæ ſunt. Incipit ſomnus ſibi aliquas horas ſuperfluas vendicare ex mandato Expertiſſimi Medici; cibus eſſe lautior, & melior prætextu pietatis; confabulatio extendi amicitiæ colore: chorus non frequentari, diſcretionis ſpecie; & tandem Deus deſeri, & vt credi volumus, propter Deum. Attende, obſecro, & vide, pax dicitur, & non eſt pax. Si Monaſterio præficeris, antiquas obſeruantias conſerua, & contrà clocitantes ne cures. Si te conueniat aliquis, qui videatur Deum loqui, Deum gerere, & tamen tibi relaxationem ſuadeat, ſcias Luciferò ſolennem eſſe transfigurationem, nec omnes eſſe lucis Angelos, qui videntur. Si cœleſtis ſpiritus dixerit, ignauiam gratam Deo, illum apoſtatam cenſe, nec ab ipſo iudicari permittas. Si honorificè tracteris ab aliquo, debitor es, ſi illum ſanctiorem feceris, ſatisfeciſti. Si placidis verbis circumueniaris, ſuauibus nega quæque iniuſtè petuntur. Hortabitur, vt cedas tempori, qui etiam tempori ceſſerit; Tu verò ſi generoſus es, tam ſanctè viuas, vt tempora, & abuſus præſcripti cedant Tibi. Si nimius rigor Eccleſiam totam Tuam in diſcrimen adducere dicatur, modò nihil noui introducas, perge audacter, nimius enim rigor non eſt omnia exactè ſeruare, nec permittere, quòd aliquis peccet impunè. Si promittuntur promotiones, ne hæreas, ſemper enim peſtifer panis, quem non ſudore vultus, ſed iniquitate lucreris. Loquar ſincerè; Si Præpoſitus ſis, ad Abbatiam Tibi viam aperiet conniuentia; nam Monachis, non enim irrationales ſunt, relaxatio ipſa placet, diſplicet qui concedit, nec vnquam ſuffragium vtile illi conferent, cuius potuerunt conniuentia peccare. Guberna Magno Baſilio ſimilis, nec permitte vel vnam Regulæ Benedictinæ *ſyllabam*, prout à nobis hodie *intelligitur*, in diſcrimen venire poſſe. Non ſufficit in diſcrimen nòn veniat, opus eſt ita omnia diſponere vt non poſſit, docemur enim experientia accidere vniuerſa, quæ poſſunt. Multum à primitiuo noſtræ inſtitutionis rigore, & quidem per gradus deſcendimus, ſi adſcendere non permittamur, nec nos aliquem permittamur deſcendere. Sed vita, exemplo, lingua, calamo ſingulos in obſeruantia contineamus, vt Baſilio Magno ſimiles, tremendo Iudici villicationis noſtræ congruam reddere poſſimus rationem, & in tribunali tremendo ad votum noſtrum iudicari. DIXI.

THEO-

THEOLOGIÆ REGVLARIS

Pars Quinta.

COMMENTARIVS.

IN REGVLAM D. AVGVSTINI.

REVERENDISSIMO, ET EXIMIO D. FRIDERICO BRVMBACENSIVM ABBATI, &c.

S. THEOL. DOCTORI SVO DOMINO, AMICO, CONFRATRI.

SANCTI Auguſtini Patriarchę Optimi, & Diuini Doctoris Regula, Cœnobiarchæ Optimo, & Eximio Doctori inſcribi debuit. imò Tibi, qui doctrina, vigilantiaque excellis plurimos, qui Summi audiunt. Illam Tu magno ingenio, & vt vero ſimile, Diuino afflatu ſcriptam, & meis qualibuſcumq; Commentarijs expoſitam, benignè ſuſcipe, & in ea veteris amicitiæ teſseram, & deuotionis teſtimonium. Ita illam dilucido, vt & Benedictinam videat illuſtraſſe; aut ſi mauelis, illuſtrare. vnde pluribus ſeruio, cùm Auguſtinianis deſudo. An illam D. Benedictus viderit, aut habuerit, non ſcio; vtrumque videretur probabile; non enim Capite vltimo, vbi Baſilianæ meminit, Auguſtinianam obliuioni mandaſſet, ſi vidiſſet; nec ita conſonuiſſet Auguſtino in vniuerſis ſuis ſanctionibus, ſi non legiſſet illius Leges. Puto tamen illud prius probabilius: eſſet enim res indigna Benedicto, laudare Baſilium, à quo nec lineam habet, & non nominare Auguſtinum quicum omnia communia.

nec

nec conſonantia communicationem ſed ingeniorum ſimilitudinem requirit, quàm in Auguſtino, & Benedicto nemo negare poterit, qui vtriuſque Regulam examinauerit. vtraq; enim benigna, eò reſpicit, vt homo exterior regulari, & vbi res tulerit, rigidæ correptioni ſubiaceat, & interior ab omni peccato ſit immunis, quæ ſuauitas in Franciſcana inueniri non poteſt, plurima enim moraliter indicit, ad quorum obſeruantiā obſtringit grauiter conſcientias ante omne Superiorum præceptum. Aliqui veteris hominis malignitatem vrgent, vt Franciſcanum rigorem magis probent: conſcientiæ ſecuritatem alij, vt Auguſtinianam, Benedictinamque ſuauitatem commendent. Vnicuiq; in ſuo ſenſu abundare permittitur. & ideò vtrumque conuerſandi modum prudenter approbauit Eccleſia, vt vnuſquiſque ſibi eligat; proprijs moribus, & neceſſitati conſentaneum. Mihi ſemper moralis adridet benignitas, ſi rigore corporali armata. & exiſtimo Benedictinæ Regulæ Profeſſores, prudentiùs ad mentem S. Benedicti, quàm S. Franciſci gubernari; nam ſicut Franciſcani Legiſlatoris ſui dictamen prudenter aſſequuntur, imprudenter deſererent; ſic noſtri Legiſlatoris nos rationis paritate ſeruata. Patet igitur debere Abbates tunc tantùm præceptis moralibus vti, cùm vel materia talis eſt, quæ probari non poſſit (talia ſunt omnia, aut ferè quæ extra monaſterium eueniunt) vel cùm tanta eſt ſubditi negligentis peruerſitas, vt nec panis, & aquæ ſeuero ieiunio maceratus, nec fortiſſimis flagellis exceptus voluerit mores ſuos ſecundum communem Monaſterij Regulam, & Maiorum exempla conuertere. Sincerè dicam. Non ſatisfacit officio ſuo, qui moralia præcepta in communitate ſua multiplicat, vt magis tranquillè dormiat: quę enim poteſt vigilando cauere, non debet conſcientias adligando vitare. poſſe enim obſtringere conſcientias, poſſe Religioſum à monaſterio expellere, poſſe brachio ſæculari committere, fulmina ſunt, quæ debent vniuerſos tenere, paucos, & rarò tangere. Dum hæc ſcribo, Tuam Ego prudentiam, & Tuam vigilantiam deſcribo, & inſtruo iuniores Antiſtites (Seniores enim ipſa puto eſſe experientia eruditos) vt internam benignitatem externo rigore temperantes Te imitentur, ſi ſua velint ad Benedicti, aut etiam Auguſtini mentem Cœnobia gubernare. Vale. Dedi die naſcentis Dei ſolennitati ſacro, quam fauſtam lætamq; apprecor Tibi, quem diuinis, humaniſq; occupatiſſimū officij ſciēs, nolo fuſioribus litteris interpellare.

Tibi Reuerendiſſime Domine.

Eurſtenveldiæ Ann. ∞. DC. VI.

addictiſſimus

IOANNES CARAMVEL LOBKOVVITZ.

IN-

INDEX
Capitum, & Materiarum.

CAPVT I.
De Chatitate Dei,& proximi; de Vnitate cordium, & communitate rerum. *num.* 1890.

In vniuerſis Religionibus obligationes eſſentiales,aut eędem,aut ſimiles. 1891. *Omnia à Deo incipiunt phyſicè.* 1892. *Actiones omnes debemus à Dei inuocatione auſpicari.* 1892. *Proximi amor an difficilis? an ſaltem iniqui habendi odio?* 1893. *Amor proximi eſt diuini proprietas,& extenſio.*1894.*Infert cordium vnitatē,& amicitiā, quam ſtabilitas, & cōmunitas honorū ſequitur.*1894.*Deus ante omnia amandus.* 1899. *Id ipſum,quib. poſſit modus intelligi.*1895. *Deus maioris faciendus, quàm omnia; an etiam intenſiùs diligendus?* 1895. *An in primo illo inſtanti, in quo homo vni ratione incipit, teneatur diligere Deum ſuper omnia?* 1895. *Oratio matutina.*1896. *An obliget ſub culpa Regula Auguſtiniana?* 1897.*confertur cum Benedictina.* 1898. *An omnia, quæ in Auguſtiniana ſunt, habeant pręcepti vim?* 1899. *an ſaltem aliqua?* 1900.*ad veniale obligātia?* 1901 *An ex hypotheſi,quod S. Auguſt. ſingulos voluerit obligare,ſinguli ad culpā obligarentur?* 1902.*An ſi omnia,& ſingula Superior pręciperet?* 1903. *An ſi omnia,& ſingula priuatus religioſus voueret?* 1904 *De contēptu rerū regularīū.* 1904. *Finis vitæ cōmunis.*1905.*De paupertate.*1906 *An debeant omnes æqualiter neceſſaria accipere.*1907.1908.*An debeant Nouitÿ condere teſtamentū? An omnia,ſi condāt, monaſterio legare?* 1909.*de illis,quos paupertas in clauſtra abegit: Qui in illis ſoleāt viuere,qui ad monaſteria,nō vt benè ſed vt laute viuerent,confugerunt.*1910.

CAPVT II.
De Humilitate. *num.* 1911.

Omnium virtutum ipſa eſt finis. Superbiæ opponitur. Species huius vitÿ. 1912. *Superbiæ,& grauitatis diſcrimen.* 1913. *Non omnem animoſitatem, & imprudentiam eſſe peccaminoſam.*1914.*Superbiæ proles Inurbanitas,Detractio, Inobedientia, Contemtus.* 1915. *requiſita, vt iſte formalis dicatur.* 1915.

CAPVT III.
De Oratione,& Ieiunio. *num.* 1915.

Orationis, & ieiunÿ cognatio. 1916. 1921.*In Oratorio nihil,niſi orare,faciendum.* 1917. *probatur à nominis etymo.* 1918.*De attētione interna.*1919.*De mutatione officÿ.*1920. *De ieiunÿs. Quid ſit ieiunare vltra vires?* 1921. *De illo, qui nequit ieiunare.*1922. *De ſenib. infantibuſq;* 1923. *De Theol. Doct. aut Profeſſ. De illo,qui dicit ſe ægrotare,*1923. 1971.

CAPVT IV.
De refectione vtriuſq; hominis. *nu.* 1924

Homo corpore, & animo componitur. 1925. *vtrumq; reficitur,* 1926. *Quid ſit audere ſine tumultu, aut contentione?* 1927. *An delicatè nutriti debeant benigniùs tractari,quam alÿ?* 1928. *Conſuetudo poteſt adquiri. Exemplum nobile,& appoſitum,*1929.

CAPVT V.
De infirmis curandis. *num.* 1931.

Quis ditior ſit? quis melior? Religioſi ditiſſimi, 1932. *An ægris, pueriſq; plures,an verò pauciores ſunt cibi miniſtrādi?* 1933.1934. *Pharmacorū non meminit S. Benedictus,*1934. *Optimæ medicinæ regula: moralis,naturalis,*1935. *Honorandus medicus propter neceſſitatē: nō ergo ſine neceſſitate adhibendus.*1936.

CAPVT VI. SECTIO I.
De habitu interiori,& exteriori. *n.* 1937.

Ab imperfectioribus ad perfectiora. 1938.*S. Auguſtinus in veſtibus modeſtiſſimus fuit,*1938.*item S. Benedictus,*1939. *Modeſtiſſimus fuit S. Bernardus,* 1940.

CAPVT VII. SECTIO II.
De pudicitia interna, *num.* 1941.
De delectationibus moroſis. 1022. *de Caſtitate multa à num.* 973.

CAPVT VIII.
De correctione fratrum. *num.* 1943.

An ſit contra Regulam B. Auguſtini fraterna culparum correctio? an poſſit licitè omitti? 1945. *An poſſit relapſus denuntiari?* 1946. *De teſtibus delecti, & correctionis*, 1947. 1948. 1949. 1950. *Quid Abbas debeat facere admonitus peccatum Religioſi?* 1951. *An correctio fraterna apud Auguſtinianos ſit precepta?* 1952. *Poſſit-ne Religioſus alienam vitam examinare, vt corrigat fraternè?* 1955. *Qui debeat erga contumacem procedi?* 1956. *Oeconomia correctionis fraternæ.* 1956. *b. De epiſtolarum receptione.* 1957. *Epiſtola duplex. Eulogium, Litteræ. An recipere leuia ſit mortale peccatum.* 1958. *Summa in Monaſteriis miſeriæ ex epiſtolis ortæ*. 1959. *munuſcula roſaria, icones, orationes,* 1959.

CAPVT VIIII.
De rerum communium cuſtodia.
num. 1960.

An celare, & furari idem ſit? 1962. *an idem ſit celare ſubſtantiam, ac modum?* 1963. *Reſolutiones aliquæ benignę circa paupertatis materiam,* 1962.

CAPVT IX.
De munditia veſtium, & corporum.
num. 1964.

Mundities non eſt virtus, ſi nimia. 1695. *veſtes non poſſunt lauari ſine licentia* 1966. *An concedenda balnea?* 1967. *Quid ſancti Patriarchæ balneorum nomine intellexerint?* 1968. *An aliquis teneatur vti medicinis ante Abbatis preceptum? an teneatur præcipiente Prelato? An in probabilitatis materia?* 1960. *Prodeſſe creditur quod delectat, licet noceat.* 1970. *An in morbo occultò credi debeat ægroto?* 1923. 1971. *Quid intelligat nomine famuli Dei Auguſtinus* 1971. *Differentia dictaminum, & opinionum ſumma.* 1972. *An preſtet ſingulos Religioſos, an binos?* 1972. *De infirmorum Magiſtro.* 1972. *b. De Communitatis adminiſtris.* 1972. *c. Omnia horis competentibus petenda, & danda.* 1972. *d. De litibus.* 1972. *e. An idem ſit odiſſe, & occidiſſe? An ſine odio lites haberi poſſint?* 1972. *f.*

CAPVT X.
De venia poſtulanda, & offenſa remittenda. *num.* 1973.

Sine cauſa eſt in monaſterio, qui veniam non petit, cùm errat. 1973. *b. c. Quid ſit leuitèr ſentire?* 1973. *c. Quid debeat facere Superior, ſi in modo correctionis excesſit?* 1973. *d. An poſſit ita excedere, vt & peccet mortaliter?* 1397. 1497.

CAPVT XI.
De obedientia. *num.* 1974.

Cur de obedientia agat ſub finem Auguſtinus? 1975. *De Priore, Prouinciale, Generale,* 1975.

CAPVT XII.
De iugi Regulæ meditatione.
num. 1976.

An hæc Regula debeat ſingulis ſeptimanis legi tota ſimul, an ſingulis diebus bina capita? 1977. *Regula Speculum.* 1977. *Aliud eſt vouere obſeruantiam Regulæ, aliud obedientiam ſecundum Regulam.* 1978. *Forma profeſſionis.* 1978. *Quid ſit permittere obedientiam Beata Virgini?* 1978. *b. An ſi aliquis Religioſus à mortuis diuinitus excitaretur, poſſet vxorem ducere?* 1979.

D. AVRELII AVGVSTINI EPISCOPI HIPPONENSIS
REGVLA
CAPVT I.

De Charitate Dei, & proximi: de vnitate cordium, & communitate rerum.

1890. ANte omnia Fratres chariſſimi diligatur Deus; deindè proximus: quia iſta præcepta ſunt principalitèr nobis data. Hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetur præcipimus in monaſterio conſtituti. Primum propter quod in vnum eſtis congregati; vt vnanimes habitetis in domo: & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo. Et non dicatis vobis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia: & diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus, & tegumentum. Non æqualiter omnibus: quia non æqualiter valetis omnes: ſed potius vnicuiq; ſicut cuique opus fuerit tribuatur. Sic enim legitis in actibus Apoſtolorum: quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique, ſicut cuique opus erat. Qui aliquid habebant in ſæculo: quando ingreſſi ſunt Monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monaſterio: quæ nec foris habere potuerunt: ſed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur, etiamſi paupertas eorum quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. Tamen non ideò putent ſe eſſe fœlices, quia inuenerunt victum, & tegumentum quale foris habere non potuerunt.

1891. Hanc ego poſt Viros magnos Regulam exponendam ſuſcipio, quod expoſitam putem in Benedictinæ Commentario, quem præmiſi. Omnes obligationes regulares eędem ſunt, aut ſimiles, adeoq; vel eodem omninò modo, vel ſaltem ſimili exponendæ. In religioſis omnibus Communitatibus debet eſſe corporum ſtabilitas, animorum concordia: ſeruari conſilia Euangelica obedientia, caſtitas, paupertas; & officium diuinum priuatim, vel publicè legi. Omnes, vt benè gubernari dicantur, habere debent Superiores, & Adminiſtros, illos, vt diſciplina vigeat; hos, vt temporalia adquirantur, diſtribuanturque. Ne intereát Monaſteria, debent gignere in Domino nouas proles, religionis, & virtutum hæredes, quibus ſemper admiſſis, tametſi mortalibus perennes immortalia ipſa ſint. Hæc omnia libris duodecim complexus, quid hic addam vix habeo; ſed quia non omnes ſcient in priori Commentario inuenire, quod quærunt, operæ pretium iudicaui Lectorem ab hoc ſubleuare labore; & ad certos illum locos remittere, vbi materiam, quam D. Auguſtinus prælibat, videat vberiùs pertractatam. Addam nonnulla interim, vbi ratio vberiorè doctrinam videatur poſtulare.

1892. TEXTVS. *De charitate Dei, & Proximi, de vnitate cordium, & communitate rerum, Caput I.*

Meritò à Dei amore incipit; quoniam & ipſimet Gentiles à Deo omnium rerum initium phyſicè ſumi, & debere ci-

 uili-

uiliter, moraliterque non ignorarunt. quod ego vberiùs expendo diſp. 76. nu. 1126. & alibi.

1893. Poſt Dei amorem ponitur amor proximi, quem multi difficilem iudicant, pauci enim ſuis meritis amore digni, & ſinguli debent amari propter Deum; adeòque non alio, quàm illo eodem amore, quo Deus. Vel dicito; Cur amaturus eſſes falſos fratres, inimicos, æmulos, calumniatores, detractores, tyrannos, viros ſcandaloſos, ſi legibus naturæ ſtares; omnes enim hi mali, & in malum voluntas tendere non poteſt? Fateor, nec illos amare deberes, ni præcepiſſet Deus: nec poſſes, niſi gratiam cooperantem concederet. res enim ardua inuaſorem diligere. At quod naturæ lapſæ arduum, aut fortaſsè impoſſibile, facilè reſtitutæ per gratiam. Pia affectio (lampas eſt, quæ fidem præmouet, ſpem excitat, charitatem conducit) eſt doctiſſima virtus, & docet in viro iniquo duo diſtinguere; perſonam, & iniquitatem; hancque à perſona præciſam, aut perſonam iniquam quà talem, odio habere, id enim non inhibet Deus [vnde Pſalmiſta Rex. *Iniquos odio habui*, ait, *& legem tuam dilexi*. & optimè. odium enim peccati ex legis diuinæ amore, & dilectione exoritur.] at perſonam à culpa, & iniquitate præciſam, ſecum ſe ſumptam peramare; nimirùm in Deo, & propter Deum.

1894. Amor igitur proximi amoris diuini eſt proprietas, & neceſſaria quędam extenſio; non enim in creaturis (in ſe illum non vidimus) poteſt diligi; quin & hæ in ipſo, & ratione ipſius, modo tamen proportionato, diligantur. Amorem cordium vnitas, & corporum ſimultas conſequitur. Cordium vnitas, quoniam charitas maiorem Dei gloriam intendit: & ſi vniuerſi hanc habent, ſicut in amore ipſo, ſic etiam conueniunt omnes in amoris obiecto. ipſe enim, aut inuenit ſimiles, aut facit. Hanc ipſum animorum conſenſum, ſequitur loci ſtabilitas, & propoſiti perſeuerantia; qui enim defectionem facit, ſchiſmaticus eſt, & hanc vnitatem exſcindit. Conſenſum tandem ſequitur rerum vnitas, vera enim amicitia in conſenſu voluntatis conſiſtit; & amicorum ſunt, ſi verè tales, vniuerſa communia.

1895. TEXTVS. *Ante omnia, fratres chariſſimi, diligatur Deus, deinde proximus: quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data.*

Illud *Ante omnia*, diuerſimodè poteſt exponi: nimirùm, appretiatiuè, intenſiuè, & tempeſtiuè. *Primo ſenſu* non eſt noua lex, aut ſanctio hæc, ſed Decalogi diuinitùs lati, repetitio; Deum enim maioris debeo facere, quàm omnia, & proximum immediatè poſt Deum: peccaturus aliàs, ſi Deo creaturam præponerem, aut Deo proximoque interponerem rem aliquam tametſi pretioſam, quam penderem minoris, quam Deum; & maioris quàm proximum. *Si ſenſus ſecundus* teneatur, omnia ambigua. Forte, qui Deum diligit, non poteſt intenſiùs diligere creaturam. Fortè illi habitus ſupernaturales ita ingenio ſuo ordinati, vt ſicut mala nequeunt amare, ſic nec male. Fortè ſemper operantur quod poſſunt, & quantum poſſunt, & ſola eſt in noſtra voluntate operandi, aut non operandi libertas, non tamen modus operandi. quam ſententiam videtur habere Bernardus, & ego exemplo oculorum dilucido; mihi enim illos claudere, & aperire liberum, adeoquè videre, & non videre. non tamen iſtam chartam in debita, & inuariabili diſtantia poſitam videre intenſiùs, & remiſſiùs. aut enim non videbo illam, aut videbo ſemper eodem modo. vndè ſimiliter poſſet aliquis de rebus ſupernaturalibus philoſophari, & dicere; homini eſſe liberum actum charitatis elicere, quem omittere poteſt. at elicere iam intenſum, vt quatuor, iam vt quinque non eſſe in noſtra poteſtate. Sed ab habitus perfectione pendere, quem intendimus æquè intenſis (aut intenſioribus, ſi auxilium fortius

habi-

habitu ſit) operationibus. non tamen remiſſioribus, quoniam iſtæ non dantur. Sed de hoc aliás. vrget enim promiſſa illuſtrationis breuitas, vt ad *tertium ſenſum* tranſeamus. Et illum ſuſpicientes, non per omnia ſuſcipimus. Deum diligi debere ante omnia, hoc eſt, priùs quàm omnia aliqui aſſeruerunt, & ſcrupulis conſcientias timoratas vexarunt. Si priùs amandus Deus quàm creaturę primus actus liber, quem debet homo elicere, eſt Dei dilectio, & ſi hoc verum, quis ſe audebit decredere huic culpæ obnoxium? Puto equidem ſueram hanc ſententiam à viris optimis doceri, ſed fortaſsis non ideò optima, quoniam ſolent ingenuæ & timoratæ conſcientiæ etiam ibi fateri culpam vbi culpa non eſt. Sentio igitur hominem non ita rationis vſum diuinitùs conceſſum recipere, vt ſtatim teneatur ſub mortali gratias agere; quoniam & fauorem ipſe & obligationem ignorat; nec tenetur gratias agere de rebus quas neſcit, nec lege obſtringitur quam non cognoſcit. Vel dicitus; tu quicumque oppoſitam opinionem tueris, qua die incepiſti vti tua libertate? non ſcies hoc. Et progredior. Si mihi ſincere reſpondeas, an non multis annis ante fuiſti operationum dominus quàm audires hanc controuerſiam agitari? quomodo ergo potes te credere obligationi obnoxium, contra quam duæ tam fortes exceptiones occurrunt? & vt ipſas altiùs adhuc percalleas, attende. Tibi Auguſtiniano Religioſo præcipit Generalis, vt Pſalmos pœnitentiales hodie legas ea ipſa hora, qua cænet Imperator Turcarum, & tamen legem Tibi nec per ſe immediatè, nec per alium hodie notificat, ſed crás. & poſtulo, An te die craſtina opinaberis peccati reum? non puto. nam contra excipies, & legem ſeriùs tibi intimatam; & ſi citiùs, adhuc illam laborare circumſtantia impoſſibili, non enim hora, qua Turca hodie Conſtantinopoli menſæ adſidet, hodie Moguntiæ exactè ſciri poteſt. Ergo paṙiformiter de lege illa quæ dicitur præcipere vt in primo rationis inſtanti Deum diligamus, philoſophari potes. nam & ipſa, ſi daretur, multis annis ſerius in tuam deueniſſe notitiam, & ſuppoſuiſſet circumſtantiam (nimirum primum rationis inſtans) quam cognoſcere nec tunc potuiſſes, nec iam potes. Cùm igitur ſenſus iſte ad ætatis humanæ primordia reuocari non debeat, ſic poterit prudenter admitti, vt ſentiamus S. Auguſtinum conſulere, vt diebus ſingulis, cùm excitamur mane, ante omnia creatorem conſeruatorem, redemptorem & glorificatorem diligamus, & nos illi omni humilitate & deuotionis affectu commendemus. Modum ſuperius poſui num. 1781. quem poteris vtiliter legere. at multò vtiliùs tibi præſcribere quotidie deuotè obſeruandum. Eumdem etiam olim dedit Ambroſius Auguſtini Magiſter in hymno matutinali, vbi in paucis quæ lego, multa intelligo: & ſi bene intelligo, multa Deo dico: Cum primum oculos, aperiam labia & Archiepiſcopo Mediolanenſi duce, dicam Chriſto.

Tu lux refulge ſenſibus.
Mentiſque ſomnum diſcute:
Te noſtra vox primum ſonet.
Et vota ſoluamus tibi.

& quæ grandiùs & breuiùs. Ille cecinit, ego humiliùs & vberiùs reſumam, dicamque.

1896. [A Somno corporeo excitatus, Domine Ieſu, iterum periclitari incipio, & tua protectione miſerabiliùs indigere. Deus igitur in adiutorium meum intende, & ſiquidem hoſtilis feſtinat in meã perditionem exercitus, Domine ad adiuuandum me feſtina. Excita, quæſo, omnipotentiã tuam, non ſomno oppreſſam, quoniã non dormitabis neq; dormies, qui nos cuſtodis; ſed meis offenſam culpis, & mihi meritas pœnas præparantẽ. Veni quidẽ, nõ qui abes, ſed, qui lates, appareas, vt ab immi-

imminentibus peccatorum periculis te merear protegente eripi, deliberante ſaluari. Peccaui Domine & peccare non ceſſo, quoniam ignorans ſum, (ſanè omnis peccans ignorans, & omnis ignorantia eſt cœcitas.) Habeo naturam, ſed corruptam; adeoque humanitatem inhumanam, animam inanimem, mentem amentem, memoriam immemorem, inuoluntariam voluntatem. Laboro morbo periculoſo, & habeo ſenſum inſenſibilem; video meliora proboque deteriora ſequor, quoniam ſæpe vtor cæcis oculis, & aure ſurda. Vbique & vndique caligine ignorantiæ, & igne concupiſcentiæ obruor. hoc æſtuo, & illa velut fumus exſurgit, imò veriùs inſurgit, & ſenſus vniuerſos obnubilat. Tu igitur, lux indeficiens, refulge ſenſibus interioribus, exterioribuſquè & mentis meę lethargo oppreſſa ſomnum, & mortiferam cœleſtium rerum obliuionem potenter diſcute. Vt Te ante omnia & propter Te proximum diligendo, à tua meus anhelitus miſericordia primùm motus, excitet vocem, quæ te primum ſonet & celebret; ſpiritum qui te primum ardeat & ambiat. Da, obſecro; fidei erga diuinam doctrinam tuam, ſpei erga cœleſtem beatitudinem tuam; charitatis erga immenſam bonitatem tuam, & erga proximos noſtros propter amorem tuum requiſitum augmentum, vt in vnitate cordis & rerum communione ſeruem conſeruationem piam, quam communis monaſterij Regula indicit, & Maiorum perſuadent exempla; vt & omnes in vnum conuiuentes, nos mutuo fauore cohortemur & vota ſoluamus tibi, ad votumque diuini noſtri Patriarchæ viuentes, gratia tua huius ſæculi ſuperatis procellis, ad portum, qui cœlum eſt, peruenire mereamur. Amen.]

TEXTVS. *Hęc ſunt, quę vt obſeruetis in monaſterio conſtitui, prępipimus.*

1897. Sed ſtantem occurrit difficultas, quæ inquirit, An illa vox *prępipimus* intelligenda ſit moraliter, & de vero præcepto, an verò pœnaliter & monitoriè.

Illam Hugo Victorinus moraliter accipiendam exiſtimat, vel fruſtra teſtimonia illa congeſſit, quibus hanc periodum illuſtrat. morales enim ſunt vniuerſæ ſententiæ, quas cum Regulari componit; ait enim. [Ad hæc vobis diuina præcepta leguntur, quatenus lecta intelligentur & impleantur. Metuenda illa ſententia qua dicitur, ſeruus qui ſcit voluntatem domini ſui & non facit, plagis vapulabit multis. Hinc Paulus ait: *Non enim auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur*. Audiamus erga ſacra præcepta pij Domini & memores ſimus mandatorum ipſius ad faciendum ea. Quia ſicut dicit beatus Iacobus: *Si quis in lege perfectè perſpexerit libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit*. Et Dominus in Euangelio: *Beati qui audiunt verbum Deï & cuſtodiunt illud*. Igitur quæ præcipiuntur nobis in Monaſterio conſtitutis diligenter attendamus.]

1898. At ego communi ſententiæ conſentiens, hanc periodum cum initio Regulæ Benedictinæ compono, & quia nullam in ſenſu, nullam in obligatione illata differentiam reperio. Dixerat Auguſtinus, *Hæc ſunt, quæ vt obſeruetis in monaſterio conſtituti præcipimus*, & Benedictus, *Auſculta, o fili, pręcepta magiſtri ...... efficaciter comple, vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientię deſidiam receſſeras.* Hæc duarum Regularum analogia præmiſsa.

1899. *Quęris primò*, An omnia, quæ ſunt in Regula S. Auguſtini præcepti moralis vim habeant?

Reſpondeo multa eſſe in illa, quæ ne pęnalis quidem rationem habent. Conſono mihi, & nu. 77. diſputationis VII. ſuperiùs poſitæ. Et ne multis te grauem, ſuppono actus merè internos non poſſe

hu-

humanitùs iniungi, nec ſolenniter in profeſſione voueri, vt ſuperius num. 39. monſtraui, & multas ex Regulæ Auguſtinianæ ſanctiones, quæ merè internos actus concernunt potis producere, paucas lineas ſuppono. In ipſo limine, *Ante omnia, fratres chariſſimi, diligatur Deus, deinde proximus.* & ſtatim, *ſic vobis anima vna, & cor vnum in Deo... ſurſum cor habeant*, &c. & ſanè Dei & proximi amor, cordium vnitas, animorum conſenſus, internæ operationes ſunt.

1900. *Quæris ſecundò*, An in S. Auguſtini Regula aliqua præcepta reperiantur?

Seuerè videtur reſpondiſſe Hugo Victorinus, vt vidimus; at nos textum Regulæ poſſe ſumi materialiter & formaliter dicimus: addimus materialiter ſumptum ſæpe eſſe obligatorium ob concurrentiam alius legis; at formaliter ſumptum nullam obligationem grauem inducere. Pone exemplum. Verba illa *Diligatur Deus, deinde proximus*, materialiter ſumpta moraliter ſunt obligatoria, vi decem præceptorum Decalogi, quæ imbibunt; at formaliter ſumpta, h. e. quà poſita in Regula, non obligant, quoniam hæc eſt lex humana, quæ actus merè internos non præcipit. Vide quæ ſuperiùs dicta à nu. 79.

1901. *Quæris tertiò*. An ſaltem in Regula S. Auguſtini reperiantur ſanctiones, quæ quà regulares obligent ſub veniali?

Reſpondeo eſſe duas probabiliſſimas authorum ſententias; alteram, quæ poſſe ſuperiorem in materia graui leuiter obligare concedit, & tribuitur D. Thomæ *quod. l. 1. q. 9. art. 4.* alteram, quæ contra tenet in tali ſuperiorem materia aut præceptum non ponere, aut grauiter obligatorium. Qui priori voluerit opinioni ſubſcribere, non carebit fundamento probabili; vt exiſtimet, omnia grauia, quæ in Auguſtiniana Regula reperiuntur, obligare ſub peccato veniali; at nos id ipſum non diſcutimus; credimus enim omninò defendendam opinionem contrariam, & dicendum præcepti magnitudinem non à Prælati voluntate, ſed à rei præceptæ quantitate deſumi. Vide quæ tradidit n. 42.

1902. *Quæris quartò*, An ex hypotheſi quod S. Auguſtini voluntate & ſententia omnia & ſingula, quæ eſſent in Regula obligarent moraliter, tu neceſſario cenſeri deberes obſtrictus.

Reſpondeo me non videre illationis neceſſitatem bene enim ſtare poteſt, quod Petrus velit à Paulo centum imperiales impetrare, & iſte quinquaginta concedat, & conſequenter bene componi poſſet, vt D. Aug. voluerit obligare moraliter, & pœnaliter, & quod Romana Eccleſia Regulam approbarit quà legem pœnalem, & quà moralem reiecerit. Nam & D. Franciſci Regula, ex intentione Legiſlatoris ad peccatum obſtringit, & tamen non dubitas poſſe Eccleſiam decernere vt in poſterum non concernat conſcientias, ſed vim habeat legis merè pœnalis. Conſonant hæc illis quæ ſuperiùs, à nu. 89. dicta.

1903. *Quæris quintò*, An Generali Priori aut cuicumq; alij Ordinario Prælato præcipienti, vt ſerues omnia & ſingula, quæ ſunt in Regula S. Auguſtini in omnibus & ſingulis tenearis obedire ſub mortali?

Reſpondeo grauia in tali caſu obligatum grauiter, & leuia leuiter; ſemper ſecundum quantitatem materiæ, iuxta ea quæ diximus nu. 94.

1904. *Quæris ſextò*, Vtrum, ſi quiſpiam Religioſus, militans ſub Regula S. Auguſtini, promittat & voueat Deo ſe exactè ſeruaturum omnes eiuſdem leges, ad ſingularum obſeruantiam teneatur ſub mortali?

Eſt quæſtio ſimilis præcedenti, & eodem omnino modo diſſoluenda. Vide quæ dicta ſunt nu. 96.

Sed quia rerum etiam minimarum contemptus, ſi formalis & abſolutus ſit, ſolet

ſolet ad mortalis peccati reatum aliquando pertingere, inquiris, An de mortifero ſit incuſandus qui regulares obligationes in ord. Auguſtin. contempſerit?

Et reſpondeo legendum eſſe articulũ VI. Diſp. VII. n. 97.

TEXTVS. *Primum propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & ſit vobis anima vna & cor vnum in Deo.*

1905. Huic periodo commentario eſt Articulus II. Diſputationis XLVIII. præcipuè à nu. 638.

TEXTVS. *Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.*

1906. Hanc periodum examinat & dilucidat c. XXXIII. Regulæ Benedictinæ, in quo quæritur. An debeant Monachi aliquid proprium habere? & c. LIV. in quo præcipitur, vt ne vnam quidem Religioſus epiſtolam recipiat ſine permiſſione Prælati. Vide quæ de Paupertate à n. 815. ad 973. expenduntur.

TEXTVS. *Vnicuique, ſicut cuique opus fuerit, tribuatur, ſic enim legitis in Actibus Apoſtolorum: Quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique ſicut cuique opus erat.*

1907. Huic conſonat ſanctioni, Benedictinæ Regulæ caput XXXIV. in quo quæritur, Debeant ne omnes æqualiter neceſſaria recipere? & reſpondetur, *ſicut ſcriptum eſt* (Act. 4.) *Diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat.* Vide *nu.* 1619.

TEXTVS. *Diſtribuatur vnicuique veſtrum à Prepoſito veſtro victus & tegumentum. non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes.*

1908. Conſonat huic ſanctioni S. Benedictus Cap. XXXIII. ſuæ Regulæ, vbi ait, *Omnia autem neceſſaria à Patre monaſterij ſperare, nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit aut permiſerit* (recipi ergo ab amicis veſtes poterunt permittente. Prælato) *omniaque omnibus ſint communia, ſicut* (Act. 4.) *ſcriptum eſt. nec quiſquam ſuum eſſe aliquid dicat aut præſumat.* & Cap. XXXIV. *Diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Vbi non dicimus, vt perſonarum (quod abſit) acceptio ſit. ſed infirmitatum conſideratio.* Vide nu. 818. 819. & 1619.

TEXTVS. *Qui aliquid habebant in ſeculo quando ingreſſi ſunt monaſterium, libenter velint illud eſſe commune.*

1909. Hic videtur expreſsè illius fuiſſe S. Patrem ſententiæ vt teſtamenti conditionem nouitijs inhibuerit, ſed voluerit illorum omnia bona monaſterio ſuccreſcere. Id hodie in varijs locis varias limitationes patitur. nam in Prouincijs multis non permittitur, vt nouitiorum hæreditatibus monaſteria diteſcant. in alijs eſt ſæcularium & Eccleſiaſticorum concordia, vi cuius tertiam poſſit partem adquirere Religio, & duæ reliquæ pertineant ad cognatos. In Hiſpania conceditur nouitijs poteſtas diſponendi liberior; nec vrgentur vt aliquid monaſterio relinquant, non enim ipſorum bona quærimus, ſed virtutes. Veruntamen expediret vbique inſeruire patriæ moribus, & id facere quod alij laudabiliter ſolent. Vide Cap. LIX. Regulæ Benedictinæ, vbi præcipitur filios pauperum ſimpliciter, at filios diuitum cum dote monaſterio tradi. Vide etiam Cap. LVIII. in quo S. Benedictus ſtatuit, vt profeſſurus res, ſi quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta ſolenniter donatione conferat monaſterio; nihil ſibi reſeruans ex omnibus, & conſule nu. 439. & 446.

TEXTVS. *Qui autem* (*aliquid*) *non habebant, non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt, ſed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur, etſi paupertas eorum quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. Tamen non ideò ſe putent felices, quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris habere non potuerunt.*

1910. Hæc videtur legiſſe meus Bernardus, cum quæritur pauperes homuncio-

ciones inſolentiores fieri in clauſtro quã eſſent in ſæculo;eoſq;, cum in mundo vbi omnes honores appetunt non niſi cõtẽptibiles eſſe potuerint, velle ſaltem in clauſtro, vbi omnes ſuperbos fugiunt titulos, dignitates ab omnib. contemptas ambire,& licèt mali, viros eminẽtes cõtemnere. Tu verò, quoniã ſtudes modeſtiæ & diſcretioni *inquiris*, An pauperes diuiteſque in monaſterio, quoad victum, & amictũ debeant eodẽ modo tractari an illi viliùs & iſti poſſint opulentiùs; præcipuè, ſi horũ liberalitate monaſteriũ dicatũ ſit? *Reſpondeo* vitã communẽ manutenendã eſſe, adeoq; ratione nobilitatis aut diuitiarũ nulli in religione obligatio aliqua remittendam. Quod ſi mala educatio tranſierit in morbũ, & ita delicatus quis ſit, vt diſtrictioni regulari ſubeſſe non poſſit, aut vrbanè dimittatur ſi nulla ratio èfficacior obſiſtat; aut ſi valdè vtilis & neceſſarius iudicetur, vbi nihil nobilitati, poteſt aliquid morbo ex mala educatione ſuborto concedi quod & S. Aug. indicit paulo poſt: nimirum c.IV. vbi & nos reſumemus.

[*Sed quia S. Auguſt. non concedere teſtandi libertate viſus, & ſummus Pontifex Nicol. iubere vt teſtamentum condatur c.IX. Regulæ Tertiariorum n.2046. ponẽda, audiẽdus, inquirere quis prudẽter poſſit, vtra eſſet cõſtitutio prudẽtior? Tu cũ his articulis etiã n.2074. cõpone, vt ex omniũ collatione deciſione elicias.*]

CAPVT II.

De Humilitate.

1911. NEC erigant ceruicem, quia ſociantur eis ad quos foris accedere non audebant: ſed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant, ne incipiant Monaſteria diuitibus eſſe vtilia non pauperibus, ſi diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rurſus etiam illi, qui aliquid videbantur eſſe in ſæculo, non habeant faſtidio Fratres ſuos, qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt: magis autem ſtudeant, non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum Fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerint, nec de ſuis diuitijs magis ſuperbiant, quia eas ipſi monaſterio partiuntur, quam ſi eis in ſæculo fruerentur. Alia quippe quæcumq; iniquitas in malis operib. exercetur vt fiant, ſuperbia verò etiam bonis operib. inſidiatur vt pereant. Et quid prodeſt diſpergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cùm anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contẽnendo, quam fuerat poſſidẽdo? omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite, & honorate in nobis inuicẽ Deũ, cuius tẽpla facti eſtis.

1912. Humilitatẽ omniũ virtutũ fontẽ & originẽ Hipp. Epiſc. hoc c.2. cõmendat, de quà S. Bened. c.V. & ego à n.673. Sed quia multa ſunt ſuperbię genera, aliquid oportet ediſſerere, vnde illa clariùs cognoſcantur. I. igitur ſuperbiunt aliqui, quòd ſint docti & dotib. eximijs prędiri, & hi optimas prorogatiuas elatione maleſuada coinquinãt, maculãt elatione. II. Superbiũt alij, quod ſint diuites, quod habeant pulchras pecudes, & hæc ipſa ſuperbia irrationalis eſt, nõ ſolũ quod irrationali innitatur materię ſed etiã quoniã in aliena perfectione fundatur. Si equus ille tuus, cuius tu nobilitate gloriaris, ſuperbeſceret, fortè excuſari poſſet: at quod tu ideò vanè-glorieris, quòd equus qui irrationalis eſt ſit bonus, domus quæ inſenſibilis ingenua, eſt intollerabile omninò tibi. n. vt ſis malus occaſio ex ipſa rerum bonitate deſumitur. III. Quòd pauperes ſint nec diuitias quærerent etiã alij ſuperbiunt, putantq; eo ipſo quo ſibi aliquid deſit, ſuccurrere vniuerſos teneri. quod ſi aliqua eos pro Deo reliquiſſe contingat, ſuperbiores fiunt diuitias

M con-

contemnendo, quam fuerant poſſidendo. IV. & *vltimo*. efferuntur nonnulli quod humiles ſint, ac ſi poſſet adquiri à ſuperbo humilitas aut conſeruari.

1913. His inſtructus inquiris *primò*, An differat à ſuperbia grauitas? *ſecundò*, An ſuperbia ſit peccatum mortale?

Ad primum dico ſuperbiam grauitatemque differre toto cælo. grauitas enim virtus eſt, & ſuperbia peccatum. Grauis in morib. externis ille dicitur, qui compoſitus, qui modeſtus & grauis internis, qui pius. Grauitas igitur eſt mentis habitus omnia, quæ ſeria non ſunt ablegās, & actiones hominis interni & externi ad legis veritatem reducens. At ſuperbia conſiſtit in mentis elatione & exceſſu, qui cum ſoleat manifeſtari extrinſecùs, in internam & externam diuiditur.

1914. Ad ſecundum reſpondeo, non omnem imprudentiam eſſe peccatum, adeoq; non omnem magnā crimen. Hac ego penna mihi perſuadeo poſſe carmina græca elegantiora Homericis condere, aliā non poſſe: & ſiquidem ab omni pacto etiam implicito abhorreo, ſuperſtitioſus in hac opinione non ſum: non ſum in hac elatione peccator: at imprudens & ſtultus ſum, & quā me Græcorum Poetarum Principi antepono ſuperbus. Huic diſipientiæ ſubeſſe teneas omnem hominem, qui falſo ſui amore deceptus ſe putat nobiliorem iſto, ditiorem illo, ſapientiorem altero, quæ opinio quamdiu occulta lateat, nemini iniuria, illi qui illa inficitur ſolet eſſe ſolamini imò nonnunquam deuotioni ſi Deo agas gratias ob fauores, quos nunquam recepit. At iſta ipſa, quæ peccaminoſa non dicitur ſi ſe contineat intra meræ ſpeculationis terminos, eſt Platonis idea, quæ nunquam in reb. reperitur, & fortè non eſt *ſuperbia* nominanda, ſed *animoſitas*. Omnis mentis conceptus hominem dirigit, & qui non vult mentem errantem corrigere, vult voluntate delinquere, & digna correctione operari. Dico igitur ex mentis elatione multa peccata oriri quę mortalia eſſe poſſunt, & venialia eſſe frequentiſſimè ſolent. Primum eſt in materia vrbanitatis parcitas, quando aliquis titulos & reuerentias proximo debitas decircinat, volens aut æqualem ſibi ſuperiorem reddere, aut ſibi proximum & æqualem ſubijcere; quæ petulantia, ſi materia ſit leuis vocatur inciuilitas, & erit veniale peccatum, at confuſio videtur materiam notabilem requirere, & ſi ex ſuperbia & iniuſtitia naſcatur à mortali excuſari non poſſe. Vnde, ſe nominum tranſpoſitiones placeant, inurbanitatem leuem confuſionem, & confuſionem dicam notabilem inurbanitatem. *Secundum* in materia detractionis; ego enim, qui cognoſcor à multis, tametſi me ignorem, & credor habere merita vt quatuor, ſi me voluero æquare aut præponere Petro habenti merita vt quinque, aut in Iudices ipſos aut in Petrum pecco. In Iudices, ſi ego aut tam ſtupidos eſſe contendo, vt exceſſum non videant, aut tam iniquos vt illo viſo adhuc contra ius (pono materiam eſſe iuſtitiæ digniori debitam) me digniori præponant. In Petrum nam & volo vt dignitate ſibi debita careat, & etiam opinione & laude congruente. *Tertium* crimen ſuperbiæ inobedientia eſt, quando quis ſibi putat deberi ne regulis communib. obſtringatur: qui enim non eſt homo vt cæteri, non debet vt cæteri legibus regulari. Hinc naſcitur veritatis abuſus; hinc quòd illa ſententia, *Iuſto non eſt poſita lex*, iniuſtè retorqueatur, & credi velis ab omni lege immunis, quod te iuſtum delires. Hinc murmurationes, hinc etiam detractiones nonnunquam, eò periculoſiores quò maiores illi contra quos inſolenter peccatur. Hæc ipſa inobedientia, tametſi ex ſuperbia ſuborta, formalis contemptus nondum eſt, aliud enim eſt dicere. *Mihi ſeni, nobili, docto de monaſterio, & ordine optime merito non deberent leges illæ quæ nouitijs imponi*; & aliud. *Non poſſunt imponi*. & tandem aliud, *Poſſunt quidem & debent, ſed non obediam*. Tres inobedientiæ actus iſti ſunt, ſed

ſed omninò diuerſi. In vltimo cùm quis fatetur obediendi debitum, veneratur illum qui præcipit, & cum obedire non vult, aut non obedit (omnis enim inobedientia voluntaria eſſe debet, vt peccaminoſa credatur) animi ſui prodit fragilitatem. Qui *Non deberent mihi hæc imponi præcepta*, ait; imprudentiam ſuperioris incuſat, & ſi paratus obedire, poterit videri an detraxerit, ſed cum dicit *Non poſſunt*, dignitatem & poteſtatem contemnit, & illo quo Lucifer peccat exceſſu; tunc enim ſubditus, *Similis ero Præpoſito*, ait, *tametſi in hac communitate altiſſimus. Ipſi nulla lex imponi a domeſtico poteſt, adeò nec mihi. & in huius teſtimonium ſententiæ, omittam quidquid iuſſerit facere, faciam, quidquid omittere*, & in hoc actu videtur contemptus formalis relucere.

CAPVT III.

De oratione & ieiunio.

1915. ORationibus inſtate horis & temporibus conſtitutis. In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde & nomen accepit, vt ſi fortè aliqui etiam præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Pſalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum: quod autem non ita ſcriptum eſt vt cantetur, non cantetur. Carnem veſtram domate ieiunijs & abſtinentia eſcæ & potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ægrotat.

1916. Meritò S. Pater orationem & ieiunium coniunxit; non enim bene orat, qui lautè comeſſatur, nec libenter frequentat conuiuia, meditationi deditus. Ieiunium concupiſcentiæ eſt crux, & ad menſam tanquam ad crucem, ad crucem tanquam ad menſam, ire debes, ſi credis meo Melliſluo Bernardo. Sanè ad menſam tanquam ad crucem quoniam ieiunaturus, & ſumpturus cibos præciſè neceſſarios; ad crucem autem ieiunium & mortificationes tamquam ad menſam, quoniam ipſis nutritur & firmatur animus. Multa ego ſuperiùs de oratione, & præcipuè de officio diuino à num. 1061. ad 1376. pauciora ſed ſufficientia de Ieiunio, à num. 1613. b.

TEXTVS. *Orationibus inſtate horis & temporibus conſtitutis.*

1917. De diſtinctione, numero, ſolennitate & obligatione Horarum canonicarum libro IX. & X.

TEXTVS. *In Oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde & nomen accepit, vt ſi fortè aliqui etiam præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint.*

1918. Hoc argumẽtũ, quod ſumitur ẽ nominis etymologia, aliquãdo perſuaſorib. ſeruire poteſt: ſæpe. n. cõtingit, vt qui ſublimiores capere non poſſint rationes, etymologijs delectẽtur. S. Hieronym. arguit illos, qui cùm dicãtur Monachi .n. quaſi ſolitarij dicũtur, & nõ indigẽt ciuili ſtrepitu homines ſolitarij. Sanct. etiam Benedict. ſæpe à nominis ratione diſcurrit, & præcipuè c. LII. vbi videtur periodũ totã hãc exſcripſiſſe. Ait. n. *Oratoriũ hoc ſit quod dicitur. Nec ibi aliquid aliud agatur aut condatur. Expleto opere Dei omnes cũ ſummo ſilẽtio exeãt, & agãtur reuerentia Deo, vt Frater, qui ſibi fortè peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed & ſi alter vult ſibi fortè ſecretius orare ſimpliciter intret*

& ores, non in clamoſa voce, ſed in lachrymis & intentione cordis. Ergo qui ſimile opus non facit, non permittatur expleto opere Dei remorari in oratorio, ſicut dictum eſt, ne alius impedimentum patiatur. Conſonat etiã S. Benedict. ordinis viuendi monaſticè cap. III. Vide quid dixerim de oratorio n. 1063. 1785.

TEXTVS. *Pſalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.*

1919. Eſt de actu merè interno conſilium, leges .n. humanæ materiam merè externam concernunt; & D. Benedictus capite XIX. *Sic ſtemus ad pſallendũ, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.*

TEXTVS. *Et nolite cantare niſi quod legitis eſſe cantandũ, quod autẽ non ita ſcriptum eſt vt cantetur, non cantetur.*

1920. Huic textui videtur contradicere Regula Benedictina, in cuius capite XVIII. ait Legiſlator, *Hoc precipuè commonentes, vt ſi cui fortè hec diſtributio Pſalmorum diſplicuerit, ordinet, ſi melius aliter iudicauerit: dum omnimodis id attendatur, &c.* Vnde videtur illud ipſum quod S. Auguſt. inhibet, S. Benedictus concedere.

Dico igitur Religioſum bifariã poſſe horas diuinas ſoluere, aut in choro cum reliquis, aut priuatim. *Primo* igitur, puto illum in choro, (Auguſtinianus aut Benedictinus ſit) non debere legere aut cantare, niſi quæ ſunt ex rubrica communi cantanda; debere omittere, quæ ſunt omittẽda, aliàs .n. publica turbaretur deuotio, nec communitas poſſet per modum corporis officio diuino ſatisfacere.

Secundò extra chorum ſtrictiùs ad rubricas Auguſtinianum teneri exiſtimo, quàm Benedictinum; illi enim indicitur ne mutet, huic tametſi cum aliquibus limitationibus conceditur. Verùm hic non hærebo, quoniam de mutatione officij ſuperiùs à nũ. 1387.

TEXTVS. *Carnem veſtram domate ieiunijs & abſtinentia eſcæ & potus, quantum valetudo permittit.*

1921. De hac materia S. Benedictus capite XLIX. quod inſcribitur, *de quadrageſimæ obſeruatione*, & XXXIX. & XL. in quibus agitur de menſura ciborum & potus.

1921. *Sed inquiris.* An poſſit quis carnem ieiunijs macerare plus quàm valetudo permittit?

Et ego multa hic intricata reperio, quæ iudico debere diſtingui. Nam ſuprà vires ieiunat ille, qui ſe fame extinguit, non ille qui vitę dies multum abbreuiat, & frangit valetudinem. Definio non poſſe quempiam ſe inedia extinguere licitè; poſſe tamen ieiunare etiam ſi euidenter præuideat citius ſe moriturum. Nec ideò debere dici ieiunare plus quàm valetudo permittit; quæ cum ipſius ſimus vſufructuarij domini, debet nobis ad finem ſublimiorem, quantum opus fuerit, ſeruire, ipſa enim non permittit nobis ieiunare imprudenter, nec prodigè & ſine cauſa dilapidari patitur, at permittit ſe expendi & exponi iuxta prudentiæ terminos & experti ſuperioris conſilium. Huc videtur reſpexiſſe S. Abbas Caſſinenſis cùm in ſuæ Regulæ capite XLIX. ne nouitius feruor carnem ieiunijs maceraret pluſquam valetudo permitteret, & ne voluntas propria in voluntatis fractione reluceret, conſtituit, vt quidquid Monachus communi rigori addit, Abbati ſuo ſuggerit & cum eiuſdem non voluntate ſolum, ſed etiam oratione faceret. Ieiunium enim, ſi irregulare ſit; nocere poterit corpori, & animo; corpori ſi nimium; animo, ſi infectum ſingularitatis ſuperbia. Illud S. Benedictus mira ſapientia condit, humilitate, prudentia; (humile eſt, ſi Antiſtitis exponitur arbitrio; prudens, ſi eiuſdem regitur voluntate) vt nec corpori nec animo nocere poſſit. Illudque oratione acuit, vt dulcius ſapiat Deo; & oſtendat abſtinentiam orationemque duas eſſe comites indiuiduas, quas optimè ab Auguſtino iunctas & immeritò ſeparare quis poſſet.

TEXTVS.

TEXTVS. *Quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij, aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ægrotat.*

1922. Circa litteræ intelligentiam quæris *Primò*. An hora prandij debeat hic intelligi eſſe illa, qua communitas prandet, ita vt ſenſus ſit, quod nec comedat, nec cœnet alia hora, quàm communitas, an fortè illa, qua prandet ille, qui ieiunare non poteſt, ita vt ſit ſenſus, Quod ſi ex cauſa ipſi concedatur, vt refectioni communi non interſit, prandeat hora competenti, nec antè prandium, nec poſt poſſit (ientaculi, aut merendæ ſpecie) cibum ſumere?

1923. Sanè huic periodo ſummam lucem præbere poterit Regula Benedictina Capite enim XXXVI. infirmorum curam commendat, vultque illis omnia miniſtrari, quæ neceſſaria ad recuperandam ſalutem. vnde illos horis, & regulis communibus abſolui ere manifeſtum eſt. At Capite XXXVII. Senes, & infantes ſubiungit, qui tametſi ſub nomen infirmorum non veniant, ſaltem non ſunt ægri ſunt debiles, & vtrique (infantes, ſenesq;) etiam debiles ſunt. *Conſideretur ſemper in eis*, inquit ſanctus Abbas, *imbecillitas, & nullatenus eis diſtrictio Regulæ teneatur in alimentis, ſed ſit in eis pia conſideratio, vt præueniant horas canonicas* (hoc eſt *communes omnibus, & regulares.*) Quam ob rem dicendum omninò eſt, aut ægrotorum nomine intelligi à S. Auguſtino etiam ſenes (ſenectus enim ipſa morbus) imò & pueri: & reliquis legem illam imponi. aut ſi ægrorum nomine nolimus ſenes intelligere, dicendum omninò hoc textu non interdici ſenibus vt citiùs prandeant, ſed ne mane, aut veſpere præter prandium, & cœnam recipiant refectiunculas. quod etiam ſtatuit S. Benedictus in ordine viuendi monaſticè, quem poſt Regulam ſcripſit, vt illam altiùs illuſtraret; nam capite XVII. ſic inquit, *Ante horam, vel poſt horam nihil cibi percipiant, exceptis infirmis, & infantibus, quorum imbecillitas ab Abbate conſideranda eſt*. An ſenes, quos Capite XXXVII. Regulæ adſcripſit infantibus, conſultò omittit. an illis inhibet, quod infantibus, & ægrotis concedit? an infirmorum nomine etiam ſenes intelligit? Hoc vltimum videtur certiùs, ſi ita intelligatur, perſonæ imbecillitas conſideretur, nec ſoli ætati, ſi robuſtæ hæ refectiunculæ extraordinariæ concedantur. Sanè ſi ſenes nulla habita valetudinis conſideratione, à communis diſciplinæ diſtrictione eximantur; neſcio quid intelligi debeat Caput VIII. eiuſ. Benedictinæ Regulæ, in quo ſeuerè indicitur, ne quidquam aliud faciat iunior, quàm quod Maiorum cohortantur exempla. Sanè Maiores, qui ſeniores: & ſi iſtis vita libertina permittitur, cur in exemplum, & imitationem iuniori proponantur, non video. Prælatus igitur, cuiuſcumque ordinis ille ſit, non perſonam à perſona, nobilem ab ignobili, doctum ab indocto, ſenem à iuuene in obſeruantia regulari diſtinguat, ſed vni, & ſoli neceſſitati condeſcendat, ſciens tamen hanc ipſam in nobili, docto, & ſene faciliùs, atque frequentiùs reperiri. Nobilibus Sanctus Auguſtinus ſuæ Regulæ Capite IV. meliores cibos, & veſtes tandiu dari concedit, quamdiu ſummum ipſi diſciplinæ rigorem tolerare non poſſint. Conſuetudo enim altera eſt natura; & qui delicatis nutriti à pueritia ſunt cibis, & veſtimentis duplicibus ſemper ornati; non poſſunt ad ieiunia, & nuditatem euolare tranſitu repentino, ſine vitæ periculo, aut valetudinis manifeſto diſpendio; & quia illis non poteſt ſimul totum onus imponi, permittit regularis diſcretio, vt paulatim adſueſcant, vt tandem poſſint agere vitam communem. Viris etiam doctis aliqua indulgenda aliquandò, non quidem ratione doctrinæ, ſed laboris. Plus vnus Theologiæ profeſſor, & periculoſiùs laborat vna die, quàm tota hebdomada

faber

ſaber ferrarius. Plus,non quia pluribus horis, ſed quia intenſiùs, periculoſiùs, quia manuum labor ad ſalutis conſeruationem, & recurationem conducit,at mentis labor corpori exitialis eſt. Ergo tametſi doctrinę titulo nemo debet viuere laxiùs;ratione morborum,quos incurrit, vt illam eamdem doctrinam adquireret: ratione valetudinis, qua indiget,vt reliquis prodeſſe poſſit, licebit diſcreto Superiori,in aliquibus diſpenſare, vt vtiliùs Deo,Ordini,& Reipublicæ ille ſeruire poſſit. & eadem omninò analogia doctrinæ de Senibus eſt philoſophandum. Eſto nihil ætati,& authoritati cedatur. iubeantur eſſe primi qui primores. Sed ſi ætas morboſ etiam inuexerit, hi ipſi ſunt clementer, & humanitùs conſiderandi. Nam & homines ſumus qui regimur, homines etiam, qui regimus,non Angeli: & ſicut ſubditus errare poteſt plus poſtulando indulgentiæ, quàm debeat: ſic & poteſt errare Superior,plus quàm debeat negando. præcipuè in ordine S. Auguſtini (hoc nomine omnes Religiones intelligo, quę militant ſub eius regula)qui Cap.IX. præcipit famulo Dei infirmo, ſine dubitatione credatur.ne tamé erres,vide quid famuli Dei Auguſt.intelligat,& lege num.1978.

CAPVT IV.

De Refectione vtriuſque Hominis.

1924. CVM acceditis ad menſam donec inde ſurgatis,quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur,ſine tumultu, & contentionibus audite, nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum; ſed & aures eſuriant Dei verbum. Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet alijs moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri eis,quos fecit aliqua conſuetudo fortiores: nec illos feliciores putent, quia ſumunt quod non ſumunt ipſi: Sed ſibi potiùs gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et ſi eis,qui ex moribus delicatioribus ad monaſteriũ,aliquid alimentorum,veſtimentorum operimẽtorumve datur,quod alijs fortioribus, imò fęlicioribus non datur, cogitare debent, (quibus non datur) quantum de ſua ſęculari vita illi ad iſtam deſcenderint, quamvis vſq; ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, fragilitatem peruenire non potuerint. Nec debent velle omnes quod paucos vident amplius, non quia honorantur, ſed quia tollerantur,accipere:ne contingant deteſtanda peruerſitas, vt in Monaſterio,vbi quãtũ poſſunt,fiũt diuites laborioſi,fiãt pauperes delicati.

1925. Conſtat homo corpore, & animo (materiale illud eſt,hic incorporeus) & ideò viuit materialitèr, & ſpiritualiter, & ita alimentis indiget vtrobique vt faciliùs corpus ſine cibis ſuſtentet, quam animum ſine verbo Dei. Hoc ergò capite Diuinus Doctor de corporis, animiq; refectione luculentum ſermonem conſtituit,quem debeo breuitèr dilucidare.

TEXTVS. *Cùm acceditis ad menſam donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur, ſine tumultu, & contentionibus audite, ne ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant Dei verbum.*

1926. Huic periodo illuſtrationi, & commentatio ſunt Regulæ Benedictinæ multa capita. Quibus enim horis debeant

beant fratres refici exponit Cap. XLI. ibi docet omnes debere ſimul menſam accedere, ſimul excedere, & contra negligentes legem fert cap. XLIII. qua ſtatuit ne impune, aut tardius alijs veniat Monachus, aut citiùs abeat. De ieiunijs quadrageſimę agit cap. IL. & XXXV. de coquis, ſeruitoribusq; & tandem de ciborum, & potus menſura, & qualitate, capitibus XXXIX. & XL. & ne ſolum in menſa corpus, ſed & animus reficeretur caput XXXVIII. addidit, in quo de hebdomadario lectore.

1927. Sed quid eſt ſine tumultu, & contentione audire? Legem S. Auguſtinus impoſuit, at gloſſam S. Benedictus, *Ne præſumat ibi aliquis*, ait Cap. 38. cit. *de ipſa lectione, aut aliundè quidquam referre, ne detur occaſio, niſi fortè Prior* (nempè, qui in menſa pręſidet) *pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere.*

TEXTVS. *Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, &c.*

1928. Non agit S. Pater de laborantibus actuali morbo, illis enim nemo inuidet, nullus inſultat. agit de delicatè nutritis: & inquiris, àn iſti debeant benigniùs tractari, quàm alij.

Sanè ad tempus, crediderint. nam vt paulò ante dixi, omnis tranſitus immediatus expoſitus eſt magno periculo Vitro fragiliùs nihil, & tamen illęſum ſummum tolerat frigus, ſummum calorem, modo ex extremo in extremum immediatè non tranſeat. In fornace igneum eſt, & intenſiſſimo calore prædiutum, ſi vento, & frigori expoſueris, fregeris, non enim ſub illud tempus frigoris capax eſt. At prudens artifex, qui materiæ fragilitatem cognoſcit, illud in loco minus calido: deinde in alio adhuc minùs calido, tandem in tertio tepido, & quarto reponit in frigido; & hoc ſine vllo fragiliſſimæ materiæ periculo.

1929 Hoc olim, & vtilitèr vidit S. Iſabella Luſitaniæ Regina curioſitatis gratia ad fornacem conducta, & quia intensè Deo ſeruire exoptabat, & à medicorum ignorantia ſeducta, non poterat ſibi ſuadere, vt contemptis Galeni regulis, S. Franciſci amplecteretur, ibi edocta diuinitus mutauit animum, & ab reſolutionis conceptæ fortitudine ſic ipſam diſcutiſſe præſumo.

1930. [*Valete iam tandem aliquandò Medici, quorum legibus aut me Dei offendendi timor, quod opto; aut valetudinis deſiderium, quod timeo, non ſine tyrannidis ſuſpicione ſubegerat, vt benè valerem: cùm tamen quo pluris apud ipſos valuerim minus ſanè. Quippe fortunæ iniuria nata ex Regibus, in delitijs nutrita, cibis delicatis, & molli lecto adſueta reſiſtebam Deo inſpiranti meliora, & quod doleo, ſanctitatis ſpecie. O quoties diuinitus admonita, vt carnem macerarem ieiunijs, ſago tegerem, & ſternerem ſupra ſaxum, aut lignum! ſed pluries contradictum à Medicis corporis mei felicitis, animi incurijs O quam grata eorum mihi conſilia, ne obedire cogeret monenti, ſequi præeuntem, adeſſe conducenti! Mihi impoſſibilia ſuggeri: libenter credidi: inſpirationem de ſuggeſtione incuſans, ne obedire tenerer. At hodie oculos aperire coagor, vel inuita. Sim fragilis: fragilius multò vitrum eſt. Sim rigori inadſueta, & ſi ſeueram vitam agam, valetudinem frangam, imò morbos incurram: ſed & vitrum in fornace liqueſcens, longè à rigore diſtat: igneum eſt, & ſi exponatur vento ſine mora frangetur. Omnia iſta certa. At iſtud, quod manu circumgyro, igneum fuit, frigidum eſt; fragile omnino, nec tamen a frigoris rigore fractum. Vndè igitur quod non potuerit frangi habuit manifeſta fragilitas? Vidi oculis; conſidero vtiliter; non poſſum adfectare ignorantiam. Docta illud prouidentia Artificis tametſi fragile ſine periculo ex extremo ad extremum traduxit, quoniam per gradus intermedios & ego docior. Delitiæ Regiæ rigor monaſticus è diametro videantur opponi; at ab illis ad hunc dari poterit tran-*

tranſitus ab omni periculo vacans, ſi non fuerit feſtinus. Eſto ieiunare, & carnem macerare non poſſim, ſanctimoniales poſſint, quoniam illa rigori, & ego delicijs adſueuerim. At potero paulatim doceri, & dedoceri. potero adſueſcere paulatim auſteritati regulari, vt quæ hodie non poſſum, cras poſſim. Dediſcam cibos delicatos, quibus hodie ſi caream, morbo nō caream; dediſcam mollem lectum, quem qui hodie mihi aufert, ſomnum aufert, & per gradus procedens tandem euadam doctior: ſi enim prius carere ſuperfluis didicero, ero docilis, vt carere neceſſarijs addiſcam. Sed quando ſcopum obtinebo? ſerò, ſed aliquandò, quoniam multa in me decircinanda ſunt. Concedam ætati teneræ, corpori fragili, & motus ipſe tardior ſit: ſingulis ſeptimanis ſit mihi vna ſuperfluitas dediſcenda. Prima mēſis ſecundis carere diſcam, ad gulę irritamentum additis; altera diſcam carere pretioſo ciborum apparatu, vno ſimplici contenta ferculo: tertia etiam in iſto decircinabo qualitatem, & quantitatem, quousq; ad communes cibos, aut panem, & aquam deuenere. Eadem lectus meus via in ſtratum tranſibit, & ego cui hodie ob inueteratam multorum annorum conſuetudinem neceſſaria creduntur, quæ innumeris eſſent ſuperflua, ita adſueſcam rigori, vt mihi ſuperflua exiſtimem, quæ innumeris pręciſe videantur neceſſaria. Hæc omnia à vitro fragili in ſexu debili, in ætate tenella didiciſſe grauiſa, non tàm ad aulam, quàm ad me ipſam vertar, & quæ ſum meditata, Deo cooperante, & fauente perficiam.] Dixit fecit: & nobis fuit exemplo ſummo, vt ſciamus, nullam eſſe ætatem, ſexum, qualitatē, ſtatum, à quo non pateat aditus ad vitam rigidam, modo ſeruire Deo velimus.

CAPVT V.

De Infirmis curandis.

1931. SAne quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minùs accipere, ne grauentur; ita & poſt ægritudinem ita tractandi ſunt, vt citiùs recreentur, etiamſi de humillima ſœculi paupertate venerint, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo, Sed cùm vires priſtinas reparauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quę famulos DEI tanto ampliùs decet, quantò minùs indigent. Nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos neceſſitas leuarat infirmos. Illos ſanè exiſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Meliùs eſt enim minùs egere, quàm plus habere.

1932. De infirmis agit S. Pater Benedictus cap. XXXIX. ſub finem: & toto XXXVI. nos in commentario à numer. 1624. & de eorumdem obligationibus, ac pręcipuè de officio diuino, num. 1429 & 1775. E. In ſcholio etiam multa, & ſæpè alibi,

Interim mihi duæ in hoc capite periodi placent. Prima, *Ille ditior, qui in parcitate ſuſtinenda ſit fortior*. Secunda, *Melius eſt minus egere, quam plus habere*, cui conſonat antiqui Poetæ lemma.

Quis diues? qui nulla capit. Quis pauper? auarus.

Sanè religioſi vniuerſi, nulla enim ipſi cupiunt, ditiſſimi ſunt, & quia nulla habent, omnia poſſident, nam re nulla indigent. qui enim paucis contenti ſunt, nulla vnquam re poterunt indigere, ſi-

qui-

quidem, pauca vbique reperiuntur, & multa non ſunt neceſſaria.

TEXTVS. *Aegrotantes neceſſe habent minus accipere, ne grauentur.*

1933. Sunt ita moralia connexa naturalib. vt vix ſeorſim tradantur. Vtraq; ad miraculũ ſapiens tractauit S. Auguſt. ita vt docta ſanctè, & ſancta ediſſeruerit doctè. Et in hac periodo, quã ſolã ponderare placuit, inſtruit, & docet vniuerſos, tam religioſos, quã Doctores. ipſe. n. ſe reponit, & vult eſſe ſuorũ religioſor. medicũs.

Neſcio qua phreneſi, aut ſtultitia illudimur, cum ęgrotamus. Mox vbi capite dolemus, medicum conſulimus, ac ſi non poſſet ſecundo morbo carere primus, & ſicut illũ fallimus, ſic ab illo decipimur. Non quęrimus, A quib. debeamus abſtinere, quib. rebus carere, quas non comedere, pertæſi omnem auaram medicinã; amamus prodigã, & inquirimus extraordinarios cibos, potum irregularem, & multa alia carnis ſolamina ſub ſpecie, & colore pharmaci, aut remedij; Et medici, ne diſpliceant, concedunt vniuerſa, quę petimus, & dum nos grauant pharmacis, ſuas conſcientias onerant: & dum nobis conſentiunt indoctis, diſſentiunt à ſapientiſſimo Auguſtino. hoc enim teſte, *ægrotantes neceſſe habent minus accipere, ne grauentur.* indigent multarum rerum negatione, non poſitiua medicinarũ multitudine. pharmaca enim ſemper nocent, & abſtinentia ſaluberrima eſt.

1934. Morborum qualitatẽ non voluit S. Benedictus examinare, ita. n. abhorruit medicinas, vt ne quidem illarum nomine voluerit ſuam Regulam, aut notare, aut grauare. Sciebat tamen Vir prudens aliquando ipſas, tametſi rarò, neceſſarias & quia nolebat docere Doctores, pueros, quos ægrorum nomine propter imbecillitatem ętatis intellexerat, ſibi adſumit curandos, & Cap. XXXIX ſtatuit, vt doceantur abſtinẽtiam, fragilitatemq; nec permittantur concedere quantum firmi, & robuſti. *Pueris* ait *minore ætate, non eadem ſeruetur quantitas, ſed minor, quam maioribus, ſeruata in omnib. parcitate.* Hinc igitur diſcat prudens Medicus, qui debeat ſingulis applicare, vt recuretur valetudo, quam Monachus in monaſterio perdiderit.

1935. Bonæ Medicinæ principium eſt, *Vt contraria curentur contrarijs*, in quod impinget, qui aliter valetudinis habuerit curam. Non ignorabat illud S. Abbas, cum ſpiritualis Medicinæ ſcholæ prępoſitus, regulam ſalutarem ſcripſit, & in Prologo, [Recipe, ait, morale alexipharmacum, & ſalutis perditæ recuperandæ regulam opportunam. Auſculta igitur, medicina enim, quam præparaui, non corpori, ſed cordi adhibenda, aure pia, & non manu indiget diligenti. Inclina tandem aliquando aurem cordis tui, & admonitionem pij Medici, etſi dura videatur, libenter excipe; & ſi ardua efficaciter comple, vt ad eum per obedientiæ medicinam redeas, à quo per inobedientiæ morbum receſſeras.] Et ſanè ſicut morales morbi, ſic etiam contrarijs expelli poſſunt corporales. Si laboramus febri, & cauſas alias quęrimus, decipimur, & nec veritas in prętenſa occaſione, nec veracitas in nobis eſt. Comedimus, aut bibimus aliquid, quod nocuerit. Si arguatur quantitas, fauebit abſtinentia, nã ſtomachus ſi nouis nõ grauetur cibis illos ipſos, quib. grauatur digeret. Si arguatur qualitas, etiam proderit abſtinentia. faciliùs enim, & expeditiùs illos corriges, ſi parcè comedas, quàm ſi alios ſimiles, aut minus conuenientes addas.

1936. Dum hæc ſcribo honoro Medicum propter neceſſitatem, & puto contra procedere, qui illi eſt ſine cauſa manifeſta moleſtus. Tolle neceſſitatem, & peccaminoſa erit Iuramenti religio; non enim vult Deus denominari teſtis, vbi non periclitatur veritas. Non aliter. Tolle neceſſitatem, & ceſſabit Medici obſeruantia, & authoritas. non enim vult Deus, vt deſis regulari vitæ, vbi non periclitatur ſanitas.

CAPVT VI.

De Habitu exteriori, & interiori.

Sectio I.

1937. NOn ſit notabilis habitus veſter; nec adſectetis veſtibus placere, ſed moribus. Quando proceditis ſimul ambulate; cùm veneritis, quò itis, ſimul ſtate, In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus nihil fiat; quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem;

1938. Ab imperfectioribus ad perfectiora natura conducente progredimur, & ex habitu externo internam animi compoſitionem iudicamus. Meritò illum, qui minùs modeſtè veſtes ſacerdotales induit, qui corporalia indecentèr plicat, vel explicat, aut irreuerenter caſulam, aliaſque ſacras veſtes deponit, Miſſam deuotè celebraſſe nō credimus; quoniam interior homo in exteriore tanquam in icone relucet, nec videtur poſſibile columnę rectę vmbram eſſe poſſe angularem. Magna fuerunt Patres veteres modeſtia prediti, nec auſi indui veſtibus pretioſioribus. De Doctore Africano, cuius textum exponimus, Hugo Victorinus hęc habet. *Fecit iſte ſanctus Vir, quod docuit. Scriptum eſt enim, quia veſtimenta eius, & calceamenta, nec nitida nimiùm, nec abiecta plurimum, ſed ex moderato, & competenti habitu erant. Ipſe quoq; de ſe legitur dixiſſe, Fateor, quia & pretioſa veſte erubeſco. non decet* (nempè, ipſa) *hanc profeſſionem, nec decet hanc admonitionem, non decet hæc membra, nec decet hos canos.* Nec decet, quod ego vlteriùs progrediar, quovſque ſciam hanc periodum vltimam à ſenibus benè intellectam. quibus ſi ratione ingraueſcentis, & morbis plenę ætatis aliqua indulſerim, veſtes calidiores nonnunquam, ſed nunquam pretioſiores concedam. eorum enim valetudo indiget fomentis non faſtu, quiete, non pretio.

1939. De S. Abbate Benedicto in ſua regula habemus. Capite LV. ſic ait, *De quarum rerum omnium colore, aut groſſitudine non cauſentur Monachi, ſed quales inueniri poſſunt, in prouincia, qua habitant, aut quod vilius comparari poteſt.*

1940. De Mellifluo Bernardo in eiuſdem officio. (Reſp. I. ad Mar.) *Prima virtus viri ſancti, habitus corporis ſui, quod ita compoſitè, & vno ſemper modo agebat, vt nihil appareret in eo, quod poſſet offendere intuentes. Totum in eo diſciplinatum, totum inſigne virtutis, perfectionis forma.*

CAPVT VI.

De Pudicitia interna.

Sectio II.

1941. OCuli veſtri, & ſi iaciantur in aliquam fœminarum, figantur in nullam: neq; enim quando proceditis fœminas videre prohibemi-

bemini,ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle, crimínoſum eſt. Nec ſolo tacito affectu, ſed affectu, & aſpectu quoque appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis, vos habere animos pudicos,ſi habeatis oculos impudicos,quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe inuicem ſibimet etiam tacente lingua conſpectu mutuo corda,nunciant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam in tactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœmina figit oculum, & illius in ſe diligit fixum ab alijs non videri, cùm hoc fecerit. Videtur omninò, & à quibus ſe videri non arbitratur: Sed & ſi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo deſuper inſpectore,quem latere nihil poteſt? ideò putandus eſt non videre, quia tantò videt ſapientiùs, quantò patientiùs? Illi ergò vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminæ malè videri. Illius namque in hac cauſa commendandus eſt timor, vbi ſcriptum eſt; *Abominatio eſt domino defigens oculum*. Quando ergò ſimul eſtis in Eccleſia, & vbicumque fœminæ ſunt, in vicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus enim, qui habitat in vobis etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.

1942. De delectationibus moroſis,quę ſolent ab aſpectu, aut tactu excitari, egi ſuperiùs, accuratè 1022. de quibus hic Doctor Diuinus luculenter, verbis fortiſſimis,non tactum modo,ſed & oculos cohibens. Proderit legere, quę de caſtitate Sanctus Benedictus ſuę Regule capite VII. expendit, & totum illum tractatum, quem ſuperiùs n. 973. interpoſui,vt ſubſtantialis continentię, quam Deo ſolenniter promiſimus obligationes noſceremus.

CAPVT VII.

De Correctione Fratrum.

1943. ET ſi hanc,de qua loquor,oculi petulantiam in aliquo veſtrum aduerteritis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediantur: ſed de proximo corrigatur. Si autem poſt admonitionem iterum, vel alio quoque die id ipſum eum facere videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat quicumque hoc potuerit inuenire: priùs tamen eſt alteri, vel tertio demonſtrandum, vt duorum, vel trium poſſit ore conuinci, & competenti ſe veritate coerceri. Nec vos iudicetis eſſe maleuolos, quando hoc indicatis; magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod velit occultari dum timet ſecari, nonnè crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quantò ergò potiùs eum debes manifeſtare, ne deteriùs putreſcat in corde? Sed antequam alijs demonſtretur, per

quos deuincendus eſt, ſi negauerit, priùs præpoſito debet oſtendi (ſi admonitus neglexerit corrigi.) ne fortè poſſint (ſecretiùs correctus) non innoteſcere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi ſunt alij etiam coram omnibus, vt poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus conuinci. Conuictus verò ſecundnm præpoſiti, vel etiam Præsbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam. Quam ſi ferre recuſauerit, etiam ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur. Non enim hoc fit crudelitèr, ſed misericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat. Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandiſque peccatis diligentèr, & fidelitèr obſeruetur, cum dilectione hominum, & odiio vitiorum. Quicumque autem in tantùm progreſſus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit, ſi hoc vltrò confiteatur, parcatur illi, & oretur pro eo: Si autem deprehenditur, & conuincitur, ſecundùm arbitrium Præsbyteri, vel Præpoſiti grauiùs emendetur.

1944. Egi libro duodecimo, à num. 1675. Benedictini commentarij de Religioſorum correctione, & præcipuè de fraterna illa, quam Chriſtus Dominus inſtituit, & nonnulli valebant ab ordine Ciſterſienſi ablegare. Multa ibi quæ poterunt quibuſcumque ſeruire, & alijs Regulis accommodari: ſed quia impræſentiarum periodos Auguſtinianæ expendo, placet aliquas excitare quæſtiones, quæſtiones, quæ militantibus ſub illa proſint.

1945. *Quæritur primò.* An ſit contra Regulam S. Auguſtini fraterna culparum correctio? & ſi non, An ſit ſecundum illam? & An memorata Regula poſſit omitti?

Reſpondeo, fraternam correctionem culparum à ſancto Legiſlatore expreſsè, & accuratè indici illis verbis, *Et ſi hanc, de qua loquor, vobis oculi petulantiam in aliquo veſtrum aduerteritis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediatur, ſed de proximo* (hoc eſt *ſtatim,*) *corrigatur. Si autem poſt admonitionem iterum, vel alio quoquo die id ipſum id facere videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat* (nempè *Præpoſito*) *quicumque hoc potuerit inuenire: prius tamen eſt alteri, vel tertio demonſtrandum, vt duorum, vel trium poſſit ore conuinci.*

1946. *Quæritur ſecundo.* An poſſit quis ſemel admonitum, ſi relabatur, denuntiare?

Stando Doctoris Africani principijs, quæ Viri doctiſſimi, & Maximi frequenter amplexi, reſpondeo negatiuè. Simillima enim calumniæ denuntiatio; & ſe exponit periculo, qui denuntiat, quæ probari non poterit. non enim videtur ratio occurrere, ob quam ego te denuntiatum à Petro corrigam potiùs de peccato commiſſo, quàm illum de iniuria tibi illata. Sanè cum vtrumque poſſibile ſit, nimirùm, & te peccaſſe, & tibi falſum crimen imponi, vtrùm corrigere debebo denuntiantem, an denuntiatum neſciam, & ne cogar dicere, Poſitus in medio, quò me vertam ignoro, denuntiatorem corrigam, quòd contra inſtitutionem regularem, denuntiare confratrem fuerit auſus antequam habuerit virum, aut alterum conteſtem.

1947. *Quæritur tertio.* Qui intelligi illud *demonſtrandum* debeat? hoc eſt, An ille coram teſtibus debeat confundi, an iſti debeant cautè admoneri, vt illi ignoret?

1948. Mi-

1948. Minime hoc vltimum. Sed debent ita teſtes adhiberi, vt & lapſum videant, & videantur à lapſo hæc enim eſt ſecunda illa correctio, quam noſter Redemptor inſtituit, Matthæi enim Capite XVIII. 15. ſic inquit. *ſi peccauerit in te* (omnia peccata ſunt tibi ſcandalo, adeoque omnia ſi grauia, ſunt in te) *frater tuus* (quicumque proximus eſt frater) *vade & corripe eum, inter te & ipſum ſolum. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos dic eccleſiæ* (hoc eſt, *ſuperioribus*) quæ verba obſcura ſunt, & exſcripta à D. Auguſtino ſtilo aſtro, nimirum ſublimi, ſed obſcuro. & vtraque indigent illuſtratione. Vnde hæc habebitur? Verbis Chriſti erunt illuſtrationi Auguſtiniana, & Auguſtinianis verba Chriſti. Vtraque igitur, breuiter componamus.

1949. Chriſtus ſic, *ſi peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Auguſtinus, *Si......oculi petulantiam in aliquo veſtrum aduerteritis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediatur, ſed de proximo corrigatur.* Hinc patet *peccare in te*, eſſe ita peccare, vt aduertere poſſis. Hinc etiam illud *vade* quod ponitur in Euangelio, ſignificare diligentiam, & æquiualere Auguſtiniano verbo *ſtatim*. Hinc tandem *correctionem fraternam* debere eſſe meram admonitionem, ſecretam, factam nemine audiente, non exprobrandi impetu, ſed vtilitatis intuitu, ne relabatur & impœnitens confratet pereat.

1950. Addit Chriſtus. *Si te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum,* Et Auguſtinus, *Si autem poſt admonitionem iterum vel alio quoquo die id ipſum eum facere videritis, iam velut vulneratum prodat...... vni vel alteri demonſtrandum, vt duorum vel trium poſſit ore conuinci.* Hinc conſtat *primo*, quid ſit *non audire corrigentem*, non eſt dicendus impœnitens & pertinax, qui fraternè correctus de furto, commiſit adulterium, ſed ille vnicus, qui alio die id ipſum facere deprehenditur, ob quod correctus eſt. Conſtat *ſecundo*, quod reſpondendum ſit quærenti, an hi debeant eſſe teſtes delicti, an correctionis. Hanc ego difficultatem moui nu. 1677. reſolui nu. 1717 & quoniam veritas vbique eſt veritas, gaudeo, quod eodem modo reſoluat S. Auguſtinus, affirmans peccatum eſſe vni aut alteri prodendum, ante quam peccator Superiori prodatur. Conſtat *tertio*, hos delicti teſtes debere etiam eſſe correctionis. Satis corrigitur, qui in peccato depræhenditur, & coram viris magnis conuincitur. *Sed non conſtat* an neceſſariò debeat primò adhiberi vnus teſtis, poſtea duo, vtrumq; enim probabiliter poteſt defendi, iuxta ea, quæ diximus nu. 1716. *Tandem*, ſi quis à duobus vel tribus deprehenſus adhuc maneat impœnitens, iubet illum traduci ad Superiores Chriſtus, iubet Diuinus Auguſtinus, vt vel ſic corrigatur.

1951. Hinc patet, quid reſponderi debeat illi diſputationi CXXXVI. quæ inquirit, Quid debeat Abbas facere admonitus de ſecreto peccato impœnitentis Religioſi? quoniam ſi ad mentem Auguſtini admoneatur, dabuntur duo vel tres conteſtes criminis, quibus poterit informatio fieri, ſi contingat eum non velle paternæ correptioni obedire, & ſi non velit priuatim conuerti, poterit ſaltem, vt verbis Diuini Legiſlatoris vtar, duorum vel trium ore conuinci, & competenti ſeueritate coerceri. Quæris tamen, An ſecretò denuntiatum Abbas debeat paternè & ſecreto corripere, an publicè & iudicialiter poſſit? Accuſationem à denuntiatione diſtinguo, doceoque accuſatum debere publicè, ſecretè corripi denuntiatum, quod ſi ſecreta correctio non potuit, via inquiſitionis aut accuſa-

cuſationis procedendum, & reus duorum vel trium conteſtatione conuictus iuxta Regulæ textum emendatoria vindicta condemnandus.

1952. *Sed interrogas*, An omnia iſta cadant ſub conſilium, an ſit vera præcepta? Putaret aliquis, cùm audit Auguſtinianam Regulam non obligare animas, ſed corpora rigori religioſo ſubijcere, hoc etiam caput, ſicut & reliqua conſcientias non concernere; adeoque poſſe, aut correctio fraterna intermitti, aut poſt adhibitam impœnitens non denuntiari. At teneo, duabus te legibus ad huius ordinis obſeruantiam teneri; euangelica, regularique: illa moraliter, hac pœnaliter. hac ipſa prioris obligationem inſinuante, dicenteque. *Nec vos indicetis maleuolos, quando hoc* (Confratris crimen) *indicatis* (Præpoſito) *magis quippe* (hoc eſt *imò*) *innocentes non eſſetis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis.* Sed ne quiſpiam exiſtimet, ſemper ſine perſonarum diſcretione eſſe denuntiandos confratres, legat, quæ ſuperiùs dicta, nu. 1692. 1695. 1697. 1698. & deinceps.

1953. Cur ſub præceptum cadant, qui textum legerit, non tenebitur quærere, ibi enim ratio fortis proponitur ex corporis & animæ proportione deſumpta.

1954. Hanc ipſam legem qui corrigitur ignorare non poteſt, adeoque nec ægre ferre, ſi prudens ſit, ſi vel moneatur euangelicè, vel ſi impænitens & contumax denuntietur. Lego in ſcripturis. *Corripe ſapientem, & amabit te*, & iterum, *ſtultus, ſi corripitur, iraſcitur.* Correctio igitur lapis eſt lydius, aurum à cupro, ſapientem ab ſtulto diſtinguens, nam qui ſapiens fuerit, cum Victorino Hugone dicet, *Summa diligentia inueſtiganda & corrigenda eſt culpa; nam ſi eam non emendamus in hoc ſeculo, damnabimur in futuro. vnde Apoſtolus ait, Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, melius eſt ergo hic emendare culpas, quàm tunc perire*, & ſi corrigatur, gratias aget.

1955. Sed quia Hugo ſumma diligentia inueſtigandam culpam ait, & tu inquiris, Poſſit ne Religioſus examinare confratrum vitas, & inquirere peccata occulta, vt corrigat fraternè? & ratio dubitandi eſt, quia videtur Hugo ſtare pro parte affirmatiua. Reſpondi à n. 1701. Abbatibus & reliquis Præſidibus ſummam (intra prudentiæ tamen limites) diligentiam adhibere perſuadens, & condemnans ſimplicem Religioſum, qui occulta crimina confratrum diſcit. nulla enim debet quærere, nulla inquirere, nulla examinare, ſed ſi vel inuitus aliqua viderit, aut animaduerterit, illa corrigere fraternè.

1956. *Quæris tandem*, Qui debeat procedere Prælatus erga incorrigibilem, nimirum contra religioſum, qui vel non acceptat pœnitentiam impoſitam, vel ſi acceptat tamen non corrigit grauem illam culpam propter quam fuit impoſita? Meritò de graui culpa agis, non enim credis veniales debere tanto ſtrepitu corripi, nec poſſe incorrigibilem dici, qui relabitur in ea quævix vitare poteſt, etſi velit.

1956. b. Reſpondit S. Auguſtinus in contextu, ad cuius mentem ſic in correctione procedendum. *Primò*, Si animaduerteris graue confratris tui peccatum, & relapſum prudenter timeas) ſatis enim correctus eſt, qui non relapſurus præſumitur) debes eum fraternè corrigere, hoc eſt ſecretò admonere reincidentiam dehortando, & pœtentiam perſuadendo. *Secundò*, Si iterum relabatur, tunc poteris cautè vnum vel duos adhibere ad locum vt teſtes eſſe poſſint criminis & correctionem reddant efficacem. Sed & iſtis poteris crimen & perſonam detegere, & orare vt inuigilent? Non puto, quoniam hac via multi diffamarentur innocentes, at poteris eos ad locum tempore opportuno conducere, vt teſtes oculati ſint, nō auriti. *Tertiò.*

Puto

Puto coram teſtibus corrigi præſentia phyſica, ſi iſti adducantur, & præſentia morali, ſi reo inſinues à talibus fuiſſe viſum, & poſſe conuinci ſi accuſetur. *Quartò*, Si adhuc relabatur, & idem peccatum committat, denuntiandus eſt ſuperiori tanquam Patri, vt illum ſecretè moneat, & paterna charitate conuertat. *Quintò*, Si negauerit, debet teſtimonio coerceri, accuſari & conuinci; aut ſi nemo ſubire accuſatoris vices velit, via inquiſitionis procedendum vt ore duorum vel trium conuincatur, & regulari ſubiaceat diſciplinæ. *Sextò*, Si noluerit impoſitam pœnitentiam admittere (non acceptat, qui mores non corrigit; præcipua enim pœnitentiæ pars eſt noua vita) in monaſterio non eſt vlteriùs tolerandus, ergò vel permittendus ire ſi velit, & cogendus ſi nolit. Carceris non meminit S. Pater, quem fortè non cognouerunt illa ſæcula, nam & D. Benedictus illius maceratione ſuperſedens, contumaces & impœnitentes excellendos ſtatuit, ne vnus aut alter *contagione peſtifera plurimos perdat*. Vide quæ de incorrigibilibus à S. Benedicto Cap. XXVIII. LXV. & LXXI. & à me num. 1753. & deinceps dicta.

TEXTVS. *Quicumque in tantum progreſſus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo vel quodlibet munus acceperit, ſi hoc vltro confiteatur, parcatur illi & oretur pro eo. Si autem deprehenditur, & conuincitur, ſecundum arbitrium Presbyteri vel Præpoſiti grauiùs emendetur.*

1957. Duplex epiſtolarum genus eſt, eulogicum & litterale. De vltimo hic Diuinus Hipponenſis Epiſcopus, de vtroque S. Benedictus quinquageſimo quarto ſuæ Regulæ & ego in com. n. 819. vbi diſtinctionem inſinuo, quam teneor hic exponere, vt periodus intelligatur, *Eulogia* ſunt recommendationes, munuſcula, amoris teſtimonia, quod Hiſpanos dicta, *Beſa manos*, *encomiendas*, *memorias*, quæ non indigent litteris, tametſi contingat litteris conſignari. At epiſtola, quæ non aliter quam litteris mitti poteſt, & ſolet, ſeria eſt, negotia grauia tractat, quæ egent & cautela & ſecreto: & hanc *litterarum* nomine ſignificamus.

Legit has Regulæ Auguſtinianæ lineas Hugo de S. Victore, & benigniſſimè interpretatur Auguſtinum, qui non deberet tam ſeuerè execrari, quæ Hugone interprete legitur inhibuiſſe. De eulogijs S. Pater exponitur, qui me iudice nunquam dixiſſet. *Qui in tantum progreſſus fuerit malum, vt occultè munuſcula aut eulogia receperit*, non enim debebat grande facinus credere, quod vix culpam venialem attingit. Agit S. Auguſtinus non de munuſculis ſed de muneribus; non de eulogijs, ſed de ſerijs & ſecretis litteris. Aliud enim eſt iconem & orationes poſtulare aut recipere, & aliud munera, quæ notabilem quantitatem importent. Aliud ſalutari, & aliud impendi in negotijs.

1958. Auguſtinus de materia agit graui, & dilucidari non poteſt verbis Hieronymi ab Hugone citatis. Sic Hugo *Si autem deprehenditur, grauiùs emendetur, quia ſi grauior eſt culpa, grauior competit diſciplina. Grauiter quippe, & mortaliter offendit, qui malum, quod agit, etiam occultat*, & ego qui leuiter peccat & tacet, ſilentij cauſa incurrere peccatum mortale improbabiliter dici exiſtimo; & grauis culpæ reum debere ſe prodere, aliàs grauiter peccaturum decredo. Hugo progreditur, *De occultis litteris & munuſculis S. Hieronymus ita ſcribit. Occultas, inquit, litteras & ſudariola, & crebra munuſcula ſanctus amor non habet. Quiſquis talibus delectatur magna vanitate ſeducitur. & quo plus delectatur infimis, eo amplius eijcitur à ſupernis. ex huiuſmodi autem mala ſolent generari. Sed qui perfectè vitia cauere deſiderat, non ſolum ſtudet, vt ea quæ per ſe (mala) ſunt caueat, ſed etiam illa refugiat, vnde tantum etiam*

vel

vel parua actio, vel mala opinio procedere poſſit. Si tales litteræ talia munuſcula, vt ſecundum ſe malitiam non habeant, aut vt plurimum leuem, & ex illis tantum parua actio, hoc eſt, leuiter mala oriri queat, vnde colliget aut probabit Hugo eſſe mortaliter peccaminoſa? ex Auguſtini textu? minimè. Sanctus enim Pater grauiſſimè rem vrget, quoniam de rebus ipſe ſerijs & grauiſſima materia agit.

1959. Dico igitur vix maiora eſſe in cœnobijs pericula, quàm quæ ex litteris orta. Qua homo non poteſt, tranſit charta, quando ille audiri nequit, hæc legitur; & quoties aut tangitur aut aperitur toties nocere poteſt. & hoc de litteris, quæ recipiuntur, dictum. Loquar de illis, quæ emittuntur ſecuriùs. Si hoc liceat, nemo erit in monaſterio ſecurus; ipſamet traducetur communitas. & afflictus quicumque nebulo, cùm aliter ſe vindicare nequeat, folia onerabit mendacijs, & quot epiſtolas, tot infamatorios libellos, tot falſitatum buccinatores mittet. Hanc ob cauſam religioſis vniuerſis cauentur ſecretæ litteræ, qui enim non vult litteras ſuperiori ſuo manifeſtare, deprehenditur habere extra monaſterium negotia ignota ſuperiori; quæ non debent admitti. Vnde laudandi Ciſtercienſes Hiſpani apud quos vnius menſis graui pœnitentia puniuntur, qui litteras ſecretas miſerit aut receperit (tales enim malæ ſunt, ſæpe quo ad ſubſtantiam, ſemper quoadmodum) nec tamen, ſi epiſtolæ materialiter bonæ ſint, hæc ſecreti circumſtantia creditur moraliter peccaminoſa. ſed pœnitentiæ obnoxia, vt poſſit manuteneri communis authoritatis ſecuritas. Ipſi etiam munera iudicant iuxta quantitatem materiæ. Icones, roſaria, orationes, dantur petuntur ex licentia communi, hæc enim videntur eſſe nullius pretij inter amicos, nec dari vt munera, ſed vt memoriæ; at quod pretium adtingeret, interdicitur, & punitur leuiter, qui rem leuem donauerit aut acceperit ſine licentia; grauiſſimè verò, qui grauem.

CAPVT VIII.

De rerum Communium cuſtodia.

1960. Veſtes veſtras in vnum habeatis ſub vno cuſtode vel duobus, vel quot ſufficere poſſint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et ſicut paſcimini ex vno celario, ſic induamini ex vno veſtiario. Si fieri poteſt, ad vos non pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnuſquiſque quod depoſuerat, an aliud quod alter habuerat; dum tamen vnicuique prout cuique opus eſt, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, & conqueritur aliquis ſe deterius accepiſſe quàm priùs habuerat, & indignum ſe eſſe quod non ita veſtiatur, vt alius frater veſtitur, hinc vos probare quantum vobis deſit in illo interiori ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen ſi veſtra tolleratur infirmitas, vt hoc recipiatis quod poſueratis, in vnum tamen locum ſub communibus cuſtodibus habete quod ponitis, ita ſanè vt nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in vnum fiant maiori ſtudio, & frequentiori alacritate, quàm ſi vobis ſinguli propria faceretis. Charitas enim de quâ ſcriptum eſt, quod non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia com-

communia proprijs, non propria communib, anteponit. Et ideò quantò ampliùs rem communem quam propriam curaueritis, tanto vos ampliùs proficere noueritis, vt in omnibus quibus vtitur tranſitoria neceſſitas, ſupereemineat quę permanet charitas. Conſequens ergo eſt, vt etiam cum quis ſuis filijs aut aliqua neceſſitudine ad ſe pertinentib. in monaſterio, conſtitutis aliquam contulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria, deputandũ, non occultè accipiatur ſed ſit in poteſtate prępoſiti, vt in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit, præbeatur. Quod ſi aliquis rem ſibi collatam cælauerit, furti iudicio condemnetur.

1961. De indumentis ſuorum Religioſorum agit S. Benedictus Regulæ ſuę quinquageſimoquinto, & ego nu. 1620. & quia contingit aliquando ſuperiores non ſatisfacere neceſſitatibus Religioſorum, diſputatione immediatè ſequenti, quæ eſt, CXXIX. inquiſiui, An ſit contra deuotam paupertatem procurare veſtes neceſſarias, quas negauerit Abbas? Et ſuppoſita neceſſitatis veritate reſpondi affirmatiuè, non aliàs: vbi notari volo, non eſſe omnia verè neceſſaria, quæ à pleriſque creduntur, natura enim humana paucis contenta multis rebus non eget. Huius capitis illuſtrationi etiam ſeruient omnia quæ de voto paupertatis ſunt dicta, à nu. 815. ad 973.

1962. Sed quia ſpecialiter ait S. Auguſtinus, *ſi aliquis rem ſibi collatam cælauerit, furti iudicio condemnetur*, addendæ ſunt aliquæ reſolutiones benigniores, quæ aut remittent ſeueritatem huius textus, aut exponent ſuauiùs:

Prima. *Poteſt aliquis dare Religioſo quamcumque pecuniam ad vſum Religioſi liberè & prout voluerit diſpenſaturi* (nimirum dantis nomine) *reſeruans ſibi dominium talis pecuniæ.* Eſt probabilis, vt cõſtat ex ijs, quæ diximus n. 883.

Secunda. *Non peccat contra paupertatem, qui inſcio ſuperiore ab externis pecuniam accipit & libros emit, modò eos habeat in cubiculo expoſitos. Idem à fortiorè dicendum ſi ipſos accipiat libros.* Eſt etiam probabilis, vide num. 886.

1963. Noto etiam aliud eſſe celare rei ſubſtantiam, aliud modum qui enim rem ſine licentia accepit & peccauit, ſi confeſſus egerit pœnitentiam, non tenebitur ſe prodere, adeoque poterit illum modum, nimirum quod rem illam ſine licentia receperit celare, & ſi aliter non poſſit, poterit occultare rem ipſam. ne ſi hæc in Superioris manus veniat eius peccatum detegatur. Sed hic opus prudentia, & ſapientis confeſſarij conſilio, ne indoctus religioſus Scyllam fugiens à Carybdi abſorbeatur.

CAPVT IX.

De mundicia veſtium & corporum.

1964. INdumenta veſtra, ſecundum arbitrium præpoſiti lauentur, ſiue à vobis, ſiue à fulonibus, ne interiores animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus. Lauacrum etiam corporis, cum infirmitatis cogit neceſſitas, minimè denegetur. fiat tamen ſine murmure de conſilio medicinæ, ita vt, etiamſi nolit, iubente præpoſito faciat quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem velit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim ſi noceat, prodeſſe creditur quod delectat. Denique ſi latens eſt dolor in

corpore famulo Dei dicenti quod ſibi doleat, ſine dubitatione credatur; ſed tamen vtrum ſanando illi dolori quod delectat, expediat, ſi non eſt certum, medicus conſulatur. Nec eant ad balnea, ſiue quocumque ire neceſſe fuerit, minùs quam duo vel tres. Et ille qui habet aliquo eundi neceſſitatem, cum quibus præpoſitus iuſſerit, ire debebit. Ægrotantium cura ſiue poſt ægritudinem reficiendorum ſiue aliqua imbecillitate, ſiue etiam febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipſe de cælario petat quod cuique opus eſſe proſpexerit. Siue autem qui cælario, ſiue quæſtibus, ſiue qui codicibus præponuntur, ſine murmure ſeruiant fratribus ſuis. Codices certa hora ſingulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiat. Veſtimenta verò & calceamenta quando fuerint indigentibus neceſſaria, dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt quæ poſcuntur. Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira creſcat in odium: & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam: Sic enim legitis: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.*

1965. Munditics virtus eſt, ſed debet ſuos habere terminos, illos enim qui nimirum candidas aut pexas veſtes habent duplici arguimus culpa; otio & rerum terrenarum amore: non enim tanta diligentia curarent veſtium pulchritudinem nitoremque ſi maioribus eſſent intenti; imò nec in ipſo otio, in nimio perfectionis terrenæ amore laborarent. Vnde laudandus omnino eſt Regulæ.

TEXTVS. *Indumenta veſtra ſecundum arbitrium præpoſiti* (non ergo ſecundum diſpoſitionem ſingulorum) *lauentur, ſiue à vobis, ſiue à fullonibus, ne interiores animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus.*

1966. Hæc lex apud Ciſtercienſes in vſu. Die Sabbati vniuerſi ad lauatorium veniunt, & ibi ſua induſia, tegularia & caputia breuia lauant excepto nemine. actus enim mortificationis & humilitatis iſte eſt, & debent ſeniores viam præire. habetur tamen hæc ſenectutis ratio vt iuniores, cùm ſua abluerint, iuuare reliquos in ſummo ſilentio permittantur. Et hic eſt labor manuum pomeridianus illius diei, quoniam ante meridiem labor manuum reſpicit locorum regularium, quæ ſæculares non poſſunt ingredi, munditiem, & ideo poſt primas clauſtra, dormitoria, ſuperiora, inferiora ſcopis expurgantur, minimum à Conuentualibus, Præſidibus, Abbate, & etiam Diffinitoribus, aut quibuſcumque Ordinis Primoribus, qui pro tempore degunt in monaſterio.

Cum togæ, cucullæ aut veſtes quæcumque maiores ſunt lauandæ, licentia petitur, & ſi videatur conuenire conceditur; non tamen poterunt alibi, aut aliter.

TEXTVS. *Lauacrum etiam corporis, cùm infirmitatis cogit neceſſitas, minime denegetur.*

1967. Suauius adhuc S. Benedict. Cap. XXXVI. *Balneorum vſus infirmis, quoties expedit, offeratur: ſanis autem & maximè iuuenibus, tardius concedatur,* concedit enim etiam ſanis, tametſi rarò; quibus non videtur balneorum vſum concedere Auguſtinus.

1968. Sæpe ego olim in Hiſpania aut in Belgio etiam mirabar, balnea tam ſtrictè à Regularum ſcriptoribus fuiſſe interdicta, non enim mihi videbatur abſurdum, non modo valetudinis, ſed etiam honeſti refrigerij ratione fluuium in loco ſolitario & ſecuro ingredi, & lauari, at Belgium, & Germaniam aduenichs,

niens, incæpi intelligere, quæ Religioſis cauta. Dantur loca promiſcuo populo communia, vbi omnes nudi, ſi non inſoleſcunt ſtulteſcunt, quæ honeſto viro concedi non poterunt, & tamen ſi neceſſitas vrgeat vitæ conſeruandæ gratia etiam ſolent à Viris magnis & ſanctis frequentati; alia nimirum hora, alia die, ſed maioribus omninò expenſis; & de his ego balneis egiſſe Patriarchas intelligo; non tamen de illis, quæ ſine authoritatis diſpendio, aut conſcientiæ periculo poſſunt admitti honeſti ſolaminis cauſa.

TEXTVS. *Etiam ſi nolit* (Religioſus) *iubente Præpoſito, faciat quod faciendum eſt pro ſalute* (*de conſilio medicinæ*) *ſi autem velit, & forte non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur.* Legis, & quæris.

1969. An Religioſus ſub Auguſtiniana Regula militans teneatur vti medicinis ante Præpoſiti præceptum? & ſi non, An ſaltem Abbate præcipiente? An contra proprium dictamen?

Reſpondeo, nullum Chriſtianum teneri vti medico vel medicinis; nam non volumus eſſe ſanctiores Paulis, Antonijs, Hylarionibus, & alijs ſanctiſſimis Viris; qui longæuam egerunt vitam, & tamen pharmacopolas non habuerunt. Bernardus meus, & multi iunioris æui ſancti noluerunt vitas ſuas committere Medicorum inſcitiæ, ſatius iudicantes committere illam Deo. Quamobrem cum ex vna parte videam tantorum Hominum præclara exempla, ex altera medicinæ ipſius incertitudinem, & illius certæ aut incertæ ſummam apud noſtros medicos ignorantiam, ſtatuo neminem teneri vti pharmacis nec conſulere medicos: ſed prudenter procedere, ſi ſe Dei clementiæ commendet, & malit diuinitùs à Domino, quam humanitùs occidi à medico.

Poſito Superioris imperio; tenebitur Religioſus obedire, niſi in caſu quo prudenter putet aut ſciat medicinam illam ſibi graue nocumentum illaturam.

Addo tamen, ſi tantum probabiliter timeat, & Prælatus ex Medici conſilio procedat, teneri iuxta S. Auguſtini Regulam obedire vt conſtat ex textu, quem expendo. quem medicinas accepiandi rigorem obligationemque non video in Benedictina expreſſum.

TEXTVS. *Aliquando enim licet noceat, prodeſſe creditur, quod delectat.*

1970. Pulchra quidem periodus, & non phyſicè modò, ſed etiam moraliter vera. Vel dicito, cur homini tamerſi ſancto, non permittitur in cauſa propria iudicare? An præſumetur ſententiam contra iura laturus? minimè. Quid ergo? Arcetur a iudicio, ratione amoris proprij, & complacentiæ, quibus ita aliquando excæcamur, vt illa ipſa quæ in Ius impingunt euidenter, cohærere cum Iure credamus.

TEXTVS. *Si latens eſt dolor in corpore, famulo DEI dicenti, quod ſibi doleat, ſine dubitatione credatur.*

1971. Non intelligo. An præcipit Superiori Auguſtinus, vt credat etiam quando habet rationes decredendi? Si hoc, præcipit eſſe ſtultis. nemo enim vir prudens adſenſum præbere poterit, vbi dantur rationes cohibendi. Lego Hugonem Victorinum & iuuor. Ipſe enim *Famuli* DEI nomine, non quemcumque intelligit Religioſum, ſed pium benemoratum, & veracem. Iudicia igitur temeraria inhibet S. Pater, non prudentia. nam ſi pius Religioſus, qui ſine querela agit in monaſterio, & chorum ſtudioſè frequentat, incipiat conqueri, & morbo ſecreto & latente, debet omnino audiri, nec mentiri credendus. Quod ſi viderim prius fuiſſe leuem in verbis, tepidum in actionibus, rerum regularium incurius? Si choro libenter abſuerit, ſi notatus cauſas quærere ne communi diſtrictioni ſubiaceat, mihi dixerit non poſſe adire eccleſiam propter latentem morbum, ridebo, & indulgebo prima vice, fortè etiam ſecun-

da incredulitate non obſtante: ac tertia irrationabiliter poſtulatam licentiam ex cauſa denegabo ; quoniam grauiſſima negandi cauſa eſt ; quod illa ſine cauſa petatur.

TEXTVS. *Nec eant ad balnea, ſiue quocumque ire neceſſe fuerit, minus quàm duo vel tres. Et ille qui habet aliquo eundi neceſſitatem, cum quibus Præpoſitus iuſſerit ire debebit.*

1972. Angelus ab Angelo differt dictamine, finiti enim ſunt ; & poſſunt duas bonitates diuerſimodi apprehendere. Differt ab homine ſancto homo, etiam ſanctus. Multæ olim inter Barnabam & Paulum diſſenſiones, aliquæ inter iſtum & Petrum, & tamen omnes ex zelo & Dei amore natæ. Diſtulerunt in plurimis Hieronymus Auguſtinuſque, & tamen vterque erat ſanctus. Et in hoc ipſo textu dictaminum diſcrimen video & inquiro, An religioſi debeant egredi bini, terni, aut ſoli?

Binos ternoſue vult mittere S. Auguſtinus, ſingulos D. Benedictus. & vtraque pars magno ſuffulta patrocinio in genere æquè iudicanda probabilis.

Conſultò dixi, *in genere*, in ſpecie enim, vnuſquiſque Superior debet dimittere ſuos ſubditos iuxta morem & conſuetudinem ſuæ Religionis.

Nec rationes pro alterutra parte conuincunt. Nam ſi mittuntur duo, ne alter audeat facere quæ ſolus faceret, adeoque ſodalis reuerentia aut timore compeſcatur ; melius & ſanctius eſſet vtrumque retinere domi, ſi neuter talis, qui poſſit ſolus mitti.

Si Chriſtus miſit binos & binos Diſcipulos ante faciem ſuam, & eius exemplo videantur mittendi bini & bini. Idem etiam Chriſtus ſingulos Apoſtolos legnuitin diuerſas prouincias, & non binos & binos ; & religioſi, quoniam vitam apoſtolicam agunt, deberent vt Apoſtoli mitti.

Si duo neceſſarij non ſunt, cur duo mittentur? cur duo aberunt choro, ſine neceſſitate manifeſta?

Dixerit Salomon, *Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habebit ſublimantem.* id tamen de Religioſo non dixerit ; nemo enim mittendos, qui caſurus præſumitur ; & qui caſurus non eſt, non eget comite ſubleuaturo. Accedit, quod in catholicorum prouinciis vbique ſint eccleſiæ, vbique confeſſarij, vbique Dei orandi & celebrandi commoditas, adeoq; ſolus nemo poſſit vocari, qui inter homines Chriſtianos viuit. [Vide Templariorum Regulæ cap.XXXV.]

Ex hypotheſi tamen, quod iuxta mores laudabiles ordinum medicantium bini mittantur, tenenda omnino erit S. Auguſtini ſanctio: videlicet, *Vt ille qui habet aliquo eundi neceſſitatem, cum quo vel quibus Præpoſitus iuſſerit ire debeat.*

TEXTVS. *Aegrotantium cura, ſiue poſt ægritudinem reficiendorum, ſiue aliqua imbecillitate ſiue febribus laborantium, vni alicui debet iniungi.*

1972. b. Iubet hic S. Doctor in ſingulis communitatibus eligi infirmorum Magiſtrum, cuius officij ſit curam illorum gerere, qui morbo actuali aut habituali laborant. De cuius electione & officio egi nu.1623. exponens textum Benedictinæ Regulæ ex capite XXXI.

TEXTVS. *Siue autem, qui cellario* (& ipſe eſt *Cellerarius*) *ſiue qui veſtibus* (videlicet *Veſtiarius*) *ſiue qui codicillis* (*Bibliothecarius*) *præponuntur, ſine murmure ſeruiant fratribus ſuis.*

1972. De Cellerario egi ad Caput XXXI. Regulæ Benedictinæ nu.1609. & deinceps. Veſtiarius ſubcellerarius eſt, & iuxta S. Benedicti Lexicon *Cellerarij ſolatium*, hoc eſt, miniſter ſociuſve. Vide num.1610 & caput Benedictinæ Regulæ L V. Sanè codicum & Bibliothecę meminit S.Benedictus Reg. capit.XLVIII. quam etiam videtur cellerario committere. nos vnum denominamus qui illum ab iſta cura ſubleuet, & li-

& librorum vniuerſorum curam habeat. Quia S. Auguſtinus illud, *ſine murmure*, poſuit, quid murmuratio, & quantum eſt peccatum, inquiris. Et ego te amando ad n. 1808.

TEXTVS. *Extra horam qui petierit, non accipiat.*

1972. d. Eſt vna linea prudentiſſimè ſcripta, & in Communitatibus magnis maximè neceſſaria. Oeconomus, qui multis debet ſeruire, non habebit horam liberam, vt negotijs, & rebus domeſticis inuigilet, ſi debeat eſſe ſemper paratus, vt ſingulos, cùm volunt, audiat. Hora determinanda omninò, qua conueniri poſſit, & omnia neceſſaria certa hora ſingulis diebus petantur, & qui extrà horam illam aliquid petierit, non accipiat. Conſonat Auguſtino Benedictus Capite XXXI. ait enim, *Horis competentibus* (nempè iam adſignatis) *dentur, quæ danda ſunt, & petantur, quæ petenda ſunt, vt nemo perturbetur, neq; contriſtetur in domo Dei.*

TEXTVS. *Lites, aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca & animam faciat homicidam: ſic. n. legitis, qui odit fratrē ſuum eſt homicida.*

1972. e. Lites nullas habere conſulit, ſed quia propter hominum improbitatem, quibuſcum degimus, hoc eſt non nunquam impoſſibile ſuadet, vt ſi lites habere contigerit, ita tractentur, vt breuiter ſententiam habeant. At hoc ipſum in noſtra poteſtate non eſt, nam videmus non rarò promoueri ad Senatum teſtudines, & cauſas vniuerſas protrahere, neç velle ſententiam proferre. & quia non eſt in noſtra poteſtate, non præcipitur à Sanctiſſimo Legiſlatore, ſed ſuadetur, vt quantum poſſimus res ipſas promoueamus, vt citò ſimus à difficultatibus liberi.

1972. f. Et quia caput clauditur illis verbis, *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, tu inquiris, an non differant odiſſe, & occidiſſe? Et reſpondeo, hoc teſtimonium eodem omninò ſenſu intelligendum, quod iſtud, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam iàm eſt mœchatus in corde ſuo.* Quoniam ſicut concupiſcere eſt mœchari in corde ſuo, ſic etiam odio habere eſt in corde ſuo occidere. igitur, qui odit proximum ſuum, affectiuè homicida eſt.

CAPVT X.

De venia poſtulanda, & offenſa remittenda.

1973. Qvicumque conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læſerit, meminerit ſatisfactione, quàm citiùs curare, quod fecit, & ille, qui læſus eſt, diſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe læſerint, ſibi debita relaxare debebunt, propter orationes veſtras, quas vtique quantò crebriores habetis, tantò ſanctiores habere debetis. Melior eſt enim, qui quamvis ſæpè tentetur ira, tamen impetrare feſtinet, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam, quàm qui tardiùs iraſcitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur; Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiamſi indè non proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite. Quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vndè facta ſunt vulnera. Quando autem neceſſitas diſciplinæ in moribus cohercendis vos dicere dura verba compellit, ſi etiam ipſi mo-

mo dum vos exceſſiſſe ſentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis ſubditis veniam poſtuletis, ne apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimium ſeruatur humilitas, tegendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda eſt venia ab omnium domino, qui nouit eos, quos plus iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.

1972.b. Totum hoc ſanctæ Regulæ caput pacis conſeruationi proſpicit, quâ magna D. Benedictus induſtria in cordibus omnium implantat. Et quia reprehenſiones, & defenſiones magnarum difficultatum ſunt cauſæ vtraſque priuato Religioſo interdixit Regulæ cap. LXIX. & LXX. (vide num. 1727.) & in capite XVIII. Ordinis viuendi monaſticè, *Non detrahat quis, aut detrahenti conſentiat. Pacem inter ſe ſeminent Fratres, non diſcordiam, ſæculorum fabulæ longè ſint ab eis*. Vide num. 18.

TEXTVS. *Qui autem non vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiam ſi inde non proijciatur.*

1973.c. Et commentario huic erit periodo S. Benedictus Regulæ Capite LXXI. vbi ait, *Si quis autem frater pro quavis minima cauſa ab Abbate, vel à quocumq; priore ſuo (* hoc eſt, ſeniore ſe *) corripitur quolibet modo (* hoc eſt, iuſtè, aut iniuſtè, regulariter, aut irregulariter *) vel ſi leuiter ſenſerit (* leuiter ſentire eſt ſuſpicari coniectari *) animum prioris (* ſenioris ſe *) cuiuſcumq; contra ſe iratum, vel commotum, quamvis modicè, mox ſine mora tamdiu proſtatus in terra ante pedes eius iaceat ſatiſfaciens, vſq; dum benedictione ſanetur illa commotio. Quod ſiquis contempſerit facere, aut corporali vindictæ ſubiaceat, at ſi contumax fuerit (* hoc eſt, acceptare noluerit pœnitentiam impoſitam, cuius prima, & præcipua pars ſit proſterni ad illius ſenioris pedes, & miſericordiam orare *) de monaſterio expellatur.*

TEXTVS. *Quando autem neceſſitas diſciplinæ in moribus coercendis vos dicere dura compellit, &c.*

1973.d. Hic ſatisfacit Doctor Diuinus Quæſtioni illi, quæ inquirit, Quæ debeat facere ſuperior, ſi in modo correctionis exceſſerit? An à ſubditis petiturus ſit veniam? An debeat Deo dicere Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci; quæſo vt iuſtificeris (in hiphil, iuſtum eſſe me facias) in ſermonibus tuis, & vincas (paſſiones meas) cum iterum (ore meo) iudicaueris? Affirmatiuè reſpondet S. Auguſtinus, & rationem adiungit, cui viro ſummo, & ob illam ipſiſſimam rationẽ ſubſcribo, ſupponendo nimirùm exceſſum non fuiſſe ex odio, aut ex maleuolentia, ſed ex indiſcreto zelo religionis, & honoris diuini intra terminos veracitatis. Non grauabor tamen referre quid Ciſtercienſes faciant. Sancto die Veneris Abbas in capitulo ſe apud ſuos excuſat, ſi ex indiſcretione peccauerit, & verbano ſermone ſe vniuerſos diligere aſſerit, & intenſius amaturum promittit, & quia homo & imperfectionibus etiam obnoxius potuit exceſſiſſe in aliquibus proſternitſę in terram, & ab vniuerſis veniam petit, adhuunt piæ petitioni religioſi ſe etiam in terram proſternendo. [An poſſit Prælatus ita in correctionibus excedere, vt & peccet mortaliter, exposui n. 1733. 1734.]

CA-

CAPVT XI.

De Obedientia.

1974. PRÆPOSITO tanquam patri obediatur; multò magis Presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit. Vt ergò cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid ſeruatum minus fuerit, non negligentèr prætereatur; Sed vt emendandum, corrigendumque curetur: ad præpoſitum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum, cui eſt apud vos maior auctoritas, referat, quod modum, vel vires eius excedit. Ipſe verò, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente fœlicem. Honore coram vobis prælatus ſit vobis, timore coram Deo ſubſtractus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Diſciplinam libens habeat, metuendus imponat: Et quamvis vtrumq; ſit neceſſarium, plus tamen à vobis amari appetat, quàm timeri, ſemper cogitans Deo ſe pro vobis redditurum eſſe rationem: vndè vos magis obediendo non ſolùm veſtri, ſed & ipſius miſeremini, quia inter vos quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur.

1975. De obedientia prima, & neceſſarijſſima omnium virtutum, cur S. Auguſtinus ſub finem ſuæ Regulæ differit? Alij aliter. ego diſcurro ſic. Cenſuit Diuinus Doctor obedientiam formam virtutum reliquarum, & quia forma eſt vltima, & conſtitutiua perfectio, ſic illam vltimo loco voluit explicare. Non enim bene ſub initium, cùm eò vniuerſa tetenderint, vt benè obedire diſcamus. vt operemur regulariter, & nobis humilis obedientia ſit finis.

TEXTVS. *Præpoſito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium veſtram curam gerit.* Ac ſi diceret. Obediatur Præpoſito, aut Priori, at maioris omninò fiant Prouincialis Imperia, & ſupra inferiorum omnium Prælatorum mandata voluntas Generalis. Non vrgeo textus voces, rem teneo.

Qualitates Superioris enumerat fœlici calamo, & ſingulas Capiti II. Benedictinæ Regulæ correſpondentes.

De obedientia agit S. Benedictus ſuæ Regulæ Capite V. LXVIII. LXXI & Capite VII. in ferè omnibus gradibus humilitatis. An Religioſus teneatur obedire ſuo Prælato ſecundùm Regulam ad litteram, & rigore ſumptam, expoſui à num. 624. & addidi tractatum copioſum de obedientia à num. 690. ad 815. & quia ſolennis obedientiæ obligatio Auguſtinianis Benedictinis eſt communis non occurrit quid debeat, aut poſſit addi in particulari.

CAPVT XII.

De iugi Regulæ meditatione.

1976. DOnet Dominus, vt obſeruetis hæc omnia, tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona conuerſatione fragrantes: non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gra-

tia conſtituti. Vt autem in hoc libello tanquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem ſibi quicumq; veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro, orans, vt ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

1977. Obliuioni mandari non poterit hæc Regula, ſi ſingulis ſeptimanis legatur. An tota ſimul? an ſingulis diebus duo capita? Hoc vltimum videtur conuenientius, nam, & Benedictini ſic faciunt, qui ſingulis diebus in conuentuali capitulo vnum Regulæ legunt, & exponunt.

Meritò à Diuino Doctore hæc Regula vocatur ſpeculum, nam in ea ſiquis quotidie actiones ſuas examinet, quid perficere, & quid corrigere debeat cognoſcet.

1978. Hanc Regulã nulli, quod ſciam ſe ſeruaturos pollicentur, ſi facerent tenerentur grauiter ad ſingula grauia, leuiter ad leuia, & hoc antè præceptum Superioris: at ipſi promittunt obedientiam ſecundum iſtam Regulam, adeoq; ipſi ad ſuam, non aliter tenentur, quàm nos Ciſtercienſes ad noſtram; cohærent enim formulæ profeſſionis, & conſentiunt interpretes. Benedictinus ſic. *Ego Frater N. promitto ſtabilitatem meam, conuerſionem morum meorum, & obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti, &c.* Et ſimiliter apud Patres Heremitas Auguſtinianus *Ego Frater N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, & tibi Generali Priori Fratrum Heremitarum Ordinis S. Auguſtini, & Succeſſoribus tuis; viuere ſine proprio, & in caſtitate ſecundum Regulam S. Auguſtini, vſq; ad mortem.* Sic habetur Capite XVIII. Conſtitutionum eorumdem Patrum, quæ ſub finem afferuntur confirmatæ in Capitulo Generali celebrato in Vrbe-veteri anno Domini 1287. & Florentiæ anno 1288. & Ratiſponæ ann. 1289.

1978.b. Sed vt hanc ipſe profeſſionem intelligas, inquiris: Quæ-nam illa obedientia ſit, quæ ab Auguſtinianis Beatiſſimæ Dei Genetrici promittitur? Nihil ipſa vnquam, quod canonicè ſciamus, præcepit, nihil eſt præceptura; fruſtrà igitur illi obedientia promittitur.

Reſpondeo tamen, illa verba, *Promitto obedientiam Beatæ Virgini*, eſſe æquiuoca, & poſſe bifariam exponi; nam vel poſſet dici illa verba æquiualere his, *Ego polliceor, quòd obediam Beatæ Virgini*, vel his, *Ego polliceor B. Virgini, quòd obediam Generali, &c.* & teneo ſecundo eſſe ſenſu accipienda, non primo.

1979. Legis illud *vſq; ad mortem*, & inquiris, An ſi aliquis Religioſus ex defunctis miraculosè reſurgeret, eſſet votis obſtrictus, An verò ita liber, vt ducere poſſit vxorem?

Pro libertate ſtat apud Auguſtinianos formula profeſſionis, quæ enim vſq; ad mortem promiſſa non debent vltra mortem ſeruari. At credo ſubtiliorem hanc ipſam expoſitionem, quàm ſolidiorem eſſe, & implicitam profitentis voluntatem non eſſe ducendi vxorem, ſi à mortuis miraculosè reſurgeret. quod ipſum egeret examine. Quod ſi ille Religioſus etiam eſſet Sacerdos, eſſet nouæ diſputationis occaſio, quoniam Eccleſia votum illud implicitum coniungi Sacerdotio voluit, & ille excitatus à mortuis non deberet baptizari ſecundò, nec iterum ſacris initiari. Omnia ſunt difficilia; non tamen hæreo, nullus enim ſacerdos reſurrexit à mortuis, cuius interſit, vt in huius dubij deciſione tempus aliàs neceſſarium teramus.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

Pars Sexta.

COMMENTARIVS IN REGVLAM S. FRANCISCI.

1980. Multi ſunt Franciſcani Ordines, nec omnes ſub eadem diſciplina. Puram enim Regulam tenent Fratres Minores, Capucini, & ferè omnes alij, ſi Conuentuales excipias, qui ex Priuilegio Pontificio aliqua mitiùs interpretantur. Fratres de Pœnitentia, quos Tertiarios dicimus, in agentes vitam communem, & etiam ſpecialem, priuatim diuiduntur, & vtrique ſanctiſſimè viuunt, & habent Regulam agentes, vt n. 2000. & 2045. videbimus.

REVERENDISSIMO DD.

BERNARDO CAMPMANS.

Olim Dunenſis Monaſterij Antiſtiti Summi Pontificis, & Ordinis authoritate per Belgium Viſitatori Generali.

Iam, vt voueo, Cælorum Incolæ, Amico optimo, Cultum, imitationemque.

Ad Empyreum.

DEliquium Me Iudice Pateretur Natura, ſi exlex eſſet; ætherei fornicis ſplendor, ſyderum decus, & ſpherarum pulchritudo decircinaretur, ni ſubſiſterent legi adamantinæ: & quia didici, ſicut de Naturalibus, ſic etiam de Moralibus philoſophari, dabo Moralem Mundum, & in illo Solem, Cœlos, Sydera, Legesq; alterationum incapaces. Gratia namq; Mundus intelle-

telle&ualis eſt,habet ſuos Cęlos,quos & intemeranda Regula, & ineffabili conſilio manuducit; Cęlos, inquam, Dei gloriam immenſam enarrantes: tales ſunt Melliflui mei Doctoris [ſer. 17.in cant.] cenſura Religioſi. Cęli, qui ſi carerent lege,& Regula, omninò exorbitarent.

An Mundus Heliocentricus ſit, an Geocentricus diſceptarunt Veteres; recentiores examinant, & controuertunt. Ariſtarchus Samius motuum immunitate donat Solem; Hipparchus Terram, alij neutrum, alio ſydere in centro rerum conſtituto. Sanè vbi quæſtio eſt de Mundo materiali, ipſi examinent, aut ſi malint, decircinent. Ego enim Mundo Monaſtico adſcribam centrum SOLEM, Monachorum Patrem, & Ducem BENEDICTVM; ſubſcribens meæ Hildegardi,quę in Prologo Commentarij ſui in Regulam Benedictinam, ait, *Acutum clauum doctrinę, nec nimis in altum, nec nimis in profundum, ſed in medium* (hoc eſt, in centrum) *Rotę* (ſphęræ) *fixit*, vndè intelligi poteſt Eccleſia, quæ ait in ſolenni huius Doctoris officio, *In medio* (hoc eſt,in centro) *Eccleſię aperuit os eius*. Hunc ergò Benedictum Solem complectuntur,ſuſpiciunt,imitantur tot Cœli, quot Congregationes. Omnes eumdem circulum peragunt, ſed differunt intelligentia, creditur enim probabilitèr Cœlis ſingulis diuerſas Intelligentias eſſe. Eadem Regula, eadem lege ducitur Caſſinenſis, qua Cluniacenſis,Ciſtertienſis,& reliquæ:ſed quia Intelligentia eſt alia, aliàs motus intenditur, aliàs remittitur: hic metimur orbitæ latitudinem, ibi Planetæ retrogreſſum. Omnes conuertunt ſe ex præſcripto SOLIS-BENEDICTI, quem qui arctiùs ſtringunt, per virtutum gradus velociùs, & fęliciùs adſcendunt. Proximus BENEDICTO meus Bernardus proficiebat de virtute in virtutem per Zodiacum transnaturalem. Illi adpropiabat ſęculi abrenunciatione,prerogatiuiſq; ſubſtantialibus, accedebat velociſſimis virtutum paſſibus, & adnexum arctiorem anhelans, væ mihi, ait, [in ſerm.de S. Benedicto] ſi tàm longè à te fuero. O Beate BENEDICTE in futuro, quàm à tuę veſtigijs ſanctitatis longè eſſe reperior in præſenti. Sed cur Bernardus ambit periodo breuiſſima circumdare BENEDICTVM SOLEM? Vt euadat ſimilis SOLI, ſimilis BENEDICTO,& quidam in hac ipſe pia ambitione profecit, & obtinuit, quòd fulgeretur Sol, & ab omnib. benediceretur.Lego in eius officio.*Opera S. Patris velut Sol in conſpectu Dei*. Mellifluus enim Doctor non eſt SOL, ſed SOLI ſimilis;non BENEDICTVS, ſed ſimilis omninò BENEDICTO. Omnes imitamur Bernardum: & vtinam ita omnes illum,ſicut ipſe BENEDICTVM ſuum. Sub Crucis ſigno militamus, Deum SIGNIFERVM ſequimur, & quamdiu non diſcedimus à veſtigijs Signiferi, nullas exorbitantias committimus.Si igitur omnes Crucigerum CHRISTVM adſequuturi ſimus,cur circulos maiores Doctor Mellifluus reſpuit,& intimam periodum adfectat? ſatisfiet controuerſiæ, ſi exhibeatur, exprimaturq; Religionis, & ſęculi diſcrimen.Differunt à Laicis Religioſi, quia illi quidem Signiferum agunt,

ſed

ſed motu irregulari, Cometarum, & meteororum inſtar: Religioſi regulari procedunt; Planetæ ſunt, ſed leuiter errant; & Mellifluo meo Doctore teſte, Regulam habent, rariùs cadunt, citiùs reſurgunt, & tandem feliciter periodum abſoluunt. Omnes SOLIS-BENEDICTI Regula exemplo, vita, ducuntur, illuſtrantur. Qui Soli, lucis ſcaturigi, & motuum fonti propiores ſunt, illuſtriores euadunt, & per viæ compendium iter ſuum citiùs, & velociùs conficiunt, qui à SOLE-BENEDICTO diſtant, feruore exanimi, vacillanti animo, & greſſu teſtudineo feſtinant. Omnes eadem Regula, eadem Lege per SIGNIFERI-CHRISTI iter ducuntur, ſed non omnes illam eodem modo intelligũt, & interpretantur. Feliciores, expeditiores, illuſtriores illi ſunt, qui reguntur Intelligentia ſinceriori: tardiores, qui excurſum liberiorem admittunt. Intelligentiæ ſpirituales quidem ſunt: & donec improbabiles euadant, à Signifero Chriſto non deuiant. Vna quidem omnibus Regula, vna vbique promiſſio, finis ipſiſſimus; ſed quia non eſt omnibus eadem cordis intentio, nec eadem Legis indictæ Intelligentia, poteſt indubitanter ſine detrimento ſalutis, & ſine damno profeſſionis, operis quoque non vna vbique obſeruatio celebrari. [De præcepto, & diſpenſ. ſic concludit Bern.]

Diuerſæ equidem Intelligentiæ (Præſul Reuerendiſſime) Benedictinas Congregationes Mundi huius intelligibilis Sphæras nobiliſſimas promouent, quæ emanarunt à Doctorum ideis, qui legem noſtram illuſtrarunt. Hic ſeueritati ſtuduit, ille benignitati, iſte contemplationi, alter litteræ, nonnullus ſpiritui, & rigori; omnes tamen collimarunt in gloriam. Succeſſi, Te iubente, qui nec ſeueritati, nec benignitati, ſed veritati vni inſudaui. Reſtitui Intelligentiam illam veterem, quæ BENEDICTO SOLI proxima, Ciſtertienſis direxit. Periodum circinaui, quam alij anomalijs argumentis, & proſtaphæriſibus interturbarunt; deſcripſi tabulas Cœlo (vt exiſtimo, & Tu iam bene ſcis Legiſlatore ipſo conſulto) bene correſpondentes, & SOLIS Monaſtici, qui cordi, & centro inhæret, ſanctiſſimam mentem expoſui. Nec potui, nec volui alium Mecænatem eligere, quàm Te, qui vt vmbra corpus, ſic ſequeris veſtigia BENEDICTI. O quàm multa de virtutibus tuis potui ſub illud tempus dicere? ſed malui laudum cenſeri auarus, quàm prodigus, candor enim dicenti liberiùs ſiccitatis, quàm adulationis damnatur. Non eras, qui laudari permitteres: nec eram, qui Tibi vellem diſplicere. Nunc verò ad Regionem immortalem tranſlatus, ſine periculo elationis audire Tuas virtutes poteris, & ego ſine ſuſpicione referre.

Incipiam à cultu Diuino, cui ita aſſiduus, vt viginti annorum ſpatio (tot præfuiſti) ne vna quidem die adfueris monaſterio, abſfueris officio matutino: nam & morbos deuotione viciſti, & occupationes ſtudio virtutis ſuperaſti. Celebrando in Eccleſia quotidie illam carpebas (dicam impietatem an hæreſim?) quæ

protrudit relaxationem meam ſub colore authoritatis ſpecioſo. A morbo præoccupatus mortifero, ſummo labore ad Templum, aut ibas, aut reptabas; nec aliter, quàm quartò, aut quintò in via breui ſedendo, & tamen tanta corporis afflicti debilitas non erat Tibi impedimento, vt laudibus diuinis intereſſes. Et tandem ſimilis eneruato, damnatus lecto, in tribus nobis erat exemplo. Dormiebas enim veſtitus iuxta vigeſimum-ſecundum Regulæ, & iuxta trigeſimum-ſextum abſtinebas à carnibus, & iuxta quinquageſimum canonicas horas legebas: cum tamen certum ſit non moribundos modò, ſed, & debiles Legiſlatoris authoritate deobligari. Pridie obitum ſex horæ integræ in Officij lectione impenſæ turbarunt Medicum, vt Te priùs, & quia fruſtrà, Me conueniret anxius, & inducias regularium obſeruantiarum peteret, ne impediretur ſalutifex herbarum actiuitas. Adquieſco, aduenio Te, & expertiſſimi Doctoris prædeterminatus iudicio, vt amicus oro, vt Pater ſpiritualis præcipio, ne corpus morbo tanto grauatum Regulari obſeruantia proſternas. Medici quærelas propono, filiorum fuſas lachrymas repræſento. Tu mihi multa fortia, quæ referam ad litteram, ſi Tuo ſpiritu præditur ſenſum ſequar, & grauiſſimè dicta corrumpam ſtili negligentia: aut fortè non corrumpam, quia veritas non corrumpitur ſinceritate, ſed ornatu. *Scio, ais, nullam DEO gratiorem victimam obedientia, adeòque obedire paratus iuxta ſexageſimum-octauum Regulæ impoſſibilitatis Ego mea cauſam patienter, & opportunè ſuggeram, non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo, præceptum enim mihi impoſitum videtur vires excedere hominis moribundi. Quòd ſi poſt ſuggeſtionem meam Domine in priori ſententia perdurateris, ſciam ita mihi expedire, & ex charitate, confidens de adiutorio DEI, promptus, & paratus obediam. Impræſentiarum igitur, ne adquieuerim medicis, hæc ratio. Ipſi vnius corporis ſaluti ſtudent, Ego vnius animi. illi vt in hac ego lachrymarum valle diutiùs, Ego vt in Cœlo æternùm. Me illi meris coniecturis (non enim ad probabilitatem, vel Te Teſte, hæc pars Phyſicæ adſcendit) me torquent, & Mihi ſupra omnis probabilitatis aleam, ſi obſeruauero Regulam, æterna beatitudo conceſſa. Vt Regula benignitas humanæ fragilitati condeſcendat, quid inde? fauor, & priuilegium eſt, & non conceditur inuito. An non Dominici Natalis die, quem comedendo carnes omnes celebrant, nos abſtinentia reddimus celebriorem, non quòd ſingularitatem diligamus, ſed quòd cedentes illa die priuilegio, vi Regulæ abſtinere tenemur. Si hodie moriar, hæc ipſa dies erit mihi natalis: ceſſione igitur priuilegiorum omnium, & ſeuera Regulæ obſeruantia colenda, vt vel ſaltem bonus ſim moribundus, qui dum vixi, fui malus. Accedit ratio altera, ſolamini, quod nemini negetur, innixa. Conceduntur cibi etiam communes, & nociui ægroto, de cuius vita deſperatur, ne ſolamine careat, qui illa debet. Ab infantia Ego in Eccleſiaſticorum, à veſtitione in Regularium ieiuniorum obſeruantia tantum*

non

non nimiùs; diuini cultus, quantum fragilitas permiſit, ſtudioſus: grauibus fui nonnunquam morbis obrutus, leuibus ſemper, nec tamen aut horas canonicas omiſerim, aut ieiunia violauerim vel ſemel. qui igitur in alijs pluribus remiſſus fui, permittar in hoc ſaltem virtute vitæ curſum abſoluere, & dies paucos ſuperſtites ſine morum inuerſione peragere. Mihi erit, fateor, hoc ſummo ſolamini; parato tamen nec verbum dictis addere, ſed exactè obedire. Obſtupui, hæſi: & ſummæ hominis humilitati, & diligentiſſimæ obſeruantiæ admirationem, & laudem Authori Deo pependi; nec habui quid obijcere poſsem. Breuiarium tradidi, & hora congrua piſcem dari permiſi. quoniam Patris ſpiritualis authoritas extra confeſſionis tribunal abſoluta non eſt; nec ſi eſſet, aut deberem aut poſſem tam piæ reſolutioni contradicere. nam & ego, cùm æger, multa decircino, quę corpori ratione Theologici laboris concedo; vbi enim ſtudere non poſſum, ſolamine litteris indulto non egeo. Nec nimium audiendi illi, qui vocantur Experti; qui enim nos illorum decretis moraliter teneri doceat, errabit in Phyſica & in Ethica. In Phyſica adulando hominum generi imperitiſſimo; in Ethica ſanctiſſimis viris detrahendo. Si nos oculos habere credimus, circulationem etiam ſanguinis ab annis paucis inuentam admittemus; & ſi hanc, negabimus veteres habuiſſe rem medicam. Noua eſt ſcribenda Medicina, noua tradenda methodus, nouæ ſanctiones pronuntiandæ. dicendumque Medicos Aſtrologoſque per omnia ſimiles, adeoque errare etiam vbi non errant. quoniam ſicut mendacium componitur cum materiali veritate, ſic etiam cum errore ſcopus, qui caſu ſæpiùs quam arte tangitur. vnde æger, qui nimium fidat Medico, duplici morbo laborabit. quorum prior in humorum, & in conflectu Phyſicorum poſterior: è quibus morbis ſaltem iſte à Paulis, Antonijs, Hilarionibus, & alijs plurimis priſci æui Patribus vitari potuit, valetudinem vni & ſoli committentibus Deo. Quæ omnia dicta, non vt proſcribam medicinarum vſum ſed abuſum à philautiæ inſolenti ſuggeſtione ſubortum. A Te decor, Bernarde mi, Medicum propter neceſſitatem honorare, deſipit enim qui peritum extra neceſſitatem aduocat, aut in neceſſitate imperitum. In Tua adhibitus Phyſicus & Theologus; & illum terruit pertinacia ægritudinis, & iſtum pietatis conſtantia. O quantùm mihi profuit illa Tua generalis confeſſio in mortis ecto habita: quantum illa die didici, quantum dedidici: Putabam omnes adoleſcentes ita vixiſſe aut viuere, vt deberent in ſenectute: culparum iuuenilium obliuionem orare: at obſeruaui in Te tot ſenectutis annos, quot ætatis. Vouiſti virginitatem Deo priuſquam illam maculare potuiſti, & teneræ voluntatis propoſitum religione firmaſti, cui tam exactè reſpondiſti, vt ſic Eccleſiæ Romanæ defenſioni, & confuſioni hæreticis imò & multis Catholicis, lubrico vitio infectis, & apud Iacobum Marchantium (Horti Paſtorum tractatu IV. lectione VIII. propoſitione II.) dicentibus, ſe continere & ætatis ebullientis ardorem ſuſtinere non poſſe, ideoque debere libidinem ſe corrumpendo explere,

aut

aut mulieris conſortio frui. Lutheranus enim caſtitatem, quam tu ſexaginta & ampliùs annis obſeruaſti tam pure, poterit, ſi volet, obſeruare, quippe qui non auxilijs diuinis, ſed carebit, voluntate, quia caret, qui enim gratia diuina abutitur, dignus eſt qui à gratia deſeratur. Multa olim à Confeſſarijs Tuis audieram, ſed aliqua conceſſi vrbanè, quouſque Te in tribunali vltimæ veritatis audire diuinitùs conceſſum eſt. Liberè dicam, ſi Tibi multos ſimiles in terris habet Virgines Deus, non omnes Angelos in cœlis habet. Abſoluta, quam præuenerunt & perfecerunt lachrymæ confeſſione, Viaticum recepiſti, Oleo extremo inunctus. Vale dixiſti ſubditis, & illos paterna benedictione muniens, illorum oratione munitus (quod in miſericordia Dei confido) ad ſydera translatus es.

Ibi Chriſtum Dominum, cuius ſanguine delibutus euaſiſti huius Mundi pericula, ibi Angelorum Reginam etiam Angelus; ibi præter Apoſtolos Eccleſię triumphantis Coriphæos, Patriarchas Benedictum, Bernardum, Idesbaldum: illum totius Ordinis Legislatorem, alterum Primorem Congregationis Ciſtertienſis, iſtum Dunenſis Monaſterij olim Antiſtitem, iam Protectorem, cælitùs inueniſti. Vt legibus primi obedires, veſtigia poſteriorum ſectatus, talem egiſti in terris vitam, quam ſecuriſſimè ſectari poſſim. Exſpectas Tuos, è quibus Leandrum Bandrium iam habes, quem à Rege Catholico Diſenbergenſium Antiſtitem denominatum, maluiſti ad Te & Cælos accerſere, quàm Ordini & Mihi relinquere. Superſum ego, vt militarem politicaſque iniurias ſuſtineam, & vtinam hac via perficiar & poſſim tuo conſortio lætari.

Ora, obſecro, illum Tuum, illum Meum, omnipotentem conditorem, vt ſtudijs meis tranquillitatem toties imploratam concedat, vt vltimam manum imponam voluminibus ſummo labore & temporis impendio ſcriptis, & vt ſpero, orbi Chriſtiano profuturis: & recognoſcendo & reformando mentis ectypos in charta expreſſos, mores etiam ad Benedicti Regulam, Bernardi Scholion, Idesbaldi memoriam, & vitam tuam reformem, ne meus ſtylus dicatur actiones Scriptoris damnare.

Olim Tibi dum viueres, Regulam Benedictinam obtuli, Hiſtorico, Scholaſtico, Morali, Iudiciali Politico Commentario illuſtratam: nunc Franciſcanam cæliti, expoſitam continuis notis, & cauſam, ſi requiris, adiungo. Strictiùs vouet Benedictino Franciſcanus: ille obedientiam ſecundum Regulam, hic ipſam Regulam: adeoque tenetur ille ſingula, ſi præcipiantur, obſeruare: iſte verò etſi non præcipiantur. Et vterque exprimit virtutem Tuam, Benedictinam quoad ſubſtantiam, Franciſcanam quoad modum. Voluiſti enim Benedictinæ legi ante Superiorum indictionem teneri, & nondum præceptæ ſatisfacere. Hoc munus, amoris & obſeruantiæ teſſeram, etiam in cælis accipe, faue authori: & ſiquidem ipſe naturali diuinitùs conceſſa aut ignauia aut deſpectu terrena deſpicit, cæleſtia diligit, illi impetra vt hæc ſupernaturaliter deſpicit, & in illis non tam admiretur ſublimium

cor-

corporum accuratiſſimas periodos, quàm ſapientiam & omnipotentiam Conditoris. Non valedico Tibi, Virgo Optimè, cùm quia immortales non valere non poſſunt, tum quia tota vita dies vnus, adeoque quem hodie abſentem adloquor, præſentem die craſtina viſurus ſum. Dedi Francofurti, expulſis Diſenberga à Suecis, Moguntia à Gallis, quinto Nonas Maias, ſanctæ Crucis inuentioni (ſi fortè aliquis dies mihi ſine nouacruce) dicato. Anno Domini M. DCXLV.

Reuerendiſſima Dominationis Tuæ, cuius animam empyreo donatum ſpero, verus etiam poſt fata amicus,

IOANNES CARAMVEL LOBKOVVITZ Miſienſis Epiſcopus, & Moguntinus Suffraganeus.

INDEX.

BVlla Domini Papæ Honorij ſuper Regulam Fratrum Minorum. *Viuente adhuc Viro Seraphico, Regula approbatur & confirmatur. Caſſinenſium, & Lateranenſium lis. Aliarum Regularum approbatio.* 1981.

CAPVT I. De fundamentalibus obligationibus. *An omnia Franciſcanorum peccata à peccatis aliorum Religioſorum diſtinguantur ſpecie?* 1982.

CAPVT II. De his, qui volunt vitam iſtam accipere, & qualiter recipi debeant. *Nouitij à Prouincialibus debent examinari. Debet inquiri de eorumdem & ſuorum Parentum moribus. An Minoritæ ad Religionem aliam tranſire poſſint? Quæ ſit inter eas perfectiſſima?* 1983.

CAPVT III. De diuino officio & ieiunio. & quomodo fratres debeant ire per mundum. *An Franciſcani teneantur grauiter ad rubricas Breuiarij Romani? An teneantur ad horas canonicas antequam ad maiores ordines promoueantur? An ad eaſdem teneantur conuerſi vel laici? An ad ordinis ieiunia teneantur ſub mortali? An die Natalis Domini, ſi in feriam ſextam incidat, poſſint carnes comedere? An eadem feſtiuitate, ſi incideret in Sabbatum? An excuſentur à ieiunio tempore neceſſitatis dubiæ aut probabilis? An equitare poſſint? An ſit conformius Euangelio ex omnibus cibis comedere, quàm abſtinendo à carnibus hoſpites, ad quos diuertere ſolemus, vexare?* 1984.

CAPVT IV. Quod fratres non recipiant pecuniam. *Nec poſſe illam recipere phyſicè nec moraliter?* 1985.

CAPVT V. De modo laborandi. *Quid Deo ſit gratius, laborare manib. an eleemoſynas à ditioribus petere?* 1986.

CAPVT VI. Quod fratres nihil ſibi approprient; & de eleemoſyna petenda. & de fratribus infirmis. *Citationes aliquæ circa paupertatis materiam.* 1987.

CAPVT VII. De pœnitentia fratribus imponenda. *Diſtinctio fori interioris & exterioris. An in illo ſuperior non ſacerdos poſſit peccata reſeruare?* 1988.

CAPVT VIII. De electione Generalis Miniſtri huius Fraternitatis. & de

Capi-

Capitulo Pentecoſtes, *Pontifex dicitur, ſeruus ſeruorum Dei; Minoritarum Generalis, ſeruus totius fraternitatis*. 1989. *An in creatione Generalis Miniſtri poſſit dignus anteponi digniori?* 1989.

CAPVT IX. De Prædicatoribus. *Confertur cum Priuilegijs littera*. 1990.

CAPVT X. De admonitione & correctione fratrum. *An teneatur Minorita obedire in materia dubia aut probabiliter peccaminoſa?* 1991.

CAPVT XI. Quod fratres non ingrediantur monaſteria Monacharum. *Aliquid de clauſura Monialium*. 1992.

CAPVT XII. De euntibus inter Saracenos & alios infideles. & de Protectore Cardinale. *Qualitates requiſitæ, vt aliquis ad infidelium partes tranſmitti poſſit. De dedicationibus librorum. An ordines deſeri ſoleant à Protectoribus? Verus Protector Deus, Virgo Mater, Cælites tutelares*. 1993.

CONFIRMATIO Regulæ S. Franciſci. 1994.

TESTAMENTVM S. Franciſci. 1995.

SVMMARIVM Præceptorum. 1997.

VERBA S. Franciſci exhortatoria. 1998.

FORMA Profeſſionis. 1199.

D. FRANCISCI REGVLA

BVLLA

Domini Papæ HONORII IIII. ſuper Regulam Fratrum Minorum.

1981. HONORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis Filijs, Fratri Franciſco, & alijs Fratribus de Ordine Fratrum Minorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apoſtolica pijs votis & honeſtis petentium deſiderijs fauorem beneuolum impartiri. Ea propter dilecti in Domino Filij, veſtris pijs precibus inclinati, Ordinis veſtri Regulam a bonæ memoriæ Innocentio Papa prædeceſſore noſtro approbatã, annotatã præſentibus, auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio cõmunimus, quæ talis eſt.*

Accedit huius Latori Regulæ Viro Seraphico, quod vix alij Patriarchæ legitur euenisse. multis enim poſt mortem S. Benedicti annis noſtra Regula fuit approbata à Gregorio Pontifice Maximo. & viſa fuit Caſſinenſibus & Benedictinis alijs ante Baſilianam & Auguſtinianam approbata; illis enim hodie non deferimus, & in Tridentino Concilio ad concordiam diducta fuit lis decrepita, & centenaria maior, quæ ciudè acta inter Benedictinos & Canonicos Lateranenſes Ordinis S. Auguſt. Sed de hoc vberiùs in mea *de præcedentia LIBRA*.

Noto obiter S. Franciſci Regulam non approbari ab Honorio, ſed confirmari, quoniam approbatam antea ab Innocentio prædeceſſore ſuo, oſtendunt Ordinis Annales, & Honorius clariſsimis verbis ſupponit.

CA-

CAPVT I.

De Fundamentalibus obligationibus.

1981. REGVLA & Vita Minorum Fratrum hęc eſt: ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti Sanctum Euangelium obſeruare, viuendo *in obedientia, ſine proprio & in caſtitate*. Frater Franciſcus promittit obedientiam & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac Succeſſoribus eius canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et alij Fratres teneantur Fratri Franciſco, & eius Succeſſoribus obedire.

Legis & dubitas, An omnia peccata Franciſcanorum differant ſpecie ab aliorum Religioſorum aut etiam ſæcularium peccatis? Verbi gratia. An Franciſcanus, Benedictinus & Sæcularis, ſi non communi ſed æquali conſilio, vna die occiderent hominem, altera blaſphemarent, tertia miſſam indictam ab Eccleſia omitterent, committerent peccata æqualia? & ſi non, An ſaltem homicidium ab vno commiſſum eſſet eiuſdem ſpeciei cum homicidio commiſſo ab alio? Vtrùm etiam differret ſpecie, & blaſphemia à blaſphemia, & ab omiſſione miſſæ omiſsio?

Reſpondeo *primò* prudenter te conſilium communi ab æquali diſtinguere; quoniam peccatum quod committitur à duobus communi conſilio habet circumſtantias vtriuſque in vtroque. Pono exemplum. Si ſacerdos & vxorata cedunt carnis tentationi, & ille ſoluta vtatur & hæc ſe proſtituat ſoluto, nec adulterium ſacrilegio inficietur, nec contra. at ſi communi conſilio ſe miſceant, Sacerdos committet ſacrilegium adulterum, fœmina adulterium ſacrilegum, & fornicatio illa communi conſilio commiſſa erit adultera & ſacrilega; & vterque in confeſsione vtramque circumſtantiam debebit explicare.

Secundò dico cæteris paribus grauiùs ſolere peccare Religioſus quàm ſæculares etiam ſi intra eamdem ſpeciem, & præcipuè ſi detur ſcandalum; nemo enim dubitat, magis & periculoſiùs ſcandalizari ſæculares Religioſorum peccatis quàm militum. Accedit, quod peccata eo ſunt grauiora quò magis libera, quò faciliùs potuerint euitari; & quia faciliùs poteſt Religioſus ſeruare Decalogum quam ſæcularis, ideò illum violando cenſetur culpabilior.

Tertiò exiſtimo homicidium commiſſum à ſæculari & Benedictino, cæteris parib. eſſe eiuſdem ſpeciei; quoniam vterq; tenetur ſolo quinto præcepto Decalogi. Conſultò illud, *cæteris paribus* adiunxi; quoniam, ſi Sæcularis ſuum occideret patrem, Religioſus ſuum inimicum, ſpecie differrent; & Religioſus ſimplex homicidium commiſiſſet, Sæcularis verò parricida eſſet, reus violati quarti & quinti præcepti. Idem de blaſphemia & miſſæ omiſsione dixero; non enim voto, iuramento, aut regula tenetur Benedictinus Religioſus audire miſſam diebus feſtis, à blaſphemijs & homicidijs abſtinere; ſed ſolo tenetur Decalogo hominibus vniuerſis cõmuni.

Quartò dico videri omnino omnia Patrum Franciſcanorum peccata eſſe alius ſpeciei; hoc eſt, præter malitiam proprij generis habere ſacrilegij & voti violati circumſtantiam. Vita enim & regula Minorum Fratrum eſt Domini noſtri Euangelium, hoc eſt, diuina præcepta ſeruare; & tamen ipſi diſertis verbis regulam obſeruare promittunt. vt conſtat ex profeſſionis formula quæ talis eſt, *Ego Frater N. voueo & promitto Deo ...... ſeruare Regulam. &c.*

Quod nomine Euangelij intelligenda ſint diuina præcepta conſtat ex Franciſcanis Confraternitatibus,in quibus clariora huius expoſitionis argumenta reperio. Inter Tertiarios, qui agunt vitam communem formula profeſſionis proponitur ſuæ Regulæ Capite II. *Promittat*, dicitur, *ſeruare mandata Dei, ac ſatisfacturum de tranſgreſſionibus quas facere poſſet* (contingeret)*in futurum contra hanc tertiam Regulam.* Et Regulæ illorum, qui in ſuis domibus habitant, Caput etiam ſecundùm ſimilia promittenda diſponit. Lego enim. *Promittat ſe diuina præcepta omnium ſeruaturum, ac etiam ſatisfacturum, vt conuenit, de tranſgreſſionibus*. Quæ clauſulæ tametſi Tertiarios ſolùm obligent pœnaliter aut venialiter, videntur Religioſos Minores grauiter obligare.

Contra hanc reſolutionem ſtare poſſet benignior expoſitio; nimirum, ſi diceretur *Euangelij* nomine non præcepta euangelica, ſed conſilia in hac prima Regulæ periodo debere intelligi, & hoc conſtare ex illo gerundio *viuendo*, quod exprimit modum quo debet Euangelium ſeruari. Si hæc expoſitio obtineat ad Decalogum Patres Minores tenebuntur vt alij Religioſi. Sed hanc ipſam expoſitionem videntur elidere formulæ, quibus vti ſolent Tertiarij, quæ fortè debuiſſent mitioribus verbis concipi, quam Minoritarum Profeſsio.

Hæc dixero, propoſuero, ſuggeſſero, nil definio; quæſtionem in medium poſui,indeciſam relinquo. non enim augere obligationes volo obligationibus grauato, nec irrationabiliter minuere; ſuadeo tamen, vt quamdiu clariora motiua non occurrant, nullus mutet præconceptam ſententiam. abundare enim in proprio ſenſu eſt licitum, vbi contrarium non poteſt demonſtrari.

De ſubſtantialium virtutum principatu diſputare nonnulli, & in varias abire ſententias, & quia meam ſancti fuiſſe Franciſci reperio, mihi iam magis placet. Omnibus ego Obedientiam præpoſui, in vltimo loco Caſtitatem conſtitui, & Paupertatem interponendam credidi ſuperiùs Libro VIII. à num. 67., & conſono Seraphici Legiſlatoris menti, & huius Regulæ Capiti I. in quo præcipitur *Sanctum Euangelium obſeruare, viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.* Et eodem virtutes eſſentiales digeruntur ordine, quo à me expoſitæ ſunt.

Multa circa ſingularũ obſeruãtiã occurrerẽt, ſed quoniã libr. illo octauo omnia ſunt reſoluta, non eſt cur diutiùs in huius Capitis illuſtratione maneamus.

CAPVT II.

De his qui volunt vitam iſtam accipere, & qualiter recipi debeant.

1983. SI qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres noſtros, mittant eos ſuos Miniſtros Prouinciales, quibus ſolummodo,& non alijs, recipiendi Fratres licentia conceditur. Miniſtri verò diligenter examinent eos de Fide Catholica & Eccleſiaſticis Sacramẽtis: & ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vſq; in finem firmiter obſeruare: & vxores non habent; vel ſi habent, & iam Monaſterium intrauerint vxores; vel licentiam eis dederint, auctoritate Diœceſani Epiſcopi, voto Continentiæ iam emiſſo: & illius ætatis ſint vxores,quod de eis non poſſit oriri ſuſpicio: dicant eis verbum ſancti Euangelij,

gelij, quod vadant & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare. Quod ſi facere non potuerint, ſufficit eis bona voluntas. Et caueant Fratres & eorum Miniſtri, ne ſoliciti ſint de rebus ſuis temporalibus, & vt liberè faciant de rebus ſuis, quidquid Dominus inſpirauerit eis: ſi tamen conſilium requiratur, licentiam habeant Miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Poſtea concedant eis pannos probationis, videlicet, duas tunicas ſine capucio, & cingulum & braccas, & caparonem vſque ad cingulum (niſi eiſdem Miniſtris aliud ſecundum Deum aliquando videatur.) Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper & Regulam obſeruare. Et nullo modo licebit eis de iſta religione exire, iuxta mandatum Domini Papæ: quia ſecundum ſanctum Euangelium, *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei*. Et illi qui iam promiſerunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum capucio, & aliam ſine capucio, qui voluerint habere. Et qui neceſſitate coguntur, poſſint portare calceamenta. Et Fratres omnes veſtimētis vilib. induantur Et poſſint ea repeciare de ſaccis, & alijs peçijs, cum benedictione Dei. Quos moneo & exhortor, ne deſpiciāt neq; iudicēt homines quos viderint mollibus veſtimētis & coloratis indutos, vti cibis, & potib. delicatis: ſed magis vnuſquiſque iudicet & deſpiciat ſemetipſum.

Modus ille Nouitios recipiendi optimus eſt. *Si qui voluerint hanc vitam accipere*, ait Seraphicus Pater, *mittant eos ad Miniſtros Prouinciales, quibus ſolummodo & non alijs recipiendi fratres licentia concēdatur.* Sæpe enim contingit nimium prolium habendarum amorem Superiores Conuentuales decipere, adeoque melius hoc nouitios examinandi & recipiendi munus poſſunt obire Prouinciales.

Diligenter examinent eos, addit Pater ſanctiſſimus, *de fide, catholica*, & videretur omnino hoc examen ſuperfluum, qui enim ſincerè apud Minoritas deſiderat regulariter viuere, catholicus omninò erit, & de Eccleſia, Sacramentis & Fidei articulis ſentiet orthodoxè. & qui fictè, ſciet mentiri, & etiam vbi hæreticus eſt, ſinceritatem ſimulare. Sed hac non obſtante ratione Marquez, Abulenſis Epiſcopus, me docuit non inutiliter Ordinum candidatos in fide Chriſtiana examinari; non quod eſſe heterodoxos præſumamus, ſed quòd malè educatos & inſtructionis indigos. Examinabat omnes promouendos ad ordines Illuſtriſsimus Senex in Catechiſmo & orationibus, nec patiebatur aliquem initiari, qui neſciret præter orationes communes, aliquas ſpeciales, quib. Cuſtodem Angelum, & tutelares Cælites imploraret.

Hiſpani Ciſtertienſes præcipuè, & eorum ritu alij, mittunt vnum Religioſum expenſis Monaſterij ad locum natiuitatis, & habitationis, diſcuſſurus motes, & vitam Nouitij & Prædeceſſorum illius; an ſcilicet, aliquis ex ipſius maioribus notatus aut damnatus fuerit in fidei orthodoxæ materia. Videtur enim impoſsibile quod mala arbos bonos fructus emittat, quod à Chriſto prædictum carmine expreſſum à quodam Chriſtiano Poeta, placuit adiungere.

Nulla columbino de ſemine naſcitur ales
Prædatrix, taurum nulla creauit ouis,

Accipiter nullus legitur genuiſſe columbam,
Decidit nullo tempore taurus ouem,
Gnatorum mores referunt exempla parentum
Heres virtutis filius eſſe ſolet.
A Ioue perdocto nata eſt perdocta Minerua,
Cantorem genuit cantor Apollo Linū.

Prodeſt quidem ad mores maiorum recurrere, experientia .n. docet ſolere ſingulos in parentum ſuorum religione libentiſſimè viuere, & ſi fauore Dei ad noſtram cōuertantur, ſæpiſsimè ad priorem reuerti. in qua materia tot legūtur exēpla, vt non ſit opus diutiùs immorari.

INQVIRIS, An ex Minoritarum religione ad aliā pateat tranſitus? *Reſpondeo* in Regula non interdici tranſitū ad ſanctiorem. illa .n. authoritas. *Nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei,* nō vrget aut cōcernit illos, qui ſanctioris vitæ deſiderio ad aliā tranſit Religionē; nō .n. retrò reſpicit, qui in charismata meliora collineat. Suadēdum tamē vnicuiq; vt in vocatione ſua maneat, & ne certa pro incertis relinquat, nec ſibi iudiciū adſumat; quoniam odioſa eſt hæc materia, neo omninò mortali homini deciſio poſsibilis, vbi inquiritur. Quænā ſit omnium ſanctiſsima Religio? Seſe mutuò illæ excedunt, exceduntur; & quæ magis Deo placeat aut ſeruiat ipſe ſcit. Nos in dubio benignas iudicamus ſuſpectas, non ſuſpicione quę ipſasmet, ſed quæ tranſituros afficiat. videtur enim veroſimile eum, qui ad benigniorem tranſit, non tam Deum quam commoditatem inquirere.

CAPVT III.

De Diuino officio & ieiunio, & quomodo Fratres debeant ire per mundum.

1984. Clerici faciant diuinum officium ſecundum Ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, excepto Pſalterio, ex quo habere poterunt Breuiaria. Laici verò dicant viginti quatuor Pater noſter, pro laudib. quinq; pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet iſtarum Horarum ſeptem, pro Veſperis autem duodecim: pro Completorio ſeptem, & orent pro Defunctis. Et ieiunent à Feſto omnium Sanctorum vſque ad Natiuitatem Domini. Sanctam verò Quadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania vſq; ad continuos quadraginta dies, quam Dominus ſuo ſancto ieiunio conſecrauit, qui voluntariè eam ieiunant, benedicti ſint à Domino: & qui nolunt, non ſint adſtricti, ſed aliam vſq; ad Reſurrectionem Domini ieiunent. Alijs autem temporib. non teneantur niſi ſexta Feria ieiunare. Tempore verò manifeſtæ neceſſitatis, non teneantur Fratres ieiunio corporali. Conſulo verò, moneo & exhortor Fratres meos in Domino Ieſu Chriſto, vt quando vadant per mundum, non litigent, neq; contendant verbis, nec alios iudicent, ſed ſint mites pacifici, modeſti, manſueti, & humiles, honeſtè loquentes omnibus ſicut decet. Et non debeant equitare, niſi manifeſta neceſſitate vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intrauerint, primum dicant: Pax huic domui. Et ſecundum Sanctum Euangelium, de omnibus cibis quę apponuntur eis, liceat mādùcare.

Cohæ-

Cohærent optimè ieiunium, & oratio; illa Seraphicus. Pater coniungit, illa etiam Diuinus Doctor Capite III. ſuæ Regulæ, & S. Benedictus Capite IL. agens de obſeruatione Quadrageſimæ, ſuadet extraordinaria ieiunia, non tamen ſine extraordinaria oratione. *Orationes peculiares*, ait, *ciborum, & potus abſtinentiam*..... *offerat*. Et poſt pauca, *Hoc ipſum, quod vnuſquiſq́, offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate.*

LEGIS in prima omnium linea, *Clerici faciant diuinum Officium ſecundum Ordinem S. Romanæ Eccleſiæ*. Et inquiris; An Patres Minoritæ iure Regulæ teneantur ſeruare rubricas Romani Breuiarij, nec poſſint legere de Sancto die feriali, nec feſtiuo de feria? & ſi tenentur, An peccaturus ſit mortaliter Minorita, qui mutet officium diuinum?

Reſpondeo teneri Minoritas legere iure Regulæ, teneri iure Ordinum, ſi ad eos prouecti, adeoque officium mutare non poſſe. *Addo* Sacerdotem ſæcularē, qui lecturus de feſto, de feria legeret, iuxta probabilem ſententiam, peccaturum mortaliter, & venialiter iuxtà probabiliorē. Vide quę à num. 1399. ſunt dicta, nec aliter de Minoritis quoad officij mutationem, quàm de ſacerdotibus ſęcularibus philoſopheris. Nam vel poteſt Sacerdos ſęcularis mutare officium ſine mortali, vel non poteſt. Si ſecundum nec Minorita poterit, qui duplici lege tenetur. Si poteſt, etiam poterit Minorita, & ratio eſt, quia ſi ſæcularis Sacerdos mutando officium peccat venialiter, ideò non peccat mortaliter, quia mutatio vnius officij in aliud eſt materia parua. atqui in materia parua ſicut nec Eccleſia, ita nec Regula poteſt aliquem ſub mortali obligare: ergò Minorita, qui legat de feria cum de Sancto deberet, aut contrà, non peccabit mortaliter.

QVÆRIS ſecundò; An Minoritæ choriſtæ nondum ad ordines maiores promoti teneantur ad horas canonicas? & ſi tenentur, An grauiter ipſi teneantur.

Reſpondeo officium diuinum eſſe materiam grauem, adeoque vel obſtringendos grauiter, vel non obſtringendos omninò; non enim intelligi poteſt venialis obligatio, ſi ſit grauis materia, iuxtà ea, quæ dicta ſunt ſuperiùs num. 42. & 1346.

Addo teneri grauiter ratione Regulæ; quoniam in hac expreſsè diuinum officium præcipitur, & ipſi obedire Regulæ promiſerunt. Audiendus eſt Caſſarubios in Compendio Priuilegiorum Patrum Minoritarum verb. *Officium Diuinum*, numer. 17. vbi ponit Priuilegium ab Eugenio IV. Benedictinis iunioribus conceſſum, & ſubijcit, *Præfata conceſſio non deſeruit pro Fratribus Minoribus, quia ipſi ſtatim, vt profeſſionem emittunt, tenentur ratione voti ad perſoluendum Officium Diuinum: licet non ſint in ſacris ordinibus conſtituti, ac ſi omnes ſacros ordines haberent. Poterit tamen huiuſmodi conceſſio prodeſſe alijs Fratribus Mendicantibus*. Et vt video, ſtat communi omnium Patrum Minoritarum opinioni.

QVAERIS tertiò; An Conuerſi, ſeu Laici (hi ſunt Religioſi, non Choriſtę) teneantur grauiter ad illas orationes, quas loco diuini officij dicitur?

Aſſertiue reſpondeo; Ratio enim, quę Iuniores nondum ad ordines promotos obligat, etiam Laicos obſtringit; nam & iſti vouerunt obſeruare Regulam, quæ præcipit, vt Laici loco horarum dicant aliquibus vicibus ſuum *Pater*.

QVAERIS quartò; An ad ieiunia ordinis teneantur ſub mortali? *Reſpondebo* affirmatiuè ob eandem rationem.

QVAERIS quintò; An dies Natalis Domini, ſi in feriam ſextam incidat, poſſint Patres Minores ſe accommodare totius Eccleſiæ moribus, & comedere carnes?

Reſoluo, eos non poſſe. Et ratio eſt, quia ad abſtinentiam à carnibus die-

diebus Veneris illi duplici titulo tenentur, & vtroque grauiter: nimirum & Eccleſiæ, & Regulæ præcepto. Cùm igitur hæc præcepta ſint independentia, bene ſtat vt vnum poſſit ſubſiſtere ſine alio. Eccleſiaſticum enim ſine illo regulari apud ſæculares ſubſiſtit, & illud Regulare ſine Eccleſiaſtico apud ipſos die Veneris Dominicæ Natiuitati ſacro. tunc enim Eccleſia in ſua lege diſpenſat, reliquas (qualeſcunque ipſæ) in ſua viridi obſeruantia relinquens. Addo, Minoritam, qui illa die carnibus veſceretur, minùs grauiter peccaturum, quàm qui alio die Veneris. alijs enim ferijs ſextis comedendo carnes duas leges (Eccleſiaſticam & Regularem) temeraret; illa autem die ſolam vnam, nimirum Regularem. quoniam in Eccleſiaſtica ponitur Eccleſia diſpenſaſſe.

QVÆRES ſextò, An poſſint comedere carnes die ſabbati, ſi in eum dies Natalis inciderit? An etiam comedere carnes diebus ſabbatinis à Natiuitate ad Purificationem in Belgio, iuxta morem omnium ſæcularium?

Reſpondeo non apparere cur non poſſint. imò dari rationem quæ licentiam ſuadent. & illam ad iſtos terminos reduco. Ideò non poteſt comedi caro die Veneris Natiuitati ſacro, quia Regula præcipit ieiunare omni die Veneris; at ipſa diebus Sabbatinis ieiunare, non præcipit: ergo ſi aliunde non obſit poterunt his diebus Minoritæ vti carnibus. At ſabbato, ſi in id incidat Natalis Domini in toto orbe christiano, & ſabbatinis diebus ſequentibus vſque ad Purificationem in Belgio aliunde non obſtat, quia ceſſat præceptum eccleſiaſticum: ergo his ipſi diebus veſci carnibus poſſunt.

LEGIS periodum hanc, *Tempore manifeſtæ neceſſitatis non teneantur Fratres ieiunio corporali*. & inquiris ſeptimò. An vi Regulæ poſſint à ieiunio excuſari tempore neceſſitatis dubiæ; aut probabilis.

Reſpondeo vel iudicari morbum cò deueniſse vt manifeſtum ſit ſine carnibus vitam ſuſtentari non poſſe, & tunc habetur neceſſitatis certitudo, & carnes non ſolum poſſunt tuta conſcientia comedi, ſed & debent peccaretque mortaliter quicumque homo (etiam Carthuſianus) qui certò ſciens non aliter quàm eſu carnium poſse mortem euadere, carnem non ederet, & ratio eſt, quia caro tunc non haberet rationem cibi, ſed medicinæ. In dubio deberet veſci carnibus, nam in dubio an carnes ſint omninò neceſsariæ, tenentur Decalogo obedire, & ſuam vitam defendere. Maior tamen difficultas eſt de probabilitate. Sæcularis enim poteſt in caſu probabili carnes comedere aut omittere; at poſſet etiam ſanctè ſe iurare non eſſe illas comeſturus in neceſsitate probabili, ſed in manifeſta, & tunc ratione iuramenti in probabili neceſsitate deberet omninò abſtinere. An ſicut iſte ſæcularis iuramento, ſic Minoritæ voto obſtricti? Non credo. Flueret rationis paritas, ſi textus eſſet affirmatiuus; nimirum, *Teneantur Fratres corporali ieiunio, excepto tempore manifeſtæ neceſſitatis*, nam vi huius legis etiam tenerentur ieiunare tempore neceſsitatis probabilis, at quia textus eſt negatiuus, probabilitatem non excludit. qui enim diceret Franciſcanos non teneri dominicis diebus ieiunare, non deberet aſseri dixiſſe teneri ieiunare alijs diebus, ſed de dominicis egiſse, & abſtraxiſse ab alijs. Ergo ſic ſimiliter dicendum eſt, abſoluiſse ſuos à ieiunio S. Franciſcum tempore neceſsitatis manifeſtæ; illoſque tempore neceſsitatis probabilis, nec voluiſse abſoluere, nec nouo præcepto ligare, ſed hoc ipſum prudentum iudicio relinquere. Hæc omnia dicta ſunt, ſupponendo dari caſum, in quo carnes ad conſeruandam vitam ſint manifeſtæ, & caſus in quibus probabiliter, & tandem caſus in quibus

bus

bus dubiè ſunt neceſſariæ, quos ego nequaquam admittam. Puto enim eſſe euidens vitam poſſe foueri, & conſeruari ſine carnibus. & hoc clariùs, ſi agamus de hominibus, qui adſueti ſunt ab illis abſtinere, quales ſunt Carthuſiani, Minimi, & multi alij. Et ſic ceſſant difficultates graues, quæ ſolent in hac materia diſputari.

Præter vitam etiam datur valetudo, & commoditas, & puto poſſe Minoritas grauiter ægrotantes, carnes manifeſtè neceſſarias ad recuperandam valetudinem, & recuperandam valetudinem, & fugiendam morbi grauiſſimam incommoditatem comedere. Lege quæ dicta num. 1429. poſſunt enim conducere tametſi de Diuino potiùs officio, quàm, & ieiunio pronuntiata; nulla enim quo ad hoc datur inter lectionem, & officium diſparitas.

QVAERIS octauò: An poſſint Franciſcani equitare?

Reſpondeo nimis ſubtiles eſſe interpretes, qui illud *debeant*, quòd ponitur in textu, vrgent; ſequamur illorum phantaſiam, vt meliùs eam poſſimus impugnare. *Non debeant equitare*, inquit, *niſi manifeſta neceſſitate, aut infirmitate cogantur*. Et ipſi; iubet ſanctus Pater, inquiunt, ne Frater debeat equitare; ergo quamdiu non contrahit equitandi debitum, & obligationem, viuit ſecundùm regulam, quam promiſit. At equitare, non eſt habere obligationem equitandi; Franciſcani igitur, qui habere debitum equitandi non poſſunt, equitare liberè poterunt: quoniam certum eſt aliud eſse equitare, & aliud incurrere obligationem equitandi.

At puto hanc ipſam expoſitionem ſubtiliorem, quàm ſinceriorem eſse, & impingere in extremam S Franciſci voluntatem in teſtamento ſuo dicentis; *Omnibus Fratribus meis Clericis, & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant gloſſas in Regulam, nec in iſtis verbis dicendo; Ita volunt intelligi; ſed ſicut Dominus dedit mihi ſimpliciter, & purè dicere, & ſcribere Regulam, & iſta verba; ita ſimpliciter, & purè ſine gloſſa intelligatis, & cum ſancta ſperatione obſeruetis vſq; in finem*. Quamobrem puto, quòd *non debeant* ſit idem, ac *non poſſint*: & in hoc communi Minoritarum Theologorum opinioni conſentio. Nam, & in indice æquipollentium, obligantium ad mortale ex Clementis V, declaratione, num. 8. dicitur, *Quod non equitent, niſi manifeſta neceſſitate, aut infirmitate cogantur*. Vnde quia omnia præter manifeſtam neceſſitatem, aut infirmitatem rationes vniuerſas excludit, videtur præcipere, ne equitent, qui non habent manifeſtam neceſſitatem, aut infirmitatem. An habet manifeſtam qui probabilem? nihil reſpondeo. Videtur enim neceſſitas probabilis manifeſta non eſſe; & videtur manifeſta probabiliter eſſe, quod eſt valdè obſeruandum. Vide Scholium, & in ipſo nu. 290. vbi Diuus Bernardus *manifeſtæ* nomine probabili certiorem intelligit.

Neceſſitatem ab infirmitate Seraphicus Pater diſtinguit, & exiſtimo habere equitandi manifeſtam neceſſitatem, qui laborat penuria temporis, & debet die determinato comitijs verbi gratia intereſſe, aut tali adeſſe Principi, & pedes equites ſequi non poſſit.

QVAERIS nonò: Quid ſit meliùs, comedere ex omnibus cibis, qui apponuntur, vt concedit S. Franciſcus, dicens: *ſecundum ſanctum Euangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare*; an habere cibos determinatos, nec poſſe alios tametſi apponantur, comedere?

Quid Deo gratius ſit, aut debeat credi, viderint alij, quid hominibus, qui nonnumquam, iure hoſpitalitatis vexantur, facilè poterit recenſeri. Non te grauabo hiſtorijs plurimis, proponam vnicam in qua partem confuſionis ſuſtinui, abſtinentiæ rigidioris inconuenientia expertus. Eram Bingis apud Bernardum

Cam-

Camp-mans meum, & labore continui ſtudij attritum animum illius ſancti viri pia conuerſatione recreabam. Nocturno tempore, aſſidentibus menſæ nuntiatum duos Patres ad monaſterium diuertiſſe. Gauiſus Senex pius tali nuntio, mittit œconomum, qui & eos excipiat, & ad Eccleſiam iuxtà Regulæ, Cap. LIII. & indè ad ſuam menſam conducat. Veniunt deſiderati hoſpites: loco decenti collocatis cibos meliores, qui in menſa, humaniſſimè ſubminiſtramus. Se non veſci carnibus, inquiunt, & adquieſcimus; mittimuſque, vt præparentur piſces. At vbi illi nec emendi erat hora, nec quærendi. Ingruerant altæ tenebræ, & famuli contra monaſterij leges non iam permiſſi, ſed & egredi iuſſi, forum examinant, amicorum domos, & etiam monaſteria adeunt, & ſummo pauculos, & paruos piſces labore, & pretio nacti, læti domum aduenient; coquus illicò, quia menſa propter hoſpites prolongabatur, præparat, & remittit. Agimus Deo gratias, quod inuenti fuerint piſces, quos poſſemus amicis, & gratiſſimis hoſpitib. ſubminiſtrare; illos diſtribuimus, & inquiunt, butyro eſſe paratos, nec ſe alijs poſſe cibis, quàm Quadrageſimalibus vti. Quid hic ſentiret Abbatis generoſa pietas, viderit Lector prudens. Turbatur ſecundò tota domus, & tandem cùm piſces reperiri non poſſent, & nimis diu in menſa hæſiſſimus, herbulæ oleo conditæ appoſitæ, Hiſpanicum vinum additum, illudque non ſine lepore dictum charitati eſſe ſimile, & in menſa multitudinem peccatorum concernentium cibos operire, ſubiunctum tales. hoſpites fore grauiſſimos, modò reuerſuri dignarentur, tempeſtiuè admonere, quid comedere velint, vt poſſit in ciuitate procurari. Rem fateor, & exponam ſincerè. Quicumque hoſpes ſit communi mea menſa contentus, mihi gratus; ingratus quicumque me, aut meos conturbet; & ne alijs ego moleſtus ſim, hanc regulam mihi obſeruandam propoſui. vt nec meliora, nec viliora poſtulem, quàm ponuntur, contentus communi menſa, & victu ſanctorum, apud quos diuerto.

Scio alias leges ſibi poſſe præfigere, qui eſt opulentus, & nullo indiget, aut qui ſolitarius & amicos deſerit, aut contemnit. At qui cum hominibus agere vult, videtur debere vitam agere nemini moleſtam, aut ingratam, nec torquere illos poſſe, qui ei ſeruire deſiderant. Vnuſquiſque abundet in ſuo ſenſu: at mea ſententia, aut debet Religioſus ad nullum amicum diuertere, aut quæ amicus habet, & liberalitèr apponit, manducare; illi enim erit Religioſus torturæ, & non ſolatio, ſi cogat hora intempeſta, & pretio incompetenti piſces quærere, quos non habet.

CAPVT IV.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

1985. PRæcipio firmitèr Fratribus vniuerſis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per ſe, vel per interpoſitam perſonã. Tamen pro neceſſitatibus infirmorũ, & alijs Fratribus inducendis, per amicos ſpirituales, Miniſtri tantũ, & Cuſtodes ſolicitam curam gerant, ſecundum loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire: eo ſemper ſaluo, vt (ſicut dictum eſt) denarios, vel pecuniam non recipiant.

Reciperet pecuniam phyſicè, qui proprijs manibus: & qui interpoſita perſona moralitèr. Hac lege tenentur ſub mortali peccato, & vtilitatem experiuntur.

tur præcipuè belli tempore, ſine lythri conditione dimiſſi. Si capiatur ab Hæreticis Monachus, vix eſt pecunia redemptioni ſufficiens; ſi capiatur religioſus mendicans, non dimittitur ſine ſtatuto pretio. At Minoritæ, & Capucini, caſtra adeunt, redeunt, capiuntur, dimittuntur, nec memoria fit lythri, ſunt enim ab huiuſcemodi oneribus liberi, qui nihil habent.

CAPVT V.

De modo laborandi.

1986. FRATRES illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fidelitèr, & deuotè, ita quòd excluſo otio, animæ inimico, ſanctæ orationis, ac deuotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cętera temporalia deſeruire. De mercede verò laboris, pro ſe, & ſuis Fratribus, corporis neceſſaria recipiant, pręter denarios, vel pecuniam: & hoc humiliter, ſicut decet ſeruos Dei, & paupertatis ſanctiſſimæ ſeruatores.

Hoc caput, & quadrageſimum octauum Regulæ S. Benedicti mira conſonantia cohærent; adeòque videtur num. 1637. & quæ in hoc caput notaui alijs in locis.

PETIS. Quid Deo ſit gratius laborare manibus, an eleemoſynas à ditioribus petere? & ratio dubitandi eſt, quòd Reſpublica, quæ meliores maioris facit, mendicos męchanicis vniuerſis præponeret, ſi ipſos digniores crederet.

At respondeo, hominem otioſum ali Reipublicæ eleemoſynis tolerari, nec debere, nec poſſe; at hominem de illa optimè meritum, qui deberet publicis impenſis iuxtà ſuam qualitatem nutriri, bene poſſe permitti ſtipem quærere maioris humilitatis cauſa. & hunc viuendi modum, cæteris paribus, eſſe ſanctiſſimum. Conſultò illud *cæteris paribus* adiunxi; ſcio enim poſſe eleemoſynis ſubornationes fieri, abſolutiones emi, gratiam, & opinionem procurari, & vt verbo dicam, ſæpiuſculè malè illas concedi: ſed & ſcio malè conceſſas poſſe benè recipi: & acceptari ſanctè ex mala intentione erogatas.

CAPVT VI.

Quod Fratres nihil ſibi approprient; & de eleemoſyna petenda, & de Fratribus infirmis.

1987. FRATRES nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: ſed tamquam peregrini, & aduenæ in hoc ſęculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidentèr. Nec oportet eos verecundari: quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos fratres meos, hæredes, & Reges Regni Cœlorum inſtituit: pauperes rebus fecit, virtutibus autem ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viuentium.

Cui, dilectiſſimi Fratres, totaliter inhęrentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in perpetuum ſub cęlo habere, velitis. Et vbicumque ſunt, & ſe inuenerint Fratres, oſtendant ſe domeſticos inuicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet vnus alteri neceſſitatem ſuam: quia ſi mater nutrit, & diligit filium ſuum carnalem: quantò diligentiùs debet quis diligere, & nutrire fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent ei ſeruire, ſicut vellent ſibi ſeruiri.

De paupertate, & proprietate multa olim à *numer.* 815. Sed tametſi nullius rei proprietatem habere Franciſcani dicantur, multa ſunt, quorum proprietate carere non poſſunt. Quoniam, & Minorita, & Capucinus habet dominium in ſua manuſcripta, *numer.* 831. magiſteriale in diſcipulos, quà tales, *numer.* 839. naturale limitatum in filios, *num.* 849. naturale abſolutum in internas actiones, *numer.* 38. 855. & tandem in res vnico actu conſumptibiles proprium, *numer.* 871. quod ita verum, vt Baſſæus, author doctus, & grauis, tametſi Capucinus, huius vltimæ aſſertionis probabilitatem non potuerit negare. Videantur eius flores ſecundò editi Antuerpiæ *p.* 186. a vbi me citat.

CAPVT VII.

De pœnitentia peccantibus fratribus imponenda.

1988. SI qui Fratrum, inſtigante inimico, mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad ſolos Miniſtros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quàm citiùs poterunt ſine mora. Ipſi verò Miniſtri, ſi Presbyteri ſunt, cum miſericordia iniungant illis pœnitentiam: ſi verò Presbyteri non ſunt, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, ſicut eis ſecundùm Deum meliùs videbitur expedire. Et cauere debent, ne iraſcantur, & conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira, & conturbatio in ſe, & in alijs, impediunt charitatem.

Et valdè difficilis littera præſentis capitis, ſi de peccatis occultis intelligatur; nec facilis ſi de publicis, modò agatur de Sacramentali confeſſione. Stando foro externo, quod *forum fori* nominant, benè intelligo dari peccata, quorum abſolutio, & iudicium ſit ſæculari, aut Religioſo non-ſacerdoti reſeruata; nam & Reges, & Principes, qui Sacerdotes non ſunt, culpas ſæculares diſcunt, examinant, & puniunt. At *foro poli* ſtando, ingruunt difficultates nouæ; non enim ita clarum apparet poſſe. Sub Sacerdotem peccata reſeruare, aut alijs abſoluendi facultatem concedere, niſi dicas Subſacerdotem illum, nec eſſe agentem perſonam, nec rationem operandi, *vt quo*, ſed meram conditionem extrinſecam, qua poſita Summus Pontifex reſeruat peccata, aut reſeruationem remittit. Quod nos admittere debemus, cùm etiam Conuerſis noſtris tales licentias conceſſas ab Eccleſia legamus.

CAPVT VIII.

De electione Generalis Miniſtri huius fraternitatis, & de Capitulo Pentecoſtes.

1989. VNIVERSI Fratres, vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere in Generalem Miniſtrum, & ſeruum totius Fraternitatis. Et ei teneantur firmitèr obedire. Quo decente, electio ſucceſſoris fiat à Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes. In quo Prouinciales Miniſtri teneantur ſemper in ſimul conuenire, vbicumque à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum: & hoc ſemel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem, vel minorem, ſicut à prædicto Miniſtro fuerit ordinatum. Et ſi aliquo tempore appareret Vniuerſitati Miniſtrorũ Prouincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſeruitium, & communem vtilitatem Fratrum; teneantur prædicti Fratres (quibus electio data eſt) in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodem. Poſt Capitulum verò Pentecoſtes, Miniſtri, & Cuſtodes poſſint ſinguli, ſi voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in ſuis cuſtodijs ſemel Fratres ſuos ad Capitulum conuocare.

Vocatur Pontifex *Seruus ſeruorum DEI*, Generalis Ordinis S. Franciſci *Seruus totius fraternitatis*, & ſi rem bené examinemus, non ſunt ficta, aut ſuperſtitioſa vocabula, ſed planè vera. Nulla Summo eſt Pontifici conceſſa authoritas, nulla Generali Miniſtro in ordine ad deſtructionem; tota, quantam habent, in ordine ad ædificationem conceditur, vt proſit ſubditis, vt ſingulorum profectui ſpirituali ſeruiat. meritò igitur *ſerui dicuntur*, qui ſunt in ſeruitium ſubditorum creati.

VENIS ad Capitulum Generale, & inquiris; An in creatione Miniſtri poſſit dignus anteponi digniori? Et ego te regeram ad *num.* 1503. vbi ex profeſſo propoſitam difficultatem tracto.

AT QVIA permittit Regula deponi Generalem Miniſtrum, ſi inſufficiens appareat, inquiris; An debeat apparere omnibus, an poſſit deponi, ſi pluribus? & doceri vis: An inſufficientia ipſius debeat eſſe manifeſta, an ſufficiat, ſi ſit merè probabilis?

Reſpondeo ſtandum particularibus decretis, & legibus, ſi legitimæ latæ, & admiſſæ; ſpeciales non dentur, videri eligendum, qui vniuerſitati aptus appareat, deponendum, qui ineptus. vndè ſicut ad creationem ſuffecit quòd fuerit dignus in opinione plurium tametſi indignus aliquorum ſententia. Sic etiam, quòd ſit plurium opinione inſufficiens, ad depoſitionem ſufficiet. & ratio eſt, quia hæc lex ita debet exponi, vt poſſit ad praxim reduci, cùm tamen videatur impoſſibile dari Generalem Miniſtrum, qui ſit inſufficiens, & indignus in opinione vniuerſorum.

CAPVT IX.

De Prædicatoribus.

1990. FRATRES non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus Fratrum populo penitùs nudeat predicare, niſi à Miniſtro Generali huius fraternitatis fuerit examinatus & appprobatus, & ab eo ſibi officium Predicationis conceſſum. Moneo quoque & exhortor eoſdem Fratres, vt in Prædicatione, quam faciunt, ſint examinata & caſta eorum eloquia ad vtilitatem, & ædificationem populi, annuntiando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam, cum breuitate ſermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram.

Hoc Caput non ſolùm iuxta litteram & D.Franciſci teſtamentum, ſed & iuxta priuilegia à Pontificibus conceſſa debet exponi. Vnum punctum proponam. Sub initium ſui Teſtamenti S. Pater. *Si haberem tantam ſcientiam quantam Salomon, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius ſeculi, in parochijs in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum.* & tamen Clemens IV. referendo ac confirmando litteras Alexandri IV. declarat, quod ſi Minoritis, & Dominicanis concedatur prædicandi licentia à Legatis Sedis Apoſtolicæ, aut ab Ordinarijs locorum, poſſint liberè prædicare ſine Prælatorum aut Rectorum inferiorum licentia. Et ſic in aliquibus alijs.

CAPVT X.

De admonitione & correctione Fratrum.

1991. FRATRES qui ſunt Miniſtri & ſerui aliorum Fratrum, viſitent, & moneant Fratres ſuos, & humiliter & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid quod ſit contra animam ſuam, & Regulam noſtram, Fratres verò qui ſunt ſubditi, recordentur quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio eis vt obediant ſuis Miniſtris in omnibus quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ noſtræ. Et vbicumque ſunt Fratres, qui ſcirent & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare; ad ſuos Miniſtros debeant & poſſint recurrere: Miniſtri verò charitatiuè & benignè eos recipiant; & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, vt dicere poſſint eis, & facere ſicut domini ſeruis ſuis: nam ita debet eſſe, quòd Miniſtri ſint ſerui omnium Fratrum. Moneo verò & exhortor in Domino Ieſu Chriſto, vt caueat Fratres ab omni ſuperbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura & ſollicitudine huius ſæculi, à detractio-

ne

ne & n.. æmulatione. Et non curent neſcientes litteras, litteras, diſcere, ſed attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent, habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem; orare ſemper ad Deum puro corde & habere humilitatem & patientiam in perſecutione & infirmitate; & diligere eos qui nos perſequuntur, reprehendunt & arguunt; quia dicit Dominus: *Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Qui autē perſeuerauerit vſque in finem hic, ſaluus erit.*

De obedientia ſuperiùs ego frequentiſsimè, ſed vberiùs à num. *691*. at nunc occurrit controuerſia ſpecialis, Legis enim in textu, *Firmiter præcipio eis vt obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ ſuæ & Regulæ noſtræ*; & hunc caſum proponis.

FRATRI Alberico Miniſter præcepit aliquid, & ipſe dubitat, An ſit contra Deum & Regulam, & inquirit, An poſsit obedire vel debeat? *Et ego* nego caſus poſsibilitatem; quoniam, vt in mea morali Theologia demonſtraui, non poteſt dari dubium, vbi datur prudentis Superioris authoritas.

DICIS te dubij nomine probabilitatem intelligere & *reſpondeo* in materia, quæ ſit probabiliter peccaminoſa, Ieſuitam obedire debere, nec ſine culpa poſſe non obedire. Addo Benedictinum poſſe tali præcepto obedire, & non obedire ſi velit. Nec video cur Franciſcanos debeam Ieſuitis potius quàm Benedictinis adſcribere, cùm obedientiæ votum, quod omittunt Ieſuitæ, videatur eſſe ſocietatis charactericum, nulli alij Religioni commune. Promittunt .n. ipſi obedientiam in omni materia quæ non ſit euidenter peccatum, adeoq; in probabilitatis materia debent vi voti ſententiæ Superioris ſubſcribere.

CAPVT XI.

Quòd Fratres non ingrediantur monaſteria Monacharum.

1992. PRÆCIPIO firmiter Fratribus vniuerſis, ne habeant ſuſpecta conſortia, vel conſilia mulierum. Et ne ingrediantur Monaſteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis. Nec fiant compatres virorum, vel mulierum, ne hac occaſione inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum oriatur.

O vtinam illa regula quæ docet, priuilegium præceptumue, quod vni relatiuo conceditur, ſiue præcipitur, concedi etiam aut præcipi alteri relatiuo, eſſet vniuerſalis, & ſicut Religioſis præcipitur ne ingrediantur Monialium monaſteria, ſic & Monialibus præciperentur ne excurrerent per plateas virorum. Nec volo apud illas reus agi, quod priuilegia cum præceptis confundam, quia clauſuram vocabo priuilegium, à multis enim oneribus, & moleſtijs

leſtijs ſunt liberæ, quæ exire non poſſunt. Scripſi de Monialium clauſura ptæ Eximio D. Franciſco Syluio, quæ Groningenſes Moniales, vt fæminarum mos eſt, deceperant & ſcribere coegerant contra Reuerendiſsimum D. Abbatem Dunenſem. [oportet nominari perſonas; quoniam inter Syluij conſilia impreſſum illud eſt, de quo agimus, & nomina perſonarum præſefert] deprehenſa propoſitionis fraude aliter omninò Vir pius & doctus reſpondit, totuſque pro Deo & clauſura ſtat, & ſpeciali epiſtola mihi agit gratias quod voluerim eius opinionem eruere, & contra falſas caſuum propoſitiones defenſare.

CAPVT XII.

De euntibus inter Saracenos, & alios infideles, & de Protectore Cardinale.

1993. QVicumque Fratrum diuina inſpiratione, voluerint ire inter Saracenos, & alios infideles, petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Prouincialibus. Miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis quos viderint eſſe idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam iniungo Miniſtris, vt petant à Domino Papa vnum de Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis; vt ſemper ſubditi & ſubiecti pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtabiles in Fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & ſanctum Euangelium D. N. Ieſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſeruemus.

Solent velle peregrinari, qui minus apti, nec temerè eſt licentia concedenda. Qui apti iudicarentur, ſi nolent, vi huius legis cogi non poſſent Saracenos & fidei inimicos adire. ſed ſtrictiùs eorumdem ſaluti tenentur ſtudere Ieſuitæ, qui miſsi in remotas prouincias, ire debent. è quibus, vt video, ſe lectiſſimi homines transmitti ſolent. Infidelium lucrandis animabus ſcientia non ſufficit, ſi vita diſſonet, fortiſsime enim prædicat.

Qui ſuadenda facit, qui facienda docet;

vita bona non ſufficit, ſi deſit ſcientia; vtraque infidelium conuerſioni neceſſaria eſt. Qui enim & lingua & vita prædicat, animos abripit, & in ſui admirationem priùs, & demum in imitationem conuertit.

De Cardinale Protectore nihil hic, quia multa occurrunt, quæ ſtatui, aliqua quæ ventilari poſſent. Omittam opinionem illorum, qui exiſtimant, tam curare Ordines ſibi commiſſos Cardinales Protectores, quàm Principes libros ſibi dedicatos. Nemo eſt, qui librum editurus æmulorum liuorem non timeat, aut dicat ſaltem; nemo, qui voluntarius librum edat. ſinguli amicorum precibus obruti, ne petitioni illorum, qui poterant iubere, deſint, edi libros permittunt, & obtuſuri maleuolentiam multi corporis Zoili. Principum implorant adſiſtentiam. Sed quis vnquam Princeps, vt ſibi ſacrum opus tueretur, euaginare gladiũ viſus? An ideò, inquiunt, deleti ſunt Templarij à Clemente, & delendi erant ab Innoc. Ciſtertienſes, quod Card. Protectore caruerint, à quo contra inuidos defenderētur? Annō in Gallia Ciſtertienſes eoſdē, imò & Præmōſtratenſes oppreſſos à Richelio nomine Armādo, ſed re verà armato, tametſi Cardinale vidimus, neç in

in vrbe Protectorem reperimus ? Sic philoſophari ſolent illi, qui optarent protectionis vocabulum non eſſe titulum ſine re, aut vocem ſignificationis expertem.

Omittam, inquam, opinionem illorum; nam Doctores Theologi Eximij fortè dicti, quòd eximo aſſumpti, non debemus Eminentiſſimos Eccleſiæ Primores iudicare. Laudabo interim meos Ciſtertienſes, qui apud Cæſarium Libr. VII. Cap. VI. in vrbis imò & orbis cardine protectore carentes, in cęlo repererunt. Laudabo Præmonſtratenſes etiam, & inter ipſos DD. Chryſoſtomum Stellam, S. Michaelis apud Antuerpienſes Abbatem, Virum Magnum, pium doctum, prudentem; qui contra inuaſorem Armandum paucos aut nullos in terra armatos videns, ne purpura protectrice careret, ad Chriſti ſanguinem confugit, & amicorum ſolicitauit orationes & lachrymas, quas in incruento ſacrificio Deo offerret, vt quæ noſtris meritis non valerent, diuina purpura dilibutæ impetrarent.

Dicam igitur ſummæ eſſe felicitatis illum habere protectorem, quem ſocium Pontifex. Quod ſi aliqui parum profuerunt Protectores, nullus nocuit; adeoq; eorumdem procurandus eſt fauor, & credendus vtilis eſſe poſse.

CONFIRMATIO
Regulæ S. Franciſci.

1994. *NVLLI ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, velei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno octauo.*

TESTAMENTVM
S. FRANCISCI.

Hoc eſt:

Expoſitio ſeu gloſſa ſpiritualis Regulæ præcedentis, quam in ſacris ſtigmatibus condecoratus, & nouis reuelationibus inſtructus, Sancto Spiritu plenus, ſub finem vitæ ſcripſit, & ſuis legauit Religioſis in amoris teſſeram, vt Regulam ſinceriùs obſeruarent.

1995. DOMINVS dedit mihi Fratri Franciſco ita incipere facere pœnitentiam: quia cum eſſem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre Leproſos; & ipſe Dominus conduxit me inter illos, & fecit miſericordiam cum illis. Et recedente me ab ipſis, id quod mihi videbatur amarum, conuerſum fuit mihi indulcedinem animæ & corporis.

Et

Et poſtea paruum ſteti, & exiui de ſæculo. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Eccleſijs, vt ita ſimpliciter adorarem & dicerem: Adoramus te ſanctiſſime Domine Ieſu Chriſte, hic, & ad omnes Eccleſias, quæ ſunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum. Et poſtea dedit mihi Dominus, & dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui viuunt ſecundum formam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, propter Ordinem ipſorum, quod ſi facerent mihi perſecutionem volo recurrere ad ipſos. Et ſi haberem tantam ſapientiam quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius ſæculi, in parochijs in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum. Et ipſos & omnes alios volo timere, amare & honorare ſicut meos Dominos. Et nolo in ipſis conſiderare peccatum, quia Filium Dei diſcerno in eis, & domini mei ſunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc ſæculo, de ipſo altiſſimo Filio Dei, niſi ſanctiſſimum corpus eius, & ſanguinem ſuum, quod ipſi conſecrant & recipiũt, & ipſi ſoli alijs adminiſtrant. Et hæc ſanctiſſima myſteria volo ſuper omnia honorare & venerari, & in locis pretioſis collocare. Et ſanctiſſima nomina eius, & verba ſcripta vbicumque inuenero in locis illicitis, volo colligere, & rogo quod colligantur, & in loco honeſto collocentur. Et omnes Theologos, & qui miniſtrant nobis ſanctiſſima verba diuina, debemus honorare & venerari, ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum, & vitam.

Et poſtquam Dominus dedit mihi de Fratribus, nemo oſtendebat mihi quid deberem facere, ſed ipſe Altiſſimus reuelauit mihi, quod ego deberem ſecundum formam ſancti Euangelij viuere: & ego paucis verbis & ſimpliciter feci ſcribi, & Dominus Papa confirmauit mihi. Et illi qui veniebant ad recipiendam vitam iſtam, omnia quæ habere poterant, dabant pauperibus. Et eramus contenti tunica vna, intus & foris repeciata, qui volebant, cum cingulo, & braccis, & nolebamus plus habere.

Officium dicebamus nos Clerici ſecundum alios Clericos, Laici dicebant Pater noſter. Et ſatis libenter manebamus in Eccleſijs pauperculis & derelictis: & eramus idiotæ & ſubditi omnis.

1995. b. Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alij Fratres mei firmiter volo quod laborent de laboritio quod pertinet ad honeſtatem: & qui neſciunt addiſcant; non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplum, & ad repellendum otioſitatem.

Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad menſam Domini, petendo eleemoſynam oſtiatim. Salutationem hanc reuelauit mihi Dominus vt diceremus. Dominus det tibi pacem. Et caueant ſibi Fratres, vt Eccleſias, & habitacula, & alia omnia, quæ pro ipſis conſtruuntur, penitùs non recipiant, niſi eſsent, ſicut decet ſanctam paupertatem quam in Regula promiſimus obſeruare. ſemper ibi hoſpitantes tanquam peregrini & aduenæ. Præcipio firmiter per obedientiam Fratribus vniuerſis, vt vbicumque ſunt, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana, per ſe, nec per interpoſitam perſonam, neque pro Eccleſia, neque pro alio loco, neque ſub ſpecie prædicationis, neque pro perſecutione ſuorum corporum: ſed vbicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendum ibi penitentiam cum benedictione Dei.

Et firmiter volo obedire Miniſtro Generali huius Fraternitatis, & illi Guardiano quem ſibi placuerit mihi dare: & ita volo eſſe captus in manibus ſuis, vt non poſſim ire vel facere vltra obedientiam & voluntatem ſuam, quia Dominus meus eſt.

Et quamuis ſim ſimplex & infirmus, tamen volo ſemper habere Clericum,

qui mihi facit officium ſicut in Regula continetur. Et omnes alij Fratres teneantur obedire Guardianis ſuis, & facere officium ſecundum Regulam. Et qui inuenti eſſent, qui nollent facere Officium ſecundum Regulam, & vellent aliquo modo variare, aut non eſſent Catholici, omnes Fratres vbicumque ſunt, per obedientiam teneantur, vbicumque inuenerint, præſentare. Et cuſtos firmiter teneatur per obedientiam ipſum fortiter cuſtodire, ſicut hominem in vinculis, die, nocteque, ita quòd non poſſit eripi de manibus ſuis, donec in propria perſona ipſum repræſentet in manibus ſui Miniſtri. Et Miniſter firmiter teneatur per obedientiam, ipſum mittere per tales Fratres, qui diu nocteque cuſtodiant ipſum, ſicut hominem in vinculis, donec repræſentet eum coram Domino Hoſtienſi, qui eſt Dominus Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis.

Et non dicant Fratres: hæc eſt alia Regula: quia hæc eſt recordatio, admonitio & exhortatio, ac meum Teſtamentum, quod ego Frater Franciſcus paruulus veſter, & ſeruus facio vobis Fratribus meis benedictis, propter hoc vt Regulam, quam Domino promiſimus, meliùs Catholicè obſeruemus.

1996. Et Generalis Miniſter, & omnes alij Miniſtri & Cuſtodes per obedientiam teneantur in iſtis verbis non addere vel minuere, & ſemper hoc ſcriptum habeant ſecum iuxta Regulam. Et in omnibus Capitulis quæ faciunt, quando legunt Regulam, legant & iſta verba. Et omnibus Fratribus meis Clericis & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant gloſſas in Regulam, nec in iſtis verbis, dicendo: Ita volunt intelligi: ſed ſicut Dominus dedit mihi ſimpliciter & purè dicere & ſcribere Regulam & iſta verba; ita ſimpliciter & purè ſine gloſſa intelligatis, & cum ſancta operatione obſeruetis vſq; in finem.

Et quiſquis obſeruauerit hæc, in cęlo repleatur benedictione altiſſimi Patris Cœleſtis, & in terra repleatur benedictione dilecti Filij ſui, cum ſanctiſſimo Spiritu Paraclyto, cui eſt honor & gloria, nunc, & in æternum. Et ego Frater Franciſcus paruulus veſter & ſeruus, quantumcumque poſſum, confirmo vobis intus & foris iſtam ſanctiſſimam benedictionem, quam habeatis cum omnibus Virtutibus cęlorum, & omnibus Sanctis, nunc & in ſæcula ſæculorum.

SVMMARIVM PRÆCEPTORVM.

1997. Primum ſtatus noſtri ſubſtantiale fundamentum (vt ait Hugo in 1. cap. Regulæ) eſt Euangelica ſeruare conſilia, quæ in Regula ſunt expreſſa, & eo modo & forma prout in ipſa poſita ſunt. Vnde aſſertiuè dicendum eſt, nihil eſſe in Regula quod ſub mortali culpa, virtute voti regularis, obliget profeſſores; niſi quod ſub præceptorijs verbis in ea ponitur, vt (præcipio; iniungo per obedientiam:) vel ſub verbo habente vim præcepti; vt dicendo (teneantur:) vel ſub verbo inhibitorio, ſeu prohibitorio, vt eſt illud 6. cap. (Fratres nihil ſibi appropient) vel niſi ſit de illis æquipollentibus per Clementem V. (in ſua declaratione ſuper Regulam Fratrum Minorum quæ incipit: Exiui de Paradiſo, &c.) ſpecificatis & expreſſis. Quæ omnia hic pro commoditate nouitiorum ſubſcribũtur.

VII. Præcepta formalia.
II. Inhibitoria.
IV. Habentia vim præcepti.
XII. Æquipollentia præceptis.

Præcepta Formalia.

1. Quòd totus Ordo tenetur præſtare obedientiam & reuerentiam Domino Papæ, & Romanæ Eccleſiæ. cap. 1.

2. Quòd Fratres nullo modo denarios vel

vel pecuniam recipiant: cap. 4.

3. Quòd Fratres obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare. cap. 10.

4. Quòd Fratres non habeant ſuſpecta conſortia mulierum. cap. 11.

5. Quod non ingrediatur Monaſteria Monacharum. cap. 11.

6. Quòd non fiant compatres uirorum aut mulierum. cap. 11.

7. Quòd Miniſtri petant vnum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector & Corrector iſtius Fraternitatis. cap. 12.

Inhibitoria.

1. Quòd nullo modo liceat Fratribus de iſta Religione exire, cap. 2.

2. Quòd Fratres nihil ſibi appropriet. cap. 6.

Habentia vim præcepti, etiam obligantia ad mortale, ex declaratione Pontificum.

1. Quòd Fratres teneantur recurrere ad Miniſtros Prouinciales pro caſibus reſeruatis, cap. 7.

2. Quòd Fratres habeant vnum de Fratribus iſtius Religionis in Generalem Miniſtrum, &c. cap. 8.

3. Quòd Miniſtri & Cuſtodes teneantur inſimul conuenire in Capitulo Generali pro electione ſucceſſoris Generalis Miniſtri. cap. 8.

4. Quòd ſi aliquo tempore appareret Vniuerſitati Miniſtrorũ Prouincialiũ & Cuſtodũ, prædictũ Miniſtrũ non eſſe ſufficiẽtem; debeant eligere alium, &c. c. 8.

Aequipollentia ex declaratione Clementis V. obligantia ad mortale.

1. Quòd Fratres habeant vnam tunicam cum capucio, & aliam ſine capucio, qui voluerunt habere. cap. 2.

2. Quòd illi tantum qui neceſſitate coguntur, poſſunt portare calceamenta. cap. 2.

3. Quòd vilibus veſtimentis induantur. cap. 2.

4. Quòd Clerici faciant diuinum Officium ſecundum Ordinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & laici dicant Pater noſter. cap. 3.

5. Quòd Fratres ieiunent à Feſto omnium Sanctorum vſque ad Natiuitatem Domini, ſanctam Quadrageſimam Reſurrectionis, & in ſextis Ferijs totius anni. cap. 3.

6. Quòd non equitent, niſi manifeſta neceſsitate aut infirmitate cogantur. c. 3.

7. Quòd Miniſtri & Cuſtodes ſollicitam curam gerant pro neceſſitatibus infirmorũ, & alijs Fratribus induendis. c. 4.

8. Quòd Fratres ſeruiant Fratribus infirmis cap. 6.

9. Quòd Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. cap. 9.

10. Quòd nullus Fratrum populo audeat prædicare, niſi à Miniſtro Generali huius Fraternitatis fuerit approbatus. c. 9.

11. Quòd vbicumque ſunt Fratres, qui ſcient & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare, poſſint & debeãt ad ſuos Miniſtros recurrere. c. 10.

12. Omnia quæ ponuntur in Regula, quoad formam habitus, tam nouitiorum quàm etiam profeſſorum, & admodum receptionis ac profeſſionis ſpectantia; in quo multę conditiones obligatorię compræhenduntur. cap. 2.

Hæc omnia ſi ſimul iungantur, conſtat, quod viginti quinque erunt obligatoria Regulæ ſub culpa mortali. Septem ſcilicet præcepta formalia; duo inhibitoria; quatuor habentia vim præcepti: & duodecim æquipollentia; quę omnia viginti quinque ſunt. Et licet ſecundum declarationes Nicolai III. & Clementis V. ſunt viginti octo, reducuntur tamen ad viginti quinque. Nam reliqua tria habentia vim pręcepti includuntur in ſupradictis. Id enim quod dicitur in primo Capite

Capite (quod Fratres teneantur obedire ſucceſſorib. ſancti Franciſci) & id quod dicitur cap. 8. (quòd teneantur obedire Generali Miniſtro) includuntur vtique in illo præcepto, capite decimo: Quòd obediant ſuis Prælatis in omnibus, quæ non ſunt contraria animæ ſuæ & Regulæ noſtræ. Illud autem quod dicitur de ieiunio ſextæ Feriæ, ad æquipollens reducitur vbi agitur de ieiunio. Illud verò duodecimi capitis de non eundo inter Saracenos ſine licentia, & non mittendo niſi idoneos, potius videtur præceptum iuris communis (cap. Quàm ſit, de Iudæis & Saracenis, & cap. Cum ex iniuncto, de Hæreticis) quàm particulare Regulæ noſtræ, & ideò hic non connumeratur.

Moriturus S. Benedictus Teſtamentum & vltimam voluntatem ſuam reliquit, quæ eſſet Regulæ compendioſa expoſitio, poſſetq; in dubijs, ſiqua naſcerentur, iuuare. Dedimus nu. 1777. Sed & illum imitatus fuit S. Franciſcus, cuius teſtamentum non obligat ſub culpa mortali. Quod & Gregorius IX. & Nicolaus III. expreſsè teſtantur. Ob reuerentiam tamen Seraphici Patris decet illud pro virili à Minoritis obſeruari. Qui ad alia Conſilia Euangelica non tenentur, quàm quæ (vt dictum eſt) in Regula ponuntur, eò tamen obſtringuntur ſtrictius, quàm cæteri Chriſtiani, quòd ſtatum perfectionis profitendo, ſeipſos in holocauſtum & ſacrificium medullatum Domino obtulerint per verum mundanorum omnium contemptum, & conari debent pro viribus, (vt monet Nicol. III. & omnes Doctores) vt ea obſeruent, cum maximè ſeruiant ad ipſam perfectionem aſſequendam.

Verba ſancti Franciſci exhortatoria.

1998. O dilectiſſimi Fratres, & in æternum Benedicti Filij, audite me, audite vocem Patris veſtri.

Magna promiſimus, maiora promiſſa ſunt nobis. Seruemus hæc, ſuſpiremus ad illa. Voluptas breuis: pœna perpetua. Modica paſſio: gloria infinita. Multorũ vocatio, paucorũ electio. Omniũ retributio.

Fratres dum tempus habemus operemur bonum. Gal. 6.

FORMA PROFESSIONIS

Fratrum Minorum.

1999. Ego Frater N. voueo & promitto Deo omnipotenti: & Beatæ M. V. & B. Franciſco: & omnibus Sanctis & tibi Pater: toto tempore vitæ meæ ſeruare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam: viuendo in obedientia: ſine proprio: & in caſtitate.

Prælatus qui ad profeſſionem recipit respondet.

Et ego ex parte Dei, ſi hæc obſeruaueris, promitto tibi vitam æternam. In nomine Patris † & Filij † & Spiritus ſancti †.

Omnes Fratres reſpondent; Amen.

Deinde datur ei oſculum pacis ab omnibus, Prælato incipiente. Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Pſal. 75.

S 2 THEO-

THEOLOGIÆ REGVLARIS

Pars Septima.

COMMENTARIVS.

IN REGVLAM

FRATRVM ET SORORVM DE POENITENTIA, TERTII ORDINIS S. FRANCISCI. HABITANTIVM IN COMMVNITATE.

2000. *SVb tertio Ordine S.Franciſci, qui Deo militant FRATRES DE POENITENTIA nominantur, quorum alij in congregatione, & alij in proprijs domibus viuunt. Pro ſingulis Regulas proprias Eccleſia edidit; vtramque dabimus, illam tamen præponemus, quæ viuentes in congregatione concernit, horum enim vita ſanctior eſt.*

Primò igitur ſciendum Fratres de Pænitentia, qui in Congregatione degunt, tria vota eſſentialia emittere & Patrum Minorum priuilegijs gaudere, vt conſtat ex Conſtitutione Pij V. quæ incipit, (ea eſt officij noſtri) & idem de Sororibus dicendum. vnde in poſterum FRATRVM nomine vtriuſque ſexus pænitentes intelligam.

Secundò hanc Regulam à Leone X. denuò fuiſſe ordinatum, ſecundò & tertiò aliquibus alteratis prout indicatum expedire: nos vltimam, vtpotè præcedentium reformationem & correctionem exponemus. Hanc enim trium Ordinum Franciſcanorum Miniſter Generalis recepit: vulgari, & Tertiarijs omnibus tradi curauit: quam primò edidit Coloniæ ann. 1619. Ioannes Kinchius ſub Monocerote.

REV. ADMODVM, AMPLISS. ET ERVDITISS. D. CHRISTOPHORO BVTKENS.

Monaſterij S. Saluatoris apud Antuerpienſes Antiſtiti.

SVO DOMINO, AMICO, CONFRATRI. S.

DIVTVRNI ſilentij, quo ſumus his temporibus vſi, finem hodiernus dies afferat, idemque initium, quæ ſentiamus, diſſentiamusve liberrimè communicandi. Ceſſat hyeme militaris ſtrepitus, & facilior patet aditus tabellarijs; imò non paucas æſtate datas litteras, hyeme recipio. & quia de Tua erga me nunquam amicitia diffidam, multas datas ſuſpicor, & diebus ſingulis recipiendas ſpero. & in ipſis doceri, quænam noua volumina moliaris. O quantum Tibi Brabantia tuis nobilitata libris debet! ſentiunt ipſi, inuident peregrini. An ſecunda pars prodijt? auide exſpecto, & in ſingulis illam nundinis ambitioſus perquiro. An alia noua mihi inuiſa, aut indicta? multa, & grandia, vt opinor, nam quieſcere non poteſt ingenium, ſemper concipit, ſemper conatur parturire. Amabo; ſpecialitèr monear, & reddar particeps laborum, ſtudiorumque.

Integris Ego duobus annis obmutui ſtrepitu militari impeditus: nec modò immunis, ideòque malo dicta repetere, quàm noua dicere. Regularem meam Theologiam recognoui, & in octo illam Partes diſtinguens, ſingulas ſingularibus Amicis dedicaui, & hanc Tibi ſpecialitèr, propter rationes ſpeciales. Nam in illa Regulam à Leone X. pronuntiatam expono, cui Te ſummo Pontifici ſpecialitèr deuotum lauri Tuæ oſtendunt. & vrget noſter communis Amicus, Nobiliſſimus D. Hieronymus Niſſus, Nepos Magni Auguſtini, à Leone hoc X. familię Mediceorum adſcripti. Fuit hic Pontifex dignus, qui à doctis coleretur, quoniam doctos ſuſpexit, & promouit; & qui ſi viueret, Te ratione doctrinæ magni faceret; dignus eſt, qui, & à Te magni fiat, præcipuè cùm in hac parua Regula cauſam Dei efficaciſſimè promoueat. Commentarios adiunxi, & Leonem illuſtrando, multa loca Regulæ Benedictinæ expoſui, quæ aliàs videbantur obſcura. Tu Pontificis communium Amicorum Amici, adeòque etiam Amici, perſonam, legemque cultu, & reuerentia proſequens, patere, vt à Commentatore colaris. Viue, vale; & diligere perge.

Tibi Reuerende admodum, & Ampliſſime Domine addictiſſimum

IOANNEM CARAMVEL LOBKOVVITZ.

IN-

INDEX.

BVLLA Leonis Papæ X. 2001. *An quis concupiſcentiam dum vixerit, frenare poterit?* 2002.

CAPVT I. De Nouitiorum, ſeu Nouitiarum ingreſſu. 2003. *An veſtiri poſſit aliquis non confirmatus?* 2004.

CAPVT II. De his, quæ habent promittere fratres, & ſorores in profeſſione huius tertiæ Regulæ. De habitu, de forma profeſſionis. 2005. *Nouitij Benedictini olim emittebant vota ante profeſſionem, & in quem finem? An in nouitij approbatione omnes Fratres habituri ſint vocem? & ſi habituri, a deciſiuam?* 2007. *Quid ſit, mandatorum Dei obſeruantiam promittere?* 1010. 2092.

CAPVT III. De ieiunijs. De laboratorib. 2011. *An die Natalis Domini, ſi in diem Veneris incidat, poſſint comedere carnes Tertiarij?* 2012. *Quid dicendum ſit de Ciſtertienſibus?* 2013. *cur ipſi abſtineant à carnibus diebus ſolemnibus?* 2014. *An communitas Ciſtertienſis, quæ vouerit abſtinere à carnibus die Paſchatis, poſſit illas comedere poſtridie?* 2015. *De ientaculo.* 2016.

CAPVT IV. De Diuino officio, & Oratione. De ſilentio. De miſſa audienda à Clericis, & Laicis, 2017. *An ſatisfaciat Miſſæ audiendæ præcepto, qui cum collateralibus garrit.* 2018. *De examine conſcientiæ veſpertino.* 2019. *De Miſſa audienda diebus ſingulis.* 2020. *De concionibus, & concionatorum qualitatibus.* 2021. *An concionari mulier poſſit?* 2024. *An Tertiarij conciones poſſint Sacerdotum ſæcularium audire?* 2025. *An iuniores Tertiarij non promoti ad maiores Ordines teneantur ad Officium Diuinum?* 2026. *An debeant ſingulis hebdomadibus communicare?* 2027.

CAPVT V. De Prælatorum, & officiorum ordinatione. 2028. *Quæritur; An detur præuentioni locus? An Miniſter à Conuentu debeat, an verò à Prouinciali denominari?* 2029. *Præſtet ne Miniſtros triennales, an perpetuos eſſe?* 2029. b.

CAPVT VI. De modo interiùs, exteriùsque conuerſandi. De qualitate veſtium, & de parcitate ſermonum. 2030. *Damnatur omnis diſſimulatio.* 2031. *Nemo ſacer in aula.* 2031. *De choreis, & ludis.* 2032. *Iniurata veracitas.* 2033. *examen conſcientiæ quotidianum.* 2033.

CAPVT VII. De viſitatione, & cura infirmorum. 2034. *Superiores diebus ſingulis ægrotos viſitare tenentur, & illos veram pænitentiam monere.* 2035. *Ciſtertienſium mores.* 2036. *Teneturne Medicus, an Prælatus ægroto dicere, quòd ſit in notorio periculo?* 2037.

CAPVT VIII. De viſitatione, quam Prælati debent facere circa fratres, & ſorores. 2038. *Viſitationum vtilitas.* 2039. *Cur in Patriarcharum Regulis carceris mentio nulla fiat?* 2040.

CAPVT IX. De mortuorum officijs. De exequijs faciendis. De recitandis pro defunctis. 2041. *An ad defunctorum ſuffragia moraliter Tertiarij teneantur?* 2042.

CAPVT X. De obligatione contentorum in Regula. 2043. De tribus votis. De clauſura. 2043. *Aliqua de obligatione Regularum.*

S. FRAN-

S. FRANCISCI
TERTIA REGVLA.

Dilectis Filijs, Fratribus, & Sororibus tertij Ordinis B. Franciſci ſub tribus votis eſſentialibus in Congregatione viuentibus.

2001. LEO Papa X. Dilecti Filij, & Filiæ, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Inter cætera noſtro regimini credita, ea nos potiſſimè ſollicitos reddunt, per quæ, frę̨natis mundi, carniſq; concupiſcentijs, innocentiæ, primæque pacis cœlitùs collatæ tranquillus ſtatus, ad ſuã primę̨vam reduci cognoſcitur originem. ¶ Dudùm ſi quidem huius gratia Nicolaus Papa V I. prædeceſſor noſter tertiam Regulam B. Franciſci, quam de pœnitentia appellauit, per quã almus Cõfeſſor, homines vtriuſq; ſexus fideles, Spiritu Dei plenus ſaluare contendebat, confirmauit, & approbauit. Verùm quia temporis decurſu, ſpirante illo Spiritu Sancto, non ſolùm viri coniugati, mundique huius incolæ, pro quibus à B. Franciſco præfata tertia Regula edita fuerat, verùm etiam innumerarum Virginum Chori tribus eſſentialibus, & à quibuſdam etiam, clauſuræ, noſtra auctoritate aſſumptis votis, non ſine militantis Eccleſiæ fructu multiplici, & ædificatione præfati Tertij Ordinis iugo ſua colla ſubdiderunt. Et quoniam in dicta Tertia Regula, quę̨dam Maritatis accommoda, Cœlibi verò, Virgineoque ſtatui ſub huiuſmodi Tertia Regula Domino ſamulantibus, nullatenùs deceutia innectuntur, ob quæ caſtorum animorum nitidi affectus ab ingreſſu dicti Ordinis nonnumquam auertuntur, nos iuxtà Domini voluntatem, pretioſum à vili ſeparantes eandem Tertiam Regulam in modum, qui ſequitur diſtinctam, de nouo confirmamus, & approbamus, ac vobis, ac ſucceſſoribus veſtris ſeruandam tranſmittimus, cuius tenor ſequitur, & eſt talis.

2002. *Sub ipſum initium verba illa difficilia ſunt: videlicet:* Ea nos potiſſimè ſollicitos reddunt, pèr quæ frę̨natis mundi, carniſque concupiſcentijs, innocentiæ, primæque pacis cœlitùs collatæ tranquillus ſtatus ad ſuam primę̨vam reduci cognoſcitur originem. *Quæ ſic vrges. Vel frę̨nare concupiſcentiam, eſt illam eradicare, vel manentem cohibere, & remittere. Primum dici non poteſt; ipſa enim, aſſerente Tridentino Concilio, ad agonem relicta, in hàc vita remitti, & ſubigi poteſt, non tolli. Secundum etiam dici nequit, non enim homo ad primævæ tranquillitatis ſtatum concupiſcẽtiæ remiſſione reducitur. cùm certum ſit hominem innocentem ne remiſſam quidem habuiſſe. Igitur vt conſtet periodus, vel dicendum homines in hac poſſe vita concupiſcentię̨ ignem funditus euertere, & ex-*

& extinguere; vel addendum ſi nequeant, primùm hominẽ non caruiſſe peccati fomite nec concupiſcibilis portionis incendijs, ſed habuiſſe has naturæ imperfectiones in gradu remiſſo & ignobili, & gratiam in intenſo, qua poſſet paſſiones ſubiungere.

Sed non adquieſco. Hominem innocentem caruiſſe concupiſcentia certum eſt, hanc non deleri & extingui baptiſmate, ſed ad agonem nobis relinqui eſt æquè certum: & tamen periodus Decimi Leonis ſubſtinenda. Dico igitur non aſſeri à Pontifice poſſe homine in originali conceptum ad primæuum innocentiæ ſtatum & tranquillitatem illam, quam habuit homo innocens, peruenire; poſſe tamen propinquiùs & propinquiùs accedere; nam & nos in cælum tanquam in patriam tendimus, nec ante eò perueniemus, quàm corpore exuamur. Hoc ſignificat verbum reduci, *quoniam nec omnis qui ducitur finem attingit, nec principium omnis, qui reducitur. Et ſanè Pœnitentia nos per vitæ veram innocentiam & ſanctitatem, per aliqualem paſſionum pacem & tranquillitatẽ, nos ad cęlũ Paradiſum innocentiæ reducit, quem non adueniemus, ni priùs à tellure excedamus.*

CAPVT I.

De Nouitiorum ſeu Nouitiarum ingreſſu.

2003. FRATRES, ſeu Sorores ad hunc Tertium Ordinem recipiendi, debet eſſe fideles Catholici, de hæreſi non ſuſpecti, in obedientia Romanæ Eccleſiæ firmi, matrimonio non ligati, debitis expediti, corpore ſani, animo prompti, nulla vulgari infamia maculati; cum proximis reconciliati. Et de ijs omnibus, antequam recipiantur, ab eo, qui recipiendi habet facultatem, ſunt diligenter examinandi.

2004. *Oriri ſtatim dubium poſſit circa illa verba*, Inobedientia Romanæ Eccleſiæ firmi. *nimirum vtrum eorumdem vt inhabiles ſint, qui hunc Ordinem ingrediantur, homines vniuerſi, qui non receperint confirmationis ſacramentum iſti enim iuxta phraſim Eccleſiæ firmi non ſunt.*

Reſpondeo tamen verba non debere intelligi de Confirmationis Sacramento, & perſuadeo. Quoniam ſtrictiores alij Ordines requirunt qualitates, at Sacramentalem Confirmationem non requirunt; ergo nec Ordo iſti Tertiarius. Dicẽdũ eſt ergo illos dici in eccleſia Romanę obedietia, et religione firmos, qui cõſtãtes, qui nullo modo infirmi, vacillãtes, ambigui, ſiue ipſi ſacramẽtaliter cõfirmati nõ ſint.

CAPVT II.

De his, quæ habent promittere Fratres & Sorores in Profeſſione huius tertiæ Regulæ.

2005. FRATRES & Sorores poſtquàm per vnum integrum annum habitum probationis detulerint (qui de vili pa[illegible]no arbitrio Viſitatoris eſſe debet) ſi conuerſatio laudabilis fuerit ap[illegible]d Conuentum in quo quis,

quis, vel quæ, habitum probationis portauerit, de conſilio diſcretorum dicti Conuentus ad profeſſionem dicti ordinis recipiatur. In qua profeſſione promittat ſeruare mādata Dei, ac ſatisfacturum de tranſgreſſionibus quas facere poſſet in futurum contra hanc tertiam Regulam, vbi à Prælatis requiſitus fuerit, viuendo in obedientia ſine proprio, & in caſtitate.

2006. *In titulo videretur alicui potius poni poſſet*, de his, quæ debent, *quam* de his, quæ habent: *ſed mihi phraſis iſta placet; habet enim veritatem reconditam, & certam. Nihil enim debent abſolutè Nouitij in Profeſſione promittere, quoniam nec debent profiteri, at ex hypotheſi, quòd profiteri velint, habent hæc promittenda.*

In hoc noſtri temporis Nouitij differunt à Nouitijs priſci æui, quod antiqui illi debebāt in Profeſſione promittere, iſti habent. illi non poterant non profiteri, iſti poſſunt. Debuiſſe illos ſtabilitatem ante veſtitionem promittere conſtat ex cap. LVIII. Regulæ D. Benedicti, *& ex his, quæ in eius illuſtrationem addidi, quibus adiungi poteſt ex Cæſario notabilis quædam hiſtoria. Ipſe enim* Cap. XXV. libri Dialogorū I *ſic inquit.* [Miles quidā Bnecco nomine, de villa Palnisdorp oriūdus mecum in probatione nouitius fuit, vir quidē ætate grandæuus, ſed circa propoſitū religionis minus deuotus, multis modis tentatus, & in tentatione victus, cū non acquieſceret cōſilio Fratrū ſicut canis ad vomitū, ſic miſer reuerſus eſt ad ſæculū. Secunda vice id actitans, præuētus infirmitate, in domo propria in habitu ſæculari, diem clauſit extremū, nullum pœnitentiæ demonſtrans indiciū. Qui cū moreretur, tantus fuit circa domum flatus ventorum, tanta ſuper tectum multitudo coruorum, vt, excepta vna vetula, omnes de domo territi fugerent, & morientem deſererent. Ecce quali morte moriuntur, qui à Deo recedunt. APOLLONIVS: Puto, quia flatus ille ventorum, & turba crocitantium coruorum, euidens fuerit ſignum præſentiæ dæmoniorum. CAESAREVS. Planè ita eſt: ait enim Saluator, *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt Regno Dei.* Miles iſte, quia per Apoſtaſiam retrò reſpexit, de culpa non pœnitendo, miniſtris gehennæ gaudium fecit.

APOLLONIVS: Si tāta eſt culpa nouitio redire ad ſæculū, quid eſt, quod S. Benedictus præcepit, vt perlecta regula, nouitio in hæc verba dicatur: Ecce lex, ſub qua militare vis; ſi potes obſeruare, ingredere, ſi non potes, liber diſcede?

CAESAREVS; Mauult S. Pater inter duo mala nouitiū diſcedere tēpore probationis, quàm iam monachū poſt diem profeſſionis; vndè eum liberum vocat à loco, non à voto; vt enim taceam de his, qui iam habitum Religionis induerunt, qui ſemel, ac ſecundò in facie Capituli ſtabilitatē ſuā promiſerunt; ſæcularibus perſonis, quæ ſolo verbo votum fecerunt inter manus Abbatis, nequaquam licitū eſt vitam ſæcularem ſectari, vel matrimonio ligari. Circa Nouitium, in neceſſitate Dominus Papa diſpenſat, vt ad ordinē tranſeat mitiorem; ſed nō permittit, vt ad vitā redeat ſæcularē. Ex his, quæ dicta ſunt dignoſcere poteris, quoſdā cōuerti ſola vocatione Dei, alios ſolo inſtinctu ſpiritus maligni, nōnullos quadā leuitate animi. Quod autē quidā conuertantur per miniſteriū aliorū, certum eſt; quia ſicut olim in tabernaculo Dei, cortina traxit cortinam, ita hodie in Eccleſia Dei, frater trahit fratrē, & hoc trib. modis, ſermone videlicèt, oratione, exēplo Religionis; Ecce funiculus triplex, qui difficile rumpitur.] *Huc vſq; Cæſareus* Vtor editione Coloniēſi anni 1599. & lego in margine. *Author hic loquitur de Nouitijs, voto aliquo obligatis.*

2007. *Annus probationis debet eſſe integer; conſtat ex illis verbis,* poſtquā per vnum integrum annum habitum pro-

T batio-

bationis detulerint. *Vide quæ dixero in ſimili materia ſuperius num.*

2008. QVAERITVR, *An in Nouitij approbatione omnes confratres habituri ſint vocem, & ſi habituri, an mere conſultiuam?*

Regula D. Benedicti Cap. III. iubet vniuerſos conſuli in rebus maioris momenti, & cum grauius ſit vnum fratrem incorporare Ordini, quàm fundum dare, certum omninò eſt Abbatem, qui hoc ſecundum ſine ſuorum conſilio facere nequit, nec poſſe inconſulta Communitate Nouitium ad profeſſionem admittere. At iuxta Tertiariorum Regulam, quam expono non omnes Fratres, ſed ſolum ſunt Diſcreti conuentus conſulendi, vt ad profeſſionem dicti Ordinis ſuſcipiatur.

2009. *Sed eorumdem vox erit ne merè conſultiua? Reſpondeo eſſe ſtandum rigori litteræ, & dicendum Diſcretos habere vocẽ deciſiuã. Ratio eſt, quoniã iuxta idiomatis Latini proprietatẽ aliud eſt,* Rem facere conſulto Petro, *aliud, & omnino diuerſum,* de conſilio Petri. *hoc enim vltimum ſignificat ita rem fieri, vt Petri conſilio ſubſcribatur, Ergo cum Leo Pontifex iubet Nouitium ad profeſſionem* de Diſcretorum conſilio promoueri, *his concedit deciſiuum ſuffragium, vultque ita illum admitti, vt horum ſtetur iudicio, atque conſilio ſubſcribatur.*

2010. QVAERITVR *etiam; Quid ſit promittere mandatorũ Dei obſeruantiã? Quoniam ſi verba valent quantum ſonant, videretur neceſſario dicendũ, Tertiarium, qui occidiſſet, aut mentitus fuiſſet, duplici titulo peccaſſe, nempe contra præceptũ, ad quod materia illa ſpectat, & contra hanc profeſſionem. Sed exiſtimo hæc ipſa verba benignius fore interpretandi, quoniam male exponentur, ſi ita vt contradicant ſequentibus, & ſimilibus loquendi formulis non cohereant. Quam ob rem in hac formula.* Promitto ſeruare mandata Dei, ac ſatisfacturum de tranſgreſſionibus, quas facere poſſum in futurum cõtra hanc tertiam Regulam, vbi à Prælatis requiſitus fuero: viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. *Illud, ac, videtur poni loco, aut, & ſumi debere diſiunctiuè, quod etiã in S. Benedicti Regula nõ raro reperiri in tabula ſpeciali oſtẽdo. Quã ob rem exiſtimo huius profeſſionis vigore teneri Tertiarios ad tria ſubſtãtialia abſolute, ad reliqua, quæ Dei lege interdicta, teneri virtute Decalogi,* & *ad acceptandam pœnitentiam, ſi corripi propter illa contigerit ratione Regulę, Hanc meam reſolutionem Capur X. confirmat, vbi expreſſè dicitur,* In præſenti Regula..... nulla ſunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, niſi humano, vel Diuino iure aliquis aliàs eſſet obligatus, obligantur tamẽ Fratres, & Sorores facere pœnitentias ſibi à Superioribus impoſitas,..... obligantur etiam ad tria vota eſſentialia, &c. *quæ omnia non eſſent vera, ſi totum Decalogum ipſi promitterent.* & demonſtratur. Quoniam *ſi ex vi profeſſionis aliquis teneretur non occidere, & tamen occideret, duo peccata mortalia committeret, alterum contra quintũ Decalogi præceptum, & alterum contra votum. Et hoc ſecundũ vt Profeſſionis contentę in Regula. ſalſo ergo diceretur nihil in Regula præter tria vota eſſentialia, & acceptationem pœnitentiarum obligare ſub culpa.*

CONFIRMATVR. *quoniam altera Tertiariorum, qui degunt in ſuis domibus, Regula lenior, & benignior, eamdem quoad hoc formulam profeſſionis indicit, & tamen moralem obligationem non agnoſcit, Formula, quæ in Capite II. dictæ ſecundæ Regulæ ponitur, eſt hęc.* Promitto me Diuina pręcepta omnium ſeruaturum, ac etiam ſatisfacturum, vt conuenit, de tranſgreſſionibus, &c. *Vt cuius videretur homicidium obligare ſub nouo peccato, & tamen in Capite XX.* In præmiſſis omnibus, *ait Pontifex Nicolaus,* ad quæ Fratres veſtri Ordinis, non ex diuinis præceptis, vel ſtatutis tenentur Eccleſiæ, nullum ipſorum ad mortalem culpa ꝑ volumus obligare. *Obligaret*

ret tamen ad mortale ſi homicidium ſub voto comprehenderet, quod enim ſub vno ſeculare peccato. Tertiarios ſub duplici obſtringeret.

ITERVM, *Quia Tertiarios rigidiorem, & ſtrictiorem vitam agere, quàm Carthuſiani, nemo dicet, at deberemus id omnes dicere, ſi Deo promitterent ſe ſeruaturos eſſe totum Decalogum: ergò hoc non promittunt abſolutè, ſed conditionatè; hoc eſt, aut ſeruaturos, aut admiſſuros pœnitentiam. Probatur minor, Quoniam Carthuſianus ſola lege DEI, adeoq; ſub uno peccato tenetur Amare DEVM, non admittere Idola, non peierare, non occidere, non mentiri, & Tertiarius teneretur ad vniuerſa, & ſingula ſtrictius, nimirum lege duplici, hoc eſt ratione Decalogi, & voti. Quæ omnia mihi videntur non eſſe admittenda.*

Fateor poſſe inſtitui in Eccleſia Religionem, in qua præter tria vota etiam Religioſi voueant ſe non eſſe peccaturos mortaliter: ſed hanc iudicarem ſtrictiorem illis, quæ hodie florent. At Tertiariorum Religio ſi littera profeſſionis accipienda eſt vt ſonat, præcipit, vt Nouitij in profeſſione voueant, non ſolum ſe non eſſe ampliùs peccaturos mortaliter, ſed nec venialiter; iubetur enim mãdatorum DEI obſeruantiã promittere, cùm tamẽ etiã venialia opponi cenſeantur mandatis. Promiſſio autẽ de vitandis omnibus peccatis venialibus ſtando naturæ corruptæ fragilitati de impoſſibili eſt; adeoque nõn obligatoria, vt Theologi affirmant.

Stet igitur Profeſſionis formulam bene fuiſſe à nobis expoſitam, nec debere, aut poſſe alitèr explicari.

CAPVT III.

De Ieiuno.

2011. FRATRES, & Sorores, perpetuis temporibus feria ſecunda, quarta, ſexta & Sabbatho, (excepto Dominicæ Natiuitatis feſto) carnes non comedant. Et à feſto omnium Sanctorum vſque ad Reſurrectionem Domini omni feria quarta, & ſexta ieiunare teneantur. Ac ſimiliter qualibet ſexta feria totius anni. Item à feſto Beati Martini vſq; ad Natiuitatem Domini ieiunent quotidie, iuncta Quadrageſima vniuerſalis Eccleſiæ vſq; ad reſurrectionem Domini, quam tamen à Quinquageſima incipere debent. Diebus verò, quibus non ieiunatur bis, tantum die dumtaxat comedant: Excepto, quòd à feſto Paſchæ vſque ad menſem Octobris laborantes penoſo ſeu graui labore, ter in die refici poterunt ieiuniorum ſemper diebus exceptis. Poterunt autem itinerantes, infirmi, debiles, tempore neceſſitatis ieiunium ſoluere.

2012. *Dominica Natiuitatis ſolennitas à ieiunio ſeculares excuſat, permittitq; carnes, etſi in diem Veneris incidat, huc videtur Pontifex reſpicere, cum hunc excipit diem, adeòq; exiſtimo Tertiarios poſſe carnes comedere die Veneris, ſi in illum hanc incidere ſolennitatem contingat. Et ratio eſt, quia iure Regulæ nec tenentur illa die ieiunare, nec à carnibus abſtinere. vnde cùm ex alia illos parte Romana Eccleſia ab abſtinentia præcepto liberet, ſupereſt eos poſſe illa die carnibus veſci.*

2013. *Sed inſtat difficultas notabilis, quæ quoniam aptiorem locum habere non potuit in præſentiarum debuit examinari. Peto, an Ciſtercienſes die illo Veneris, in quem Dominica inciderit*

Natiuit. ſolennitas poſſint odere carnes?

Et reſpondeo Romanam Eccleſiam in lege a ſe poſita diſpenſare, alias vniuerſas relinquens. Vnde, qui voto, aut lege ſpeciali obligantur ſingulis diebus Veneris ieiunare, bifariam peccaturi ſunt, ſi talibus diebus carnes comedant nimirùm contra Eccleſiæ præceptum, & contra illam ſpecialem legem, quæ ſupponitur. at die Natalis Domini ceſſat lex Eccleſiaſtica, & ſola manet illa obligatio ſpecialis. Ciſtertienſis igitur [*idem dicito quoad hoc de Franciſcano*] *qui comederet carnes die Veneris Dominicæ Natiuitatis ſacro, non eſt dicendus peccauiſſe contra Eccleſiæ præceptum, ſed contra Regulam; & idcirco id ipſum altius examinandum.*

Stando ſoli Benedictinæ Regulæ ab omni diſpenſatione, & priuilegio præciſa, adhuc duæ ſunt Authorum illuſtrium ſententiæ. Prior aſſerit illam ante Abbatis ſpeciale præceptum obligare venialiter, quod non puto; alia ſolùm ad pœnam. Conſultò illud ſpeciale fuit poſitum; exiſtimo enim contra voluntatem Abbatis Regulam ne quidem obligare pœnalitèr. Poſterior ponit communem eiuſdem Regulæ obligationem eſſe mere pœnalem, quod & credo; totam enim efficaciã, quam habet Regula, capit ab ablatis decreto: & Superiores ſemper prænaricantes puniunt, nec impunè tolerant obſeruantias regulares emitti. Supponẽdo igitur Priorem ſententiam, peccaret venialiter Benedictinus, qui carnes tali die Natiuitatis comederet; & ſupponendo poſteriorem, peccaret tantummodò pœnalitèr; & in ſententia vtraq; poſſet Abbas in culpa illa veniali, aut pœna làta diſpenſare, [Franciſcanus peccare mortaliter, quia grauitèr à Regula obligatur.]

At hodie habemus Benedictinam Regulam condecoratam Pontificijs fauoribus, & priuilegijs, & inter alios vniuerſis conceditur, vt ter in hebdomada edant carnes: nimirùm, tribus diebus, qui Eccleſiaſticæ abſtinentiæ præcepto impediti non ſint, cùm igitur illa dies Veneris non ſit Eccleſiaſtico impedita præcepto, eſt apta, vt in illa vti poſſimus priuilegio, & comedere carnes.

2014. *His poſitis Belgarum mores proponis, & examini ſubijcis: Dicis enim in Ciſtertienſibus Belgij Cænobijs ſolere abſtinere à carnibus Religioſos Natalis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, & B. Virginis ſolemnitatibus, & dubitas: An ſit laudandus talis mos, cum enim tota Eccleſia ob reuerentiam, & iubilum carnib. veſcitur, videtur intempeſtiua, & importuna abſtinentia triſtitia, quæ eſt apud Ciſtertienſes; qui viderentur ſanctius procedere, ſi aliorum ſcitibus accommodarent.*

Sed reſpondeo non eò tendere Ciſtertienſium rigorem, vt velint Natalem Chriſti diem, Paſcha, & Solennitates reliquas ieiunij feſtiuitate celebrare, cùm nulla ſit in ieiunio prudentium opinione feſtiuitas. Sed illos hoc modo diſcurrere cum in huiuſmodi ſolennitatibus à carne abſtinent. Alijs diebus Regulam ſeruauimus minus exactè, multum humanæ fragilitati indulſimus, multum priuilegijs Pontificijs conceſſimus, at ſolennibus diebus opus vita perfectior; Regulam igitur his diebus ſeruemus accuratè omni priuilegio, & mitigatione cedentes. *Cùm igitur bonum ſit diebus ſolemnioribus Regulam ad litteram ſeruare, cumque Regula ad litteram ſumpta carnes ſolis ægris concedat, hinc eſt, quod per accidens Ciſtertienſes Belgæ à carnibus die Natalis, Paſchatis, & alijs ſimilibus abſtineant, quin propter hoc incurrant notam aliquam ſingularitatis.*

2015. *Antequam deponam calamum, caſum vnum valdè neceſſarium ſubijciam. Communitas A. Ciſtertienſis vouit legitimè, & validè abſtinentiam à carnibus die Paſchatis, & dubitat, an illas comedere poſſit poſtridiè?*

Reſpondeo primas in Belgio carnes poſt Quadrageſimæ abſtinentiam comedi die Martis, hoc tamen ex deuotione fit, vt

vel

vel mortificetur appetitus, vel conſeruetur quadrageſimali ieiunio adquiſita mortificatio. At puto in caſu poſſe carnes comedi die Lunæ, & ratio eſt manifeſta, Quoniam, cum fruatur priuilegio comedendi carnes tribus diebus, illamque de facto comedamus die lunæ [ſic fit in tota Hiſpania] cùm dies martis aut iouis impeditur, illam etiam poterimus die lunæ comedere, ſi dominica impedita ſit. ET HAEC de noſtris legibus ſint dicta; ita enim volo leges alienas exponere, & noſtras dilucidem; ſic noſtras, vt & alienę lucem habeant.

2016. *Legunt illam huius Capitis lineam: uidelicet,* Diebus verò quibus non ieiunatur bis, tantùm die duntaxat comedant, *Abbates illi, ſiqui ſunt, qui permittunt ſerotinas & matutinas refecinnculas publicè in refectorio. pudeatque Tertiarios videre hac parte modeſtiores Monachis.*

CAPVT IV.

De Diuino officio & Oratione.

2017. FRATRES & Sorores in Eccleſia ſeruent ſilentium, præſertim quando Miſſa celebratur, vel ſermo Dei proponitur. In alijs verò locis, ſeruent quod per ſuos Superiores circa ſilentinm illis fuerit ordinatum. Debent etiam quolibet die in ſero intra ſe & Deum cogitare quid fecerint, dixerint, vel cogitauerint. Quolibet autem die (ſi potuerint commodè) debeant audire Miſſam. Et procurare debent, quod habeant virum religioſum, qui illis verbum Dei certis diebus proponat, & eos ad pœnitentiam, & virtutes inducat. Illi autem vel illæ, qui vel quæ horas canonicas ſciunt per ſe dicere, debent horas canonicas ſecundum vſum ſanctę Romanæ Eccleſię perſoluere. Qui verò horas canonicas neſciunt dicere, dicant duodecim Pater noſter pro matutino, & pro qualibet aliarum horarum ſeptem, addito Gloria Patri, in fine cuiuslibet Pater noſter, addito etiam Credo, & Miſerere mei Deus in Principio Primę & Completorij. Et qui præmiſſa neſcierit, ter Pater noſter pro pœnitentia dicere debeat. Quoties autem prandium vel cibum ſumunt, gratias Deo reddere debent. De confeſſione verò Sacramentali, & Sacra cõmunione ſumẽda, ſeruabunt Ordinationẽ Nicolai Papæ, IV. quod ter in anno confiteãtur, atq; communicent, vel etiam Statuta à ſuis Superioribus ſuper hoc ordinata.

2018. *Multa in hoc Capite Leges ponuntur; PRIMA de ſilentio, de quo ego à numero 1287. & quia Leo Papa illud cum Miſſę auditione compoſuit, interrogas, An ſatisfaciat Miſſæ audiendæ præcepto, qui cum collateralibus garrit? Et ego reſpondeo negatiuè. Quoniam vi præcepti ad attentionem teneor ſaltem extrinſecam, quam non pono cùm extrinſecùs diſtractus ſum. Qui enim dicimus attentionem ad ſatisfaciendum Horarũ Lectioni aut Miſſæ auditioni non requiri, agimus de attentione intrinſeca, non de extrinſeca; hãc n. præcipere poteſt Eccleſia. Nota tamẽ hãc attẽtionẽ vi præcepti Eccleſiaſtici nõ autẽ vi huius Regulæ grauiter obligare; adeoq; neminẽ teneri habere attẽtionẽ extrinſecã dieb⁹ ferialib⁹, imò nec diebus feſtis, ſi prætermiſſã ad quã ex præcepto tenetur, aliã ex deuotione audiat.*

2019. *Si*

2019. *Secunda eſt de examine conſcientiæ veſpertino, quæ valdè neceſſaria eſt. Huic propoſitum matutinum reſpondet; non benè enim vitam examinamus, ſi legem nobis non indiximus. Matutino ergo tempore cùm quis vigilat, horas canonicas illa pulcherrima petitione præueniat; videlicet, (Actiones meas quæſumus Domine, adiuuando præueni, & adſpirando proſequere, vt omnis hodierna actio à te incipiat, & per te incepta finiatur.) Poſtea illius diei obligationes [vnuſquiſque ſuas ignorare non poteſt] meditetur; ſpeculetur qui debeat ſingula facere, vt in ſingulis minorem Dei gloriam & animæ ſuæ lucrum intendat. Vniuerſas igitur minutim contemplando, humiliter Dei fauorem implorando ſibi ephemeridem, ſeu illius diei legem indicat, quã ſub noua culpa obligari non velit, quam exactè obſeruare proponat. Et veſpere recogitet totum diem illum, videatque an ſteterit matutino propoſito; & ſi quid bene fecerit, Deo gratias agat; ſin minus doleat, & ſibi aliquam proportionalem pœnitentiam imponat.*

2020. *TERTIA eſt de miſſa audienda diebus ſingulis; indecens enim eſſet à Religioſo omitti, quod vix omittitur à male-morato ſeculari.*

2021. *QVARTA de audiendo verbo Dei. Condemno in hoc multarum ſanctarum communitatum negligentiam; quæ dicuntur ſatis eſſe oneratæ nec poſſe concionibus obrui. Sanè ſicut corpus, ſic etiam animus indiget alimentis; & verbum Dei eſt panis viuus, ſine quo areſcit ſub initium anima, deliquia tandem patitur, & tandem moritur. Sed nec laudanda qua omnibus, nullo excepto, imponunt obligationem concionandi, non enim omnibus datum vtiliter, & ſalubriter poſſe. Aduenerat olim Madritum D. Angelus Manrique Ciſtercienſium apud Hiſpanos Generalis, & à regni Primoribus, vt moris eſt, viſitatus, requirebatur, vt Patrem N. denominet concionatorem illius vrbis. Quod vir optimus faceret; non erat ille, qui tantum onus ſubire congruè poſſet; non erant illi, quibus aliquid negari deberet; vt vtriſque ſatisfaceret, vrbaniſſimè et prudenter reſpondit. [Duo à ſe poſtulari longè diuerſa; nimirum, & quod Tyrium faciat Concionatorem, & quod illi permittat habere conciones in vrbe. Illud prius humanam excedere potentiam, & à ſolo Deo ſolere concedi, adeoque non ſe ſed illum eſſe orandum. Cumque ſecundum præſtare ſibi illicitum, quouſque Deus præſtiterit primum, ſe inducias petere; & tamen polliceri humanitùs locum petitum, cùm primùm concionaturo Tyrio data fuiſſet ſcientia neceſſaria diuinitùs]*

2022. *Sanè inconſultum fore vt omnes & ſinguli in communitate Religioſi ſine delectu concionentur, monſtrari efficaciter poterit ex Regula Benedictina Capite XXXVIII. Ibi ſic.* Fratres, non per ordinem legant, ſed qui ædificent audientes. *Quam periodum ſic vrgeo. Maior omninò prærequiritur ad concionandum ſcientia quàm ad legendum, at D. Benedictus non permiſit omnes & ſingulos in refectorio aut choro legere, ergo à fortiori id de concionatoribus erit dicendum.*

2023. *Hinc patet meritò Tertiariis iniunxiſſe Pontificem, quod habeant Con*cionatorem non qualemcumque, ſed virũ religioſum, qui illis verbum Dei certis diebus proponat, & eos ad pœnitentiam & virtutes inducat. *Verba ſunt formalia Leonis X. & ſingula digna ponderatione.*

2024. *Statuendo Concionatorem debere Virum eſſe, excludit aliquorum abuſum locorum, in quibus permittuntur fœminæ concionari. Videtur fœminina doctrina eſſe fœminis, & viris gratior. Illæ enim gaudent cùm audiunt eruditionem proprij ſexus, & ſibi committi magiſterium à tot ſeculis ſine intermiſſione negatum; iſti libentius audiunt ſyrenas dura proponentes quàm hirſutos homines ſuauia; ita fragiles vt malint fœmineum rigorem ſequi, quam ſuauitatem maſculam. Vbi nemo non videt magna latere inconuenientia; cùm negari non poſſit*

Con-

Concionatrices, & ſuperbiam fœminarũ augere, & laſciuiam virorum; & quod peius, vtramque ſub virtutis ſpecie. Ego ſanè nunquam eò dementem vidi fœminam, quę ſuggeſtum adſcenderet, hoc enim illi ſexui grauiſsimè interdictũ eſt; vidi tamē Doctrices, quę inſtruere pręſumerēt Concionatores, quę dicta carperēt, dicēda ſuggererēt, iudices ſpontaneę in dictione, & ſetentia pręcipites. Vidi etiã quę haberent ſpirituales exhortationes in Excellentiſſimarum Principum domibus, Monialium monaſterijs, & alijs locis pijs quibus patientiam ſuadentibus quis diceret non eſſe mulierum concionari; Medeas, Circeſque experiretur, putaretque eſſe aliquas Dęmones ſubterraneas humano generi turbando immiſſas. Igitur ſiquidem fœminea dictio rarò prodeſt, & ſemper aut ferè inficit, tutius illi cantilenas profanas, quàm verbi Dei interpretationem committes.

2025. *Cùm iubet Pontifex conciones audiri à Religioſo, interdicit-ne Tertiarijs, vt verbum Dei audiant à Concionatore ſęculari? Non puto. Vir religioſus dicitur, bene moratus, cuius vita etiam prędicat;* Peccatori enim dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & adſumis Teſtamentum meum per os tuũ. *Fœminę ſanè conciones interdixi: & dubito, an pręſtaret expoſitionē verbi Dei bene moratæ, quàm ſcandaloſo permittere. Procurent igitur huius tertij Ordinis profeſſores, Virum, cuius eloquio vita conſonet, multum enim addiſcimus cùm & linguam audimus, & vitam concionari videmus.*

2026. *QVINTA huius Capitis lex Officium diuinum concernit, & quia legiſti ſuperius num. 1343. Moniales & Religioſos Ciſtertienſes ante Abbatis pręceptum ad horarum lectionem non teneri, qui Tertiarij teneantur, inueſtigas.*

Suppono non eſſe quęſtionem de promotis ad maiores ordines, quoniam Subdiaconos altiore titulo credimus obligari; ſed de fœminis, aut etiam viris, qui in ſacris non ſunt, & aſſero, vtroſque teneri regulariter, hoc eſt, pęnaliter. Capite enim decimo huius Regulæ lego, illa omnia quæ in toto hoc diplomate tradita, non eſſe obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, niſi humano vel diuino aliàs iure aliquis eſset obligatus. *Quod ſi in aliquo monaſterio fuerit legendi officij admiſſa aut indicta obligatio, erit prӕterregularis, & ſpecialis illius loci, quod non diſcutio, qui doctrinam generalem & omnibus communem trado.*

2027. *SEXTA & vltima lex, ſic intelligi debet, vt Tertiarijs iubeatur ter in anno confiteri & ſacram communionem recipere, & idipſum ſingulis diebus dominicis facere conſulatur. Quorſum enim tenderet illa examinis quotidiani perfectio, ſi non deberent pœnitentiæ & euchariſtiæ ſacramenta frequentari. Fortè Pontifex iubet vt ter in anno ſolenniter ſacramenta recipiant, Confeſſariorum prudentiæ committens an priuatim & ſine ſolennitate debeant ſingulis hebdomadibus ſemel, aut pluries communicare. Experiētia enim docet pęnitentibus hominibus nihil vtilius, quàm frequenter accedere ad ſacramentum pœnitentiæ; nihil fructuoſius, poſt bonam confeſſionem, quàm refici pane cœleſti.*

CAPVT V.

De prælatorum & officiorum ordinatione.

2028. QVÆLIBET domus, ſi Monaſterium virorum fuerit, habebit Superiorem iſtius fraternitatis, qui Miniſter localis appellabitur. Si verò mulierum, Mater dicetur. Et eligentur per ſuos Conuentus, vel in-

tuentur

tuentur per ſuos Prouinciales Superiores ſeu Viſitatorem Generalem. Ita tamen quòd nullus ſit perpetuus, ſed certi temporis. Qui Miniſtri & Matres obedient per omnia quæ ad præſentem Regulam ſpectent, Prouincialibus Miniſtris Ordinis Minor B. Franciſci, & Viſitatoribus deputatis ab ipſis Miniſtris, quandiu in dictis officijs fuerint. Quo vero ad alia officia intra Domum, ſeruabunt ſtatuta ſua.

2029. *Vides Matris in Sororum, Miniſtri in Fratrum Monaſterio electionem committi, vel Conuentui, vel Prouinciali, vel Generali Viſitatori. Et inquiris, An hi detur prouentioni locus, ita vt ille Miniſter, illa Mater ſit ſi prius electus vel electa? An penes Conuentum erit eligere Superioris denominandi modum? An Prouincialis poterit nominare Matrem aut localem Miniſtrum; aut ſi id nolit, Conuentui liberam actionem concedere? An ſi tres eſſent electi, vnus a fratribus, alter à Prouinciali, tertius à Viſitatore aut Cōmiſſario Generali, hic vltim⁹ eſſet verus Monaſtery Miniſter & nō alij.*

Reſpondeo iniuriam facere Summo Pontifici, qui ita illius leges interpretatur, vt videantur ſchiſmati, & inobedientię fauere; Regula enim eſſet irregularis, ſi ſubditis indulgeret inſultare impunè Superioribus; quàm ob rem iudico primò ſtandum conſuetudini & cuiuſcūq; Monaſtery bonis moribus, iſti enim habentur loco legum. Iudice ſecundò debere in dubio exſpectari Superioris imperium, quoniam tametſi reliqua eſſe dubia dicantur aut ſingantur, ſubditos debere obedientiam Prælatis, his commiſſas eſſe Eccleſiaſticas leges, vt cuſtodibus, interpretibus & diſpenſatoribus dubium non eſt.

2029. b. *Progrederis, & quia Summus Pontifex iubet ne Miniſtri, aut Matres ſint perpetui, Prgſtetne Superiores eſſe triennales, aut quadriennales, quàm perpetuos; inquiris.*

Huic ego olim ſub diſtinctione controuerſię reſpondi. Quoniam ſi bona temporalia reſpicimus, nemo Princeps non depauperabitur, ſi habuerit triennales Oeconomos, & Gubernatores adeò expedit Adminiſtros, & rerum temporalium Rectores eſſe perpetuos. Nec contra militat malum & perpetuum perniciosè coniungi, ſcimus n. malos cū facilitate deponere. At ſi animabus conſulatur, multa mala æternitas Abbatū parturit, præcipuè ī locis, in quibus à monaſterio in monaſteriū trāſitus ē difficilis. Vide diſp. CXX. n. 1491.

CAPVT VI.

De modo interiùs exteriùſque conuerſandi.

2030. CVM Fratres & Sorores huius Fraternitatis dicantur de pęnitentia, oportet eos ab omni curioſitate, tàm in veſtibus, quàm in alijs quibuſcunque abſtinere. Et iuxta Apoſtolicum Principis B. Patri ſalubre conſilium, depoſitis cæteris vanis huius ſęculi ornamentis, nullum ornamentum corporale portare debent, niſi ſolum humile, & neceſſarium tegumentum corporis ſui. Debent etiam ab acceſſu Curiarum, Principum, Dominorum, ſeu Dominarum, vbi mollia huius mundi (Domino teſtante) habentur, omnino cauere. Nec vllo vnquam tempore choreis, ludis, iocis, & alij hiſtrionum vanitatibus intereſſe. Debent quoque eſſe

parci

parcį in verbis, & locutionib. quæ rarò ſine peccato multiplicātur: Et ſuper omnia ab omni mendacio, & iuramento quocumq; iuxta mandatū Domini, niſi pro pace, fide, calūnia & teſtimonio perhibēdo, cauere debēt. Et omni die in ſero, inter cætera, debent examinare ſe, ſi vel mēdaciū, vel iuramētū aliquod fecerint, & ꝓ quolibet, ter Pater noſter dicere debent.

2031. *Legimus in apophthegmatibus veterum, Æthyopi pretioſius ornatæ, quàm deberet, facies turpitudinem ſucata albedine tegenti, & membrorum deformitatem ditiſſima veſte diſſimulanti fuiſſe dictum*, Appareto, quod es; vel eſto, quod appares. *Quod verè dici etiam poſſet cuicumque Religioſo ſub cucullo monaſtico animam ſecularem gerenti. Hunc* Sarabaitam *nominat S. Benedictus primo Regulæ capite, & docet tali dignum vocabulo*, qui nulla regula approbatus (*ſanè nulla approbatur, ſi quam promiſit, non obſeruat*) nec experientiæ Magiſtri ſicut aurum in fornace (commiſſus) ſed in plumbi natura mollitus, mentiri Deo per tonſuram dignoſcitur; *quoniam huiuſcemodi homuncio interius dæmon, exterius angelus; nec apparet quod eſt, nec eſt, quod appares. Non eſt malum* Sanctum *dici aut videri; at malum ſanctitate carere, & nomen ſanctitatis ambire. S. Benedictus Capite IV. Regulæ Non velle dici Sanctum, antequam ſit, perſuadet Monacho, ſed fore Sanctum prius, vt verius dicatur cui videtur noſter Pontifex impræſentiarum conſonare, ait enim*, Fratres & Sorores huius Fraternitatis, dicantur de pœnitentia, oportet eos ab omni curioſitate tam in veſtibus ac in alijs quibuſcumque abſtinere; &c. *Ac ſi diceret, oportet eos eſſe quales dicuntur, nec mentiri nomine hominibus, vita Deo; non enim debent velle dici pœnitentes antequam ſint, ſed prius veram agere pœnitentiam, vt vere poſtea pœnitentes dicantur.*

Et quidem prudenter noſter Leo inhibet Pœnitentibus ſuis Palatia Principum, quoniam qui mollibus veſtiuntur, in domibus Principum ſunt, quibus non indigent qui pænitentiam agunt & ſunt paucis contenti. Mihi ſanè vita aulæ ſuſpecta, & licet à me nonnunquam frequentata, amata nuſquam. omnium n. legum potentiſſima es Neceſſitas, & negotia alibi expediri non poſſunt. Pœnitentiæ nomine, quo inſigniuntur, Tertiario, monet paterna Pontificis pietas, & me etiam meo ipſo nomine cæli benignitas. IOANNES CARAMVEL *enim anagramaticos eſt*, NEMO SACER IN AVLA: *& quia inuerſionis laudo felicitatem, nominis ipſe mei recordari non potero, quin putem non Tertiarijs modò, ſed & mihi dictum*, quòd debeam etiam ab acceſſu Curiarum, Principum, Dominorum, ſeu Dominarum; vbi mollia huius mundi (Domino teſtante) habentur, omnino cauere.

Subſequuntur *hæc verba*, Nec vllo vnquā tēpore choreis, ludis, iocis, aut alijs hiſtrionū vanitatib. intereſſe. *Et quia varia sūt hominū iudicia; quid ſit me cōſule de huiuſmodi nugis iudicādū inquiris.*

Et reſpondeo, dari laſciuas & honeſtas choreas; illas nullo vnquam tempore inſtituendas aut permittendas, has poſſe in aliquibus ſolennitatib. Addo tamen Eccleſiaſticis perſonis, et à fortiori pœnitentibus, poſſe etiam honeſtas interdici, quoniam & ipſæ laſciuis ſunt ſimiles, & videmus eò humanam fragilitatem deueniſſe, vt humilitas ſit ſuperbia, & caſtitas ſit materia laſciuiæ. ſolent n. aliqui ſuperbire quod ſe putent humilitate prædıtos, & caſtas quod illibatæ ſint, impurè amari; amor n. laſciuus à bonitate adijcitur (nemo amat mala) & cùm caſtitas ſit pulchritudo, etiam oculos impuros adlicit & in ſui deſiderium tametſi pure prouocat. [Vide quæ in Caput IV. ſequentis Regulæ dicturus ſum.]

2033. *Duo reſtant exponenda in præſenti Capitulo, veracitatem ſine iuramento aut multiloquio, & examen quotidianum conſcientiæ. De hoc vltimo ſuperius, nimirum Capit. IV. nunc de primo. Et ſanè ſi ad Benedictam regulam te remiſero, multa inuenies, quæ poterunt eſſe inſtructioni, Cap. VI. inſcribitur* de Taciturnitate *& XLII. præcipit,* vt poſt Completorium nemo loquatur. *Multiloquium condemnat S. Benedictus Capite IV. condemnat omnia iuramenta in ore Religioſo, cui nunquam eſt opus iurare, cum tamen omne iuramentum ſine neceſſitate malum ſit. Dabo periodos aliquas hanc Leonis ſanctionem illuſtrantes.* Non falſum teſtimonium dicere, Dolum in corde non tenere. Pacem falſam non dare. Non iurare, ne forte periuret. Veritatem ex corde, & ore proferre. Maledicentes non remaledicere, ſed magis benedicere. Non eſſe murmurioſum. Non detractorem. Os ſuum à malo vel prauo eloquio cuſtodire. Multum loqui non amare. Verba vana aut riſui apta non loqui. *Has & alias ſimiles, ex diuerſis Sacræ Scripturæ locis ſumptas, Capite illo IV. nobis S. Benedictus illuſtrat, & Verbis Leonis X. & Regulæ Tertiariæ, quam dilucidat, dilucidatur.*

CAPVT VII.

De Viſitatione & Cura infirmorum.

2034. SI quis Frater vel Soror huius Fraternitatis in infirmitatem ceciderit, Miniſter domus, vel Mater, ſemel quotidie per ſe, vel per aliam perſonam viſitare teneatur. Et de bonis communibus omnia neceſſaria faciat diligenter illi miniſtrari. Teneantur quoque infirmum vel infirmam monere ad pœnitentiam acceptandam, veramque conuerſionem ad Deum faciendam, mortis propinquitatem & iudicij diuini diſtrictionem, ſimulque diuinam miſericordiam proponendo.

2035. *Duas hoc Capite leges reperio maximè neceſſarias, quas vtinam in omnib. quorumcumq. Ordinum monaſterijs viderem obſeruari.* PRIOR *eſt,* Vt Superiores diebus ſingulis ægrotos viſitent. POSTERIOR, vt ijdem eoſdem veram pœnitentiam & vltimam diſpoſitionem moneant.

2036. *Moris eſt apud Ciſtertienſes Hiſpanos, vt Generalis Reformator, cum primum ad aliquod Monaſterium venit à tota Communitate in proceſſione compoſita,* Te Deum *cantante ſuſcipiatur. Hac per clauſtra regularia ipſe pompa ad Eccleſiam conducitur, pro ipſo genuflectente communes orationes à loci Prælato dicuntur, & ex Eccleſia à tota etiam communitate ad aulam Abbatialem conducitur; ibi ſalutatus à ſingulis, ſingulos reſalutat, & inquirit an aliqui ægroti ſint, qui non potuerint intereſſe; & ſi diſcat talem ægrotare ſeniorem, iuniorem, aut nouitium immediatè eò tendit, ab Abbate & vno aut altero Seniore conductus. Id ipſum faciunt. Viſitatores & quicumq. hoſpites Ciſtertienſes, quib. conceditur licentia vt cum Religioſis Conuentualib. agant (nemini enim ſine expreſſa licet alioqui hoſpitem) obtinuit enim, vt dieb. ſingulis ægros inuiſant, & illos ſua præſentia & humanitate conſolentur. Hanc ego Hiſpanorum Ciſtertienſium benignam conſuetudinem laudo, & quoniam alicubi deſiderari video*

di-

di, omnib. admittendam perſuadeo, ne dicantur à Tertiarijs in obſeruantia & morum reformatione vinci, qui putant ſe perfectiſſimam religionem tenere, & obligationibus optime ſatisfacere. Quæ omnia erunt luci XXXVI. Regulæ Benedictinæ capiti.

2037. *Secunda lex, quam hic Papa pronuntiat, reſpondet Quæſtioni, quæ inquirit, Quiſnam teneatur ægro mortis periculum manifeſtare? Vidi enim aliquando hoc onus à Prælato in Medicum in ægri amicos reijci, ab illo ab iſtis iterum in Prælatum regeri, & multum temporis in hac miſera diſputatione inſumi, & interim non ſolum ægri vitam ſed & fortè ipſam animam periclitari.*

At hic iam prudentiſſimè Pontifex non eſſe medici, non eſſe amicorum, ſed Prælati confeſſionem & pœnitentiam ægrotum admonere teſtatur.

Nec ideò excuſabilis Superior, quod ſubditus non ſit accuſabilis multa enim. Viri ſancti, dum viuunt probabiliter differunt, quæ in morte non poſſent; multa ibi aliter facienda, cùm non iam tuta quæritur via, nec tutior ſi poſſit haberi tutiſſima. Errorem, ſi quem ſanus commiſeris, poſtea corriges; ſed quem moribundus, cum poſt mortem locus correctionis non pateat, incorrectum tenebis.

Cautè igitur & prudenter agendum vbi de æternitate beata agitur.

CAPVT VIII.

De Viſitatione, quam Prælati debent facere circa Fratres, & Sorores.

2038. MINISTER Prouincialis Fratrum Minorum, vel Viſitator eiuſdem Ordinis, cui ipſe commiſerit, viſitabit quolibet anno, ſemel tantum in qualibet domo cum præſentia Seniorum. Et facta viſitatione, non debet intrare officinas, nec alia interiora Sororum. Ipſe autem Viſitator nunquam ſolus maneat, & ſeparatus cum aliqua Sorore. Debent autem Miniſtri, & Matres dicere Viſitatori defectus, qui correctione indigent. Similiter & alij Fratres, & Sorores. Et ſi aliqui fuerint incorrigibiles iudicio diſcretorum, vel diſcretarum domus, tanquam morbida pecora eijciantur de Congregatione.

2039. *Si Viſitationes auferas, ſuo ipſa pondere obſeruantiæ grauitas & auſteritas corruet, & diſciplina collabetur. Sanè Ciſtertienſes, ſi non fuerunt qui prima comitia celebrarunt, & monaſteriorum viſitationes induxerunt: fuerunt ſaltem primi, qui annuas. Has vult Pontifex apud Pœnitentiæ Fratres obſeruari, & modum procedendi diſponit; & ne Viſitationis prætextu (nam & Superiores homines ſunt) accidat aliquid, quod vitari expediret, Viſitatori Sororibuſque ſoliloquia interdicit.*

Sed quia expungi incorrigibiles littera præcipit, laudandus Summus Pontifex, qui illam pronuntiat, & legendum Cap. XXVIII. LXV. & LXXI. Benedictinæ Regulæ, & quæ à nu. 1753. de Religioſorum dimiſſione poſuimus.

2040. *Sed quia hæc Capita Benedictinæ Regulæ cum hoc VIII. Regulæ Tertiæ Franciſcanæ componis & concilias, & ſummam analogiam reſpicis ſtudioſè diſquiris, Cur olim S. Benedictus in ſua,*

cur etiam nunc Leo X. in hac Fratrum de pœnitentia regula dimiſſionem curſerit, carcerum non meminerit?

Reſpondent aliqui carcerem à monaſterio non diſtingui, locus.n.in quo corpora detinentur carcer eſt, & in monaſterio omnes detinentur Religioſi voluntarij aut inuiti, adduntq; non eſſe ponendam crucem in cruce, carcerem in carcere, atque ſupplicium in ſupplicio. Alij aliter philoſophantur.

At ego non poſſe dimitti credidero, qui aut poſſit corrigi, aut ſine communitatis tortura puniri. At carceres in monaſterijs non laudabo, nam in ipſis vnus diſcolus legirupio commodiùs quàm reliqui dormit, & tota vexatur Communitas. Vellem Viros prudentes, cum aliquem carcere condemnant, oculos aperirent. Carcer .n. bifariam conſiderari poteſt, vel in ordine ad corpus quod macerari dicitur: vel in ordine ſpiritum honoremque, quos inficit. Secunda ratio non habet locum in homine, qui nec Deum nec ſuæ perſonæ authoritatem curat. Ergo vnicè debebit examinari prima, & ſincerè loquendo in Ciſtertienſi Ordine carceres ſunt caulę in quib. nebulones pingueſcunt. Nullis aguntur ipſi curis, chori pondere non obruuntur: non interrumpunt ſomnum media nocte non ſurgunt primo mane, ſed dormiunt tota nocte, tota die, & agunt vitam laxiorem commodioremq; quam ſancti plurimi de religione benemeriti. Prǽſtat igitur illos dimitti, quàm in carcere ſaginari: in magna enim communitate ſemper ſunt pietates indiſcretæ, vi quarum ieiunio ipſi macerari non poſſint. Et ſiquidem non fiat aliter, fortè nec poſſit, nunquam credam ad Dei honorem conducere torqueri viros Sanctos, vt iniqui maiorem habeant commoditatem. Nunquam haberem carceres & ſi aliquem vinculis detineri contingeret, eum choro & manuum labori plus quam alios addicerem, ne quòd malus ſit, habeat in otio maleſuado panem, quem alij labore & ſudore lucrantur.

CAPVT IX.

De mortuorum Officijs.

2041. POSTQVAM aliquis Frater vel Soror ab hac luce migraverit, curabit Miniſter, ſeu Mater, quod eius exequiæ ſolenniter celebrentur. Quibus exequijs omnes, Fratres vel Sorores alicuius domus, vbi ipſum mori contigerit, perſonaliter intereſſe debent, nec recedere donec corpus traditum ſit ſepulturæ. Et pro anima cuiuslibet defuncti, vel defunctæ infra octo dies quilibet Sacerdos vnam Miſſam, ſcientes pſalterium autem quinquaginta pſalmos, neſcientes verò pſalterium, quinquaginta Pater noſter, & in fine cuiuslibet Requiem æternam dicere teneantur. In fine autem cuiuslibet anni, ſeu infra quemlibet annum, quilibet Sacerdos tres Miſſas pro defunctis, ſcientes pſalterium, vnum pſalterium, neſcientes verò pſalterium centum Pater noſter cum Requiem æternam in fine cuiuslibet dicere debeant. Et circa iſta officia pro defunctis & alia officia diuina in præſenti ſerie annexa, cura imponitur Miniſtris, & Matribus, vt fideliter perſoluantur.

2042. *Ad defunctorum ſuffragia & orationes Pontifex conſcientias obligare non vult & tamen obſeruantiā deſiderat. nam & ipſi amici noſtri ſunt, imò et con-*

fratres;

fratres; & in purgatorio; fortè propter ſcandalum quod ipſis prębuimus, detenti. Et miror ita eſſe ſollicitos amicos de ſalute amicorum corporea, & tam incurios de ſpirituali. Oportet ita diligere, vt numquam ceſſare debeamus, cui enim in hac vita deſideramus gratiam, in alia deſiderabimus gloriam. & ſicut ſalutem, & commoditatem illi vouimus dum viueret, vt ſanctior eſſet; etiã orationes vouebimus defuncto, vt citius à purgatorio liberetur. Varia, & mira ſunt Sanctarum Animarum, in purgatorio detentarum, viſiones: quarum ſi omnia credam, ero facilis, ſi vniuerſa decredam difficilis, è quibus ſi vel vna ſit vera, magnæ nobis eſt inſtructioni, & ſolamini. Orandum nobis eſt pro animabus in igne purgatorij detentis, vt & ipſæ, quidem meliores nobis ſint, vtpote in gratia cõfirmatæ, apud Deum interueniant, nam & ſic earumdem ſollicitamus adſiſtentiam, & digni efficimur, vt cum eò deuenerimus, viuentium ſuffragia ſentiamus.

CAPVT X.

De Obligatione contentorum in Regula.

2043. Omnia, & ſingula in pręſenti Regula contenta, ſunt conſilia ad faciliùs ſaluandas animas viatorum. Et nulla ſunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, niſi humano, vel diuino iure aliquis aliàs eſſet obligatus. Obligantur tamen Fratres, & Sorores facere pœnitentias ſibi à Superioribus impoſitas, quandò ſuper hoc requiruntur. Obligantur etiam ad tria Vota eſſentialia, paupertatem, nihil habendo in ſpeciali; Caſtitatem, quia poſt Votum non poſſunt matrimonium contrahere, nec ſine tranſgreſſione vitijs carnis ſe immiſcere. Et Obedientiam, quantum ad illa, ſine quibus non poteſt commodè iſta Fraternitas manuteneri. Tenentur etiam ad clauſuram ſeruandam illæ, quæ ipſam expreſsè ſeruare vouerint. Quod omnibus, & ſingulis Conuentibus concedimus, dummodò hoſpitalitas, & charitas, quam exercere ſolent apud infirmos, nullum cum honeſtate patiatur detrimentum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Ianuarij 1521. Pontificatus noſtri anno octauo.

2044. *Multa ſunt controuerſia apud Theologos de obligatione Regularũ, quas aliqui ſtrictiſſimè, aliqui laxiſſimè exponunt. Qualiter Benedictina Ciſtertienſes obſtringat decidi diſp. VII. & impręſentiarũ hanc ipſam Tertiã, quam expono eſſe mere pœnalẽ definio. Sic doceor à Põtifice ſummo in hoc Cap. ſic etiam ab alijs Doctoribus. Dico igitur primò nihil eſſe in hac Tertia S. Franciſci Regula, quòd vim pręcepti habeat, vide à n. 77. ad 88. quod ſi doctrinæ penitioris gratia omnia, quæ ſunt in hac eadẽ Regula ex legiſlatoris mente habere vim pręcepti ſtatueres, adhuc quęrerem, an in profeſſione omnia, & ſingula te ſeruaturum promiſiſſes; & ſi non, ſtatuerem te ad ſingula non teneri grauiter. Vide n. 89. Si Pręlatus pręciperet ſeruari omnia, et ſingula, quę ſunt in hac Regula, non omnia obligarent ſub peccato mortali; iuxtà ea, quę in ſimili materia à numero 94. tradidimus. Vnde ſi quiſpiam omnia, et ſingula, quę in Regula continentur voueant, non omnia, et ſingula grauiter obligabunt, n. 96.*

THEO-

THEOLOGIÆ REGVLARIS

Pars Octaua.

COMMENTARIVS.

IN REGVLAM

FRATRVM ET SORORVM DE POENITENTIA, TERTII ORDINIS S. FRANCISCI. IN DOMIBVS PROPRIIS HABITANTIVM.

2045. *Florentiſſimus eſt hic Tertius S. Francíſci Ordo, multos enim Reges & Principes in hac vita formauit, & purificatos cælo dedit. Vt puto, inſtitutus diuinitus, ne quis ſeruiendi Deo, & viuendi in Ordine commoditate careret. Habet Regulam ſecuram & ſuauem, quam quis poſſit in domo ſua ſeruare, & ſine matrimonialis ſtatus aut iniuria aut carentia. Hi ſunt, qui vocantur TERTIARII, & quamuis propria habeant aliqua, non fruuntur Patrum Minorum Priuilegij.*

EXCEL-

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI EMANOELI PORTVGAL.

MVLTA Deo, multa Naturæ debes, Princeps Optime; multa Ego Tibi. Recenſebo in laudem tuam nonnulla, vt Te abſente amicos communes conſoler, & ad virtutem, hoc eſt, ad imitationem tuam, accendam. Omitto, quæ Natura tribuit; naturalia enim nemini ſunt laudi aut vituperio, nemini imitationi; quoniam nemini libera. Habuiſti Proauũ Emanoelem, Luſitanorum Regem, cognomento Magnum; cuius filij, Ioannes, & Henricus Luſitanorum etiam Reges, Ludouicus & Eduardus Principes; filiæ, Regina Hiſpaniæ, Duces Sabaudæ, Parmenſis, & Bergantina. Ludouici filius fuit Antonius, Pater Tuus, à Populo coronatus Luſitanorum Rex & à Chriſtianiſſimo *Rex electus* vocatus, quem tamen excludendum cenſui in meo Philippo propter rationes ſpeciales. Paterni naufragij & periculi conſors Angliam & Galliam perluſtraſti, & in Hollandia tandem in vxorem duxiſti Æmiliam ſororem Principis Auriaci, cuius filius filiam Regis Angliæ. Hæc omnia habuiſſe multum fuit, multò plus contempſiſſe, nihil detu iſſe affectibus, & tandem Philippum IV. Regem Portugallenſium pronuntiaſſe, Vitam egiſſe modeſtam & priuatam; & ſi beatus ille, qui procul negotijs, verè beatam. Apud Te in Belgio, alter Tu fui, non quod meum Tibi ingenium accommodarim, ſed quod Tu tanti feceris meum, vt ne minima quidem aliter quàm me conſentiente reſolueres. Confeſſionales Pſalmos, ab Antonio, iam coronæ exſpe, doctiſſimo & feruentiſſimo ſpiritu compoſitos, Hiſpanos reddidi, & Tibi ſuperſtiti inſcripſi; nunc Tertiam S. Franciſci Regulam, quam obſeruaſti, huic enim Patriarchæ Seraphico deuotiſsimum Te demonſtrat tumulus, habituſque iaces enim Franciſcano habitu, quem mortem cogitãs ante viginti annos comparatas, Bruxellis in templo S. Franciſci. Sed nunc vt ſpero, empyreo adſcriptus, & fortè orationũ mearũ importunitate citiùs adhuc quàm aliàs debuiſſes, iutea me côueneris, vt viciſſim Me tuum cômendes Deo, vt ſic in terris viuã, vt merear in cęlo coronari.

IOANNES CARAMVEL LOBKOVVITZ.

INDEX

INDEX.

BVLLA Summi Pontificis. 2046.

REGVLA *tota immediate ſupponitur, cuius capita hæc ſunt.*

CAPVT I. De modo examinandi volentes intrare ordinem. 2046. *An diffamatus de furto aut adulterio admitti poſſit?* 2048.

CAPVT II. De norma recipiendi volentes intrare ordinem. De receptione ad probationem, ad profeſſionem. De ſtabilitate in ordine. De mulieribus. 2046. *Non poteſt homo recipi alteri obnoxius.* 2049. *An probationis tempus debeat eſſe annuus?* 2050. *Profeſſionis formula.* 2051. *De huius ſtatus protectione.* 2052. *An poſſit admitti fœmina?* 2053. *An filij familias?* 2054.

CAPVT III. De forma habitus & qualitate indumentorum. 2046. *An iydem panni apti, ſi venderentur ſummo pretio?* 2055. 2060. *An præſtaret carnes in aduentu comedere quàm piſces cariſſimos?* 2056. *An in quadrageſima?* 2056. *An comedendi carnes epiſcopalis diſpenſatio faueat religoſis?* 2057. *Eodem modo de vtilitate victus ac amictus philoſophandum eſt.* 2059. *Aeque quadrageſimalia ac reliqua ieiunia obligant.* 2061. *Eamdem erga Religioſos ſuos Abbas, quàm erga ſuos ſubditos Epiſcopus habet authoritatem.* 2063. *Doctrinæ; conſequentia defenditur.* 2065. *An diſpenſante Abbate in comeſtione carnium poſſint pœnare Religioſi?* 2067.

CAPVT IV. Quod non vadant ad inhoneſta conuiuia & ſpectacula, & quod hiſtrionibus non dent. 2046. *Quæ ſint inhoneſta conuiuia?* 2069. *Quæ inhoneſta ſpectacula?* 2069. *An tripudia publica laudabiliter inſtitui poſſunt.* 2070.

CAPVT V. De abſtinentia & ieiunio, & de diſpenſatione. 2046. *De venæ ſectione.* 2071. *de pharmacis, & medicinis.* 2071.

CAPVT VI. Quoties debeant confiteri per annum, & ſumere corpus Chriſti. 2046. *Singulis hebdomadibus communicandum.* 2071. b.

CAPVT VII. Quòd non ferant arma impugnationis. 2046. *De armorum diſtinctione.* 2072.

CAPVT VIII. De dicendis horis canonicis. De infirmis. De tempore quadrageſimæ. 2046. *Ad hæc moraliter non teneri certum eſt.* 2073.

CAPVT IX. Quod omnes, qui de iure poſſunt, faciant teſtamentum. 2046. *An præſtet hominem mori inteſtatum?* 2074.

CAPVT X. De pace reformanda inter fratres & alios extraneos. 2046. *Vide num.* 2075.

CAPVT XI. Quando moleſtantur contra ius, aut contra priuilegia. 2046. *Vide n.* 2076.

CAPVT XII. Quod caueant in quantum poſſunt à iuramentis ſolennibus. 2046. *Iuramenti grauitas. Qui debeant inſtrui ruſtici in hac materia.* 2077. 2078.

CAPVT XIII. De audienda Miſſa, & congregatione facienda. 2046. *De communione.* 2080. *de obligationibus.* 1854. 2081.

CAPVT XIV. De fratribus infirmis & defunctis. De exequijs & orationibus dicendis. 2046. *An miſſæ, ad quas tenemur debeant ſtatim dici? quanto tempore differri poſſint?* 2082.

CAPVT XV. De Miniſtris. 2046. *An omnes collata officia teneantur acceptare?* 2085.

CAPVT XVI. De viſitatione & correctione delinquentium, 2046. Viſitator ſit ordinis Minorum. De incorrigibilibus. 2046. *Viſitationes commendantur. Qui debeant vocari incorrigibiles?* 2084.

CAPVT XVII. De vitandis litigijs inter ſe; & cum aliis. 2046. *Optimus modus difficultatis, & lites uadendi præſcriptus à S. Benedicto.* 2085.

CA-

CAPVT XVIII. Qualiter & per quos in abſtinentijs poſſit diſpenſari. 2046. *An debeat peti diſpenſatio in lege quæ conſcientias non obligat?* 2086.

CAPVT XIX. Quod Miniſtri manifeſtas culpas denuntient Viſitatori. De incorrigibilibus. 2046. *Vide nu.* 2087.

CAPVT XX. Qualiter in prædictis nemo obligatur ad culpam mortalem. 2046. *An regulas obſeruantię obligent ad pęnam? & ad quam?* 2088. *An obligent ad mortalem.* 2089. *An ſaltē ad veniale?* 2090. *Quid promittere legē diuinā?* 2092. *An pęnitentias acceptare teneatur?* 2093.

S. FRANCISCI

TERTIA REGVLA

PRO ILLIS, QVI VOLVNT MANERE IN SVIS DOMIBVS.

2046. N*ICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis Filijs Fratribus, & dilectis in Chriſto Filiabus Sororibus Ordinis Fratrum de pœnitentia, tam præſentibus quam futuris ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Super montem Catholicæ Fidei, quàm populis gentium, qui ambulabant in tenebris, diſcipulorum Chriſti ſincera deuotio igne charitatis exæſtuans, verbo ſollicitæ prædicationis edocuit, quam Roma tenet, et ſeruat, Eccleſia ſolidum Chriſtianæ Religionis poſitum noſcitur fundamentum, nullis vnquam concutiendum turbinibus, nullis quaſſandum fluctibus tempeſtatum. Hæc eſt etenim recta, veraque fides, abſque cuius conſortio, nemo in conſpectu Altiſſimi acceptus redditur, nemo gratioſus occurrit. Hæc eſt, quæ ſalutis ſemitam præparat, & felicitatis ęternæ pręmia, gaudiaque communicat. Ideoque glorioſus Chriſti Confeſſor B. Franciſcus huius Ordinis, Inſtitutor, viam aſcendendi ad Dominum verbo pariter & exemplo demonſtrans ipſius ſinceritate Fidei ſuos filios erudiuit, eoſque illam profiteri, conſtanter tenere ſimiliter, ac opere voluit adimplere, vt per eius ſemitam ſalubriter incedentes mererentur poſt vitæ pręſentis ergaſtulum ęternę beatitudinis effici poſſeſſores.

CAPVT I.

De Modo examinandi volentes intrare Ordinem.

Nos igitur Ordinem ipſum opportunis fauoribus proſequentes, ad eius augmentum benignius intendentes, ſtatuimus, vt omnes, quos ad ſeruandum huiuſmodi vitæ formam aſſumi contigerit, ante aſſumptionem ſeu receptionem ipſorum de Fidę Catholica & obedientia erga præfatam Eccleſiam diligenti examinationi ſubdantur. Et ſi eas profeſſi firmiter fuerint, vereque crediderint, admitti, ſeu recipi tutè poterunt ad eandem. Præcauendum eſt tamen ſollicitè, hæreticus ne quis, vel ſuſpectus de hæreſi, aut etiam infamatus, ad vitę obſeruationem ipſius quomodolibet admittatur. Et ſi talem inueniri contingerit extitiſſe receptum, aſsignetur ille, quàm citius Inquiſitoribus prauitatis hęreticę puniendus.

CAPVT II.

De norma recipiendi volentes intrare Ordinem.

Cum autem Fraternitatem huiuſmodi quis intrare voluerit, miniſtri ad receptionem talium deputati, eius officium, ſtatum, & conditionem ſolerter explorent, ſibi Fraternitatis eiuſdem onera, & præcipuè alienorum reſtitutionem apertiùs exponentes. Quibus præmiſſis, ſi eidem placuerit, iuxta modum huiuſmodi induatur, & de alienis (ſi qua fuerint apud eum) ſatisfacere ſtudeat in pecunia numerata, vel ſecundum exhibitam pignoris cautionem. Sed nihilominùs proximis reconciliaret procuret. Quibus omnibus ad effectum perductis, poſt vnius anni ſpatium, cum aliquorum diſcretorum Fratrum conſilio, ſi is videbitur ipſis idoneus, recipiatur hoc modo, videlicet, vt promittat ſe diuina præcepta omnium ſeruaturum, ac etiam ſatisfacturum (vt conuenit) de transgreſſionibus, quas contra hunc videndi modum commiſerit, cum interpellatus ad Viſitatoris extiterit voluntatem. Et huiuſmodi ab eo facta promiſſio per manum publicam in ſcriptis mihi redigatur. Alio autem modo nullus à Miniſtris recipiatur eiſdem, niſi viſum eis aliter fuerit conditione perſonæ, ac ipſius inſtantia ſollicita conſideratione diſcuſſis. Ordinamus præterea ſtatuentes, vt nullus poſt ipſius Fraternitatis ingreſſum, eamdem egredi valeat, ad ſæculum reuerſurus; Poſsit tamen tranſitum habere liberum ad Religionem aliam approbatam. Mulieribus verò viros habentibus (niſi de ipſorum licentia & conſenſu) non pateat ad conſortium dictæ Fraternitatis ingreſſus.

CAPVT III.

De forma habitus & qualitate indumentorum.

Fratres inſuper ipſius Fraternitatis, de humili panno in pretio & colore, nõ prorſus albo vel nigro, communiter veſtiantur, niſi fuerit ad tempus in pretio per Viſitatores de conſilio Miniſtri ob cauſam legitimam; & apertam cum aliquo diſpenſatum. Chlamydes quæque ac pelles, abſque ſcolaturis, ſciſſas vel integras, aſſibulatas tamen vel patulas, vt congruit honeſtati, clauſaſque manicas Fratres habeant ſupradicti. Sorores etiam chlamyde induantur, & tunica de huiuſmodi humili pãno factis, vel ſaltem cum chlamyde habeant guarnellum, ſeu placentinum coloris albi, vel nigri aut plaudellum amplum de canabo, ſine lino abſque vlla criſpatura conſuetum. Circa humilitatem verò panni, & pellitiones Sororum ipſarum iuxta conditionem cuiuslibet earumdem, ac loci conſuetudinem poterit diſpenſari. Bindis & ligaturis ſericis non vtantur, pelles dumtaxat agninas, burſas de corio & corrigias ſimpliciter, abſque ſerio vllo factas, & non alias, tam fratres habeant, quàm Sorores, depoſitis cæteris (iuxta Beati Petri Apoſtolorum Principis ſalubre conſilium) vanis huius ſæculi ornamentis.

CAPVT IV.

Quod non vadant ad inhoneſta conuiuia, & ſpectacula, & quod hiſtrionibus non dent.

Sit eis ab inhoneſta conuiuia, vel ſpectacula, ſiue curias ſeu choreas acceſſus penitùs interdictùs Hiſtrionibus, ſeu vanitatis intuitu nihil donent. Et ne quidquam illis donetur à propria familia, prohabere procurent.

CAPVT V.

De abſtinentia & Ieiunio.

Ab eſu carnium ſecunda, quarta & ſexta feria, dieque Sabbathi abſtineant vniuerſi; niſi aliud infirmitatis, vel debilitatis inſtantia ſuaderet. Minutis verò per triduum, carnes dentur; nec ſubtrahantur in itinere conſtitutis, ſit quoque ipſarum commeſtio licita ſingulis, cum ſollennitatem præcipuam interuenire contigerit, in qua cæteri Chriſtiani ab antiquo epulis carneis veſci ſolent. Alijs autem diebus, in quibus ieiunium nõ ſeruatur, oua & caſeus non negentur. Sed & cum Religioſis cæteris in eorum Con-

uen-

ſentualibus domibus licitè ſumere valeant de appoſitis ab eiſdem. Sintque prandij, cœnæque refectione contenti, exceptis languidis, & viatoribus & infirmis. Sit ſanis cibus moderatus & potus, cùm textus Euangelicus habeat: *Attendite ne corda veſtra crapula & ebrietate grauentur.* Prandium autem vel cœna, niſi præmiſſa ſemel Dominica oratione ſumatur, poſt ſumptionem cuilibet cum Deo gratias itineranda; quod ſi omitti contigerit, dicatur tribus vicibus Pater noſter. Qualibet verò ſexta feria totius anni ieiunium celebretur, niſi forte infirmitatis vel alia cauſa legitima excuſentur, niſi feſtum Natalis Domini feria ipſa occurreret obſeruandum. Sed à feſto omnium Sanctorum vſque ad Paſcha quarta & ſexta feria ieiunabunt. Alia quæ ab Eccleſia ſunt ſtatuta, vel Ordinarijs ex cauſa communiter indicta ieiunia nihilominus ſeruaturi. In Quadrageſima verò Beati Martini vſque ad diem Natiuitatis Domini, & à Dominica Quinquageſimæ vſque ad Paſcha diebus ſingulis (exceptis Dominicis) ieiunare procurent, niſi aliud fortaſſe infirmitas, vel neceſſitas alia ſuaderet. Sorores grauidæ, vſque ad ſuæ purificationis diem ab exercitatione qualibet corporali (orationibus duntaxat exceptis) poterunt, ſi voluerint abſtinere.

Laborantes autem (propter fatigationis aſſicientis inſtantiam) à Dominicæ Reſurrectionis feſto vſque ad Feſtiuitatem Beati Franciſci prædicti, ter in die, qua exercitio laboris incumbunt, licitè ſumere cibum poſſunt. Cum verò illos contigerit aliorum immunere laboribus, de cunctis appoſitis, die quolibet ſumere licebit eiſdem, niſi ſexta feria, vel dies ſit alia, in qua generaliter ab Eccleſia ieiunium noſcitur inſtitutum.

CAPVT VI.

Quoties debeant confiteri per annum, & ſumere Corpus Chriſti.

Singuli autem Fratrum & Sororum ipſarum, ter in anno, videlicet, in Natali Domini, in Reſurrectionis ipſius & Pentecoſtes feſtiuitatibus peccata propria confiteri, & Eucharistiam deuotè ſuſcipere non poſtponant, reconciliando ſe proximis, & reſtituendo etiam aliena.

CAPVT VII.

Quod non ferant arma impugnationis.

Impugnationis arma ſecum Fratres non deferant, niſi pro defenſione Romanæ Eccleſiæ Chriſtianæ Fidei, vel etiam terræ ipſorum, aut de ſuorum licentia Miniſtrorum.

CAPVT VIII.

De dicendis horis Canonicis.

Dicant Vniuerſi quotidie ſeptem horas Canonicas, videlicet Matutinam, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas & Completorium. Clerici, videlicet ſcientes pſalterium. Pro Prima Deus in nomine tuo, Beati immaculati vſque ad Legem pone, ac alios Horarum Pſalmos, iuxta Clericorum ordinem, cum Gloria Patri dicant. Cum verò ad Eccleſiam nõ accendent, pro Matutino pſalmos dicere ſtudeant, quos dicunt Clerici, vel Eccleſia Cathedralis, vel ſaltem vt illiterati alij, pro matutino duodecim, & pro alia qualibet hora ſeptem vicibus Pater noſter cum Gloria Patri dicere non omittant. In quibus, videlicet Primæ ac Completorij, horis minorem ſymbolum, & Miſerere mei Deus adijciant, qui nouerunt. Sed ſi Horis non dixerint conſtitutis, dicant tribus vicibus Pater noſter. Infirmi autem Horas huiuſmodi non teneantur dicere niſi velint. In Quadrageſima verò S. Martini & etiam in Maiori, Eccleſias in quarum parochijs habitant, matutinalibus Horis perſonaliter adire procurent, niſi cauſa rationabili excuſentur.

CAPVT IX.

Quod omnes, qui de iure poſſunt, faciant teſtamentum.

Omnes præterea, quibus de iure facultas affuerit, condant ſeu faciant teſtamẽtum, & de bonis ſuis infra tres menſes poſt eorum ingreſsum immediatè ſequẽ-

ſes ordinent & diſponant, ne quemquam illorum contingat decedere inteſtatum.

CAPVT X.

De pace reformanda inter Fratres & alios extraneos.

De pace verò inter Fratres, & Sorores, aut etiam extraneos in diſcordia poſitos facienda, ſicut miniſtris videbitur, ita fiat, adhibito (ſi facultas affuerit) Epiſcopi Diœceſani conſilio in hac parte.

CAPVT XI.

Quando moleſtantur contra ius, aut eorum priuilegia.

Si verò Fratres, vel Sorores contra ius, vel eorum priuilegia per Poteſtates, ſeu Rectores locorum, vbi domicilium obtinent, vexationibus impetantur, Miniſtri loci ad Epiſcopos & alios locorum Ordinarios ſtudeant habere recurſum, iuxta conſilium & ordinationem ipſorum in talibus proceſſuri.

CAPVT XII.

Quòd caueant in quantum poſſunt à iuramentis ſolennibus.

A iuramentis autem ſolemnibus omnes abſtineant, niſi neceſſitate cogente, in caſibus per Indulgentiam Apoſtolicę Sedis exceptis, videlicet, pro pace, Fide, calumnia, & teſtimonio prohibendo ac etiam in contractu emptionis, venditionis, & donationis, vbi videbitur expedire. In communi quoque loquela vitent, prout poterunt, iuramenta. Et qui die aliqua minùs cautè iurauerit lapſu linguę (prout contingere in multiloquio conſueuit,) die ipſo in ſero, cùm debet recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus orationem Dominicam, propter incautè facta huiuſmodi iuramenta. Memor autem ſit quilibet, vt ad diuina obſequia, familiam propriam exhortetur.

CAPVT XIII.

De audienda Miſſa & Congregatione facienda.

Vniuerſi ſani Fratres & Sorores cuiuſcumque ciuitatis aut loci; diebus ſingulis, ſi commodè poterunt, Miſſæ officium audiant. Et menſe quolibet ad Eccleſiam, ſiue loca, ad quam vel ad quę Miniſtri curauerint intimare, conueniant, Miſſarum ſolemnia inibi audituri. Vnuſquiſque autem vſualis monetæ denarium Miſſario tribuat, qui pecuniam huiuſmodi colligat, & eam de conſilio Miniſtrorum inter Fratres, & Sorores paupertate grauatos & pręcipuè infirmantes, ac eos, qui funeris carere dignoſcuntur exequijs, & deinde inter pauperes alios diuidant congruenter. Offerant inſuper de ipſa pecunia Eccleſię memoratę. Tuncque (ſi commodè poterunt) virum Religioſum, & in verbo Dei competenter inſtructum habere procurent, qui eos ad pœnitentiam, & miſericordię opera exercenda hortetur, ſollicitè moneat & inducat. Studeat quilibet, dum Miſsę celebratur officium, & prędicationis verbum proponitur ſeruare ſilentium, orationi, & officio ſit intentus, niſi eum communis vtilitas fraternitatis impediat.

CAPVT XIV.

De Fratribus infirmis & defunctis.

Cum autem quemquam ex Fratribus infirmari contigerit, Miniſtri per ſe vel per alium ſeu alios (ſi hoc eis infirmus fecerit intimari) ſemel in hebdomada viſitare teneantur ægrotum, ipſum ſollicitè ad recipiendum pœnitentiam (prout meliùs, & efficacius expedire putauerint) inducentes, neceſſaria illi de bonis communibus miniſtrando. Et ſi pręfatus infirmus de pręſenti luce migrauerit, Fratribus, & Sororibus tunc, in Ciuitate vel loco, vbi eum contigerit mori, pręſentibus nuntietur, vt perfuncti exequijs, procurent perſonaliter intereſſe. A quibus donec Miſſarum fuerint celebrata ſolennia, & corpus tumulo conditum, non recedant. Hoc quoque circa Sorores infirmas, & decedentes volumus obſeruari. Pręterea intrà octo dies poſt ipſius ſepulti obitum immediatè ſequentes, quilibet Fratrum, & Sororum ipſarum dicat pro anima eius, Sacerdos videlicet Miſſam vnam; Sciens pſalterium 50. pſalmos, & illitterati totidem Pater noſter, & in fine

cuiuſ-

cuiuslibet Requiem æternam adijciant. Et poſt hęc infra annum pro Fratrum & Sororum, tam viuorum quam defunctorum ſalute, tres Miſſas faciant celebrari. Qui verò pſalterium ſciuerint, illud dicant, & cæteri orationem Dominicam centies dicere non omittant, & requiem æternam in fine cuiuslibet addituri.

CAPVT XV.

De Miniſtris.

Miniſtrare quoq; ac alia officia, quæ præſentis formulæ ſeries exprimit, impoſita ſibi quiſque deuotè ſuſcipiat, cuiteq; fideliter exercere. Officium autem cuiuslibet, certi temporis ſpatio limitetur. Nullus Miniſter inſtituatur ad vitam, ſed eius miniſterium certum tempus comprehendat.

CAPVT XVI.

De viſitatione & correctione delinquentium.

Ad hæc Miniſtri & Fratres, ac Sorores Ciuitatis, & loci cuiuslibet, ad viſitationem communem in aliquo loco Religioſo, vel Eccleſia, vbi locum huiuſmodi contigerit deeſſe, conueniant, & viſitatorem habeant ſacerdotem, qui alicuius approbatæ Religionis exiſtat, quiq; illis de commiſſis exceſſib. iniungat pœnitentiam ſalutarem. Nec quiuis alius poſsit eis huiuſmodi viſitationis officium exhibere. Quia verò præſens viuendi forma, inſtitutionem à B. Franciſco prælibato ſuſcepit, conſulimus, vt Viſitatores & Informatores de Fratrum Minorum Ordine aſſumantur, quos Cuſtodes vel Guardiani eiuſdem Ordinis, cum ſuper hoc requiſiti fuerint, duxerint aſsignandos. Nolumus tamen Congregationem huiuſmodi à Laico viſitari. Huiuſmodi autem viſitationis officium ſemel exerceatur in anno, niſi neceſsitate aliqua ſuadente, fuerit pluries facienda. Incorrigibiles verò ac inobedientes monitio trina præueniat: Qui ſi ſe corrigere non curauerint, de ipſius Congregationis conſortio expellantur omninò, de conſilio diſcretorum.

CAPVT XVII.

De Vitandis Litigijs inter ſe & alios.

Vitent inſuper Fratres & Sorores (iuxta poſſe) litigia inter ſe, illa (ſi ſuſcitari contigerit) ſollicitè dirimendo. Alioquin, de iure coram illo reſpondeant, apud quem poteſtas reſidet iudicandi.

CAPVT XVIII.

Qualiter & per quos in abſtinentijs poſſit diſpenſari.

Ordinarij autem locorum, vel Viſitator cum Fratribus & Sororibus vniuerſis, in abſtinentijs, ieiunijs & auſteritatibus alijs, ex cauſa legitima (cum expedire viderint) poterunt diſpenſare.

CAPVT XIX.

Quod Miniſtri eorum manifeſtas culpas denuntient Viſitatori.

Miniſtri verò manifeſtas Fratrum & Sororum culpas Viſitatori denuntient puniendas. Et ſi quiſque incorrigibilis fuerit, poſt trinæ admonitionis inſtantiam à Miniſtris (de diſcretorum Fratrum aliquorum conſilio) viſitatori nuntietur eidem, de fraternitatis conſortio abijciendus ab ipſo, & in Congregatione poſtmodum publicandus.

CAPVT XX.

Qualiter in prædictis nemo obligatur ad culpam mortalem.

Cæterum in præmiſſis omnibus, ad quæ Fratres veſtri Ordinis non ex diuinis præceptis vel ſtatutis tenentur Eccleſiæ, nullum ipſorum ad mortalem culpam volumus obligari, ſed impoſitam ſibi pœnitentiam, pro tranſgreſſionis exceſſu, prompta humilitate recipiat, & efficaciter ſtudeat adimplere.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtri Statuti & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Reate, 16. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

COM-

COMMENTARIVS.

Textus eſt ſatis clarus, nec magna indiget illuſtratione, & ſi alicubi obſcurus, cùm conſcientiam non obſtringat, non debet prolixo explicari. Notabo tamen aliqua quæ dum legerem, viſa ſunt expoſitione digna.

2047. CAPITE I. Fidem, quam illuſtrarat in diplomatis prologo huic inſtituto adpropriat, iubetque nullum omnino ad hanc viuendi formam recipi, qui ſit aut Hæreticus, aut ſuſpectus aut infamatus de hæreſi, qui tales potius debent tradi S. Inquiſitionis tribunali.

2048. Sed inquiris, An infamatus de alio crimine, puta, furto, adulterio, &c. admitti poſſit?

Cur non poſſit non video; Hæreticos cauendos iubet Pontifex; eſt enim morbus contagioſus hæreſis, nec multi ab ea conualuerunt exactè. Alia peccata mentem relinquunt liberam, nec tam pernicioſa videntur. Multos infames olim viros Mellifluus meus Bernardus e patibulo in Claram vallem tranſtulit; multos alij Ciſtercienſes Antiſtites, nec ideò minoris ordo factus, quod nobiles & ignobiles, honeſtos & infames reciperet. S. Benedictus in regula ne ſeruos quidem vult excludi. Filios nobilium & pauperum (fortè non multum differt à diuitijs nobilitas) ſuſcipit Capite LIX. & cùm Capite II ſtatuens, non debere præponi ingenuum ex ſeruitio ſe conuertenti niſi alia rationabilis cauſa exiſtat, clariſſimè exponit eos qui ex ſeruitio ad monaſterium veniunt, repellendos non eſſe.

2049. CAPITE II. Non poſſe hominem recipi alteri obnoxium prudentiſſimè ſtatuit. Sunt enim aliqui, qui ære alieno grauati, aut ſceleris alicuius conſcij, non amore virtutis ſed impunitatis deſiderio ad clauſtra tranſfugiunt; quos ad religionem admittere religio ſit. Creditoribus ergo vel numerata pecunia, vel ſecura cautione, vel alia quacumque ſatisfaciendum via, antequam aliquis non ſolùm Franciſcano, ſed quocumq; alio habitu veſtiri poſſit.

2050. TEMPVS probationis in hoc mitiori viuendi modo videretur aut non requiri, aut paucorum menſium ſufficere; verum Ordinum vniformitas poſtulare videtur, ne ſine cauſa à communibus legibus recedatur, adeoque annus integer probationis fuit vt hic ordo quoad hoc non differret à reliquis.

Fortè & annus integer, ſi non nouitio reliquis creditur neceſſarius; cùm certum ſit non ita liquido poſſe cognoſci mores hominis in ſua domo manentis, ac cognoſcerentur, ſi degeret in communitate.

2051. PROFESSIO videtur debere his verbis concipi. *Ego Frater N. promitto me omnia diuina præcepta ſeruaturum: ac de tranſgreſſionibus, quas contra hunc viuendi modum commiſero, me cùm interpellatus fuero, ſatisfacturum, vt conuenit iuxta Viſitatoris voluntatem, &c.* Illud verbum *Promitto*, obnoxiam reddit perſonam promittentem illi, cui fit promiſſio; non tamen ſemper moraliter, & in præſenti tantummodo pœnaliter, vt conſtat ex vltimo huius Regulæ Capite, in quo declarat Pontifex, neminem profeſſionis aut Regulæ profeſſæ vi ad culpam, ne quidem venialem teneri. Puto tamen teneri disiunctive moraliter: nimirùm aut ad acceptandam pœnitentiam, iuxta ea, quæ ſuperiùs à nu. 36. tradidimus.

2052. Hic Tertiariorum ſtatus videtur eſſe ſæculari & religioſo intermedius, illo perfectior, hoc ignobilior; ideò enim inhibetur ne ad ſæculum Tertiarij regrediantur, quibus ad quemcumq; Ordinem approbatum tranſire permittitur.

2053. TANDEM in vltima Capitis

perio-

periodo fœminas non poſſe huic inſcribi Fraternitati aliter quam ex coniugum licentia legis, & inquiris, An & viros iſta concernat lex hoc eſt, An ſaltem ipſi poſſint, ſine vxorum licentia?

Reſpondeo ſummam ſemper eſſe curam Summis Pontificibus, vt ſubordinatio monarchica manu-teneatur; caueteque ne virtutis aut priuilegij alicuius ſpecie detur occaſio ſubditis non obediendi, adeoque præcipit ne in hanc Confraternitatem aliqua ſuſcipiatur ſine mariti ſui licentia. De viro ratio eſt omninò differens; nam cum ipſe caput familiæ ſit, nemini obſtrictus, non debet licentiam ab vxore implorare in materia, quæ illæſo matrimonij vinculo ſeruari poteſt.

2054. Sed quæris, An filius familias poſſit Tertiarius fieri; ſine conſcientia aut licentia ſui Patris?

Reſpondeo duas dari ſententias, alteram, quæ vbique rationis paritatem admittit, alteram, quæ in fauorabilibus ſolum. Si ſtemus primæ, dici debet à Nicolao illum excludi, non tamen excludi ſi ſecundæ. Si Dicas, Filio-familias licere ingredi religionem ſine Patris licentia adeoque à fortiori iſtam fraternitatem. *Multa* occurrent dicenda. Adſumptum enim multis eſt dubium, & pure falſum nobiliſſimis ſcriptoribus Gallis, qui filiumfamilias hominem non ſuum ſed alterius ſupponunt, nec poſſe domo excedere ſine domini aut heri (hoc eſt Patris) licentia. Qui admittunt, adhuc reperiunt in conſequentia magnam difficultatem; non enim filio, cui permittitur domum patriam deſerere, ea ſi domi maneret permitti, quę in monaſterio poſſent: Quoniam qui in monaſterio alienis legibus poteſt viuere, in domo paterna, ſi ibi adhuc maneret, non regularibus ſed paternis omnino deberet. Vnde concludunt Tertiarium cum maneat in domo paterna debere veſtes ciboſque habere ad voluntatem ſui Patris, nec poſſe nomen dare confraternitati huic ſine eiuſdem licentia.

2055. CAPITE III. Præcipitur ſtatim ſub initium, vt Fratres pano vtantur vili in pretio, & illo coloris nec albi, nec nigri, ſed *ſub albi*; vbi videtur Pontifex non tam materiæ perfectionem aut imperfectionem, quàm pretium curare; addit enim hoc eodem panno non veſtiendos ad tempus, quandiu ille fuerit in pretio. Et quidem paucis lineis multa nos docet. nimirum dedecere perſonas Religioſas illa eadem facere, quæ aliàs erant facturæ, ſi debeant nimias impendere pecunias, quæ poſſent rebus ſeruire nobilioribus.

2056. Hinc pateret ſolutio graui difficultati, quæ ſolet frequenter occurrere, & ſemper viros doctos aut ancipites reddit, aut in oppoſitas ſententias trahit.

Anno Domini M.DC.XXXIII. tempore aduentus fui Compluti, & acerrime cum viris magnis diſputaui de voluntatis diuinæ interpretatione aut epikeia; videlicet, Deone gratius eſſet Religioſos ſub illud tempus veſci carnibus, quàm piſcibus; illæ enim viliſſimo pretio proſtabant, hi vix magno veniebant, quoniam in forum non veniebant. Erant Doctores, qui aſſererent, & qui negarent; imò & communitates quæ vterentur piſcibus, erant quæ carnibus; & in ſumma morum diſſimilitudine nulla erat animorum conſenſio. In noſtro S. Bernardi collegio piſces dati; & laudandus veniret abſtinentiæ ille rigor, ni inficeretur impenſis notabilibus, quas contraria ſentientes arguebant de prodigalitate. Sed & anno M.DC.XXXIII. apud Bauaros in Epiſcopatu Auguſtano tempore quadrageſimæ domus plenæ militibus ſine incommoditate notabili non poterant eis ad victum neceſſaria ſubminiſtrare. Piſces quidem deerant, & ſi reperirentur, deberent in ſingulis domibus duæ ſeruire culinæ, duæ menſę præparati (alia pro militibus, qui veſcebantur

bantur carnibus, alia pro domeſticis, ſi veſcerentur piſcibus) & quid fieri deberet, diſputatum. Electa fuit benignior pars, nec creditum velle matrem Eccleſiam filijs ſuis abſtinentiam iniungere in tam magnis anguſtijs, ſub tam magnis expenſis. Non erat afflictis danda afflictio, nec congruum ciues miſeri & haberent milites ingratiſſimos hoſpites, & deberent pro ſe alios cibos condire. Ideò Epiſcoporum prouidentia cum non poſſet remedium, medium poſuit, vt qui à milite & caritate annonæ terebantur, non conſumerentur à multiplicatione menſarum, ſed poſſent cibis militaribus vti.

2057. Sed quærebatur, An hæc Epiſcopalis diſpenſatio fauerет religioſis? Hoc eſt, An communitates integræ in refectorio Monaſterij aut Refugij poſſent veſci carnibus intuitu Epiſcopalis illius diſpenſationis. *Videbatur* aliquibus, quod non. Exempti enim non ſubſunt Epiſcopo in ieiuniorum materia, igitur ipſis non prodeſt Epiſcopalis diſpenſatio. Antecedens probabant, Quoniam ieiunium indictum ab Epiſcopo, exemptos Religioſos non obligat, ita Suarius, Azorius, Fagundez, & Llamas, quibus ſubſcripſi & ego ſuperius, num. 1613. x. igitur diſpenſatio ieiunij conceſſa ab Epiſcopo Religioſis non fauet. Et quidem hæc ipſa ratio fortior mihi videtur, quàm aliæ, vi quarum multæ ſolent opiniones defendi. Ex hypotheſi quòd Religioſorum exemptio, illos immunes redderet, vt ieiunij præcepto à Diœceſano impoſito non deberent obſtringi, poſſe adhuc frui diſpenſatione ab eodem conceſſa, ſupponebatur à nonnullis; ſed hypotheſis ipſa difficilior videtur, quò altius conſideratur, adhuc occurrebat ſecunda difficultas, An ratio, quæ obligabat Epiſcopum vt diſpenſaret cum ſæcularibus, ceſſaret in monaſterijs & domibus Religioſorum, quoniam ad talia loca pauciores milites remiſſi, & iſti in aula cum Abbate aut Oeconomo, & non in refectorio veſcebantur. Quam ob rem vir mediocris ingenij poſſet reperire diſcrimen & ſic argumentari. Ratio ob quam Epiſcopus potuit in hoc quadrageſimali ieiunio diſpenſare ſumitur ab expenſis; ſartor enim exempli gratia duplus deberet facere, ſi duas haberet culinas menſaſque alteram pro domeſticis, alteram pro militibus, vbi enim eſt anguſta ſupellex domuſque, tales multiplicationes non fiunt ſine grauiſsima incommoditate, At hæc omnia ceſſant in monaſterijs, & Eccleſiaſticorum refugijs, in quibus facilè eſt reperire diuerſa cænacula, & diuerſas culinas, aut in vna carnes piſceſque ſine nimia incommoditate condire. Tempore Quadrageſimæ ſæpiſsimè ſunt religioſi ægroti, & eodem labore quo illorum cibi, poſſent & cibi militum præparari; ſed & expenſæ non poſſent excreſcere, quia vbi vniuerſi ſæculares veſcuntur carnibus, piſces ſi fortè ipſi dabantur, viliori pretio reperiri pro Religioſis poſſint; ne memineго piſcinarum, quas ipſi habent, e quibus quos volunt & quando volunt piſces extrahunt; ſed & has ipſas ſolent examinare militaris curioſitas, & induſtria ruſticorum paupertas; adeoque vtrinque dubia & rationes exſiliunt. *Hæc omnia* conſideras, proponiſque & quid iudicem de ſingulis circumſtantijs inquiris. Et ego reſponſurus dico.

2058. Primò, *Pontificem Romanum cum Tertiarijs dicit* (dicit quamdiu Regulam tolerat,) *Fratres ex humili panno in pretio, ... veſtiantur, etiam vniuerſos Religioſos alloqui.* & oſtenditur à fortiori. Quoniam ſtrictiùs, ipſi quam Tertiarij ad paupertatis obſeruantiam tenentur.

2059. Secundò. *Idem, quod de amictu, de victu etiam debere intelligi*, adeoque debere ſupponi Pontificem etiam dixiſſe, *Religioſi omnes cibis humilibus in pretio veſcantur*. & contra eiuſdem voluntatem procedere, qui vtе-

ren-

rentur pretioſis. Igitur contra Romanæ Eccleſiæ voluntatem eſt prodigus Religioſus quicumque, qui vtitur veſte aut cibo, qui chariſſimo vænirec pretio. Dico

2060. Tertio, *Si per accidens lanam ſummo pretio vendi contingerat, & viliſsimo ſericum, tunc debere Tertiarios per accidens vti ſericis, nec laneis poſſe.* Patet ex littera clariſsima Summi Pontificis, indicentis vt vtantur veſtibus humilibus in pretio. *Idipſum de reliquis Religioſis dicturus ſum*, nam & S. Benedictus, quem alij aut ſequuntur aut imitantur Capite LV. *De Fratrum indumentis* inſcripto, ſic ait. *De quarum omnium* (veſtium) *colore aut groſſitudine non cauſentur Monachi, ſed quales inueniri poſſunt in prouincia, qua habitant, aut quod vilius comparari poteſt.* Et de cibis ſibi conſonus diceret, ſi conſuleretur, *De quorum omnium* (ciborum) *qualitate aut groſſitudine non cauſentur Monachi, ſed comedant quales inueniri poſſunt in prouincia, qua habitant, aut qui poſſunt vilius comparari.* Non ergo piſces, ſi exorbitanti pretio & cura eſſent habendi.

2061. Quartò, *Non videri abſtinentiam quadrageſimalem ſtrictius, quam ieiunia obligare* (vtrobique obedientiæ obligatio eſt) *adeoque nec cum rei domeſticæ immenſo diſpendio.* Nam & mechanici non tenentur ieiunare, quia ieiunando lucrari neceſſaria non poſſunt; Ergo nec tenebuntur ciues pauperes comedere piſces, ſi vel ſic expendere debeant, quæ ſunt alijs vſibus preciſè neceſſaria. Puto tamen non poſſe eſſe vnumquemque iudicem in cauſa propria, ſed debere ad ſuperiores recurrere, & ab illis diſpenſationem expectare.

2062. Quintò, *Me ſincerè meam pu-*

ego claram ſolutionem viderem. Si dicas illos in fauorabilibus ſe poſſe Epiſcopis ſubijcere, reſpondeo priuilegio cedere non eſſe fauorem, & addo hanc eamdem potentiam Religionem ipſam, & non particulares concernere. Addo

2063. Sextò, *Eamdem erga ſubditos ſuos Abbatem, quam erga ſuos Epiſcopus habet, authoritatem & iuriſdictionem habere; adeoque ſi ſint ſimiles cauſæ, poſſe etiam ſimilem diſpenſationem concedere.* Hanc aſſertionem exemptio clariſſimè demonſtrat, nec debet quæ claro deducta eſt ratiocinio, obſcuriore probari.

2064. Hinc patet anno illo M. DC. XXXIII. in Bauaria ſi diſpenſante in abſtinentia quadrageſimali Epiſcopo non diſpenſaret in ſuo Monaſterio Abbas N. nullum poſſe Religioſum licitè carnes comedere, nec ieiunium violare, & ratio eſt, quia ſicut ieiunandi præceptum latum à Diœceſano exemptū Religioſū non obſtringit noua obligatione, ſic diſpenſatio ab antiqua illū nō liberat.

2065. Dices, Hanc meam tibi doctrinam videri inconſequentem, ſuperiùs enim numer. 1613. XI. agens de ieiunijs hæc habeo. *Si in ciuitate receptum fuerit generaliter aliquod ieiunium, obligat Regulares habitantes in ea*, inferſque non obligandos Regulares, ſi generaliter in ciuitate, & à fortiore in prouincia, illud non obliget. At anno illo generaliter in tota Bauaria non obſeruabatur Quadrageſima: ergo hæc ipſa non obſeruantia liberabat a ieiunandi obligatione Regulares.

Reſpondeo ſtando dictis, ieiunium generaliter in ciuitate receptum, fundari in voto ciuitatis, quo ipſi realiter poſſunt onerare ſuas plateas, ſuas domos ſuos cibos, ſuos ciues, ſuos famulos,

adſit voluntas populi obligandi perſonas & res non poſſe Religioſos obſtringere; hi enim obſtringuntur per accidens quatenus rebus vtuntur, quæ ad ciues pertinent, & conceduntur ſub onere conuouendi quando illi vouent.

2066. Examinatis igitur his omnibus ad caſum propoſitum *reſpondeo* anno illo XXXIII. potuiſſe Abbates & Superiores exemptos in abſtinentia Aduentus diſpenſare, ſi verum quòd duplo aut ferè pretio ſtaret menſa piſcium, quàm carnium, *Addo* Epiſcopos in Bauaria anno illo (penuria intenſiùs aut remiſſius videtur Europam vniuerſam vexaſſe) legitime potuiſse diſpenſaſſe. quoniam ſubditi qui paupertate preſsi, & victualium caritate oppreſſi, vix ſufficiebant alendis militibus, nec poterant ciborum diſtinctione & expenſarum multiplicatione grauari. *Subiungo* potuiſse etiam Abbates exemptos in ſuis Monaſterijs concedere ſimilem diſpenſationem, ſi ſimiles darentur cauſæ. *At dubito* (non enim ſtatum patriç & cœnobiorum vidi) an tanta apud Religioſos, quanta apud ſæculares fuerit concedendę diſpenſationis ratio. Video enim in Belgio gregarijs militibus concedi carnes in quadrageſima comedendi licentiam, tamen negari Centurionibus; creditur enim ceſſare in prędiuite nobili rationem illam diſpenſandi, quę in milite gregario vrgens eſt; miles enim caret pecunijs, & debet tenui eſse cibo contentus, & tamen viribus indiget vt Eccleſiam defendat; cùm tamen Centurio aut Legionarius opipara menſa vtens miſerię tantę non ſubiaceat.

2067. Ne aliquid in re valde vtili aut fortè neceſsaria ignores, inquitis, An Abbate Quadrageſimę aut aduentus tempore in carnium abſtinentia ex iuſta cauſa diſpenſante, aut fortè Summo illam concedente Pontifice quod eſſet ſecurus & meliùs, deberent Religioſi cœnare, an verò carnes comedere meridie, & veſpere collatiunculam ſumere?

Reſpondeo duas eſſe Authorum opiniones, alteram aſſerentem abſtinentiam à carnibus eſſe de conceptu ieiunij, nec poſſe id à carnes comedente ſeruari, alteram ieiunium ab abſtinentia diſtinguentem, illudque in quantitate, hanc in ciborum qualitate conſiſtere affirmantem.

Stando huic vltimę opinioni dicendum Religioſos illos in quadrageſima debuiſſe veſperi collationem eodem feciſſe modo, quo in alijs quadrageſimis, aliàſque fuiſſe peccaturos eodem omnino modo, quo peccarent, ſi diſpenſatio nulla fuiſſe conceſſa.

2068. Stando alteri affirmo Religioſos in dato caſu non priuari cœna ex eccleſię pręcepto, adeoque non peccaturos mortaliter aut venialiter contra hoc pręceptum. Addo tamen teneri ad ieiunia regularia, quæ etiam obſeruantur diebus multis, quibus non interdicitur cœna ab Eccleſia. Habet Regula Benedictina de Quadrageſimæ obſeruatione ſpeciale Capitulum, (nimirùm IL.) vi cuius etſi carnes ex cauſa comedantur, & veſperæ ante prandium dicendæ & veſperi non eſt cœnandum. Et Capite XLI. ieiunia omnia tempore diebus ſuis deſtinata, quæ obligabunt omnino regulariter, etſi carnes comedantur. nam ab Idibus Septembris vſque ad caput Quadrageſimæ (aut fortè vſque ad Septuageſimam iuxta alios) ſingulis diebus ieiunant Monachi Benedictini, & tamen tertiò in hebdomade veſcuntur carnibus. Stat igitur debere ſeruari formam regularis ieiunij, etſi carnes ex cauſa in Aduentu aut Quadrageſima in monaſterio comedantur.

2069. CAPITE IV. Interdicuntur inhoneſta conuiuia. Sed quæ hæc? Illa, exiſtimo, in quibus impudicę adoleſcentes locum habent, aut etiam, in quibus vſque ad crapulam & ebrietatem comeditur.

Interdicuntur etiam choreæ & ſpectacula, & ſicut conuiuium; hęc eadem ego inhoneſta & non honeſta diuido, &

exiſtimo hæc vltima omninò, at priora nec ſemper nec vbique interdici. [Vide quæ in Cap. VI. præcedentis Regulæ §. *ſubſequuntur*, ſunt dicta.]

2070. Vt Huius Capitis doctrinam altius intelligas propono caſum. In ciuitate Abulenſi in Hiſpania Epiſcopus N. (De Alphonſo Teſtato multis & bonis libris claro hoc ſolet circumferri) ſtatuit vt diebus ſingulis Dominicis fieret tripudium publicum; ad quod omnes iuuenes vtriuſque ſexus confluerent, quod etiam ad oppida & pagos extendit, ſundatis ad hunc effectum annuis reditibus pro muſica. & quia hominem alij vituperant & alij laudant, conſulor, quid de huiuſmodi ſaltationibus ſentiam. Et

Reſpondeo debere ad mentem Nicolai in hoc Regulæ Tertiariæ Capite honeſtas ab inhoneſtis diſtingui, illas ad modeſtam iuuenum recreationem conducere, & eſſe in cauſa quod extirpentur, & proſcribantur inhoneſtæ. In loco ſiné publico, coram omnibus, non niſi pudicè & honeſtè ſaltatur, in domibus priuatis magna eſſe ſolet adoleſcentium diſſolutio, laudandi igitur, qui tripudia priuata interdixerit, & ſubſtituerit publica; hæc enim ex ſe mala non ſunt & per accidens bona eſſe ſolent, nam & viam aperiunt matrimonijs legitimis, quibus Reſpublica carere non poteſt, & reddunt ſuauem & intemeratam legem illam, quæ ſaltationes ſecretas & periculis obnoxias interdicit.

2071. CAPITE V. Multa de carnium eſu diximus cum caput tertium expoſuimus, ſumpta occaſione à veſtibus, putabimus enim non ſolùm debere fratres vili, & qui tenui pretio repe-

antiquum & morbos arcendos recurritur. nam quæ ab aliquibus de ſubigenda carne dicta, non videntur habere locum, vbi ſanguis nouus & melior procuratur. Non ſunt, me iudice, ægrotis neganda ſolatia, & nonnunquam expedit vt aliqui ſolamine pleni occidantur à Medico, quàm vt deſperabundi ſuperuiuant, at ſincerè dicendum has minutiones, ſi frequentes, nociuas eſſe corpori, nec ſalubres animo. Multa enim triduo illo cauſa minutionis permiſſa, quæ minutionem ipſam poſſent reddere illicitam, & habere ſpeciem medij, non tam ad ſalutem, quam ad laxiorem modum viuendi conducentis. Salutis conſeruatio quàm perditio facilior, oportet enim ne inſanè bibat, qui ſanè vult viuere, & qui modico vtatur medicè, non indigebit medico ne quidem modicè. Expertus loquor, qui hæc ſcribo. Olim, maioris fortè, quam deberem, meam vitam faciens, neſcio qua dulcedine illectus, & affectata rerum ſecuritate præuentus, multum conceſſi medicis, multum pharmacis, at ab anno M. DC. XXXIV. mihi iniquo & moleſto, vitam incepi paruipendere, & ſoli illam Deo medico commendare, & qui anteà dubia vtebar valetudine, & ſemper caruibus, incepi frui robuſta, nec pharmacopæis indigere. & iam per annos duodecim litterarijs laboribus tametſi oppreſſus nunquam capite dolui, & quidem hanc ipſam conſtantiam valetudinis, quam Deo cælitùs debeo, habeo humanitùs à multis negationibus; nimirum, Medici, pharmacorum, minutionum, ciborumque minùs communium, ex quo enim communi cibo, & potu contentus, nihil matutino tempore ſpecie medicinæ, nihil extra menſam vrbanitatis prætextu, nihil in menſa ob-

& potus; cùm textus euangelicus habeat, Attendite ne corda veſtra crapula & ebrietate grauentur. cui conſonat S. Benedictus Capite XXXIX. dicens, *In arbitrio Abbatis erit, aliquid augere, ſi expediat, remota præ omnibus crapula, vt nunquam Monacho ſubrepat indigeries. Quia nihil ſic contrarium eſt omni Chriſtiano, quomodo crapula, ſicut ait Dominus, Videte ne grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate*. (Luc. 21.)

2071. b. CAPITE VI. Lex iſta quæ pronuntiatur de confeſſione & communione, non ita debet intelligi, vt cenſeatur ſatisfacere, ſi ter in anno confiteatur Tertiarius nam moris eſt, vt quicumque modeſtus vir, ſingulis diebus dominicis, aut ſaltem alternis ſe diuinis ſacramentis muniat. Vide ea quæ dixi in expoſitione Regulæ præcedentis capite IV. lege ſexta. Fruſtra enim multæ mortificationes inſtituuntur, ſi deſit cura ſacramentorum.

2072. CAPITE VII. Vt hoc caput intelligas, adnotato dari arma defenſionis merè, quibus offendere non poſſumus, qualia ſunt pectorale, galea, clypeus; dantur offenſiua, quibus & offendere & defendi poſſumus & ſi benè vtamur. Puto licere Tertiarijs vtraque habere, vtraque enim defenſiua ſunt, modò illa bona intentione & de ſuorum Miniſtrorum licentia.

2073. CAPITE VIII. Tertiarios ad horas Canonicas, aut orationes loco illarum iniunctas non teneri in conſcientia certum eſt; quia non ad illas alio tenentur titulo, quam Regulæ, quæ ad peccatum non obligat. Interim proderit legere quæ diximus à no. 1343.

2074. CAPITE IX. Eſt quæſtio difficilis apud Politicos, an præſtet homines mori inteſtatos? an teſtamenta ſint iuris naturæ corruptelæ. Multa adduci poſſent, ſed vbi Nicolaus Pontifex teſtamentum condendum præcipit, ancipitem ipſe controuerſiam Apoſtolica authoritate diſſoluet.

2075. CAPITE X. De pace inter fratres & alios extraneos reformanda tractatur, quam maxime etiam neceſſariam iudicat D. Benedictus, iudicant alij Patres, docti à Chriſto docente victimam ante altare relinquendam, eundemque vt quis reconcilietur inimico.

2076. CAPITE XI. Multi reperiuntur errores in editione Ioannis Kinchij ſed in hoc capite aliquid video omnino corrigendum. lege in titulo; *Quando moleſtantur contrarius aut eorum priuilegia*. & in textu, *Si verò Fratres vel Sorores contrarius vel eorum priuilegia, &c.* deleo autem vtrobiq; *contrarius* & lego *contra ius*.

2077. CAPITE XII. Iuramenta omnia cauenda eſſe aſſeruntur; multa enim requiruntur, vt ſine peccato emitti poſſint. nam deficiente veritate, periuria atque mortaliter peccaminoſa ſunt, & ſaltem peccaminoſa venialiter neceſſitate deficiente.

2078. Sunt, qui iuramenti rigorem non apprehendunt, nec putant ſincere à Theologis dici, quæ pro ſuggeſtu pronuntiantur. Hi inſtructione indigent, & in eorumdem gratiam hiſtoriolam aliquam recitabo.

2079. Sub annum M. DC. XL. accidit, vt res, quæ videbatur valdè certa, à multis negaretur Bruga, (Belgij ciuitas eſt) tametſi legitimè adiuratis. Hærebant Iudices, & quæ priuata ſcientia certiſsima ſupponebant, cogebantur iuridica & ex proceſſu hauſta vel inuiti decredere. Reuocant teſtes; ſecundò illos examinant, & conſtantes, aut potius pertinaces reperiuntur. Quid facerent? Penſionarius Vir doctus, & prudens dicit vni. Mecum ſic Deum alloquere. *Domine, ſi non ſunt vera, quæ dixi, iube Dæmoni vt meam domum incendat, meam excidat ſiluam, ſegetes eradicet, filiolos auferat, vxorem trucidet, meq; ipſum in infernum demergat*. Noluit ille adquieſcere, nec tale iuramentum euomere, ſatius iudicans prioris te-

ſtimonij execrabile periurium detegere; quam hanc maledictionem incurrere. Oportet igitur Viris indoctis hæc ita materiam proponi, vt magnitudinem peccati intelligant, & deteſtentur grauitatem. Scio nullum eſſe, qui hominem auderet occidere, adeoque ſi ſemel intelligeret periurium grauius homicidio, nunquam peieraturum. Hoc ego aliquando ſum remedio vſus; multi enim in Deo nihil mali repetientes liberè peierabant, qui poſteà peccati grauitatem docti, ab illius commiſsione abſtinuerunt.

2080. CAPITE XIII. Hoc mihi Caput fauet, Pontificemque nota liberat, quem antea vix defendere potui, & iam clarè propugno Capite huius Regulæ VI. & præcedentis IV. præcipit vt ter in anno confeſſionis communionisq; ſacramenta recipiant: & hærebam, qui illos deſiderarem diebus dominicis euchariſtia, & frequentiùs muniri ſacramentali confeſſione. At ſub huius capitis initium lego. *Vniuerſi ſani Fratres, & Sorores ..... diebus ſingulis..... miſſę officium audiant: & menſe quolibet ad Eccleſiam ſine loca, ad quam vel ad quæ Miniſtri curauerint intimare, conueniant, miſſarum ſolennia inibi audituri*. Idem de confeſſione & communione dictum puta. Ter in anno ad communionem per modum corporis myſtici in Eccleſia à Miniſtro deputata conuenient, & reliquis diebus dominicis (aut frequentiùs, ſi prudenti confeſſario placuerit) ſeorſim communicabunt.

2081. Occurrit circa oblationes dubió, An ipſę ad celebrantem, an ad alium, an fortè ad Eccleſiam pertineant? Et exiſtimo nullius eſse authoritate ſuprema id decernere qui non poſſit ſubditos inuitos cogere ad oblationem. Vnuſquiſque enim eſt pecuniarum, quas legitimè lucratur, dominus, nec licite fieri poteſt, quaquam debent. Quæ enim tali ego neceſſitati ſuccurſurus donauero, me inuito adeoque iniuſtè applicabuntur. *Vide num.* 1854.

Poſteà Pontifex Caput claudit, verbi Dei auditionem & ſilentium commendans, de quibus ſufficienter in præcedenti Regula capite IV.

2082. CAPITE XIV. De cura erga ægrotos habenda. & de orationibus pro ipſis aliqua in expoſitione Regulæ præcedentis Capite VII. at nunc ex littera Pontificis reſpondere valebo difficili quæſtioni, quæ inquirit; An miſſæ pro defunctis, ad quas tenemur, debeant ſtatim dici; an poſsint in multos dies differri? Circa quam varios homines vidimus, in ſuos abundantes ſenſu, iam ſcrupulis, & iam relaxatione peccantes. Ego autem, ne videar nimis rigidus viuis, aut defunctis incurius, audiam ſummum Pontificem & illo audito reſpondebo.

Ipſe ſic; *Intra octo dies ipſius defuncti obitum immediatè ſequentes, quilibet Fratrum aut Sororum ipſarum dicat pro anima eius, &c.* Dilatio igitur, quę non excedit octo dies numerandos à prima die, qua quis ſatisfacere potuit, non eſt notabilis, nec nominari debet negligentia vel culpa.

2083. CAPITE XV. Vt omnis officium ſibi iniunctum acceptet, indicit Pontifex. An excuſationi erit locus? Vide quę de illo dicta, cui impoſſibilia iniungerentur nimirum, à num. 694. Sed & pręcipit, vt nullum ſit perpetuum officium, & quia nonnulli pręſtare dicunt Superiores perpetuos vide quę in expoſitione Capitis V. Regulę pręcedentis, & quę vberiùs in expoſitione Benedictinę à num. 1492.

2084. CAPITE XVI. Quam neceſſa-

Sed cur à Sacerdote, cum viſitandi Sacerdotes non ſint? Quoniam ſummum debet in viſitatione obſeruari ſecretum, videturque id bene poſſe, qui confeſſiones audit, doctus enim tacere quæ in confeſſione ſacramentali audiuit, ſciet etiam illa quæ in viſitatione, celare.

Incorrigibiles iudicat, qui tertiò puniti in materia graui ſe emendare contempſerint, & docemur quos debeamus & nos incorrigibiles vocare. Illos dimitti præcipit, ſed ex diſcretorum conſilio, ne paſſio aliqua præcipitem agat Miniſtrum aut Superiorem aliquem in præiudicium animarum. Vide quæ dicta à num. 1757.

2085. CAPITE XVII. Cauet lites, & iurgia Confratribus Pontifex Summus, ſed quando execratur morbum, non deſignat determinatè medicinam, hanc enim prudentis iudicio committit. Nos autem illam reperimus optimis characteribus expreſſam in Regula D. Benedicti Capite L X X I. in quo iudico hæc verba eſſe fortiſſima. *Si quis autem Frater*, ait S. Pater, *pro quauis minima cauſa ab Abbate, vel à quocumque priore* (*ſeniore*) *ſuo corripiatur quolibet modo, vel ſi leuiter ſenſerit animum Prioris cuiuſcumque contra ſe iratum, vel commotum, quamuis modicè, mox ſine mora tamdiu proſtratus in terra ante pedes eius iaceat ſatisfaciens, vſque dum benedictione ſanetur illa commotio*. Et ne rem leuem quiſpiam iudicet, quam tam grauiter indixit ille, ſubdit, *Quòd ſi quis contempſerit facere aut, corporali vindictæ ſubiaceat, aut ſi contumax fuerit* (nota bene) *de monaſterio expellatur*.

2086. CAPITE XVIII. Declarat Summus Pontifex per quos poſſit in ieiunijs & abſtinentijs diſpenſari, & inquiris, An debeat diſpenſatio peti in lege, quæ conſcientias non obligat? & ſi debeat, Quem effectum habeat hæc ipſa diſpenſatio?

Reſpondeo primò diſpenſationem eſſe neceſſariam, ne quis pœnæ debitum dicatur incurrere & à Superiore puniatur. Secundò ne peccet venialiter ieiunia regularia violando; quoniam tametſi certum ſit Tertiarios Regula non obſtringi mortaliter, poſſent probabiliter dici obligari de leui, & peccare venialiter quotieſcumque Regulam violant in materia notabili. Sed de hoc Capite XX. vberiùs.

2087. CAPITE XIX. Pauca addit quæ ad decimumſextum ſpectare videntur, & tamen vniuerſos Religioſos erudit, vt ſciant, qui debeant procedere in ſuis viſitationibus. *Miniſtri*, ait Pontifex, *manifeſtas Fratrum, & Sororum culpas Viſitatori denuncient puniendas*. Nota illud *manifeſtas*, fruſtra enim denuntiantur, quæ probari non poſſunt. Si accuſare ſufficeret, omnes eſſent infames; nam & omnes (nec Verbum æternum excipio) iniquas linguas patimur, ergone detur per vius aditus detractioni aut calumniæ? nemo Viſitatori occulta, quæ non poſſint probari, denuntiet; vel ſi faciat, talionis iuſtiſſimo rigori ſubiaceat.

2088. CAPITE XX. Qualiter Tertiarij ad regulares obſeruantias teneantur, exponit, & quia ſcrupuloſus es, inquiris.

Primò, An obſeruantiæ regulares obligent ad pœnam? & ſi dicantur ad pœnam obligare, ad quam?

Reſpondeo obligare ad arbitrariam à Superiorum prudenti iudicio imponendam.

2089. *Secundò*. An obligent ad peccatum mortale ſi materia ſit grauis? Et quidem meritò de graui agis materia, nam mortalem culpam in leui non poſſe reperiri oſtendi ſuperius *a n. 4*.

Et ego negatiuè reſpondeo, ex illis huius Capitis verbis, *nullum ipſorum ad mortalem culpam volumus obligare*.

2090. *Tertio*, An ſaltem obligent ſub veniali?

Re-

Reſpondeo duas eſſe Doctorum ſententias, aliam docentem non eſſe poſſibilem legem, quæ obliget ad veniale ſi materia ſit magna. aliam tenentem contrà poſſe Superiorem res etiam graues ſub veniali præcipere. Stando primæ, ceſſat quæſtio, multa enim in hac regula præcipiuntur, quæ grauia (talia ſunt ieiunia, communio, cura ægrotorum, viſitationes, & ſimilia) quæ ſiquidem mortaliter non obligant, venialiter non poſſunt obligare. At ſtando ſecundæ ſententiæ, dicendum potuiſſe Summum Pontificem hanc regulam de facto ſub veniali præcipere, incertum an præceperit. Pro parte enim affirmatiua ſtat ipſemet textus, nā exceptio firmat regulam in contrarium, & Pontifex cùm mortale peccatum excludit, veniale videtur admittere, aliàs enim excluderet vtrumq; vt fecit in præcedentis Regulæ Capite X. vbi dicitur, *nulla eſſe obligatoria ad peccatum mortale vel veniale*. Pro parte negatiua ſtat hæc eadem periodus, quam pro affirmatiua citaui, nam ſtrictior eſt Regula Tertiariorum in communitate viuentium illa, quam reliqui in proprijs ſuis dominibus ſeruant atqui illa nec ad mortale, nec ad veniale obligat: ergo neque hæc. At hæc ratio nō eſt demonſtratiua; illa enim Regula tametſi in hoc puncto eſſet benignior, abſolutè eſſet auſterior, habet enim adnexa tria vota eſſentialia, quibus hæc caret, quam impræſentiarum exponimus. Poſset pro negatiua parte addi alia ratio ex præcepti natura deſumpta; nemo enim prudenter præcipit homini, qui non teneatur obedire, at in materia graui nemo ſub veniali tenetur obedire: ergo. Probatur minor. quia licitum eſt vnicuique opinari ſibi non poſſe tale præceptum imponi, & hac ſtante ſententia erit liber ab obediendi obligatione.

2092. Si hoc verum. Quomodo in profeſſione iubetur Tertiarius totam diuinam legem & Eccleſiæ præcepta promittere? nam ſi hæc teneat promiſſio, temerando quodcumque Dei, aut Eccleſiæ præceptum, (puta, occidendo, aut comedendo carnes in quadrageſima) committet ſacrilegij peccatum, nam & peccabit vtalius quicumq; ſæcularis, & poſteà contra promiſſionem. & quidem non ſtare promiſſioni Deo factæ in materia notabili mortiferum peccatum eſt.

Ad hæc ego reſpondeo dari promiſsionem moralem & pœnalem, dari & regularem. Pœnalis eſt, qua quis ſe intendit obligare ad pœnam, moralis, qua ad culpam: regularis, qua ſe ita vult obſtringere, vt Regula ſtatuit & non aliter, & hinc patet Tertiarios ſiue hanc ſiue præcedentem Regulam teneant, promiſsionem emittere regularem, vi cuius nolunt aliter obligari, quàm Regula ſancta decernit.

2093. *Et tandem* inquiris, An Tertiarius teneatur acceptare pœnitentiam, & qualiter? Reſpondeo illum ad pœnitentiæ acceptationem teneri, & his neceſſariò eſſe dandam obligationem moralem aut in infinitum progrediendum. Nam ſi Petrus exempli gratia ieiunium regulare violauit, non peccauit, cùm Regula non obliget ſub culpa. Impono illi ſalutarem pœnitentiam, & præcipio vt vnam miſſam audiat; & ipſe ad acceptandam & implendam pœnitentiam tenebitur pœnaliter, aut moraliter; ſi pœnaliter, & miſſam audire non velit, dabo illi aliam pœnitentiam. Quid ſi nec illam impleat? aut dabitur proceſſus in infinitum, aut impunem contumaciam fouebit ſanctæ legis benignitas, aut veniendum eſt ad terminum, qui vel ſit lex moralis conſcientiam obligans, vel expulſio. Cum igitur expulſio culpam videatur præſupponere ni-

niale, ... obligantur tamen Fratres, & Sorores facere pęnitentias ſibi à Superioribus impoſitas. Nota illud *tamen*, eſt enim Regulę generalis exceptio, ergo ad acceptandas implendaſque pęnitentias tenentur Tertiarij ſua peccato. Conſonat verbis Leonis in præcedenti Regula poſitis Nicolaus, quia in Capite XX. quod nunc exponimus, ſic ait, *Nullum ipſorum ad mortalem culpam volumus obligari, ſed impoſitam pœnitentiam ...... recipiat, & efficaciter ſtudeat adimplere*. Et hic nota illud *Sed*; quoniam ſicut in lege præcedente vnum *tamen* fuit Regulę generalis exceptio: ſic impræſentiarum iſtud *ſed*. Vnde dicendum teor Tertiarios ad acceptandas & implendas prudenter impoſitas pœnas teneri moraliter & pęnaliter. [Quod abſolutè de vniuerſis, quos Regula propria non niſi pœnaliter obſtringit, aſſerendum ſtatuo.]

DE ALIIS REGVLIS.

Sunt præter iſtas etiam aliæ ab Eccleſia approbatæ, quæ ſpeciali expoſitione non indigent, quoniam ſpeciales non ſunt, ſed eadem ipſa aut ſimilia alio ordine tradunt adeoque videor poſſe ponere calamum, & dici nullam in hac Regulari Theologia neceſſariam Quæſtionem omiſſiſſe.